# MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. REGIM. INT. BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTVS.

[Ser. in-fol.]

## SCRIPTORVM

TOMVS XVIII.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLXIII.

UNVERÄNDERTER NEUDRUCK 1925
VERLAG KARL W. HIERSEMANN / LEIPZIG

4 OKT. 1949

## TOMO SCRIPTORUM DECIMO ET OCTAVO CONTINENTUR


Pagg.

Praefatio . . . . . . . . . . . . . . . . . . VII. VIII.

ANNALES ITALIAE.

I—XII. Cafari et continuatorum Annales Ianuae a. 1099 1294 . . . . . 1—356
I. Cafari annales a. 1099—1163 (Tab. I. IV.) . . . . . . . . . . 1—39
Cafari de liberatione civitatum Orientis liber a. 1095—1109 . . . . 40—48
Brevis regni Ierosolymitani historia a. 1099—1169 . . . . . . . 49—55
Continuatio auctore Iacobo Auriae a. 1192—1294 . . . . . 55. 56
II. Oberti cancellarii annales a. 1164—1173 (Tab. III. IV.) . . . . . . 56—96
III. Otoboni scribae annales a. 1174—1196 (Tab. I. 2. 3. II. III. IV.) . . . . 96—114
IV. Ogerii Panis annales a. 1197—1219 (Tab. V.) . . . . . . . . . 115—142
V. Marchisii scribae annales a. 1220—1224 . . . . . . . . . . 142—156
VI. Bartholomaei scribae annales a. 1225—1248 (Tab. III. IV. V.) . . . . . 156—225
VII. Annales Ianuenses annorum 1249—1264 (Tab. V.) . . . . . . . . 226—248
VIII. Lanfranci Pignolli, Guilielmi de Murtedo, Marini Usumaris et Henrici marchionis de Gavio annales a. 1264. 1265. (Tab. V.) . . . . . . . . 248—253
IX. Marineti de Marino, Guilielmi de Murtedo iuris peritorum, Marini Usumaris et Iohannis Suxoboni laicorum annales a. 1265. 1266. (Tab. V.) . . . . . 254 258
X. Nicolai Guercii et Guilielmi de Murtedo ICtorum, Enrici Drogi et Bonivassalli Usumaris laicorum annales a. 1267—1269 (Tab. V.) . . . . . . 259—266
XI. Oberti Stanconi, Iacobi Aurie, Marchisini de Cassino et Bertolini Bonifatii annales a. 1270—1279 . . . . . . . . . . . . . . . 267—288
XII. Iacobi Auriae annales a. 1280—1294 (Tab. V.) . . . . . . . . . 288—356
XIII. XIV. Annales Mediolanenses a. 1154—1230 . . . . . . . . . 357—382
XIII. Libellus tristitiae et doloris a. 1154—1177 . . . . . . . . . 359—378
XIV. Gesta Federici imperatoris a. 1189. 1190. . . . . . . . . . 378—381
Continuatio a. 1201—1230 . . . . . . . . . . . . 381. 382
XV. Annales Mediolanenses minores, edidit Ph. Jaffé . . . . . . . . 383—402
Notae S. Mariae Mediolanenses a. 882. 981. 1018—1253 . . . . . 385. 386
Notae S. Georgii Mediolanensis a. 1061—1295 . . . . . . . . 386—389
Annales Mediolanenses breves a. 397. 1103—1228 . . . . . . . 389—391
Annales Mediolanenses brevissimi a. 1111—1237 . . . . . . . 391. 392
Annales Mediolanenses minores a. 750—1280 . . . . . . . . 392—399
Memoriae Mediolanenses a. 1001—1201 . . . . . . . . . 399. 400
XVI. XVII. Annales Placentini a. 1012—1317 (Tab. VI.) . . . . . . . . 403—581
XVI. Annales Placentini Guelfi a. 1012—1235 . . . . . . . . . . 411—457
XVII. Annales Placentini Gibellini a. 1154—1284 . . . . . . . . . 457—581
Mutii de Modoetia notae a. 1290—1302 . . . . . . . . . . 406
Mathei Vicecomitis litterae ad Placentinos de obitu Ottonis archiepiscopi a. 1295 et notae archiepiscoporum Mediolanensium a. 1295—1317 407

Pagg.

XVIII. Annales Laudenses auctoribus Ottone et Acerbo Morenis a. 1153—1168, edente Philippo Iaffé . . . . 582—659
Otto Morena a. 1153—1161 (Tab. VI.) . . . . 587—634
Acerbus Morena a. 1161—1164 . . . . 634—643
Continuatio a. 1164—1168 . . . . 643—659
XIX. XX. Annales et notae Parmenses et Ferrarienses, edente Philippo Jaffé . . 660—799
XIX. Annales Parmenses minores a. 1038—1167 . . . . 662. 663
Annales Ferrarienses a. 1101—1211 . . . . 663
Notae Parmenses a. 1147—1180 . . . . 664
XX. Annales Parmenses maiores a. 1165—1335 (Tab. VI.) . . . . 664—790
Carmina triumphalia de Victoria civitate I. II. III. . . . . 790—799
XXI. Annales Cremonenses a. 1096—1232, edente Philippo Iaffé . . . . 800—807
Chronici Cremonensis fragmentum a. 1310—1317 . . . . 807. 808
XXII. Annales Bergomates a. 1167—1241, edidit Ph. Jaffé . . . . 809. 810
XXIII. Annales Brixienses a. 1014—1273, edente L. Bethmann . . . . 811—820

Index auctore Wilhelmo Arndt Ph. D. . . . . 821—874
Glossarium auctore Wilhelmo Arndt Ph. D. . . . . 875—880

Tabulae I. ad pag. 1.
II. ad pag. 2 et 3.
III. ad pag. 4 et 5.
IV. ad pag. 6 et 7.
V. ad pag. 8 et 9.
VI. ad pag. 405.

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

Absolutis ante biennium annalibus Germaniae aevo Suevico conscriptis, iam eodem aevo compositos annales Italiae adgressi, hoc volumine libros eius generis Ianuae, Mediolani, Placentiae, Laudae, Parmae, Cremonae, Bergami, Brixiae compositos in usum lectorum proponimus. Quorum textus, historiae nostrae et totius Europae meridionalis utilissimus, quantum codicibus preciosissimis undique conquisitis atque adhibitis profecerit, penes ipsos iudicium esto.

Sequenti Tomo reliqui Italiae annales, qui ad res nostras facere videntur, prodibunt.

Scribebam Berolini in Bibliotheca Regia a. d. 14. Kalendas Decembres anno 1862.



# CAFARI ET CONTINUATORUM
## ANNALES IANUENSES
### A. 1099—1294.

*Librorum hoc loco lectoribus nostris propositorum, quorum unica hucusque editio*[1] *codici in compendium redacto multisque locis mendoso et depravato innititur, novam et integram editionem anno* 1839 *evoluto Parisiis codice authentico mente concepi, annis* 1853 *et* 1855 *Londini adhibito codice Musei Britannici aggressus sum, annis demum* 1858 *et* 1859 *codice Parisiensi iterum evoluto et in usus nostros diligentissime converso Berolini feliciter perfeci.*

1) *Codex bibliothecae magnae Parisiensis inter supplementa Latina numero* 773 *signatus*[2] *est liber membranaceus in folio, foliorum* 190, *quorum tamen* 103. 104 *et ultima quatuor vacant. Qui quum per saecula duodecimum et decimum tertium conscriptus et in archivo Genuae civitatis summo honore habitus, saeculo decimo quinto saepius transscriptus vel excerptus esset, tantam deinde hominum incuria et aeris humiditate iacturam passus est, ut hodie ultimo quaternione pessumdato et amisso, reliqua permultis locis laesa et corrupta appareant. Praeterea dum membranae saeculo XVI compingebantur, quaternionum ordo turbatus est in tantum, ut quasi disiectis singulis membris suum cuique locum legitimum denuo adsignare oporteat*[3]. *Extant* 24 *libelli, omnes quaterniones, praeter tertium, quartum et decimum octavum, qui decem, quatuor et sex foliis constant. Quorum ordo genuinus olim is erat, ut primo loco, qui et hodie primum locum obtinent, Cafari annales annorum* 1099—1163 *duobus quaternionibus, foliis scilicet* 1—16 *continerentur. Alter Cafari liber de captione Ierusalem et civitatum Orientis multo tempore post a Iacobo Auriae repertus et libro additus et manu saeculi XIII. exeuntis exaratus habetur in sexternione fol.* 17—28. *Prima annalium continuatio Oberto cancellario debita, annorum* 1164—1173 *in quaternionibus tribus, foliis* 65—88, *legitur; postea quaterniones septem foliorum* 105—158 *foliis* 105—115 *annales Otoboni annorum* 1174—1196, *foliis* 116—130 *Ogerii Panis a.* 1197—1219, *foliis* 130′—137 *Marchisii scribae a.* 1220—1223, *et foliis* 137′—158 *Bartholomaei scribae a.* 1224—1240 *diversis saeculorum XII. et XIII. manibus scriptos complectuntur.*

*Quinta pars duernione foliorum* 29—32 *et sexta quaternionibus duobus, scilicet foliorum* 89—104, *reliquos Bartholomaei annales anno* 1241 *et annis*

1) Muratori SS. Ital. T. VI. p. 243—610. 2) Archiv der Gesellschaft etc. T. VIII. p. 309. 3) Manu saeculi XVI. vel XVII. in margine ordo legitimus adnotatur; saeculo XVII. exeunte quae vel hodie servatur compactura addita fuisse videtur.

*1242—1248 conscriptos sistunt. Septima parte in quaternionibus quatuor, foliis 159—190, annales quatuor virorum annis 1249—1269 editi habentur. Octava pars quatuor quaternionum foliis 33—64, primo loco annales quatuor virorum Oberti Stanconi Iacobi Auriae et sociorum a. 1270—1279, tum inde a folio 46' Iacobi Auriae unius annales a. 1280—1287 praebet, ultimo annorum 1287—1294 quaternione, prout iam monui, amisso.*

*Scriptura diversorum librorum ut auctoribus et aetate diversa, authentica est, qualem rei publicae Ianuensis magistratus ipsis duodecimo et tertio decimo saeculis fieri iusserunt et adprobaverunt, sed minime ipsorum autographa auctorum; dum haud rara textus menda et vitia, scribas ea quae membranae tradiderunt saepe non intellexisse, comprobant. Quare in textu recognoscendo authenticam quidem lectionem exprimendam, sed ubi evidens vitium occurrat emendandam liquet; ita tamen ut quae linguae rusticae vestigia offendas, ea potius ut Italae linguae initia servanda quam corrigenda tibi persuasum habeas. Ita et simplex littera* e *inde ab exeunte saeculo XII. in locum compositarum* ae *et* oe *succedit.*

*Locorum ab auctoribus ipsis priore scriptura erasa emendatorum utramque quantum fieri poterat lectionem adferre; adnotationes autem scriptorum saeculi XIII. exeuntis et posteriorum temporum, partim ex ipso textu repetitas, nonnisi ea parte qua utilitatem aliquam afferre videbantur, proponere constitui.*

*Nonnullas annalium partes picturis ornatas conspicimus, quas inter effigies Cafari senis Macobrio notario annales dictantis in fronte libri locum obtinet, eamque una cum reliquis quae veri eandem speciem referre videbantur cum lectoribus nostris communicare visum est. Liber Otberti paucas easque minoris pretii, Otoboni plures coloribus ornatas picturas exhibet, quas inter balistam et galéam, effigiem Manegoldi consulis palatium Fulconis rebellis destruentis atque consilio praesidentis, bulzonem ligneum a. 1194 turri evertendae instructum, Oberti de Olevano consulis effigiem, et a. 1195 Iacobum Manerium potestatem consilio praesidentem repetere iuvat. A. 1196 Drudus Marcellinus potestas auro et coloribus fulget. In libro Bartholomaei Lazarius Marcellinus armatus equo sedens, atque obsidio Arbicellae et deditio Saonae sistuntur, quas in quantum supersunt repetere libet.*

*Fides operi ab auctoribus et simplice plerumque scribendi ratione, quantum in re propria fieri potest, plurima accedit. Sunt autem isti:*

*Scribendi initium fecit* Cafarus[5] *illustris Ianuae civis, compagniae de Porta*[6], *qui anno 1080 natus, inde ab expeditione Caesareae a. 1100 expeditionibus plurimis mari terraque dux milesve interfuit, et civitatis administrandae curam consul in re publica et causarum et legatus ad Calixtum II et Fridericum I imperatorem plurimam suscepit. Qui quum vicesimo aetatis anno*[7] *laudabilia civium gesta, patriae honori et utilitati consulturus, memoriae tradere secum constituisset, propositi tenax quaecumque deinde ipse vidit vel ab aliis consulibus rerum testibus comperit, ea constanter notavit, et anno 1152 librum suum, Macobrio scribae dictatum, consulibus rei publicae in consilio pleno ostendit*[8].

4) Macobrius memoratur in charta a. 1157 d. 16. Decembris data, qua marchio de Volta Amico de Cunizone solutionem pecuniae promittit ante turrim ubi morabatur Macobrius notarius. Monumenta Patriae. Liber iurium Genuae T. II. p. 456. 5) Initio scripti de captione Almeriae a. 1148 se ipsum Cafarum de Caschifellone vocat. Quem saeculi XV. scriba codicis 2, qua auctoritate incertum, dominum Caschifeloni et in parte Savignoni, quondam domini Rogerii de maioribus de Porta fuisse tradit. 6) v. annales a. 1130. 7) v. quae ipse ea de re refert a. 1160. 8) Ita ipsius testimonium et textus annalium conciliantur; nam complura quae in iis legimus, ipso quo habentur anno minime scripta, sed postea

Symbole applicable
pour tout, ou partie
des documents microfilmés

Original illisible

**NF Z 43-120-10**

*Consules consilio audito, librum Cafari per Wilhelmum de Columba scribanum publicum chartulario communi inferri iusserunt; quo facto gavisus Cafarus, annales deinde multo maiori ambitu per reliquum vitae tempus usque ad octogesimum tertium aetatis annum produxit, nec nisi civilibus turbis quae ultimo vitae eius triennio Ianuae praevaluerunt, ut manum ab opere removeret induci potuit. Obiit octoginta sex annos natus anno* 1166. *Ante tamen*[9] *quam priorem annalium partem consulibus offerret, iam de expeditione Almariae et Tortuosae quibus ipse annis* 1147 *et* 1148 *interfuerat libellos, quos in calce annalium legere iuvabit, ediderat; alterum opus, scilicet de liberatione civitatum Orientis libellum, quo expeditiones Ianuensium in Syriam et Palaestinam describit, post annum* 1152 *absolvisse videtur*[10]. *Utrumque opus auctorem prodit rerum quas descripsit, optime gnarum et ubique fere testem oculatum, virum fortem, pium, candidum, patriae amantissimum, omnium quaecumque ad rem publicam privatamque civium facere possent curiosum, in negotiis optime versatum, summorum sui aevi virorum, Friderici I praecipue et pontificum summorum, familiaritate usum, recti iustique in rebus etiam imperii et ecclesiae tenacem, et cuius felicitati post res domi militiaeque praeclare gestas accessit, quod senex Ottonem filium rei publicae consulem videre meruit. Librorum quos scripsit prior hic ex codice authentico integritati restituitur; alter prima vice luci datur, subiecta ad calcem brevi historia regni Ierosolymitani, cuius initium usque ad a.* 1162 *e Cafari narratione pendet, et una cum continuatione auctoris saeculi XIII. ineuntis*[11] *usque ad a.* 1192 *a Iacobo Auriae repertum, ab ipso inserta ope codicis S. Laurentii notitia de particula crucis et continuatione usque ad exitum saeculi XIII. auctum est.*

*Latuerat liber inter scripturas et libros Oberti Auriae, ubi ab ipsius nepote Iacobo Auriae repertus, et a.* 1294 *die* 16. *Iulii magistratibus Ianuae oblatus, eorum permissu in codice cronicorum in ea parte quam Iacobus eligeret, scilicet post Cafari annales, ligatus est*[12], *ubi et hodie habetur. Loca nonnulla lectu difficiliora adhibito apographo codicis authentici, Londinensi scilicet, sanari contigit.*

*Triennio post Cafari obitum elapso, anno* 1169 *Otto Cafari filius aliique Ianuae consules annalium producendorum consilio capto, virum eiusmodi oneri parem Obertum cancellarium ut illud susciperet rogaverunt. Qui quidem iam a.* 1139 *legatus a Chuonrado III. rege Norimbergae ius monetam cudendi civitati patriae obtinuerat, et inde ab a.* 1145 *cancellarii munere functus, rebus patriae cognoscendis et gerendis constanter interfuit. Annis* 1147, 1153, 1157, 1162 *consul causarum, a.* 1155 *consul de communi electus, pactis civitatis cum imperatore Byzantino et marchione Saonae ineundis interfuit et a Noviensibus sacramenta fidelitatis rei publicae nomine recepit. Anno* 1164 *arbiter inter archiepiscopum et laicum quendam memoratur, anno* 1165 *cum consulibus aliisque viris sapientibus qui Portum Veneris contra Pisanos armaret ablegatus est; anno* 1166 *coram Friderico imperatore liti Ianuensium et Pisanorum de Corsica insula exponendae interfuisse videtur, et anno* 1168 *Mediolani cum civitatibus Lombardiae de subsidio pro Alexandria condenda pactus est. Igitur et historiae scribendae munere ita perfunctus est, ut rerum quas describit quasi vivam imaginem*

demum dictata fuisse patet; sententiae a. 1101, 1106, 1123, de annis regis Balduini, de Boiamonte, de guerra Pisanorum, nonnisi annis 1118, 1131, 1133 ita scribi potuerunt. 9) Nam eorum mentionem facit in annalibus a. 1147. 10) In postero enim opere eorum mentionem facit quae in praeterita scriptura Cafari, annalibus scilicet, scripta sunt. 11) qui fortasse Wilhelmi Tyrii historiam novit. 12) Vide notarii testimonium in fine.

*ante oculos statuat*[13]. *Fridericum imperatorem, Rainaldum archicancellarium, civitatum legatos et Baresonem Sardiniae regem causas tractantes conspicimus; causas et varias vicissitudines turbarum civilium docemur; et triennio sequenti quum bellum Pisanum vigeret, pacta cum Christiano archiepiscopo Moguntino et Lucensibus inita, arma et munitiones cura sua paratas, subsidia et reditus civitatis explicat, nec quae necessitate urgente nova instituta civilia desiderabantur silet. Narratio versibus interspersis claret. Historia anni* 1173 *alia* 14 *manu atramentoque addita, Oberto quidem debetur*[14], *sed anterioribus multo succinctior ab imperito scriba libro duabus vicibus adiecta est; postea Oberti cancellarii nomen haud ultra occurrit, et Ianua civitas per quindecim annos historiographo caruit.*

*Circa annum demum* 1189 *Cafari exemplo et patriae amore excitatus Otobonus scriba communis*[15] *stilum ab Oberto depositum assumpsit, et lacuna annorum* 1174—1189 *succincta narratione expleta, annales deinde inter res ipsas Oberti more ampliori narratione usque ad annum* 1196 *produxit. Ipse bellis rei publicae interfuit; a.* 1194 *cum classe Ianuensium in subsidium Heinrici VI. missus, obsidioni Gaetae interfuit, et civitate capta pro sacramento fidelitatis ab episcopo, magistratibus et civibus Gaetanis exigendo relictus est. Anno* 1196 *in classe Ianuensi apud Sanctum Bonifacium cum Pisanis conflixit, et narratione ampla et diligenti teste in sequentibus quoque expeditionibus af-* 16 *fuisse credendus est*[16]. *Nec minoris pretii sunt quae ipse de mutata interiori rei publicae facie tradit, dum Ianuenses a.* 1194 *nimiae civium ambitionis restringendae causa consulibus communis abrogatis, quotannis virum extraneum sub potestatis titulo rei publicae praeesse iusserunt. Quae mutatio quum rei publicae prodesse videretur, Otobonus primorum potestatum imagines auro et coloribus ornatas libro suo inseruit, qui folia* 105—115 *codicis authentici explet.*

*Quartus rerum Ianuensium scriptor Ogerius Panis, annis* 1172 *et* 1173 *scriba communis fuerat, a.* 1186 *ad Ildefonsum Aragoniae regem legatus foedus cum eo contra Pisanos pepigit; a.* 1190 *iterum scriba occurrit, a.* 1209 *pacem cum Massiliensibus firmasse videtur, et a.* 1212 *die* 9. *Iulii coram Friderico II. rege ipso iubente in anima eius privilegia civitatis servanda iuravit. Narratio praecedentibus succinctior, res gestas ita presse secuta est, ut quae anno praeterito acciderant, praesenti certe scripto absolverentur; anno tamen* 1204 *eadem res bis traditur, bellum Bovinense anno* 1214 *et iterum breviter anno* 1215 *describitur, et divisionem imperii Orientis a.* 1204 *nonnisi mense Iunio anni sequentis narratam crediderim, dum Balduini coronatio die demum* 23. *Maii eius anni peracta est. Ogerius inter alias res memoria dignas anno* 1214 *reditus et expensas civitatis in meliorem ordinem redactas tradit, et anno* 1216 *consules causarum abrogatos eorumque loco extraneos iudices quotannis invitatos, scribit. Textus foliis* 116—130 *codicis authentici ea ratione inscriptus est, ut in fine cuiusvis anni spatium vacet. Scriptura annis* 1196—1202 *in universum eadem, postea maior minorve diverso etiam atramenti colore progressum libri ostendit. Pictura nulla, spatium litterae initiali relictum nonnisi inde ab anno* 1207 *minio expletum ornatumque. Textus vitia nonnulla scribam, ab auctore diversum, quae scripserit haud intellexisse ostendunt. Littera simplici duplicive sine discrimine*

13) Narratio eius in codice authentico fol. 65—88 legitur. 14) V. a. 1173 *sicut in fine praeteriti consulatus ... vobis per seriem exposuimus.* 15) Alius est atque Otobonus de Albericis et Otobonus consul anni 1172. 16) Cf. ultima anni verba: *retinuimus ... Pisanos cepimus et Ianuam conduximus.*



Mon. Germ. SS. XVIII Tab. III.

*utitur, voces nonnullas syllaba* -in *loco* -im *terminat;* e *simplex plurimum,* ę *nonnumquam occurrit.*

*Anno* 1220 *Rambertini Guidonis de Bovarello potestatis mandato* M a r c h i s i u s s c r i b a c o m m u n i s *annalibus scribendis accessit, vir negotiorum civitatis praecipue gnarus, et cuius nomen inde ab anno* 1210 *saepius occurrit. Ipsi cura chartularii authentici communis Ianuae commissa erat, cui propria manu pacta civitatis e. g. cum Ottone de Carreto a.* 1214, *cum Niciensibus a.* 1215, *cum Vintimiliensibus a.* 1220 *aliaque inseruit. Anno* 1212 *coram Friderico II, annis* 1214, 1215, 1217, 1218, 1222, 1223 *in aliis chartis testis, a.* 1224 *notarius sacri imperii et iudex ordinarius apparet; annis* 1217, 1220 *et* 1223 *legatus Corsicam Sardiniam et Massiliam adiit, a.* 1223 *pactum cum Vintimiliensibus conscripsit, a.* 1223 *Tunexim missus pacto interfuit, domi pacta cum vicinis Enrico de Uretio, Balderico de Vezano et dominis de Mirabello confecit, et a.* 1224 *die* 8. *Octobris senatus mandato pactum cum Narbonensibus iuravit. Talem virum accuratam fidam et amplam rerum ab ipso tractatarum narrationem reliquisse, nemo est qui miretur. Anno* 1220 *epistolam ab episcopo Albanensi de captione Damiatae Ianuensibus scriptam profert, historia legationis ad Fridericum II. imperatorem a.* 1220 *authenticae Rambertini potestatis relationi innititur; bene merita Ianuensium de imperatore a.* 1221 *et res civitatis cum Vintimiliensibus et Massiliensibus a.* 1121—1223 *ipsis scriptorem interfuisse arguunt. Textum idem scriba qui Ogerii annales a.* 1215—1219 *exaravit, membranae intulit, et initium cuiuslibet anni littera maiori rubra, finem spatio vacuo indicat. Marchisium opus suum usque ad exitum anni* 1224 *produxisse putaverim; quum enim officio suo usque ad Aprilem mensem anni* 1225 *functus sit; textus anni* 1224 *eadem qua anteriora manu, anno vero* 1225 *alia manus incipiat; textu anni* 1224 *eodem quo et in praecedentibus modo mentio fiat pacti manu Marchisii scribae confecti; spatium inter annos* 1223 *et* 1224 *trium vel quatuor tantum linearum, anno vero* 1224 *expleto amplius quam integra columna vacet, qua auctoris qui iam opus continuaret, Bartholomaei praefatio reciperetur; tum modus numerandi annos, littera initialis et, quod maioris momenti est, indictionum numeri inde ab anno* 1225 *diversi incipiant, distichon post obitum Bartholomaei anno circiter* 1249[17] *in honorem eius compositum errore scribae loco folii* 138' *folio* 137' *insertum esse persuasum habeo.*

*Anno igitur* 1225 B a r t h o l o m a e u s *Marchisii defuncti in locum die* 14. *Augusti scriba communis electus filum narrationis suscepit, et usque ad anni* 1248 *exitum produxit. Tempore quo ipse scribae officium suscepit, administratio civitatis magistratibus tam indigenis quam extraneis quovis anno nova electione sibi invicem succedentibus incumbebat; scribae contra quotannis iterum eligi soliti, praesentia sua, longa negotiorum scientia et experientia acquisita, minori quidem sed constanti et valida in rebus gerendis auctoritate fruebantur. Ita Bartholomaeum a.* 1227 *tractatui cum Wilhelmo de Mari interesse conspicimus; a.* 1229 *negotiorum Ianuensium cum Massiliensibus particeps tractatum propria manu conscripsit; a.* 1231 *cum aliis curiae magnae Ravennae interfuit, et tractatus inter Fridericum II. imperatorem et legatos atque magistratus Ianuae habitos explicat; a.* 1232 *pactum cum civitate Sancti Egidii confecit,* 1233 *legatos Venetiam missos comitatus est, et officio scribae usque ad initium anni* 1239 *functus, quo alium in eius locum electum fuisse legimus. Bartholomaeus annorum* 1225 *usque* 1233 *historiam valde accuratam et fidei dignam*

17) iisdem et manu et atramento quo textus annorum 1247 et 1248 scribitur.

*exhibet, a. 1227 Lazari Gerardini potestatis imperium, et obsidionem Albizolae et Saonae picturis illustrat, Albinganam recuperatam et Ianuae ea de re festivitates celebrat; anno 1230 piratas Ianuenses capite plexos, a. 1231 curiam Ravennae, chartis et epistolis insertis illustrat. Annis 1233—1238 narratio magis succincta succedit. Quo tempore quum Ianua imperatore relicto in partes ecclesiae transiret, an haec fortasse Bartholomaeo quoque a re publica recedendi causa fuerit ignoramus*[18]*; certe eapropter eum nec ab annalibus manum retraxisse putaverim. Historia anni 1239 forma, consilio, animo anterioribus similis, immo ut ipsa vel versibus insignitur. Insequentibus quoque annis indictionum numeri calculum inde ab a. 1225 per Bartholomaeum introductum servant, nec nisi anno 1249 omittunt. Res maximi momenti tempore quo civitas ab ecclesiae partibus stetit gestae, concilium a. 1241 a Gregorio IX. convocatum et magno classis Ianuensis detrimento ad nihilum redactum, a. 1244 Innocentii IV. fuga Sutrio Ianuam et Lugdunum, a. 1247 et 1248 Ianuensium balistariorum auxilio Parma defensa et Victoria capta, eadem qua praecedentia cura et diligentia descriptae et chartis epistolisve illustratae Bartholomaei annalibus praecipuum locum assignant.*

*Textus prout scribendi vitium ostendit, non Bartholomaeo ipsi sed scribae debetur; anno 1227 tractatum cum Wilhelmo de Mari primo breviter, deinde ampliori narratione exhibet. Manus cui textum annorum 1247 et 1248 debemus, distichon etiam in memoriam Bartholomaei supra memoratum inseruit, unde ipsum haud ultra annum 1248 narrationem produxisse patet; quo ultimo et indictionum numerum exhiberi iam supra monuimus.*

*Bartholomaei annales foliis codicis authentici 138′—158, 29—32, 89—102′ leguntur; cuius in imo margine alia saeculi XIII. manu scriptum est:* Hoc anno Lodevicus rex Francorum tranfrectavit et pervenit in Egypto. Hic debet poni de exercitu regis Francorum quando partuit, et quot ligna et milites habuit, et quo ivit, et alia accidentia illo anno. *Cui rei duo folia 103 et 104 vacua relicta sunt.*

*Pars quoque annalium* ***septima***, *annos 1249—1264 complexa, scribis haud dubie eius aevi publicis debetur, prout ipsa narratio atque chartae et notitiae publicae laudatae produnt et successorum Lanfranci Pignoli et reliquorum a. 1264 praefatio testatur; sed auctorum nomina latent. Civitas, cuius antea magna pars imperatori adhaerebat, Friderico II. defuncto tota in partes Guelficas transierat, tunc Innocentius IV. in Italiam redux Ianuam visitavit, atque Fliscorum studio Gibellini exules revocati pecunia reconciliati fuerunt. Postea res publica tota fere Grimaldorum imperio paruit, quorum auctoritate igitur et annalium scriptores electos et historiam compositam fuisse opinari licet. Annales huius temporis ita scripti sunt, ut quique annus in summa pagina sua incipiat, atque magnum spatium nominibus magistratuum inserendis vacet; in textu quoque saepius lacunae postea explendae patent. Littera maior initio textus nonnisi inde ab anno 1263 rubro colore insignitur. Scriptura lectu facilis et aequalis. Initio primae paginae magistratuum anni 1248 multo amplior recensus quam apud Bartholomaeum habetur. Margines notis et additionibus scatent, post annum 1282 insertis, dum ibi e. g. Michaelem Palaeologum viginti quatuor annis regnasse scribitur et Karolus comes Andegavensis regis titulo insignitur, quae omnia ope codicis authentici iure infra textum relegavimus.*

18) Priore tempore inter utramque partem ecclesiae et imperii stetit; inde ab a. 1236 partem ecclesiae laudat.




fol. 6.' an. 1152.



In tricesimo secundo consulatu unius anni fuerunt consules de communi .IIII. tancleruus de platealonga. Rubaldus de alberico. Rubaldus bisacia. ansaldus spinola. et de placitis .IIII. W. buferius. W. francomus. W. cicala. Conradus rufus. ... In hoc consulatu macella fue-

fol. 10. an. 1159.

tribus tantum exceptis. Ottomano scilicet. J. de sancto martino. et Guidone crem-
se. deo teste quia non mendacium fingimus sed meram sicut est loquimur ve-
ritatem concorditer atque unanimiter convenerunt et nos assentiente clero et populo

fol. 107. an. 1183.

Anno dominice nativitatis .M.C.LXXXIII. fuerunt in Janue republica consules .XI. et VIII. pro
clamatores. videlicet hugolinus mallonus. Ansaldus buffferius. Rubaldus de volta. Anglerius de man.
... et Lanfrancus pipere. Prusbrius ... fuerunt .IIII. compagnis ... Oto

Ph. Jaffé scr.

*Grimaldorum tyrannide anno 1264 a familiis Spinularum, de Auria et Fliscorum subversa, Obertus Spinula dominus et capitaneus Ianuae imperio potitus, potestatis munus amicis suis commisit; tum historiae quoque scribendae modus immutatus, et loco unius quatuor viri nobiles et sapientes electi sunt, qui tam de prospere Ianuae gestis quam etiam de adversis veritatem solam scriberent, atque quotannis a nova potestate electi, per unum tantum annum officio fungerentur. Et primo quidem Lanfrancus Pignolus et Guilielmus de Murtedo iurisperiti, et Marinus Ususmaris et Henricus marchio de Gavio laici annalistarum munus susceperunt. Quo quum laudabiliter functi essent, potestas anno 1266 Wilielmum de Murtedo et Marinum Usus maris denuo elegit, iisque Marinetum de Marino ICtum et Iohannem Suzobonum laicos socios adiunxit, qui non solum res Ianuenses sed alia quoque magna et ardua negotia et facta, quae tam in Lombardia quam in regno Siciliae et aliis partibus Italiae acciderant, calamo traderent. Ipsi igitur et qui anno 1267 ipsis successerunt, Wilielmus de Murtedo tertium et Nicolaus Guercius ICti, et Henricus Drocus atque Bonusvassallus Usus maris laici quaecumque scitu digna ad aures eorum pervenerant, ea absque partium studio[19] magna cura et sollertia memoriae tradiderunt, eosque inter* 19 *alia ignotam hucusque de Manfredi et Conradini fatis narrationem reliquisse nobis gratulamur. Textus pars ultima compluribus scribis debetur, quorum ultimus vitiis multis laborat. Membrana in superiore et imo margine saepius ita laesa est, ut nonnisi auxilio alterius codicis textum integrum restituere licuerit. Ingravescente interim ecclesiae iugo et dissensionibus nobilium civitatis effervescentibus, Spinulae cum illis de Auria foederati ducibus Oberto Spinula et Oberto Auriae die 28. Octobris 1270 armis arreptis Fliscorum domos munitas ceperunt, et potestate deposito populi regimen constituerunt, cuius auctoritate Obertus uterque capitanei communis et populi summum imperium receperunt. Qua rei publicae mutatione stabilita, statim et historiae scribendae ratio immutata est. Nam quatuor viris eius anni dimissis, capitanei de consensu et voluntate antianorum Obertum Stanconem et Iacobum Auriae quondam Petri laicos, atque Marchisinum de Cassino et Bartholinum Bonifatii iurisperitos annalibus producendis praeposuerunt, qui per decennium deinde operi institerunt, eoque egregie functi sunt. Quorum quidem Marchisinus anno 1264 inter syndicos qui de potestate abeunte sententiam ferrent, a. 1266 inter legatos ad Clementem IV. et Karolum Andegavensem missos recensetur; fortasse tamen praecipuas partes Iacobum Auriae sustinuisse opinari licet, qui solus deinde totum in se susceperit onus.*

*Capitaneorum imperium anno 1271 plena potestatis subiectione et Grimaldorum exilio amplius stabilitum, belloque felici contra exules Fliscos eorumque socios Karolum Andegavensem et Ottobonum cardinalem vindicatum, et partium reconciliationem interventu Ottoboni eiusdem, postquam Adriani V sub nomine pontifex maximus creatus erat, praecipuam annalium a. 1273 partem laudaveris. Textus paulatim diverso tempore una eademque pulchra manu libro inlatus est; correctiones nonnullae in locis rasis, et praecipue praefationis pars aliqua in fine decennii mutata alii scribae debentur.*

*Ultimus eorum qui per ducentos annos Ianuae annales produxerunt, Iacobus Auriae, Petri filius, Oberti Auriae magni capitanei nepos, anno 1234 natus atque medias inter turbas saeculi adultus, parentum exemplis rei publicae toga sagoque prodesse edoctus est. Postquam iam inde ab anno 1269 historiae*

19) Cf. iudicium a. 1269 de Lombardis latum.

*scribendae accesserat, anno 1284 in galéa familiae de Auria cum omnibus fere propinquis suis bello magno contra Pisanos interfuit, et victoria patrata cum valida classi tempestas ingrueret, in portu Veneris vix interitum evasit. Domi autem pacis artibus occupatum videmus; tabularii communis custos chartas et alia documenta secundum rerum ordinem disposita in septimum volumen libri* 20 *iuris transscribi procurat*[20], *tum bullam Innocentii V. absconditam reperit, qua interdictum urbi impositum repudiatur; qua arte validus historiae suae acta publica, chartas et epistolas, registra redituum et expensarum civitatis, nec non acta criminalia adhibet. Nec antiquos historiae scriptores, Livium et Vegetium, Paulum diaconum et vitas sanctorum aspernatus, chronica etiam nobis incognita Phileberti saeculo XI. scripta utitur; et quod in Cafaro desiderabatur, libro suo quae de civitatis origine et historia antiquiore reperire poterat praemisit. Et in etymologicis et mythologia quidem iudicium eius haud magis quam Ciceronis probaveris, sed sui temporis et negotiorum optime gnarus „quippe qui omnia vidit et interfuit vel a videntibus veraciter didicit", res civitatis cum Karolo Andegavensi amplissima narratione explicat, et rerum peregrinarum quoque optima notitia usus est. Epistolarum commercia illo tempore frequentissima; Pisanorum nave quadam capta, Ianuenses epistolarum multarum in ea repertarum ope consilia hostium edocti fuerunt. Historiam expeditionis Corsicanae, qua diarii modo eventus discimus, adiuvante Iacobo Semuntia notario dedit, qui Percivalo Auriae, expeditionis duci, ab epistolis adfuerat. Ubique tamen sanum iudicium experientia maturatum agnoscas; Corsorum indolem tam bene perspexit, ut immensas opes in expugnatione insulae expendendas incassum et quasi in abyssum abiiciendas esse pronuntiet; quam doctrinam si Ianuenses eius aevi in usum suum convertere potuissent, relicta iam tum insula thesauros per quingentos deinde annos sine ullo fructu abiectos rei publicae servassent. Sagaci oculo principum et civitatum Italiae consilia, res Ianuensium cum Karolo Andegavensi penetrat, et aeque atque omnis aevi sapientes exitum bellorum non mortalium prudentiae et viribus, sed Dei dispensationi deberi agnoscit. Et dum veritatem sequi summam sibi legem imposuisse videtur, nec unquam partium studio abripitur, veritatis etiam consequendae vias lectoribus pandit. Praedecessoribus multo perspicacior, accuratius tractat de subsidiis et modis agendi; docet foedera, exercitus, classes, pecuniam, iura et reditus magistratuum, capitaneorum et potestatis, consiliorum modos deliberandi et decidendi*[21], *et quaecunque alia in rem publicam momenti esse possunt memorat. Civitatem conspicimus sanam, vigentem, bello ingenti, quo 627 galeas et galionas armaverat, antiquae aemulae Pisarum urbis tandem victricem, et viris sapientibus ducibus eo securitatis progressam, ut a. 1288 iustitiae administratio capitaneorum potestati exemta uni potestati committeretur, et anno 1291 victoria parta capitanei magistratu abdicarent et capitaneos in posterum extraneos eligendos statuerent. Iacobus annales suos decursu quatuordecim annorum paulatim scriptos et auctos atque emendatos, in summa felicitate civitatis absolvit; et sexagesimo aetatis anno expleto quum senio ac longa corporis infirmitate gravatus de cetero operi instare non posset ut tanto negotio expediret, anno 1294 manum deposuit et die 16. Iulii „egregius vir multa honestate et scientia praeclarus" opus bene et vere absolutum potestati communis, capitaneo populi, abbati populi et antianis civitatis praesentavit; quorum decreto libro annalium insertum est. Codex authenticus haud Iacobi sed scribae manu exaratus et diverso tempore*

20) Hoc factum nunc demum ex Cl. F. Ansaldi adnotatione pag. 15 in fasciculo secundo „Atti della società Ligure di storia patria" 1859 didici. 21) ope lapillorum alborum et nigrorum.




Philippus Jaffé scr.

Mon. Germ. SS. T. XVIII Tab. V ad pag. 6.

*continuatus correctus et emendatus est; anno* 1284 *medio in textu Karolum captivum Caesaraugustam ductum ibique usque ad a.* 1289 *custoditum fuisse legimus; a.* 1292 *inde a Nicolai obitu sedem Romanam usque ad a.* 1294 *vacasse; a.* 1281 *Palaeologum imperatorem obiisse, et cadaver ipsius vel anno* 1285 *insepultum manere primo scripsit, deinde vero numero MCCLXXXV eraso, MCCC lacunae inseruit. Nam et a.* 1282 *ante bellum Pisanum introductio pridem scripta, bello primo a.* 1289 *finito neque altero incepto Iacobi manu erasa, et altera introductio eventui congrua inserta est; et totam narrationem anni* 1283 *una cum sequentibus haud ante annum* 1287 *scriptam esse apparet, dum ibi pax Pisana iam memoratur.*

*Scriptura pulchra; nonnulla loca primo vacua relicta, postea auctoris manu expleta fuisse videntur. Duplicem de Gerbae expugnatione per Rogerium de Leria narrationem memoriae lapsui tribuerim. At non solum magnam membranae partem humiditate aeris vel aqua laesam et scripturam deletam dolemus, sed et ultimi membranae quaterniones cum historia annorum* 1288—1293 *perierunt. Quod saeculo XVI—XVII factum huius temporis compactura testatur, qua et annalium libri in malum ordinem redacti fuerunt*[22]. 22

*Magno igitur rei nostrae emolumento evenit, quod saeculo XV. dum codex autographus integer erat, diligenter inde transscriptus liber ad tempora nostra pervenit, quo et ipso uti licuit. Est autem*

2) *C. Musei Britannici inter supplementa numero* 12,031 *signatus, in membrana tenera saeculo XV. exeunte pulcherrime exaratus, in folio, foliis scriptis constat* 262, *lineis per paginam* 34, *raro* 33. *Praemittuntur folia recentis membranae* 4, *quorum duo typis expressum titulum operis:* ANNALES GENUENSES CAFFARI EIUSQUE CONTINUATORUM *et inscriptionem exhibent, qua* „Codicem hunc tum membranarum nitore tum characteris elegantia auro contra non carum, viro amplissimo Aloisio Serrae Cassanensium Duci, Regi a sanctioribus consiliis sacrisque venationibus praefecto Franciscus Daniel dono dedit observantiae amicitiaeque parvum monumentum futurum. Neapoli mense Decembri anno CIↃIↃCCCVII.“ *Praemittitur epistola manu scripta his verbis:* „Riverendissimo Duca, signore Duca amico e padrone singolarissimo. Le continue sciagure dell' infelice mia famiglia, e quest ultima sopratutto mi hanno sequestrato dal commercio, trattenendomi solo con le mie malinconie. Non è però ch'io abbia obbliato i miei doveri con gli amici interioris admissionis; e voglia che Voi ne abbiate una pruova nel bel Codice, che viene a far compagnia agli altri bellissimi della Vostra dimestica biblioteca. Gradirelo vi priego, e con esso il cuore di chi lo invia. Evi bacio per infinite volte le mani.“

*Codex postea in bibliothecam Butlerianam transiit, qua sub hasta vendita numero* 240 *signatus emtionis lege in Museum pervenit. Quem postquam anno* 1853 *primum evolvi, aestate annorum* 1855 *et* 1857 *eo usus sum optimo cum fructu, dum codicem authenticum integrum adhuc diligenter expressit; quo fieri potuit, ut inde lacunas aliquas membrana authentici postea deleta ortas et textum integrum annorum* 1288—1293 *nunquam antea expressum supplerem. Nam ea in parte Muratorii textus nonnisi tertiam fere authentici partem reddit.*

*Inter omnes igitur Cafari codices hi duo soli editioni operis adhibendi sunt,*

22) Nam ita compacti sunt, ut partes diversae ita sese excipiant: A, a, D, G, B, C, F; hoc igitur ordine legendae sunt fol. 1—16, 17—28 Cafari liber uterque; 65—88 Oberti liber, 105—158 Otoboni, Ogerii Panis, Marchisii et Bartholomaei annales usque ad exitum anni 1240, 29—32 annus 1241, 89—104 reliqua Bartholomaei, 159—186 annales a. 1249—1269, 33—64 annales quatuor virorum a. 1270—1279 et Iacobi Auriae a. 1280—1287.

*dum reliqui omnes ex iis derivati exempla in compendium redacta exhibent, ea tantum ratione inter se diversa, quod alia aliis breviora vel quoque nonnisi fragmenta operis praestantissimi apparent. Nam quo Muratorius pro fundamento editionis suae usus est, codex marchionis Malaspinae, abbatis S. Martiani Terdonensis, praecipue saeculo decimo tertio magnam narrationis partem omittit, codex alter a Muratorio adhibitus in narratione anni 1209 subsistit, ideoque multo maiori operis parte caret. Inter libros mense Septembri anni 1855 in Anglia a me evolutos codex b. m. viri illustrissimi Heinrici Bunbury legati, iam inter libros filii eius Karoli Bunbury baroneti Bartone adservatus, chartaceus, textum breviorem Muratorio sistit, nec melius quid de codicibus Mediomontanis apud Thomam Phillipps baronetum numeris 5882 et 5879 auguror, licet mihi nec eos a. 1853 praesenti conspicere contigerit, nec hodie luci redditi sint. Inter codices Parisinos chartaceos liber n. 5899 signatus saeculi XV Cafari et continuatorum textum ex authentico[23] a Georgio Stella in compendium redactum cum Georgii et Iohannis Stellae chronicis Ianuensibus usque ad a. 1420 et 1435 praebet; liber n. 6170 saeculi XVII. foliorum 194 in 4°, nonnisi fragmentum usque ad a. 1223 exhibet. Inter codices in Italia adservatos Vaticanus inter Urbinates olim 982 iam 495 signatus, 164 foliorum, chartaceus, circa annum 1500 exaratus, textum Muratoriano magis succinctum, Stellae compendio ampliorem; deinde altero codice fol. 164—270 Bartholomaei Senaregae commentaria de rebus Ianuensibus exhibet[24]; nec ullus librorum Ianuae in bibliothecis Universitatis, Civitatis, Missionariorum urbanorum, Nicolai Gambini, Friderici Alizeri, Francisci Ansaldi servatorum, de quibus viri docti et de re Ianuensi bene meriti Michael Canale in historia Ianuensium, Augustinus Oliverius[26], Scarabelli et Franciscus Ansaldo[27] disputaverunt, prout ex textu expeditionis in Indiam susceptae patet, textum integrum et sincerum praebet. Eiusmodi codices quum scriptoribus posterioribus qui res Ianuensium tradiderunt ad manus fuerint, ex eorum scriptis restituendo Cafari et continuatorum textui nihil conferri potuisse facile intelligitur.*

*Temporum computatio secundum Christi nativitatem a Ianuensibus quoque recepta, ab annis potestatiae differt, quippe qui a festo purificationis, die 2. Februarii, incipiant[28].*

*Subsidiis igitur praestantissimis, quibus in editione usi sumus[29], id debemus, quod textum prima vice integrum et quolibet titulo absolutum sistimus, et quod ubicumque dubietas aliqua oriri poterat eam textu authentico evoluto resolvimus; atque ea quoque ratione auctoribus nostris consuluimus, quod glossas textui edito insertas inde resectas proprio loco restituimus. Nam praeter multa loca a scribis ipsis correcta et expleta, adnotationes saeculo XIII. exeunte vel XIV. ineunte*

23) non ex compendio Malaspinae: quod prodit ex collatione codicis me auctore a V. D. Schoene Halensi instituta; V. D. Friderico Winkelmann Gedanensi chartas Libri iurium adnotandas commisi. 24) C. Ottobonianus 2602 minime Cafarum sed narrationem de capta a Burbonio comite stabuli Roma continet. 25) Carte e cronache manoscrite per la storia Genovese esistenti nella biblioteca della R. università Ligure. 26) ib. pag. 233—235. 27) Atti della società Ligure fascicolo 2. 1859, quo et Cafari liber de liberatione civitatum Orientis et chronicon Ierosolimitanum subsidio apographi non satis accurati codicis Parisiensis typis editi et adnotationibus illustrati prodierunt. 28) Cf. a. 1230. 1232. 1235. 1277; a. 1285 dies 5. Ianuarii recenti anno adnumeratur; a. 1235. *in fine autem dicti regiminis die ultima Ianuarii;* a. 1230. *fuit in regimine civitatis Ianuae usque ad complementum ipsius anni, videlicet usque festum purificationis, vir nobilis* etc. 29) Annis 1856 et 1858 de Cafari et continuatorum eius operibus in Academia nostra Berolinensi disserui, anno 1859 d. 28. Martii dissertationem: „Der älteste Versuch zur Entdeckung des Seeweges nach Ostindien im Jahre 1293" Academiae regiae Monacensi die eius saeculari gratulabundus typis edidi.

*marginibus insertas in codice autographo offendimus, auctori ignoto cui tamen registra civitatis patebant, igitur fortasse Iacobo Auriae debitas, quas et ipsas editioni subiiciendas statuimus, dum in apographis haud raro textui irrepserunt. Et quum codex authenticus in libris Cafari et Olberti delineationibus, in libro Otoboni et Bartholomaei picturis saeculi XII. exeuntis et XIII. resplendeat, eas quatenus historiae et rei militari illustrandae conducunt, arte Winkelmannorum civium Berolinensium exprimi curavimus, subiectis etiam scripturae speciminibus, Jaffei nostri manu diligenter exscriptis.*

*Iam igitur libros luculentissima Ianuensis gloriae monumenta, et qui non Italiae solum sed et Germaniae nostrae atque Orbis terrarum per saecula XII. et XIII. historiam multis modis illustrant, integritati suae restitutos manu mittere placet.*

---

# I.

# CAFARI ANNALES

## A. 1099—1163.

Quicumque sua utilitate vel aliena preteritorum annorum a tempore stoli Cesarie usque nunc noticiam habere voluerit, hoc scriptum a memoria Cafari inventum legat, et lecto veritatem cognoscat. Cafarus namque quoniam a tempore predicti stoli usque nunc partem consulatuum Ianuensis civitatis rexit et habuit, et alios consules qui infra predictum terminum fuerunt vidit et agnovit, corde et animo meditando, nomina eorum et tempora et varietates consulatuum et compagniarum[a], et victorias, et mutationes monetarum in eodem consulatu factas, sicut subtus legitur per semet ipsum dictavit, et consulibus qui tum temporis, Tanclerio et Rubaldo Besaza et Ansaldo Spinola[30] in consilio pleno scriptum istud 30 ostendit. Consules vero, audito consilio consiliatorum, palam coram consiliatoribus Wilhelmo[b] de Columba publico scribano[31] preceperunt, ut librum a Cafaro compositum et notatum scriberet et in comuni cartulario poneret, ut deinceps cuncto tempore futuris hominibus Ianuensis civitatis[c] victorie cognoscantur. Quando iverunt millesimo centesimo, quando redierunt millesimo centesimo primo[d].

*Ianua tuta quidem fuit illo consule pridem,*
*Urbs ea quae movit, quod sic ex ordine novit.*
*Nomen ei Cafarus, praesens quem signat imago;*
*Vivat in eternum cuius generosa propago.*

Tempore enim stoli Cesarie paulo ante in civitate Ianuensium compagna trium an- 1099. norum et sex consulum incepta fuit, nomina quorum sunt hec: Amicus Bruscus, Maurus de Platealonga, Guido de Rustico de Rizo, Paganus de Volta, Ansaldus de Brasile, Bonusmatus de Medolico, qui omnes fuerunt consules de comuni et de placitis de predictis tribus annis. Anno uno et dimidio transacto, galeae 26 et naves 6 in Kalendis Augusti a Ianuensi urbe 1100. recedentes, Ierosolimam perrexerunt, et ad portum Laudicie cum exercitu venerunt, ibique Aug. per hiemem totam steterunt; et orientales partes Ierosolimitano rege et Antioceno principe carentes invenerunt; et predictas partes tamdiu in tutela et guardia tenuerunt, donec regem in Ierosolimam et principem in Antiochiam ordinatione legati Romane curie et prece eorum taliter posuerunt. Statim namque cum legato Romane curie consilium fecerunt, et nuntios ad

a) *ita hic* 1. b) *W.* 1. c) *ita emendavi.* I. uictorie uictorias c. 1. ianuensium gesta et uictorie *c. Paris.* 5899. I. populi v. *ed.* d) *subicitur imago Cafari, adiectis versibus coeruleo colore scriptis.*

30) Fuerunt consules anni 1152, prout alia manu in margine indicatur. 31) qui anno 1140 intraverat; v. infra.

1100. Balduinum in Ragas[a], et ad Tanclerium in Tabariam ut venirent miserunt. Et Tanclerius sine mora venit, et in ordinatione legati et Ianuensium principatum Antiochie suscepit. Postea vero Balduinus cum militibus 200 et peditibus 300 ad colloquium cum Ianuensibus ad portum Laudicie venit, ibique a legato et a Ianuensibus monitus et precatus, ut regnum Ierusolime acciperet, ita promisit et dixit: *Si auxilium vestrum in hac estate michi dare promiseritis, ad duas scilicet capiendas civitates Sarracenorum quas voluero, ad capiendum regnum ad praesens ire promittam.* Ianuenses statim quod rex petierat procul dubio facere promiserunt. Ilico Balduinus regnum accipere promisit, et dixit: *Ego pro fiducia Dei et vestra ad capiendum regnum iter incipiam.* Et post tres dies cum predictis militibus et peditibus iter incepit. Postquam vero ad districtum Baruti appropinquasset, tribus milibus Turcorum militum supra districtum stantibus obviavit. Baldoinus[b] namque cum cognovisset quod districtum transire non posset, armatus equum ascendit, et finxit se retro redire. Turcorum autem multitudo statim districtum descendit, et in planitiem venit. Baldoinus enim postquam Turcos in campestri loco esse cognovit, faciem et arma cum omnibus suis militibus contra inimicos Dei viriliter volvit. Turcorum autem milites cum viderunt Baldoinum tam ferociter venire, volventes terga arma dimiserunt, et cum equis ad districtum fugere ceperunt. At quidem miles Dei Baldoinus sequendo eos et interficiendo, antequam ad districtum venirent, mortuos fere omnes in campestri loco dimisit, arma et equos et omnia quae secum portabant habuit, et militibus suis et peditibus partem secundum morem bellatorum dedit et distribuit, et ad Ierusalem cum predicto triumpho ivit, ibique a patriarcha Dainberte et ab omnibus Ierusalem habitantibus cum gaudio receptus est, et in regali cathedra positus regni coronam accepit; et deinceps regnum per
1101. annos 17 viriliter rexit et habuit. Ianuenses vero donec in civitate Laudicie per hiemem steterunt, multa loca Sarracenorum et castra circa illas partes destruxerunt; et quadragesima veniente, cum galeis et navibus et toto exercitu inde recesserunt, et iusta[c] maritimas civitates quae tunc temporis Sarracenorum erant, usque ad civitatem Caiphas[d] iverunt, et multos Sarracenos de praedictis civitatibus interfecerunt; ibique in plagia Caifas galeas pro ira maris extraxerunt. Et cum ibi morabantur, exercitus Babilonie quadraginta galearum nocte una iuxta civitatem Caifas cum magna tempestate maris usque ad portum Acharontis velociter perrexit. Ianuenses tamen partem de galeis statim in illa nocte posuerunt in mari, et sequendo eum pro tempestate ab invicem separati fuerunt, et summo mane die dominico ramis palmarum officia Dei cum devotione celebraverunt, et die lune cum omnibus galeis versus Iopen ire ceperunt. Cum autem Ioppen appropinquassent, ecce rex Baldoinus cum duabus sagitteis et cum tubis et vexillis multis longe a civitate per miliarium Ianuensibus obviam venit, salutando et gratias referendo de hoc, quod ad servitium Dei et regni Ierusalem venire, uti promiserant, non prolataverant. Et sic Ianuenses cum rege ad Ioppen venientes, galeas omnes sine mora in terra posuerunt; et die mercurii sancti cum rege Baldoino ad Ierusalem perrexunt, ibique, sabato sancto veniente, ad sepulchrum Domini iverunt; et ieiunantes per diem et per noctem, lumen Christi spectantes ut veniret. Et die illa et nocte non venit; et sic in ecclesia sepulchri sine lumine stantes, sepe et sepe omnes una voce clamabant *Kyrrie eleyson, Kyrrie eleyson.* Et mane veniente in die resurrectionis Domini patriarcha Daimbertus una cum Mauritio Portuensi episcopo et Romane curie legato sermonem supra populum taliter fecit et dixit: *Fratres, audite si placet. Video vos mestos de hoc, quod Dominus non misit lumen de celo solito more; unde dolendum non est, immo letandum, quia Dominus non facit miracula propter fideles, sed propter infideles. Et donec civitas ista sancta in potestate infidelium erat, bonum et equum fuit, ut Deus miracula faciendo, incredulos ad fidem reduceret. Nunc ergo quoniam in potestate fidelium est, miracula non sunt necessaria. At quia inter vos multos fidei christiane inbecilles et incredulos esse credimus, Deum precemur, ut pro incredulitate infidelium, sicuti solitus fuit, lumen ostendat. Quare ad templum Domini omnes cum devotione pergamus, ibique si Dominus noster tardius exaudierit nos, tamdiu preces precibus iungamus, donec quod petimus impetremus. Scitote fratres, quoniam Deus tale donum servo suo Salomoni, postquam templum Domini complevit, hoc modo promisit: „Quicumque ad introitum templi aliquod spiritale donum mundo corde petierit, Deus hoc sibi dare promisit“.* Sermone namque completo, patriarcha simul cum Romane curie legato et cum rege Baldoino ceterisque christianis

a) *ita* 2. *in* 1. *vox latet.* b) *ita hic* 1. c) *i. q.* iuxta. d) *ita hic* 1.

sequentibus eos discalciatis pedibus cum magna devotione ad templum Domini perrexerunt, 1101. et ad introitum templi omnes multis precibus et orationibus Deum humiliter deprecati fuerunt, ut lumen, quod tempore infidelium quondam in unoquoque anno ad sepulchrum venire solebat, nunc per misericordiam suam illud idem fidelibus suis hodie in die resurrectionis sue ostenderet. Oratione enim in templum facta, ad sepulchrum Domini cum devotione redierunt, et statim patriarcha cum legato Romane curie in domusculam sepulchri per tres vices introivit, et in tertia vice in una de lampadibus sepulchri lumen venit, et sic omnes letati *Te Deum laudamus* omnes una voce cecinerunt, et missam dominicam audierunt, et post missam ad refocillanda corpora omnes ad ospitium perrexerunt. Iterum namque in circuitu ecclesie de foris sepulcri in una de lampadibus lumen coram multis videntibus ardere incepit. Cum vero tanti miraculi vox per civitatem sonuit, omnes velociter ad sepulchrum cucurrerunt, ibique unusquisque sursum aspiciens lampades[a], que de foris in circulo ecclesie erant, una post alteram vicissim taliter accendebantur, ut fumus quidem igneus per aquam et oleum usque ad stopinum ascendebat, et tribus favillis stopino percusso ardere incipiebat. Et sic in die resurrectionis post nonam palam coram omnibus in lampadibus 16 lumen, ut dictum est, taliter venit. Et Cafarus, qui hec scribere fecit, interfuit et vidit, et inde testimonium reddidit, et procul dubio ita verum esse affirmat.

Ianuenses vero in ebdomada ferialium ad flumen Iordanis iverunt, et postea cum rege ad Iopem redierunt, ibique consilium fecerunt, et ad Azotum inde perrexerunt, et eum bellando per dies tres ceperunt; et postea mense Madii ad Cesariam perrexerunt, et statim galeas in terra extraxerunt, et iardinos omnes usque ad muros civitatis destruxerunt; et castella et machina facere ceperunt. Interim vero Saraceni duo de civitate exierunt, et cum patriarcha et Romane curie legato taliter locuti fuerunt: *O domini, vos qui estis magistri et doctores christiane legis, quare precipitis vestratibus, ut nos interficiant et terram nostram tollant, cum in lege vestra sriptum sit, ut aliquis non interficiat aliquem formam Dei vestri habentem, vel rem suam tollat? Et si verum est, quod in lege vestra scriptum sit hoc, et nos formam Dei vestri habemus; ergo contra legem facitis.* Quibus cum hec et multa alia dixissent, patriarcha talem responsionem fecit: *Verum est, quod in lege nostra scriptum est aliena non rapere et hominem non interficere, quod facere vel precipere nolumus. Civitas namque ista vestra non est, sed beati Petri fuit et esse debet, quem parentes vestri vi a civitate ista deiecerunt. Et si nos, qui vicarii beati Petri sumus, terram suam recuperare volumus, igitur vestra rapere nolumus. De interfectione autem sic respondimus: Interficiendus ille quidem per vindictam est, qui legi Dei contrarius est et legem suam destruere pugnat; si interfectus est, legi Dei contrarium non est; quia Deus: „michi vindictam et ego retribuam; percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere". Ideoque petimus, ut terram beati Petri nobis reddatis, et dimittemus vos incolumes cum personis et rebus vestris recedere. Quod si non feceritis, Dominus percutiet vos suo gladio, et iuste interfecti eritis. Quapropter ite, et maioribus vestris quod audistis renuntiate.* Et statim recesserunt, et Miro domino bellatorum, et Archadio domino mercatorum omnia, sicut audierant, per ordinem narraverunt. Archadius quidem civitatem reddere concedere voluit. Mir vero dixit: *Civitatem non reddam, sed enses nostre cum ensibus Ianuensium probentur; et Macometo auxiliante, cum dedecore illorum a civitate recedere faciemus.* Sarracenorum autem superbia christianis cognita, statim patriarcha consulibus dixit: *Facite parlamentum.* Et fecerunt. Et in parlamento patriarcha sermonem super populum fecit: *Fratres, quoniam pro servitio Dei et sanctissimi sepulchri ad has partes venistis, bonum et equum est, ut preceptis ac mandatis Dei et suorum fidelium fideliter obediatis. Mandat enim Deus et praecipit vobis per me, ut summo mane die Veneris, die passionis sue, in qua pro redemptione vestra mortem suscepit temporalem, ut corpus et sanguinem Domini suscipiatis, et sine castellis et machinis, cum scalis galearum tantum, muros civitatis ascendere incipiatis. Quod si feceritis, et virtute Dei et non vestra civitatem habere putaveritis, prophetizo vobis, quod Deus dabit civitatem, viros et mulieres, et peccuniam et omnia que intus sunt ante horam sextam in potestate vestra.* Sermone completo, omnes una voce clamaverunt: *Fiat, fiat.* Post hec vero Wilhelmus Caputmalli, consul exercitus Ianuensium, surrexit et dixit: *O cives et bellatores Dei, precepta Dei que per patriarcham modo audistis, complere ne pigritemini. Quare precipimus vobis sub debito*[b] *sacramenti, ut mane post missam confessione facta*

a) lampade 1. b) debto 1.

1101. *et corpore et sanguine Domini suscepto, sine castellis et machinis cum scalis galearum tantum ad muros civitatis, me precedente sequendo, sine mora*[a] *tendatis. Ego enim Deo concedente muros ascendere prius incipiam, et cum me ascendentem videbitis, illud idem facere non tardetis.* Mane autem facto, omnia predicta precepta viriliter facere inceperunt; omnibus namque scalis ad murum positis, Wilhelmus Caputmallii consul cum lorica et galea et ense tantum, multis eum sequentibus, per scalam usque ad summitatem muri ascendendo, solus in muro remansit. Et scala fracta, omnes eum sequentes in terra ceciderunt. Civitas enim per medium murata erat, et Sarraceni omnes ad medium murum fugiebant, et intus se recolligebant. Consul vero postquam de sequentibus eum neminem vidit, Deum deprecari cepit, ut melius consilium sibi ostenderet. Ilico nempe sine mora turrem quandam ascendere cepit, et cum ascendisset, Sarracenus quidam de turre descendens supra eum se proiecit, et brachiis fortiter consulem stringit, et consul eum; et sic ad invicem volvendo, Sarracenus dixit: *Dimitte me et bonum erit tibi, quia cicius et securius turrim ascendere poteris.* Et statim eum dimisit, et velociter sursum ascendit. Cum autem in summitate turris fuit, circuientibus civitatem[b] signum cum ense fecit, et alta voce dixit: *Ascendite, ascendite, et civitatem velociter capescite.* Ilico namque omnes unanimiter super murum ascenderunt, et Sarracenos ad murum medium fugientes sequendo eos interfecerunt multos. Alii vero Sarraceni postquam infra alium murum civitatis recollecti fuerunt, Macometum vocando in eorum auxilio, ne civitatem introirent ensibus et telis christianis resistere ceperunt. Ianuenses autem in humeris dextris crucem portantes, et per arborem unam palmae pronam supra murum civitatis ascendendo, et Christum in eorum aminiculo vocando, enses suos Sarracenorum ensibus ad presens iunxerunt. Sarraceni namque ilico enses et alia arma dimiserunt, et ad muschetam eorum fugere inceperunt. Ianuenses vero, antequam Sarraceni ad muschetam venissent, omnes bellatores per muros et per civitatem et per angulos mortuos dimiserunt, et ad muschetam omnes christiani cum patriarcha absque mora venerunt; et mille ex mercatoribus divitibus, qui sursum in turrem muschete ascenderant, contra patriarcham clamare eperunt: *Domine, domine, da nobis fidutiam ne moriamur, quia Christi Dei vestri formam habemus, et omnia que habemus vobis dabimus.* Patriarcha quidem licentiam dandi fidutiam Ianuensibus petivit. Ianuenses autem licentiam patriarche dederunt. Et data licentia statim per civitatem iverunt, capiendo viros et mulieres et peccuniam magnam, et omnia que intus erant in potestate habuerunt; et omnia huius diei[c] incepta usque ad horam sextam, sicuti Daimbertus patriarcha Ianuensibus nuntiaverat, Deo opitulante peracta fuerunt. Preterea paucis diebus transactis, Mauricius Portuensis episcopus et Romane curie legatus, plures ecclesias in predicta civitate consecravit, maiorem scilicet ubi muscheta erat, in honorem beati Petri, et ubi modo est episcopalis sedes; aliam in honore beati Laurentii, in quibus ecclesiis et in civitate tota nomen Iesu Christi adoratur et colitur, et diabolicum nomen Machometi inde expulsum est, et non adoratur.

Postea vero Ianuenses cum galeis et toto exercitu iuxta Sulinum in plagia sancti Parlerii venerunt, et campum fecerunt, et de peccunia campi decimam et quintum galearum primum extraxerunt. Aliud vero quod remansit, inter viros octo milia diviserunt, et unicuique per partem solidos 48 de Pictavinis et libras duas piperis dederunt, preter honorem consulum et naucleriorum et meliorum virorum, quod magnum fuit. At postea in vigilia sancti Iacobi apostoli iter cum galeis veniendi Ianuam inceperunt; et mense Octubris cum triumpho et gloria redierunt 1101. In primo exercitu Francorum versus Antiochiam 1097. In exercitu Affrice 1088. In primo exercitu Tortuose 1093. et quando civitas Ierusalem capta fuit 1099.

1102. Proximis vero Kalendis Febroarii venientibus, compagnia quatuor annorum et quatuor consulum incepta fuit. Primo anno istius consulatus moneta denariorum Papiensium veterum finem habuit, et alia incepta nove monete Brunitorum fuit; et fuerunt consules de comuni et de placitis per predictos quatuor annos, nomina quorum: Wilhelmus Embriacus, Guido de Rustico de Rizo, Ido de Carmadino, Guido Spinola. Et tempore quorum galee 40 Ianuensium Ierosolimam perrexerunt, et Acharon et Gibellum minorem preliando ceperunt; multeque alie victorie Ianuensi urbi evenerunt. Primo anno huius compagnie

a) more 1. b) s. c. 1. c) dei 1.

anni Domini 1102. Tortosa de Suria capta fuit secundo anno 1103. Tercio anno 1104. Quarto anno 1105.

Expletis predictis quatuor annis, incepta fuit alia compagnia similiter quatuor annorum 1106.
et quatuor consulum, qui consulatum per istos quatuor annos de comuni et de placitis tenuerunt; consules vero fuerunt isti: Mauro de Platealonga[a], Iterius, Wilhelmus Malabitus, Oto Fornarius. Tempore quorum galee 60 de Ianua Ierosolimam perrexerunt, et Tripolim descenderunt[b] cum castellis et machinis multis, civitatem et Gibellum maiorem absque prelio habuerunt et ceperunt, et ecclesias consecrare et nomen Iesu Christi laudare et invocare fecerunt. Et primo anno predicte compagnie Boiamundus duxit uxorem suam de Francia in Ianuam, et Puliam deportavit, ibique filium genuit nomine Boiamontem, qui post mortem patris Antiochiam tenuit, et filiam genuit, et post mortem suam Antiochiam ei[c] dimisit. Primo anno predicte compagniae anni Domini 1106. Secundo anno 1107. Tertio anno 1108. Quarto anno 1109.

Expleta namque predicta compagnia, incepta fuit alia quatuor annorum et quatuor 1110.
consulum, nomina quorum Wilhelmus Bufeira maior, Guido de Rustico de Rizo, Gandulfus Rufus, et Gido Spinola, qui per istos quatuor annos consulatum de comuni et de placitis tenuerunt, tempore quorum[d] Baruti et Mamistra Ianuenses ceperunt, et fuerunt galee 22, et hoc fuit primo anno predicte compagnie, et erant anni Domini 1110. Adhuc vero in prefata compagnia castra Lavanie Pedenzuca et cetera, domini eorum Ianuensibus resistebant, victa comuni Ianue in perpetuum tradita fuerunt. Preterea predicti consules ad honorem civitatis Ianue castrum Portus Veneris edificare fecerunt, et hoc fuit extremo anno predicte compagnie, in quo anni Domini currebant 1113. Primo anno prefate compagnie anni Domini 1110. Secundo 1111. Tercio 1112. Quarto 1113.

Postea alia compagnia incepta fuit similiter quatuor annorum et quatuor consulum; 1114.
nomina eorum Oglerius Capra, Lanbertus Guerzo, Lanfrancus Roza, Obertus Malus aucellus; quia omnes per istos quatuor annos consulatum de comuni et de placitis tenuerunt. Primo anno istius compagnie anni Domini 1114, secundo anno 1115, tercio anno 1116, quarto anno 1117. In secundo anno predicti consulatus denarii Bruni prioris nove monete mense Octubris finem habuerunt, et alia moneta minorum Brunitorum incepta fuit.

Prefata compagnia peracta, incepta fuit alia quatuor annorum, et fuerunt consules 1118.
quatuor electi per duos annos, et alii quatuor per alios duos. Duobus vero primis annis consules fuerunt Odo de Garaldo, Iterius, Ido de Carmadino, Oto Fornarius. De aliis vero duobus annis sequentibus consules fuerunt Opizo Muszo, Gandulfus Rufus, Lanfrancus Roza, et Guido Spinola, quia omnes prenominati fuerunt consules de comuni et de placitis. Et in primo anno predicte compagnie, scilicet in consulatu Otonis de Garaldo, Iterii, Idonis[e] de Carmadino, Otonis Fornarii, sacrata fuit ecclesia beati Laurentii a domno Gerasio[32] papa mense Octubris anni Domini 1118. Secundo anno prefate compagnie et pre- 1119.
nominatorum consulum incepta fuit guerra Pisanorum, et capti fuerunt Pisani in Gaulo cum magna pecunia a galeis 16 Ianuensium mense Madii 1119.

Et in primo anno supra scripti consulatus, scilicet Opizonis Mussi et sotiorum eius, qui 1120.
annus fuit primus de consulatu et tercius de compagna, Ianuenses cum magno exercitu ad portum Pisanum tenderunt scilicet cum galeis octuaginta, cum gatis[33] 35, et cum gala- 33
bis[f] 28, et cum navibus magnis 4 portantibus machina ac omnia instrumenta quae ad bella sunt necessaria, necnon viginti duo milia virorum bellatorum, militum ac peditum, inter quos bellatores quinque milia cum loricis et galeis ferreis ut nix albis induti erant. Taliter terruerunt exercitum Pisanorum iuxta terram manentem, quod Pisani eiusdem exercitus mense Septembris in festivitate sanctorum Cornelii et Cipriani, et exaltatione sanctae crucis de lite Corsice pacem in voluntate Ianuensium iuraverunt, et partes galearum stoli ab aliis separantes Pisas perrexerunt, et Ianuenses in carcere captos inde carcere extraxerunt, et Ianuam cum galeis eos deduxerunt anni Domini 1120. Secundo vero anno prefati consu- 1121.
latus Opizonis Mussi et sociorum eius Ianuenses cum magno exercitu militum ac peditum iugum transierunt, Falconemque et Clapinum ac Mundascum et Petram Becariam preliando ceperunt, et castrum Vultabii cum introitu eius per libras 400 emerunt ab Alberto marchione de Gavi anni Domini 1121. Huius anni consulatus consulumque nomina, et qui de comuni

a) plate longa 1. b) desceme 1. c) scilicet filie *glossa* 1. d) *glossa* 1. e) Odonis 1. f) golabis *ed.*

32) i. e. Gelasio. 33) Kattschiff, navis maior.

et de placitis consules fuere, et quomodo per diversa tempora placita tenuerunt, et que prospera in unoquoque anno contigerunt, per hoc scriptum veritas cognoscatur.

1122. Primo anno unius consulatus fuerunt consules Primus de Castro, Caffarus[a], Oto de Mari, Wilhelmus iudex de Drubecco, et consulatum de comuni et de placitis tenuerunt, et prospera multa ipso anno guerriando Pisanos Ianuensibus acciderunt. In partibus namque Pisanorum Ianuenses Pisanos multos preliando ceperunt, et eos Ianuam ultra mille captivando eos in carcerem posuerunt, et duas galeas cum aliis duabus viriliter debellando vincerunt, et galeas et viros vinctos vulneratosque et peccuniam Ianuam detulerunt. In quibus galeis Ianuensium fuerunt Gandulfus de Mazo et Rubaldus Naplonus et Bonusvasallus Census, Wilhelmus Rufus de Curia et multi alii viri prudentissimi. Clavarii scribanique cancellarius pro utilitate rei publice in hoc consulatu primitus ordinati fuerunt; et ignis sancti Ambrosii[34] in isto consulatu fuit anni Domini 1122.

1123. Secundo vero anno consulatuum unius anni fuerunt consules Oglerius Capra, Wilhelmus de Mauro, Iterius, Wilhelmus de Volta. Et in isto anno Calixtus papa Rome in Lateranensi ecclesia sancti Iohannis sinodum fecit, et Ianuenses et Pisanos ad sinodum propter discordiam 35 eorum vocavit[35]. Ibique pluribus diebus lite Corsice consecrationis a cardinalibus et ab episcopis et archiepiscopis diu inter eos rationata et non concordata, tandem domnus papa postquam vidit cardinales et episcopos discordare, litis huius consecrationis iudices, inde qui litem iuste diffinirent, posuit duodecim archiepiscopos et duodecim episcopos, nomina quorum in privilegio Ianuensium scripta sunt, qui ab aliis separantes et in quandam partem palatii semoti stantes et multum inter se de Corsicanis consecrationibus certando, et antiquum registum[b] Romane ecclesie legere fecerunt, et ibi invenerunt, quod Pisani archiepiscopatum Corsice iniuste tenebant; et sic omnibus viginti quatuor concordatis, coram papa in basilica palatii presentibus episcopis et abbatibus et archiepiscopis numero 300 venerunt, et ibi Gauterius Ravennensis archiepiscopus sententiam consilio ceterorum taliter dixit: *Domne domine, nos non sumus ausi dare sententiam coram te, sed dabimus tibi consilium obtinens vim sententie. Consilium meum et sotiorum tale est, ut archiepiscopus Pisanus deinceps Corsicanas consecrationes dimittat, et ulterius de illis non se intromittat.* Papa vero audito consilio surrexit et dixit: *Archiepiscopi, episcopi, abbates, cardinales, placet omnibus vobis hoc consilium?* Qui surrexerunt et tribus vicibus dixerunt: *Placet, placet, placet.* Et papa dixit: *Et ego ex parte Dei et beati Petri et mea laudo et confirmo, et mane pleno consilio cum omnibus vobis iterum laudabo et confirmabo.* Archiepiscopus vero Pisanus inter alios episcopos sedens, hoc audito mitram et anulum ad pedes domni[c] pape proiecit, et irato animo dixit: *Ulterius archiepiscopus et episcopus tuus non ero*[d]. Papa ilico anulum et mitram cum pede longe proiecit, et dixit: *Frater, male fecisti, et te inde penitere procul dubio faciam.* Mane autem veniente papa in pleno concilio Corsicane consecrationis sententiam dare precepit; et Gregorius diaconus Sancti Angeli, qui postea fuit papa Innocentius, sententiam dedit, sicut scripta est in privilegiis Ianuensium[36]. Sententia data Pisani statim a Romana curia sine licentia recesserunt. Ianuenses vero cum licentia Romane curie cum triumpho et gloria Ianuam venerunt, et parlamento pleno privilegia et omnia que in sinodo gesta fuerant per ordinem a Caffaro narrata fuerunt, sicut vidit et audivit in synodo, et ante sinodum et post sinodum 37 pro servitio civitatis sue moratus fuit, et que gesta sunt, honeste et sapienter tractavit[37]. Et guerram cum Pisanis postea tamdiu viriliter fecerunt, donec pacem cum magno honore civitatis Ianue habuerunt, sicut scriptum est in consulatu illorum, in quo pax facta fuit. 1123.

1124. Tertio consulatu unius anni fuerunt consules Wilhelmus de Bonbello, Rubaldus Vetulus, Bellamutus, Rainaldus Sardena; isti fuerunt consules de comuni et de placitis. Et in ipso consulatu galee 7 Ianuensium huiusmodi in plagia de Castaneto supra Pisanos victoriam habuerunt naves 22 ex magna peccunia ponderatas de Sardinia venientes cum galeis 9 Pisanorum, que pro tutela iusta naves veniebant. Postquam autem galeas Ianuensium viderunt, timore Ianuensium territi naves suas dimiserunt, et ad portum Vadis

a) *ita hic* 1. b) *ita* 1. c) domini 1. d) ero. papa. Ilico 1.

34) i. e. in vigilia S. Ambrosii exortus; cf. a. 1141. 35) cf. dipl. Calixti papae d. 1121. 3. Non. Ianuarii. Liber iurium Ianuae I, 21. W. 36) Privilegium Calixti II. papae 1123. 8. Idus Aprilis indultum. Ibid. I, 23. W. 37) Cafari relatio, in qua et praemiorum rei promovendae causa in papam cardinales episcopos collatorum rationem dat, ut a V. Cl. Michaele Canale comperi, hodieque Ianuae extat.

fugientes iverunt; et sic Ianuenses predictas naves Pisanorum honeratas ceperunt et Ianuam duxerunt. Et in isto anno castrum Sancti Angeli Ianuenses vi Pisanis abstulerunt, et multas alias victorias supra Pisanos habuerunt 1124.

In quarto consulatu unius anni fuerunt consules Arnaldus Batigatus, Oto de Gandulfo 1125. rufo, Caffarus, Wilhelmus Piper; et isti fuerunt consules de comuni et de placitis, quorum consulatu multas supra Pisanos Ianuenses victorias habuerunt, partes quarum ad presens scribamus. In estate huius consulatus Ianuenses cum galeis 10 mare Corsice et Sardinie usque portum Pisanum ita tenuerunt, quod multos Pisanos et naves et peccuniam ceperunt, et Ianuam multos in captionem duxerunt. Adhuc vero prefate galee navem unam maiorem ex magna peccunia honeratam et de quadringentis viris armatam, inter Corsicam et Sardiniam invenerunt, et barcam abstulerunt, et multos viros interfecerunt; et per quatuor dies eam sequendo et preliando, et sic per iram maris separaverunt; navis vero ad Arnum venit et ibi fracta fuit. Postquam vero galee Ianuam venerunt, Pisani cum octo galeis de Arno exierunt, et Provintiam pro capiendis Ianuensibus venire dixerunt. Hoc audito Ianuenses statim galeas 7 armaverunt, in quibus Cafarus, qui consul erat, cum multis nobilissimis viris, scilicet cum Idone de Carmadino et Marino de Porta, cum marchione de Cafara et aliis multis ivit; et secuti sunt galeas Pisanorum per Provintiam et per Sardiniam et per Corsicam et per Elbam, et eas non invenientes Plumbinum venerunt, ibique bellum magnum dederunt, et navem unam, que ibi sub castro in terra erat, pulcherrimam et magnam et ex magna peccunia ponderatam ignem posuerunt, et castrum et burgum igne posito bellando ceperunt, viros et mulieres et pueros et peccuniam eiusdem castri in galeis Ianuam deduxerunt; et hoc fuit in medio Septembris. Postea vero in eodem consulatu galeam unam Pisanorum, que in Provintiam ivit, ad Aquilam scilicet, capta fuit a galeis Ianuensium; et postea nec antea aliqua Pisanorum galea infra guerram non fuit nec venit; multeque alie victorie in eodem anno Ianuensibus evenerunt: et in ipso consulatu publici testes, qui se scribunt, in laudibus et in contractibus primitus inventi fuerunt 1125.

Quinto consulatu unius anni consules fuerunt Oto Gontardus, Wilhelmus Porcus, 1126. Bellamutus, et Wilhelmus Picamilium, et tenuerunt consulatum de comuni et de placitis. Et in isto anno Ianuenses cum stolo de galeis et gatis supra Pisanos iverunt, et ad Arnum vexilla et tentoria in terra posuerunt, et bellum cum militibus et peditibus Pisanorum fecerunt. Deinde Vadim pergentes, totum fere bellando destruxerunt, et castrum Plumbini, quod rehedificatum erat, vi preliando iterum ceperunt. Deinde Corsicam transierunt, et castrum Sancti Angeli, quod recuperatum a Pisanis erat, castrum et Pisanos 300 bello habuerunt. Multeque alie victorie supra Pisanos in hoc anno facte fuerunt. In isto consulatu navis sancti Andree fracta fuit 1126.

In sexto consulatu unius anni fuerunt consules sex de comuni et de placitis, Iterius, 1127. marchio de Caffara, Wilhelmus de Volta, Caffarus, Oto de Mari, Rainaldus Sardena. Et isti consules 16 galeas in Corsicam miserunt, sequentes galeas novem Pisanorum, fugientes invenerunt summa velocitate, unam ex illis ceperunt et Ianuam cum triumpho eam duxerunt, Alamannam nomine; et multas alias victorias supra Pisanos in ipso anno habuerunt. Magnum enim ac mirabile fuit, quod in toto tempore guerre Ianuenses semper de partibus Pisanorum galeas et naves, viros et peccuniam capiebant, Pisani vero toto tempore guerre in parte Ianuensium non venerunt, nisi cum galea una que in Provincia a Ianuensibus capta fuit 1127.

In septimo consulatu unius anni fuerunt consules Oto Gontardus, Guiscardus, Wil- 1128. helmus iudex de Drubecco, Wilhelmus Piper, de comuni et de placitis. Et in isto consulatu Monsaltus fuit captus a Ianuensibus, qui fuerunt ibi cum magno exercitu peditum et militum 1128.

In octavo consulatu unius anni fuerunt confirmati isti prefati consules, scilicet Oto 1129. Gontardus cum sotiis suis, fueruntque consules de communi et de placitis. Et in isto consulatu Ianuenses cum galeis 16 tenderunt supra Pisanos usque Messanam, ibique Pisani qui in terra erant simul cum burgensibus Messane cum Ianuensibus bellum inceperunt; et quia burgenses adiuvabant Pisanos, Ianuenses vi bellando expulserunt Pisanos et burgenses extra burgum Messane usque ad palatium regis, et burgum et peccuniam in suam potestatem habuerunt; et amore regis et prece legatorum regis peccuniam burgensium red-

diderunt et hereditatem eorum. In Varrigatore nave una Pisanorum ex magna peccunia honeratam preliando ceperunt et Ianuam deduxerunt, et decem milia librarum valens de navi habuerunt 1129.

1130. In nono consulatu unius anni fuerunt consules tres de comuni, Rubaldus Vetulus, Wilhelmus de Volta, Bellamutus; et 14 de placitis: Wilhelmus Picamilium, Zenoardus de Vulpe, Wilhelmus de Nigro, Enricus Roza, Marinus de Porta, Caffarus, Oto de Gandulfo rufo, Oglerius de Mari, Ansaldus Crespinus, Donusdei de Iterio, Bonusvasallus de Odone, Wilhelmus de Bonobello, Oglerius Capra, Albertonus de Ansaldoite, de quibus predictis consulibus taliter placitabant, duo in unam compagniam, et duo in alteram, et sic per ceteras compagnias, scilicet Wilhelmus Picamilium et Genoardus in compagnia de Burgo; et Wilhelmus de Nigro et Enricus Roza in compagnia de Susilia; in tercia, scilicet de Porta, Caffarus et Marinus de Porta; in quarta, id est de Sancto Laurentio, Oto de Gandulfo rufo et Oglerius de Mari; in quinta, videlicet de Macagnanis, Donusdei de Iterio, Ansaldus Crespinus; in sexta, id est de Platealonga, Bonusvasallus de Odone, Wilhelmus de Bonobello; in septima compagnia de Palazolo Oglerius Capra, Albertonus de Ansaldoite. Et isti placitabant, ut si aliquis de compagnia una faciebat lamentationes super aliquem aliarum, veniebat ad consules actoris ad placitandum. Et in illo tempore in Ianua non erant nisi compagnie septem. Sed[a] in isto consulatu Ianuenses ad Sanctum Romulum tenderunt, et turrem ibi edificaverunt, et homines illius loci, ac Baiardo, et de Poipino, et comitem Vigintimiliensem quem Ianuam adduxerunt, quoniam Ianuensibus resistebant, fidelitatem sancto Siro et populo Ianuensi in perpetuum iurare fecerunt. Et in eodem consulatu episcopus Syrus Ianuensi episcopatu electus fuit presente papa Innoscentio, qui tunc Ianue erat, in eodem anno ab eodem papa apud Sanctum Egidium consecratus fuit. Eo tempore papa Innoscentius fecit tregam inter Ianuenses et Pisanos per multa sacramenta ab utroque latere facta, donec a Frantia papa rediret, et ecclesia Portuveneris ab eodem papa consecrata fuit 1130.

1131. In decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni et de placitis Wilhelmus de Mauro, Oto Gontardus, Obertus Ususmaris, Wilhelmus Piper 1131.

1132. In undecimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni et de placitis Bonusvasallus de Odone, Oglerius de Guidone, Wilhelmus de Volta, Oto de Gandulfo rufo, Wilhelmus Picamilium. In isto vero consulatu Ianuenses armaverunt galeas 16 sequentes galeas Pisanorum per Corsicam et per Sardiniam, et ceperunt navem unam de Pisanis ad Callarim; et castrum Rivaroli factum fuit. Et in isto anno Lavanienses Ianuensibus guerram facere ceperunt. Consules Lavaniam cum exercitu tenderunt, bella et devastationes multas ibi fecerunt 1132.

1133. In duodecimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni tres, Obertus Turris, Lanfrancus Vetulus, Oto Cannella; et de placitis tres, Wilhelmus Bufferius, Bonusvasallus de Tetuica, Obertus de Taschifellono. In isto consulatu pax facta fuit inter Pisanos et Ianuenses ad Cornetum; et ibi accepit dignitatem archiepiscopatus et palleum et crucem Syrus Ianuensis episcopus a domno Innocentio[b] papa[38]. Adhuc in predicto consulatu Ianuenses cum octo galeis Romam tenderunt in servitio domni Lotarii regis et pape Innocentii, et ceperunt turres plures, et bella multa fecerunt, donec Romani posuerunt se in mercedem regis et pape. Iterum in hoc anno Ianuenses castra Lavaniensium destruxerunt, et cum illis ita pacem fecerunt, quod Lavanienses in mercedem consulum se posuerunt, et omni tempore in precepta eorum stare 1133.

1134. In tercio decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni tres: Ansaldus Mallonus, Ansaldus de Auria et Fabianus; et de placitis octo: Boiamundus et Ingo de Volta placitabant in duabus compagniis, in Palazolo et in Platealonga, Elia et Ingo Galleta in aliis duabus, in Macagnanis et in Sancto Laurentio, Rainaldus Goxonus et Wilhelmus Lusius in aliis duabus, in Porta et in Susilia, Ansaldus Sardena et Rubaldus Vicecomes in aliis duabus, in Portanova et in Burgo. Et tunc temporis in Ianuensi civitate erant compagnie facte de septem octo 1134.

1135. In quarto decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni tres, Bonus-

a) ed. c. b) II. glossa.

38) v. bullam in Mon. Patriae, libro iurium Genuae I. p. 41.

vasallus de Tetuica, Ingo Gontardus et Oto Cannella; et de placitis sex, de quibus tres consules placitabant in quatuor compagniis, et alii tres in aliis quatuor compagniis, scilicet in Palazolo et in Platealonga et in Macagnanis et in Sancti Laurentii, in istis quatuor compagniis placitabant Bonusvasallus de Bonohomo, Ionathas Pedegola, marchio Guaracus. In aliis quatuor, scilicet in compagnia de Porta et de Susilia et de Portanova et de Burgo, placitabant Obertus de Caschifellonus, Iordanus de Porta, Bonusvasallus de Antiochia 1135.

In quinto decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni Ansaldus Mallonus, 1136 Ido Porcellus, Lafrancus Piper; et de placitis Tanclerius de Mauro, Wilhelmus Garrius, Wilhelmus Niger, Lanfrancus de Oglerio de Rodulfo, Ingo Clericus, Rubaldus Vicecomes; et tres de istis placitabant in quatuor compagniis, et alii tres in aliis quatuor. Et in isto consulatu galee duodecim tenderunt super Buzeam, et ceperunt navem unam magnam et divitem, et Sarracenos multos, Bolpheto fratrem Matarassi, et alios multos quos Ianuam deduxerunt, et de peccunia navis unaqueque de galeis habuit valens librarum 700 . . . . . . 1136.

In sexto decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni Boiamundus de 1137. Odone, Wilhelmus Burronus, Enricus Gercius, Wilhelmus Lusius; et de placitis quatuor, Elias, Wilhelmus Barca, Fabianus, Wilhelmus Bruxedus; isti placitabant in quatuor compagniis. Wilhelmus Pezolus, Rainaldus Gauxonus, Bonusvicinus de Campo, Vasallus de Guisulfo; isti in aliis quatuor compagniis placitabant. Et in isto consulatu galeae 22 iverunt in Garbum sequendo galeas Sarracenorum 40 de Caito Maimono Almarie, et non invenientes, ceperunt plures naves Sarracenorum, cum peccunia magna et victoria Ianuam redierunt 1137.

In septimo decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Ansaldus 1138 Mallonus, Bonusvasallus de Odone, Bellamutus, Lafrancus Piper[a]; et de placitis quatuor fuerunt consules, Philippus de Lamberto, Wilhelmus Niger, Ansaldus Crispinus, Obertus Ususmaris 1138.

In octavo decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Wilhelmus 1139. de Bonobello, Oglerius de Guidone, Wilhelmus de Volta, Wilhelmus Piper; et de placitis quatuor, Elias, Ingo de Volta, Boiamundus, Wilhelmus Rufus. Et in isto consulatu Bruneti finem habuerunt. Et in isto consulatu moneta data fuit Ianuensi urbi a Cunrado Theutonico rege[39]; et privilegia inde facta et sigillo aureo sigillata cancellarius regis Ianuam duxit et consulibus dedit 1139.

In nono decimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Obertus 1140 Turris, Wilhelmus Barca, Guiscardus, Wilhelmus Malusaucellus; et de placitis quatuor, Bonusvassallus de Odone, Guillielmus Niger, Ansaldus de Auria, Bellamutus. Et in isto consulatu Wilhelmus de Columba scribanus intravit. In isto autem consulatu Ianuenses cum magno exercitu militum ac peditum mari ac terra ad Vigintimiliensem civitatem perrexerunt, ad honorem Dei et civitatis Ianuae civitatem et castra totius comitatus preliando ceperunt, et fidelitatem omnibus hominibus civitatis et comitatus in perpetuo iurare fecerunt. Adhuc in eodem consulatu galee 2 Gaitanorum que ad depredandum Ianuenses Provintiam venerant, ilico galee 2 Ianuensium armate fuerunt, et eas sequentes apud Arzentariam invenerunt, et unam preliando ceperunt, et cum hominibus ac cum tota preda quam fecerant Ianuam adduxerunt 1140.

In vicesimo consulatu unius anni fuerunt consules quatuor de comuni, Philippus de 1141 Lamberto, Wilhelmus de Volta, Caffarus, Lamfrancus Piper; et de placitis quatuor, Martinus de Mauro, Marinus de Porta, Wilhelmus Lusius, Elias. Et isti consules de comuni castrum Amelii emerunt, et Strutio fratribusque et consobrinis pro feudo dederunt, et fidelitatem ab eis in perpetuum acceperunt[40]. Et in isto consulatu Obertus cancellarius intravit, et in eodem consulatu secundus ignis in civitate fuit, et hoc fuit in vigilia sancti Iacobi 1141[b].

In vicesimo primo anni unius consulatu fuerunt consules de comuni Ansaldus Mallonus, 1142. Bonusvassallus de Tetuica, Oglerius de Guidone, Bellamutus; et de placitis quatuor, Oto

a) Piper de comuni et 1. *male*. b) *hic* 1. *in margine domum incensam habet*, *ita inscriptam*: Ignis sancti Iacobi.

39) v. chartam l. c. p. 57 datam Nurember a a. 1138 mense Decembri. 40) Documenta de traditione castri Amelii v. in libr. iur. Ian. I. p. 73. sq. W.

Iudex, Oglerius de Mari, Wilhelmus Pezulus, Ceba. Et isti consules miserunt galeam unam et legatos duos, Obertum Turrem et Wilhelmum Barcam, ad imperatorem Caloiannem, qui cum magno exercitu in Antiocenis partibus erat, ibique mortuus fuit, et filio suo Manueli[a] imperium dimisit 1142.

1143. In vicesimo secundo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Bonussenior Mallonus, Wilhelmus Porcus, Wilhelmus de Volta, Lafrancus Piper; et de placitis quatuor, Ugo Iudex, Bonusvassallus de Odone, Oglerius Ventus, Wilhelmus Lusius. In isto consulatu tercie ablate fuerunt mulieribus[b]. In ipso predicto consulatu galee 4 Ianuensium Montem Pesulanum ceperunt, et Wilhelmo de Monte Pesulano reddiderunt; et mille marche argenti hominibus galearum reddiderunt, quas hominibus Ianuensium ipse abstulerat; et insuper fundicum Bruni de Tolosia eis tradidit, et omnia vectigalia eis dimisit totius terre sue[41]. Quando autem galee iste revertebantur, ex predatoribus quandam galeam invenerunt, et ilico eam ceperunt 1143.

1144. In vicesimo tertio consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Tanclerius de Mauro, Philippus de Lamberto, Wilhelmus Ventus et Bellamutus; et de placitis quatuor: Elias, Wilhelmus Iudex de Novaria, Caffarus, Obertus Spinola. In isto consulatu galea una Ianuensium ivit propter predam quam faciebat comes Milgorii, frater comitis Barcilonie, supra Ianuenses, et bello incepto a comite cum galea, interfectus est comes a quodam balistario galee. Iterum prefati consules miserunt Provintiam, et fecerunt capere unam sagitteam ex predatoribus qui depredabantur Ianuenses, ideoque occulos eis extraere fecerunt. Et isti consules tempore pape Lucii miserunt legatos ad papam, qui multa petentes, tandem hoc consecuti sunt, quod domnus[c] papa Lucius[d] dimisit Ianuensibus libram auri unam quam pro unoquoque anno Romane curie dare debebant. Insuper privilegia Ianuensibus donavit, ac confirmavit omne ius quod Ianuenses in partibus Surie habuerunt vel habere debent 1144.

1145. In vicesimo quarto[e] consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor[f], Ido Gontardus, Oglerius de Guidone, Guiscardus, Wilhelmus Lusius; et de placitis quatuor, Oto Iudex, Rodoanus, Wilhelmus Buferius, Ceba. Et in isto consulatu castrum Seestri[g] fuit aedificatum[42] 1145.

1146. In vicesimo quinto consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Ansaldus Mallonus, Wilhelmus Niger, Caffarus, Lanfrancus Piper; et de placitis quatuor, Boiamundus, Marinus de Porta, Sismundus Muscula, Rainaldus Gobus. Et in isto consulatu praedicti consules miserunt galeas 22, et golabios 6 cum multis machinis, lignaminis de castellis, et cum 100 militibus cum equis supra Sarracenos ad Minoricam et alia loca usque in Almaria, de quibus galeis Caffarus consul fuit guida cum Oberto Turre, quem elegit sibi sotium in hoc itinere. Postquam vero ad Minoricam venerunt, terram descenderunt[h] cum equis et militibus et cum bellatoribus viris, et sic cum loricis et elmis et aliis armis, dimissis galeis cum paucis in portu Forneli, milites et pedites multa vexilla defferentes, per totam insulam armati perrexerunt, et capientes Sarracenos et raubam, devastando casales per quatuor dies ad galeas redierunt; ibique sub[i] tentoriis quiescentes, ecce milites Sarracenorum 300 fere usque ad tentoria armata manu latenter venerunt, multos pedites secum habentes. Ianuenses vero ilico equos ascenderunt, et bellum statim cum Sarracenis inceperunt, et Sarraceni terga vertentes sine mora fugere inceperunt; et sic Ianuenses per octo miliaria eos sequentes duas partes militum et peditum Sarracenorum interfecerunt, et in campis mortuos dimiserunt. Postea vero ad civitatem ipsius insule perrexerunt, et ceperunt, et eam destruxerunt, et peccuniam in galeis posuerunt. Preterea prefate galee omnes deinde Almariam perrexerunt[43], et in portu Almariae multas naves honeratas ex multis magnis divitiis invenerunt, et peccuniam inde extraxerunt et in galeis posuerunt. Et postea in

a) manue *addito alia manu* lo 1. b) *in margine duae mulieres vacuis manibus pictae, hac inscriptione*: tertie ablate. c) dominus 1. d) 1. *in margine papa sedens solio legato numum reddit, hac inscriptione*: libra auri permissa Ianuensibus. e) quinto 1. *error*. f) Ansaldus Mallonus, Wilhelmus Niger, *primum scripti, dein linea subducta deleti, cf. a.* 1146. g) *in marg.* Segestri castrum *visitur* 1. h) deffenderunt 1. i) super 1.

41) ibid. p. 87—89. W. 42) de quo castro feudi nomine Lavaniae comites communi Ianuensium sacramentum fecerunt mense Iulio; ibid. p. 103. W. 43) De infestanda Almeria Ianuenses cum Ildephonso Hispaniae rege foedus inierunt m. Sept. a. 1146; cf. ibid. p. 122, qua capta civitatem sub censu alicui regendam tradiderunt a. 1147; ibid. p. 131 sq. W.

terram descenderunt, et tentoria prope civitatem posuerunt, gatas et machinas et predeiras ibi fecerunt. Interim vero Sarraceni territi pacem et treguam Ianuensibus pecierunt, et pro pace, si Ianuenses facerent, centum tredecim miliaria marabetinorum valens promiserunt. Quibus Caffarus et Obertus Turris pro ceteris sic responderunt: *Non pacem sed treguam usque ad reditum Ianue faciemus, si predictos marabetinos ad presens nobis dederitis.* Statim namque Sarraceni timore commoti[a] dixerunt: *Accipite ad presens viginti quinque miliaria, et de aliis dabimus vobis ostaticos octo cum elemino, usque ad octo dies complebimus alios.* Et in presenti nocte marabetinos viginti quinque milia dederunt, et donec marabotini numerabantur in nocte, et comiti galearum supra marabetinos dividendo stantes, infra hoc rex Almarie clam cum duabus galeis et cum innumerata peccunia nocte recessit. Mane veniente Sarraceni alium regem elegerunt, qui ilico predictos ostaticos ad galeas misit, et predictam peccuniam dare promisit. At quia ad terminum octo dierum peccuniam non solvit, Ianuenses inde ira commoti terram descenderunt, et bella multa cum manganis et gatis ad civitatem dederunt, et per viginti duos dies in tentoriis galearum in terra steterunt; et postea superveniente hieme inde recesserunt, et[b] cum triumpho et magna peccunia capta Ianuam venerunt 1146.

1147. In vicesimo septimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni sex, Philippus de Lanberto, Obertus Turris, Oglerius de Guidone, Baldoinus, Ansaldus de Auria, Wilhelmus Picamilium; et de placitis quatuor, Ugo Iudex, Ingo de Volta, Obertus cancellarius, Ansaldus Pizo. In tempore istorum consulum Ianuenses iverunt ad Almeriam cum magno stolo galearum et aliarum multarum navium, et ceperunt Almariam bellando et Sarracenos vincendo et interficiendo, sicut scriptum est in libris[44] et in istoriis Ianuensium a sapientibus factis qui viderunt et interfuerunt; unde quamvis omnia scribere non possimus, particulam tamen ad presens scribamus 1147.

1148. In vicesimo octavo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni sex, Wilhelmus Buronus, Ansaldus Mallonus, Oglerius Ventus, Iordanus de Porta, Enricus Guercius, Lamfrancus Piper, et de placitis quatuor: Wilhelmus Niger, Fredenzonus Gontardus, Marinus de Porta, Opizo Lecavelum. In isto consulatu capta fuit Tortuosa 1148, et in isto consulatu castrum Palodii fuit adquisitum precio librarum septingentarum[45].

1149. In vicesimo nono consulatu unius anni fuerunt consules sex de comuni, Wilhelmus Ventus, Wilhelmus Pellis, Wilhelmus Niger, Caffarus, Obertus Spinola, Rubaldus Bisatia; et de placitis quatuor, Wilhelmus Buferius, Wilhelmus Stanconus, Obertus cancellarius, Sismundus Muscula 1149.

1150. In tricesimo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Ansaldus Mallonus, Rodoanus, Wilhelmus Lusius, Lamfrancus Piper; et de placitis quatuor, Boiamundus, Fredenzonus Gontardus, Anselmus de Caffara, Ansaldus Spinola 1150.

1151. In tricesimo primo consulatu unius anni fuerunt consules quatuor de comuni, Wilhelmus de Bonobello, Wilhelmus Stralandus, Otto Rufus, Botericus; et de placitis quatuor, Ugo de Elia, Otto Bencerto, Obertus cancellarius, Wilhelmus de Nigro 1151.

1152. In tricesimo secundo consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Tanclerius de Platealonga, Rubaldus de Alberico, Rubaldus Bisacia, Ansaldus Spinola; et de placitis quatuor, Wilhelmus Buferius, Wilhelmus Stanconus, Wilhelmus Cicala, Conradus Rufus 1152. Et in hoc consulatu macella fuerunt mutata de civitate, ad Molum unum, et alterum in Susilia.

1153. In tricesimo tercio consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor[c], Martinus de Mauro, Wilhelmus Niger, Enricus Guercius, Wilhelmus Lusius; et de placitis quatuor, Obertus cancellarius, Iohannes Malusaucellus, Ido Gontardus minor, Wilhelmus de Ripa iudex 1153.

1154. In tricesimo quarto consulatu unius anni fuerunt consules quatuor de comuni Oglerius de Guidone, Ansaldus de Auria, Obertus Spinola, Lamfrancus Piper; et de placitis quatuor, Oto Iudex, Fredenzonus Gontardus, Ionathus Crispinus, Baldizonus Usumaris[d]. Isti

a) comoti 1. b) et Ianuam 1. c) *deest* 1. d) *hic erasum est* MCLIIII.

44) Innuit narrationem ab ipso compositam, quae in fine libri habetur, prout iam saeculo XIII exeunte auctor glossae marginalis indicavit: *infra in folio VIIII.*

45) De hac acquisitione v. cessionem marchionis de Gavio, ibid. p. 135. W.

namque consules quando electi fuerunt, quoniam civitatem dormire et litargiam pati, et sicuti navem sine gubernatore per mare pergentem cognoscebant, ad praesens consulatum iurare nolebant. At quia ab archiepiscopo moniti in remissione eorum peccatorum, et a populo coacti fuerunt, vix tandem consulatum pro honore civitatis iuraverunt. Qui postquam iuravere, statim multum cogitando quomodo civitatem a sompno eriperent, mox in initio eorum consulatus galeas pro munimine civitatis facere, quibus civitas omnino carebat, et peccuniam feneratoribus civitatis ultra quindecim milia librarum numero solvere inceperunt[46]. Unde cives qui dormierant, a sompno aliquantulum surrexerunt, et in omnibus eorum praeceptis obedire dixerunt. Caffarus vero, qui hunc librum composuit, et preteritorum consulatuum gesta narravit, ut istorum bonum initium a memoria futurorum scriberetur, noluit prolatare; et ut bonum initium finem sequatur, Caffarus cum in oratione moratur, Deum inde cotidie deprecatur. Postquam vero predicti consules ad finem eorum consulatus venerunt, peccuniam quindecim milia librarum numeri, quam in initio solvere inceperant, totam debitoribus solverunt, et cives in pace tenuerunt, et multa consilia, que de utilitate civitatis invenerunt, consulibus venturis in scriptis dederunt, quoniam brevitate temporis et solutionis peccunie impedimento explere non potuerunt. At quia magna et multa utilitas est preteritarum rerum notitiam habere, presentia discernere, futura previdere, ideoque que prospera et adversa fortuito casu in predicto consulatu acciderunt, Caffarus veritatem, prout cognovit, presentibus et futuris hominibus notificare decrevit. Tempore enim predictorum consulum Fredericus[a] Romanorum rex et semper augustus Lombardiam venit, ibique virorum omnium civitatum atque locorum fidelitatem et forum accepit, multaque alia, quod longum est narrare, peregit. Predicti vero consules legatos de melioribus, Ugonem scilicet archidiaconem, et Caffarum huius libri compositorem, ad predictum regem miserunt, quos honorifice suscepit, et multa secreta consilia de honore regni et Ianuensis civitatis legatis aperuit; et ultra omnes civitates Italie honorem Ianuensi civitati facere promisit; et sic legatis licentiam revertendi, prout decuit, sine mora honestissime dedit. Consules vero secreta consilia, que legati a rege detulerant, electis consulibus post eos venturis omnia per ordinem narraverunt, et in eorum arbitrio omnia peragere dimiserunt. Adhuc vero in predicto consulatu die nativitatis Domini recedente et nocte veniente, fortuito casu accidit in quadam domuscula burgi civitatis, quod ignis accensus fuit, et iuxta manentes super alias mansiones comburendo ascendit. Cives iliquo qui in civitate erant, ferocissimi bellatores et contra omnia adversa fortissimi deffensores, sine mora ad ignem cucurrerunt, et mansiones destruendo et aquam proiciendo, ignem ita extinxerunt, quod postquam particula burgi combusta fuit, omnes alie mansiones burgi et civitatis incolumes remanserunt. Interea cunctas res combuste particule cives in tuto loco posuerunt preter edificia et vasa que combusta fuerunt. Preterea predicto anno quedam barbara gens quae vocabatur Mussemutorum, eo tempore pacem cum Ianuensibus firmaverunt, quorum galee 9 in Sardineam venerunt, ibique navem unam Ianuensium de Alexandria venientem et ex magna peccunia honeratam invenerunt. Que postquam iuxta navem venerunt, viri galearum unde navis esset interrogaverunt. Ianuenses vero qui in navi erant, ira commoti, unde essent respondere noluerunt; sed armati cum loricis et ensibus galeas audacissime assenderunt, Sarracenos detruncando et interficiendo pro eorum superbia; fere omnes interfecti fuerunt. Mussemuti autem postquam Ianuenses esse cognoverunt, mesti multum de hoc quod fecerant statim fuerunt, et navem cum tota peccunia quam ceperant, pro timore Ianuensium incolumem dimiserunt, ita quod unius oboli valens non inde extraxerunt, et Callaritano iudici commiserunt, et ut Ianuam mitteret preceperunt. Callaritanus vero iudex amore Ianuensium navem cum suis expensis Ianuam misit. Credendum namque est, quando in civitate talia accidunt, quod Deus tangendo fideles suos corrigit, quoniam vult ut fideles qui ab illicitis se abstineant, et que eveniunt, pro correctione eorum evenisse cognoscant. De Nabolensi vero castro quod in eodem anno a marchionibus de Loreto actum est, oblivioni tradendum non est. Ideoque viri presentes et futuri cognoscant, quoniam Enrichus marchio de Loreto[b] habitaculum civitatis Ianuae, et sacramentum compagne, et de discordia Nabo-

a) *manu posteriori numerus* 1. *additus est.* 1.   b) Iste fuit pater ottonis et enrici marchionum de careto *glossa saec. XV?* 1.

46) Sex milia librarum creditoribus Placentinis tunc soluta esse, docent documenta in libr. iur. edita p. 171. 176. sq. W.

lensium in laude Ianuensium consulum stare iuraverat. Consules vero utrarumque partium audita discordia, inter eos concordiam posuerunt. Postea autem, sicut mos est marchionum magis velle rapere quam iuste vivere, iterum discordare incepit; quapropter consules, ut predictus marchio, sicuti iuraverat de discordia in eorum laude stare, legatos, ut veniret, miserunt. Qui cum ore promittebat, quod in corde non habebat. Interim autem quadam die mense Augusti cum exercitu militum et peditum ad praedictum castrum clam venit, et illud fraudulenter cum quibusdam proditoribus[a] cepit. Unde praedicti consules cum militibus et balistariis et sagitariis multis per totum eorum consulatum, prout decuit, guerram fecerunt, devastando et comburendo eo illius loca per terram; quoniam iemps erat, ad capiendum castrum per mare ire non potuerunt. 1154.

In tricesimo quinto consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Wilhelmus 1155.
Porcus, Obertus cancellarius, Iohannes Malusaucellus, Wilhelmus Lusius; et de placitis sex, tres quorum placitabant in quatuor compagnis versus Palazolum in uno de palaciis archiepiscopi, nomina quorum Bonusvassallus de Lamberto Medico, Boiamundus de Odone, Wilhelmus Stanconus. Alii vero tres, scilicet Wilhelmus Cigala, Nicola Roza, Obertus Recalcatus, placitabant versus burgum in aliis quatuor compagnis, et hoc in alio palatio archiepiscopi. Tempore quorum que in civitate Ianuensi et extra per diversa loca acciderunt, Caffarus bone memorie ad futurorum memoriam notificare decrevit. Notum igitur tam presentibus quam futuris fiat, quod predicti consules rem publicam Ianuensium multum et multum augmentando, prout decuit, tractaverunt. Omnia namque que de omnibus rebus pignori subitiebantur, videlicet castra, ripe, scariorum[47], cantarii, rubi, monete, omniumque aliarum comunium redditum a servitute pignoris[b] liberaverunt. Preterea murum et portas ex utroque latere civitatis edificare ceperunt; pacem quidem non solum in civitate, verum etiam extra per multa loca ad honorem civitatis fecerunt. Marchiones namque de Laureto, qui quondam pro Nabolensi castro guerram Ianuensibus fecerant, et de castro et omnibus aliis rebus in praecepto istorum et futurorum consulum stare iuraverunt[48]. Adhuc vero cum legato Constantinopolitani imperatoris pacem taliter firmaverunt, quod deinceps in perpetuum per unumquemque annum 500 perparos et duo palia a curia imperatoris comune Ianue habere debet, et insuper archiepiscopus per annum in perpetuo perparos sexaginta, et unum pallium habere debet, comune etiam unum fundicum et ecclesiam in Constantinopoli, et per totam terram suam comertium diminutum de deceno in viceno quinto[49]. Iterum quippe Fredericus rex Romanorum et semper augustus in preterito consulatu in Lombardiam venit, et in isto consulatu per ebdomadas novem Terdonam obsidendo et preliando medio Aprili cepit et destruxit. Unde omnes homines aliarum civitatum et locorum terrore comoti, magnam et inmensam peccuniam regi tribuerunt. Ianuenses vero consules, quamvis a pluribus sepe et sepe excitati et moniti ut peccuniam regi darent, tamen unius oboli valens dare nec promittere voluerunt. At quidem in omnibus castris que de comunis extra civitatem erant, arma multa et viros bellatores sufficienter miserunt, et omnibus hominibus eorum districtus ut arma et omnia que ad bella sunt necessaria festinanter haberent, sub debito sacramenti preceperunt: et ut preceptum consulum fuit, omnes homines sine mora fecerunt. Rex autem postquam audivit Ianuenses tam bene et viriliter preparatos esse, nuntios statim consulibus misit, ut de illis ad illos irent. Et unus de consulibus Wilhelmus Lusius cum quibusdam ex melioribus civitatis ad regem perrexit, ibique multa de honore regni et civitatis ad invicem tractaverunt; et ultra omnes civitates Italie civitati Ianue rex honorem se daturum promisit, et honestam licentiam revertendi sine dilatione consulum prebuit. Post hec autem Romam perrexit, ibique in ecclesia beati Petri cum benedictione Adriani apostolici coronam suscepit, et postea ad Teothonicam terram reversus est. Cum ergo credibilium virorum credibilibus argumentis verissime apertum sit, ita de augumentatione rei publice Ianuensium esse, uti presens scriptura demonstrat, conveniens ideo est, ut quicquid de honore civitatis in isto consulatu actum est, veritas cognoscatur. Cognoscat ergo universitas populorum, quod isti consules quemdam legatum, Sancti Laurencii cannonicum, Maimfredum scilicet virum nobilem et sapientem, ad Romanam curiam pro iusticia Ianuensium petenda miserunt: ibique patriarcham Ierosolimitanum omnesque fere orien-

a) productoribus *corr.* proditoribus 1. *b)* pigoris 1.

47) fortasse muniliones, mensurae, pondera, monetae. 48) Non iam exstat sacramentum. W. 49) D. 12. m. Oct. Libr. iur. Ian. I, 184. W.

tales archiepiscopos et episcopos, et Raimundum Hospitalis dominum invenit. Predictus namque legatus coram orientalibus pontificibus qui tunc Romane curie in Benevento erant, proclamationem, sicuti consules ei preceperant, domno apostolico taliter fecit:

*Reverentissime pater et domine, Deo et vobis ex parte Ianuensium consulum conqueror de Ierosolimitano rege et Tripolitano comite atque Antioceno principe, qui iusticiam Ianuensium, quam in orientalibus plagis habere debent, cotidie auferunt et diminuunt, quam quippe predecessores eorum Ianuensibus dederunt et sacramento et privilegiis firmaverunt. Hoc ideo fecerunt, quoniam Ianuenses multis et magnis eorum machinis et expensis multaque sanguinis effusione civitates et loca orientis obsidendo et preliando ceperunt, sicuti per presentia scripta vobis notificatur. Insuper etiam proclamationem facio de hominibus Ierosolimitani regis, qui cum galeis naves Ianuensium et peccuniam iniuste eis abstulerunt. Adhuc vero de quibusdam Provintialibus scilicet Bernardo Attonis et sociis eius taliter querimoniam facio. Unde sanctissime pater et domine, excellentiam vestram suppliciter exoro, ut baculus apostolice sedis cunctos iustitiam Ianuensium vinculo anathematis percutiat auferentes.*

Apostolicus autem audita lamentatione et visis litteris Ianuensium, presentibus orientalibus pontificibus preceptum suum dedit. Preceptum vero quale fuerit, in hoc libro ad presens scribitur et notatur:

*Adrianus episcopus servus servorum Dei, illustri Ierosolimitanorum regi salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc in eminenti sedis apostolice specula divina sumus disponente gratia constituti, ut nostre considerationis occulum ad universas mundi partes extendere debeamus, ut ea que contra iustitie tramitem et ordinis rationem commissa esse noscuntur, nos oporteat atentius emendare. Dilecti autem filii nostri Ianuenses cives directa nuper ad nos questione monstrarunt, quod homines tui peccuniam et navem in qua ipsa peccunia ferebatur, eis nulla rationabili causa intercedente per violentiam abstulerunt, et usque in presens sicut nobis dicitur detinere presumunt. Unde si tue nobilitatis industria provida consideratione pensasset, quot dampna, quot incomoditates, quot etiam scandala terre tue et regno tibi commisso huius occasione rapine valeant provenire, cum Ianuensis civitas gloriosa et inclita in remotis mundi partibus potentissima habeatur, nobis etiam non ammonentibus debueras effecisse, quod omnia que iniuste et per rapinam ablata sunt, predictis Ianuensibus essent in integrum restituta. Ne igitur idem Ianuenses aliquam versus te vel fideles tuos habeant ulterius materiam conquerendi, nobilitati tue per apostolica scripta precipientes mandamus, quatinus sicut benedictionem et gratiam sacrosancte Romanae ecclesie matris tue desideras retinere, peccuniam simul et navem memoratis Ianuensibus facias absque ulla diminutione restitui. Si enim super eodem negotio ad aures nostras querimonia ulla pervenerit iterata, facere non poterimus, quin in terram tuam pro ipsius detentione rapine gravius vindicemus. Nichilominus etiam dilectioni tue presentium auctoritate mandamus, ut vicecomitatum Acarontis et alia iura que ad Ianuensium ius pertinere noscuntur, eos de cetero pacifice possidere et sine ulla inquietatione permittas.*

In eodem modo scriptum est Tripolanitano comiti, Antioceno principi sub excomunicationis pena; Antioceno patriarce etiam per apostolica scripta precepit, ut principem Antiochenum excomunicaret, nisi predicta adimpleret. Scripsit etiam episcopo Bitterrensi, Agathensi et Neumasensi, ut Bernardum Attonis et Bietterenses et Agathenses excomunicationis vinculo ferirent, ut peccuniam nostris Ianuensibus ablatam in integrum redderent. Et dum prefatus legatus ab apostolico postularet licentiam, apostolicus quendam tradens anulum sic dixit: *Istud sit signum dilectionis et gratie nostre et apostolice sedis inter nos et Ianuenses in perpetuum; et tibi legato predictum anulum habenti sit pignus apostolice amicitie et gratie.* Predicta namque et alia multa que non scribuntur ad honorem fecerunt[50], et consules de melioribus, qui post eos civitatem regerent, eligere fecerunt, ideoque laudem et gloriam a cuncto populo Ianuensi receperunt 1155.

1156. In tricesimo sexto consulatu unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, Wilhelmus Buronus, Ogerius Ventus, Enricus Aurie, Lanfrancus Piper; et de placitis sex, Simon Aurie, Ido Gontardus, Ionathas Crispinus, qui tres placitabant per quatuor compagnas versus Palazolum in palatio archiepiscopatus; alii vero tres, videlicet Nichola de Rodulfo, Ugo de Baldizone, Opizo Sardena, qui positi fuerunt ad placitandum pro quatuor compagniis versus burgum in predicto palatio separatim ab aliis tribus consulibus.

50) scilicet consules.

Quoniam presentia presentibus aperta et nota sunt, et quando preterita fiunt futuris 1156. hominibus innota habentur, ideoque bonum et utile presentiarum rerum veritatem describere. Quapropter Caffarus felicis[51] [a]memorie que suo tempore in civitate Ianuensi et extra per 51 diversa loca acciderunt, sicuti scriptum est in hoc libro, oblivioni notificare non tradidit[a]. Igitur competens est, ut quomodo consules Ianuenses rem publicam in hoc anno et placita tractavere, per memoriam Caffari veritas cognoscatur. Cognoscat ergo sapientia audientium, quod prescripti consules comunis et causarum, prout decuit, rem publicam et placita recta linea tenuerunt. Omnibus namque hominibus eorum districti, divitibus et pauperibus, viduis et orphanis iusticiam petentibus, prout ratio postulat unicuique tribuerunt. Preterea legatos de melioribus civitatis, Wilhelmum Ventum scilicet et Ansaldum Aurie, ad[b] Wilhelmum Sciculum regem pro honore civitatis miserunt. Qui honorifice a rege fuerunt recepti. Postea vero cum multa diu et diu de honore regni et Ianuensis civitatis insimul tractavissent, tandem pacem et concordiam ex utroque latere taliter firmaverunt. Rex enim in toto suo districtu Ianuenses salvare, custodire, et de iniuriis iusticiam facere, omnesque Provintiales et Francigenas mercatores a regno suo expellere, multaque alia sicuti scriptum est in Ianuensi registro, presente sua regali curia et coram Ianuensibus legatis sacramento firmavit[52]. Legati autem postquam Ianuam venerunt contione facta consules cum 300 hominibus iuraverunt, quod non debent mortem regis vel captionem consiliari, et quod si in tota terra regis in personis vel in peccunia depredationem fecerint, consules inde ei facient rationem. Quam nempe promissionem non solum regi tante potentie tanteque magnitudinis, verum etiam ceteris hominibus pacem tenentibus Ianuenses usque modo absque sacramento firmiter tenuerunt et tenent. Unde quidem multa maiora et pulchriora Ianuenses accepisse quam fecisse, longe lateque a sapientibus per orbem dicitur et tenetur. Rex namque a multis et magnis potestatibus et civitatibus sola promissione sacramenta suscepit et recepit, et quod alicui sacramentum fecisset nisi Ianuensibus solis mandatum est. Ergo quod Ianuenses maiora suscepisse quam fecisse verissime creditur et probatur. 1156.

In tricesimo septimo anno consulatuum unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, 1157. scilicet Rogeronus de Ita, Wilhelmus Ventus, Obertus Spinula, Gandulfus Piccamilium. De placitis vero octo, quorum quatuor placitabant pro quatuor compagnis civitatis, scilicet Boiamundus de Odone, Fredentio Gontardus, Wilhelmus Stanconus, marchio de Volta. Alii quatuor, scilicet Obertus cancellarius, Wilhelmus Cigala, Amicus Grillus, Vassallus de Guisulfo pro quatuor compagnis de burgo placitabant.

Quoniam bonum et utile pro sua patria honeste pugnare, competens est ut quomodo consules de comuni pro Ianuensi patria hoc anno pugnavere, per presentem scripturam Caffari veritas cognoscatur. Cognoscat igitur sapientia virorum, quod predicti consules de comuni eorum tempore talia perpetraverunt, scilicet Ianuensem civitatem et populum in pace et corcordia tenuerunt, et partem muri civitatis edificare ceperunt, et legatos plures in diversas partes pro honore civitatis miserunt, videlicet Guidonem Laudensem[c] ad Romanam curiam, Ionatham Crispinum ad orientales partes et ad Wilhelmum Siculum regem, et Amicum de Mirro Constantinopolim legatum miserunt pro exigendis scalis et embolo promissis. Receperunt etiam in habitaculum Guidonem Guerram comitem Victimiliensem, qui et fidelitatem nostro comuni iuravit, et castra sua, ut in registro habetur, omnia comuni donavit, ea in feudo suscipiens per investituram[53]. Insigne rubee ipsi in parla- 53 mento a predictis consulibus tradita, et compagnam novam iurare, et consules comunium et causarum de melioribus civitatis eligere fecerunt. Pro consulibus vero presentibus et futuris Caffarus, qui hunc librum composuit, in unoquoque die trinam facit orationem, ut populum Ianuensem in pace et concordia regere et in bonis operibus augmentare Deus eis semper concedat. 1157.

In tricesimo octavo anno consulatuum unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, 1158. Ingo de Volta, Ido Gontardus, Baldicio Ususmaris, Iohannes Malusaucellus; et de placitis

a) *ita* 1. tardavit *ed. Intelligendum est aut* oblivioni non tradidit, *aut* notificare non tardavit. b) et *alia m. corr.* ad 1. c) luudensem *aut* Inudensem.

51) Voces *felicis memoriae* fortasse a scriba, dum haec Cafaro defuncto demum libro inferret, addita sunt. 52) Ad hanc legationem spectat privilegium a rege anno demum 1157 m. Nov. concessum, libr. iur. I, 202, sed a. 1156 iam alterum datum est, ibid. 190, cuius hic nulla habetur memoria. W. 53) Documenta requiras in libro iur. I, 197. W.

1158. octo, quorum quatuor versus palacolum in quatuor compagnis placitabant, scilicet Wilhelmus Buferius, Bonusvassallus de Castro, Anselmus de Caffara et Nuvelonus. In aliis vero compagnis versus burgum Oto Caffari, Nicola de Rodulfo, Enricus Malusocellus et Obertus Recalcatus. Tempore quorum multa et diversa atque inaudita per totum regnum Italicum incepta et facta fuere; de quibus namque que a Frederico Romanorum imperatore per Liguriam et maritimas partes acta sunt, competens est ut Caffarus secundum posse scientie sue notificare oblivioni ne tradat. Cognoscat itaque sapientia presentium et futurorum, quod predictus imperator cum magno exercitu Theotonicorum Lombardiam ad hoc venit, ut qui actenus inobedientes fuerant, nunc per Dei misericordiam et per adventum suum imperio satisfacerent. Quapropter omnibus marchionibus comitibus et consulibus civitatum, atque totius Lombardie et Tuscie bellatoribus ad bellum venire convocatis, ad obsidendum Mediolanum cum innumerabili populo bellatorum iuxta arcum Romanum imperator tentoria posuit. Mediolanenses vero quamvis per paucos dies imperatori restitissent, tamen brevi tempore in voluntate et precepto domini[a] imperatoris stare iuraverunt. Imperator autem pietate commotus, preteritae inobedientie iudulgentiam et non iudicium Mediolanensibus dedit; fidelitatem vero facere et regalia dimittere et novem milia marcas argenti et 300 obsides dare ad constitutos terminos sacramento firmavere. Unde totius Lombardie et Tuscie habitatores terrore comoti, ad instar Mediolanensium voluntati imperatorie satisfecerunt. Quibus ex magna parte peractis, in Runcalliam parlamentum fecit, multasque ibi sententias promulgavit de lamentationibus que venerant coram ipso, et inter Italicas civitates pacem reformari et teneri precepit. Inter hec vero Ianuenses ad eius curiam multis vicibus litteris et eius principibus et curialibus lacessiti, plerumque miserunt ad eum de nobilioribus suis. Quibus instantia multa petebat, ut sicut alie civitates Italie ei de fidelitate obsidibus et dimittendis regalibus faciebant, penitus et ipsi facerent. Qui aliorum huiusmodi facta quamvis laudarent, caute tamen ab huiuscemodi debitis se excipiebant, et monstrabant se excusandos. Nam ab antiquo concessum et firmatum est per Romanos imperatores, ut ab omni angaria et perangaria habitatores civitatis Ianue debeant perpetuo excusari, solamque fidelitatem imperio debeant, et maritimarum contra barbaros tuitionem, nec in aliis possint ullo modo adgravari; unde cum hec que debent bene prestiterint et divinitate propitia barbarorum impetus et insultus, quibus tota maritima a Roma usque Barchinoniam cotidie vexabatur, procul expulerant, ut ab eis quisque securus dormiat et quiescat sub ficu et vite sua, quod annuali dispendio decem milia marcharum argenti imperium fecisse non poterat, ulla ratione non possunt indebita postulari. Preterea iuxta aliorum Italicorum debitum ad talia non possunt ullo modo evocari, cum de terra imperii non habeant unde vivere possint vel se aliquo modo retinere; cumque aliunde afferant, unde Ianue vivant, et possint manutenere honorem imperii. Cumque in extraneis terris quibus conutuntur, in mercationibus suis solvant innumeras dacitas, et rerum suarum libertatem precio mercentur et redimant, tributum non debent imperio, cum antiquitus sit per Romanorum imperatorem[b] statutum, ut nemo excepto cesare tributum accipiat, eiusque intersit, si ab alio occupatur. Fidelitatem igitur solam debent habitatores Ianue, et non possunt de reliquo appellari.

Interim vero viri et mulieres qui Ianue erant, petras et arenam ad murum die vel nocte trahere non cessantes, tantum muri civitatis infra octo dies construxerunt, quantum illaudabiliter non fecisset per annum aliqua civitatum Italie; reliquas vero partes quas muri ambitus[c] non contexerat, et eas quas muri altitudo non muniebat, altissimis castris,
54 quae fecerunt de arboribus navium et frequentibus breteschis[54] et spatiosibus spaldis[55] et robustissimis ita per triduum munierunt, quod totius Italie et Tuscie ac Alemannorum impetum non obstante divinitate indempnes excepissent. Consules autem civitatisque silentiarii[56] experti sepius obsidentes quibus coharcentur obsessi, soldaderios balistarios et archiferos tot ad civitatem conduxerunt, ordinantes eos per castra, montana, et alias partes civitatis, quorum pro solo cibo eorum cotidie expendebant valens centum marcarum argenti. Imperator autem in ratione queque disponens, Ianuensium actiones et exceptiones non obaudiens, et videns quod antiquam consuetudinem suam non paterentur imminui, eos iterum ad Boscum, ubi cum exercitu venerat, convocavit. Iveruntque ad eum Ido

a) *ita* 1. b) imperatorim 1. c) abintus 1.

54) castrum ligneum. 55) propugnaculum. 56) consiliarii, v. infra a 1173.

Gontardus tunc consul comunis, et quidam alii sapientes, Caffarus videlicet, Obertus Spinola, 1158 Wilhelmus Cigala, Guido de Laude, Ogerius de Bocherone, Oto Iudex et Abbericus; feceruntque talem cum eo concordiam, videlicet quod imperator gratiam et bonam voluntatem suam Ianuensibus dedit, eosque in suam tutelam et deffensionem recepit; addens quod nullam super eos lamentationem audiret, nec eos modo aliquo inquietaret de aliquo quod tenerent vel possiderent iuste vel iniuste, excepto si peccuniam auferrent alicui viatori, quam non pateretur teneri: hocque servandum constituit[a] usque sanctum Iohannem. Ianuenses vero ei fidelitatem fecerunt iurari a quadraginta hominibus, suscipientibus eam in palatio Ianuensis archiepiscopi Rainaldo cancellario imperatoris et comite Blandratense, sed ea conditione ut per fidelitatem exercitum facere vel peccuniam dare nullo modo tenerentur, et ab eo sibi proventura essent que superius in narrationem venerunt. Promiserunt etiam ei sub ipso tenore, se dimissuros fore regalia que ipsimet ei per iusticiam pertinere cognoscerent. Dederunt insuper imperatori et curie marchas argenti 1200. Hec autem dum sic essent firmata, misit imperator nuncios suos Sagonam et per totum comitatum; quorum dum quidam Victimilium advenisset, iniqua occasione actum est ut Vintimilienses, qui omnes exceptis minoribus quatuordecim annorum comuni Ianue fidelitatem iuraverant contra omnes personas, quique iuramento tenebantur prodicionem castri illius nec pati nec facere, et ad salvandum et retinendum et recuperandum si perderetur comuni Ianue contra omnes homines conferre et auxiliari, nefanda prodicione ceperunt illud, et predicti nuncii imperatoris suasionibus diruerunt. Quare Ianuenses miserunt legatos ad imperatorem, castri illius restaurationem querentes, cum eius occasione videretur amissum, et de imperialibus promissionibus ipsi haberent, quod non debebant minui aliqua possessione, quam supradicte pactionis tempore habuissent. Narraverunt etiam ei, ut maiori iusticia habundarent, qua ratione castrum illud habuissent. Nam sub imperatore Conrado[b] dum indomita audatia Victimiliensium in tantum crevisset, ut omnes quos inveniebant tam divites quam pauperes, peregrinos quam alios, incarcerarent et predarentur, essetque eorum sub integritate propositum in rapinis et in omnibus malis, nec scelera sua cognoscerent cum non sentirent ultorem malicie ipsorum, tanta apud imperatorem lamentatio crevit, ut Ianuensibus dederit in preceptis et precibus, quod predones illos et alios, qui per comitatum moliebantur ad talia, comprehenderent, contererent, et sue dicioni subiugarent: ad quod multis rationibus evocati, per litteras scilicet et preces ipsius imperatoris, supplicationibus etiam innumerorum, quos ipsi leserant inimici, congregaverunt Ianuenses magnum exercitum tam peditum quam militum, et Victimiliensem civitatem, ut in subscriptione anni illius notavimus, ceperunt, et a Victimiliensibus accepta fidelitate in perpetuum, castrum Victimilii edificaverunt, quod ut praedictum est memorati per vim destruxerunt. Unde ab eis cavendum est, ne satisdatio, que non mutat malivolum propositum, decipiat confidentes. Hoc etiam anno totus orbis nimia siccitate exaruit, quia a Calendis Madii usque ultimam ebdomadam Marcii non pluit nisi parumper semel quandoque ad instar roris in mense; unde fontes et putei ita desiccati erant, quod qui ubertate aque habundare solebant in profunda estate, vix in ieme sufficiebant ad unius situle replementum. Quod licet ad opus inceptum non tangat, Caffari memoria ne oblivioni tradatur, conscripsit. 1158.

In tricesimo nono anno consulatuum unius anni fuerunt consules de comuni sex, 1159. scilicet Ansaldus Mallonus, Ogerius de Guidone, Ionathas Crispinus, Rubaldus Bizacia, Ansaldus Spinola, Lamfrancus Piper; et de placitis quatuor, Boiamundus de Odone, Corsus Serra, Wilhelmus de Marino, Opizo Sardena. Quorum omnium providentia et cautela rei publice status et singulorum negotia Ianuensium laudabili fuerunt administratione promota; et quicquid fuerat de muro civitatis inexpletum, eorum studium et laborem imitantibus ceteris civibus, ad apparentem consummationem pervenit. Hoc autem, quod incredibile nonnullis videtur, operibus tocius civitatis et plebium dierum quinquaginta trium in digito Dei peractum est. Quod per cartularios Iohannis scribe comunis colligitur, qui dies et horas ipsius operis remunerandorum operariorum, cum[c] egentes et magistri precio laborarent, in mercedibus absolutis ascripsit. Ut autem de longitudine muri adaugeatur fama laboris, stadiorum octo et pedum quingentorum viginti propagationem eius discrecio presentium futurorumque cognoscat; stadium quippe longitudo est passuum 125, vel pedum 625, cum passus sit quinquepedalis dimensio. Est igitur super totum pedes quinque milia

a) constituunt 1. b) ll. *alia manu additum* 1. c) cun 1.

1159. quingenti et viginti. Cuius integre quantitatis, ut predictum est, factum est fere quatuor[a] partes supradictis quinquaginta tribus diebus, collectis semper in unum opus, quod civitatis et plebium homines secundum quarteria et alias suas distinctiones laborabant per partem diei vel sui aliquando divisionem. Fecerunt etiam in ipso muro merlos mille septuaginta, tam pro formositate et fortitudine muri, quam pro comoditate et tuicione civitatis et civium.

Preterea omnibus notum sit, quod tempore istorum consulum septima die exeunte Ianuario Fredericus Romanorum imperator Cremam cepit et destruxit; atque in eodem anno discordia inmensa de electione Romani pontificis in orbe exorta est. Obeunte namque beate memorie Adriano papa, episcopi omnes et cardinales Romane curie pro electione apostolici insimul convenerunt. Quomodo autem et quam electionem fecerunt, et qualiter diabolus discordie fomitem in ecclesia seminavit, Alexander a cardinalibus electus et de sua electione et de seminata discordia per litteras subsequentes Ianuensi archiepiscopo hoc modo apperuit et mandavit:

*Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus S. Ianuensi archiepiscopo eiusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem. Eterna et incomutabilis providentia Conditoris sanctam et inmaculatam ecclesiam a sue fundationis exordio ea ratione voluit et ordine gubernari, ut unus ei pastor et institutor existeret, cui universarum ecclesiarum prelati absque repugnantia subiacerent, et membra tamquam suo capiti coherentia ei se quadam mirabili unitate coniungerent, et ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit dicens „Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi", ille procul dubio ecclesiam suam, cuius ipsi apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur; sed eam in suo statu et ordine, licet ad instar navicule Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuo faciet permanere. Unde et quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis cum sint sathane, inconsutilem Christi tunicam, quam utique ipse idem ex persona psalmographi a leonibus petit et afframea eripi, et de manu canis orat ac postulat liberari, scindere et laniare laborent. Christus tamen auctor et caput ecclesie eam veluti unicam sponsam suam provida gubernatione tuetur, et navem egregii piscatoris licet sepius quaciatur a fluctibus, non permittit naufragium sustinere. Porro cum antecessor noster bone memorie Adrianus papa Kalendis Septembris, dum essemus Anagnie, debitum nature solvisset, et de terris ad celum, de imis migrasset vocante Domino ad superna, eo Romam deducto et pridie Nonas Septembris in ecclesia beati Petri presentibus fere omnibus fratribus satis honorifice sicut moris est tumulato, ceperunt fratres et nos cum eis secundum ecclesie consuetudinem de substituendo[b] pontifice in eadem ecclesia studiosius cogitare; et tribus diebus inter se de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic honori et tante dignitatis fastigio minime congruentem, omnes fratres quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octoviano scilicet, Iohanne[c] de Sancto Martino, et Guidone Cremense, Deo teste quia non mendatium fingimus sed merum sicut est loquimur veritatem, concorditer atque unanimiter convenerunt, et nos assentiente clero et populo in Romanum pontificem elegerunt. Duo vero Iohannes[c] videlicet et Guido Cremensis quos prenotavimus, tercium Octovianum videlicet nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Unde et ipse Octovianus in tantam audatiam vesaniamque prorupit, quod mantum quo nos renitentes et reluctantes, quia nostram insufficientiam videbamus, iuxta morem ecclesie prior diaconorum induerat, tamquam ar-*
57 *reptitius[d, 57] a collo nostro propriis manibus violenter excussit, et secum inter tumultuosos strepitus vel fremitus asportavit. Ceterum cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sevientis. Ipse vero ad quendam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat et paratus, ilico flameos occulos fremebundus inflexit, clamans et concrepans, ut mantum quem secum portaverat festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octovianus abstracto pilleo et capite inclinato cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus eiusdem capellani et cuiusdam alterius clerici sui ambitiosius assumpsit, et ipse idem, quia non erat alius in hoc opere, capellano et clerico extitit coadiutor. Verum ex divino iudicio credimus contigisse, quod ea pars manti quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus et ridentibus posteriora tegebat, et sicut torte mentis erat et intentionis oblique, ita ex transverso et obliquo mantum fuit in testimonium sue dampnationis indutus. Quo facto porte ecclesie que firmate erant reserantur, et armatorum*

a) quatuorum *corr.* quatuor 1. b) sustit. *c.* c) I. 1. d) arreptulus 1. 57) i. q. daemoniacus.

*cunei, quos sicut ex re apparuit peccunie largitione conduxerat, evaginatis gladiis cum inmenso strepitu cucurrerunt, et pestis illa mortifera, quia cardinales et episcopos non habebant, armatorum caterva militum vallabatur. Considerate itaque fratres in Christo venerabiles tam piaculare flagicium, tam execrabile sacrilegium diligenter attendite, et videte si est dolor sicut dolor iste, et si ab exordio nascentis ecclesie tanta vesania umquam fuerit a quolibet scismatico vel heretico attemptata.* 1159.

*Fratres vero facinus tam inmensum et a seculis inauditum ex insperato videntes, et formidantes ne a conductitiis militibus truncarentur, sese in municionem ecclesie nobiscum pariter receperunt; ibique novem diebus continuis, ne inde exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos peccunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane populo incessante et iugiter acclamante, et in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente de custodia fuimus illius munitionis erepti; sed in artiori et tuciori loco trans Tiberim nos idem senatores recepta inde peccunia posuerunt. Cumque moram ibi ferme per triduum fecissemus, universo populo tantam perditionem atque maliciam de cetero nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus et populo venientes, nos et fratres nostros per Urbem magnifice et honorifice cum inmensis laudibus et preconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique pulsantibus, conduxerunt; et sic tandem a violentia persequentis erepti et nostre redditi libertati, sequenti die dominico venerabilibus fratribus nostris G. Sabinensi, Huberto Hostiensi, B. Portuensi, Waltero Albanensi, I. Signino, et B. Terracinensi episcopis, cardinalibus quoque et abbatibus prioribus iudicibus advocatis scrinariis primicerio et scola cantorum, nobilibus etiam et quadam parte de populo Urbis, apud Nimpham non longe ab Urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, et sicut in Romana ecclesia consuetudinis est, ibidem pontificali regno*[58] *magnifice fuimus ac sollempniter coronati. Ceterum predictus Octovianus cum pro consecratione immo execratione sua, dum et in Urbe esset, et postquam latenter exivit Urbem, multos episcopos convocasset, nullum preter unum Ferentinantem videlicet habere potuit pro sua temeritate et vesania confirmanda. Quosdam tamen episcopos imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam vero peccuniis et blandiciis allicere voluit, sed nichil Domino impediente profecit. Unde nec adhuc invenire potest, licet modis omnibus enitatur, qui ei manus execrationis imponat, et se tante faciat presumptionis et auctorem impietatis. Verum memorati I. et G. cecitatis tenebris obvoluti, quoniam scriptum est „Peccator cum venerit in profundum viciorum contempnet“, nec sic a sua presumptione dampnabili resipiscunt; sed eundem Octovianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur, et eum relicta unitate ecclesie presumunt usque adhuc tamquam idolum aut simulachrum adorare. Ipse autem antichristi tempora prefigurans, usque adeo erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit tamquam sit*[a] *Deus ostendens se, et multi abhominationem desolationis stantem in loco sancto non sine multa lacrimarum effusione corporeis occulis inspexerunt. Sane nos infirmitatem nostram et virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Domino cogitatum iactamus, sperantes et de Christi misericordia plenius confidentes, quod ecclesiam suam sanctam, pro qua ipse idem in substantia nostre mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, oblata faciet tranquillitate letari, et procellarum omnium inundatione sedata nichil erit quod ei iam possit obsistere, ubi unicus sponsus eius voluerit nubilosa queque et noxia propulsare. Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum*[b] *qualitate diffidimus et de honestate ac religione vestra plenam fiduciam obtinemus, vestris et universalis ecclesie precibus infirmitatem nostram petimus adiuvari, caritatem vestram per apostolica scripta rogantes et commonentes attentius, ut sicut viri catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, et in devotione ac fidelitate matris vestre sacrosancte Romane ecclesie immobiliter persistentes, ab eius unitate nullatenus recedatis. Quod si prefatus vir impietatis ad partes vestras aliqua dampnationis sue scripta transmiserit, ea sicuti respuenda sunt respuatis, et tamquam vana atque sacrilega contempnere et abicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quod nos in die consecrationis nostre ipsi Octoviano et iam dictis fauctoribus eius terminum indulsimus infra octo dies ad sinum et unitatem matris ecclesie redeundi; quod si adimplere distulerint, ex tunc tam eos quam omnes complices et coadiutores ipsorum auctoritate beati Petri ac nostra non differemus vinculo excommunicationis astringere, et eos a Christi corpore, quod est ecclesia, sequestrare. Data Terracine 6. Kal. Octobris 1159.*[59]

a) sid 1. b) merito 1.

58) i. e. corona. 59) Quae bulla in insula Liguriae quadam remansit, neque eo tempore Ianuam pervenit, ut ex alia epistola Alexandri discimus data die 9. Kal. Madii a. 1159. in libro iurium I. 205. Re ipsa tamen elucet hunc annum in sequentem vertendum esse. W.

1160. In quadragesimo anno consulatuum unius anni fuerunt consules de comuni quatuor, videlicet Rogeronus de Ita, Lamfrancus de Alberico, Enricus Guercius, Ansaldus Aurie; et de placitis octo, quatuor in quatuor compagnis versus palazolum, Wilhelmus Cavaruncus, Anselmus de Caffara, Nuvolonus et Otobonus fratres. Alii vero quatuor versus burgum placitabant, scilicet Obertus cancellarius et Amicus Grillus, Obertus Recalcatus, Nicola Roza.

Quoniam recordari preterita, meditari presentia, previdere futura[a] bonum et utile esse videtur, ideoque preteritorum presentium et futurorum Ianuensium consulum nomina et eorum facta, et que in Ianuensi civitate singulis annis acciderunt, Caffarus cum in etate viginti annorum erat, scribere et notificare incepit, et sicuti in hoc libro scriptum est, usque in hodiernum diem composuit et notavit, et deinceps in antea donec vixerit Deo concedente illud idem se facturum promisit. Quapropter sicuti suprascripti consules rem publicam Ianuensem in hoc anno tractaverunt, in quo anno numerus octuaginta annorum etatis Caffari incipitur et computatur, per presentem scripturam eius veritas cognoscatur. Notum ergo omnibus audientibus fiat, quod predicti consules nongentarum librarum valens pro debito aliorum consulum totum solverunt, ita tamen quod a servitute predicti debiti rem publicam liberaverunt. Adhuc vero labore turrium muri civitatis 300 librarum numerum compleverunt, et castrum Vultablii ab honere pignoris 100 librarum solutum de manibus feneratoris extraxerunt, et in comuni guardia et in ordinatione venturorum consulum dimiserunt. Insuper autem murum burgi Portus Veneris hedificare fecerunt, et legatos plures, Enricum Guercium consulem ad imperatorem Constantinopolitanum, et Obertum Spinulam ad Lupum regem Ispanie pro comuni utilitate miserunt. Preterea namque cives qui gravissime ad invicem inimicabantur ita constrinxerunt, quod in toto eorum consulatu prelium vel impetum facere ausi non fuerunt. Consules vero de melioribus civitatis eligere fecerunt. 1160.

1161. In quadragesimo primo anno consulatuum unius anni fuerunt consules de comuni quinque, videlicet Rodoanus Guilielmi Mauroni filius, Philippus de Lamberto, marchio Ingonis filius de Volta, Wilhelmus Cigala, Obertus Spinula. Causarum vero consulum fuerunt octo, quatuor scilicet in quatuor compagnis, et alii quatuor in aliis; quatuor versus palazolum Wilhelmus Buferius, et Lanbertus Philippi filius, Ginotus Zurlus, Guido Laudensis; versus autem burgum Amicus de Murta, Lanbertus Grillus, Nicola Roza, Ansaldus Golia.

Cum in diversis temporibus multa prospera et adversa in orbe sepe accidant universo, hoc quidem in anno multa maiora et forciora quam evenire solent, in regno evenerunt Italico. At quia multum longum et gravissimum esset totum quod in regno accidit narrare per singula, oportet ergo, quomodo predicti consules rem publicam suo tempore tractaverunt et civitatem in sesta tenuerunt, ut per memoriam Caffari, ceterarum rerum relicta matheria, ad presens prius sine intervallo scribatur. Predicti namque consules in initio eorum consulatus multum de regimine civitatis cogitando, quod melius et utilius esse videtur, de pace scilicet et concordia civitatis, intus et de foris tractare et laborare ceperunt. Discordes enim qui in civitate erant, capillationes et rixas solitas ne facerent vel inciperent, consules ad presens iurare fecerunt. Ceteros vero qui contra preceptum eorum arma levaverant et assaltum alicui de compagna fecerant, turres et domos eorum destruendo et peccuniam, prout sacramento tenebantur, auferendo, vellent aut nollent per sacramentum quiescere adstrinxerunt. Preterea unum de sociis, Obertum Spinulam scilicet prudentem et sapientem virum, cum galeis quinque pro guardia navium per Corsicam et
60 Sardineam usque Deniam[60] mandaverunt. Unde Sarraceni territi et timore commoti, galeas armare dimiserunt, vela et remos in custodia posuerunt. Quare naves Ianuensium euntes et redeuntes, iter quod inceperant tranquillo cursu omnes incolumes perfecerunt. At quidem donec galee Ianuensium in partibus Denie morabantur, Lupus rex Ispanie de pace et concordia Ianuensium in voluntate consulis sine ulla fraude stare mandavit. Consul vero postquam regis legationem tante humilitatis tanteque patientie esse audivit, accepto consilio a consulibus causarum, a Lamberto scilicet Philippi filio et Ansaldo Golia qui secum erant, et a comitis galearum, hoc est decem milia marabotinos ad presens dare et comercium totius regni sui Ianuensium mercatoribus dimittere, hoc modo pacem sibi et suis dare promisit et mandavit. Rex autem audita legatione consulis, leto animo totum quod consul

a) *vox deest* 1.

60) Denia in regno Valenciae sita.

mandavit procul dubio se facturum promisit; unde rex sine mora litteras suas Ianuam misit, precando ut legatum ad eum mitterent, qui marabotinos reciperet et securitatem pacis, uti promissum erat, faceret et reciperet. Consules vero visis litteris et auditis precibus regis, Wilhelmum Caxizum Ingonis de Volta filium, sapientem et inclitum virum, legatum ad regem miserunt, qui marabotinos acciperet et pacis securitatem dimisso comercio tocius regis terre reciperet et firmaret. Insuper quoque legatum alium Otonem Bonum Nuvoloni fratrem, nobilem et sapientem virum, ad regem Moadimorum mandaverunt, qui per omnes terras eorum Moadimorum cum magno honore receptus fuit, et ad regem apud Morochum perrexit, et honorifice multum ab eo receptus fuit; et pacem usque ad quindecim annos cunctis Ianuensibus rex hoc modo firmavit, ut per omnes terras Moadimorum et posse ipsorum secure Ianuenses cum omnibus rebus suis mari et terra debeant ire, et in aliqua terra ipsorum nisi de centum octo nullam debeant dare condicionem, excepto Buzeae ubi decimum debent, quia quintum ipsius decimi debet reverti ad comune Ianue. Adhuc autem legatum alium nobilem et consularem virum, Ansaldum scilicet Spinulam, ad orientales partes id est civitatem sanctam Ierusalem cum legato Romane curie, Iohanne videlicet presbitero cardinali sanctorum Iohannis et Pauli, pro petenda iusticia Ianuensium direxerunt. Preterea castra videlicet Vultablii, Flaconis, Palodii, Rivarolii et Portusveneris, que extra civitatem de veteri opere erant edificata, talis fortitudinis tanteque pulcritudinis novum opus desuper et circa consules edificare fecerunt, quod intuitu transeuntium inde ceteras cordis opiniones pro pulchritudine novi operis ab eis removeat. Unde enim non solum amicis copia est leticie, verum etiam inimicis inmensam formidinem fortitudo novi operis tribuit audientibus. 1161.

De cetero vero quomodo domnus Alexander papa a Ianuensi archiepiscopo clero et consulibus et omni populo fuit receptus, scribere Caffarus oblivioni non tradidit. Cognoscat ergo universitas populorum, quod archiepiscopus una cum clero et consulibus atque universo populo virorum et mulierum seniorum iuvenum ac puerorum, magnifice et honorifice cum universis laudibus et preconiis campanis etiam in civitate ubique pulsantibus, predictum apostolicum Deum laudando et nomen eius exaltando suscepit, sicut in libro psalmorum legitur: *Iuvenes et virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Ps. 148, 12. Vere nomen Domini in illa die exaltatum fuit, quando Ianuenses vice Domini apostolicum Alexandrum receperunt, sicut ipse Dominus in euangelio dicit: *Qui vos recipit, me recipit;* et alibi: *Ospes fui, et collegistis me.* Matth. 10,40. 25, 35. Tunc enim ipsum dominum Iesum Christum collegerunt, quando vice eius palatia et hospitia honestissima atque inmensa stipendia domno[a] apostolico suisque episcopis et cardinalibus sufficienter cum amore magno et tripudio impenderunt. Cum vero tanti[b] honoris et beneficii ipse domnus papa memor fuisset, quomodo Ianuensis civitatis ecclesiam exaltare posset, cum predictis consulibus tractare inde incepit. Sed quia pro brevitate temporis eorum consulatus ipsi consules incepta complere non potuerunt, novis consulibus peragenda dimiserunt. Quod vero novi consules de hac re et de omni augmentatione rei publice suo tempore fecerint, Caffarus, si vixerit, cum tempus fuerit Deo concedente scribere non tardabit. 1161.

In quadragesimo secundo anno consulatuum unius anni fuerunt consules quinque de comuni, Wilhelmus Boironus, Ingo de Volta, Nebolonus, Rubaldus Besaza, Grimaldus. 1162. Causarum vero fuerunt octo, quatuor in quatuor compagnis, et alii quatuor in aliis quatuor compagnis placitabant; versus palazolum Boiamundus de Odone, Bonusvasallus de Lamberto Medico, Wilhelmus Capdorgius, Wilhelmus Cavarruncus; versus burgum Ido Pizo, Wilhelmus Dauria[c], Obertus Recalcatus, Gontardus Rufus.

Quoniam ea, que a tempore captionis Cesarie usque nunc cis mare et citra per Ianuenses et plures alios gesta sunt, in unoquoque anno Caffarus scribendo notificavit, ideo competens est ut ea que in hoc anno a domino Frederico Romanorum imperatore et semper ac vere augusto per Liguriam et in civitate Ianuensi et extra per Ianuenses patrata sunt, idem Caffarus scribere non dimittat. Omnibus quoque presentibus et futuris notum fiat, quod domnus Fredericus Romanorum imperator et semper augustus prae cunctis cesaribus intendens ad redintegrationem imperii, sub iugo triumphationis sue universorum colla subiciens, preesse meruit singulis et dominari[d] cunctorum. Ipse enim per tres annos obsidendo Mediolanenses fame et bello ita constrinxerat, quod se amplius retinere non

a) domino 1. b) tam 1. c) W. dauria 1. d) dominarum 1.

1162. poterant; hoc anno in Calendis Martii ad pedes domini imperatoris inermes venerunt, et personas et civitatem et mobile et immobile quod habebant, sine ullo tenore in potestate imperatoris posuerunt. Flexis tamen genibus et multis lacrimis necis indulgentiam petere non cessabant. Imperator vero a domina Beatrice imperatrice augusta et principibus curie sue accepto consilio, vitam et mobile quod habebant concedendo, capitalem sententiam, quam iure meruerant, pietate comotus eis pepercit. Ac deinde civitatem omnino destruere fecit, et extra civitatem longe per miliaria duo, in quatuor burgis eis stare precepit; ita tamen ut unusquisque de burgis per duorum miliariorum spatium ab aliis disiunctis edificaretur. Sicque factum est. Unde omnes civitates et loci Lombardie et maritimarum partium usque Romam nimio timore commoti, in omnibus imperatori obedientes fuerunt. Veruntamen Ianuenses ad curiam vocati venire, de consulibus et melioribus civitatis Wilhelmum Buironum et Grimaldum consules, Wilhelmum Ventum, marchionem de Volta, Henricum[a] Aurie, Ogerium[b] Guidonis, Obertum Spinulam, Philippum de Iusta, Bonumvassallum Bulfericum, Papiam ubi tunc imperator curtem tenebat sine mora miserunt, qui honorifice recepti fuerunt. Ilico vero principes curie legatis Ianuensium, ut fidelitatem et quicquid alie civitates et loca fecerant et faciebant, ex parte imperatoris ad presens facere suadebant. Legati autem in omnibus preceptis imperatoris obedire semper paratos fuisse vel esse, sine fraude dixerunt. At tamen sicuti Ianuenses ultra civitates alias et locos Italie magis prevalent servire imperio, ita servicii talionem ultra ceteros habere imperialem excellentiam humiliter implorabant. Postquam vero responsionem legatorum imperator audivit, multum sibi placuit, et sue bone voluntatis et gratie litteras, quas consulibus et cuncto Ianuensi populo defferrent, eis dari precepit; per quas scilicet litteras vel legatos mandavit, ut visis litteris infra octo dies de consulibus et melioribus civitatis sex vel octo sine dilatione ad eum venirent, cum quibus de servitio imperii et retributione servitii competenter tractaret. Proinde duos de consulibus, Ingonem videlicet de Volta et Nubolonem consules, et quinque de melioribus civitatis, Lamfrancum Piper scilicet, Bertramum de Marino, Idonem Gontardum, Bonumvassallum Bulfericum[c], Rogeronem[d], atque Iohannem scribam comunis fidelem et magne legalitatis virum, cuius fidei singulis annis totius rei publice scriptura comittitur, reliqui consules cum comuni consilio civitatis predictos legatos ad imperatorem miserunt. Qui omnes ad curiam venientes, honorifice recepti fuerunt, ibique domino Rainaldo sancte Coloniensis ecclesie electo et regni Italici archicancellario et imperatorie maiestatis reverendo legato, cuius enim sensus et fama Ciceronis per singula secuntur vestigia, cum aliis principibus curie per plures dies multa tractando ad presens fidelitatem imperatori iuraverunt, et determinatum serviciuin, sicut in privilegiis scriptum habetur, facere promiserunt. Quapropter imperator Ianuensibus cuncta regalia civitatis et possessiones quas tenebant et multa alia concedendo per privi-
61. legium aureo sigillo signatum in perpetuum confirmavit[61].

De imperatore vero interea conticentes, quomodo dominus Alexander papa tempore istorum consulum Ianuensem ecclesiam sublimavit, Caffarus scribendo notificet. Noverit ergo presens generatio et futura, quod praedictus dominus Alexander papa venerabilis Ianuensem ecclesiam, sicut scriptum est in privilegio ab eo eidem ecclesie concesso, multifarie multisque modis studuit sublimare. Preterea quomodo Ianuenses infra civitatem et extra in hoc anno se habuerunt, Caffarus scribere non dimittat. Notum ergo omnibus audientibus fiat, quod Ianuenses tempore istorum consulum Pisanos multos et peccuniam inmensam in partibus illorum cum galeis ceperunt, et partem eorum de melioribus interfecerunt, et partem cum peccunia Ianuam in captionem duxerunt. Quorum vero culpa et qua ratione hoc fecissent, necesse est ut per narrationem Caffari veritas cognoscatur. Verum namque est, quod Ianuenses et Pisani quondam pacem firmaverant[e], et personas et peccuniam salvare et de iusticiis eorum pars parti auxilium dare ubique sacramento tenebantur, preter in Sardinea quam Ianuenses de sacramento extraxerunt, ita quidem ut in quocumque tempore ipsi Ianuenses pro Sardinia guerram vellent facere Pisanis, soluti essent a vinculo sacramenti. Quod ideo fecerunt, quia Pisani eam comunem cum

a) Henricus 1. b) Ogerius 1. c) Bufferium *charta Friderici vocat.* d) Rogeronite 1. Rogeronem de Castra *charta Friderici vocat.* e) scilicet M°C°L° *in margine alia manu* 1.

61) Chartas ipsas consule: v. Monumenta Patriae, liber iurium reip. Genuensis T. I. pag. 207 sqq. datum Papiae 9. Idus Iunii et 5. Idus Iunii pag. 210 sqq.

Ianuensibus habere noluerunt, et hoc modo per longum tempus usque nunc pacem ad 1162. invicem tenuerunt; praeter quod Pisani, quando in extraneis regionibus in simul cum Ianuensibus erant, cavillationem verborum, sicuti mos illorum est, facere non cessabant; unde diabolus humani generis inimicus inter Ianuenses et Pisanos, sicut presens scriptura subsequenter narrabit, his temporibus fomitem seminavit discordie. Huius namque discordie initium Pisanorum fuit. Tempore enim isto Pisani numero 1000 qui in Constantinopolitana civitate erant, supra paucos Ianuenses fere 300 negotiatores qui illic erant, pacis federe dirupto, causa depredandi eos et occidendi armata manu venerunt. Ianuenses vero postquam a Pisanis iniuste se impetitos esse viderunt, ad deffensionem personarum et rerum suarum ilico armati surrexerunt, et tota die contra Pisanos viriliter bellum tenuerunt. Sero autem veniente videntes se Ianuenses superare non posse, dixerunt: *Dimittamus quod facimus, et deinceps sub vera fide ex utraque parte nullo modo hoc facere permittamus.* Et hoc facto utreque partes bellare dimiserunt. At tamen summo mane Pisani collecta maxima multitudine virorum Veneticorum, Grecorum et aliorum iniquorum Constantinopoli comorantium, armata manu causa depredandi ad fundicum Ianuensium venerunt. Ianuenses vero tante multitudini arbitrantes se non posse resistere, hospicia et peccuniam dimiserunt, et cum solis personis recesserunt. Pisani autem invadentes eorum fundicum, peccuniam quam ibi invenerunt valentem scilicet triginta milia perperorum ceperunt, et iuvenem quendam de nobilioribus Ianuensium, videlicet Otonis Ruffi filium, vivum ceperunt et interfecerunt. Quapropter predicti Ianuenses depredati Ianuam festinanter perrexerunt, et ceteris qui in civitate erant omnia quae sibi evenerant per ordinem narraverunt. Unde tante iniurie tanteque intolerabilis superbie vicinis et consanguineis eorum illate nimio dolore comoti, galeas continuo armare, et sursum cum armis et cibo et remis sicut sicientes ad aquam unanimiter ascendere ceperunt. Et ita in uno die sine iussione consulum duodecim galeas armaverunt. Consules vero ne galee a civitate recederent donec litteras diffidentie Pisas mitterent preceperunt, et sine mora currerium quendam cum litteris Pisanos diffidendo Pisas miserunt. Quarum litterarum hic tenorem describimus:

*Pisanorum consulibus et eorum populo Ianuensium consules. Impulsi diu et circumquaque agitati a vobis per universa latera mundi, nec invenientes alicubi requiem ubi habeatis vigorem, priusquam ignominiose iniurie, intolerabilia dampna, crudelissime cedes et nefarie obtruncationes non quorumlibet sed nostrorum nobilium, et ex his vocifere imprecationes quibus nos incessanter impetitis sicut perfidos inimicos, sufficere vobis non possunt, expulsionem Sardinie, quam de manibus Sarracenorum nostra civitas liberavit, et criptarum nostrarum invasionem, quas summa violentia detinetis, ultra non ferimus. Condicionem itaque inite pacis absolvimus, qui rupti federis vinculo non tenemur. Diffidentiam itaque non inmerito vobis indicimus.*

Latore[a] autem revertente et nullius utilitatis et concordie responsionem reportante, consules itaque praedictarum galearum hominibus, ut ad tantam nequiciam et superbiam vindicandam velociter properent, preceperunt. Cui precepto homines ipsarum galearum obedientes, ad Pisanorum nequiciam et contumatiam feriendam alacri animo perrexerunt. Quarum galearum duodecim ad portum Pisanum iverunt, et Pisane urbis viris ac mulieribus intuentibus turrem de portu destruxerunt, et plurimas naves cum hominibus et peccunia magna ceperunt, et homines quidem ac peccuniam Ianuam miserunt sed naves combustas dimiserunt; ac deinde ipse galee ad Portumvenerem redierunt, ibique pro gardia steterunt, ut si forte Pisanorum galee de Arno exirent, sequerentur eas cum aliis que de Ianua venirent. Alie vero quatuor que per Corsicam et Sardineam Pisanos querendo iverunt, et multas Pisanorum naves et sagitteas et galeam unam quae veniebat de Sardinea pro legatione et pro gardia navium suarum, et consulem unum Bonacursum nomine in galea magnam peccuniam secum defferentem ceperunt. De hominibus autem earumdem navium et galee Oto Rufus pro ultione interempti filii sui ipse et sodales eius plures de melioribus interfecerunt, et multos alios cum predicto consule totaque peccunia Ianuam in captione portaverunt. Pisani vero cum huius rei veritatem cognoverunt, mortuos suos plorando et de peccunia amissa dolendo, pro deffensione navium suarum que de foris veniebant galeas et sagitteas armare ceperunt. Interim autem accidit, ut cancellarius imperatoris Pisas veniret; ad cuius nimirum pedes statim Pisani venerunt,

a) Latorem 1.

1162. precando multum ut consulem et alios captos a Ianuensibus peteret et de captione extraheret. Archicancellarius vero pietate comotus, capellanum suum domnum Sicardum, virum quidem omni virtuositate preclarum, Ianuam misit rogando Ianuenses ut pro amore Dei et suo Pisanos captos sibi donarent. Et precepit ut deinceps ab offensione Pisanorum cessarent, donec offensione preterita utrarumque parcium facta preceptum imperatoris audirent. Ianuenses autem audita prece et precepto archicancellarii, totum quod pecierat et preceperat procul dubio implevere. Galeas namque et sagitteas quas pro offensione Pisanorum armaverant, armare dimiserunt, et consulem ceterosque captos Pisanos capellano dederunt, precando multum ut preceptum quod eis de offensione Pisanorum fecerat, illud idem Pisanis facere non dimitteret.

At postquam archicancellarius Ianuenses sibi obedientes in tantum fore cognovit, amorem suum et beneficium eis inde multum promisit; et preceptum quod eisdem de offensione Pisanorum fecerat, illud idem ad presens Pisanis precipere non dimisit. Quapropter Pisani de liberatione suorum letando, archicancellarii preceptum fideliter observare promiserunt. At tamen ipsi paulo post triginta et sex inter galeas et sagitteas fraudulenter quasi pro guardia suarum navium versus Sardineam miserunt, duasque naves Ianuensium secure redeuntes apud Planusam ceperunt. Quo audito, duodecim galeae que in Portuveneri erant, sine mora Pisanorum galeis obviam iverunt, et eas redeuntes invenerunt, et tota die iuxta eas tam prope contra eas sepe tendendo et recedendo steterunt, quod multos Pisanos sagittando vulneraverunt, per multas vices eas provocando ut duodecim per duodecim ab aliis separate ad bellum venirent; quod Pisani trepidantes facere noluerunt. Omnes autem triginta sex galee Pisanorum contra Ianuenses simul concurrentes, ut eas caperent festinabant. Ianuenses vero veloces uti falcones terga volventes, ab eis sepe velociter recedebant atque veloci cursu multis vicibus cum vexillis armata manu contra eos redire non cessabant, et ita eos per diem deludendo, sero veniente illos dimiserunt, et per Planosam quam destruxerant, et per Corsicam et Sardineam venientes, multas naves Pisanorum et galiatos cum peccunia magna et hominibus multis ceperunt; et per portum Pisanum redeuntes et ad Portumvenerem incolumes redierunt; statimque consulibus Ianuensium que evenerant mandaverunt. Consules[a] autem tanta Pisanorum proditione commoti, galeas et sagitteas et naves multas armare ceperunt, et contione facta cuncto populo Ianuensium sub debito sacramenti laudaverunt, ut cibum et arma et omnia que ad bellum sunt necessaria cito habere[b] festinarent, et ut ad portum Pisanum cum magno storo maris, ut tante proditionis Pisanorum vindictam caperent, ire preceperunt. Unde omnes qui contione erant, alacri animo una voce dixerunt: *Fiat, fiat.* Interim vero cum iam omnia parata essent, archicancellarius imperatoris Ianuam venit, et de hoc quod evenerat multum se mestum ostendit. At tamen ipse omnia que cepta erant remanere praecepit, donec que facta fuerant imperatori notificarentur; et ut octo de Ianuensibus et octo de Pisanis ad imperatorem apud Taurinum irent precepit, ut preceptum imperatoris audirent et observarent. Ianuenses vero ad presens curiam perrexerunt, scilicet Grimaldus consul, Capud Orgogii, Lanfrancus Piper, Corsus, Obertus cancellarius, Symon Aurie, Baldizonus Ususmaris, Bigotus, Guido Laudensis et Oto Mediolanensis. Pisanorum autem Enricus consul, Petrus consul, Marzocus, Gerardus Gausfredi, Rainerius Gaitanus. Isti omnes venerunt ad eum ad curiam quam in Taurinensi civitate constituerat celebrari. Ianuenses consulti et preparati respondere Pisanis, qui secundum garrulitatem suam super Ianuensibus conquesturi erant, fueruntque ad curiam quattuor aut quinque diebus antequam Pisani accessissent ad eam, conquisiveruntque interea in tantum universorum principum gratiam, ut postmodo venientes Pisani contra eos non sunt ausi quicquam mutire; immo etiam quod die celebri qua dominus imperator cum Beatrice augusta imperatrice voluit coronari, et vere Beatrix, quia sua benignitate imperium totum facit beatum, dum ad basilicam sicut et Ianuenses ipsi Pisani convenissent, impulsi sunt ipsi Pisani et eiecti ignominiose de choro ecclesie, Ianuensibus in sublimi constitutis, ut per totam aecclesiam et circa imperatorem et imperatricem eis esset liber aspectus. Acciderat autem antea ut Raimundus Benengarius Barchinonensis comes, qui ad curiam accedebat[c], obierit aput burgum sancti Dalmatii die octava Augusti; quo cum imperator decurreret, Grimaldum consulem et Symonem Auriae et Caputorgogii secum conduxit. Unde quum esset reversus imperator,

a) Consul 1. b) haberent f. 1. c) accedabat 1.

omnibus suprascriptis Ianuensibus et Pisanis precepit, ut nullo modo proclamationes facerent usque ad redditum suum, quia Teotonicas partes ire paratus erat, et pro festinatione itineris ad diffiniendas querimonias morari non poterant. Ideoque predictos Ianuenses et Pisanos treguam firmam usque ad adventum suum iurare fecit; et in eodem sacramento ponere fecit, ut prefatum sacramentum tregue infra tres dies postquam Ianuam et Pisas venissent, sine fraude iurare fecissent 200 Ianuensibus et 200 Pisanis; et ita, postquam venerunt, omnia completa fuerunt. 1162.

Ista namque et alia multa Ianuenses in hoc anno extra civitatem et infra pro honore patrie more solito Romanorum sapienter et viriliter, prout decuit, peregerunt. In civitate enim predicti consules cives ita concordes stare fecerunt, quod de mortali guerra que erat inter Picamilios et Oberti quondam Ususmaris filios, ad firmam pacem et concordiam sub sacramento pacifice quiescere fecerunt. Insuper vero pro utilitate rei publice multas mansiones, que in ripa maris a fossato Buccebovis usque ad fossatum aecclesie sancti Sepulchri, emerunt et destruxerunt, et super eam terram pro commodo navium scarios ordinare et statuere fecerunt[62], et desuper directam et novam viam et pontem super fossatum sancti 62
Sepulchri fecerunt. Et in fine eorum consulatus sex consules de communi et quatuor de placitis eligere fecerunt, quibus peccuniam rei publice quam habuerant, sicuti recolligerant et dispendiderant, in scripto per ordinem dimiserunt. 1162.

In quadragesimo tertio anno consulatuum unius anni fuerunt consules sex, Rogeronus 1163.
Ite, Wilhelmus Caxicius, Wilhelmus Ventus, Amicus Grillus, Obertus Spinola, Lanfrancus Piper; de placitis vero quattuor, scilicet Corsus Serra[a], Otobonus frater Nuvolonis, Obertus cancellarius, Ugo de Baldizone, qui placitabant omnes homines tocius civitatis.

Omnes homines qui communium rerum civitatum atque locorum potestatem et dominium habent, et de dubiis rebus eorum consultant, ab odio et amore vacuos esse decet, quia sicuti quidam sapiens dixit: *Ubi intenderis, ingenium valet; si libido possidet, ea dominator et animus nichil valet.* Ideoque consules civitatum et locorum a predictis duobus, scilicet ab odio et amore, remotos esse oportet, ne cupido odii et amoris illos faciat claudicare a semita veritatis amoris odio et amore, at semper eos iuste doceat iudicare. Unde in veritate dici potest, quod fama Ianuensium consulum in augmentatione rei publice civitatis Ianue et in sententiis dandis sine venali auditu, cunctis suis vicinis civitatum et locorum usque modo eminet universis. Quapropter quomodo predicti consules communium et causarum rem publicam Ianuensem et placitare tractavere in hoc anno, necesse est ut Caffarus solito more notificare non pigritetur. Omnibus igitur pateat audientibus, quod prenominati consules rem publicam Ianuensem augmentando, et furium et latronum atque omnium culparum vindictas faciendo, et rixas et decavillationes in civitate et extra per totum districtum eorum precipiendo ne fierent, ita quidem civitatis regimen cum pace et concordia civium usque in finem eorum consulatus honeste et firmiter tenuerunt. Fures enim et latrones, qui condam per plures annos in civitate latuerant et inmensam peccuniam de voltis divitum furtiva manu sepe et sepe extraxerant, illos namque postquam invenerunt, uti parricidas pedibus et manibus ligaverunt, atque super eorum colla pondere petrarum imposito in mare demergere moriendo fecerunt. Quapropter fures et latrones et rixarum atque cavillationum inceptores delictum solitum formidine predicte pene per totum istum consulatum facere dimiserunt. Preterea in fine eorum consulatus introitum et exitum rei publice totum, quomodo et unde receperant sicuti et ubi distribuerant, in contione facta palatii coram omnibus per ordinem in scriptis aperte et lucide ostenderunt; cuius enim peccunie de predicto introitu et exitu librarum miliaria sex et centenaria octo et dimidium fuerunt, sicuti superius determinatum et scriptum est, atque in communi registro scriptum electis consulibus in custodia posuerunt.

Quid autem de causarum consulibus dicerem, qui per totum superius tempus equitati et iustitie laudabiliter nimis inservierunt? De cetero enim cum Syrus bone memorie et laudabilis vite Ianuensis archiepiscopus prior, ultima die Septembris debitum nature solvisset, de terris ad celum, de imis vocante Domino ad celestia gaudia perrexit, ibique predecessoris sui alterius Syri Ianuensis sanctissimi episcopi atque aliorum multorum sanctorum contuberniis feliciter sociari meruit. Eadem vero die statim post humanationem

a) serra *corr. alia manu* serre 1.

62) Charta approbationis a communi Ianuae facta adest in libro iurium I, 215, d. 4. Kal. Febr. 1163. W.

1163. ipsius convenerunt clerici et religiosi viri, consules quoque et pars magna senatus, et de eligendo pontifice tractatum habentes in unum spiritum convenerunt. Comissa est itaque assensu omnium ipsa electio abbatibus Sancti Benigni, Sancti Syri, Sancti Stephani, prepositis Sancte Marie de Vineis, Sancti Donati, presbiteris Iohanni de Sancto Damiano, Vassallo Sancte Marie de Castro, Oberto de Sancto Ambrosio, cannonicis quoque presbitero Ribaldo, magistro Anselmo, et Dodoni subdiacono, qui omnes de electione ipsa in hunc modum iuraverunt: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Ego cum sociis michi ad hoc assignatis absque omni fraude et dolo, nichilum obstante vel persuadente amore vel odio, timore aut servicio ullo, eligam in archiepiscopum civitatis huius illam personam, quam moribus et scientia ad hoc convenientiorem et honestiorem et utiliorem cognoscam, vel sine fraude credam, ita tamen quod nostre huiusmodi electioni publice annuerit.* Quo iuramento prestito convenerunt iusta altare beati Laurentii nominati electores, et prius in cannonicos inspicientes eiusdem aecclesiae elegerunt in archiepiscopum dominum Ugonem, qui tunc archidiaconus erat; qui eadem die a clero et populo in sede pontificali est feliciter constitutus. 1163.

---

1147. Patet[a] fere universo orbi[b], quoniam olim per multa tempora christiani a Sarracenis Almarie longe lateque mari et terra per multas regiones capiebantur, alii interficiebantur, et multi in carcere ponebantur et diversis martiriis et penis cruciebantur; de quibus multi legem Dei pro timore cruciatus relinquebant et nomen diabolicum Machometi invocabant. Quapropter tandem tanti sanguinis effusionis vindictam inde Deus facere non dimisit. Ianuenses namque per apostolicam[c] sedem a Deo moniti et vocati, exercitum supra Sarracenos Almarie iurare fecerunt[d], et parlamentum, in quo consules sex pro communi de melioribus, et quattuor de placitis civitatis electi fuerunt, quorum sensu et ducatu[e] civitas et exercitus eo tempore regeretur; quibus tanta erat gratia morum decoris lingue eloquentie, quod eorum sensu et ducatu tocius regni posset regi patria; nomina quorum Obertus Turris, Philippus de Platealonga, Baldoinus, Antonius de Auria, isti quattuor cum duobus de placitis, Ingone scilicet et Ansaldo Pizo, iverunt ad conducendam ostem. Oglerius de Guidone et Wilhelmus Picamilium cum Oberto cancellario, Ugone Iudicis de placitis, pro regimine civitatis steterunt. Predicti vero consules post eorum electionem parlamentum statim fecerunt, in quo omnibus discordantibus pacem iurare preceperunt. Ilico sancto Spiritu superveniente, omnes qui guerram habebant in voluntatem consulum et archiepiscopi pacem firmaverunt, et ad invicem osculati fuerunt, unde mulieres et viri valde letabantur, ita ut stipendium exercitus consules acciperent, unanimiter ortabantur. Consules vero amonitione Dei audita et populi voluntate cognita, omnibus hominibus Ianuensis districti sub debito sacramento preceperunt, ut unusquisque que in oste sunt necessaria festinanter haberet: cibum multum, competens sine penuria, arma multa, et onesta tentoria, et vexilla pulcra et honesta valde, et omnia que ad tale opus sunt necessaria, uti castella et machina et omne opus instrumentorum capiendi civitatem. Postquam enim bellatores civitatis precepta consulum audierunt, ita se de armis et tentoriis et de omnibus rebus necessariis ornaverunt, quod a mille annis in sursum tam pulcra et honesta et tanta in una oste visa nec audita fuerunt. Postquam vero ut diximus omnia parata fuerunt, taliter ire inceperunt cum galeis 63 et cum aliis navibus 163, et sic omnia parata et iter inceptum infra quinque menses fuit. Et postquam ad Portum Magnum venerunt, Baldoinus consul inde cum galeis 15 ivit pro guardia in antea ad Almariam, donec exercitus insimul veniret.
63 Et postquam venit ad Caput Cate, Ianuenses non invenientes imperatorem[63] per mensem ibi steterunt cum timore magno, quoniam extra portum erant, et miserunt legatum Otonem de Bonovillano ad imperatorem[f], qui erat aput Bagentiam, et dederat licenciam recedendi exercitu suo, et non habebat secum ultra quadringentos milites et pedites mille. Et cum audivit quod stolus Ianuensis venerat, fuit mestus de hoc quod licenciam militibus dederat, et venire dixit, sed moram fecit. Interim vero Saraceni Almariae, letantes et sepe extra

a) *hic in margine manu saeculi XIII. exeuntis legitur:* Hic incipit ystoria captionis almarie et turtuose. que capta fuit anno Domini MCXXXXVII. b) orbe *corr.* orbi 1. c) *in margine manu saeculi XIII. exeuntis:* Eugenium III. papam natum pisanum. d) *in margine manu saeculi XIII. exeuntis:* MCXXXXVII. ut notatur supra. folio VIIII. tempore consulatus XXVII? e) s. oducatu 1. f) hispanie *glossa saec. XIII.*

63) De foedere cum Ildefonso contra Almeriae Sarracenos inito v. s. not. 43. W.

civitatem exeuntes pro bello incitando cum galeis 15, tunc Baldoinus consul qui cum galeis 1147 erat in guardia, mandavit ad socios, scilicet Oberto Turri et Phylippo et Ansaldo de Auria, ut venirent ad bellum faciendum Almarie: quod non placuit sociis, donec milites haberent. Interim comes Barchilonensis[a] cum tanto navigio venit, quod duxit secum milites cum equitibus 53. Ilico mandaverunt Baldoino, ut ipse summo mane cum galeis veniret ad muschetam, ostendendo quod vellet facere bellum, ad hoc ut Sarraceni extra exirent, quia comes cum militibus summo mane erit ad flumen per terram et galee quindecim post Lenam, et galea una stabit in capite Lene; et postquam Sarraceni exierunt extra ad bellandum, illico galea faciat signum militibus et galeis 25; et ita factum est. Sarraceni postquam viderunt quindecim galearum homines terram ascendentes et quasi bellum facere volentes, timuerunt ne aliquid clam lateret. Ideo miserunt duos milites unum album et alium nigrum, qui tumulum quendam ascendentes et circa prospicientes, et non videntes milites qui latebant, fecerunt signum cum vexillis, ut Sarraceni de civitate exirent et ad bella venirent: statim milia quadraginta armati extra venierunt, et cum hominibus quindecim galearum bellum inceperunt, et sic Ianuenses galeas ascendentes, octo de suis interfecti fuerunt et tenuerunt. Interim Ansaldus de Auria consul cum galea una de guardia fecit signum, quamvis non tempestive. Galee vero 25 et milites una motum fecerunt, et iste galee invenientes alias, recolligentes steterunt secum, et infra hoc consules Ubertus Turris et Phylippus qui erant ad Caput Cate, moti cum toto stolo, et isti consules cum duodecim galeis in antea pergentes per mare, et milites per terram, et iste duodecim galee transeuntes ad alias quae erant ad muschetam, perrexerunt usque ad darsanam. Milites vero obviantes Sarracenis qui de civitate exierant, divino auxilio existente contra Sarracenos viriliter ire ceperunt; et Sarraceni volventes terga pre timore galearum, contra civitatem fugere ınceperunt. Milites vero secuti fuerunt eos. Inter quos quidam miles Ianuensis, Guilhelmus Pellis nomine qui erat et sine licentia comitis ceteris cicius precucurrit, et prima fronte Sarracenorum unum prius lancea interfecit, postea vero sicuti leo inter bestias corpora umgulis[63*] scindens, sic iste capita Sarracenorum ense truncando in litore Almarie multos ultra ceteros interfecit, et statim predicti consules cum hominibus de una galea terram crebro[b] contra Sarracenos descenderunt, et homines qui erant in galeis de musceta terram descendentes, insimul cum militibus Sarracenos ultra quinque milia interfecerunt, et iusta litus mortuos dimiserunt; et galee que in mari erant bellum recuperantes, et Sarracenos in mari fugientes interfecerunt, et ibi garbino[64] facto, consules preceperunt ut homines 64 cum galeis et milites irent ad portum Lene. et sic fecerunt, et tentoria in terra posuerunt; et ibi facto parlamento, reddiderunt gratias Deo de tanta victoria data. Et facto consilio placuit consulibus, ut galee in plagia Almarie traherentur. Et facto hoc, machina scilicet et castella et gattas ordinare preceperunt, et hoc incipiendo Sarraceni extra exierunt usque prope galearum, et sic per tres vices facientes victi, et pars eorum interfecti, civitatem fugerunt, et factis manganis et castellis et gatis, infra hoc imperator[c] venit cum militibus quadringentis et peditibus mille. Et statim duximus castellum et mangana iusta civitatem ad[d] belliora loca et cumpetentia. Sarraceni vero victos per multas vices impetum facientes die et nocte cum igne et armis et manganis contra castella nostra repugnantes. Ianuenses autem inde solliciti, contra Saracenos bellando et multis de eis interficiendo, semper eos in civitate introducebant. Castra vero Ianuensium duas turres ceperunt, et decem et octo passas muris destruxerunt. Infra hoc Sarraceni de hoc valde territi, consilium clam ceperunt cum legatis imperatoris, silicet cum comite de Orcegi et cum Garsia rege, et debebunt eis dare miliaria marabotinorum centum, et auxies[e, 65] exinde dederant; et propter[f] hoc imperator debebat inde recedere et Ianuenses relinquere. Consulibus Ianuensium hoc audito, consilium fecerunt ut cito sine mora Deo auxiliante alio die summo mane sunt consiliati facere bellum introeundi civitatem. Mane veniente in vigilia sancti Luce festinanter parlamentum fecerunt, et ordinaverunt compagnas 12 cum vexillis 12 et in unaquaque de compagna mille viri armati erant; et consules preceperunt, qualiter incedere debebant. Et consules per multas vices ad imperatorem et ad comitem Barchilonie perrexerunt, deprecando eos ut suos homines armare preciperent et ad bellum venirent pro capienda civitate. Imperator

a) *manu saeculi XIII. exeuntis in margine:* Raymondus Belengerii. b) crebo 1. c) yspanie *in marg. m. saec. XIII. ex.* d) a 1. e) *ita* 1. auri *ed.* f) proppter 1.

63*) i. e. ungulis. 64) vento africo. 65) auxies i. q. obsides, ostages, esse videtur.

1147. hoc audito vix venit, et compagnas[a] Ianuensium in campo armatas invenit. Consules namque preceperant bellatoribus, ut cum sonitum tubarum audirent, sine vociferatione cum silentio civitatem preliando introirent. Et sic fecerunt, et milites secuti[b] sunt eos; et parvo tempore infra tres horas diei[c], Deo auxiliante et faciente[d] cum ensibus Ianuensium Sarracenorum sanguine[e] multo effuso, civitas tota capta est usque ad Subdam[66]. Et illico die de Sarracenis viginti milia interfecti fuerunt, et ab una parte civitatis[e'], scilicet deripata, decem milia fuerunt, et in Subdam[f] viginti milia; et inter mulieres et pueros decem milia Ianuam adduxerunt. Sarraceni vero infra quattuor dies Subdam[f] et personas reddiderunt, et miliaria marabotinorum triginta milia dederunt, ut personas evaderent. Consules quidem de peccunia capta pro communi utilitate valens sexaginta miliaria marabotinorum tenuerunt, et solverunt debitum quod communis erat, scilicet valens librarum miliaria 17. Aliam vero peccuniam per galeas et alias naves dividere fecerunt, et civitatem in guardia Otonis de Bonovillano cum mille viris dimiserunt[66']. Et parlamento facto preceperunt, ut omnes cum galeis et navibus ad civitatem[67] recederent[g], et ita factum est, et cum gloria et triumpho incolumes usque Barchinoniam devenerunt. Ibique galeas et naves in terram posuerunt, et consulatum novum fecerunt. Et duo de consulibus Oberto Turris et Ansaldus de Auria cum licentia et voluntate sociorum cum duabus galeis Ianuam venirent, et de peccunia quam duxerant[h], debitum communis solverunt, et novum consulatum Ianuam fecerunt.

---

1148. Quoniam que gesta fuerunt captione Almarie, per presentem scripturam sensu Caffari ad memoriam futurorum narrantur, illud idem, nempe victoriarum Tortuose ne futuris temporibus oblivioni traderetur, uti veritas postulat, Caffarus de Caschifellone ad presens narrare conatur.

Veritas quidem ita est. Ianuenses namque postquam ab Almaria recesserunt, Barchinoniam cum toto exercitu venerunt, et galeas et naves in terra extraxerunt; et quamvis a mulieribus et filiis et domibus eorum assentes per annum stetissent, ibique tamen per iemem pro honore[i] Dei et civitatis[k] Ianuensis moram fecerunt, ut inde veniente estate cum omnibus rebus necessariis ad capiendam civitatem Tortuose securius ire possent; ideoque lignamina de castellis et machinis de nemoribus longe a civitate extraxerunt, et omnia necessaria in eodem loco in tempore estatis parata habuerunt, et ad augendum[l] numerum bellatorum ad Ianuam nuntios, ut viri cum navibus et armis festinanter venirent, sine mora miserunt. Postquam vero omnia parata fuerunt, in festivitate beati Petri contra Tortuosam ire coeperunt, et die Kalendarum Iulii[m] flumen Tortuose cum toto exercitu intraverunt; et cum longe a civitate per miliarios duos appropinquassent, steterunt et cum comite[68] et militibus[n] parlamentum fecerunt, et ibi elegerunt viros qui vexilla Ianuensium deferre debebant; et statim cum comite et una parte militum ad previdenda civitatis loca, ubi et quomodo viros bellatores ponerent, unanimiter perrexerunt. Et postquam loca civitatis viderunt, tale illico consilium infra se habuerunt, ut medietas bellatorum Ianuensium cum parte militum comitis ad subtanam[o] partem civitatis iuxta flumen staret, alia vero pars desuper ad montana loca nomine Bagnare cum comite et Wilhelmo Montispesulani tentoria posuerunt. Angeli namque una cum militibus Templi et cum multis aliis alienigenis desuper versus Romelinum iuxta flumen steterunt. Interim vero pars una virorum bellatorum Ianuensium sine consilio consulum et ceterorum ad civitatem causa bellandi armata perrexit. Ideoque Ianuenses hoc fecerunt, ut Sarracenos quomodo in armis valerent cognoscerent. Statim enim Sarraceni cum Ianuensibus bellum usque ad oram tertiam fecerunt; de quibus ex utraque parte quam plures mortui et vulnerati fuerunt. Consules vero Ianuenses suorum bellatorum audatia cognita parlamentum statim fecerunt, ibique omnibus eorum districti sub debito sacramenti preceperunt, ut nemo sine communi consilio et licencia consulum deinceps ad bellum iret. Iterum quidem preceperunt, ut castella et

a) compagnas *corr.* compagnias 1. b) sicuti 1. c) dici dici 1. d) facientes 1. e) sanguinem 1. e') ciuitas 1. f) sudam 1. g) recederunt 1. h) duxerunt *corr.* duxerant 1. i) hore 1. k) ciuitates 1. l) augendam 1. m) MCXXXXVIII. *in margine manu saeculi XIII. exeuntis.* n) m. et p. 1. o) sutanam 1. *i. q.* subteriorem.

66) subta, sueta, inferior civitas, subterior civitas. 66') Charta traditionis in ipsa civitate capta scripta est d. 5. intrante Nov. Libr. iurium I, 131. W. 67) i. e. a civitate. 68) scilicet Raymundus Berengarius Barcinonensis comes, qui a. iam 1146. opem suam pollicitus est ad Tortosam expugnandam. Libr. iurium I, 125. W.

machina cito complerentur et iusta civitatem deducerentur; et factum est ita. Postquam 1148. vero castella duo iusta murum civitatis posita fuerunt, illico Ianuenses viri audacissimi et bellatores Dei muros frangere ceperunt, et castella infra civitatem cum bello posuerunt, et unum de castellis per civitatem ducendo, domos et turres omnes usque ad muschetam destruxerunt. Alterum vero castellum prope Suetam ducendo, intra paucos dies turres quadraginta captas et fractas fortissime bellando habuerunt. Sarraceni autem postquam cognoverunt quod extra Suetam cum Ianuensibus bella tenere non poterant, omnes Suetam intraverunt, et eam fortiter bellando cum armis et machinis defendere ceperunt. Ianuenses vero cum cognovissent, quod cum predictis[a] duobus castellis ex illo latere civitatis Suetam capere non possent, aliud tale consilium habuerunt, ut desuper versus Bagneram fossatum quod inter Bagneram et Suetam erat, de lignamine petris et terra sine mora implerent; cuius fossati latitudo cubitorum octoginta quatuor, altitudo cubitorum sexaginta quatuor. At quia gravissimum et incerte tale opus incipere pluribus de exercitu esse videbatur, inde quidem inter plures de exercitu, utrum inciperetur nec ne, dubitatio orta est, consules tandem omni dubitatione remota, fossatum implere et castellum novum facere preceperunt. Precepto namque audito omnes tam milites quam pedones, divites et pauperes ad laborem fossati honerati cotidie veniebant, atque unanimiter laborabant. Postquam enim due partes fossati plene fuerunt, Ianuenses ilico in sumitate fossati castellum et machina cum viris bellatoribus 300 intus stantibus posuerunt. Sarraceni autem cum castellum adpropinquare viderunt, statim petras ducentarum librarum ponderis eiciendo, angulum castelli unum ad presens fregerunt; quod Ianuenses cito emendaverunt, atque recia cordarum iusta parietes castelli tanta posuerunt, quod ictus[b] petrarum Sarracenorum postea nullo modo timuerunt. Interim vero donec Ianuenses ad bellum cum Sarracenis[c] stabant, tunc milites Barchilonensis comitis[d] exercitum et comitem cum viginti militibus tantum carentes dispendio relinquerunt. Ianuenses namque viri audacissimi, atque preterite Almarie victorie memores, facto parlamento iuraverunt, quod a Tortuosa non recederent, donec eam captam et victam haberent; et sic die et nocte bella cum Sarracenis forciora quam soliti essent[e] tenendo, et muros Suete et palatii et domos cum petris manganorum frangendo, Sarraceni statim timore mortis territi, nuncios reddendi civitatem consulibus Ianue et comiti Barchinonensi miserunt, inducias tamen spacio quadraginta diebus petendo, sub tali quidem condicione quod mitterent legatos ad Ispaniorum[f] regem et ad omnes Ispanos, ut venirent ad faciendum bellum cum Ianuensibus; et si bellando possent expellere Ianuenses, tunc victores haberent civitatem; et si non venirent ad predictum terminum, promiserunt dare civitatem Ianuensibus; et de hoc dederunt centum[g] Sarracenos de melioribus obstaticos in potestate Ianuensium. Postquam vero terminus[h] quadraginta dierum completus fuit, et Hyspani in auxilio Tortuose non venerunt, ilico Sarraceni de civitate, uti promiserant, vexilla Ianuensium et comitis in Suda posuerunt, et civitatem Ianuensibus et comiti sine tenore reddiderunt. Et hoc factum fuit in mense Decembris in ebdomada[i] ferialium nativitatis Domini in vigilia sancti Silvestri 1148. Hoc toto completo, Ianuenses terciam et comes duas et postea cum triumpho duarum civitatum, Almarie scilicet et Tortuose, referendo gratias Deo, cum toto exercitu Ianuam reddierunt[k]. Quando venerunt, 1149.[69]

---

Tempore consecracionis domni Airaldi episcopi currebant anni Domini 1099, et postea vixit in episcopatu per annos 17; et quando mortuus fuit, currebant anni Domini 1116. et hoc fuit in vigilia sancti Bartholomei in tertio anno consulatu Lanberti Guezi et sociorum. Sed post tempus electionis vixit per annos 19 in Ianuensi civitate. Item post mortem domni Airaldi episcopus Oto introivit, et vixit per tres annos, et per alios tres annos stetit civitas sine episcopo; et quando intravit, anni Domini 1117. et quando mortuus fuit, 1120. Item episcopus Sigifredus vixit in episcopatu per annos 6; quando intravit currebant anni Domini 1123, et quando mortuus fuit, 1129,[l] et civitas stetit absque episcopo annum unum. Et archiepiscopus Syrus quando intravit, 1130, et quando pallium et crucem suscepit in archiepiscopatum, 1133.

a) peditis 1. b) ictu 1. c) sarraceni 1. d) barchilonenses comites 1. e) sollicitì esset 1. f) insp. 1. g) centos 1. h) terminum 1. i) edomada 1. k) *in margine manu saeculi XIII. ex.* nam et alia vice capta fuit Tortuosa, scilicet MLXXXXVI ut notatur supra in folio II. *Error, ibi enim annus* MCXXXXVI *scribitur.* l) MC *alia linea* VIIII. 1.

69) Unde etiam privilegium liberi commercii a Raymundo comite retulerunt, quod exstat in libro iur. I, 138. W.

# CAFARI
# DE LIBERATIONE CIVITATUM ORIENTIS LIBER.

## IACOBI AURIE PRAEFATIO[a].

*Quoniam ea que solummodo memorie commendantur, per diuturnitatem temporis de facili oblivioni traduntur, ideo phylosophi et sapientes antiqui redigerunt in scriptis que cogitaverunt posteris profutura. Cum itaque in cronica communis Ianue a Capharo nobili cive Ianue composita, nichil reperiatur de captione Ierusalem, Anthiochie, Tripolim, aliarumque plurium civitatum Orientis, ad quas capiendas homines Ianue interfuerunt sepe et sepius cum magna quantitate galearum navium et bellatorum in eis: et ego Iacobus Aurie perscrutans scripturas et libros domni Oberti Aurie quondam avi mei paterni, qui quidem antiquitates huius civitatis mirabiliter bene novit, inveni in eius scripneis*[70] *quandam antiquam scripturam a predicto Cafaro compositam, continentem captionem Ierusalem et aliarum plurium civitatum, cuius exemplum in hoc libro scribi feci, nichil addito nec etiam diminuto, ut gesta illa sint hic legentibus manifesta*[b].

## EXPLICIT PRAEFATIO. INCIPIT LIBER CAFARI[c].

Cum ab origine mundi omnia fere que in orbe facta sunt vel fuerunt, per doctores et sapientes scripta sunt et narrantur, ideoque bonum et utile esse videtur, quo modo et quo tempore Ierosolimitana civitas et Antiocena una cum ceteris orientalibus civitatibus et maritimis locis e servitute Turchorum et Sarracenorum liberatae[d] fuerunt, ut per praesentem scripturam Caphari veritas cognoscatur. Pateat ergo universitati virorum praesentium et futurorum, quod tempore Urbani[e] papae secundi, bonae memoriae dux Gotofredus[f] cum
1095. Frandalensi[71] comite ceterisque nobilibus viris sepulcrum Domini visitare optantes[72] Ianuam venerunt, ibique navem ascenderunt Ianuensem quae Pomella vocabatur, et inde cum Ianuensibus Alexandriam perrexerunt, de Alexandria cum militibus Sarracenorum qui eos conduxerunt usque ad portam civitatis Ierusalem venerunt. Et cum per portam ad visitationem sepulcri Domini intrare volebant, portonarii statim introitum prohibuerunt, donec unusquisque bisantium unum pro introitu solito more daret. Christiani vero qui illuc pro servitio Dei venerant, postquam voluntatem Sarracenorum cognoverunt, quod petierunt dare inceperunt Dux autem Gotofredus qui de maioribus erat, et bisantium uti ceteri tam cito non dedit, propter hoc quod camerarius paulisper absens erat ab eo qui peccuniam suam portabat, donec eum ad se vocavit, unus quidem de portonariis colafum magnum in collo ducis dedit. Quod dux pacienter tolleravit; attamen Deum deprecans, ut tanti dedecoris vindictam ense suo accipere ante mortem suam concederet Deus; et dato bisantio dux cum ceteris per portam intraverunt, et sepulcrum Domini ceteraque sanctuaria et praesepe Domini in Betlehem[g] celebraverunt, atque Iordanis flumine ubi Christus a Iohanne baptizatus fuit perrexerunt, et tribus diebus peractis[h] postquam Ierosolimam venerant, cum militibus qui eos conduxerant Alexandriam reversi sunt. Inde in praedicta nave Pomella cum Ianuensibus per mare usque ad Ianuam transierunt. Dux vero Gotofredus sine mora illinc Sanctum Egidium ire festinavit, ibique cum Raymundo Sancti Egidii comite et cum aliis multis comitibus et baronibus illarum partium de deliberatione sepulcri loquutus est. Unde[i] tale posuerunt consilium, ut veniente die sanctae Mariae ad Podium convenirent, ibique de ser-
Aug. 12. vitio Dei quid[k] facturi essent ponerent et firmarent. Cum vero infra dicti termini spatium vox per partes illas publice sonavisset, fuerunt duodecim viri in Sancta Maria in Podio, de predicto servitio Dei tractare optantes, et per tres dies tractantes, quomodo Ierosolimitanum iter peragere possent. Accidit in nocte diei tercii, quod angelus Gabriel ad unum de duodecim, Bertholomeum nomine, in sompnium[l] venit et dixit: *Bertholomee surge.* Et ipse:

a) *titulum addidi.* b) 2. *addit:* Caffarus erat dominus Caschifeloni, et in parte Savignoni, quondam domini Rogerii de maioribus de Porta. c) *titulum addidi.* d) liberate 1. *sed haec et reliqua eiusmodi scripsi, ut Cafarum fecisse constat.* e) Vbarni 1. f) Gotofreus 1. *saepius.* g) bellehem 1. h) perattis 1. i) *ita emendavi* unum 1. k) *in marg.* 1. l) sopnium 1.

70) i. e. scriniis. 71) i. e. Flandrensi. 72) cf. Guiberti hist. Hierosol. c. 12. p. 485. l. 20 sqq. apud Bongars.

*Quid es tu domine? — Angelus Domini sum, et voluntas Domini est, ut sepulcrum eius a servitute* 1095.
*Sarracenorum deliberetur. Quare accipe crucem in dextero humero, et cum sociis tuis summo mane perge ad episcopum Podiensem, et hostende sibi crucem quam tibi feci, et dic ut ipse mittat legatum suum tecum ad Urbanum papam, qui ad has partes sine mora veniat, et iter Ierosolimitanum in remissione peccatorum populum doceat.* Ita factum est. Papa enim visione angelica audita, sine mora iter accepit, et ad Podium[a] venit. Ibique collecta[b] multitudine nobilium virorum, principum, comitum et ducum, atque omnis generis christianorum, divitum et pauperum, maiorum atque minorum, papa omnibus viam sepulcri in remissione omnium peccatorum praecepit. Nov. 26.
Apostolico enim praecepto peracto, omnes illico maiores et minores crucem Domini in hu- 1096.
mero ab apostolica manu susceperunt humiliter. De maioribus quidem Raymundus comes Sancti Egidii, Gotefredus dux de Bugnone, ammonitione[c] cuius praedicta incepta fuere, et Balduinus frater eius, et Frandalensis comes, Ugo magnus frater[c*] regis Franciae, Boiamundus, Tanclerius, et multi alii quorum nomina longum esset narrare. Numerus vero militarium[d] populorum secundum quod Capharus audivit, sexaginta milia bellatorum fuere. Et ceperunt civitatem Nichiam[73] 1097. Quibus namque omnibus tanta Dei fuit gratia, quod in toto 1097.
itinere concordia et humilitate et sine ulla laesione personarum usque Antiochiam perrexerunt omnes. Ante enim quam praedicti principes de partibus illis in quibus crucem et apostolicam benedictionem susceperant recessissent, apostolicus duos episcopos, scilicet Grationopolitanum, Aurisiacensem, prece eorum Ianuam misit. Episcopi namque Ianuam sine mora venerunt, in ecclesia beati Siri populum Ianuensem insimul primitus venire fecerunt, ibique apostolicam legationem de servitio Dei et sancti sepulcri, sicuti apostolicus praeceperat, in remissione omnium peccatorum narraverunt. Ita quidem ut ad deliberandam viam sepulcri Domini cum galeis ad orientales[e] partes irent, et in societate praedictorum principum viriliter starent et pugnarent; unde aeternae vitae praemium praedicti episcopi habere affirmant. Sermone enim peracto et apostolica legatione audita, multi de melioribus Ianuensibus illa die crucem susceperunt, scilicet isti: Anselmus Rascherius, Obertus Lamberti de Marino filius, Obertus Bassus de insula, Ingo Flaonus, Dodo de Advocato, Lanfrancus Roza, Pascalis Noscentius Astor, Guillielmus de Bono seniore, Opizo Mussus, et reliqui plures, qui tanti fuerunt quod duodecim galeas[f] et sandanum[74] unum de fortissimis bellatoribus viris armaverunt, et mense Iulii versus orientales partes iter inceperunt. Paucis enim diebus transactis flumen Solini venerunt, et intraverunt qui vocatur Portus sancti Symeonis, longe ab Anthiochia per spatium decem milium. Milites vero Francorum, qui antea quam Ianuenses
venissent, per mensem unum Antiochiam venerant et de foris castra posuerant, postquam 1098.
Ianuenses venisse audierunt, Boamundus filius Roberti Guiscardi ducis Apuliae[g] cum militibus centum de exercitu ad Sulinum[h] ubi Ianuenses erant festinanter perrexit, et ut Anthiochiam irent ex parte principum et tocius exercitus multis precibus illos ita monuit et ortari incepit: *O fratres et divini praelii socii, siculi pro servitio Dei ad has partes venistis et praemium ad requiem animarum vestrarum inde habere optastis, ita pondus praelii et laboris communiter substinere et laborare in quantum possumus vos multum ortamur.* Ianuenses vero postquam[i] preces principum per Baamontem audierunt, inter se consilium ceperunt, ut de melioribus bellatoribus viris cum militibus ad exercitum mitterent sexcentos[k], et miserunt. Mille autem Turchorum milites de Antiochia clam exierunt, et militibus Francorum et Ianuensibus obviam perrexerunt. Boiamundus vero postquam tantae multitudinis Turchorum milites supra se venire cognovit, statim ad exercitum cum 25 de Ianuensibus qui equitaturas habebant velociter perrexit, et sicuti Turchorum milites sibi obviaverant, cunctis militibus de exercitu nunciavit. Francorum autem milites cum eodem Baiamundo antequam de equo descendisset, omnes equos velociter ascenderunt, et contra Turchos festinanter ire ceperunt. At quidem Turchorum milites circuiendo[l] et sagittando Ianuenses qui campo armati remanserant, et tantae multitudini militum cum ensibus tantum et lanceis resistebant, omnes tandem in campestri loco vulneratos et mortuos dimiserunt; qui ante quam alii qui viam sepulcri inceperant prius coronam martirii susceperunt, et uti martires Dei in coelesti sede, illos angeli Machabeorum socios posuerunt. Turchorum vero milites de nece Ianuen-

a) poium 1. b) coleta 1. c) amon. 1. c*) f. r. f. *alia manu inserta* 1. d) miliarium 1. e) aurientales 1. *saepius.* f) *in margine inferiori haec alia manu notata sunt:* credo quod iste galee fuerunt ille que detulerunt corpus sancti Iohannis baptiste. 1. g) apolie 1. h) sulmy 1. i) post 1. k) .VI. C. 1. l) circunendo et saitando 1.

73) Niceam. 74) Sandonus seu sando est navis oneraria.

1098. sium martirum multum letantes, Antiochiam redire festinabant. At quidem Baiamundus et milites qui cum eo ad defensionem Ianuensium procedebant, priusquam Turchorum milites Antiochiam intrassent, Turchos omnes illos, qui Ianuenses interfecerant, eos interfecerunt et ad infernales poenas in societate Machometi miserunt, et ad castra cum triumpho redierunt. Alia vero die tentoria iuxta portam Antiochiae posuerunt, et ad Ianuenses alios qui pro guardia galearum iuxta flumen Solini remanserant seu stabant mandaverunt, ut ad praelium Dei capiendae Antiochiae civitatis cum armis necessariis venire non protelarent. Ianuenses autem legatione principum audita, festinanter Antiochiam cum armis et tentoriis et cum omnibus quae sunt necessaria venerunt, et iuxta tentoria principum sua posuerunt, et cotidie insimul cum militibus et peditibus Francorum cum Sarracenis de civitate ad portam civitatis viriliter praeliabantur, et praeliando cotidie de die in diem multa incomoda et adversitates omnes, de cibo scilicet et de vestibus et de omnibus rebus quae corpori sunt necessaria, sustinuerunt a medio mense Octubris quo christiani Antiochiam obsidere inceperant; et tunc anni currebant Domini 1097 usque ad mensem Februarii, praedicta incomoda sustinentes. Deus qui semper fidelibus suis subvenire solet, tale consilium et auxilium christianis suis necessitates pacientibus dedit, quod in ebdomada[a] carnelevarii milites septua-
Febr. 15—20. ginta[b] christianorum cum multis peditibus ad pontem ferreum perrexerunt qui ab Antiochia per spatium miliariorum octo longe erat, et ibi milites Turchorum tria milia cum magna copia peditum qui de Antiochia exierant, et ad praedictum pontem ferreum tentoria pro offensione christianorum posuerant, iuxta praedicta tentoria Turchorum quingentos optimos equos et multas praeciosas vestes sine defensione Turchorum praedicti milites christianorum viriliter ceperunt, et die Veneris praedictae ebdomadae bellum cum Sarracenis inceperunt. Vespere autem facto Sarraceni stupefacti et timore commoti, tentoria dimiserunt, et fugiendo civitatem intraverunt, christiani vero tentoria et omnia quae Sarraceni dimiserant colligerunt, et laeto[c] animo ad exercitum redierunt. Turchorum vero milites qui Antiochiam fugiendo intraverunt, cum omnibus aliis qui intus erant ita fecerunt, quod postea extra
Iun. civitatem cum christianis bellum facere noluerunt. Interim vero accidit quod duo Turchorum viri qui fratres erant, et turres duas civitatis quae sorores vocabantur in custodia tenebant, divino spiritu commoti christianos se facere et turres reddere Boiamundo procul dubio mandaverunt. Boiamundus illico principes[d] de exercitu insimul convenire fecit, quibus namque omnibus dixit: *Quaedam verba secreta aperio. Si michi Antiochiam ut habeam concedere vultis, illam quidem sine ulla prolatione per misericordiam Dei in potestate nostra habere speramus.* Omnes statim dixerunt: *Concedimus vobis et affirmamus.* Boiamundus vero ad tentoria principum Turchos illos qui turres duas dare promiserant secreto venire fecit; et sine mora venerunt, et statim ab episcopo Podiense christiani et baptizati fuerunt, et ab omnibus principibus multa et magna dona, vestes scilicet praeciosas et vasa multa argentea receperunt, et christiani novi vocati fuerunt. Qui namque Boiamundum et viros centum armatos[e] praedictas duas turres sursum ascendere nocte una fecerunt. Et summo mane omnes qui turres ascenderant de turribus descendentes et per mediam civitatem vocibus magnis et multis dicere non cessaverunt: *Chyrieleyson, Chyrieleyson,* donec Sarraceni qui in civitate erant praedictas voces Christi audientes, stupefacti et timore inde commoti, alii extra civitatem fugientes, alii ad Carbuntium sursum ascendentes, civitatem christianis dimiserunt[f]. Christiani autem qui de foris ad portam civitatis stabant, Sarracenos exeuntes omnes fere interfecerunt; et qui civitate intraverunt, cum ceteris insimul de turribus descendentibus domos civitatis et omnia quae intus erant communiter habuerunt et tenuerunt. Turchi autem qui per Carbuntium ascenderunt, cum ceteris qui pro guardia erant sepe in die usque ad medietatem montis Corbuntium descendentes, cum christianis bellum incipiebant. Christiani vero Ianuenses una cum militibus Francorum multos de Sarracenis vulnerabant et interficiebant. Quindecim autem diebus transactis post captionem Antiochiae Corbonam omnium Turchorum princeps Persiae Antiochiam venit et eam obsidere incepit, et postea per paucos dies constamularius [75] eius Humilio Leo praecepto principis ipsius Anthiochiam venit, cum quo centum milia militum Turchorum cum mulieribus et filiis, et cum argento multo et auro et vestibus praeciosis et cum omni mobile, animalium scilicet equorum bovum

a) eddomagda I. b) septugipti I. c) lecto c. d) princeps c. e) armatas I. f) dimixerunt I.

75) i. q. constabularius esse videtur.

1098.

ircorum arietum et gamiliorum[76] venerunt, et iuxta Anthiochiam tentoria posuerunt, quorum castra spatium decem miliarum tenebant. Christiani vero qui intus erant, postquam tantae multitudinis Turchorum exercitum eos undique obsidere cognoverunt, et de penuria cibi virorum et equorum, quae multa et magna erat inter illos, ita quidem quod in capite unius asini solidi viginti de pitavinis[77] tribuebatur: inde territi et timore commoti, Deum omnes precabantur, ut necessitatibus eorum subveniret. Episcopi autem et boni clerici qui cum eis erant, supra omnes sermonem fecerunt. Podiensis vero episcopus ex parte omnium aliorum episcoporum et clericorum sermonem hoc modo incepit: *O fratres et millites Dei, qui pro angelica legatione a Deo missa et per Bartholomeum*[a] *virum iustum et bonum, et qui crucem in humero ab angelo suscepit, et angelicam visionem palam aperuit, et per visionem Urbani papae hoc iter in remissione peccatorum incepistis, et ad has partes venistis; nolite spavescere vel timere, quia quod Deus promittit fidelibus suis, complere non desinit. Quare per triduum in ieiuniis et orationibus stare omnibus vobis praecipimus, et tribus diebus transactis contra inimicos Dei ad bellum Deo auxiliante viriliter procedamus.* Omnes namque illico in ieiuniis et orationibus stare inceperunt, muros et turres civitatis undique custodire pugnabant. Turchi vero cotidie venientes ad muros, christianos deridebant, dicendo: *Quare mortificatis corpora vestra fame et nuditate, comedendo carnes equorum et asinorum, de quibus canes et volucres vivunt, sed non homines?* Et portabant in manibus suis panes albos comedendo et dicendo: *Reddite nobis civitatem, et credite in Deo nostro, et postea eritis nostri amici, et dabimus vobis aurum et argentum et omnia quae vobis necessaria sunt: quod si non feceritis, omnes vos interficiemus.* Christiani vero dixerunt: *Tacete canes rapidi, quia Deus noster magnus et misericors est, et subiciet vos pedibus nostris!* Principes autem christianorum omnes qui in ieiuniis et orationibus stabant, nuncios ad Corbonam, Petrum eremitam et quendam sacerdotem, ut illinc de terra beati Petri scilicet cum toto exercitu suo discederet[b] mandaverunt. Nuncii vero sine mora perrexerunt, et uti principes praeceperant narraverunt. Quibus namque Corbonam dixit: *Vos quidem stulte et iniuste loquimini. Vos enim de longinquis regionibus venistis, et terram nostram hominibus nostris cum traditione*[c] *abstulistis. Ideoque maioribus vestris dicite, ut terram nostram reddant, et eos incolumes recedere concedemus.* Nuncii vero cum multa dixissent et audivissent, tandem unum firmare si Corbonam vellet ponere voluerunt, ut quinque christiani cum aliis quinque Sarracenis bellum facerent, et victoriam habentibus civitas Anthiocena ex utraque parte concederetur. Quod Corbonam se facturum nullo modo promisit. Postquam enim nuncii reversi sunt, ut audierant, episcopis et principibus omnia narraverunt. Episcopi autem et principes responsione Turchorum audita, tale ab episcopis receperunt consilium, ut per totum illum diem in orationibus starent, et Deum deprecarentur ut orationibus eorum aures suas accomodaret et viam securitatis eundi ad bellum contra inimicos per misericordiam ostenderet. Orationibusque peractis, et nocte proxima veniente, apostolus Petrus in sompnio ad heremitam Petrum venit et dixit, ut veniente die omnes episcopos et principes omnes insimul vocaret, et talem visionem omnibus aperiat, quod voluntas Dei est, ut[d] in ecclesia sua fodere incipiant, et fovea facta magne altitudinis, lanceam de qua Christus vulneratus fuit in cruce in latere, illam cum devotione accipiant, et ad bellum Turchorum sine dubitatione cum lancea pergant. Et ita factum est. In ipso die veniente sicut Petrus heremita dixerat, et lanceam Christi invenerunt, et cum devocione magna eam susceperunt; et sero veniente, omnes frumentum vel ordeum quod habebant totum in communi posuerunt, et inde satis equis omnibus ut fortiores ad bellum irent comedere dederunt; et veniente die missas celebraverunt, et corpus Domini[e] cum Iun. 28. devotione susceperunt. Postea vero scaras[f] septem militum taliter ordinaverunt, quod Raymundus comes cum scara sua et cum duabus aliis scaris principum ex uno latere ad bellum irent, ab alio vero latere dux Gotofredus cum scara sua et cum aliis duabus scaris principum contra Turchos pugnarent. Media autem scara fuit episcopus Podiensis cum omnibus presbiteris et clericis qui in Anthiochia erant, ferentes secum lanceam Christi inventam, et Boamundus et Tancleus cum militibus suis sequebantur eos. Turchi vero qui de foris erant, milites et pedites, medietas illorum ex uno latere armati manebant, alia quidem medietas ab alio latere parati similiter cum armis stabant. In medio autem utrarumque

a) berth. 1. b) discedere 1. c) traicione 1. d) *deest* 1. 2. e) *vox desideratur* 1. 2. f) scalas 1. 2. *constanter.*

76) camelorum. 77) i. e. pictavinis.

1098. partium Turchorum spatium magnum erat. Christiani vero de foris exeuntes, taliter ad bellum ire inceperunt. Raimundus comes cum suis scaris ex uno latere, et dux Gotofredus[a] cum suis scaris ab alio latere, cum Turchorum militibus viriliter certare inceperunt. Episcopus autem cum lancea Christi et clericis omnibus per medium spatium cum Baamundo et Tancrerio qui armati eos sequebantur pergendo, et alta voce canendo: *Surge Domine. Iudica causam tuam et veni.* Et cum ad sumitatem spatii fuerunt, et post terga Turchorum se esse viderunt, et prospicientes multos milites armatos de albis armis et cum multis signis albis desuper venire viderunt, de quibus dicitur et dictum fuit, quod angeli Domini fuerunt; et cum ad lanceam Christi adpropinquaverunt, signa quae milites albi deferebant, omnes contra lanceam Christi se inclinaverunt. Turchi vero postquam tot milites post terga eorum venire viderunt, timore commoti, arma et tentoria et vasa omnia auri et argenti et vestes preciosas, et omnia quae secum habebant dimiserunt; christiani vero sequendo et interficiendo et vulnerando usque ad pontem ferreum sequendo perrexerunt, et fere omnes in campo mortuos relinquerunt. Redeuntes[b] autem usque Anthiochiam, colligendo omnia quae in campo Turchi relinquerant, incolumes omnes insimul convenerunt, et Boiamundo Anthiochiam sicut promiserant dederunt. Boiamundus vero concessit eis privilegium in Anthiochia, ut continetur in registro anno Domini 1098, mense Iulii. Et inde ad principem Babilonie qui Levealmeradus vocabatur, Iohannem camararium legatum miserunt, ut militibus Francorum viam securitatis et mercatum iuxta maritimas civitates et locos usque ad Ierusalem daret et concederet. Princeps vero Babilonie legatum Francorum honorifice suscepit, et dona magna tribuit; et insuper nuncium suum dedit, qui omnibus civitatibus et maritimis locis praecepit, ut merchatum militibus Francorum darent. Postquam vero principes Francorum legationem principis Babiloniae tam honorabilem per legatum suum audierunt, statim ad Ierosolimitanum iter inceperunt. Cum autem ad Ierusalem venerunt, obsidendo civitatem viriliter bellando steterunt, et omnes cisternas aquae, quae de foris erant, destructas invenerunt. Quapropter cotidie a Iordanis flumine aquam deferebant. Et obsidendo civitatem per mensem unum, ecce Guillielmus Ianuensis Embriacus, et Primus frater eius cum duabus galeis Iopem[c] venerunt, et pro timore Sarracenorum Scalonae[78] galeas ibi tenere non potuerunt. Ideoque galeas destruxerunt, et totum lignamen galearum quod necessarium[d] erat ad machina capiendae civitatis, ad Ierusalem portare fecerunt. Christiani 1099. vero de adventu Ianuensium multum laetantes, honorifice eos susceperunt, et in consilio[e] eorum capiendae civitatis omnimodo steterunt. Ianuenses vero machina omniaque necessaria capiendae civitatis fecerunt, infra quadraginta dies civitatem totam praeter turrem Iul 15. David ceperunt et Sarracenos civitatis interfecerunt. Sarraceni vero de turre David nolentes turrem reddere, mandaverunt principi Babiloniae ut cum exercitu suo veniret et turrem acciperet, et diebus viginti transactis Sarraceni qui ad principem miserant venerunt et turrem christianis dederunt. Et hoc fuit mense Iulii, et tunc currebant anni Domini 1099. Et turre reddita post tres dies transactos princeps[f] Babiloniae cum magno exercitu militum et peditum manu armata in planicias Ramulae venit. Christiani vero qui Ierusalem erant insimul convenerunt, et regnum Ierusalem in tutela et custodia ducis Gotofredi dederunt, et dominum regni et omnium illarum partium illum posuerunt, et cum praedicto domino in pla- Aug. 14. nicies Ramulae ad bellum contra Sarracenos sine mora perrexerunt. Bello vero incepto, Sarraceni quidem terga volventes campum dimiserunt, christiani autem eos sequentes et interficiendo campum tenuerunt, et omnia quae Sarraceni in campo dimiserant tentoria et cetera recolligerunt, et ad Iopem omnes simul convenerunt. Et Gotofredum[g] quem dominum regni posuerant ibi dimiserunt. Ceteri autem mare transire cupientes, alii ad portum Lauticiae[h] venerunt, alii ad portum sancti Symeonis[i] perrexerunt, et naves adscendentes, mare transierunt, et multi in orientalibus partibus steterunt. At quidem Raimundus Sancti Egidii comes ad Constantinopolim perrexit. Ianuenses vero Guillielmus Embriacus et Primus frater eius, scilicet qui galeas duas duxerant apud Iopen, et de lignamine earum machina fecerunt, de quibus civitas Ierusalem capta fuit, praedicti enim fratres multam et immensam peccuniam auri et argenti atque gemmarum de principe Babiloniae quando

a) Gotofreus 1. b) Reddeuntes 1. c) id est Iaffam *alia m.* 1. d) neccess. 1. e) conscilio 1. f) princeps 1. g) gotofreum 1. h) id est Lecit *alia m.* 1. i) Symionis 1.

78) Ascalon.

quidem ille ab exercitu Francorum superatus et campum dimisit; isti autem fratres cum 1099. tota peccunia quam ceperant, cum galea una quam emerunt, mare transierunt et Ianuae in vigilia nativitatis Domini venerunt, et litteras de captione Ierusalem et de succursu ne- Dec. 24. cessario a Ierosolimitana curia, videlicet a patriarcha Dumberto[a] et a Gotofredo regni Ierusalem domino detulerunt. Postquam vero Ianuenses litteras ammonitionis succurrendi 1100. sepulcrum Domini audierunt, illico guerras et discordias quas infra se habebant, ita quidem quod per annum et dimidium sine consulatu et concordia steterant, anima[b] dimiserunt, et tanti eorum crucem susceperunt, quod 26 galeas et naves 4 de peregrinis honeratas usque ad portum Lauticiae[c] pro servitio Dei et sancti sepulcri viriliter conduxerunt. Praedictas vero litteras Ierusalem per civitates et locos Lombardiae Ianuenses miserunt. Quapropter Lombardiae viri clerici et layci, Mediolanensis episcopus et comes Brandionensis[79] una cum multis comitibus et marchionibus cum magno exercitu militum et peditum usque Constantinopolim perrexerunt. Ibique Raymundum Sancti Egidii comitem cum lancea Christi invenerunt, et cum eo iter Ierusalem inceperunt, atque viam quam principes[d] Francorum qui Anthiochiam ceperunt, facere noluerunt. Ideoque Turchi de Corrizana eis obviantes, bellum ad invicem commiserunt. Tandem christiani pro stulticia eorum mortui et vulnerati fere omnes fuerunt, et campum et lanceam Christi amiserunt. Et qui evaserunt, cum comite Raymundo Constantinopolim redierunt[e]. Ianuenses vero qui ad portum Lauticiae[f] venerunt, per totum yemem ibi steterunt. Et Gotofredum regni Ierusalem dominum mortuum[g] anno Domini 1100 circa natale Domini, et Boiamundum dominum Antiochiae in captione Corrizanae esse cognoverunt. Ianuenses autem cum orientalem terram sine rege et principe ut viduam invenerunt, tale consilium[h] cum Moritio Portuensi episcopo et Romanae curiae legato habuerunt, quod ad civitatem Edessae[i], quam Balduinus frater ducis Gotofredi praedicti per se ceperat, ut ad eos veniret mandaverunt; et sine mora venit, et depraecatione a consulibus et a legato Romanae curiae facta, regem eum in Ierusalem qui privilegium[k] concessit[l, 80] Ianuensibus in Ierusalem et in Iopem et terciam partem Babilonie anni Domini 1105. in registro[l], et Tanclerium nepotem Baiamundi ex sorore in Antiochia principem posuerunt[m], sicuti praesens scriptum Cafari narrat; qui eisdem concessit et confirmavit[81] privilegium quod habuerunt a Baiamundo filio Roberti Guiscardi domino Antiochie. Et veniente aestate ad Ierusalem cum galeis[n] et navibus perrexerunt, et omnia sicuti in hoc libro Cafari scripta sunt viriliter fecerunt.

Antiochia capta principes[o] Francorum omnia peregerunt, sicuti in praeterita scriptura Cafari scriptum est. At quia nomina civitatum et locorum quae sunt iuxta mare ab Antiochia usque ad Iopem et ad Scalonam scripta non sunt, necesse est nomina et miliaria quot sunt ab una civitate ad alteram et a quibus captae, et quo tempore, per memoriam Cafari notificentur. Ideoque omnibus notum fiat, quod ab Antiochia usque Lauticiam[p] miliaria 60 computantur. Lauticia[p] magna civitas fuit, multae longitudinis et latitudinis erat. In tempore enim captionis Antiochiae arma[q] manebat, nisi ecclesia episcopalis ubi clerici morabantur. Et tunc temporis Greci per imperatorem Alexium Constantinopolitanum civitatem[r], et duo castra quae desuper erant, et duas turres iuxta introitum portus, tenebant. Archantus unus qui tenebat insulam Cipri, et Filocarius vocabatur, 20 salandrios et milites et clientes multos ibi tenebant. A Lauticia autem usque ad Gibellum maiorem miliaria 10 computantur, et Sarracenorum erat. Et a Gibel[s] usque Turtuosam 30 miliaria esse dicuntur, et Sarraceni eam tenebant. In medietate autem istarum duarum civitatum erant et sunt duae civitates parvulae iuxta mare; una quae vocatur Vananea, altera Marachia. Marachiam vero praedicti Graeci Lauticiae eam tenebant, Vananeam Sarraceni; usque ad Marachiam miliaria 8 computantur. In spatio autem praedictarum civitatum istarum, scilicet in medietate spacii, sursum in monte longe a mare per miliarium 1 castrum unum nomine Margali erat et est, quod Sarracenus tenebat, et multae et inmensae et tantae fortitudinis

a) *i. e.* Daimberto. b) *ita* 1. *alia manu corr.* arma *perperam.* c) lauricie 1. d) princeps 1. 2. e) reddierunt *c.* f) lauuce 1. — id est lechit *alia manu.* g) anno MC. circa natale Domini *alia m. in marg.* 1. h) consilium 1. i) ad ese 1. k) postea *in marg. alia manu* 1. l) *haec omnia* qui privilegium *usque* registro *deleta sunt postea* 1. m) *haec vox postea ante* qui privilegium *signo adiecto posita est* 1. n) galeas 1. o) princeps 1. p) laurit. 1. *saepius.* q) id est deserta *glossa alio atramento* 1. r) id est lauticiam *glossa alio atramento* 1. s) gilel 1.

79) Blandratensis? 80) Liber iurium I, 16. a. 1104 ex autographo in tabulario Taurinensi servato. 81) Ughelli Italia sacra IV. Lünig Cod. dipl. Italiae II, 2079.

1100. erat, quod nisi fame capi non poterat. Sed quomodo captum fuit post captionem omnium civitatum et locorum, ad praesens per Cafarum veritas cognoscatur. Istius quidem castri dominus christianis multa mala faciebat. Accidit enim quod quidam Francigena Rainaldus Mansuer nomine[82], alterius Raynaldi filius constabularii Antiocheni principis, et dominus erat Vananeae et Marachiae, et treuga[a] facta cum praedicto Sarraceno, insimul amicari valde coeperunt. Ita quidem quod Sarracenus saepe veniebat ad Vananeam causa morandi cum praedicto domino civitatis. Erat enim balneum pulcrum in civitate, et extra civitatem pomeria pulcra et abilia inter giardonos erant iuxta civitatem, in quibus Sarracenus cum ipso saepe per quatuor dies et plus insimul morabantur, comedendo, potando, sicuti mos[b] Sarracenorum est. Postea vero ibant ad praedictum castrum, et insimul morabantur per dies quatuor et quinque in comessationibus[c] et potationibus multis. Cum vero per plures dies talia fecissent, accidit una die quod christianus perrexit ad castrum cum omnibus suis clam deferentibus loricas et enses sub vestibus eorum; ceperunt castrum et miserunt Sarracenum de foris. Unde magna laeticia orta est per orientales partes, quoniam castrum istud clavis erat et est Ierosolimitani itineris iuxta mare. Et tunc currebant anni
1140. Domini 1140.

Oportet enim ad Turtuosam reverti. Sunt enim inde usque ad Tripolim miliaria 40. Et inde usque Gibelletum miliaria 20. Et inde usque ad Bareut per terram 20 et per mare 12 miliaria computantur. A Barut usque ad Sydonem 20, et a Sydone usque ad Tyrum 20. Et a Tyro usque ad Acon 20. Et ab Acon usque Caifas 10. Et a Caifas usque ad Caesariam 20. A Caesaria usque ad Azotum 20; et ab Azoto usque ad Iopem 10; et a Iope usque ad Scalonam 10. Ramula autem prope Iopem per miliaria duo. Ierosolimitana civitas in montanis sita est, et usque ad mare iuxta Iopem miliaria 20 sunt. Praedicta namque miliaria per arbitrium Cafari scripta sunt; quoniam Cafarus ab Antiochia usque ad Iopem saepe et saepe per terram militavit, et per mare navigavit, et suum tale arbitrium per se cogitando, tot miliaria ut dictum est esse narravit.

Postquam vero nomina civitatum et miliaria scripta sunt, oportet quomodo praedictae civitates captae fuerunt, et a quibus et quo tempore, per Cafarum veritas cognoscatur. Verum namque est, quod Ierosolimitana civitas capta fuit a praedicto exercitu Francorum cum quibusdam Ianuensibus, scilicet cum Guillielmo Embriaco et cum Primo fratre eius, multisque aliis bellatoribus viris Ianuae, qui machina ibi fecerunt, quorum ingenio civitas capta fuit mense Iulii 1099, sicuti in libro Cafari scriptum est. Aliae vero praedictae civitates quamvis diversis temporibus captae fuissent, tamen a primis captionibus ordo incipiatur. Quare Caesariam[d] et Azotum Ianuenses cum Balduino[e] rege mense Iulii praeliando cepe-
1101. runt, et tunc currebant anni 1101. Cum vero istis duabus civitatibus captis Ianuenses revertendo ad Ianuam, et venissent in Romaniam, in Val de Compar obviaverunt navidio[83] Constantinopolitani imperatoris, cuius navidii Cotromil dux erat, et salandrios[*] 60 in navidio secum habebat. De quibus Ianuenses 7 ceperunt, et igne combustos dimiserunt, et contra alios cum 26 galeis ut illos caperent armata manu contra eos ire coeperunt. Dux vero postquam vidit Ianuenses tam ferociter contra eum venire, misit legatum suum ad Ianuenses de concordia et pace, et sic insimul concordando, usque ad civitatem Curiofo[85] venerunt, et inde praedictus dux et Ianuenses legatos Ianuenses cum praedicto Landulfo duce ad imperatorem Alexium, Raynaldum de Rodulfo, et Lambertum Ghetum miserunt. Et cum

a) teugra 1. b) mox 1. c) comestationibus 1. d) *in imo codicis 1. margine manu alia eiusdem fere aevi adiicitur:* Hec antea vocabatur Turris Stratonis, set Herodes rex Iudee in honorem Cesaris Augusti eam postea Cesaream nuncupavit. In ea etiam templum construxit mire pulcritudinis, in quo inventa fuit scutela de smaraldo, quam comune Ianue hodie habet, et eam habere voluit pro torcia parte tocius civitatis et mobilis quod eidem proveniebat per captionem ipsius. In Ysidoro ethimologiarum libro XVII. de viridibus gemmis sic invenitur: Smaraldi autem mero et viridi proficiunt oleo etc. cuius corpus si extensum est sicut speculum ymagi . . . . . *Reliqua abscisa sunt.* e) M°C°I° *in marg.* 1.

82) cui a. 1132 a Fulcone rege cura principatus Antiocheni commmissa fuit. Wilh. Tyrius l. XIV, c. 5. Testis subscripsit cartis Fulconis a. 1133. indict. 12. in palatio Antiocheno („testibus Rainaldo Mansuerio constabulario") et a. 1135 „R. Masuerius". Assises de Ierusalem, Paris. 1843. T. II. p. 491. 492. Ibidem p. 468 in libello „Des lignages d'outremèr cap. 33. „Des seignors dou Margat" legitur: „Le Mazoir fut le premier seignor dou Margat, et ot une fille qui esposa Guillaume de Thorot" etc. Cap. 32. pag. 468 inter seniores Meracleae habetur in fine: „Reimont . . . esposa la fille de Renaut dou Margat et orent une fille Isabeau qui esposa Iohan Angelier" etc. 83) i. q. navigio, classi. *) i. q. chelandra seu chelandrios. 85) Corfu.

1101. ad praedictam civitatem Curfo per triduum morabantur, galeae octo de Ianuensibus venientes, et cum gorabis[a] octo, et cum nave una magna cum militibus Ianuensibus et pelegrinis, et insulam de Curfo per duos dies ibi steterunt; et cum aliis Ianuensibus qui de Caesaria veniebant loquuti de fortuna quae eis acciderat, insimul locuti fuerunt, et ita laeto animo ad invicem separati fuerunt; et illi qui cum octo galeis et gorabis[b] et navi erant, in quibus galeis Mauro de Platea longa cum aliis nobilibus viris erat, in navi Paganus de Volta cum multis aliis nobilibus viris, ad Ierosolimam perrexerunt, et sepulcrum Domini visitaverunt. Et expletis visitationibus ad Turtuosam perrexerunt, et cum Raymundo comite Sancti Egidii, qui reversus erat de Constantinopoli ad orientales partes, Turtuosam obsidendo ceperunt, et tunc anni currebant Domini 1101. Et civitate capta multitudo Turcorum magna venit, et obsidere civitatem coeperunt. Ita quidem quod christiani qui intus erant stabant et portas clauserunt, et in magno timore stabant. Accidit tamen nocte una virtus Dei qui non derelinquit sperantes in se, tale miraculum christianis ostendens, quod campanae per se sonaverunt, et portae civitatis per se apertae fuerunt; ita quod christiani hoc proditores fecisse crediderunt. Sed priusquam[c] miraculum Dei fuisse cognoverunt, omnes illico christiani qui in civitate erant, ad bellum de foris exierunt, et vulnerando et interficiendo usque ad Tripolim Sarracenos mortuos in campo relinquerunt. Comes vero Sancti Egidii, qui capithius[86] victoriae erat, deinceps coepit Tripolim obsidere, et iuxta Tripolim longe per miliarium unum imposuit castrum unum quod vocatur Mons Peregrinus, ubi muros et turres et mansiones multas construxit, et multi christiani undique ibi habitare coeperunt. Comes vero cotidie, de die in diem bellum cum Sarracenis faciebat, et in magno timore Sarracenos destrictos tenebat. Accidit postea quod praedictus comes ibi uxorem accepit, de qua recepit filium unum nomine Anfose. Ipse vero comes quando mare transivit, terram suam totam cuidam bastardo, Beltram Zavata[d] nomine in guardia commisit, quoniam alios filios non habebat. Interim quidem filio Anfo nato et Monte Peregrino constructo, stetit obsidendo Tripolim, donec Ianuenses ad captionem Acharuntis et Gibelleti venerunt; et quando venerunt, comes cum Ianuensibus stetit, donec civitas Acharuntis et Gibelleti captae fuerunt. Et Gibelleto capto[f] comes tenuit Gibelletum pro se, et de districto Tripoli erat, et dedit terciam partem Ianuensibus et duas sibi tenuit, et vicemcomitum suum ibi posuit, et Ianuenses in terciam partem Ansaldum Corsum pro guardia posuerunt. Verum namque est quod post captionem Caesariae et Azoti venientibus galeis Ianuensium quae praedictas civitates ceperunt, renuntiando et dicendo ceteris Ianuensibus triumphum et victoriam quae eis Deo auxiliante evenerat, et ostendendo[g] magnas opes et divitias quas ibi ceperant, cum magna laeticia ab eis recepti sunt, et iterum renunciando quomodo terram orientalem invenerunt, ita enim cognoverunt regem Gotofredum mortuum, et Boamundum in captione Turchorum Corrizanae esse. Unde omnes orientales partes timore commotae, credentes loca et terram amittere, de adventu stoli Ianuensium qui ad portum Laudiciae venerant, habitatores terrae multum inde laetati fuerunt, et per hyemem totam illinc steterunt, et Balduinum de civitate Edessae ad Laodiciam venire fecerunt, et deprecati eum fuerunt, ut regnum Ierusalem acciperet, et fecit, sicuti in praeterita scriptura Cafari scriptum est. Et Tanclerium in Antiochiam principem posuerunt, et Cafarus qui hoc narrat, interfuit et vidit. Et Ianuenses per totam hyemem morando multa de honore Dei circa partes illas fecerunt, et columpnas duodecim marmoreas quae in palatio Iudae Machabei adhuc erectae stabant, in terram deposuerunt, et in quadam nave illas collocaverunt; quae 15 palmi volvebant, et diversis coloribus[h] coloratae erant, rubei scilicet et viridi atque ialni; ita nempe quasi in speculo homines speculabantur. Pascha veniente versus Ierusalem perrexerunt, et sicuti in libro Cafari scriptum est; et navem de colonis[87] Ianuam mandando, in gulfo Sataliae fracta remansit. Ianuenses autem qui in Ianua erant, haec supradicta audientes 1105. dicere ab illis qui de stolo venerant, commoti Dei servitio, 40 galeas armaverunt, et ad orientales partes[i] perrexerunt, et civitatem Acharuntis, una cum Gibelleto, et cum rege Balduino et cum Raimundo comite bellando ceperunt. Ibique rex Balduinus privilegia Ianuensibus, sicut promiserat et scripta sunt in registro Ianuensi[88], indictione 11. firmavit

a) gorabiis 1. *i. q. carabis, scaphis parvis.* b) *ita* 1. c) *corr. alio atramento* postquam 1. d) betran Zavata 1. f) a. MCV. *in marg. alia m.* 1. g) ostendo 1. h) colloribus colloratae 1. i) *alia m. suppletum* 1.

86) i. q. caput. 87) i. e. columnis. 88) Liber iurium I, 17. data 1105. 7. Kal. Iunii.

1105. et fecit; quorum privilegiorum exemplum litteris aureis in triuna[a] Sepulcri in lapide uno
scribi praecepit, et uti scriptum fuit cum 12 viris de maioribus curiae suae in perpetuum
89 firmum tenere iuravit; et tunc currebant anni 1105. Ianuenses vero ruam[89] unam Acharuntis
iuxta mare et giardinum[90] unum pro tercia parte civitatis, et 600 bisantios in uno quoque
anno habere cum rege Balduino pactum fecerunt[91]. Insuper terciam partem quae de foris
92 erat usque ad lequam[92] unam, et posuerunt vicecomitem unum Sygbaldum scilicet, Sancti
Laurentii canonicum, qui totum quiete tenuit et habuit, sicuti in privilegiis scriptum est.
Hoc completo[b] Ianuenses cum triumpho redierunt[c]. Postea vero comes Raymundus apud
Montem Peregrinum obiit, et vice sua Guillielmus Iordani nepos eius Montem Peregrinum
tenuit et rexit, et nuntium suum cum litteris Ianuam misit nunciando de morte comitis[d], et
ut auxilium ad capiendam civitatem Tripoli pro Dei servitio et sancti sepulcri venire non
protelarent. Filium enim Anfos puerum milites comitis ad Sanctum Aegidium portaverunt,
et terram totam quam Beltram Zavata bastardus praedicti comitis in guardia tenebat, habitatores illius terrae ad servitium pueri, donec ad aetatem veniret, tenere iuraverunt. Beltram autem terram dimisit puero, et cum militibus in gorabiis Ianuam per mare venit,
rogando Ianuenses ut eum pro servitio Dei ultra mare ad capiendam civitatem Tripoli cum
stolo galearum portarent. Ianuenses vero auditis precibus et promissionibus istius, et pro
legatione Guillielmi Iordanis galeas 60 armaverunt, et Beltram cum militibus suis ad Tripolim portaverunt, et obsidendo civitatem cum Beltram steterunt, donec multis machinis
et magno labore civitatem praeliando sicuti fortissimi bellatores vi ceperunt. Interim Willelmus Iordani qui moestus erat de adventu Beltram, cotidie interdicebat, ut Beltram de
civitate non intromitteret, et Montem Peregrinum et campos seminatos circa montem[e]
tenebat, et nuntium suum ad Tanclerium in Antiochia misit, ut ad eum veniret et adiuvaret
eum ut Beltram cum bello a civitate expellere posset. Tanclerius autem uti mandaverat
cum militibus multis venire incepit, et infra hoc, die una summo mane scuerii[93] de Beltram
erant intra messes Willelmi Iordani. Willelmus illico equum ascendit, et currendo contra
scuerios, unus de scueriis sagittam unam traxit et per gulam eum percussit, et in campo
1109. messium[f] mortuus remansit. Beltram vero de morte istius laetus, Montem Peregrinum
tenuit, civitatem autem Tripoli de foris, et terram iuxta Tripolim cum Ianuensibus divisit:
ita quod tertiam partem intus et de foris et duas partes de Gibelleto quas comes Raymundus
pater eius in se tenuerat, Ianuensibus dedit[94], et sacramento firmavit in omnibus modis
quibus Ianuenses voluerunt[g]; et dixerunt, quod male de civitate Tripoli salvavit. Ianuenses
vero Gibelletum totum tenuerunt, et duas partes Ugoni Embriaco in guardia dimiserunt,
terciam autem Ansaldo Corso sicuti tenuerat relinquerunt; et Tripolim legatos suos pro
guardia partis eorum divisae posuerunt, et postea ad sepulcrum Domini orationis causa
ierunt. Sed Beltram nuntios Ianuae de civitate inhoneste expulit, et sacramentum quod
fecerat post terga posuit. Ianuenses autem a sepulcro redeuntes, Gibelletum ordinaverunt
de omnibus necessariis rebus, et praedicto Ugoni et Ansaldo ut sapienter de civitate guardiam haberent praeceperunt, et Ianuam cum triumpho redierunt[h]. Capto Tripoli anni currebant Domini 1109.

a) *i. e.* tribuna; *in codice* 1. truina *distinguitur*. b) complecto 1. c) trihumpho reddierunt 1. d) comittis *c.* e) mortem 1. f) mensium 1. g) *hic erasa scriptura vaca* . *Ansaldo addit* conficere eis privilegium anno Domini 1109 mense Iulii. h) reddierunt 1.

89) plateam. 90) hortum. 91) Liber iurium I. 92) leugam. 93) escuerii, scutiferi. 94) a. 1109. 6. Kal. Iulii. Liber iurium I, 18.

fol. 23.

# BREVIS
# REGNI IEROSOLYMITANI
# HISTORIA.

Cum civitas Ierosolimitana capta fuisset secundum quod reperitur scriptum supra in prima hystoria, videlicet currente 1099, dux Gotofredus eo tempore electus fuit rex et dominus, qui siquidem homo benignus et honestissimus, et dixit se non portaturum coronam auream, ubi altissimus Iesus Christus passus fuit coronam spineam deportare. Cumque regnaret predictus Gotofredus, post breve tempus lumen vitae clausit extremum anno Domini 1100. circa natale Domini.

Post cuius mortem electus fuit in regem et dominum quidam Balduinus, frater praedicti ducis Gotofridi; qui siquidem comes erat in Rages, que civitas erat quam aquisitus fuerat. Ad quem rogatus predictus Balduinus se obtulit, maxime ad instanciam et preces quorundam Ianuensium qui ibi erant cum galeis 26 et navibus 6, et similiter ad preces patriarche Dumberti et Mauricii Portuensis episcopi et Romane curie legati. Predictus Balduinus rex, qui fuit vir probissimus et discretus, in principio temporis ipsius una cum predictis galeis Cessariam accepit, sicut manifeste scriptum est superius in hystoria Cessarie.

Postea vero subiugavit quandam civitatem que vocabatur Acharon[a], mediante auxilio Ianuensium, qui in eius subsidium habuerunt ibidem galeas 40; pro quo siquidem servicio quod a Ianuensibus receperat, ipse Balduinus dedit et concessit comuni Ianue tercium infra predictam civitatem de Acaron, sicut per singula scriptum reperitur in[b] quodam privilegio quod inde iussit fieri, quod est in registro comunis Ianue currente 1105.[c]

In eodem anno Ianuenses una cum comite Raymundo Sancti Egidii Gibelletum ceperunt, sicut scriptum est supra in prima hystoria; et similiter ceperunt Tortosam de Suria, currente 1101.[d]

*col. 2.

In tempore autem predicti Balduini Ianuenses cum galeis 40 armatis ultra mare perrexerunt una cum Beltramo Zavata, qui fuit bastardus comitis Raymundi comitis[e] Sancti Egidii; et ceperunt Tripolim; qui comes Beltramus dedit et concessit comuni Ianue terciam partem de Tripoli, presente predicto Balduino rege, sicut[f] continetur in quodam privilegio quod est in registro comunis Ianue, currente 1109. mense Iulio. Postea vero predictus comes Beltramus illud quod Ianuensibus dederat et concesserat, de quo specialiter iuramento tenebatur, post paucos dies eisdem abstulit.

Predictus autem Balduinus rex cum galeis 22 Barutum cepit, currente 1110. Ianuenses vero eo tempore cum predictis galeis 22 quandam civitatem ceperunt sine auxilio aliquorum, que civitas vocatur Malmistra, que est in principatu Antiochie.

Predictus quidem Balduinus multas civitates et loca in suo tempore subiugavit et supposuit[g] regno[h] Ierusalem, et vixit per plures annos. Postea quidem decessit; verum tamen in tempore predicti Balduini regis ipse Balduinus concessit Ianuensibus scribi in triuna[i] Sepulcri litteris aureis illud quod eis concessit per privilegia; et que littere constiterunt[k] Ianuensibus bisancii duo milia aurei; que littere taliter scripte extiterunt usque ad tempus regis Amarrici, qui eas destrui fecit et suffocari.

Post mortem cuius Balduini electus fuit in regem comes de Roaxia[l], qui consanguineus erat germanus predicti Balduini, et qui similiter Balduinus[m] vocabatur. Cumque predictus Balduinus qui decesserat, fratrem haberet qui Eustachius vocabatur comes Boloniensis, scito ab eodem Eustachio de morte dicti fratris sui, se* preparavit[n] ire in Ierusalem pro accipiendo regno et manutenendo ex successione predicti fratris sui. Cumque ivisset usque in Puliam, audivit quod predictus Balduinus consanguineus eius rex electus fuerit; qui statim deinde redivit, dicens quod nullo modo volebat quod terra Domini pro eo in scandalum poneretur, licet successio de iure ad ipsum pertineret. Predictus autem Balduinus qui comes fuit de Roaxia, filiam quandam habuit nomine Millixcen, que regina fuit

1118. *fol. 23.

a) Hec est una de quinque civitatibus philistinorum prope mare non longe ab arzoto, que similiter est una de quinque civitatibus philistinorum *glossa m. saeculi XIII. exeuntis.* b) In 1. c) M°.C°.IIII°. *corr.* M°.C°.V°. 1. d) M°C.I°. *corr. ex* M°C°III°. 1. e) comite *cod. sed m. posterior correxit:* comitis. f) Sicut 1. g) suposuit 1. h) *sic man. posterior corr.* regnum *codicis* 1. i) *i. e.* tribuna. k) constituerunt 1. l) Boaxia *corr.* Roaxia 1. m) II. *alia manu, et in margine* tertius rex. n) pparavit *lineola omissa* 1.

1118. et que uxor fuit regis Fulconis. Et non[a] miretur aliquis, si de ea modo fit mentio, quoniam occasione predicte mulieris postea terra amissa fuit. Postquam autem rex fuit, ipse Balduinus filias duas habuit, una quarum vocata fuit Dulcis, et que uxor fuit comitis Raimundi de Tripoli, qui ab Assaxinis fuit interfectus; qui Raimundus reliquit ex dicta uxore sua filium unum qui similiter vocatus fuit Raimundus; in tempore cuius terra amissa est. Alia quidem filia vocata fuit Aelis, et que uxor fuit Baiamontis principis, qui fuit filius Baiamontis Roberti Guiscardi. Ex qua sustulit filiam unam, que vocata fuit Constantia, et que uxor fuit Raimundi comitis Pictaviensis. Supradictus autem Balduinus rex tanquam vir probissimus et discretus per plures annos vixit, et in suo tempore multas civitates et loca cepit et subiugavit viriliter, et specialiter civitatem Tyri cepit[b] cum storio[1] Veneticorum; postea vero decessit.

1131. Quo rege mortuo, predicta filia ipsius nomine Milliscen in matrimonium copullata fuit 2 cuidam Fulconi comiti de Anio[2], qui Fulco rex effectus[c], terram ipsam rexit et tenuit, sicut vir probissimus, per multa tempora, et ex ipsa uxore sua sustulit filios duos, unus quorum vocatus fuit Balduinus et alter Amarricus, qui postea ambo fuerunt reges. Ad ultimum 1142. vero predictus Fulco rex decessit, et successit ei in regno Balduinus[d] eius filius, qui habebat annos 13; et alter scilicet Amarricus, qui habebat annos 7, fuit comes de Iaffa. Qui Balduinus rex multimoda probitate et discretione redimitus, per longa tempora vixit; habuit autem in uxorem Theodoram[e] neptem imperatoris Manuelis, filiam fratris sui maioris Ysaac. In quibus temporibus terram tenuit et amplificavit, et multa castra et loca construxit et alia multa magnalia fecit, et specialiter civitatem Scalone[3] cepit 1154, anno decimo sui regni.

In eodem tempore rex Loysius Francorum et rex Conradus Alamanie magno exercitu congregato, perrexerunt ultra mare per terram et fuerunt in obsidione civitatis Damascie. In qua obsidione fuit Fredericus dux Suavie[f], qui filius fuit fratris dicti regis Conradi et qui postea imperator fuit. Dictus autem Conradus[4] ante portam ipsius civitatis Damascie quendam militem armatum cum ense per medium obtruncavit; verumtamen de ipsa obsidione recesserunt, nec potuerunt ipsam capere civitatem.

Predictus autem Balduinus rex se dedicavit et reddidit in mansione templi, quod de novo constructum erat, non per multa tempora. Et ibidem vite[g] sue spacium consumavit 1162. anno Domini 1162; successitque ei in regno frater eius nomine Amarricus annorum 27, anno Domini 1163. Ipse quidem Amarricus, ante quam susciperet regnum, habebat quandam in uxorem, sororem videlicet comitis Iaucellini iuvenis de Roaxia, que vocabatur *fol. 24. Agnesia,* eaque sibi attinebat in quarto gradu, et ex eadem uxore filium unum substulit, qui vocatus fuit Balduinus et qui postea rex effectus fuit; veruntamen leprosus fuit. Item similiter ex ea sustulit filiam unam que vocata fuit Sibilia et que uxor fuit Willelmi Longespate, marchionis Montisferati, et similiter regis Guidonis. Cognoscens autem predictus rex Amarricus se in peccato morrari cum dicta uxore sua propter lineam parentele qua[h] secum coniunctus erat, dixit se iuste non posse coronam deportare quam diu in tali peccato moraretur; unde ab ipsius matrimonio secessit. Quo separato[i] ab ipsa, aliam in uxorem accepit, que vocata fuit Maria, neptis imperatoris Manuelis, filia Iohannis Protosavasto[k], qui erat nepos imperatoris Manuelis ex fratre suo; et ex ea sustulit filiam unam que vocata fuit Ysabella, et que maritos quatuor habuit. Ipse autem rex Amarricus postea per multa tempora vixit et optime rexit regnum tamquam vir providus et benignus, multaque prelia devicit et loca plurima subiugavit et rehedificavit, et multa prospera in suo tempore acciderunt; et licet omnia vobis enarrare non valeam, dicam tamen summo tenus super facto ipsius que michi dicenda videntur. Erat quippe in Babilonia quidam dominus cui nomen 5 erat Mullena[5], in cuius patria pauci homines inveniebantur armifferi vel bellatores, propter inertiam et miseriam ipsorum. Ipse autem semper reclusus in palatio existebat. Eratque in patria illa quidam magnus princeps[6] qui vocatus fuit Foartus[l, 7] et qui gravem discordiam habebat cum quibusdam magnatibus illius terre, quorum nomina ignoro. Qui

a) non *m. posteriore superscr.* 1. b) *m. posterior addit in margine:* M°C°xxiiij. c) quartus rex *in margine.* d) iii *superscr. m.* 2. e) Theodaram *corr. ex* Theadaitam 1. f) Scavie 1. g) victe *cod.* h) qua *m.* 2. *margini addidit c.* i) seperato *c.* k) *corr. ex* proiosavasto *c.* l) *ita hoc loco legitur.*

1) i. q. stolio. 2) Anjou. 3) Ascalon. 4) Cf. Wilh. Tyr. l. XVII, c. 4. 5) Caliphae appellatio, quod Wilh. Tyrius interpretatur *dominus noster* XIX, 20. 6) Aegypti procurator. Wilh. Tyrius l. XIX. c. 5. 7) Ssuar; Savar Wilhelmo Tyrio l. XIX. c. 5. 20.

Xoartus cum exercitum congregare vellet contra inimicos suos, misit predicto regi Amarrico[a] quod in eius subsidium venire deberet ad solidos ipsius una cum militibus suis. Cum autem venisset predictus rex Amarricus in subsidium ipsius et cum militibus suis, predictus Xoartus eidem regi tribuebat qualibet die pro lancea sua bissantios mille, et cuilibet ex militibus eius in voluntate ipsius. Iverunt autem in Babiloniam, et fuerunt in Alexandriam, et ipsam civitatem in eius potestatem habuerunt; quam siquidem predictus rex Amarricus poterat ad eius beneplacitum retinere, nisi quod venire nolebat contra iuramentum quod predicto Xoarto fecerat. Adversarii autem dicti Xoarti miserunt in Damasciam pro sucursu habendo contra predictos, in quorum sucursu venit quidam admiragius qui vocatus fuit Sirochonus. Ipse autem Sirochonus quatuor nepotes habebat, videlicet Semsedole et Sefei Salem atque Saladinum et Sefedinum, qui simul cum aliis pluribus militibus simul iverunt cum predicto admiragio in predictum subsidium. Verumtamen predictus rex Amarricus non dimittens propter ipsorum adventum, quandam civitatem de illa provintia obsedit, que specialiter vocabatur Bolbese[8], et ad ultimum ad pacem et concordiam pervenire fecit dictum Xoartum cum inimicis suis ad voluntatem ipsius, et in patriam propriam regressus est cum maximo honore et trihumpho et cum maxima copia peccunie una cum militibus suis. Turchi autem de adversa parte similiter regressi sunt in eorum patria cum maxima quantitate bisantiorum quam adepti fuerunt de eorum solidis. Considerans autem predictus Syrochonus fertilitatem[b] civitatis Babilonie et imbecillitatem hominum* existentium, ipsam subiugare putavit. Unde privatim magno exercitu congregato, simul cum predictis nepotibus suis in ipsius obsidionem accessit, inscio tamen rege Amarrico de adventu ipsius. Qui Sirochonus cum ad colloquium pervenisset[c] cum Xoarto dicto, ipsum nequissime interfecit ad proditionem, et similiter Mullenam superius nominatum, et non fuerunt aliqui rebelles contra ipsos, set civitatem illam predictus Sirochonus et nepotes ceperunt et subiugaverunt, verumtamen dominium illius civitatis concessum fuit Saladino predicto.

1162.

*fol. 24'.

Audito[9] autem rege Amarico de captione illius civitatis et de dominio quod inde habebat Saladinus, plurimum turbatus est. Unde illico armari fecit galeas septem[10], in quibus perrexit in Constantinopolim ad imperatorem Manuelem, avunculum uxoris sue Marie, pro postulando ab eo subsidio; qui Manuel ipsum alacriter vidit[d] et suscepit. Cum autem ipse imperator Manuel, qui omnimoda largitate et prudentia fuit undique redimitus, et qui universos de Grecia excesserat in bonitate qui ante ipsum precesserant per annos trecentos et ultra, putavit facere congregari maximam quantitatem auri et argenti atque pannorum sete, quam exhibere volebat predicto regi Amarico. Unde congregata maxima quantitate predictorum, poni[e] fecit in simul in pallatio ipsius, postea vero ipsum regem Amarricum ad prandium invitavit. Cum autem a prandio surrexissent, predictus imperator Manuel eidem regi Amarrico dixit, quod eidem thesaurum suum hostendere volebat; quem thesaurum cum vidisset, predictus imperator Manuel eidem[f] dixit: quid facturus esset, si tantum thesaurum possideret? Qui rex Amarricus ei respondit, quod ipsam terram devinceret et subiugaret, que detinebatur in suis partibus per Sarracenos. Qui imperator Manuel dixit: *Et ego nolo quod propter hoc remaneat.* Unte totum ipsum thesaurum eidem dari precepit. Qui rex Amarricus accepto thesauro cum maximo gaudio et leticia et cum ipsius gentibus reversus est. Ex quo thesauro maximum exercitum congregavit, et maximum dampnum intulit Sarracenis; et specialiter obsedit quandam civitatem que vocabatur Bellinax[11], que multum proxima erat civitati Damascie. Ad ultimum quidem predictus rex Amarricus diem vite[g] clausit extremum, et successit eidem in regnum Balduinus[h] eius filius, et reliquit ei baiulum quendam consanguineum suum, qui vocatus fuit Mille[12] de Plancino, qui postea interfectus fuit a dominis de Baruto. Veruntamen ante quam moreretur[i] predictus rex Amarricus, simul cum canonicis Sepulcri destrui[k] fecit litteras aureas que scripte erant in triuna Sepulcri, de eo videlicet quod concessum erat comuni Ianuensium, sicut supra dictum est.

1173. Iul. 11.

Predictus autem Balduinus rex filius Amarrici regis per multa tempora vixit, qui vir fuit et probissimus et benignus, verumtamen leprosus fuit, et multa prospera regno

a) Armarrito *corr.* Amarrito *c.* b) ferilitatem, *m. 2 corr.* fertillitatem 1. c) pvenisset, *virgula omissa* 1. d) videt 1. e) ponit 1. f) eidem *bis habet* 1. g) victe 1. h) IIII. *alia m. superinscriptum.* i) morreretur 1. k) destruit 1.

8) Belbeis quae olim dicta est Pelusium. Wilh. Tyr. XX, 5. 9) i. e. postquam rex Amaricus audivit. 10) decem Wilh. Tyrius XX, 22. 11) Paneas. 12) alias Milo audit.

1173. Ierusalem in eius tempore acciderunt, et obtinuit prelia decem; nec unquam in aliquo prelio personaliter subcubuit; et sororem eius, Sibiliam nomine, in matrimonium copulavit Willelmo Longespate marchioni Montisferrati. Ex qua filium unum substulit, qui vocatus fuit Balduinus et qui postea rex fuit. Postea autem, post mortem dicti Willelmi Longespate, *fol. 25. predicta Sibilia in matrimonium* copulata fuit regi Guidoni. Aliam quidem sororem, nomine Ysabellam, maritavit in quendam Unfreduin, filium Unfredi de Tirono, et postea uxor fuit Conradi marchionis Montisferrati, fratris predicti Willelmi Longespate. Et similiter uxor fuit comitis Emrici de Campagna, et similiter Aymerici regis Cipri, qui frater fuit predicti regis Guidonis. Postea quidem predictus Balduinus rex, qui leprosus fuit, decessit et dimisit regnum suum nepoti suo, videlicet Balduino filio Willelmi Longespate. Cui Balduino 1183. dimisit baiulum comitem Raimundum de Tripoli, qui fuit filius comitisse Dulcis et consanguineus germanus regis Amalrici. Ipse autem comes postquam effectus fuit baiulus, terram rexit ad modum regis. Qui comes quandam civitatem possidebat ex parte ipsius et que pervenerat ei ab uxore eius, que civitas Tabaria vocabatur, et que erat in regno Ierosolimitano, cui dominio civitatis appendebantur[a] milites 80 terram et feudum possidentes. 13 Uxor[13] autem predicti comitis[b] alium virum[14] habuerat, ex quo quatuor filios sustulerat; videlicet Ugonem Ostem[15] Willelmum et Raulfum[c]. Qui siquidem nobilissimi erant et multa probitate decorati, et erant ad mandata ipsius comitis. Sepe dictus vero comes videns se dominum esse de Tripoli atque baiulum regni Ierosolimitani, et dominum Tabarie, putavit sibi acquirere et appropriare ipsum regnum Ierosolimitanum de quo baiulus erat, dicens quod ad se spectabat, et quod ipsum de iure habere et retinere debebat. Tali ratione, eo videlicet quod Balduinus rex secundus, avus ipsius, eo tempore quo comes erat de Roaxia[d], filiam habuit que vocata fuit Milliscen. Tempore procedente, postquam rex effectus fuit, aliam filiam sustulit que vocata fuit Dulcis, et que mater erat ipsius comitis. Cum autem esset consuetudo, quod primus heres hereditatem paternam habere deberet, dicebat quod predicte Milliscen solummodo perveniebat comittatus de Roaxia, eo quod in ipso tempore nata fuerat, et matri sue, videlicet Dulci, dicebat pervenire regnum, eo quod nata fuerit ipso rege existente; et ita dicebat ipsam primam esse et potiorem in ipso regno. Super quibus predictus comes locutus fuerit cum baronibus[e] et principibus ultramarinis, quos habuit ad voluntatem ipsius; postea vero non per multum tempus ille puer Balduinus, qui de iure regnum habere debebat, decessit; et specialiter in Accone, ubi quidem erant marchio Montisferrati, avus dicti pueri, et mater eiusdem que Sibilia vocabatur, et comes Guido de Iaffa, qui maritus erat ipsius Sibilie, et princeps Raynaldus et comes Iausellinus, qui omnes predictum puerum mortuum portari fecerunt in regnum Ierusalem et ibidem 1186. ipsum sepelliri fecerunt.

Comes autem Tripoli iam dictus cum esset in Tabaria, audito morte dicti pueri coadunari fecit universos amicos ipsius, dicens se velle proficisci in regnum Ierusalem, et si regina Sibilia predicta, mater dicti pueri, regnum ipsum accipere vellet, ipsum defendere volebat et hostendere quod ipsum regnum ad ipsam de iure pertinebat. In regno quippe Ierusalem erat magister Templi, Girardus de Ridaforte nomine, qui odio habebat valde comitem Tripolitanum, eo[f] videlicet quod in comitatu ipsius comitis erat quoddam castrum quod vocabatur Botronum, quod siquidem erat cuiusdam mulieris virginis et quam dictus *fol. 25'. Girardus magister Templi postulaverat in uxorem a predicto* comite et ad suplicationem ipsius eam sibi promiserat. Cum autem esset quidam Pisanus in Tripoli qui valde dives erat, et haberet nepotem unum qui vocabatur Plebanus, dedit predicto comiti bisantios decem milia ut daret predictam dominam in uxorem dicto nepoti. Qui comes habitis bisantiis, ipsam dominam in predictum Plebanum maritavit. Quo scito a predicto Girardo, verecundia et dolore maximo stupefactus, se reddidit apud Templum, et postea in brevi tempore magister Templi effectus fuit.

Sepulto autem predicto puero nomine Balduino, magister Templi et princeps Rainaldus et comes Iauselinus una cum aliis amicis eorum, qui ibidem aderant, exhibuerunt terram comiti Guidoni de Iaffa et Sibilie eius uxori, ita quod predictum Guidonem coronaverunt[g].

a) appendebatur 1. b) comittis 1. c) Rau 1. 2. d) Roazia 2. e) *corr. ex* baronis 1. f) et 1. 2. g) *postera manus in marg. addit:* viiij[us] rex.

13) Eschiva nomine. Wilh. Tyr. l. XXI. c. 5. 14) Galterium principem Galileae. 15) Wilhelmi continuationes Gallicae Otes vocatum tertio quartove loco recensent.

Cum autem dictus Guido rex egrederetur templum habens coronam in capite, tunc pre- 1186. dictus magister Templi inspiciens eum dixit, quod ipsa corona bene valebat Botronum. Comes autem qui in Tabaria erat[a] his auditis plurimum turbatus fuit; et statim, sicut fama publica inde fuit, misit nuntios suos apud Saladinum, et cum eo pactum statuit sed privatum. Post hec patriarcha Ierusalem simul cum episcopis, Hospitalariis et aliis principibus et magnatibus illius terre, timentes de amissione terre propter dissensionem que erat inter regem et comittem, taliter operati fuerunt, quod compositionem et pacem fleri fecerunt inter ipsos. Verum domnus Balduinus de Bellino nollens ipsi concordie consentire, in Antiochiam accessit, et post breve tempus lumen vite[b] clausit extremum.

Postmodum autem post breve tempus princeps Rainaldus, qui potentissimus erat in partibus illis et qui in uxorem habebat quandam que uxor fuit domni Anfredi de Tirone, treguas constitutas inter regem et Saladinum corrupit; et quadam die maximam caravanam ex illis Saladini cepit, in qua retinuit homines et maximam peccunie quantitatem; propter quod Saladinus plurimum conturbatus fuit. Veruntamen plures misit regi et baronibus et aliis principibus terre, quod facerent restitui homines et alia que amiserat. Sed predictus princeps Rainaldus, et quia[c] amicissimus erat regis et quia operam exhibuit ad ipsum coronandum, nichil[d] restituere voluit.

Salaadinus autem congregato maximo exercitu, etiam cum 60 milibus personarum in 1187. terram intravit et Tabarie civitatem obsedit. Quo scito rex Guido et comes Tripoli predictus simul cum Templeriis et aliis principibus et magnatibus illius terre maximum exercitum congregaverunt propter succursum Tabarie. In quo exercitu habuerunt milites mille et Turcopolos quatuor milia et pedites 25 milia; et versus Tabariam euntes, situm fecerunt super quendam montem fortissimum, qui erat ante Tabariam et qui maxime copiosus erat aqua. Cum autem illic existerent, conscilium inter se fecerunt, videlicet rex et comes et alii principes et barones[e], de prelio faciendo contra Salaadinum. Ad que respondens comes dixit, quod sibi non videbatur bonum, prelium incipere contra Salaadinum, quoniam Tabaria sua erat; et si caperet Tabariam, terram inde portare non poterat, et quod succursus semper augmentatur eisdem et diminuebatur Salaadino; quare expectare deberent et in recessu ipsum Salaadinum infugare, et ita ei maximum dampnum[f] inferrent. Quibus auditis Girardus magister Templi respondit: quod adhuc aderat de pilo luppi[16]; unde comes iratus fol. 26. dixit quod prelium volebat fieri; et statim in planum demerserunt. Quos videns Salaadinus exercitum suum armari precepit, et quasi se misit in fugam; et hoc fecit ut ampliorem campum christianis traderet. Cum autem christiani a monte separati[g] forent, regrediens dictus Salaadinus cum exercitu suo, se misit infra montem et christianos, ne ibi christiani refugium habere possent. Qui siquidem christiani cum aquam perdidissent[h], iverunt versus quendam monticulum, ubi prope aderat boscus. Et tunc Turchi ignem imposuerunt in bosco illo; et cum hoc esset tempore estivo, et quia christiani aquam non habebant, sustinere non potuerunt. Videns hoc comes de Tripoli, cum quibusdam militibus suis in simul Iun. 4. congregatis versus exercitum Saladini viriliter perrexit; quibus Sarraceni campum exhibuerunt, ita quod predictus comes cum predictis militibus suis a manibus inimicorum suorum evasit et in Acconem perrexit; alii autem christiani in fugam omnes se posuerunt, et ita omnes Salaadinus capi fecit.

Et tunc captus fuit patriarcha Ierusalem cum vera cruce, quam ferebat in prelio semper contra inimicos Dei, quam post quidam Ianuenses detulerunt in Ianuam hoc modo. Nam capta postea civitate Acon per Salaadinum, procedente tempore treguas fecit cum Iursachio imperatore Grecorum hoc modo; quod inter cetera imperator in civitate Constantinopoli construeret musoca[17] ad usum Sarracenorum, ipse vero eidem redderet veram 17 crucem quam ceperat. Quam cum eidem mitteret in quadam nave cum multis aliis donis, quidam Ianuensis nomine Willelmus Grassus, et quidam Pisanus nomine Fortis qui habitabat in Bonifacio quem Pisani tunc temporis possidebant, cum antea ad invicem inimici essent, convenerunt in unum, cum ambo essent pyrate, et dictam navem ceperunt; et cum dictus Fortis intellexisset per unum de nunciis Saladini, quod ibi esset crux vera, eam autem partem subripuit et Bonifacium deportatur; et cum postmodum tres naves Ianuensium Bonifatium cepissent, dictus Fortis eam accipiens, super mare siccis pedibus fugiens,

a) erat *addidi*. b) vitre 1. c) qui 1. d) *vox bis scripta* 1. e) baronos 1. f) dapnum 1. g) seperati 1. h) persidissent 1.

16) i. q. lupi. 17) i. q. moschee.

1187. pe Ianuenses[a] insecutus et captus cum dicta vera cruce, Ianuam est cum gaudio magno delata, et in quolibet die Veneris cuiuslibet mensis populo ostenditur. Et in dicto loco est alia vera crux que hoc modo Ianuam est delata, et vocatur crux Elene. Nam cum Venetici cepissent Constantinopolim, anno Domini 1203, mittebant in quandam navim istam crucem comuni Venette. Quidam civis Ianuensis Deodedelo, pyraticam artem exercens[b], eam cepit et Ianuam deportavit, ubi scripte sunt littere Grece. Dicitur autem crux Elene, quia cum beata Elena, mater Constantini, crucem Domini meruerit invenire, post passionem Domini de ipso ligno hanc crucem fecit, et post eius obitum in civitate Constantinopoli adorandam reliquid. Procedente tempore Constantinopolitanus patriarcha crucem dictam argento hornaverat, ut in[c] predictis litteris in cruce scriptis plenius continetur.

Est etiam in quadam fenestra iuxta altare beati Iohannis baptiste alia vera[d] crux, que dicitur crux sancta hospitalis beati Lazari[e] de Betania, quam Conradus marchio Montis Ferrei, cum Acon cepisset rex Francie et ipse cum eo, et dictam crucem in dicto loco invenisset, misit[f] eam communi Ianuensium et donabat in retributionem bonorum et honoris quod habuerat ab eis; et ista osculatur a populo die Veneris sancto[g].

Post hec Salaadinus cum maxima victoria et triumpho ad temptoria sua reversus, iussit quosdam ex carceratis ad se venire. Cum autem esset rex Guido[h] et princeps Ray- *fol. 26'. naldus et magister Templi et quidam alii barones coram eo, dixit rex eidem* Saladino quod sibi faceret dari potum; unde statim eidem dari precepit. Cum autem similiter postularet potum princeps ab eodem Saladino, respondit quod nullo modo sibi dari faceret. Erat quippe consuetudo inter Sarracenos, quod si potum alicui exhiberetur, ipsum postea non offendere; unde predictus Saladinus predicto principi dixit, quod se bonum hominem faciebat, et quod etiam iurare nolebat nisi supra corrigias calciamentorum suorum; et ipse venerat contra iuramentum quod fecerat supra Deum et crucem, quam ipse princeps credebat, et quod fidem contra ipsum corruperat. Unde dixit, quod nullo modo misereretur ipsius. Et faciens ipsum separari ab aliis, eidem caput propriis manibus obtruncavit. Regem vero et alios barones et principes honorabiliter in carceribus custodiri precepit. Comes autem Tripoli cum apud Acconem accessisset, alii christiani qui ibidem erant audientes de infortunio quod evenerat in ipso prelio, reduxerunt se omnes in civitatem Tyri[i]. Saladinus vero supra Acconem veniens cum exercitu suo, ipsam cepit; et cetera loca et castra atque civitates de ipsis partibus Acconis similiter subiugavit, preter civitatem Oct. 2. Ierusalem, in qua multi christiani se reduxerunt. Postea vero civitatem Ierusalem obsedit, in qua obsidione permansit per menses tres[k] et ad ultimum predicta civitas Ierusalem reddita fuit anno Domini 1187, die secunda Octubris; et tempore quo fuit predictum prelium, currebat 1187. de mense Iunii die quarta.

Papa autem Romanus, nomine Urbanus, hec nova audivit in festo sancti Martini apud Ferrariam, de quo dolore mortuus est. Cui successit Gregorius, qui vixit duobus mensibus; cui successit Clemens* tercius, qui ad imperatorem et ad reges Francie et Anglie misit pro succursu terre sancte, predicans crucem ubique. Comes autem Tripoli predictus cum in civitatem Tyri applicuisset simul cum aliis gentibus et principibus supradictis, invenit ibidem maximam quantitatem Ianuensium qui ibidem accesserant de Romania et de partibus Sicilie. Quos cum vidissent predicti comes et barones, eis dixerunt quod pro Deo et intuitu pietatis terram non permitterent subiugari a Sarracenis, et quod succursum exhibere deberent eisdem ad tuitionem ipsius terre, nec inspicere deberent ad ea que ipsis intulerant alii reges in preteritis temporibus, videlicet contra ea que ipsi Ianuenses habere debebant, unde ipsis tunc concesserunt libertatem in Tyro, et terciam partem in Cathena, et Casalem sancti Georgii, et multas alias possessiones que in privilegio inde facto per dictum comitem 18 et barones ipsis Ianuensibus continetur[18]. Unde Ianuenses misericordia moti, promiserunt prestare succursum eisdem pro posse eorum ad deffenssionem terre, que siquidem plenarie et viriliter fecerunt. Quoniam autem in se fidentibus Dominus misericorditer subvenire

a) *sic corr. pro* Ianuam *manus poster.* 1. b) exerces 1. c) ut in *manus poster. corr.; ex manus prior* 1. d) vero 1. e) Lacari, *corr.* Lazari *m. poster.* f) missit 1. g) *h. l. in margine manu saeculi XIII. exeuntis adiectum est hoc:* Istud intermedium non erat in cronica Caphari, set sic reperitur scriptum de vera cruce in libris ecclesie beati Laurencii. 1. h) Guido *manu saeculi XIII. exeuntis additum; vocem recepit* 2. i) Tirri *corr.* Tyri *a manu* 2 *cod.* 1. k) *h. l. man.* 1. *addidit in textu:* atque per dies 9 *quod manus* 2 *delevit.*

18) a. 1187 et 1190. Apr. 11. Liber iurium 1. p. 344 et 357.

volebat, erat eo tempore in Constantinopolitana civitate[a] quidam dominus Conradus de 1187. Monteferrato, qui fuit omnimoda probitate et scientia circumspectus, et qui in uxorem habebat sororem imperatoris Iursachi. Qui siquidem Conradus in servitium predicti imperatoris, cognati sui, imperatoris Iursachi, quendam maximum baronem de illis partibus interfecit, eo quod terram aufferre volebat eidem imperatori; et erat nomen ipsius baronis interfecti Verna. Sciens vero predictus Conradus quod Greci occasione mortis predicti Verne ipsum interficere nitebantur[b], conscilio habito cum quodam Ianuense privato suo, nomine Ansaldo de Bonovitino[c], locari fecit quandam navem, que erat cuiusdam* Ianuensis *fol. 27. qui vocabatur Balduinus Erminius, in qua nave se privatim recollegit et in portu Acconis cum ea applicavit. Et fuit hoc illis diebus, quibus terra amissa fuerat, anno Domini 1188. 1188. Cum autem prope ipsam civitatem foret, cognovit quod effecta erat Sarracenorum; unde plurimum timuit cum aliis de ipsa nave. Unde precepit quod aliquis non loqueretur preter ipsum. Veniens autem ad ipsam navem quedam barcha Sarracenorum missa a Saladino, interrogavit illos de nave, cuiusmodi gens erant. Quibus predictus Conradus respondens dixit: *Nos sumus christiani et specialiter Ianuenses mercatores, qui postquam audivimus de victoria quam Salaadinus fecit, securiter cum fidutia in terram suam venimus; unde postulamus et habere volumus sagittam unam ab ipso, causa fidutie.* Revertentes autem ipsi Sarraceni ad terram, ad dominum perrexerunt[c*]; et illico ipsis discedentibus predictus dominus Conradus fecit navem suam de portu trahi, et cum barcha tanizari; et tempore prospero adveniente, ipsa navis vellificavit et in civitatem Tyri applicuit. Et cum scivissent de adventu domni Conradi illi qui in Tyro erant, ipsum honorabiliter et cum ingenti gaudio receperunt: videlicet comes de Tripoli et comes Iausellinus, Raynaldus dominus Sydonis, Paganus de Cayffa et dominus[d] Cessarie, et alii principes illius terre. Et unanimiter civitatem Tyri in eius custodiam posuerunt usque ad adventum alicuius ex istis quatuor coronatis: scilicet[e] imperatoris Frederici[f], regis Francorum, vel regis Engleterre, vel domni Guillelmi regis Sicilie. Quibus diebus comes dictus in Tripolim perrexit, et post paucos dies sicut Domino placuit ex quadam infirmitate decessit, terram suam relinquens Baiamonti, filio principis Raymundi de Anthiochia; qui Baiamons ipsam terram tradidit cuidam filio suo, qui similiter vocabatur Baiamons[g].

---

Que vero hic sequuntur, non erant in libro scripta; set ego Iacobus Aurie predictus, sicut a peritis didici, breviter in scriptis redegi.

Mortuo autem rege Guidone et uxore eius Sibilia, filia quondam regis Aymerici, et 1192. per quam ipse fuit rex, et mortuis quatuor eorum filiis, Ysabella soror dicte Sibilie et filie dicti regis Aymerici, que nata erat ei ex secunda uxore, nepte Manuelis imperatoris Constantinopolitani, data fuit in uxorem Conrado predicto marchioni Montisferrati anno Domini 1192, ex qua ipse fuit rex Yerusalem appellatus, qui plura privillegia comuni Ianue cum eius uxore dedit et confirmavit, que scripta sunt in registro comunis Ianue[19]; qui 19 tamen eodem anno fuit ab Asasinis interfectus, relicta uxore sua pregnante, ex qua nata est unica filia nomine Maria. Ysabella autem, uxor dicti Conradi, postea fuit tradita in uxorem Enrico comiti Trecensi de Campania, opere et tractatu Ricardi regis Anglie, avunculi ipsius, qui tunc temporis erat in partibus ultramarinis, et per eam fuit rex Ierusalem appellatus, qui etiam plura privillegia concessit et confirmavit comuni Ianue, que etiam scripta sunt in registro comunis[20].

Quo Enrico rege mortuo, tradita fuit in uxorem Aymerico regi Cypri, qui frater fuit predicti regis Guidonis. Maria autem filia Conradi predicti, marchionis predicti Montisferrati, et Ysabelle predicte, data fuit in uxorem Iohanni comiti de Brenna, pro qua et ipse fuit rex Ierusalem appellatus; que postea vixit cum eo annis duobus. Erat quidem miles strenuus[h] et fortissimus ac mirabilis et magne stature. Dictus autem rex Iohannes ex ea habuit filiam nomine Isabellam[i] que tradita fuit in uxorem Frederico II imperatori, ex qua se fecit regem Ierusalem appellari, et cum eo vixit annis 2, et ex ea habuit filium, videlicet regem Conradum, qui fuit rex Ierusalem et Sicilie. Ex dicto autem Conrado natus

a) civitatem 1. b) nitibantur 1. c) *ita* 1. *loco* bonovicino. c*) perexerunt 1. d) domus 1. e) silicet 1. f) 1. *alia manu.* g) *quae iam sequuntur manu paullo alia scripta sunt* 1. h) strenuis 1. i) Isabellam 1.

19) a. 1192 mense Aprili. Liber iurium I. p. 400. 20) a. 1192. Liber iurium p. 405.

1268. est domnus Conradinus, quem rex Karolus I.[a] cepit in prelio et post[b] menses plures apud *fol. 27'. Neapolim decapitari fecit. Post cuius obitum plures eodem tempore se reges Ierusalem fecerunt nuncupari. Nam domnus Ugo de Lusignano rex Cypri, et sui heredes post ipsum, se reges Ierusalem nominabant; Karolus etiam rex Sicilie primus et filius eius, alter Karolus, se reges Ierusalem in litteris suis scribebant; set tandem omnes facto Sarracenorum possessionem amiserunt ipsius, licet nomen solum in vanum retinuerint in futurum.

---

*Anno[c] a nativitate Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, die sexto decimo Iulii Iacobus Aurie, egregius vir, multa honestate et sciencia preclarus, dictum opus de capcione Ierusalem, Anthiochie et Tripolis ac plurium aliarum civitatum, prout superius scriptum est, coram nobilibus viris domnis Iacobo de Carcano potestate comunis Ianue, Simone de Grumello capitaneo populi, . . abbate populi et ancianis eiusdem civitatis presentavit. Qui videntes tantum opus laudabile, consuluerunt, laudaverunt et decreverunt dictum opus ligari in presenti cronica, in ea parte quam eligeret dictus Iacobus Aurie. Qui Iacobus numquam lapsus in opere comunis, fecit ipsum in hac parte presentis cronice vinculari.*

*Ego Guillelmus de Caponibus notarius presentaciom predicte consilio et decreto interfui et ut supra scripsi[d].*

---

## II.

# OBERTI CANCELLARII ANNALES.

### A. 1164—1173.

fol. 16'. *Quoniam[e] ne predicta scriptura incassum vel sine utilitate a pluribus facta esse credatur, ideo que scripta sunt, ut multe magneque utilitatis sint, ad presens veritas cognoscatur. Multa namque utilitas et magna est presentia et preterita scribere, maxime autem a rerum videntibus et cognoscentibus, quia si non scriberentur, futuris temporibus oblivioni traderentur. Caffarus enim que in presenti pagina scripta sunt, sicut vidit et per alios verissime cognovit, ita scribere fecit. Cum vero obiciendo aliquis dicat, quomodo potest[f] credi ut ita sit, sola Caffari narratione, de annis[g]*

Gestarum rerum quas quondam Ianua gessit
Ingenti studio quem cancellarius ille
Comunis causas adtendens utilitatis
Edidit Obertus, liber incipit inspiciendus,
Ut profecturus presentibus atque futuris.

*Cum civitatem nostram, cives, evidenter deceat singulis annis acta consulum in scriptis redigere, et maxime que summis decoribus noscuntur principium habuisse, ut nichil sit prorsus*

a) I *m.* 2. b) per 1. c) *quae sequuntur, alia manu saeculi XIII. exeuntis conscripta sunt.* d) Vade ante ad chartam 66, et reperitur anno Domini 1164. *in margine inferiore a manu recentiore saeculi XV. addita leguntur* 1. e) *epilogus hic auctore Oberto eadem manu qua ultima Cafari pagina scripta est sequitur nulla rubrica distinctus* 1. f) potes 1. g) *ita explicit* 16' *in margine inferiore scriptum est:* hic deficit. 1. incarnationis Domini *addit* 2. incarnationis Domini sequentibus *editio*

*obmissum quod continere videatur honestum: licet tam in re privata quam publica me satis cognoscatis implicitum, ne facta vestra quodammodo videantur decrescere, vestrisque utilitatibus, ut fertis, deceat omnino prodesse: et ne tamen videar rem publicam minus diligere quam condam dilexerim, et respuendo arbitrer aliquatenus minoratus ob id quod Caffarus non inmerito fuit elatus, ideoque tanti laboris onus nolui effugere pronus. Caffarus quidem vir fuit vita moribusque honeste compositus, satisve abunde claro nomine plenus. Qui superioris libri pagina rerum vetustarum formam ad nostri noticiam ex obscuro patenter edidit. Consideravit quippe sepiusque consuluit secum, multo fore utilius ut gesta ab antiquioribus sui laboris studio elucescerent, quam alicuius incuria aut solo silentio a nostri opinione transirent. Qui etenim tam etate quam scientia maturus dum circa hec attentius vigilaret, ut Deus statuit, anno eiusdem etatis octuagesimo sexto sane mentis occubuit, ante cuius transitum per triennium tanti laboris cura eum vel quemlibet de civibus ulla non tetigit, quo scribendi copiam vel quieti temporis saltim horam ut arbitror habere potuisset propter nimiam tempestatem, que presenti[1] consulatu crassante vel uberante pravorum nequitia civitatem nostram invasit, sicut lector poteris veridica assercione per sex continuos annos scripto sequenti cognoscere, et cuncta per seriem adstantis[2] auribus intimare. Consules interim Anselmus Garius, Ingo Tornellus, Oto de Caffaro, Rogerius de Maraboto, Nicola Roza rei publice curam gerentes[3], utilitatem profuturam animadvertentes, inceptum tamquam laudabile opus ad finem producendum inspecta ratione sancxerunt. Amore igitur preceque instanti michi Oberto cancellario supplicarunt, qui sicut quondam rem publicam auxerim, ita in hoc opusculo augendo attentius insudarem, et comodius dictando componerem, que pretaxatus Caffarus casu impediente non poterat, omniaque stilo competenti sub brevitate notarem, utrisque dictaminibus solo eodemque volumine pari forma continuatis. Qui ut debui eorundem auctoritati[a] annui, quidque quo tempore actum sit vel possit agnosci, aperta ratione describens. Nam reliqua maiori stilo dicenda sunt, que nunc non tam pretermitto quam ad maiorem dictandi comoditatem reservo.*

Anno 1164 existentibus sex consulibus in re publica Lanfranco Alberico, marchione de 1164.
Volta, Corso Sigismundi, Rubaldo Bisacia, Baldizone Usumaris[b], Picamilio; in quatuor vero compagnis versus civitatem in causis Bonovassallo de Castro, Anselmo Garrio, Guilielmo Cavarunco, Anselmo de Caffara; in aliis quatuor consulibus Paschali de Marino, Sigismundo Muscula, Guilielmo Sardena, Oberto Recalcado.

Prefati consules principio sui consulatus castra honeste viris prudentibus in custodia tradiderunt, officia civitatis queque alia consulatui pertinentia bono ordine statuentes. Quorum duo infra dies quindecim, videlicet Baldicio Ususmaris et Corsus Sigismundi, cum Bonovassallo Anthiochie et Guilielmo filio Iordanis ad imperatorem Fredericum iverunt, volentes scire, utrum imperator vellet, aut ad quem terminum, facere exercitum, quem civitas nostra super Guilielmum regem Sicilie invita et coacta facere promiserat[4]. Ipsis abeuntibus invenerunt imperatorem Fredericum quarto die ante quadragesimam ad civi- Febr. 29.
tatem Fanii; qui summo mane fuerunt ante imperatorem, dicentes: *Domine imperator, nos sumus ante vestram presentiam, scire cupientes si vobis placet facere exercitum quem iuravimus, an non. Nam de maiori parte que exercitui conveniat, parati sumus, et volumus inde voluntatem vestram cognoscere; quia tenetur civitas nostra, infra annum postquam nobis iusseritis expeditionem explere.* Quibus imperator ait: *Letatus sum in his que dicta sunt michi de vobis; unde vobis et terre vestre multas et debitas grates refero. De hoc tamen quod dicitis, videtis me absque principibus baronibus curie et Teutonicis et Lombardis, et de tam magna causa non possum nec debeo vobis dare ad presens responsum absque presentia illorum. Revertamur igitur simul usque Parmam, et illic erimus circa mediam quadragesimam, et omnis curia debet illic esse; propter hoc et propter multas alias causas habebimus illic consilium cum[c] illis, et dabimus vobis responsum secundum honorem imperii et vestri.* Simul inde recedentibus, advenerunt pariter civitatem Parmam dicentes: *Domne imperator date nobis, si placet, responsum facti de quo vobiscum sermones habuimus.* Quibus habito consilio imperator ait: *Ego* Mart. ex.
*non possum vobis hic respondere, sed ante venturum proximum pascha ero in partibus Portus Veneris ad Sarzanam nomine. Et volo et iubeo vobis, ut maior pars vestrorum sapientum ante*

a) actoritati 1. b) usumaris 1. usuamari 2. c) c. i. *desunt* 2.

1) scilicet anni 1164. 2) scilicet mei, Oberti. 3) anno 1169. 4) Cf. sacramentum civium 5. Id. Iunii a. 1162 praestitum Libr. iur. I, 212. W.

1164. *meam curiam conveniat, et dabo vobis responsionem, prout visum michi fuerit ad proficuum comunis utilitatis*

Interea Philippus de Iusta et Bonusvassallus Bulfericus venerunt illuc ante imperatorem cum quodam episcopo Sancte Iulie, nomine Ugone, quem duxerant secum ex Sardinia, misso iudicis Arvoree, qui venerat pro concordia invenire inter illum iudicem et imperatorem hoc modo, ut imperator daret ei totam Sardiniam, et esset solus rex, et teneret insulam Sardinee pro eo, et daret imperatori quatuor milia marcarum argenti. Quo audito imperator iussit vocari prenominatos, facta[a] concordia, nostros consules, dicens illis: *Placet michi et curie mee. Volo enim dare iudici Baresoni Arvoree regnum Sardinie, et ibi mandare missos meos, videlicet comitem Gavarum, Opizonem Malamspinam, Obertum de Olevel et Burgonzum de Sancto Nazario; Papienses ducant illum in Ianuam, et de Ianua vadant in Sardiniam vestro auxilio.* Ante etenim quam consules nostri responsionem imperatori fecissent, dixit imperator Pisanis qui presentes erant, nomine Pisano consuli Rainerio fratri Marzuchi, et Lanberto maiori, et filio Botacii, et duobus iudicibus, alter quorum vocabatur Bulcarinus: *Vobis, Pisani, dico. Intelligite vocem vestri imperatoris, qui semper fuistis fideles imperii. Deprecor universitatem vestram, ut iudicem Arvoree Baresonem ex Sardinia in curiam meam ducatis, quia vobis expedit. Concordatus quippe sum cum illo ad honorem et exaltationem imperii.* Cui consules Pisanorum responderunt: *Domine imperator, quicquid prenominatus iudex facit, contra nostrum velle facit; et vos, si placet, hoc contra honorem urbis nostre facere intenditis.* Quibus auditis imperator vocavit Baldizonem consulem et socios eius, dicens illis eundem sermonem quem Pisanis dixerat, et interrogavit eos coram Pisanis, si hec facere possent contra voluntatem Pisanorum. Responderunt: *Possumus et pro vestro decore faciemus velle aut nolle ipsorum.* Nam talem responsionem ideo fecerunt, quoniam Pisani in curia publice dixerant: *Ianuenses nullo modo portabunt iudicem in Sardiniam contra velle nostrum.* Inter hec consul et qui cum eo erant dixerunt imperatori: *Quod auxilium vultis, domne imperator, ut missis vestris prestemus?* Imperator respondit: *Placet michi ut missi mei in civitate Ianua ligna preparent, attamen meis expensis, cum galeis tamen vestris et hominibus Ianuensibus.* Qui dixerunt: *Placet nobis, et faciemus sicut vultis.*

Venerunt missi imperatoris, et invenerunt galeas armatas, quas missi et vasalli iudicis armaverunt; et iverunt prenominati missi Sardiniam, et inde duxerunt secum iudicem Baresonem ex Arvorea. Et cum galee redirent[b] et essent prope urbem nostram, consules civitatis cum quibusdam sapientibus viris iverunt obviam missis imperatoris et prefato iudici, cogitantes illos honeste suscipere et cum multitudine gentis secum usque ad suum hospicium ire. Qui cum in terra deberet descendere, pravorum iuvenum occasione inchoatum est durissimum prelium inter Fulconem de Castro, qui ad litus venerat pro marchione Malaspina, et Rollandum advocatum, qui venerat pro iudice, et inter amicos eorum. Eo diutius durante, archatores ferierunt Baldoinum filium Henrici Guercii et Gandulfum Ususmaris; et Sardus filius advocati percussus lapide, omnesque isti mortui fuerunt multique alii ea die hinc inde vulnerati. Et propter hoc res publica graviter turbata fuit, et civilia bella tempore illius consulatus reparata sunt. At post paucos dies imperator Fredericus mandavit, ut iudex ad eum iret et consules nostre civitatis secum. Quo audito consules pernimium turbati, inviti ad imperatorem iverunt, videlicet Lanfrancus Albericus et Picamilium, et secum Guilielmus Aurie et Ionathas de Campo et Bigotus et Guido[c] Laudensis, iudices pluresque alios secum ducentes. Et cum fuerunt Papie, imperator honeste suscepit eos cum multitudine militum. Et post paucos dies consules fecerunt coronam, que facta fuerat Ianue, imponere capiti regis, et hoc in ecclesia sancti Syri Papiensis cum Aug. 3. multis decoribus, et hoc fuit prima die lune mensis Augusti. Et imperator honore prefati iudicis eo die coronam accepit, et cum coronati fuerint, erat ibi consul Pisanorum cum ceteris Pisanis qui cum eo venerant, dicentes imperatori: *Domine imperator, salvo honore vestro non debuissetis facere quod vos facitis sine nostro consilio. Datis enim isti nostro rustico et nostro homini coronam et regnum; et certe non est persona, cui tanta dignitas conveniat. Iniuste enim, si placet, facitis, quia Sardinia nostra est, et ipsum regem facitis de alieno.* Quibus nostri consules responderunt palam in plena curia: *Illud, domne imperator, quod Pisani dicunt, falsissimum est, et mentiuntur, quia nec homo nec rusticus illorum est; immo nobilis-*

a) fata 1. b) festo apostolorum Petri et Pauli *glossa saec. XIII.* 1. c) G. de L. 1.

*simus. Nam Pisanorum maior pars vassalli sunt istius, et singulis annis in suam terram pro rebus sibi necessariis vadunt, et vix vivere possunt*[a] *sine fructu et utilitate terre huius regis. Et quod dixerunt Sardiniam suam esse, aperto ore mentiuntur, quia non suam immo nostram firmando et probando dicimus. Quoniam verum est, quod ab antiquo*[b] *armis et vi subiugavimus illam, et in iudicato Calarensi fuerunt parentes et antecessores nostri cum exercitu, et subiugaverunt illud iudicatum, et regem nomine Musaitum ceperunt et omnia sua, duxeruntque eum in civitatem nostram tamquam captum hostem. Et consules episcopum*[c] *qui tunc Ianue erat, mandaverunt ad imperatorem Alamannie ducentem secum predictum regem Musaitum, ut princeps Romanus cognosceret regnum istius regis esse nuper additum et adiunctum dicioni et potestati Romani imperii per fideles et homines suos Ianuenses.* 1164.

Et cum lis pro his verbis cresceret inter eos, respondit imperator Pisanis: *Non cognosco terram illam insulam Sardinie vestram esse, nec verum esse credo immo imperii esse puto; nec regem estimo vestrum hominem esse; et quod dono ei, et regem illum inde constituo, consilio mee curie facio, et ius imperii omnino esse puto.* Quo facto Pisani tacentes et os suum ultra non aperientes, erubuerunt et irati recesserunt a curia. Quod verbum consuli nostro et eis qui secum erant placuit. Et imperator iussit consulem et suos ante se accedere, et fuit coram imperatore cum sociis suis, et habita licentia, Ianue letanter[d] redierunt. Interim imperator mandavit consuli Baldizoni et regi et sociis consulis, ut irent ad curiam; et cum fuerunt ibi, dixit imperator regi: *Quicquid missi mei tibi promiserunt, ego puto illud tibi esse omnino adimpletum; et si aliquid minus est, volo libenter adimplere ordinatione consulis Ianue. Dic ergo, si verum est, quod tibi dico?* Cui rex respondit: *Domine imperator, gratia Dei et vestri et dominorum Ianue omne michi completum est, sicut legati vestri mihi promiserunt, excepto privilegium regni.* Statim imperator mandavit notario, et iussit continuo privilegium scribi et sigillari. Iterum dixit imperator: *Omnia tibi adimpleta sunt; oportet modo, ut impleas michi, rex, quatuor milia marcas argenti a te proinde promissas.* Cui rex ait: *Verum est, quod promisi ista; sed non habeo, domine imperator, ad manus, nisi primum vadam in Sardiniam, et ibi solvam vobis.* Imperator respondit: *Ego sum super equum, et habeo pedes in strenis. Tantum valet quod tu dicis, quantum diceres, nolo vobis aliquid dare. Qui enim lucratur regnum et coronam accipit in capite suo, plus debet offerre quam quod promiserat, et nequaquam minus; et quicquid dicas, credo quod promissum et multo amplius obtulisti pro curialibus offerendis. Et ideo convenit, ut non verbis sed facto insistamus.* Ait rex: *Domine imperator, si dubitatis non esse verum illud quod vobis dico, ostendam vobis veritatem. Date ergo michi, si placet, terminum quousque possim redire ex Sardinia, et promissa et ultra libenter persolvam.* Cui imperator: *Ne dicas michi talia, neque conaris michi aliud facere credere*[e] *quam ego estimo. Habes enim in terra firma, unde michi potest fieri solutio, et non habebis*[f] *pro certo mecum de cetero verbum, nisi solum de facienda presenti solutione.* Cui rex: *Vere non est michi hic solvendi possibilitas; sed vadam ad hospitium, et habebo consilium cum isto consule et aliis amicis meis et vassallis meis Papie,* quos illuc eo tempore[g] fecerat. Cui imperator respondit: *Fiat.*

Ivit rex, et non potuit cum omnibus illis habere consilium. Tandem venit ad domum consulis, et dixit: *Domine consul, ego sum quasi in carcere positus et non possum inde exire nisi consilio vestro et auxilio nobilium terre vestre.* Cui consul: *Ego non possum hic vobis consulere, cum sim solus, sed doleo de mesticia vestra. Ego enim vestro decore mandabo Ianue consulibus sociis meis, quorumve consilio faciam vobis responsionem quam potero.* Quo dicto mandavit consulibus, et habito consilio rescripserunt Baldezoni consuli et sociis suis: *Subvenite regi Baresoni super omnibus sibi necessariis, et facite ei omnem honorem, quoniam multum convenit et decens est nostre terre. Nam si hoc feceritis, et nobis et posteris nostris perpetua laus et gloria fuerit.* Habitis litteris a Baldezone, respondit regi: *Subveniemus vobis libenter in rebus a vobis desideratis.* Qui lacrimando gratias egit Deo et consuli, et iverunt ad imperatorem. Quibus visis dixit imperator: *Quid michi dicturi estis, dicite falsogradui*[5] *et comiti Gavarro et episcopo Lygie*[6] *et archiepiscopo Magontino*[7]. Et statim ivit rex cum consule Ianue ad eos, dicentes: *Vos scitis, quod rex debet imperatori quatuor milia marchas argenti, quas*

a) *in marg.* 1. b) sicut ca. anno Domini ML. ut . . *in margine manu saec. XIII.* 1. c) scil. Iohannem *in margine saec. XIII.* 1. d) *ita emendavi* latenter 1. e) *in margine saec. XIII. additum* 1. f) habis 1. g) *scilicet* venire.

5) pfalzgraf, comiti palatino. 6) Legiae, Leodii, Heinrico. 7) Conrado.

1164. *ego Baldezonus consul vice comuni Ianue promitto vobis persolvere predictum debitum usque ad proximam nativitatem Domini.* Qui dixerunt: *Non, sed solum usque cras. Quod si non solveritis, in veritate sciatis, quod imperator ducet regem secum Alamannie.* Quo audito post multas ambages iuravit consul Baldezonus predictarum r archarum quatuor milia usque ad expletum tricesimum secundum diem facere prefatam solutionem. Et rex Sardinie Baresonus nomine promisit consuli facere in Ianua tantam securitatem, quanta videretur sufficiens consulibus Ianue. Et habita licentia ab imperatore, rex Baresonus et consul Ianue Baldezonus cum sociis suis et cum supradictis missis imperatoris Ianuam venerunt, facta 8 securitate a consulibus de solvenda peccunia quam predictus rex fecerat[8]. Commune autem infra triduum intravit ad faciendam pro rege solutionem predictarum marcharum, quam iuraverant facere infra triginta duos dies.

Expleta solutione infra predictum terminum, dixerunt consules regi Baresoni: *Rex, honorem vestrum nostra civitas fideliter gessit, sicut cognoscitis. Deceret vos, ut solvatis nobis in pace omnia supradicta, que ob decorem vestrum imperatoris missis solvimus, et dignam a vobis vicem amoris habeamus.* Respondit rex: *Domini et patres mei, ego vester sum et perpetuo ero. Ego civitate ista Ianua non possum vobis facere solutionem quam dicitis; quia si haberem unde reddere possem, utique non mutuassem a vobis ea que imperatori pro me solvistis. Sed desiderio cupio vobis adimplere in Sardinia, ubi omnia mea sunt, et vobis complebo illuc omne*[a] *vestrum desiderium.* Et cum cognoverunt consules quod aliud esse non posset, inviti et dolentes consenserunt verbis regis, quoniam comune Ianue omnia que pro eo solverat sub usuris mutuaverat, et que publica erant, videlicet castra et cetera, civibus suis intuitu regis pignori subposuerat. At post hec cum prefatus rex diu in civitate nostra alacriter equitaret et moraretur, quam plures vassallos de melioribus civitatis sibi sub fidelitatis iuramento constituit; et cum ab illis et ab omni populo Ianue indifferenter honoraretur et diligeretur, convocavit consules et consilium civitatis, humiliter grates debitas omnibus agendo de honore sibi honestissimis modis impenso; et infra hec verba ostendit sibi adhuc valde esse necessarias libras 1200 pro galeis armandis et navibus preparandis et soldatis militibus et archatoribus prestandis, hec verba inserendo: *Quanto enim, viri potentes, altius et fortius Sardinia ascendero, tanto amplius decoribus vestris, qui me de insula adduxistis, decentius et honorabilius erit, et vestre glorie hoc totum applicabitur.* Audientibus ista consulibus, de superiori debito pernimium gravati et gravius de secundo dolentes, regemque veritat m dixisse cognoscentes, denuo eas libras 1200 mutuaverunt, quas rex cum aliis libris, quas ex civibus civitatis viginti novem milia mutuaverat, in predicta aparitione expendit. Armavit quidem septem galeas et tres naves maiores, quibus milites et equi et archatores, et omnia preparamenta istorum portabantur[b]. Quibus armatis et bene preparatis, dixit rex consulibus: *Domini patres et rectores mei, vos duxistis me honorifice de insula Sardinie, et in Lombardia apud imperatorem vestro ducatu adivi, et pro vobis factus sum rex, et auxiliis et laboribus vestris ab imperatore Frederico coronatus; et non possum dicere tot quanta michi sola probitate vestra, et non mea, exhibuistis. Ego enim antequam mare intremus volo vobis et civitati isti id facere et dicere, quod tota terra mea, id est insula Sardinia, ex qua in curia imperatoris palam sum investitus, sit vestra et posterum vestrorum; et ego meique heredes pro tantis decoribus michi factis vestri de cetero simus, et vos ad invicem multo amplius debeamus amare.* Que consulibus placuerunt. Et letus rex sponte fecit cartam de Sardinia et de omnibus negotiationibus eiusdem insule comuni Ianue, sicut in registro nostro manu publici notarii continetur[9].

His omnibus amicabiliter factis et in scripto positis, post paucos dies advenerunt quidam Pisani Ianuam, quasi dominum suum desiderio videre cupientes; loquuti sunt secreto cum rege et Ugone nequissimo episcopo Sanctae Iuliae, qui secum de Sardinia descenderat, quomodo vel qua insidia vel quo malicioso studio Ianuenses, qui cum rege ituri erant, decipi et defraudari possent et in illo itinere capi, et rex hac turpi machinatione a tanti[c] debiti solutione posset liberari. Quod utique consules in Ianua nesciverunt; sed post paucos dies eo recedente, aperta ratione verum esse cognoverunt. Namque in predictis galeis

a) omnem 1. b) praeparabantur 1. c) tanta 1.

8) Quam ob rem Baresonus rex syngrapham 4000 marcarum d. 16. Sept. 1164. Libr. iur. II, 12. W.
9) Chartas a rege editas d. 16. Sept. v. in Libro iurium Gen. II. p. 7 sqq.

septem ivit consul Picamilium cum quibusdam sapientibus viris habentibus multas preces 1164. a sociis et sapientibus civitatis, ut vigilarent in custodia ipsius regis, ut in terram nullo modo eundem regem ponerent, animadvertentes ne fraudem aliquam vel deceptionem eis posset calliditate Pisanorum contingere. Recedentibus illis ex hac civitate, advenerunt Arboream, regi sine longa mora dicentes: *Domine rex, multos videmus venisse laetantes de adventu tuo. Iube ergo ut cito solutio veniat, quoniam non est nobis hic bonum morari et pro hieme et temporis incomoditate.* Vocavit ipse rex quosdam et consilium cum illis fecit, et abeuntibus illis dixit rex consuli et sociis: *Ecce videtis quia mandavi, et cicius quam speratis vestram habebitis solutionem.* Quibus redeuntibus, dixerunt: *Domine rex, baiuli vestri et etiam uxor non dimiserunt nos ascendere castrum, neque solutionem facient, donec primo vestram personam viderint.* Quibus auditis rex ait: *Non estimo quod possimus habere solutionem debiti vestri, nisi illuc ivero. Vos videtis.* Consul autem diutius in his verbis morans, timens valde indempnis locutionibus quas Sardi et Pisani omni die cum rege habuerant, et cum vianda incipiebat deficere, rogaverunt regem ut victum defferre faceret, ut possent levius et comodius expectare integri debiti solutionem: alioquin redirent, et de cetero eos verbis fallacibus non detineret. Quibus rex: *Libenter faciam.* Et cum paulatim de die in diem, ut ita dicamus viandam venire faceret, galee Pisanorum, sicut rex consuluerat Ianue, una cum Pisanis iam venerant Turrim; et Marzucus Pisanus missus eorum iam ad regem pro eis venerat. Previdentes Ianuenses calliditatem illius et Pisanorum, et hiemps erat et victualia deficiebant, vocaverunt suos qui in terram descenderant, et illis ascendentibus statim apparuerunt insidie, que terra in nemoribus latebant. Et sic galee nostre timentes, ne galee Pisanorum supra se venirent, Ianuam redierunt cum rege; et incolumes ad civitatem redeuntes, regem in custodia quorumdam nobilium posuerunt, quibus certam mercedem annue dare tenebantur, eo utique quod apertius cognoverant fraudem et nequitiam, quam Pisani contra Ianuenses tractaverant. Nam Corsus Sigismundi consul ipso consulatu ad imperatorem Constantinopolitanum legatus missus fuit in galea bene et honeste armata, et cum ipso duo legati, videlicet Ansaldus Mallonus et Nichola de Rodulfo, que legatio facta fuit mandato imperatoris, qui mandaverat se civitati nostre facturum, sicut prima conventio fuerat inter ipsum et civitatem Ianue. Nam prefatus consul et legati, licet imperator eos honeste reciperet, parum tamen profuit pretaxata legatio.

Hec omnia in consulatu isto facta fuerunt. Mense autem Septembri inauditum scelus Sept. et mira audatia contigit, videlicet quod marchio de Volta, qui tunc temporis consulatum regebat, vir utique laudabilis et honeste vite, a quibusdam vilissimis personis et pauperibus fuit tempore vindemiarum occisus in villa, qua tamquam vir consularis stabat securus, non existimans aliquem sibi insultum facere debere[a]. Nam si dubitaret infortunium per aliquem sibi contingere debuisse, vigilaret utique tamquam tutus et prudens, quod nemo manus illicitas in eum ponere potuisset. Hic cum omnibus Ianue equo iure egit, ad nullam insolentiam elatus fuit. Quo malo ordine interfecto, civile bellum, quod prorsus nostra urbe videbatur sopitum, adeo graviter fixum et ortum est inter cives, quod propter illum errorem et ut ita dicatur comunem merorem, usque ad sextum consulatum[10] suis negotiis civitas Ianue debilis merito extitit et inbecillis. 10 Prefati quidem consules, qui in tot et in tantis intus et extra contrariis vexabantur, parlamentum, ne cives ad bellum consurgerent, dubitantes incipere, consulatum more solito noluerunt advocare. Dominus autem Ugo noster archiepiscopus, qui predicta tempestate non fuerat vacuus, super istam civitatem ut bonus pastor sollicitus, ordine clericatus per eum citato, os suum aperiens universam cohortem alliciens, dubius[b] per campanam in concione appellavit. Qui fretus Dei consilio, consulatum intrantis anni viriliter suo ordinavit arbitrio. Nam in tempore istorum consulum, cum plebeia nostra graviter esset[c] turbata, archipresbiter Plecaniae cum suis parrochianis advenerunt Ianuam, conquerentibus de hominibus marchionis Malespine et hominibus de Meledo, merciprecando ut plebeio Plecanie[d] misericordiam prestarent, et ne vellent illud destrui, quoniam nisi civitatis consilio freti fuerint, magis de loci destructione quam salute sperabant; iniungentes quod super podium, quo nemo exterus partem habebat, commune posset castrum edificare, cuius fortitudine a suis inimicis se comodius possent tueri; et insuper omni tem-

a) deberet 1. b) *ita* 1. 2. dubios *ed.* c) essed 1. d) pletanie 1.

10) scilicet anni 1169.

1164. pore custodiam castri et merita soldariorum de propriis prestarent, sicut in registri scripto continetur. Et licet res publica diversis et inestimatis modis vexabatur, tamen ipso consulatu edificatum fuit podium illud, nomen cui fuit impositum Mons Leo[a].

Superius dictum est de his que consules rem publicam gerentes suo tempore gesserunt; nunc de his que consulatui causarum pertinent breviter exponemus. Etenim pretaxati consules in causis eminentes, omne equum et iustum amantes, per totum suum consulatum iusticiam esurientibus amicabiliter suppleverunt.

Fuerat quondam tempus, quod consulatus aliquando biennio, triennio, aliquando quadriennio durabat. Demum senatui nostro placuit, qui semper rem publicam augere studuit, ne consulatus officium longius quam annum haberent; ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent qui se post annum scirent esse privatos.

1165. Igitur anno 1165. existentibus in re publica quatuor consulibus, Symone Aurie, Ottone Bono de Albericis, Willielmo Cicada, Amico Grillo, in causis vero Oberto Maloaucello, Pagano de Volta, Enrico Iudice, Enrico Mallone; in aliis quatuor compagnis Guilielmo Buferio, Filipo Bonifacii, Iohanne Iudice, Oberto de Domocolta: qui consules rei publice curam gerentes, consuluerunt secum vicissim dicentes: *Discernamus, qualiter res publica perire non possit. Tanta est enim dissensio civium et bellum etiam plus quam civile adeo peccatis nostris accensum, quod nisi Deus nobis suum preparabit auxilium, consulatus noster quasi eger et sine fructu iacebit. Faciamus ergo hinc inde treuguam iurare, quo quisque ad Sanctum Laurentium inermis et securus veniat, ac per urbem civilius et commodius semper incedat, et sic rem publicam semper tractabimus equam.* Quo facto prefati consules domus et turres Ingonis de Volta et Amiconis, quas in umbilico civitatis optinebant, et que liti discordieque satis prestabant fomentum, acceperunt. Ipsis factis securioribus, post paucos dies ab introitu sui consulatus preparaverant galeas octo, quas missuri erant Sardiniam pro succurrendis galeis quas precedentes consules pro rege Arvoree in Sardiniam miserant. Quibus armatis rex Sardinie nomine Bareson rediit cum Picamilio consule ex Sardinia, ferentes nova, quod Pisani infra treuguam ceperant navim nostram ad Aisinariam, que de Seta[11] venerat et passa naufragium ibi fuerat, et Ianuenses cum rebus Pisas secum portaverant. Pro qua causa mandaverunt consules Lanfrancum Albericum et Philipum de Iusta legatos ad imperatorem, conquerentes de treugua quam Pisani fregerant. Imperator continuo mandavit Conradum suum capellanum Pisis pro confirmanda treuga et Ianuensium peccunia recuperanda. Illis euntibus Pisas et diu morantibus, Ottobonus consul cum Philippo Lanberti in quadam galea ad Portum Veneris iverunt, scire volentes, quid ad Pisas illi fecerant; qui euntes invenerunt illum capellanum ad Segestri a Pisis redeuntem, et cum cognoscerent eum nichil fecisse, dixerunt: *Ibimus et nos Pisas, ut rem apertius cognoscamus, et guerram, si oportuerit, equius incipere possimus.* Quibus auditis, statim capellanus dimisit Pisanos cum quibus venerat, et rediit cum consule ad Portum Veneris, et inde consul mandavit capellanum predictum denuo Pisis. Qui cum eodem consule Pisanorum et cum octo sapientibus viris infra paucos dies reversus est; et habentes simul colloquium in insula ad Sanctum Iohannem, ait consul noster: *Domine capellane, vos optinetis modo locum imperatoris; petimus ergo vobis, ut iubeatis Pisanis, ut reddant nobis peccuniam infra treuguam ablatam.* Cui capellanus ait: *Vere infra treuguam pecunia Ianue capta est; volo et iubeo ex parte imperatoris, ut peccunia restituatur.* Ad quem Pisani dixerunt: *Nolite ita festinus dare sententiam, quia plures res sunt, quas oportet vos inter nos et ipsos diffinire.* Quibus Ianuenses responderunt: *Non debemus iure de aliis dare responsum, nisi prius res malo ordine ablate solvantur.* Ad hec capellanus dixit: *Iam nostis quod iudicavi vice imperatoris, ut res illas primo reciperetis. Convenit ergo ut respondeatis Pisanis. Obiciunt quidem Pisani dicentes: Vos Ianuenses iniuste petitis totam pecuniam navis; quia qui passi fuerant naufragium, prestantibus nobis illis auxilium, promiserunt nobis proinde medietatem rerum, quam dicimus nos iuste habere posse.* Ad hec consul Ottobonus respondit: *Date nobis primo medietatem de qua confessi estis, et ex altera postmodum respondemus.* Ad quem Pisanus maliciose respondit: *Licet videatur iustum quod vos dicitis, tamen non possumus vobis hanc medietatem dare, nec de altera iusticiam complere, nisi prius ad urbem nostram redeamus. Placet michi,* ait capellanus, *ut con-*

a) *in margine delineata est turris inscripta Mons leo* 1.

11) Ceuta.

*sulti quam cito veniatis.* Qui infra novem dies omnes redierunt dicentes: *Libenter reddemus vobis medietatem, et ex altera iustitiam complebimus.* Quibus consul Ianue ait: *Bono omine, solvite que dicitis.* Pisanus ad hec dixit: *Non sic dabimus, nisi primum diffiniatur omne contrarium, quod est inter nos et vos.* Quibus respondit Ianue consul: *Nimis superbiam dicitis. Solvite primum quod iure debetis, postea determinetur omne quod ab utrisque fovetur iniustum.* 1165.

Audiente hoc misso imperatoris, affirmavit consulem nostrum equius dixisse. Et respondit consul Pisanus dicens: *Vos Ianuenses iniuste et contra bonos mores tenetis iudicem Arvoree captum.* Cui Ottobonus consul: *Falsum est quod dicis. Nam quod regi Arvoree facimus, iussu imperatoris Frederici et precibus illius iudicis actum est, quia quod a nobis mutuo sumpsit, promissa imperatoris implevit, et implendo sibi et posteris suis grandem decorem adquisivit. Non ergo illum iniuste, immo iure tenemus, maxime cum iussus imperatoris precedat, et redditis tamen rebus mutuo acceptis, continuo regis dimissio vel liberatio fiat.* Respondit Pisanorum consul sub fraude et calliditate, causam in aliam formam intendens mutare: *Cum Ianua civitas regem Baresonem nostrum vassallum vi teneat, qua ratione teneur nescio, quo tibi consul navis peccuniam debeam restituere.* Ad hec consul Ianue: *Cum non sis dominus, ergo nec ille vassallus. At si constaret, illam peccuniam quam mutuaret, iure deberes rem solvere tu aut ille vel heres.*

*Redde iam nunc pure, quod tibi petimus iure, quia*
*Non Deus hoc multum diu pacietur inultum. —*

*Postquam*[a] *michi talia opponis, oportet nos ire Pisas, si presens missus imperatoris concesserit, ut consulti dignam vobis responsionem portemus vel adducamus.* Et abeuntibus infra dies septem redierunt dicentes: *Illud quod iudex Arvoree vobis obicere potest, ego dominus eius obicere possum. Piper et bombacium aliasque merces ei mutuo dedistis, et ex quibus duplum vel triplum dare tenetur, quod siquidem inspecta ratione non debet.* Cui consul Ianue: *Tedet nos tot et tanta verba inutilia simul habere. At si verum est quod dicis, verbis tuis acquiescimus, ut reliquum civibus Ianue et quod communi debetur solvatur, et regem continuo dimittemus abire.* Dixit pars Pisanorum: *Bene dicitis; sed oportet ut primo regem ipsum alloquamur.* Cui Ianuenses responderunt: *Quoniam nos et regem et imperatorem sepius verbis fallacibus decepistis, amodo non loquetur rex ille vobiscum, nisi primo firmabitis pactum de solvenda peccunia ut supra dictum est; quo facto, fiat vestra et regis milies locutio.* Quibus pars Pisanorum dixit: *Pro vero loquimur vobis, nec hoc quimus facere, nisi cum Pisanis consilium primo iniamus.* Et illis consultis et Pisis redeuntibus, sub nimia mendositate responderunt: *Nos dicimus civitatem Pisanam honestam et legalem esse perminium, nec umquam falsum aut inhonestum amavit. Scimus vos dixisse verba iusticiam continentia, quibus tale facimus responsum. Libenter solvere volumus omne illud creditum regis, ex quo cartam publicam cognoscemus.* Quibus pars nostra ait: *Letamur quod consulte loquimini, et non est putandum quod de cetero affirmationem vestram debeatis mutare. Veniat liber, et statim cognoscetur rerum effectus.* Continuo quidam ex Pisanis responsum emisit: *Tractemus pariter utilitatem nostram, et cognoscamus qualiter ambe civitates amore possint diu de cetero quiescere. Michi quidem videtur, ut consulatus utraque civitate eligatur, qui iusticiam civibus hinc inde faciat, et quod captum est, infra treuguam reddere iubeat.* Quod equidem utrisque placuit, dicentes: *Veniat liber*[12]*, ut iuremus.* At cum Pisanus consul super librum manum positurus erat, pedibus stans ex adverso quidam socius eius clamavit dicens: *Noli iurare; audias me prius aliquid.* Et recedente consule, reversus est occasionem opponens malignam: *Ego volo scire quantitatem rerum creditarum priusquam iurem.* Cui pars Ianue ait: *Pro nichilo dicitis; nam occasionem queritis, qua possitis ab hoc facto absque rubore recedere. Nonne supra paulo ante posuistis, gens adversa, quod solutionem facere velitis ex eo videlicet, ex quo cartam publicam cognosceritis? Quid ergo ad rem pertinet, viri mendatia continentes, rerum quantitatem cognoscere? Si bona fide geritis, causam istam dehinc ne deberetis dilatare.* Cui Pisanus consul: *Nos non facimus hoc causa dilatandi; sed aliter non potest esse, nisi veritatem crediti cognoscamus.* Post multa verba ait: *Estimo esse summam circa viginti octo milium*[b] *librarum.* Cui ille respondit: *Non enim posset civitas Pisana tanta solvere. Vassolli autem regis hoc iurabunt solvere, et rex statim dimittatur.*

a) *responsio Pisani.* b) XXVIII 1.

12) scilicet biblia.

1165. Tunc consul noster risu locutus est misso imperatoris: *Domine, bene nostis et videtis stabilitatem nostram, quia nos non mutamus verba. Istos videtis vagipalantes, et de uno ad aliud sine mora transeunt.* Ad quos Pisani clamantes dixerunt: *Grave nimis esset, quod Pisana civitas tanta pro rege solveret. Nos quippe concordiam diligimus, sed hoc pactum contrahi non potest. Hec vera conventio quam vobis exponemus, ut arbitramur esse poterit. Iurent vassalli regis solvere credita illius, et comune Pise dabit sex mille libras, quas de suo non habet.* Ad quos responsio facta fuit hoc modo: *Supra comune vestrum vix credemus hoc creditum solvendum; multo minus autem*[a] *viginti vassallis fidem prestaremus. Sciatis, quod nullo modo hoc faciemus. Securiores enim sumus in persona regis, quam vassallorum fide.* Ad quos responsiva talis fuit: *Solvat primo comune Pisarum predictas sex milia libras, et de residuo teneatur iuramento illud idem comune, donec iudex vobis fecerit solutionem, et quo’ Pisa non erit vobis in contrarium, donec de terra iudicis vestram ex integro abstrahatis solutionem, et ob hoc rex liberetur.* Cui respondit: *Verba oris tui tot et tanta sunt, et ultra quam sit honestum mutata et variata, quia vix possumus percipere ad quam radicem manus ponere debeamus. Vade ergo et consule tu tecum et cum sociis, et consultus venias, et da nobis electionem hanc, et forsan accipiemus.* Eo Pisas eunte, rediit consultus dicens: *Placet michi istud pactum firmare, si tu consul Ianue firmabis.* Ad quem consul dixit: *Placet michi; afferatur liber.* Missus autem imperatoris hoc audiens, ipsemet duxit librum dicens: *Laudo Deum, quoniam civitates discordes hodie velle Dei facte sunt concordes. Convenit ergo, ut ultimus conventus sit in scripto redactus, iuret consul Pisanus, quod hec omnia commune Pise observabit Ianuensibus.* Quo audito recessit, et consultus cum his qui secum fuerant, dixit: *Domine, non possum hoc firmare, nisi prius Pisas redibo.* Cui missus imperatoris ait: *Cognosco vos, Pisani, falsissima semper proferre. Estis quippe non pacis sed fraudis amatores. Istud solum dico vobis. Venite ad curiam imperatoris, et cognoscetur ibi malicia vestra; et quis plus obtulerit, plus valebit et plus erit amicus imperatoris.* Quibus dictis ait capellanus: *Ego vadam Pisas, et cognoscam apertius voluntatem Pisanorum;* et iniunxit: *Certe periuri estis Pisani omnes. Expectate me, donec redibo a Pisis.*

Et ipso eunte, galea Trepedecini Portum Veneris intravit. Et consul noster sperans de pace futura, lapidibus iactis fugavit galeam illam usque discum[13], et dixit Pisanis: *Doleo quod galea ista exivit nunc de portu nostro, et vadit in cursum; et sicut vobis placuerit faciam. Bene enim possumus capere illam lignis minutis.* Ad quem Elemanus Pisanus dixit: *Domine consul, Trepedecinus cognatus meus est; non credimus quod gentem nostram offendat, etiam vobis iubente; et si vobis placet, ego faciam eum hic venire.* Cui consul: *Volo, ut veniat.* Nam Trepedecinus respondit missis Pisanorum: *Stultos et folles teneo Pisanos, qui mandant michi ut vadam ad eos. Si vero meus consul mandaret michi ut illuc irem, et sub fidutia vadam, tamquam patri et domino.* Dixit noster consul Pisanis: *Placet vobis ut mandem, aut vultis acquiescere, vel ut capiamus eum?* Responderunt: *Veniat.* Et statim venit. Quibus consul ait: *Vultis ut loquar solus cum eo, aut vultis vos ipsum alloqui?* Dixerunt: *Nos loquemur.* Ait Pisanus Trepedecino: *Quo vadis, et cur vadis?* Cui Trepedecinus: *Ego vado pro capiendis vestris et vestrorum rebus et personis, et pro nasis obtruncandis vestratum, nisi cum consule Ianue concordiam feceritis.* Ipsi improperaverunt ei, et verba odibilia ibi orta fuere. Dixit consul noster: *Volo Trepedecine ut maneas nobiscum, quousque capellanus redibit; quod si non feceris, a nostra fidutia te expello, et ultra ad urbem Ianuam reditum non habeas.* Cui ait: *Ego habebo consilium cum meis, et mane dicam vobis.* Et ivit ad discum. Pisani dubitantes de verbis que dixerat, descenderunt de insula et venerunt in burgum Portus Veneris hospitari. Mane veniente, galea Trepedecini ibat; et visa doluit consul, cogitans in cursum illam intraturam contra suam voluntatem; sed ivit ad discum pro vino emendo Et consul statim ascendit butium[14], et ivit capite cooperto ad eam itinere preparatam. Et viso consule remigantes dixerunt: *Domine libenter faciemus, sicut nobis ordinaveritis;* et reduxit galeam ad Portum Veneris. Et convocatis Pisanis iuravit Trepedecinus coram eis, quod salvaret et non offenderet illos rebus vel personis, nisi guerra inciperetur inter eos, et capellanus a Pisis rediret discordatus. Infra hec Pisani magna calliditate noctu Pisas mandarunt, ut galea viriliter armata veniret, quoniam galea Trepedecini inimicissimi nostri ibi erat, et secura non previdebit se ab insidiis nostris, et sic leviter possit capi: *et erit hoc*

a) aut 1.

13) forum rerum venalium esse videtur. 14) navis maior.

*obprobrium Ianuensibus, et non evadet latro pessimus a manibus nostris.* Quarto die adveniente venit galea Pisanorum, et invenit galeam Trepedecini prope Ilicem ituram in cursum; que versus Portum Veneris fugam petiit, timens ne forte insidie partibus illis ponerentur. Et cum galea Trepedecini fuit prope burgum, clamavit voce magna Trepedecinus dicens: *Domine, vos fecistis michi iurare fidelitatem Pisanis, et ecce videtis galeam illorum, que me fugat tamquam hostem. Quid iubetis, me facturum?* Cui consul: *Vade in bucam portus, et ego interim loquar cum consule Pisanorum.* Fuere simul coram multis aliis bonis hominibus, dicens: *Quid vultis faciamus? Videtis galeam vestram, que venit manu armata contra meam. Ite, si placet, ad eam, et venite ad insulam vel ad discum sicut amici, et emat hic tamquam galea nostra.* Et statim consul Pisanus ivit cum butio et ascendit galeam, et posuit in capite elmum et iuppum[15] in dorso, veniens contra nostram. Videns Trepedecinus eam sic venientem, clamavit ad consulem voce magna: *Domine consul, ego volo, si placet, volvere proram contra illam; quia verendum est, ne nos feriat, et esset nobis magnum dedecus.* Cui consul: *Expecta paulisper, quia forsan ad insulam ibit, sicut Pisano consuli dixi.* Et cum cognovit illam supra nostram hostiliter venturam, iussit Trepedecino ut cito galeam volveret contra illam Pisanorum: *quia hodie Deus erit nobiscum.* Quo facto noster consul Otobonus cum butio stetit inter utrasque, et iussit ut nostra galea, ut vulgo dicitur, retrosciaret[16]: quod et factum fuit. Cum Alemannus Pisanus vidit nostram retro redire, clamavit voce Pisana: *Fili de male pute. Vos fugitis battaliam, nam isti sunt barbe de Pisis.* Nostro consule hoc audiente, quasi iratus ex verbis illius dixit ad suos: *Remigate contra illam, et ferite eam, quia ius nostrum est, et illi fovent iniustum; nos autem equum; et Deus vobiscum hodie erit.* Omnibus armatis et diu hostiliter preliantibus, Pisano consule percipiente suos bellum diutius tenere non posse, eiecit se in mare, dicens alta voce: *Domine Otobone, evadam personam meam?* Cui ait: *Tua culpa hoc actum est; non enim respiciam tuis factis.* Continuo iussit, ut alter butius illum in castrum portaret. Elemanus videns periculum suorum clamavit: *Domine consul Ianuensium, fac*[a] *si placet quod honestus et utilis consul facturus esset in huiusmodi.* Cui consul: *Quid vis ut faciam, dic. Ascende domine galeam meam, et tuo auxilio forsan evadet.* Cui ait: *Venias et tu mecum.* Qui respondit: *Libenter.* Et ivit noster consul, et ascendit galeam Pisanorum. Alemanno recedente et fugiente, ipsi de galea Pisanorum clamabant: *Domine, adiuva nos, quia perimus.* Quibus consul: *Ne moriemini, de cetero vestra autem culpa contigit et superbia.* Et ivit qua bellum tenebatur, et fecit unam ex galeis ab altera segregare. Interim consul noster fuit a nostratibus vulneratus sagitta in brachio. Et cum in medio galee esset, vetitans ut nostri non ascenderent, ne forte raubas portarent, statim quidam Pisanus armatus extraxit de capite suo elmum et deposuit scutum, et ense suo retro consulem nostrum gravi ictu in pede ferivit, et vulnerato cecidit. Quidam Ianuensis nequitiam illius Pisani inspiciens, fecit impetum in eum, et ense caput illius abscidit; et nisi hoc evenisset, consul noster statim occisus foret. Capta continuo Pisanorum galea, fuerunt ex Pisanis melioribus vulnerati 32 crudeli vulnere; et consul noster timens ne nostra gens acriori mente Pisanos occideret, iussit ut consul Pisanus cum ceteris vulneratis in castro superiori portaretur; sed antequam ascenderent, venit consul Pisanorum cum his qui secuta erant ad consulem nostrum mercedem querentes, ne morti traderentur. Cui consul ait: *Licet tua culpa et tuorum superbia contigit, tamen tu et alii qui pro pace venerunt, pro me periculum non habebunt. Vade ad hospicium tuum cum omnibus vulneratis. Galeam vero tuam ad civitatem nostram reducemus.*

Redeuntibus illis Ianuam, infra dies octo fama insonuit, quod Pisani hostem preparaverant in Provinciam ituri. Nam die sancti Iohannis Pisanus consul Symonem Aurie a fidutia Pisane civitatis expulit. Quinta die veniente, quedam nostra galea cepit navem Pisanorum, in qua erat valens librarum 700. Duodecima die galea Bonivassalli Ususmaris et Willielmi Piperis duos galiotos honeratos cum mercatoribus 92 Ianuam duxerunt, valens librarum 1200. Interea Enricetus de Carpena factus Pisanorum amicus, tenebat Rochetam castrum, quod est supra mare prope Vernatiam, et minabatur semper Ianuensibus nostris per partes illas ituris, et hoc agebat honore Pisanorum, et guerram faciebat pro posse suo nobis, et maxime hominibus Portus Veneris, quibus vicinior erat. Et dum Simon Aurie,

a) fa l.

15) thoracem. 16) retronavigaret.

1165. vir utique prudens, ad Portum Veneris missus fuerat pro supradictis verbis cum Pisanis tractaturus, cogitavit secum de perdicione prefate Rochete; et factis insidiis noctu veniens ad Vernatiam fere cum 300 hominibus, ascenderunt clam montem, et ante lucem fuerunt circa Rochetam, et vi ceperunt eam, igneque combusserunt, et tres dominos Vezani et eiusdem loci captos Ianuam duxerunt. Nam eo tempore quod nostri consules verbis Pisanorum ad Portum Veneris detinebantur, preparaverunt Pisani galeas octo que iverunt Provinciam. Nobis scientibus, armavimus galeas 14, quibus prefuit Amicus Grillus. Cum fuerit ad gradus[17], audivit illos ad Sanctum Egidium[18] ivisse. Intravit flumen, cum fuisset prope molendinos, consules Arelatenses mandaverunt Amico Grillo consuli et sociis, si oporteret eos dubitare de adventu suo. Et dixerunt missis: *Nequaquam, quia vos amicos habemus et tenemus.* Pisani vero cum hoc sciverint, dimissa villa Sancti Egidii exierunt per aliam faucem, vel per aliud flumen quod vocatur Capra. Et nostri illuc euntes, fecerunt iurare quendam Provincialem sibi vera dicturum de galeis Pisanorum; qui ait, illas in gradu illo non esse neque in flumine. Invenerunt tamen ibi naves Pisanorum, et combusserunt
19 illas igne; et inde iverunt Acdem[19] similiter pro navibus accipiendis et comburendis, tamen inventis prece Trencavelleris illas non combusserunt. Quo facto redierunt ad gradum Montispessulani, et vento contrario intraverunt gradum Capre, et inde ascenderunt ad Sanctum Egidium. Et homines Sancti Egidii queque[a] necessaria illis prohibuerunt; et redeuntibus illis, data fuit Arelatensibus fiducia quam postulaverant. Et venientibus Ianuam tercia die ante sanctum Bartholomeum, Pisani cum hoste quam diu preparaverant, videlicet galeis 31, ferierunt ad litus Albingane civitatis. In quibus ipsi Albinganenses fidutiam habebant, et non precogitantes insidias et malivolentiam Pisanorum; tamen prelio inchoato mane, Albinganensium maiori parte absente, qui civitati remanserunt, non potuerunt ferre bella[b] undique pericula imminentia. Victi siquidem fuerunt et vi capta civitas, quam igne combusserunt et destruxerunt. Nam ex Pisanis multi mortui ibi fuerunt. Ianuensibus hoc scientibus, doluerunt pernimium, quia illis altera die mandaverant litteris, ut se caverent a Pisanis. Et valde irati armaverunt galeas 45 infra quartum diem, fugantes eas et querentes ubi essent. Et cum sciverunt eas esse ad gradus, et fuerunt ibi, habuerunt consilium ire supra eas ad Sanctum Egidium manu armata, ubi erant applicate. Quando fuerunt ad Arelatensem, aplicuerunt ibi, neque aliquem salutabant, sed vociferando ibant ad Pisanos, et erat hora prope vesperas. At cum fuere media via inter furcas et Sanctum Egidium, galee nostre in flumine sicco ferierunt nocte, et una super alteram currens, fuerunt nocte illa impediti, remis spatis aliisque instrumentis fractis iacentibus, super eos non potuerunt ire. Mane autem veniente, consules Sancti Egidii advenerunt consulem et alios potentes viros qui secum venerunt, dicentes: *Domini Ianuenses merciprecamur, ne faciatis nobis iniuriam, quoniam Pisani in nostra fidutia sunt; et illud idem de vobis diceremus illis, quod vobis de eis dicimus.* Quibus consul Amicus Grillus dixit: *Super prudentia vestra, viri nobiles, vehementer admiror, quia paulo ante cum aliis galeis hic fui, et ea que nobis fuerunt necessaria, tamquam inimicis prohibuistis, et adhuc nobis contrarii sitis. Si autem amici estis, ut dicitis, subvenite nobis in necessariis; non dono dicimus, sed ut saltem nostra peccunia panem a vobis emere possimus, sicut et vos facitis illis. Et promittimus vobis, quod intuitu dilectionis vestre stabimus longe remoti ab illis.* Cui responderunt: *Non esset nobis honestum subvenire inimicis mortalibus. Videretur utique quod desideremus litem et malum inter vos et istos, quibus dedimus fidutiam tempore quando de adventu vestro nesciebamus.* Quibus consul Amicus Grillus dixit: *Si ista que dico non placent vobis, dimittite eos abire extra gradus, et nos iurabimus vobis, quod non offendemus eos, donec fuerint extra districtum vestrum, et longe a gradu circa miliaria sex.* Cui dicentes consules: *Non enim hoc faciemus, quoniam si contrarium illis contingeret, nobis gravissima infamia esset. Scitote, si eos velitis offendere, nos adiuvabimus eos contra vos quantum poterimus.* Quo audito, tum quia nundine Sancti Egidii erant, id est feira[20] Sancti Egidii, in quibus magnus populus ex diversis partibus mundi convenerat, tum etiam potestates omnes contra nos pugnaturi erant, habuimus consilium, ut Raimundo comiti Sancti Egidii legatos mandaremus. Mandavimus quidem ad eum legatos Rubaldum Bisatiam, Wilielmum Nigronis, Idonem Gontardum, et alios secum,

a) q̄ 1. qui 2. b) *ita* 1. *fortasse* belli?

17) i. e. meatus, traiectus fluminis. 18) S. Gilles. 19) Agde. 20) *fiera* Italis, *foire* Gallis.

scire volentes, si nobis esset auxilio aut si contra sentiret. Et abeuntibus legatis, invenerunt comitem, salutantes illum dicentes: *Domine comes, nostra civitas antiquitus genitorem vestrum et vos et vestrates actenus tamquam se ipsam dilexit, et pro honore vestro tamquam pro suo semper facere concupivit. Nunc vero missi sumus ante vestram prudentiam scire cupientes, utrum poterimus de tanta benivolentia vicem ad presens habere, et vestrum auxilium in Pisanos sentire, qui civitatem Albingane in eorum fidutia stantem, his diebus preteritis absentibus illius civitatis militibus igne combusserunt, minime illorum calliditatem previdentibus.* Quibus Raimundus comes Sancti Egidii ait: *Verum est quod, viri prudentes, dicitis. Nam sicut mei predecessores urbem vestram et vos dilexerunt, tanto amplius amare et honorare vos desidero, quanto Deus civitatem vestram decoribus plenam plus solito ampliavit. Et ero vobiscum secundum beneplacitum vestrum, et pugnabo contra illos, qui hoc itinere Deum, sicut fertis, despexerunt, si michi et curie mee, ut conveniat, satisfecerilis.* His verbis pulchre compromissis, fuerunt statim mediatores, qui inter Ianuenses et comitem prenominatum concordiam hoc modo invenerunt. Commune Ianue, immo consul Amicus Grillus, antequam inde recederet, debebat ei solvere marchas argenti 1300, hoc pacto videlicet, quod aut prorsus esset nobiscum, aut non deffenderet illos, aut galeas Pisanorum absque personis illorum Ianuensibus daret, aut dimitteret prelium faciendum inter Ianuenses et Pisanos, neutri partium conferendo auxilium. Et hoc modo Raimundus comes iuravit adimplere in loco qui dicitur Belgaire[21], coram Corso Sigismundi aliisque legatis et nobilibus viris, qui illic iverat. 21 Et cum veniret propter hec omnia supplenda, abbas Sancti Egidii et Pisani cum quibusdam aliis viris sapientibus fuerunt obviam comiti, multa eidem comiti obitientes. Nostri autem bonam fidem gerentes et de comitis iuramento facti securiores, prohibere colloquium noluerunt. Illis venientibus tamen ad tentoria nostra comes applicuit. Quem consul et suos cum archiferis et balistariis multis honestissime suscepit, et ei obviam fuit. Qui siquidem inter Ianuenses et Pisanos, attamen nobis propinquior, castra metatus fuit. Et cum multa ibi amicabiliter opponebantur hinc inde, tandem ex parte comitis dixerunt quidam: *Non oportet nos prolixa verba habere, ne diem de cetero detinere videamur. Veniant autem Ianuenses, qui securitatem et iusiurandum faciant de solvendis constitutis et promissis marchis.* Quo dicto clamaverunt: *Fiat! Fiat!* Presto quidem erant, sed propter nimium desiderium fides dubia erat, ne comes ut promiserat suppleret. Inceperunt iurare, hii videlicet quos consul vel comes vocabat; et cum circa 75 iurassent, missis undique ad comitem venientibus et verba auribus immiscentibus, dubiores fuere Ianuenses, quoniam relatione audierant, quia nichil erat quod promiserat Ianuensibus comes. Nam abbas Sancti Egidii alieque religiose persone, sicut ferebatur et credebatur verum esse, sacramentum, quod comes fecerat Ianuensibus, in animabus suis susceperant.

Eo namque die circa vesperas separato comite a Ianuensibus, inchoatum fuit prelium inter Ianuenses et Pisanos; sed nocte superveniente uterque pars a bello se subtraxit. At cum Ianuenses pura intentione sperantes comitem Raimundum intrare, nuntiatum est illis veridica assertione, quod comes et Trencavellus et Sancti Egidienses, et militum copia quam locaverant Pisani cariori precio, si bellum inciperetur, pro posse suo Pisanis auxilio subvenirent. Attamen habuerunt consilium Ianuenses, ne contra tantam virorum multitudinem, et maxime in eorum districtu, prelium inchoarent, sed biduo expectarent, utrum omnes simul insultum sibi quolibet modo moverent. Ipsis morantibus solverunt pace militibus et bausengiis[22] qui Ianuensibus auxilium et consilium amicabiliter prestarunt, que promissa fuerant illis et ultra, et hoc fuit circa libras 800. Mane facto galee nostre iter arripuerunt versus Aralaten; et videntibus pontem illis diebus nuper factum, habens capita posita unum Arelati alterum Trencatalie, super quem armati vicissitudine occurrebant, miratus est consul, dicens: *Mandemus statim missum nostrum comiti de Miaude, ut sciamus si pons iste factus sit ad iter nobis prohibendum an non. Quod utique si esset contra nos edificatus, defendat se si poterit comes ad urbem.* Non enim poterat missus verba sibi comissa explere, quod comes prenominatus verba incepit hoc modo: *Ite, nuntiate consuli Ianuensium et prudentibus viris galearum: absens eram pro certo quando pons iste factus fuit, et doleo quod consul michi mandat, non ut amico sed tamquam hosti. Nam sicut patruus meus felicis memorie Raimundus*[a] *comes Barcinonensis eos dilexit, et diligendo illos pre ceteris honoravit, sic meo posse vice illius volo eis obsecundare, in omnibus et per omnia amicus, non hostis,*

a) R. 1. 21) Beaucaire. 22) incolis? vox ignota.

1165. *existere. Ego ipse statim ascendam pontem et destruam illum, et civitas Arelatis ad suum erit servitium, sicut consul voluerit.* Et appropinquantibus ibi, manserunt galee ad Arelatem et Trencataliam circa dies viginti, rogantes comitem ut iret cum eis super Pisanos, et darent illi secundum suum arbitrium. Quibus comes ait: *Cum in fidutia amoris constitutus sim cum Raimundo comite Sancti Egidii, non conveniret ut super terram suam irem offensurus.* Tandem exiverunt de gradu fluminis, et applicuerunt ad insulam Ligoris, et ibi invenerunt Wilielmum Ventum cum duabus galeis, qui e Ianua venerat, nova proferens, galeas Pisa-
23 norum non esse super eos venturas. Nam missus Pisanorum in parlamento[23] publice illis diebus iuraverat, galeas Pisanorum in nostras statim fore venturas. Exultaverunt verbis illis auditis, et facto consilio redierunt ad Arelatem, et cum non potuerint modum invenire quo galeas Pisanorum comburere possent, fecerunt pactum cum comite illo quod infra terminum in carta[24] scriptum galeas Pisanorum in suis terris non reciperet, neque navim illorum per pelagus; et sic iuravit comes cum quibusdam, sicut Rodoano de Mauro placuit, qui missus fuerat ad conventum inter nos et comitem terminandum. Et habuit inde comes libras 400 Milgoriensium. Quo facto remanserunt in Trencatalia dies sexdecim.

Et dum hec gerebantur, consules qui Ianue remanserant, mandaverunt galeas tres ad Turrim in Sardiniam, et igne combusserunt domos et turres, quas Pisani dudum magnis expensis pulchre edificaverant, et omnibus edificiis destructis, coram consule Pisano Willielmo fratre Contolini, redierunt prefate galee feliciter Ianuam. Et eo ipso tempore Pisani mandaverunt galeas 20 ad Portum Veneris, et nichil ibi facere potuerunt. Denuo galeas 25 mandaverunt ad Levantum, et burgum igne combusserunt. Que siquidem venientes ad Portum Veneris[a], ascenderunt insulam, et in ea commissum fuit prelium inter nos et illos. Et expulsis inde, venerunt in partibus fontis qui est in portu, in litus maris, vineas burgensium devastantes, et remanserunt ibi mortui quidam ex eis. Et Henricus de Carpena tunc supra altiorem turrim similiter amore Pisanorum aliquantulum vinee incidit. Quo sciente Morruello filio Opizonis Malespine et hominibus Vezani qui nuper nobiscum iuraverat, venit ad Portum Veneris in subsidium mira apparitione archiferum preparatus. Quo viso[b] Pisani recesserunt. Nam Simon Aurie consul et Philippus Lamberti et Obertus cancellarius cum quibusdam aliis sapientibus honestis[c] modis negotia illius castri tractaverunt.

His peractis galee nostre hieme adveniente venerunt Massiliam. Galeis Pisanorum ibi expectantibus, apparuit navis Pisanorum de Buzea rediens, quam ceperunt, habens peccuniam valens libras 1400. Et facto pane galearum, ascenderunt insulam Pumachi[25], galeas prestolantes, quamdiu vianda affuit illis. Iterum redeuntibus Massiliam cum viandam denuo prepararent, ecce quidam Pisanorum amicus, Massiliensis vir nomine Capdole, festinus cucurrit obviam consuli, falsa pro vero nuncians, quod navis Pisanorum ad Portum Aquile nuper fuerat applicata. Quo audito galee 12 iter arripientes illam non invenerunt, et statim versus Telonem[26] tenderunt. Hoc cognito consule cum galeis post illas properavit, et cum illas redire non posset, Ianuam simul omnes cum gaudio intraverunt. At cum Pisani sciverunt, nostras exisse de portu Massilie, perterriti exiverunt gradum, et altum pelagus quesierunt. Nam ventus rigidus nimis illis fuit contrarius, in tantum videlicet quod galee ipsorum 13 infra pelagus naufragium passe fuerunt, et omnes simul absque sepultura mortui fuerunt; et qui evaserunt, dolentes et mesti Pisas redierunt. Nobis autem habentibus consilium, Pisas mandavimus, quod dolentes eramus de inaudito infortunio, et ne cogitarent nos proinde elatos esse in superbiam; si placeret eis, nos staremus ad conventionem factam ad Ilicem inter nos et ipsos; ad quod nullum responsum fecerunt. Et nos statim galeas preparavimus, et cum cognovimus illos nullas preparasse, dimisimus et nos preordinare nostras. Ab hac hora in antea cogitaverunt consules super exitum suum, et quo melius possent civilia bella, licet non tota, in parte extinguere, et impedimenta que creverant, cuique plebium suo posse minuere.

Supra determinatum est, secundum quod potuimus, de rebus gestis tempore consulatus comunis. Nunc de his superest que consules causarum peregerunt. Nam inter tot varietates, que orte fuerant per universum archiepiscopatum nostrum, hii consules ita caute

a) Veneris, et nihil ibi facere potuerunt. Et quum hoc vidissent, asc. *ed.* b) *vox adesa* 1. uno 2. c) *ita correctum*; hones : : : : : : 1.

23) Arelati? 24) m. Oct. 1165. Libr. iur. I, 219. W. 25) Pomegue prope Massiliam. 26) Toulon.

et sapienter omnia tractaverunt, quod ante eos quislibet iratus vel pacificus adeo se cavit 1165.
et custodivit, quod lis prava vel iniqua controversia praemonentibus consulibus, Deo favente, incepta non fuit; et quicquid iusticia dictavit, cuique amice supplerunt. Collecta fuit denariorum sex per libram.

Anno 1166. existentibus sex consulibus in re publica Ansaldo Tanclei, Symone Aurie, 1166.
Idone Gontardo, Otone de Caffaro, Nichola Roza, Oberto Recalcato; in placitis in primis compagnis Wilielmo Galeta, Ionata de Campo, Philippo Bonifacii, Paschali de Marino; in aliis vero Enrico Gontardo, Wilielmo Suzopilo, Bucutio de Mari, Alberto Lercario.

Principio huius consulatus, sicut ignis crescit combustio non deficiente materia et fit semper validior, ita in civitate nostra malum augebatur, et civilia bella acrius exarserunt. Nam cor civium ita erat intentum ad arma consurgere, quia hii qui positi videbantur in otio, velotiori pede miscebantur in prelio. Raro enim quis civium ita pure voluntatis videbatur, quod inermis, id est sine armatura aliqua, per urbem incederet. Nam mens quieta belli inspectione ita acuebatur in malo, quemadmodum ferrum acuitur ferro. Sepius enim ferebatur, quod quidam de potentioribus tante perditioni fomentum prestarent; quorum animus in hoc demum exultabat, quo lites et guerram habentes divitiis efficerentur minores, quam res publica peritura eorum levaretur auxilio. Nam hec mortalis civium dissensio, qua etiam viri quatuor nobiles obierunt, Rubaldus Baraterius, Sigismundus filius Sigismundi, Iuscellus et Scotus, non utique diu durasset, si ad tantum dolorem mitigandum et ad malignantium audatiam comprimendam prudentia nostra, prout debuerat, attentius sine vitio vigilasset. Et quamvis undique tot et tanta intus et extra occurrerent adversa, tamen consules utilitatibus nostris pro posse intendentes, armaverunt quatuor galeas ad destruendos portus Provintie, ingressusque et regressus eorundem portuum prohibendos. Equidem custodia quarum Ottonis de Caffaro pervigili cure tradita fuit. Quod a medio mense Marcio usque ad mensem septimum expletum ita partes Provintie correxit et portuum commoditates adstrinxit, quod lignum aliquod exire nec intrare potuit, nisi primitus gratuita prefati consulis licentia precessit. Et cum omnia que illo itinere conveniebat, viriliter et honeste facta et peracta fuere, Ianua feliciter rediere. Et cum sensus predictorum consulum ad diversa assidue vehebatur, et

pluribus intentus minor est ad singula sensus;

attamen praedictorum consulum ingenium minime visum fuit aliqua in parte consulatus diminutum.

Nam Obertus Recalcatus consul cum tribus galeis Sardiniam adivit, ut Pisana civitas iam cognosceret, nos maiorem partem Sardinie eis invitis possidere, et duo demum iudicata, Arvorense videlicet et Caralense, contra duriciam ipsorum quiete tenere. Fuit enim prefatus consul Arvoree; et facta collecta per liberos, et illorum[a] voluntate et libero arbitrio tradiderunt prenominato consuli valens librarum 700 signum fidelitatis et dilectionis constantiam exhibentes. Quo siquidem iudicato pace dimisso, abiit statim ad iudicatum Calari. Adventus cuius iudex nomine Petrus cum peditibus militibus et multitudine Sardorum diu tamquam patris et domini desiderans, ipsum honestissime suscepit hospitio, secundum morem Sardorum mirabiliter aparato. Et cum consul iam dictus in palatio iudicis feliciter moraretur, iudex nomine Petrus cum grandi parte maiorum amicorum suorum coram consule humiliter accessit, et palam ante omnes in curia adstantes, comuni Ianue fidelitatem iuravit[b] et archiepiscopo Ianue, tamquam bonus vassallus bono et vero Domino; et tenuit iudicatum suum exhinc pro comuni Ianue. Et insuper se daturum iuravit publice infra quadriennium communi libras decem milia: quibus resolutis annue libras centum, et archiepiscopo Ianue annue libram argenti optimi unam. Ex tunc in antea Pisanos in suam terram non recepturum iuravit, nisi hoc fieret licentia consulum comunis Ianue. Quo facto[c], tamquam vir prudens, quoscumque Pisanos in suo regno potuit invenire expulit; et dimisso iudice, et consule de his factis laudato, Ianuam rediit. Et cum res publica tunc temporis satis erat in deteriori fama redacta, excogitaverunt consules, qualiter posset ad pristinum statum revocari. Fecerunt quidem iurare utramque pariter litigantium treugam post multum laborem, sed pravorum audatia exhuberante temporis rupta, civile bellum gravius

a) et i. et i. 1. b) *in margine delineatio iudicis habetur, ita subscripta:* Iudex Sardinee scil. Kalaritanus iuravit fidelitatem. *manu saeculi XIII.* 1. c) *in margine manu saeculi XIII. exhibetur:* Non invenio aliquid de predictis in nostris registris scilicet de dictis pactis; set quod nos promisimus ei, bene invenio.

1166. cepit virescere. At tamen pretaxati consules, ne Pisani prudentiores nostris discordiis efficerentur, et ne pro guerris intus habitis consules minus honeste fecisse viderentur, auctis[a] prudentia et audatia, denuo galeas novem armaverunt, quas pro subiuganda Sardinia et prorsus Pisanis auferenda et pro conservando honore paulo ante acquisito ibi viriliter preparatas mandaverunt, quibus fuerat ordinatus dominus prenominatus consul, qui inde redierat.

Hoc facto Pisanis cognito, post nostras 17 galeas mandavere, que nostras invenientes in Gulfo doio in fugam verterunt; sed cursu velotiores, dimiserunt illas Pisanorum, tamquam ligna aliquibus mercibus honerata. Quam rem nostri consules cognoscentes, ilico ceperunt armare galeas triginta duas, timentes ne Pisani nostris galeis insidias forsitan oposuissent. Sed cum iam fere essent ad procinctum itineris, Obertus Recalcatus consul, qui novem galeis fuerat dominus electus, dimissis Pisanis ut supra expositum est, rediens a portu Pisano, combussit ibi naves; et tunc fama Ianue insonuit ex illis, et cum ingenti gaudio Ianuensi portui applicuerunt. At Pisani audientes nos has triginti duas galeas preparasse, multo magis timuerunt quam timueramus de suis, quoniam certi et iam multotiens experti sunt, nostras suis galeis esse cursu velotiores. Mandaverunt quidem in nostra civitate, nos deviare cupientes, viros spirituales, abbatem videlicet insule Gorgone, et filium Merlonis de Lagneto heremitam, et tercium nomen cuius dedimus oblivioni, pro pace humili voce et visu inclinato querenda; qui heremitanis induti vestibus nobis fidem pacis praestarunt. Quorum verbis diutius morantibus consulibus et guida galearum triginta duarum mota, ecce noster consul de Sardinia rediit, et gavisis inde et verbis concordie morantibus spemque pacis habentes detinuerunt hostem, et rogatu heremitarum Portum Veneris adierunt, et post multas ambages nichil ibi fecerunt. Nam infra hoc tempus Pisani secreto, quoad potuerunt, duas galeas in Provintiam mandaverunt et ceperunt tunc parvum lignum Saonensium e pelago venientem, aliaque ligna minuta in maris profundo merserunt. Quo cognito armaverunt Ianue consules galeas septem, quibus prefuit Ansaldus de Trenquerio consul, et fecerunt viam insularum, quo predictis tribus galeis Pisanorum obviam essent[b] et levius impedimentum prestarent; et invenerunt ad insulam Caprarie[27] galeas Pisanorum quinque, nostrisque ab illis a longe visis, abierunt in fugam et velo nocte illa evaserunt. Et cum nostri venissent ad insulam Elbe, et mane Pisanorum galeas querentes, Pisani exeuntes de Plumbino[28] cum galeis septem fuerunt obviam nostris, et fuit prelium inchoatum. Eo durante apparuerunt tria ligna e terra venientia. Quibus visis timuerunt nostrates; et duas de nostris galeis Pisani ea die retinuerunt, eam videlicet de Campo et Macagnanam.

At post paucos dies mandaverunt Pisani galeas quinque in Provinciam. Eo cognito mandaverunt Ianuenses post illas de suis galeis sex, quibus Baldoinus Guercius dominus fuerat constitutus; et cum non potuerint illas in Provintia invenire, iverunt Corsicam, et per alias insulas inquirentes, pervenerunt ad insulam Elbe. Nam galee iste armate per totam civitatem, et sicut odium erat infra urbem, sic in galeis. Et cum essent in predicta insula, Iisque odiumve assidue inter eos vigebat. Interim galea Portus Mauritii e pelago veniens incomode armata se nostris adiunxit; et moventes inde venerunt super Vadam. Continuo Pisanorum galee septem exierunt obviam nostris, et fuit durissimum prelium inceptum inter eos. Nam galea Balduini Guercii et altera galea Wilielmi Galete qui tunc causarum consul fuerat, viriliter preliantes, et homines aliarum galearum illud idem facere sperantes, cum maior pars galearum Pisanorum iam in fugam versa videbatur, dimissis odio et inimicicia Balduino Guertio et Guilielmo Galeta consule, galee illorum capte et retente fuerunt a Pisanis. Maluerunt quidem sotios ab hostibus capi quam suis auxiliis liberari. Nam propter hoc infortunium sepissime galeas armaverunt, sed sicut Deus statuit neminem Pisanorum potuerunt invenire. Proximo mense Octubre veniente facta fuit concordia inter Ianuenses et Lucenses, sicut scripto facto inter eos.[c]

Illo tempore Wilielmus Montisferrati marchio, qui antea non fuerat tante laudis tanteque magnitudinis, eo quod dominus Fredericus imperator sibi multos honores contulerat, et villas terras et castra ditioni et dominio eius supposuerat, Ianuensibus dampnum et incomoda callide et fraudulenter exquisivit. Nam Ianuensibus ignorantibus suo exercitu et

a) augtis 1. b) esset 1. c) apparet *addit cod. Lat. Par.* 5899.

27) Capraia. 28) Piombino.

Willielmus Sarracenus secum et mater soror prenominati marchionis ad obsidendum 1166. castrum Palodii, quod tunc temporis a Ianuensibns tenebatur, venerunt, non obstante iuramento Ianuensibus ab eodem marchione antea facto. Namque hoc noto consulibus praeparaverunt viriliter acursum ad Palodium faciendum; et cum Vultabium aderant, hii qui intus erant, marchioni illi castrum reddiderunt. Interea imperator qui abierat, rediit Lom- Nov. bardiam. Quo cognito Ianuensium consules legatos imperatori mandarunt, Lamfrancum Piper et Otonem Bonum, conquerentes de nequitia et periurio prefati marchionis; et nullam iusticiam in curia imperatoris habere potuerunt. Placuit tamen imperatori, ut iustum precium ex castro Ianuenses acciperent. Quod utique spreverunt, honorem civitatis minime esse arbitrantes. Et dum pro hoc placito in curia imperatoris insisterent, Pisanorum consules ad curiam imperatoris venerunt conquerentes et dicentes: *Domine imperator, nos dedimus archiepiscopo Magontino libras tredecim milia pro Sardinea habenda nomine vestro et tenenda; pro quibus etiam iuravit, quod vos debetis imponere Ianuensibus sub fidelitate in plena curia, ut de cetero non intromittant se de insula Sardinee, quam dedit nobis, et investiti sumus vestra libera voluntate.* Quibus verbis prefatus archiepiscopus Magontinus respondit: *Verum est, domine imperator, quod iussu vestro precedente, sicuti Pisani testantur, ego investivi illos de Sardinea; et volo et deprecor maiestatem vestram, ut sicut ego feci, vos firmetis in plena curia hoc, et dicatis Ianuensibus qui sunt ante vestram presentiam.* Ad hec imperator surrexit, et suis verbis vel sua oratione prefatum archiepiscopum modis decentibus valde honoravit, dicens Ianuensibus: *ut propter fidelitatem, quam michi factam habetis*[a], *de Sardinea de cetero vos non intromittatis, et Pisanis illam quiete dimittatis.* Ad hec Obertus Spinula tamquam vir prudens sapienter respondit: *Domine imperator, securus potest quislibet ante vestram presentiam loqui, videlicet qui iustum vel honestum fovet; e contra qui iniquum vel iniustum contendit, timere et verecundari illum oportet, tum propter excellentiam imperialem tum propter quia veritas ante tantam curiam celari non potest. Ego palam loquor ut orator veridicus, et deprecor maiestatis*[b] *vestre clementiam, ut principibus et baronibus vestris iubeatis, quod me audiant. Civitas mea, humilium sublevator, ita veram fidelem et legalem novistis, tempore quo vobiscum convenimus, quod promisistis nobis, et iurare etiam voluistis, quod cum Pisanis nullam concordiam faceretis sine nostra licentia; et si aliquando in hoc consentiremus, vos non faceretis pacem*[c] *cum eis, nisi primo darent curie imperiali libras*[d] *quinquaginta milia; et multa quidem civitati nostre, que ad ius vel honorem Pisanorum spectabant, dare volebatis. Ipsa enim ob vestrum et suum decorem hec eadem renuens, vicinos et amicos bene tractare cupiens, numquam aures sicut bene nostis ad hec inclinavit, sed suo iure contenta, alienas rationes rationes nullo modo habere voluit. Isti vero sunt falsi vassalli, qui semper nituntur ut curia vestra eos ditiores faciat et potentiores in alienis, et ut curia in hoc appareat inhonesta, aliena, non sua dando vassallis. Ego vice mee civitatis publice affirmo, quod preceptum vestrum non est iuris, equitatis, vel nullius rationis; et non tenetur civitas Ianue tale observare preceptum vel mandatum, quoniam Sardinea nostra est et non Pisanorum; et vos iure non potestis nec debetis nos iudicare, quoniam nos tenemus et possidemus, et in curia vocati vel apellati non sumus, ut iusticiam Pisanis vel vobis faciamus. Et quia sententia imperialis semper vigorem iuris debet obtinere, dicimus, quod salvo vestro honore, id quod dicitis, contra ius et contra honestatem curie dictum est, et non tenemur illud observare, et nullo modo observabimus. Si autem Pisani conqueruntur de nobis, volumus libenter tamquam possessores coram vobis tamquam ante dominum nostrum iusticiam consequi et facere. Si enim pro hac non sententia sed voce tantum imperatoris*[e] *intromiserint, nos illorum nasos et occulos de capitibus eiciemus, si in eadem insula invenerimus illos, nisi primo a curia palam iudicati et condempnati fuerimus; quia Sardineam habemus et tenemus, et non dimittemus illam, nisi rationabiliter in curia vestra iudicati vel condempnati erimus. Quia in conventione quam vobiscum fecimus, convenistis nobis, et privilegio imperiali munimur, de omnibus his que civitas nostra ultra mare vel ex hac parte maris habet vel possidet, non debetis nos inquietare vel molestare vel ullo modo minuere; et ideo non credimus, quod curia vestra, nec vos si placet, iusticias nostras debeatis nec velitis iniuste nobis auferre, quia Sardinea nostra est, et tamquam victores nomine vestro possidemus illam.*

Tunc surrexit dominus Fredericus imperator, capellum in manu sua tenens[f], dicens:

a) *vox alia manu suppleta* 1. b) maiestatem 1. c) *vox alia manu in textu suppleta* 1. d) libra 1. e) *supple* se. f) *delineatur in margine* 1.

1166. *Verum est quicquid Obertus Spinula dicit. Et ego dico omnibus vobis et tota curia intelligat, quod non est mea intentio, neque volo ut vos credatis, me iustitiam vel possessionem Ianuensium Pisanis dedisse vel confirmasse nec iusticiam Pisanorum Ianuensibus dedisse vel confirmasse. Volo enim ut cognoscatur iusticia utriusque civitatis. Volo enim, quod ius suum ante me consequatur et equitatis effectum, et nequaquam iniustum. Quicquid enim feci, voluntate iudicis vel regis Arvoree feci, in quo omne ius meum contuli, et non credebam diminuere Ianuensibus aliquid de illorum rationibus.* Quibus dictis imperator sedit; et tunc Simon Aurie dixit archiepiscopo Magontino: *Falsum consilium dedisti domino imperatori, et male consuluisti illi.* Cui archiepiscopus plane et honeste respondit: *Domine Symon, vos estis homo imperatoris, et quando consilium illi datis secundum quod vobis videtur, bona fide facitis, et ego similiter secundum meum sensum consulo.* Quo dicto Pisani domino archiepiscopo placere cupientes, alta voce dixerunt: *Super prudentia vestra, domine archipresul, vehementer miramur, cur vel quare ita patienter fertis inmoderatas et vanas voces Ianuensium, qui ineffrenate contra vos et contra honorem imperii loquuntur. Affirmate, si placet, sententiam imperatoris, quia recte illud facere potestis, quoniam Sardinea nostra erat primo, et nunc rectiori iure nostram dicimus esse; et non est honor imperialis curie, quod dona vestra sint per aliquem fraudata, cassata, vel viciata.* Ad quos imperator ait: *Cur ista dicatis, Pisani, nescio.* Cui responderunt dicentes: *Ianuenses, maxime Romanorum princeps, Sardineam, quam nomine vestro tenemus et possidemus, dicimus eam maliciose invasisse et terram illam diripuisse, et insuper, quod gravius est, iudicum fidelitates suscepisse. Iubetote ergo eis ante vestram presentiam adstantibus, ut iam nunc acquiescant, et de cetero ex ea insula se non intromittant.* Quibus Symon Aurie, Obertus Spinula palam Pisanis et sine mora, non interrogati ab imperatore, responderunt: *Domine imperator, qui semper resistere maluistis superbis, imperium vestrum de vanis vocibus alicuius, et de his maxime quos novit fovere iniustum, actenus curam non habuit, nec etiam aures lingue maliciose inclinare consuevit. Non enim Sardineam ratione vel titulo aliquo illorum esse dicimus, immo falsissimum esse constat quod asserunt, nostramque fore Sardineam in curia vestra palam affirmando probamus. Nam antiquitas nostra primum Calarense iudicatum, quod tunc erat caput tocius Sardinie, armis subiugavit*[a], *et regem Sardinie Musaitum nomine civitati Ianue captum adduxerunt, quem per episcopum*[b] *qui tunc Ianue erat, aule sacri palatii in Alamanniam mandaverunt*[c], *intimantes regnum illius nuper esse additum ditioni Romani imperii. Etenim Gaitani et Neapolitani et homines totius principatus, qui hoc antiquitus novere, cum causa negotiandi aut salem reportandi Sardiniam vadunt, et aliquod lignum grande vel parvum nostrorum hominum aut sine ligno nostratem inveniunt, scutum panibus plenum et duo vasa vitrea dicta nomine mivolia piperis plena et duo barilia meri etiam non petentibus nostris offerunt, et quandoque vi offer-*
29 *tur*[29] *ab illis si contra forsan dixerint, loci potestate non prohibente, sub cuius fidutia insule Sardinee applicuisse videntur. Nam hoc factum, quod utique antiquitus facere consueverunt, nove emptionis modum, sicut vos dicitis a domino imperatore fecisse, non demonstrat, neque nos novos emptores assignat; sed quasi vetustos dominos nos esse, et insule illius possessionem tenere aperta ratione confirmat. Et insuper iudex, id est dominus loci, in pascha, id est in resurrectione Domini, singulis annis nostris paucis vel pluribus qui illuc pro tempore adsunt, caseum satis grandis ponderis, quem par boum publice affert, eis actenus consuevit offerre. Sufficiunt vobis ista Pisani, an alia ad ruborem vultis audire? Nam maior ecclesia nostra beati Laurentii martiris ex tunc casalem et curiam, liberos et servos presenti tempore possidet, utilitatem et fructus cuius per colonos suos singulis annis perpendens. Non est ergo putandum, quod civitas nostra que antiquitus multis honoribus et decoribus fulget, alicui debeat consentire, quod in parte nostra, id est in medietate, et plus dicere possemus, qui sepius falsa quam vera firmatis Pisani, aliquid capiatis vel aliquo iure habere debeatis.* Ad hec Uguezonus Pisanus respondit: *Domine imperator, videtis quia Ianuenses sententiam vestram et dicta vestra vilipendunt. Facite inde quod videtis esse honorem curie. Nos quidem tales vassalli sumus, quia fideliores nobis non invenietis; et dicimus quod Ianuenses non tam leviter venissent ad concordiam ad pedes vestros, nisi timore et fortitudine Pisanorum; et hoc aperta debetis credere ratione, quia hoc anno bis galeis septem per*[c] *septem ex suis subiugavimus iusticiam obtinentes.*

a) anno MI., ut dicitur *in margine manu posteriori* 1. b) Iohannem *in margine manu posteriori* 1. c) imperatori Henrico III. *in margine manu posteriori* 1. c) *ita* 1. *an pares?* 29) i. e. aufertur.

Interea crescentibus rumoribus recessit curia. Mane autem Pisanis et Ianuensibus ab 1166. eadem curia vocatis, dixit imperator: *Vobis dico Pisani, mee ordinationis est et volo et iudico vobis, ut Ianuenses captos statim reddatis.* Ad hec Pisani responderunt: *Non debemus, domine imperator, illos iure reddere, quia bis pugnando illos ut hostes cepimus.* Quibus imperator: *Nolo vos iniuste iudicare; sed curia mea cognoscat, si hoc faciendum est nec ne.* Postmodum iudicavit curia, ut omnes capti honore imperii liberarentur. Altera die fuerunt coram imperatore, predictum sermonem iniquum denuo dicentes. Quibus Lanfrancus Piper respondit, ostendens urbem Ianuae actenus fidelem imperio cum honestate stetisse; et quod melius posset servire imperio quam ulla civitas, iniungendo[a] galeam nostram in Portu Veneris unam Pisanorum vi cepisse, quam cum nostri erant cum eis in colloquium pacis, Pisani mandaverunt, ut incaute et ex inprovisu nostram in Portu Veneris caperet, que ibi vi fuit tantum ab altera subiugata. Ad hec Uguesonus Pisanus respondit dicens: *Tu mentiris; et ex hoc faciemus te per bataliam victum et mortuum, et ut ita dicamus recredentem.* Cui Obertus Spinula et Grimaldus contradixerunt: *Nos dicimus et probamus vobis Pisanis, quod verum est quod noster consul affirmat, et ex hoc faciemus vos stare mortuos, et ut vulgo dicitur recredentes.* Infra hec archiepiscopus Rainaldus respondit: *Domine imperator, ego consulo vobis ut faciatis bataliam inde fieri.* Et iussit statim imperator adduci testem euangelium, et iuraverunt duo Pisani et duo Ianuenses facere bellum ordinatione imperatoris. Facto hinc inde sacramento, Obertus Spinula dixit: *Domine imperator, hi Pisani magnam indignationem coram vobis ostendunt habuisse, eo utique quod consul dixit de illorum galea a nostra capta vi quondam fuisse. Sed ego dico, quod ab una galea usque in decem due per duas, quinque per*[a*] *quinque iam capte sunt a nostris; et si contradicunt*[b], *aliam pugnam illis invadio, et faciam illos mori et recredentes esse. Vos scitis, quod nos et ipsi debemus cum exercitu in vestro servitio esse; nos iurabimus eis, quod dum ibi erimus, non offendemus illos rebus nec personis infra mensem, redeuntibus nobis; et post exinde non faciemus lamentationem ulli personae de dampno quod nobis fecerint. Et si hoc idem iuraverint coram vobis, nos dabimus vobis mille marchas argenti.* Ad hec Pisani tacuerunt, et nullum responsum inde facientes, clamaverunt Lombardi: *Mortui sunt Pisani.* Mane in curia statutum fuit, ut archiepiscopus Rainaldus Ianuam veniret, et archiepiscopus Magontinus Pisis, et statuerunt tercia die ut omnes capti redderentur. Ivit quidem prefatus Rainaldus archicancellarius Pisis, sed nescitur, prece an peccunia fuerit labefactus, vocem non exaudivit imperialem. Nam omnibus predictis ut supra audistis peractis, de exitu suo consules ex hinc tractaverunt. Collegerunt per libram denarios sex, ex quibus credita sibi honeste solveret.

Nunc sequitur dicendum de his que a consulibus causarum peracta fuere. Suum consulatum inter tot variosque scopulos sine vitio rexerunt, unicuique ius suum tribuentes remque publicam pro posse agentes, consulibusque in re eminenti auxilio et consilio subvenientes. Naves laboratum iverunt.

Anno 1167. existentibus octo consulibus in re publica Enrico Mallone, Rodoano de 1167. Mauro, Corso Sigismundi, Otone Bono de Albericis, Rogerio de Maraboto, Rubaldo Bisatia, Oberto Spinula, Lanfranco Pipere; in causis existentibus quatuor consulibus Corso de Palazolo, Frendenzone Gontardo, Oberto Maloaucello, Pascali de Marino.

Istius consulatus introitu res publica ut fuit expositum satis dilaniata, et minime in bono aucta[c] pro calamitate intrinseca. Iam treuga hinc inde nequitia clientum inhoneste observata, timentibus consulibus ne nubilosus aer tenebrosum efficeret annum, treuguam consulatum fecere iurare per suum. Et ne guerra Pisanorum tantis discordiis minus caloris obtineret, armaverunt quatuor galeas, ut qui portus Provintie contra velle Ianuensium ingredi[d] vel ex eis exire temptaret, grave eis ilico prestarent impedimentum. In quibus Rodoanus consul fuit a sociis dominus preelectus, qui non modicis expensis constans mansit in partibus illis a mense Martio usque ad proximum festum sancti Andree venturum. Nam de faucibus exire volentibus egressum impedivit, nemini vero ingressum habere permisit, nisi ut verum fateatur gratia consulatus; raro tamen alicui quandoque favit. Et ne dies[e] longo detineatur sermone, consules qui pro custodia urbis mansere, multas galeas et sepissime ad offensionem Pisanorum faciendam mandarunt. Quadam vero die insonuit, quod Pisani cum quibusdam galeis pro offensione nobis et nostris inferenda Provintiam intraverant. Ac proinde Obertus Spinula consul cum septem galeis illuc fuit obviam illis

a) i. quod g. *erasum* 1. a*) per 1. b) contradic 1. c) augta 1. d) *deest* 1. 2. intrare *ed.* e) diem 1.

1167. premissus. Qui cum ex hac parte Monachi[30] esset prope videlicet montem qui dicitur Caput sancti Martini, Victimilienses[31] primo galeas Pisanorum a Capite sancti Ampelii cernentes, mandaverunt unum hominem ex nobilioribus civitatis in butio, adventum galearum Pisanorum consuli et sociis prenuntiantem. Qui vehementer letati, ad pugnam se preparantes expectaverunt quantitatem galearum cognoscere; et cum sciverunt illas esse novem, et rumor inter eos creverat, quia alii ad pugnam alii ad aliud incitabantur, tandem inierunt consilium, et visum eis fuit comodius prelium cum se plurioribus minime foret miscendum. Euntes tamen nostre galee iuxta terram versus Nitiam, et Pisanorum properantes ad insulam Sancti Honorati, post hec infra biduum Rubaldus Bisatia consul cum galeis 4, auditis novis Pisanorum, velociori cursu se ad Obertum Spinulam iunxit. Et simul moventes
32 supervenerunt galeas Pisanorum, et super Forum Iuliensem[32] miserunt eas in fugam; et cum evadere non credebant Pisani, ex adverso apparuerunt galee 10 Sarracenorum; et videntes Sarraceni 11 galeas Ianuensium et 9 Pisanorum, omnes separatim pro galeis 11 fugiebant pro posse; et sic nox divisit illos, quod mane facto nusquam apparuerunt; quo facto Ianue redierunt. Interim galee Pisanorum tres in Provintiam iverunt, ad quas consules mandaverunt galeas 7, quas Corsus consul duxit ad Sanctum Romulum, illas ibi diu expectans, quoniam ibi id est in partibus illis consueverant capere terram, et illis nec visis nec aliquid ex eis audiens, ascendit insulam Corsice; et eo modo mane galee Pisanorum ibidem terram ceperunt, et nostre eo itinere parum profecerunt. Iterum galee tres per totum garbum[33] querentes Pisanos offendere non invenerunt. Veniente mense Iulio Pisani advocaverunt Ianuenses ad pacem ineundam et componendam; et post multas oppositiones hinc inde ad invicem factas, convenerunt ut discordia in decem hominibus poneretur: et fuit posita e parte Ianue in Lanfranco Pipere Ianue consule, et Guilielmo de Marino et Otone de Caffaro et Philippo Lanberti et Symone Aurie; et totidem ex altera parte Pisana; et tamen hec electio nichil utilitatis fuit.

Preterea infra illam estatem imperator Fredericus cum magno exercitu Lombardorum et aliarum multarum gentium adivit Anconam obsidendam et diripiendam; et post multos dies posita obsidione et cum[a] imperator intentus ad pugnam viriliter staret, Rainaldus Coloniensis archiepiscopus et Christianus Magontinus archiepiscopus, unus archicancellarius Italie et alter archicancellarius Teotonice, cum essent ambo pariter in[b] Romanos tamquam hostes imperii pugnaturi, quadam die insidias Romanis posuerunt, et exeuntibus Romanis foras ad pugnam mixto bello, inter mortuos et captos fuerunt ex Romanis ea die circa 1700. Adepta victoria et desuper eis concessa, putantes Romam aut vi aut concordia cito fore subiugandam, mandaverunt quidem ambo archiepiscopi litteris et missis imperatori, quibus visis et perlectis, Ancona dimissa Urbem, id est Romam, accederet cito. De casu namque Romanorum imperator factus letissimus, studiosius laboravit ut pactum ante Anconitanenses firmaret, quo adstantes putarent recessionem imperatoris ideo esse, quoniam Ancona civitas velle imperatoris in toto complesset. Quo facto, imperator vexillis tubis omnique genere instrumentorum ad triumphum pertinentium Rome appropinquavit. Et convocatis Pisanis, qui secum militibus iverant, illorum consilio mandavit Pisas et Ianuensibus, ut exercitus quos convenerant imperatori, cito ad Romam conducerent. Et cum hoc fuerit Pisane civitati manifestum, statim consul Pisanorum cum quibusdam ad curiam ivit imperatoris. Qui post aliquantulum temporis imperatori dixerunt: *Domine imperator, cui totus mundus favit, Pisana civitas semper vera et fidelis Romano imperatori affuit, que a servitio vestro deesse non potest. Nuper audivimus, domine imperator, quod Ianuenses ad vestrum vocatis servitium. Nolite, si placet, hoc facere ut simul cum Pisanis exercitum facere debeant, quoniam incomode factum erit quicquid inimici mortales simul facturi conveniant. Non enim expedit vobis, ut circa Romam diu maneatis obsessam. Sumus enim procinti ad bellum, et vobis parati cum exercitu honestum prebere occursum; illi autem minime. Illud enim vobis revera innuimus; si Ianuenses duxeritis, et captos quos de suis habemus, pro quibus pacem ad nostrum libitum habere speramus, eis reddideritis, Pisanus populus de cetero non veniet vobiscum. At si nostrum forsan vos gravat consilium, iniungimus et aliud verbum, quod imperialis maiestas mutare non poterit, quin vocem et rogatum Pisane civitatis exaudiat. Namque decoris vestri intuitu, et quia in omnibus vobis desideramus placere, duplicabimus*

a) *deest* 1. b) *deest* 1 2. 30) Monaco. 31) de Vintimiglia. 32) Fréjus. 33) i. e. aream sc. maris.

*expedicionem quam Ianuenses facere promiserunt; et sic in eorum absentia aliquod incomodum* 1167. *non patietur turba vel aties vestre.* Et sic imperator illos vera polliceri existimans, nobis Ianuensibus sponte dimissis, fallacibus verbis illorum acquievit.

Interea Ianuenses ad ea que imperator eis mandaverat, litteris ut arbitror eis responderunt hoc modo: *Expeditionem, domine imperator, faciendam promisimus vobis, nostris hominibus captis a Pisanis, primo a nobis recuperatis, et quos vestra curia palam liberari iudicavit: quod nondum ad effectum perduxit. At si denuo placeret vobis, quod sententia curie vestre nostrum desiderium adimpleret, licet iure non cogamur neque aliquo pacto teneamur quod cum exercitu ad urbem Romam debeamus venire, tamen decoris et dominatus vestri intuitu vobis occursum pro viribus faciemus honestum.* Et dum imperator duplicatum Pisanorum Iul. exercitum, sicut Pisani ei litteris et missis mandaverant, sollicitus expectaret, Ianuensibus nulla responsione premissa, morbus eximius[a] aeris puritate turbata, militum turbas, agmina Aug. ducum, aties principum adeo mirabiliter invasit, quod pedites et sine numero viri ex multitudine populi imperatoris perierunt; et sic calliditas Pisanorum imperatorem seduxit, et ut ita vulgari sermone dicamus, hostem imperatoriam ad nichilum et in infamiam perduxerunt. Nam eadem infirmitas et dispar motus aeris pari voto animalia extinxit. Interim imperator casum suorum timescens, magis de reditu quam de obsidione tenenda cogitavit; rediit tamen festinus in Tusciam, et Pisanam civitatem et Lucam visitavit, nostros minime ex carcere liberans. Venit tamen usque ad Pontem Tremulum, ibique Opizonem Sept. 4 Malamspinam invenit, qui imperatori usque Papiam ducatum amicabiliter prestavit. Qui dum Alamanniam iret, quosdam de obsidibus Lombardorum in ramis arborum suspendit.

Hec vero omnia his modis peracta, Rodoanus consul, qui in Provintiam iverat ut supra expositum est, cum rege Aragonensi pacem inivit. Qua pace conventum fuit, quo Pisanos de tota terra sua debebat eicere et de cetero eos non recepturos[a*], et quos in suo regno et res ipsorum inveniret, Ianuensium consulibus daret. Nam medietatem duarum navium Pisanorum, que venerant Barcinonie, Rodoano consuli dare et consignare fecit. Nam hec et multa alia ad utilitatem Ianuensium pertinentia in conventione scripta sunt, sicut lector poteris in registro scriptum invenire. Nam in concordia illa fuit expressius dictum, quod civitas nostra quatuor galeis debebat afferre auxilium regi ad capiendum castrum Albaronis, quod comes Sancti Egidii contra prefati regis honorem optinebat. Ideoque Rogerius de Maraboto consul cum quatuor galeis pro eodem auxilio prestando armatis Provinciam adivit. Que galee octo simul fuerunt ad faciendam obsidionem prefato castro. Et cum presentia prefati regis machina aliaque instrumenta viriliter praepararent ad capiendum castrum nominatum, mortuo Trencavallere proditione suorum, placuit regi dilatare obsidionem. Quo facto galee Ianue feliciter rediere.

Preter hec omnia Corsus consul cum duabus galeis mense Octubri ivit Sardiniam, et Oct. prefuit ibi tamquam dominus in iudicatis videlicet Calari et Arvoree usque ad mensem Februarii; et cum rediret, cepit navim Pisanorum, et plures Pisanos Ianuam adduxit. Et ex tunc cogitaverunt consules de exitu suo, et fecerunt collectam per libram denariorum sex; et naves eo anno iverunt laboratum; et castrum Clavari edificaverunt.

Sicut supra diximus de rebus gestis a consulibus rei publice, sic brevius quo poterimus, de his que causarum consulibus pertinent, sermonem vobis faciemus explicatum: in suo consistorio anni curr cula honeste morantes publicisque utilitatibus minime deficientes, iura eque tractantes, cuique civium accurate ius suum laudaverunt.

Anno 1168. consulibus quinque in re publica existentibus, Idone Gontardo, Nubelone, 1168. Nicola de Rodulfo, Lanberto Grillo, Bellamuto; in causis quatuor consulibus existentibus, Guidoto de Nigrone, Guilielmo Cavarunco, Pascali de Marino, Ansaldono.

Superius exposui vobis evidentiori scriptura qua potui, que cuiusque consulatus tempore divina maiestas statuit occurrisse. Nunc vero invitus ea utique conor vobis patefacere, que in[b] presenti consulatu non minus solito graviora arbitror contigisse. Nam res publica ad tantam pernitiem noscitur pravorum audatia pervenisse, quod vix suspicor eam tot imbribus impulsam in se ipsam regi potuisse[c], nisi multo amplius Dei quam hominis regeretur consilio. Qui consules nostram utilitatem semper in bono augere cupientes, treuguam

a) epidemicus *ed.* a*) *loco* recipiendos. b) q̄m 1. 2. *vitio scribae loco* qin. c) potuisset 1.

1168. habentibus guerram[34], et maxime capitibus, iurare fecerunt. Qua iurata, post paucorum dierum spatium Cendatus ibat cum quibusdam soldariis in advocatiam, Ingone Berfolio in partibus illis similiter cum clientibus redeunte. At cum se viderent mixto prelio, et hinc 35 inde pilotis[35] emissis, Cendato percusso, continuo occisus fuit. Ingo tamen Berfolius ibi vulneratus, minime tunc mortuus fuit; sed diu infirmitatem passus, isto consulatu obiit. Consules quidem suo arbitrio inde vindictam fecerunt. Preterea infra parvum tempus consules audierunt, Pisanos galeas 11 pro nostris offendendis in Provinciam mandavisse. Qui licet in tot et in tantis ruinis vehebantur, non eo minus galeas 13 armaverunt, quas post eas utili apparatu mandarunt, Nicola de Rodulfo in eis domino constituto. Qui equidem tamquam vir prudens vigilans, die noctuque tamdiu eas inquirens donec ad gradum Milgoris nimio sudore et labore pervenit. Ibidem audivit, galeas Pisanorum 7 esse ad gradum Magalone[36], et quatuor erant ad Acdem; et remigantibus illis pro posse adversus illas, statim a longe viderunt illas. Nostris tamen ab illis visis, terga versi sunt Pisani; quos per totam illam diem nostri fugaverunt versus pelagus, et terram minime videntes preter Caput Crucis, nox separavit eas a nostris. Quibus vero dimissis, ipsa eadem nocte retro redierunt ad Acdem, ubi erant alie quatuor galee Pisanorum. Mane vero facto iuxta lucem prope illos fuerunt, et fugere non valentes, vi omnes quatuor ceperunt. Namque Pisani harum galearum antea se multum voce iactaverant coram potestatibus illius terre, dicentes illis: *Nos utique, viri potentes, dominos maris videtis; Ianuenses nostros inimicos nusquam possumus invenire.* Ad quas quidem sublimes personas altera die Nicola consul cum galeis suis et cum illis captis Pisanorum triumphator pervenit; a quibus quidem honeste receptus et valde laudatus fuit, et habita licentia Ianuam feliciter redierunt.

Et facto et convocato consilio, narravit consul ea quae sibi prosperrime acciderant; et consuluerunt ut per cursorem litteras portantem civitati Luce hoc patefaceretur; nam eo tempore tenebantur ad invicem Ianuenses et Lucenses sibi contra Pisanos vicissim afferre auxilium. Nam litteris illis precibus et monitis Lucenses exhortati fuerunt, ut continuo super Pisanos sicut hostes aggrederentur. Quibus etenim non modice letificatis, ad castrum nomine Axanum, quod erat vel est constructum prope civitatem Pisanam circa miliaria quatuor, cum magno exercitu militum et peditum iverunt. Pisani utique ad illud suum castrum latentes, cum multis aliis qui de Pisana urbe tunc exierant eis obviam viriliter exierunt; et pugna commissa, Pisani terga versi sunt. Ea namque die ex nobilioribus militibus Pisarum et ex aliis prudentibus viris fuerunt satis numero capti, et Luce civitati mirabilibus laudibus in carcere ducti. Quam etiam victoriam Lucenses Ianuensibus ad invicem litteris et missis intimarunt. Nam ingenti gaudio Ianuensibus inde repletis, habuere consilium ad Lucam dirigere, ut de captis Pisanis et maxime de nobilioribus militibus, Lucensibus postularent, et Ianuam tot et tales ducerent, ex deliberatione quorum Ianuenses diu Pisano carcere detentos rehabere possent.

Lucenses quidem, ut verum fateatur, Nicolam de Rodulfo consulem, et Enricum Aurie et Enricum Malumaucellum honeste receperunt, et diu ibi morantibus fere per spatium septem ebdomadarum, post multas questiones quasi inviti Lucenses demum quos voluerunt nostri, sibi adsignarunt, videlicet Lanbertum Maiorem, Sicherium Gualandrum et Bulgarinum de Capruna et Guirardum Baratulum et Guinicellum et Obertum Sicherium et Guilinum de Baldezone, Guilinum de Hodierna et Silvanum et Lambertum Batibaliam, quos Lucenses cum multis militibus usque ad turrim de mare duxerunt. Nostri etenim ad Lucam eos noluerunt recipere, ne forte in via aliqua insidia eis poneretur, per quam levius amittere potuissent. Nam cum ad turrim de mare simul omnes pervenissent, relatum fuit eis quod Pisani mane cum exercitu illic venturi essent. Quo audito se parantes ad pugnam, posuerunt Pisanos in fundo turris, ubi erat aqua fetens et vermes. Mane autem galea Portus Veneris proinde veniente, ascenderunt eam, et Ianuam cum Pisanis captis feliciter redierunt, eosque cum aliis quos habuerant in carcere ponentes. Qui namque ibidem non diu morantes, datis obsidibus iverunt Pisas, et qui tamdiu laborarunt[a], quod Pisani consules iuramento eis promiserunt usque ad mensem unum ex Ianuensi carcere pro[b] ut melius possent extraherent. Venit mensis, quo cambitus nostrorum et Pisanorum factus fuit. Nam fuerunt Pisani numero 700, Ianuenses vero 333. Equidem quam plures mortui fuerant,

a) laborarant 1. b) quo 1.

34) i. e. treugam iurare fecerunt habentibus guerram. 35) i. q. pilis. 36) Maguelonne.

et alter pro altero cambiati. Interea armaverunt galeas 16, quas Ido Gontardus consul super 1168. Pisanos duxit offendendos. Et cum iam pervenissent ad insulam Segestri, missis et litteris certi facti sunt, quod Pisani cancellarium Frederici imperatoris nomine Christianum cum 7 galeis usque Massiliam ferebant; et facto ibi comitorum consilio, ivit prefatus consul post illas in Provinciam cum galeis 8 usque ad insulam Sancti Honorati. Et morantibus ibi circa dies septem et non inventis Pisanis, noctu arripuit iter consul et pervenit ad insulam Corsice; et interim galee Pisanorum ad eandem insulam Sancti Honorati applicuerunt, et audientibus de galeis nostris que paulo ante inde moverant, iverunt cum magno impetu ad portum Agadani, et ibi cancellarium imperatoris et alios, malis eorum quam pluribus retentis et rebus, in monte Aceresto cum velocitate posuerunt. At cum Ido Gontardus consul in Corsicam perveniret, audiens denuo Pisanos in Provintiam ivisse, de suis galeis statim octo mandavit post illas, comitis galearum iussit ire cum reliquis octo ad destruendam insulam Planosam[37]. Qui siquidem turres illius insule cum machinis et armis preliarunt; 37 et morantibus per aliquot dies, turribus minime captis attamen in parte fractis, et audientibus tunc[a] preparasse galeas 32,[b] custodia galearum nostrarum nostras redeuntes venturas aguoverint; quibus simul iunctis et dimissa prefata insula, per partes portus Pisani letantes et gaudentes redeuntes, Pisani cum 30 galeis nostros in fugam verterunt; nostre autem cursu velociores, Pisanis prorsus dimissis, Ianuam feliciter redierunt.

Interea post paucos dies Pisane urbis Villanus archiepiscopus, quem Pisani illorum calliditate pro imperatore de civitate in Monte Christo[38] fugaverant, cum abbate insule Gorgone[39] advenit Ianuam, in ecclesia sancti Laurentii martyris super populum humiliter et sapienter de pace predicans. Qui post aliquot dies Ianuensium consules et Ugonem archiepiscopum prece convenienti rogavit, quo usque Portum Veneris pro pace componenda, ex qua multum se dicebat sperare, irent secum cum Pisanis locuturi. Et facto proinde consilio, Ugo archiepiscopus et ecclesie nostre Obertus prepositus et Lambertus Grillus consul cum pluribus sapientibus viris Portum Veneris abierunt. Et inventis Villano archiepiscopo Pisano cum suis clericis et Lucensium consulibus cum sapientibus quibusdam, multa verba ad invicem contraxerunt. Nam cum archiepiscopus Pisanorum cognosceret, quod absque suis consulibus ~~id quod~~ promiserat et dixerat explere non posset, redivit Pisas, suos consules in proximo se habiturum promittens. Quibus aliquantis diebus expectatis, Ianuam nostri redierunt, non venientibus illis. Et transactis aliquantis diebus, facto consilio consules Idonem Gontardum et Ansaldum Goliam et Paschalem de Marino causarum consules, et Refutatum iudicem ad Lucam mandarunt, apertius scire volentes, quam voluntatem Lucenses haberent de pace Pisanorum, an non. Et abeuntibus illis invenerunt Villanum archiepiscopum ad Portum Veneris, qui a Pisis redierat; et nolentes cum illo longos[c] sermones componere, arripuerunt iter suum versus Lucam. Quo facto, archiepiscopus Pisanus misso et litteris insinuavit consulibus nostris, ut sine mora Portum Veneris adirent, quia multo amplius sperabat de pace trium civitatum componenda, que etiam poni debebat in tribus laicis personis, quisque de sua civitate, et duobus archiepiscopis et Luce episcopo. Cuius perlectis litteris iverunt ad ipsum archiepiscopus et prepositus noster cum pluribus sapientibus viris; et iunctis Pisanis simul et Lucensibus et Ianuensibus, atque archiepiscopis et Luce electo, tractaverunt diu, quibus modis pax posset componi. Et interim Ido Gontardus cum sociis suis a Luca rediit, et ex nostra civitate alios quam plures consules mandaverunt, cogitantes rem tractatam ad finem esse producendam. Nam post multas questiones tam facti quam iuris, res de qua agebatur et discordes fuerant, fuit posita finienda et concordanda in Otonebone Ianuensi et Girardo Bulgarello Pisano et Alcherio de Veio Lucense. Et cum verba videbantur fere quasi facta et iam in scripto redacta[d], et per abecedarium divisa, Guirardus Bulgarellus dixit: *Nisi Pisas vadam, que concordavi solus, explere non audeo.* Ivit, et redeunte mutavit factum; et sic verba remansere, scripto tamen concordie unicuique partium manente[40].

a) *supple* nostris Pisanos. b) *supple* simul ac. c) longuos 1. d) que sunt in uno forario in armario scilicet Pisis *glossa manu saeculi* XIII *exeuntis* 1.

37) Pianosa. 38) insula inter Corsicam et Orbitellum sita. 39) Livorno opposita. 40) Cuius tractationis, quae non finita est, extat documentum a. 1169. insignitum (Libr. iur. I, 244). Sed cum ipsi, qui a. 1168. fuerunt, legati ibi nominentur, id a. 1168. iam scriptum annoque sequenti, cum paullisper pacis spes apparuerit, confirmatum esse oportet, v. infra. W.

1168. Post hec rex Sardinie Bareson coram consulibus veniens ait: *Domini et patres mei, tanto tempore moratus sum vobiscum, quod vix creditur in Sardinea quod sim vivus; et quam diu sic stetero, levius terram et honorem meum amittere possum: qua amissa, quod absit, de absolutione debiti vel crediti vestri non esset de cetero verbum. Precor igitur probitatem vestram, quo simul Sardiniam ascendamus, et dabo vobis ibi coniugem meam una cum filiis, et castra que habeo, et obsides ad libitum vestrum ponam in manibus vestris, et insuper libras quatuor milia vobis ibi persolvam.* Et facto consilio, non placuit, ut de comunibus rebus factum foret dispendium itineris Interim vassalli armaverunt galeas quatuor, quarum comune armavit unam; et daturus erat proinde libras quatuor milia. Quibus galeis Nubelon consul et Ingo Tornellus nuper electus iverunt, regem illum secum in Sardiniam ducentes. Qui utique castra uxorem filios et obsides habuerunt[a]; et ibi ordinaverunt, ut collecta fieret pro solvendis creditis regis, ad quas quidem colligendas et castra tenenda et custodienda Almerium de Porta, virum utique prudentem, cum soldariis dimiserunt dominum et custo-
41 dem; et consules cum eodem rege et predictis personis Ianue feliciter redierunt[41].

Post hec ex Sicilia litterae advenerunt, quod rex nostram pacem multum habere desiderabat; et facto proinde consilio, legationem ad eum mandare placuit. Ivit igitur Bellamutus consul et Rogeron de Castro et Amicus Grillus, viri commendabiles, cum galea nimiis expensis bene et honeste preparata; qui parum proficientes, absque ulla pace Ianuam redierunt.

Infra hoc civitates Lombardie, que simul fuerant concordate pro timore imperatoris Alamannie, mandaverunt litteras et missos ad nostram civitatem, ut consules aut irent aut ad eos mandarent pro concordia inter eos stabilienda, quemadmodum alie civitates undique currentes fecerant. Et cum graviter forent tunc impediti, mandaverunt Obertum cancellarium et Ottonem iudicem de Mediolano; et nullam cum eis concordiam invenerunt. Interea consules nove civitatis, quam consules civitatum construxerant, et quam nomine Alexandriam appellabant, eo utique quod dominus apostolicus Alexander apellabatur et tunc temporis apostolicatum regebat, qui etiam contra imperatorem Fredericum, qui totam fere Italiam dissipaverat, auxilium et consilium amice prestaverat, Ianuam venientes, exposuerunt se veros et bonos amicos Ianuensibus de cetero esse, rogantes illos quo auxilium in edificanda urbe prestarent. Quorum precibus exauditis, eis solidos mille dederunt, reliquos mille accepturi ab intrantibus consulibus expectarent.

Interim prefati consules pro maxima utilitate Amicum de Murta ad Constantinopolim legatum mandaverunt. Quo facto, de exercitu suo et de solvendis debitis et creditis et de electione consulum cogitaverunt. Interim fuit prelium inceptum infra urbem, et hinc inde maxima copia armatorum fuit; et graviter bello durante Iacobus filius Ingonis de Volta fuit vulneratus, ex quo vulnere isto anno mortuus fuit. Fecerunt quidem collectam per libram denarios sex. Naves non minus eo anno iverunt, quam quod pax in urbe et cum Pisanis fieret.

Nunc dicendum est de consulibus causarum, qui utique res suo consulatui pertinentes miro et pulcro ordine gesserunt in re publica conservanda, auxiliis et presidiis consulibus comunis pro viribus affuerunt, iusticiam demum cuique laudantes, et iniustum minime foventes.

1169. Anno 1169. Anselmo Garrio, Ingone Tornello, Otone de Caffaro, Rogerio de Maraboto, Nicola Roza in re publica consulibus existentibus; Philippo de Bonifatio, Philippo de Iusta, Ansaldo Golia, Rolando Guaraco in causis consulibus existentibus.

Tempore isto res publica, que a sexto consulatu[42], Marte virente, fuerat omni felicitate intrinsecus destituta, viris fortunatis bonis consulibus tradita, feliciter aucta[b] fuit. Quibus intrantibus, castra queque etiam alia rei publice tamen pertinentia honestis modis tractarunt. Et quia prefati consules tanta inbecillitate rei publice cives multo leviores solito cognoverant, et eorum auxilio eam vix posse ad pristinum statum reduci dubitarent, eos demum hostiles manus si forte tempus prestaret in vicinos exhortatione consulum minime ponere velle presumerent, statuerunt ex libero suo arbitrio clientes numero 200 in urbe quam cito esse futuros, ex eis maxime qui promtiores actenus cognoscerentur ad

a) *deest* 1. 2. b) augta 1.

41) Diplomata, quae hoc anno facta sunt et de rege deducendo et de solvendis debitis sunt in Libr. iur. I, 238–243. W. 42) i. e. inde a sex annis.

malum peragendum quam ad bonum, et qui omnia postposuissent preter Deum, quem non offendere fas est, leviter facienda vel incipienda, dummodo lucrum, et etiam quandoque parvum, se habituros sperarent. Venientibus predictis clientibus, consules fecerunt hospitari quosdam ex eis in domibus Ingonis de Volta et Amiconis, invitis dominis et dolentibus; que namque domus magnum litibus et discordiis prestabant fomentum. Alios quippe hospitati sunt in via que venit a porta desuper ecclesia sancti Laurentii. Eo utique fecerunt, ut introitus civitatis ex ea parte redderetur securior. Quo facto habuerunt infra se ipsos consilium dicentes: *Faciamus breve, ad quod omnes cives nobiles et infimi*[a], *quoscumque vocaverimus, iurent stare in nostra ordinatione de pace componenda, et inferenda guerra illis qui contra nos aliquid facere presumpserint vel contra aliquem de populo, cui pro hac causa guerra forsitan appareret.* Et exponentibus suum arbitrium consiliariis viris, placuit omnibus; et supplicabant illis, ut hoc magis factis quam dictis ad finem ducere properarent. Primum citaverunt capita guerre, que iurare noluerunt, nisi primitus dampna sibi illata sentirent. Demum iuraverunt stare de guerra et pace et de omnibus litibus in ordinatione predictorum consulum. Quibus omnibus iuratis, quesierunt consilium consiliatoribus, quibus modis potius[b] videretur procedendum ad tantum negotium finiendum. Qui post multas varietates consilii dicebant, iusticiam unicuique sufficere. Alii vero contra sentiebant dicentes: *Ne sit iusticia facta inter eos, ne forte ad maius periculum res publica forte veniret.* Tandem post multas ambages consules freti Dei auxilio elegerunt viam potiorem. Equius quidem et comodius visum fuit illis ostendere quoddam figmentum, ut quicquid rigor equitatis iusticieque dictaret super guerram habentes cito determinarent, eo utique quod quisque ius strictum timens et expavescens, demum letus ad concordiam levius pervenit. Incepta vero lite et iudicibus hinc inde adhibitis, opposuerunt libellum primitus deberet ratione adduci. Quibus consules indignationem exhibentes, ut illos redderent timidiores, respuerunt libellos non esse rei publice utile modo introducere, ne forte negotium dilatarent. Loco itaque et die determinata qua causa oportebat disputari, fecerunt consules inter se cautionem, ut de cetero alicui de partibus rem ad placita pertinentem neque suum sensum nec alicuius illorum patefacerent, et causam quoad melius et cicius possent ad comune desiderium civium[c] terminarent. Quo facto causam attentius inceperunt audire; et cum mortales questiones hinc inde opponerentur, et diutius res ageretur, sententie interlocutorie sepius occurrebant, quas quidem partes audire desiderabant; et ne aliquid sui lucri in dandis precognoscerent, maluerunt consules illas silere, quam quelibet partium se confortaret, et sibi quasi in subsidium aliquid audivisse diceret, non minus tamen sensum suum alter alteri patefaciens. Et cum omnia opposita tamquam viri comune arbitrium portantes, amice et benigne audivissent, quod die multis impedimentis non poterant, nocte quieta facere dignum duxerunt. Omnibus inter eos questionibus pari ratione disputatis, et nichil prorsus omissis, cognoverunt, sex bella vel duella campestria inter cives maiores iure occurrere. Quo cognito: *Videamus,* inquid quidam illorum, *an ista bella sint publica auctoritate evitanda, an sit comodius ius strictum tenere. Quibus contra, si bella minime factura civibus ostenderimus, comunem utilitatem nimio timore opressam demonstrabimus. Et hoc nobis magis causam impedimenti, quam facti deliberationem prestant.* Nam huic questioni acquiescerunt dicentes: *Expediatur cito curia archiepiscopi marmoribus, ut evidentius appareat, nos bella prenominata inter cives efficere velle, et hac exhibitione edita discordes exterriti, ad concordiam, Deo duce, levius poterimus convocare.* Quo facto affines et parentes uxoresque[d] partium timentes, amicos ad tanta discrimina pervenire, supplicabant secreto consulibus, ne ad ista conducerent cives. Nam consules in his facti letiores, prelia quasi volentes arguebant factura.

At cum consules his rerum argumentis desiderium et voluntatem illorum cognoverint, viam preelectam id est de non faciendis preliis mira assiduitate eligendam sanxerunt. Et quia hec res tum timore tum veneratione erat incipienda, consules adiverunt primo dominum Ugonem archiepiscopum, qui secretorum suorum ignarus fuerat, omnia sibi sub taciturnitate exponentes. Cui quidem omnia mirifice placuere. Aiunt quidem: *Mandemus igitur, ut religiose persone archiepiscopatus ad tam bonum opus perficiendum cito veniant, ut freti eorum consilio, tam laudabilem causam ad honorem Dei desiderato fini ducere incipiamus.* Hec res ita peracta, statuerunt parlamentum ante lucem ignorantibus civibus sonare, ut

a) infimos *postea corr.* infimi 1. b) potior 1. c) cium 1. d) uxorisque 1.

1169. cito mirantes consurgerent, et velotiori pede noctu quam die venirent; iniungentes, ut media contione reliquie beati Iohannis baptiste introducerentur, et cruces civitatis in unaquaque portarum per honestas personas tenerentur, omnisque clericatus tamquam in festivis diebus appareret indutus. Et civibus ad colloquium properantibus ista videntibus, obstupuerunt; qui licet transactis diebus ineffrenatim illic stare consueverant, tamen ea die quasi obedientiam portantes Dei instinctu apparuerunt. Surrexit quidem primitus dominus Ugo archiepiscopus, et consules post eundem, mira insinuatione cives alliciens, et de pace que instruenda erat, tum voce tum persone gestu miro ordine componens, et de periculo civitatis honesta queque et utilia, sicut Deo et populo convenit, angelica voce instruens, aures civium ampliavit, mentesque quorum quasi ad inaudita eiusdem pia senectus adduxit. Continuo appellaverunt Rolandum advocatum, ut ad pacem componendam et iurandam tum causa Dei, tum honore civitatis, tum quia periculum ultra urbs nostra non incurreret, festinus veniret. Quo audito, scissis vestibus lacrimando et voce altissona mortuos pro guerra invocando, renuens venire terra adsedit. Nam parentes, qui de pace constituenda consulibus auxilium prestare iuraverant, in eum surgentes, licet vim ei minime inferrent, tamen sicut eum decebat, ei supplicabant, quo iam nunc consulibus et populo satisfaceret. At cum consules illum quasi obstupefactum et se movere nolle cognoscerent, iverunt cum archiepiscopo et omni clericatu crucibus et teste ewangelio coram ipso, quasi coactum ad librum conduxerunt; et multis predicationibus adiurato, tandem in ordinatione consulum pacem quietus iuravit. Quo facto ilico Fulconem de Castro appellaverunt, qui equidem non erat tunc in contione sed tamen humilem et rationabilem responsionem emisit dicens: *Ego tamquam dominos et mee civitatis rectores consules volo exaudire; in hoc tamen, ne gravet illos non possum nisi soceris mei Ingonis de Volta primitus data michi licentia precedat.* Quo audito, consules cum omni clericatu domum illius iverunt, et in contionem ambos duxerunt. Qui ad iurandam pacem pari veneratione vocati et ad lectorium ducti, post multam murmurationem pacem quieti iuraverunt. Et ex hinc parentes omnes qui publice guerram portaverant, et quos consules utiliores cognoverunt, pacem in eorum voluntate iuraverunt, et osculum pacis quisque ad invicem alteri tradidit. Quo peracto tintinnabula per urbem sonantia, dominus archiepiscopus incepit *Te Deum laudamus* cum omni clericatu vocibus altissonis totam ecclesiam implens.

Hic multis eximius dignus laudibus extitit dies.
Ut civium quies, impiorum sic par fuit lues.
Nam nostre salutis pars fuit potissima dies.
O quanta pena malis idem tu nosceris dies.
A quantas iste cedes dampna pericula distulit dies.
Hostium letantur edes, quas iunxit clarissimus dies.
Principium pacis litiumque finis felix fuisti dies.
Per te pes ibit securus equus[b] et miles.
Nec potuere mille, quod potuit una dies.
Annos ter binos inclita notasti dies,
Lis quibus duravit, quam tu fine beasti dies.
Te diem dierum Deoque pium cantabimus de cetero dies.
Tu quidem nobis lux, bonis dux, at malis crux fuisti dies.
Que passim fuerant sparsa, congregasti tu pia dies.
Annus mensis hora ortusque tui clarificetur utinam dies[a].

*fol. 79. *Sed quia maiora semper ampliori desiderio audiuntur, ideo vobis primo de pace stilum premisimus. Sequitur ergo ut iam nunc incipiamus dicere de his, que idem consules pro decore civitatis fecerunt ante quam pax fieret, et que secuntur loco et tempore suo ordine plana expositione vobis exponemus. Namque multe coniurationes per urbem nostram hinc inde facte fuerant, non solum per eos qui simul litigabant, verum etiam per alios potentes et etiam infimos animadvertentes esse fortiores et securiores si litem forsan cum guerram habentibus inmiscerent. Etenim per plebeia nostra rasse[43] et fautiones[44] semper tempore litis civilis aderant, cogitantes forici in cives quandoque consurgere et dominos terrarum

a) *reliqua pars folii et dimidium prioris columnae folii insequentis (fol. 79.) vacua relicta sunt* I. b) equs I.

43) coniurationes. 44) consensus in malo; vide infra.

iam incipiebant decognoscere; ad vindemias nec ad alia facienda quisque dominorum du- 1169. bius in montanis ne curabat ascendere, malens dampnum incurrere quam ad ignominiam sui corporis devenire. Nam insultationes, homicidia, furta, rapine, incendia per plebeia nostra sepissime fiebant. Merito enim cuiusque corporis membra patiuntur, cum caput pati sentitur. Ni mirum igitur si membra civitatis cassabantur, cum mater omnium et caput, id est civitas nostra, ultra etiam quam sit credendum patiebatur. Omne enim equum vel iustum iam erat apud nos quasi sopitum; locus iusticie vix poterat inveniri, cum fere omnia vi aut timore agebantur. Affines qui civitati nostre obedientiam portare eamque timere consueverant, iam superbire inceperant et civitatis nostre mandata prorsus vilipendebant. Si cives et etiam maiores re imminenti quandoque ad loca finitimorum vergebantur, non occulo humilitatis sed levitatis apud illos videbantur, et sepe pro minimis verbis crescebat lis usque sub armis; consulatus plebeiorum quasi eger factus parum in omnibus proficiebat. Nam sententias proferre minime ausus fuerat etiam inter vilissimas personas, si aliquid gravitatis in se continerent. Nam hec omnia superius vobis exposita, usque ad hunc consulatum de die in diem acrius vigere; et hoc propter civilia et plus quam civilia bella dicimus, que multo gravius solito exarsere. Etenim prefati consules quasi navis fluctibus impulsa impellebantur, et inter tot vie et vite varietates cogitaverunt predictas fauctiones, id est congregationes, in malo quo pacto vel quibus modis rumpi vel frangi possent. Elegerunt tandem ut irent per plebeia cum clientibus, ut forte in domos aliquos de malefactoribus capere possint. Iverunt namque versus Lavaniam cum clientibus multis Anselmus Garrius et Oto de Caffaro; et versus Pulciferam Nicola Roza et Rogerius de Maraboto, ut omnia predicta male et impie versata possent in meliori statu revocare. Et factis coram omnibus consulibus hinc inde multis clamoribus, inter multas vindictas quas nominatim scribere non possumus, fecere[a] quibusdam pedes, quibusdam manus truncari. Aliis rerum dampna intulerunt, et quosdam in carcerem posuerunt, et peccuniam ultra solidos mille adduxerunt in civitatem, et hoc tantum terrorem intulit reliquis malefacientibus, quod isto consulatu omnia diminuta et quasi *prorsus cassata videbantur. Viator quidem notus et etiam ignotus ibat et redibat *fol. 79'. securus. Cives libere exibant et morabantur incolumes. Res publica ad pristinum statum redire incepit, et ex tunc virere fuit visum quod primo fuerat defloratum; omne quod fuerat destitutum, istorum probitate cognoscitur relevatum. Unum quidem non decet nec etiam oportet nos silere, quod dicendo hos consules ad laudis maiora noscitur provehere. Nam inter tot mixturas quibus res publica debilissima facta fuerat, prefati consules ad modum guerram Pisanorum fecerunt, quod nemini visum fuit, nec etiam illis eisdem Pisanis, quod infra urbem nostram tot mala totque adversa vigerent. Equidem pretaxati consules relatione et maxime viva cursoris voce audierunt, Pisanos cum quibusdam galeis pro nostris offendendis in Provinciam ituros: preordinaverant quidem quatuor galeas pro portubus Provincie constringendis[b], quas velotiori apparatu ordinarunt, e quibus Nicola Roza consul dominus fuit a sociis preelectus. Ivit quidem ille consul et portus Provincie ita impedivit et impediendo adstrinxit, quod nemo ex portubus illis intrare vel exire ausus fuit, nisi primo consulis prefati licentiam habuerit; et insuper naves Pisanorum combussit, et per spatium duorum mensium illic permansit, cum non fuerat necessarium ultra mansisse: qui Ianue feliciter rediit, omnibus marinariis illic pace solutis. Pisani autem illic nostras galeas esse scientes, suas quas preordinaverant tunc mandare distulerunt. Interea Pisani magna calliditate cum hominibus Versilie, qui antiquitus pacis et amoris vinculo cum Lucensibus tenebantur, se iurarunt contra Lucam pro posse sibi ad invicem auxilium prestaturi. Quo cognito Lucensibus, statim advenerunt Ianuam auxilium et consilium tamquam a dominis et amicis querentes. Continuo consules nostri fecerunt consilium, et placuit senatoribus, ut quingentos milites eis amore, non aliquo federis districtu, Ianua civitas prestaret. Nam solummodo tenebamur ad turrim de mari presidiis Lucensibus subvenire. Putaverunt consules quis illorum aptior aut abilior videretur pro omnibus his pulchriori modo agendis. Et quia res militaris erat et miles in his operandis convenientior videbatur, elegerunt Rogerium de Maraboto iturum. Qui dum cum sotiis, videlicet Alberico, Oberto Squartaficu et Oberto Treguisse se per terram ituri aptarent, placuit consuli Luce ut mare usque turrim secum irent, ut causa velotior facta foret; et sic proinde galea quedam fuit statim viriliter preparata,

a) facere 1. b) constringendos 1.

1169. in qua consul Luce cum suis et Rogerius cum sociis suis usque turrim de mari incolumes abierunt. Quam turrim Ianuenses armis, victualibus, balistariis 22, lignamine omnibusque ibidem necessariis aptaverant, et magistros lignaminis illic mandaverant qui turrim prenominatam cooperuerunt. Qua expensa Ianuenses nullo vinculo iuris vel federis facere tenebantur, sed solo intuitu promissi amoris hoc fecere; et maxime quia Lucenses nequibant comode ad turrim illam venire propter Versilienses medio adstantes. Nam si occursus hoc predicto modo non fieret, et turris amissa foret Pisanorum calliditate, nobisque esset magna infamia. Et quia Lucenses tunc maxime impediebantur, non solum turrim de mari sed etiam Corvariam et Axanum, que castra Lucenses tenebant, prenominati consules omnibus necessariis aptaverant, sperantes a Lucensibus si tempus prestaret vicem et meritum habere. Et cum Rogerius consul una cum consule Luce et sociis ad turrim illam venissent, Versilienses et Grapheiani et Pisani cum exercitu in Versilia erant, et Lucenses similiter cum magna expeditione in eadem Versilia contra illos. Continuo Rogerius et Albericus et Albertus Treeguisse et Squartaficus et consul Luce consulibus Luce in exercitu suum adventum notificaverunt. Qui enimvero admodum fuerunt letificati, tamquam suus exercitus foret duplicatus; et cum simul fuere consul Rogerius cum sociis, agitabantur qualiter milites quos Ianua promiserat habere possent addendos exercitui Lucensium. Continuo cum consul Lucensis hoc sciverit, statim cum sotiis nostrum consulem adierunt dicentes: *Desiderium vestrum, consul, hic ad optatum ducere non potestis, quoniam cum hostibus vicini facti sumus ad pugnam*[a] *comitendam.* Et tunc gratias debitas consuli agentes, hortati *fol. 80. *fuerunt illum quod equos solummodo sibi et suis adquireret et sufficeret. Confidebant enim rem suam Deo duce ad optimum reducere statum. Quo citissime facto et omnibus hinc inde militibus et peditibus armatis tamquam in procinctu belli, ecce continuo Guido de Mercato, Pisanorum consul, equo ut vir bonus armatus ad consulem nostrum locuturus advenit humiliter dicens: *Quare iste tam mortalis conflictus hodie erit? Michi enim de omnibus ex parte mea placeret, si vobis similiter visum esset, ut non fieret et statim cessaret. Nam pax magis vobis optanda esset quam guerra, quam*[45] *utique ego pro mea civitate omnibus modis exposco. Respondite ergo michi cito si placet, ante quam acies hostium misceantur.* Cui Rogerius consul respondit: *Cuiusmodi pacem vos velle dicitis? Inimicus Dei est qui pacem spernit. Ego quidem pacem vestram et sine vitio vellem, sed timeo ne calliditas vestra inutilem et sine fructu pacem querat.* Cui ait Pisanus consul: *Deus scit, quod puritate et mundo corde eam peto; tu videris. Si itaque vis eam pacem ad finem ducere quam Ottobonus Ianuensis et Guirardus Bulgarellus Pisanus et Alcherius de Lucio Lucensis ad Portum Veneris statuerunt, ego utique eam volo.* Cui Rogerius consul ait: *Nosco illam sine fraude factam, et ideo illam non renuo immo volo.* Convocato Rolando Lucensium consule et sociis, aperuit consul eis que e Pisano au-46 dierat, et complacuit illis. Qua iurata[46] per unum consulem cuiusque civitatis, rediit consul Rogerius cum prenominatis ad Portum Veneris; et invenit ibi Otonem de Caffaro consulem cum galeis 6, que mittebantur cum multis clientibus ad auxiliandam turrim de mare; et audiente Otone pacem iuratam, cum galeis illis reversus fuit Ianuam cum omnibus illis. Et interim Pisani cum illo exercitu iverunt tunc ad castrum Axanum[b] preliandum, et ut fertur non evasisset, nisi balistarii Ianuensium qui antea missi fuerant illud defendissent. Quo transacto, Oto et Rogerius fecerunt consilium, omnia que acciderant eis aperientes; quod Rogerius fecerat placuit, et pro pace illa confirmanda iverunt consules ad Portum Veneris, videlicet Anselmus Garrius et Ingo Tornellus et idem Rogerius cum pluribus sapientibus viris, inventis ibi Pisanis et Lucensibus similiter cum multis viris prudentibus. Et dum causa pacis diu subtiliter fuerit agitata[c], tandem tres prenominate persone civitatum concorditer concordarunt eam, et in scripto per abecedarium illam redigerunt. Et quia hec pax non poterat prorsus stabilire, nisi primo lites hominum Versilie et Lucensium terminarentur, fuit ibi constitutum ut duo homines per ivitatem eas viderent et diffinirent usque ad tunc proximum venientem mensem Augusti. Elegerunt proinde Baldizonem Usummaris Ianuenses, et Nubilonem, Guidotem et Malumusum Lucenses, Topertum filium Dodonis et Guirardum de Sancto Cassiano Pisanos; qui simul steterunt super illis litibus cognoscendis usque ad dictum terminum, et parum profecerunt. Nam infra hoc tempus Pisani per totam

a) pugnum *corr.* pugnam 1. b) xa *in loco raso* 1. c) *corr. ex* agitate 1.

45) scil. pacem. 46) m. Madii a. 1169. Libr. iur. I, 244; cf. not. 38. W.

Tusciam novas amicitias quesierunt, sed nullas contra Lucenses habere quiverunt. Similiter ad subvertendas illas quas Lucenses habuerant laboraverunt. Videntibus consulibus Ianuensibus hoc sub calliditate factum esse, statim armaverunt octo galeas, quibus Anselmus Garrius consul et dominus fuit constitutus; et qui cum perveniret ad Portum Veneris cum illis galeis, cras veniente venerunt Baldezon Ususmaris et Nubilon ibi et Topertus et Guirardus de Sancto Cassiano, quibus omnibus res dicidenda missa fuerat. Quibus simul iunctis, dixerunt Pisani nostris: *Damus vobis consilium ut consul vester Anselmus nullo modo recedat a Portu Veneris, quoniam causa quam vobiscum diu ventilavimus concordata est.* Qui continuo consuli dixerunt: *Si super Pisanos modo offensurus iveritis et pax pro vestro itinere remaneret, maxima vobis esset infamia et inconveniens valde.* Et pro his verbis distulit consul iter suum; et eo morante ibi insonuit quod quedam galea Pisanorum iverat Provinciam. Statim consul Anselmus Garrius* binas galeas misit in Corsicam, binas Caprariam, binas Gorgonam, quatenus obviam eidem fierent, et sic per decem dies litteris et nuntiis detinuerunt consulem, semper innuendo quod causa pacis erat tunc ad finem producenda. Cognovit demum verba illorum esse fraudulenter missa, ivit demum cum duabus galeis, et mane fuit super Arnum, et ceperunt lignum veniens et in profundum maris illud submerserunt; et cum esset super portum Pisanum, exierunt obviam due galee Pisanorum dicentes consuli nostro: *Expectate ut simul prelium iniamus et nolite fugere bellum.* Isti autem illis dicebant: *Eamus versus pelagus pariter, et ibi prelium erit inter nos et vos, quia verendum est in verbis vestris fallacibus ne forte insidie nobis posite essent vel in latebris laterent, a quibus nos oportet cavere.* Et hii circum inspicientes a longe, apparebant ligna venientia; et sic aliquantulum ficte euntes, cum cernerent se securiores et nullum auxilium eis ante captionem posset venire, verserunt proram contra illas signa ensibus et vexillis sepissime facientes; quibus visis Pisani terga versi sunt. Et Anselmo Garrio consule eunte usque Elbam insulam, invenit galeas suas quas miserat in die illa et loco quem eis predixerat, et facta ibi contione surrexit consul Anselmus Garrius dicens: *Viri prudentes, intelligite si placet; nam multa tempora transiere quibus nostra civitas infra terram Pisanos non ledit, et quia divina gratia multis nobis mare triumphis prestitis nos iusticiam fovere indicat, honorificentius est nobis ut illud ad honorem Dei et nostre civitatis incipiamus.* Cui responderunt dicentes: *Domine, miramur multum super sapientiam et prudentiam vestram quare hoc dicatis, cum scitis et multotiens audivistis, nostras galeas satis plures numero quam nos simus illud eundem verbum quod dicitis cogitavisse et consilium inde habuisse; et viri prudentes qui eis galeis prefuerant, cognoscentes fortitudinem loci de quo intenditis, noluerunt prestare adsensum. Nam aliena vita, domine consul, nobis si placet debet esse magistra. Ad aliud igitur mentem vertatis vestram, quia non deerit nobis illud quod Deus previdit.* Quibus consul respondit[a]: *Viri omni probitate vestiti, ne turbetur cor vestrum neque formidet, quoniam apertius cognoscitur quod iustam fovemus causam, quam tunc temporis non cognoscebatur; et ideo si placet, verbis et consiliis meis sicut vos decet et debetis acquiescite;* et sic verbis consulis acquieverunt. Et euntibus illis ad castrum Capalbi, fecerunt insultum viriliter, et combusserunt domos et omnia que extra castrum et murum obtinuerant, et castrum utique prorsus cepissent, nisi de igne retro comburente de reversione timerent. Multi eadem die vulnerati hinc inde fuerunt, et captis rebus castri et aliis lignis Pisanorum combustis, Ianuam feliciter redierunt, et adduxerunt circa 50 captos Pisanos. Quo cognito Pisanis, ira moti armaverunt galeas 6 quas miserunt Provintiam, cupientes ex hoc sibi vindictam sumere. Et consules nostri proinde statim galeas 7 preparaverunt et miserunt illas, quibus Oto de Caffaro consul dominus et magister fuit a sociis preelectus. Eo itaque tempore nostri negotiatores erant ad mercatum Forum Iulii[47], et eo amplius timebatur ne a Pisanis tunc caperentur. Consul itaque Oto tamquam vir prudens et honestus die noctuque eas inquirens, dubitans ne forte negotiatores qui aderant ad nundinas Fori Iulii, timore illarum galearum turbarentur, pervenit cito ad mercatum illud. Quo viso repletis ingenti gaudio et simul omnibus congregatis, surgens Oto de Caffaro ait: *O viri nobiles et sapientes, estote memores prudentie et honestatis vestrorum predecessorum, qui non solum in Provintiam verum etiam ad portum Pisanum validum exercitum conduxerunt, et expeditionem Pisanorum illic coram Deo et populo obsederunt, et summa vi et magna potentia illos vicerunt, et sub nostris signis atque vexillis ad arbitrium nostrorum*

Margin: 1169 (beside line 1); * fol. 80'. (beside line 12)

35 a) R cod.

47 Fréjus.

1169. _pacem fecerunt, et insule Corsice pro qua lis fuerat incepta medietatem integre vobis inviti dimi-_ fol. 81. _serunt. Et quia Deus his diebus preteritis nos oppressit,_* _multo amplius convenit ut fortiores rebus et animo vos prebeatis, „quia quos Deus diligit corrigit atque castigat", et ut vos credatis me ista non dixisse temptando neque forma vane glorie, volo ut hec mea verba factis concordent. Iuro per sancta Dei ewangelia, quod si galeas Pisanorum invenero, illas non evitabo, immo pugnam pro posse meo exquiram, et si forte fugam ut estimo petierint, eas similiter pro viribus tam diu fugabo, donec Deo annuente victoriam consecuti erimus: et hoc bona fide observabo._ Quo facto gens eximiaque undique ad nundinas fuerat congregata, clamans dignis laudibus eum exaltarunt, et statim, ut ego arbitror, circa homines 60 galearum hortatione illius effectu prudentiores illud idem quod consul patenter iuravit observaturi iurarunt; et inde assiduitate recedentes, invenerunt galeas Pisanorum ad insulas Arearum; et nostris galeis a longe visis, statim alta pelagi petentes, nostre circa miliaria 20 cursu illis velotiores fugaverunt, et tandem misericordia Christi Pisani pro posse pugnam vitantes capti fuerunt festo beati Laurentii martiris galeis tribus; et nostris galeis redeuntibus ad negotiatores prenominatos, maximam leticiam illis intulerunt; et sic cum magno triumpho reverse sunt Ianuam feliciter.

Post paucos dies relatum fuit predictis consulibus, Pisanos in Provintiam galeas mandavisse pro offendendis navibus illis que ad nundinas sancti Raphaelis ituri erant. Quo audito consules fecerunt preconari per civitatem, ut nemo ad nundinas illas sancti Raphaelis iret preter in galeis, ut redeundo et eundo essent securiores; et insuper armaverunt 6 galeas pro custodia prestanda negotiatoribus illis et navibus alta pelagi petentibus, in quibus Ingo Tornellus dominus fuit a sociis constitutus. Ivit quidem in partibus illis pro portubus Provintie constringendis, quod utique satis honeste peregit; permansit quidem illuc spatio duorum mensium et sospes cum galeis Ianue remeavit.

Interim Grimaldus, vir satis conveniens atque modestus, cum quadam galea in qua Setam iverat, ex Morrocho legatus sospes rediit.

Iterum prenominati consules mense Decembris armaverunt binas galeas, quas miserunt in Sardiniam pro iudicibus consolandis et Arvorea et castra nomine Arculento et Mamilla prefati regis Barçesonis, quod in Sardinia tenebamus, in meliori statu et securiori confirmando, et pacto cum quibusdam maioribus personis illius insule iniendo. Quibus galeis prenominatus Ingo Tornellus consul dominus fuit vocatus et constitutus.

Et pretaxati quidem consules multa suo consulatu expenderunt pro multis et variis negotiis et utilibus, que eo tempore eis inmutabilia apparuere; et ut collecta quam facturi erant ad minorem summam descenderet, statuerunt facere collectam in Saonam et Nabolim, eo quod tunc temporis de compagna civitatis Ianue erant sicut scripto continetur in registro; et habuerunt nomine collecte de Saona libras . . .[a] et de Nabolim libras . . .[a], et insuper fecerunt collectam denariorum 6 per libram, excepto eo quod collegerunt ab euntibus et redeuntibus et ecclesiis civitatis atque plebium. Eodem quidem anno non minus Ianuenses iverunt laboratum propter guerram Pisanorum que hostiliter durabat.

1170. Anno 1170. existentibus quinque consulibus in re publica, Boiamonte Odonis, Ogerio Vento, Otonebono Alberico, Grimaldo, Oberto Recalcato, in causis vero existentibus quatuor consulibus, Philippo Bonifatio, Frendezone Gontardo, Bonovassallo Usumaris, Otone Fornario; clavigeris Lanfranco Grantio, Rubaldo Boleto, Viride et Willielmo Caligis de Palio; Lanfranco et Ogerio scribis, Oberto cancellario existentibus: prefati consules satis invenerunt civitatem Ianuam in tranquillitate positam, quoniam guerra que olim intrinsecus fol. 81'. fuerat tempore preteriti consulatus erat perfecto* ordine solidata. Sed quia nondum erat radicibus fixa, et corda quorumdam hostium adhuc videbantur tenebrosa et velut imbribus plena, primo quam consulatum intrassent, habuerunt secreto in se ipsis consilium dicentes: _Videamus_, inquid unus illorum, _inquiramus viam salutis, benignitatis et modum, ut urbem nostram in eo statu quo saltim nunc est integre conservemus, et insuper labore et vigiliis Deo annuente pro viribus augeamus; quoniam verendum est ne audatia pravorum, tamquam canis redit ad vomitum, ira impetu vel casu quolibet viciorum viscera mentisque civium convocet vel declinet ad odium consuetum._ Cui alter respondit: _Bonum est nos hic esse, dummodo mens nostra ne sit ab opositis aliena. Puto enim mecum_[b] _huius pacis nodum esse prefixum, ut ex parte quondam littes habentibus commendabiles personas eligamus in medio positas, que divi-_

a) _h. l. spatium 5—6 litterarum vacuum relictum est in codice_ 1. b) metum 1.

1170.

*dant vel secernant equum ab iniusto, et ponant sibi diem semper pro lucro, dummodo rem publicam ita super his gubernent in tuto, ut orta vicia eorum cura vel studio prorsus exterminentur de medio.* Quibus tercius consul obponens ait: *Cum de querimoniis nobis factis solum inter cives debeamus pronuntiare, et pariter simus fidei iuramento districti, qua ratione a nobis iudicanda dubito aliis posse concedi.* Cui quartus consul benivolentiam captans ei facere respondit[a]: *Nam questioni vestre, socii, nequaquam more hostili oppono, addo vero tamen: audiatis quid sentio. Fiat nunc si placet hec presens electio, et tantum cogatur ipsorum devotio, ut quicquid egerint equo arbitrio, nostro semper laxetur edicto. Nam si unius abitus et unius mores pariter essemus intus atque foris, cum nos parum tangat vicium erroris, nobis foret forma et causa decoris.* Consul quintus ultimus: *Ego vestra opposita qui mente gero, precipuam quarti sententiam fero.* Huius[b] demum consilio acquiescentibus elegerunt ex parte Ingonis de Volta Nicolam Ebriacum et Guilielmum Buronem, et ex parte Rolandi advocati Baldizonem Usummaris et Lanfrancum Piper. Qui utique lites oriundas inter Fulconem de Castro et Anselmum fratrem eius et Rolandum advocatum aut inter homines omnium eorumdem infra viginti dies sequentis consulatus iurarunt ratione vel concordia diffinire. Hoc ideo cautum fuit, ut cum consules se esse vacuos vel exhoneratos inspicerent ab his videlicet quibus impediri possint, maiori et evidentiori cautela in guerra Pisanorum insudarent.

Appropinquantibus prenominatis consulibus ad principium sui consulatus circa videlicet sex dies, comites Lavanie, Pennellus scilicet et filii Guirardi Scorce, clam noctuque invaserunt castrum Frascarii, et abstulerunt illud hominibus de Paxano qui pro civitate nostra tenuerant illud in feudum circa annos 40. Quo facto civitas Ianue tanto amplius inde turbata et mutata fuit, quanto factis vasallis maiori caritate solito nos diligere nobisque fideliores esse debuerant. Unde celebrato inde consilio, ivit ad eos consul nomine Otobonus cum quibusdam castrum nominatum prefatis comitibus petentes. Qui preces consulis et sociorum exaudire nolentes, posuerunt dilationem, asserentes se velle expectare quosdam suos amicos, quorum consilio consules responderent, dicentes tamen et affirmantes de captione prefati castri communi Ianue nullam iniuriam fecisse; imo ad infamiam et odium hominum de Paxano hoc solummodo fecisse, aperta voce profitebantur. Quibus consul Otobonus sotiorum consilio ait: *Ego vice comunis Ianue appello vos tamquam vassallos, ut veniatis in curiam Ianuensem rationem vel iusticiam inde facturi.* Qui enimvero tunc facere recusarunt. Redeunte vero consule simul cum sociis, civitas nostra multo amplius in comites Lavanie ira et animositate turbata fuit. Sed ne videretur quod ultra quam sit equum vel iustum incedere vel incipere aliquid vellent, voluntatis consulum fuit ut denuo castrum illud per consulem a predictis raptoribus peteretur. Abiit illuc Grimaldus consul, (fol. 82.) secum quosdam ex illorum amicis ducens, videlicet Bonumvassallum Usummaris et Otonem Fornarium tunc temporis causarum consules, et Arduinum Albericum et Picamilium. Redeuntibus autem illis castro non recuperato, civitas nostra acriori mente et validiori affectu in comites ira et indignatione comota fuit. Inito statim consilio et facta cum velocitate contione, consules coram omni populo iurarunt, quod si comites Lavanie infra decem dies proximos venientes castrum Frascarium sine omni conditione comuni Ianue non redderent. de cetero nec pax nec finis neque etiam aliqua concordia fieret inter Ianuenses et prefatos comites, donec Ianuenses castra comitum prorsus diriperent, et ab omnibus possessionibus suis penitus vacuos efficerent vel constituerent. Qui etenim vindictam facere cupientes, continuo castra hominum Cucurni et hominum Paxani ceperunt; qui ex tunc iuraverunt facere guerram simul cum valvassoribus comitibus ordinatione consulum, et insuper exercitum et collectam per homines suos, sicut eis prefati consules ordinarent. Quo facto civitas nostra preparavit se ad faciendum exercitum; nam militibus et peditibus undique citatis et convocatis, et emptis vel comparatis quam pluribus rebus exercitui necessariis, Oto Fornarius et Bonusvassallus Ususmaris tunc causarum consules, simulque cum eis Arduinus, iverunt ad comites absque mandato consulum comunis Ianue, exponentes comitibus illis iuramentum quod in contione vel parlamento factum contra eos fuerat. Quo audito, dolentes habuerunt consilium; et antequam dictus terminus decem dierum veniret, mandaverunt comites consulibus, ut irent ad recipiendum castrum illud. Quare Boiamundus Odonis consul comunis cum Balduino Guercio, Guilielmo Barone, et Picamilio ad Sigestrim euntes receperunt illud, custodiam et vigilias cum soldariis in eodem ponentes, treuguam

a) R *cod.* b) K huius *cod. sed alterum huius alterius nonnisi interpretatio esse videtur.*

1170. inter illos usque ad dies...[a] iurare facientes Quo peracto, post paucos dies comites cognoscentes se incurrisse indignationem civitatis, advenerunt Ianuam in parlamento iurare volentes, captionem prefati castri ad contumeliam vel iniuriam civitatis minime fecisse. Tandem post multa verba iuraverunt coram consulibus et multis aliis, se pacem et guerram de cetero ubique facturos, et insuper collectas per homines suos facere, quandocumque consules comunis Ianue eis preceperint.

Interea relatione cursorum dictum fuit, quod Pisani galeas ordinaverant in Provintiam missuri pro offensione illis facienda, qui civitati nostre victualia afferebant. Scientibus hoc consulibus nostris, armaverunt sex galeas, et Rapallini unam, et Saonenses alteram, et Naulenses terciam, quas miserunt in Provintiam ad custodiam navium euntium vel redeuntium, per spacium mensis[b] unius mansuras. Quibus fuit Obertus Recalcatus consul dominus et guida a sociis constitutus et preelectus; qui etenim dum per diversas partes in predicta custodia honeste et prudenter et caute maneret, advenerunt quatuor galee Pisanorum terram capientes longe a loco quo tunc erat consul, fere miliaria 60. Audientibus vero Pisanis nova de nostris galeis que posite fuerant in insidiis, sine mora pelagus repetentes, parum dampni tunc nostratibus intulerunt. Consul vero prefatus ex illis audiens, post eos cursum suum cum galeis arripiens, evanuerunt ab occulis suis; et non inventis Pisanis, transacto termino mensis Ianuam feliciter rediit.

Interea legati imperatoris Constantinopolim nomine Comtostephanus, Costamunitus et Doxapatri et cum eis Gibertus interpres imperii, missi tunc temporis domino pape Alexandro, cuius nomine civitas Alexandria edificata fuit et hoc nomen illi impositum, mandaverunt consulibus, rogantes eos, quo binas galeas eis usque Terracinam mandarent, quibus ad nostram civitatem, ad quam delegati ab imperatore Constantinopolim fuerant, possent securiter venire[c] cum magna peccunia, que promissa fuerat comuni Ianue in pace dudum inter Ianuenses et imperatoris legatum constituta. Ordinaverunt statim consules, ut ex galeis novem quas supra paulo ante ego Obertus cancellarius vobis exposui, tres mitterentur ad illos legatos conducendos; et ideo Boiamons Odonis consul cum Rubaldo Bisatia ad galeas nostras ivit, Oberto Recalcato consuli omnia innotescens. Mandaverunt ex illis galeis trinas usque Terracinam, quibus ivit Guilielmus Buron, Simon Aurie, Nubelonus, Nicola de Rodulfo, Rubaldus Bisatia, Obertus Spinula, ut prudentia tantorum virorum associati, sine aliquo timore Ianuam possent letiores venire. Statuerunt prefati consules, ut Trepedicinus, qui Pisanus fuerat, cum duabus suis galeis, et homines Portus Veneris cum totidem per totam estatem in Portu Veneris morantes, guerram Pisanis assiduitate facerent. Qui viriliter facientes, ceperunt galeam unam Pisanorum, qua ibant duo consules, unus anni presentis et alter anni preteriti, cum quibusdam aliis potentibus et nobilibus Pisanis. Ductis vero illis et positis in carceribus cum multis aliis qui diu capti detinebantur, legati imperatoris die Veneris mensis Iunii advenerunt Ianuam, et attulerunt secum perparos[48] 56,000[d], quos ex gratia imperatoris comuni nostro cum litteris imperialibus aureo sigillo impressis dare satagebant; quos civitas nostra recipere noluit, quoniam legatus noster Amicus de Murta nondum venerat, et dubitabatur quid promissum vel actum fuerat inter ipsum et imperatorem. Nam tamdiu prudentia consulum illos verbis detinuit, quod legatus Amicus dives et felix rediit; et tanta discrepantia facti et verborum differentia claruit inter ea que legati imperatoris consulibus dixerant et que scriptis illorum continere videbantur, quia honeste non potuit locum concordia invenire, cum minime legatos deceat mandati fines excedere nec iniunctum sua peritia preterire. Igitur maluit comune nostrum milia perparorum predicta respuere quam ad aliquod inconveniens incaute voluissent devenire. Sed ne in curia imperatoris vel alias putaretur, quod civitas nostra aliquid iniuriosum vel etiam vitiosum sancto imperio scienter contulisset, constat, eundem legatum Amicum de Murta ad sancti imperii providentiam fere remisisse[e] invitum, ut ipse tamquam prudens coram imperatoria maiestate patenter confirmet, que suis videbatur legatis mirabiliter displicere, et fiat sermonum legatorum varietas ita dilucida, quod possint promissa hinc inde merito remanere intacta[49].

a) *lacuna* 1. b) sium 1. c) uenirent 1. d) *numeris nostris scripta:* 46.000. 1. 46.000 2. e) *ita* 1. *legendum esse videtur* fore remissum.

48) aureos. 49) Eodem tamen anno m. Oct. foedus initum esse, diploma Manuelis imp. palam probat. Libr. iur. 1, 252. W.

Preterea prefati consules comunis Ianue cum studio animositatis sine mora quatuor armaverunt galeas, et Nicenses rogatu ipsorum unam, et Sanctiromulenses alteram, in quibus sex Ogerius Ventus fuit magister et dominus a sociis adsignatus et preelectus. Quo recedente, consules post paucos dies audierunt Pisanos cum galeis in numero pluribus in Provinciam ituros. Addiderunt binas galeas Trepedicini in societate prefati consulis, que omnes simul ad eandem custodiam in Provinciam per spatium unius mensis et dimidii honeste perseverantes, Ianuam feliciter redierunt. Quo transacto prefati consules relatione cursoris sciverunt, quandam galeam Pisanorum Sardiniam ituram cum consulibus et pluribus viris nobilibus. Dixerunt Trepedicino, ut cum tribus galeis poneret se in latebris vel insidiis, ingentem vel grandem pecuniam a comune sumpturus, si illam capere posset. Qui letus factus, cum duabus suis galeis et tercia Rapallinorum prope insulam Elbe ponentes se in custodiam, ceperunt illam Pisanorum galeam, qua erant duo consules, unus presentis anni et alter anni preteriti, quos cum sociis suis in carcerem posuerunt. Iterum galea Ricii de Paxano et altera Rapalli ceperunt aliam galeam Pisanorum, et cum illam Ianuam ducerent, ecce stolus regis Sicilie, qui tunc temporis intravit in Yspaniam, abstulerunt illam nostratibus in partibus insule Zegi. Nam galee Portus Veneris bine et una de Vernatia et altera Paxani et quinta Sigestri, et tres Rapallinorum hoc anno viriliter guerram Pisanorum fecerunt, et magnum dampnum illis intulerunt. Nam consules cor et animum in guerram vehementer applicantes, denuo armaverunt octo galeas per compagnas civitatis, quas miserunt in Provinciam ibi per spatium mensis mansuras, quibus fuit dominus Grimaldus consul a sociis designatus. Et morantibus ibi, ecce galee Pisanorum venientes, fugaverunt illas, unamque ex illis nimia velocitate capientes, cum triumpho eximio Ianuam conduxerunt. Quo facto Trepedicinus, qui Pisanus fuerat, ivit in cursum cum sua galea et altera Portus Veneris; et ceperunt navim Pisanorum ex Sicilia redeuntem, in qua magnum lucrum[a] fecerunt. Et tunc Oto de Caffaro mense Octubris legatus rediit a Murrocho; et Rapallini qui guerram laudabiliter fecerunt, duas denuo galeas armarunt, quibus consules et in pluribus aliis, quas ego Obertus cancellarius in hoc libro non scripsi, multa de comunibus rebus expenderunt. 1170.

Interim Rogerius de Iusta, qui missus fuerat legatus ad Montem Pesulanum cum Petro Capra, rediit ab illa legatione. Interea mense Novembri Guidotus Linaiol civis Lucensis, vir sapiens et nobilis, legatus advenit Ianuam cum litteris sigillo Luce sigillatis, rogans consules ut consilium facerent, quo exponeret quicquid sibi a comuni Luce fuerat iniunctum. Celebrato statim consilio, attulit litteras suorum consulum, in quibus continebatur, ut faceremus exercitum mari et terra ad succurrendum castrum Mutronis, quoniam audierant Lucenses, Pisanos continuo preparasse magnum exercitum ad turrim predictam Mutronis venturum; rogans iterum, ut consules facerent contionem, id est parlamentum, quo populo eundem sermonem aperiret. Quo peracto, patenter exposuit quod quidem consulibus nuntiaverat. Fuerunt consules nostri cum senatoribus, et super his diutius consilium habuerunt[b], et talem prefato Guidoto responsionem fecerunt: *Miramur super prudentiam civitatis vestre, cum Pisanis hostibus vestris satis[c] sitis affines, et condam de illorum calliditatibus laudabiliter semper fuistis solliciti, nunc ut fertis tanti exercitus cursore vel quolibet modo nullam veri habuistis noticiam. Et licet iure vel pacto aliquo vobis milicia per terram non debeamus facere succursum; quia tamen innuitis causam eminere periculum, faciemus validum marique terra sine mora exercitum.* Quibus legatus ait: *Vereor, patres moribus approbati, et vix corde cernere possum, quod super vestra dulci responsione sit utilius procedendum. Puto enim mecum, quod si milicia vestra propter moram et sumptus galearum pro hiemali tempore ne debeat desiderio nostro prodesse, petitio civitatis Luce vix aut numquam lucebit in lucem, et insuper sumptus vestre nobilitatis erunt quasi notati pro infectis. Veniat igitur unus vestrum, si dicere audeo, mecum, et sit uterque consulatus in unum, quid sit utilius sibi eligere profuturum.* Voluntati cuius consulatus noster satisfacere cupiens, consul Otobonus pro his rebus statuendis ivit cum prenominato Guidoto ad Portum Veneris cum sociis Guidoto de Nigrone, Enrico Mallone, Petro Vento, Albertone Ricio. Qui repente galeam armantes et ad turrim Mutronis venientes, ecce due galee Pisanorum venientes obviam illis cum tribus butiis, et non dimiserunt pro illis quin in terram ponerent Lucenses quosdam et res

a) cursum 1. b) h. et *desunt* 1. 2. c) *vox punctis postea deleta* 1.

1170. illorum, eiectis pilotis[50] et sagitis. Pisanis vero ibi remanentibus, nostra galea ivit ad quandam bretescam[51], quam Lucenses fecerant longe ab illo loco versus Pisas circa 4 vel 6 miliaria; et nocte facta, non inventis ibi consulibus Luce, ecce galee Pisanorum, facientes illis insultum, non potuerunt nocere eis; et sic nocte illa ad Portum Veneris redierunt. Secunda vero die duabus galeis cum festinatione armatis, venit consul cum sociis et legatus ad turrim Mutronis, et non inventis consulibus Luce, dixit consul Otobonus Guidoto legato Luce: *Quicquid dicturus eram consulibus vestris, vobis illorum vice dicere et exponere volo. Ite, dicite illis, quod civitas Ianue pro posse parata est facere expeditionem maris et terre, videlicet ad succursum turris de Mutrone. At si acies Pisanorum ita procinctas et paratas ad bellum sentiunt, quod Lombardi milites propter moram longi itineris, et exercitus maris propter hiemem ne possint eis optatum prestare succursum, quo milites* 300 *nostri nomine capiant,* 52 *quibus procul dubio promissas soldatas*[52] *amicabiliter solvemus; et insuper quatuor galeas habebimus ad Portum Veneris.* Quibus auditis verbis, legatus Luce letificatus ait: *Queso dicite michi hunc sermonem coram his vestris sociis, et galee hominibus huius, et date michi manum et osculum, ut et ego confidentius hoc meis consulibus possim promittere, et etiam in animam vestram iurare.* Cui consul Otobonus satisfecit, sicut isdem legatus dixerat. Et statim mare turbato, quidam ex fortioribus viris deposuit illum in terram. Eo eunte retulit omnia per ordinem consulibus et senatoribus Luce, et iuravit in parlamento, quod consul Ianue eo predicto modo omnia exposuerat.

Quo facto Lucenses consules litteras suo sigillo impressas prefato consuli et sociis ad Portum Veneris mandaverunt, quibus continebatur quod electio triumcentum militum sibi pernimium placuisset[a], et ex tunc Ianue civitas ab expeditione maris et terre cessaret, eo addito quod ad Portum Veneris octo galeas haberent. Quibus litteris remissis civitati Ianue, Otobonus cum sociis dubitans ne forte veritas aliter esset, cum tribus galeis statim ad turrim sepe dictam reiterato iverunt, et invenerunt ibi Gualtrotum consulem Lucensem cum turba militum; et simul loquentes, dixit consul Lucensis, electionem triumcentum militum comuni Luce quam plurimum placuisse; et tradidit illi ali s litteras similes prioribus, quas Oto noster consul sociis suis consulibus assignavit. Quibus hoc modo peractis, Pisani interim cum magno exercitu militum et peditum, quem etiam a tribus vel quatuor mensibus latenter et sapienter congregaverant, turbis Lucensium pedetentim appropinquarunt; et cum pax a Pisanis sepius per tres dies Lucensibus petita iam esse non potuit, commiscuerunt se utriusque civitatis acies; quorum conflictu hinc inde pluribus interfectis atque retentis, Lucensiumque castris penitus invasis, et custodes vel defensores turris vehementer perterriti et velut exanimes effecti, prefatam turrim Mutronis reddentes hostibus, multo melius ea die et ipso Marte contigit Pisanis. At cum Ianuenses fama referente audierint, Pisanos ad obsidionem turris insistere, cum summa velocitate marchiones comites et affines milites litteris et missis citaverunt, et a Portu Veneris usque Niciam universos habitatores premonentes, hostem et nimiam cavalcatam ad succurrendam turrim Mutronis citissime prepararunt. At cum Pisani huius exercitus rumores persenserint, ilico destruentes[53], cursu continuo ad lares proprios remearunt. Quo facto, Obertus filius Sofreducii consul, et Acursus Iudex, Ugo filius Angli, et Trufa Lucenses advenerunt Ianuam, inaudita et tristia[b] nuntiantes, frontem submissam visusque abitudinem quasi sub rubore mixtam non minus ferentes; et qualiter rerum moderatrix omnium fortuna graviter illos tetigerat, tam populo quam et senatoribus more sapientum lingua facunda intimarunt, adferentes tamen, quod moris vel consuetudinis Luce quondam non fuerat tales infelices pati successus. Verum de misericordia Christi et amicicia Ianuensium quam plurimum confidentes, illud exorabant efficere nobiscum:

Ut id quod pulsantibus fuerat imbribus defloratum,
*Antequam sol intret leonis hospitium*
*Pristina sit florum copia ornatum,*
*Tunc candebunt lilia floribus in pratum,*
*Cum auspice Deo erit restitutum,*
*Quod Luce militibus vi fuit ablatum.*

a) placuisse 1. b) tristia *superscripto postea ei alia manu* 1.

50) telis ballistarum. 51) castellum ligneum. 52) stipendia. 53) turrim scilicet.

1170.

Quibus consules respondentes dixerunt:

*Quia preces vestras libenter admittimus,*
*Id quod mentem latet vobis nostram pandimus.*
*Antequam mutetur luna septem vicibus,*
*Sit cum sole iuncta signo, vel in gradibus.*
*Mars atque Saturnus erunt in aspectibus*
*Trinis, at non quartis potius Sextilibus,*
*Septimique fuerit dominus retrogradus,*
*In octava domo is erit Mercurius,*
*Radios undecimi videt ipse Phebus,*
*Rutilans in tercio rubicunda Venus.*
*Iupiter undecimo fuerit direptus,*
*Tunc acies nostre erunt cum Lucensibus.*
*Sit utinam Deus utrisque propicius.*

Interea prenominatus consul Lucensis et Wilielmus Sardena nostre urbis consul electus simul cum Balduino Guercio, Nicola Ebriaco, Ansaldo Golia tunc consule[a] causarum iverunt Lucam Ianuario mense pro his omnibus bono ordine statuendis. Nam prefati consules rem publicam satis honeste tractantes, fecerunt collectam infra urbem nostram denarios 8 per libram, exceptis denariis plebium vindictarum et navium.

In hoc anno consules causarum dictis et operibus publica negotia pro viribus explicarunt; qui equum et iustum amantes, cuique ius suum patenter et bona fide laudarunt.

1171. Anno 1171. existentibus quinque consulibus in re publica, Alberico[b], Otone de Caffaro, Nicola Roza, Rubaldo Guelfo, Willielmo Sardena; in causis vero in quatuor compagnis quatuor consulibus, Willielmo de Nigrone, Enrico Gontardo, Willielmo Cavarunco, Anselmo de Cafara. In is[54] quatuor compagnis quatuor consulibus, Bonovassallo Antiochie, Oberto de Bonoinfante, Ansaldo Sardena, Ansaldo Golia; clavigeris Bagemo, Otone Pezolo, Oberto Mazuco; scribis Willielmo Caligis de Palio, Lanfranco, Ogerio, et Oberto cancellario existentibus.

Hic loquitur Obertus cancellarius contra invidos, qui presumptione illicita dicta vel facta proborum semper vilipendere vel deprimere acuta lingua nituntur; quos idem cancellarius arguit hoc modo dicens: *Iure non potestis, o cives, reprehendere consulatum, cum in tanta varietate vel discrimine rerum propter eorum incuriam nec sordescat ius publicum, nec etiam minui videtis privatum. Nam si quondam sollers et provida cura consulum super his animum non adibuisset sollicitum, foret utique nonnullis[c] evidenter obscurum. At cum iusticia nostra iam locum non potuit apud Pisanos ostes invenire, quid mirum? quidve fuit profanum? queso dicite, cives, si auctoritate senatorum consules nostri cum Lucensibus statuerunt, ut utrique cives bellico sudore debeant ad arma consurgere, ut iuvante Deo, qui consuevit casus asperos in prospera comutare, illud possint in noticia populorum defferre, quod utraque civitas participata exultatione debeat congaudere.* Nam prefati consules de infortunio quod Lucensibus contigerat, tamquam de proprio more amicorum dolentes, Pisanos circa 600 qui Ianuensi carcere tunc detinebantur, senatorum consilio Lucensibus illis adeo assignarunt, et ut conclusis Pisano carcere mentem suam nimio merore vexatam ad gaudium plenamque leticiam convocarent; et abitis et comutatis hinc inde obsidibus, capti Lucenses cicius et comodius possent de tenebroso carcere ad lucem optatam venire. Quo peracto Nicola Roza consul comunis Ianue et Guilielmus de Nigrone consul causarum, euntes usque Narbonam, Ianuenses ad compromissum exercitum, pena etiam illis iniuncta, vix ad urbem Ianuam conduxerunt.

Interea Trepedicinus qui Pisanus fuerat, cum galeis quinque dampnum grande intulit Pisanis. Nam denuo continua comutatione bis quatuor galee separatim inmensam lesionem eisdem Pisanis fecerunt, qui siquidem consules octo gatos et totidem galeas imponere et fere explere fecerunt pro utilitate futuri exercitus. Post hec navis Iohannis Toxici, que itura erat Alexandriam, tempestate valida agitata in portum Aiacii in Corsicam ducta[d], nimia frigiditate ventorum passa fuit naufragium. Quo facto, propter metum Pisanorum continuo armaverunt galeas quinque et navem preparaverunt, quas ad prenominatum

a) consul 1. b) Abberico 1. c) nun nullis 1. d) ductam 1.

54) i. e. iis.

1171. portum miserunt, ut res navis illius ad civitatem nostram conducerent; quarum utique tam nave quam et galeis grandem partem velocitate duxerunt.

Dum enim ista acciderunt, homines de Paxano, qui de calliditate comitum Lavanie castrum Frascarii preterito consulatu amiserant, invaserunt castrum Zerli; et vi tenentes illud, comites Lavanie obsederunt illud; et quo obsesso, homines de Paxano reddiderunt illud consulibus comunis Ianue, quemadmodum et comites castrum illorum prefatis consulibus reddiderant. Quo facto comites Lavanie advenerunt Ianuam de hominibus Paxani graviter conquerentes; causa quorum diu ventilata, tandem consules castellum Zerli comi-
55 tibus Lavanie reddiderunt[55]. Namque in mense Madii Willielmus Sardena consul comunis Ianue cum Lanfranco Pipere, Nubelone, Corso, Oberto cancellario adivit Lucam, volentes scire si victualia exercitui necessaria quem facturi erant, per totum proximum mensem Iunii possent apud Lucam sufficienter invenire, attamen cum proficuo et sine dampno Lucensium, videlicet hoc modo ut modius grani et ordei et mensura vini et aliarum rerum exercitui necessariarum denariis[a] duobus tribus, et non ultra, egentibus venderentur. Quibus siquidem consules Luce se nullo modo facere posse consulti responderunt. Et quia gravissimum erat et evidens periculum in tanta temporis brevitate tam grandem[b] exercitum constituere, et maxime cum mille militibus clientibus et peditibus multis cuncta necessaria non apud Lucam sed per totam Tusciam vix labore nimio possent inveniri, et galee et gatti ad terminum illum facti non poterant esse, dilataverunt exercitum tam maris quam terre voluntate consulum Luce commodius[c] esse faciendum in futura estate. Attamen simul sermones habuerunt dicentes: *Pisani hostes nostri destruxerunt turrim de Mutrone anno preterito; oportet igitur et decet altitudinem nostrarum civitatum, ut turrim satis Pisanis proximiorem hedificare labore continuo incipiamus.* Quibus ita dicentibus, placuit hoc consulibus, et senatoribus non displicuit, ut tamen amore Lucensium. et maxime odio Pisanorum, equis expensis in littore maris eam edificarent, et ut ita dicamus in placia Pisana vicinior Pisanis et proximior quam altera non fuerat. Et mandaverunt consules Sismundum Musculam, virum utique probum et honestum, et cum ipso Raimundum magistrum, ut eligerent locum in predicto littore ad edificandam turrim aptiorem et forciorem; et est locus talis. Quidam mons non multum altus est constitutus super quandam planiciem. quo castrum quoddam edificatum est quod vocatur Mons Gravantus, distans a mare circa duo miliaria. In radice cuius montis oritur fons vivus et pulcher, aquas nimias et serenissimas ducens; facit quidem lacum, ex habundantia cuius tota planicies fere usque ad Serculum flumen impletur; paludes creat ingentes, admodum dempsas et spissas, quod a radice montis usque ad litus maris nemo potest transire propter loca aquosa et profunda nisi per quendam iactum petrarum parum altiorem aqua; et vocatur iactus iste Via regia, ad quam nemo pedes potest adpropinquare, nisi forsan parvissimo navigio. In capite iactus cuius est pulchrum et laudabile edificium quod vocatur turris de Via regia; que siquidem est rotunda, et in circuitu pedes 68, et debet edificari altitudo illius usque in brachia 80 et murus in circuitu ipsius brachia 60, et alter murus, quod appellabitur barbacana[55*], levabitur arbitratu boni viri. Et ut verum fateatur, turrim predictam, quam Ianuenses cum Lucensibus ad Viam regiam hedificarunt, ingredientes Arnum vel faucem Arni clare possunt illam inspicere et sequentibus digito assignare[d].

Interea Rapallini armaverunt duas galeas super Pisanos, quibus dampnum magnum eo tempore fecerunt. Nam circa exitum huius consulatus Christianus archiepiscopus Magontinus, archicancellarius et legatus totius Italie, missus tunc a domino Frederico imperatore Teotonico intravit Lombardiam contra voluntatem Lombardorum, qui tunc temporis erant rebelles et guerram habebant cum eodem imperatore; et transivit flumen Tannaris, non ponte nec pede sed equorum velocitate prope civitatem Alexandriam. Et veniens in civitatem nostram, intuitu imperatoris fuit honestissime receptus, et ducatus illi prestitus usque ad Lunam. Unde rectores Lombardie indignati et ira quodammodo contra Ianuam comoti, quedam civitates illorum prohibuerunt granum in nostra urbe adduci; attamen parum minus ducebatur. Sed quia tempus nimis erat ineptum et carum et victualia

a) *ita corrigendum iam Murat. iure putavit;* de 1. 2. *ed.* b) grande 1. c) commodis 1. d) asignare 1.

55) Huius litis, quae anno praeterito orta erat, compositionem v. Libr. iur. I, 259 sq. W. 55*) murus exterior, antemurale.

deerant per loca nobis vicina, ascendit ut ita dicamus mina grani precio solidorum decem 1171. et infra, et duravit hec pestis per spatium anni medii.

Interim prefati consules armaverunt quatuor galeas, in quibus Oto de Caffaro consul comunis Ianue cum quibusdam nobilibus viris ivit in Sardiniam, et duxit secum regem Baresonem Arvoree, qui fere per annos octo in Ianuam steterat pro creditis que Ianuensibus redditurus erat, a tempore quo fuerat ducatu et auxilio Ianuensium coronatus Papie. Qui consules fecerunt collectam denariorum 7 et semis per libram, preter collectam navium denariorum 6 et denarios quatuor secundum itinera, ex qua sibi credita solverunt et de antiquioribus creditis grandem partem creditoribus reddiderunt. Consules vero causarum de his quae ad suum officium pertinebant satis honeste tractarunt, modum et mensuram more bonorum servantes, cuique iusticiam civitatis consuetudine servata laudaverunt.

Anno 1172. existentibus sex consulibus in re publica, Simone Aurie, Corso Sigismundi, 1172. Otobono, Rubaldo Bisatia, Amico Grillo, Oberto Spinula; in causis vero in quatuor compagnis Philippo Bonifacii, Fredentione Gontardo, Wilielmo Crispino, Rogerio de Iusta; in aliis quatuor compagnis Petro de Marino, Sigismundo Muscula, Philippo Baraterio, Rolando Guaraco; clavigeris Ugone Alberico, Martino Tornello et Malerba, Oberto existente cancellario; Wilielmo Caligis de Palio, et Ogerio Pane de comuni, in causis vero Ogerio et Gandulfo Constancii existentibus scribis.

Nam prefati consules comunis honorem nostre civitatis augere cupientes, habuerunt in urbe nostra colloquium cum Cristiano Magontino archiepiscopo et Germanie archicancellario, qui tunc legationem et vicem imperatoris Frederici gerebat per totam Italiam, dicentes hoc modo: *Domine, decet imperatoriam maiestatem, ut qui in tanta temporis varietate fideles imperio extiterunt, ab ipso imperatore et maxime a vobis, qui presentialiter vicem ipsius geritis, meritum et retributionem consequi debeant, et possint aliis esse bonum exemplum, qui fide et operibus et bona maluerint voluntate forsan participare vobiscum. Nos enim Constantinopolitani*[a] *imperatoris dona nobis transmissa, perparorum videlicet 28 milia, maiestatis imperialis intuitu sprevimus, et regni Siculi omnia comoda renuimus, quoniam in ipsorum amborum pace vel conventione videbatur quodammodo honor imperii decrescere. Nam cum Lombardis huc usque distulimus asotiare; cursoribus et missis imperatoris per terram nostram transeuntibus ducatum amice fecimus semper prestare. Que omnia Pisani non rogati, immo rogantes et supplicantes, contra decorem imperii facere non recusarunt. Que ergo dabitur utrisque merces, dic archipresul, qui multa coerces?* Quibus archiepiscopus respondit hoc modo dicens: *Vos honorastis me intuitu imperatoris; libenter quidem volo desideriis vestris satisfacere. Nescio vero, quid vobis sit obtabilius. Dicite ergo michi, quid corde vestro sedeat carius; quia salvo decore imperii honorem civitatis vestre volo pro viribus inquirere et implere.* Cui responderunt: *Domine, cives Lucenses tamquam nos ipsos diligimus, ex quibus in carcere Pisanorum sunt quam plures forte conclusi, quos ex eo carcere velut proprios, aut vi Deo annuente illos eripere, aut quolibet modo animi sinceritate cupimus eos ex eadem pena liberare.* Quibus respondit: *Ego in spiritu veritatis promitto vobis, quod pro viribus laborabo ut eos recuperem, excepto quod guerram non faciam Pisanis neque ponam illos in bannum imperatoris; quia non sum missus pro guerra, sed pro pace in Tuscia vel in Italia componenda.* Et ut prefatus archicancellarius cum puritate cordis ad deliberationem Lucensium laboraret, consules Ianue Lucensibus etiam ignorantibus iuraverunt se proinde daturos archiepiscopo libras 2300. Quo recedente ivit in Tusciam, et aput Senensem civitatem convocatis comitibus, marchionibus, consulibus civitatum a Roma usque Lucam, et innumeris personis, celebravit ingentem curiam, ad quam consules Otobonus, Obertus Spinula cum quam pluribus viris nobilibus, Sigismundo consule causarum, Enrico Aurie, Ogerio Vento, Lanfranco Alberico, litteris appellati iverunt. Quibus honestissime receptis, post multa verba archicancellarius curia laudabiliter plena aperuit os suum; generaliter omnes salutavit ex parte imperatoris Frederici, benevolentiam ab his sapienter captavit, cartam imperatoris exibuit qua potestatem universalem ab eodem sibi concessam ostendit. Deinde Ianuensibus Pisanis et Lucensibus dixit: *O viri potentes, princeps Romanus imperator vester dominus Fredericus dolet de guerra quam simul habetis, pro qua etiam habitantes a Roma usque Provinciam ad invicem facti sunt inimici; et non potest de cetero pati vel ferre, quin pacem et concordiam inter vos omnes componat. Vos itaque deprecamur et iubemus vobis ex parte ipsius, ut pro pace inienda*

a) Costantinopolitani 1.

1172. *vos prorsus ponatis in curia nostra. Volumus enim et optamus, ut Ianuenses sua probitate nobis primo respondeant.*

Quibus consultis cum Lucensibus, annuerunt precibus imperatoris. Pisani dubitantes et archicancellarium suspectum habentes, eo quod transierat per civitatem Ianue, induciam quesierunt. Qua impetrata, antequam a curia recederent, palam iuravit archicancellarius episcopus Magontinus, quod pro pace componenda servicium ullum sibi factum nec facturum erat, et bona fide pacem trium civitatum salvo honore illarum inquireret. Interim consules Ianue secretum habuerunt colloquium simul cum archicancellario, et post multa verba dixerunt: *Domine, si Pisani vobis minime satisfecerint iussa imperatoris observare nolentes, deceret vos ut guerram eis de cetero faceretis, et eos tamquam hostes imperii in bandum domini imperatoris ponatis.* Quibus respondit: *Ego non exivi nec missus fui pro guerra Pisanis facienda; et multa expendi et multis indigeo rebus, et multo amplius indigerem si expeditionem facerem et proinde gentes simul coniungere deberem. Verum pro offensis quas domino imperatori Pisanos fecisse cognosco, et meis iussionibus non faverunt, si vultis convenire mecum, illis guerram faciam bona fide vobiscum, si Lucenses ex parte portus Pisani erunt in exercitu pro posse mecum, et vos in mare cum galeis ad portum prefatum.* Cui Lucenses responderunt hoc: *Domine archipresul, si placet, esse non potest. Nam si castellum de Via regia et civitatem nostram solam dimitteremus, nimis esset verendum propter affinitatem Pisanorum. Estote vos cum exercitu ex ea parte quam dicitis, et nos erimus prope civitatem illorum ex parte montis Pisani, et Ianuenses ad portum praenominatum cum*[a] *galeis.* Et tunc non potuerunt se concordare, et redierunt Lucenses et Ianuenses ad Lucam. Et volentibus nostris consulibus ad urbem nostram venire, Lucenses supplicaverunt nostris, ut moram adhuc facerent, quousque ad curiam irent et redirent. Quibus euntibus et redeuntibus, supplicabant nostris consulibus de exercitu in Pisanos constituendo. Quibus consules responderunt: *Super prudentiam vestram, viri strenuitate fulgentes, satis miramur, quod hortamini nos ad tantas expensas faciendas. Scitis enim, quia hac futura estate iuramento vobis tenemur exercitum mille militum in partibus vestris habere, et ducere super terras Pisanorum. Et si verbis domini archiepiscopi et vestris acquiesceremus, et postea nos cogeretis expeditionem mille militum facere, nimis durum et gravissimum et etiam inportabile videretur.* Quibus Lucenses responderunt: *Nolumus enim ut aliquod dampnum feratis, quoniam bonam fidem in omnibus vos videmus habere; et ideo dicimus vobis: Loquamur denuo cum archicancellario; et si iuraveritis ei dare peccuniam, et per mare facere exercitum, statim sitis de expeditione mille militum et de peccunia danda in acquisitis vel acquirendis militibus in Tuscia absoluti.* Quo dicto, redierunt pariter ad archicancellarium, et[b] hoc modo sese cum eo concordarunt. Iuravit quidem archicancellarius in presentia nostrorum et Lucensium et procerum curie, quod denuo convocaret Pisanos Ianuenses et Lucenses in plena curia, ut pro pace componenda inter eos in eius curia se prorsus ponerent; et si Pisani hoc facerent, captos Lucenses primo de carcere Pisanorum liberaret. Deinde habitis hinc inde sufficienter sacramentis, daret sententiam de pace sicut scripta fuit ad Portum Veneris per Otobonum, et Alcherium Lucensem, et[c] ..... Pisanum concordarunt. At si Pisani renuerent se ponere in curia prefati cancellarii, deberet illos publice in bannum imperatoris mittere, et frangere omnia privilegia illorum, et maxime ea que ex Sardinea habuerant; et monetam Pisanorum faceret infamem et irritam; et insuper facere exercitum pro posse, et venire super Pisanos ex parte portus Pisani, et offendere illos tamquam hostes imperii; et Lucenses tunc expeditione ex parte montis Pisani, et Ianuenses cum galeis per mare in partibus illis. Et propter hoc iuraverunt consules Ianue dare illi libras 1000. si hoc totum adimpleret. Quo facto, Pisani ad terminum constitutum redierunt; et post multas dilationes eis concessas, Cristianus archicancellarius imperatoris celebravit curiam magnam, in qua publice posuit Pisanos in bandum imperatoris, sicut continetur in litteris quas comuni Ianue mandavit. Et hoc est exemplum illarum litterarum:

*C. Dei gratia Magontine sedis archiepiscopus et archicancellarius Germanie et totius Italie legatus, carissimis amicis suis consulibus Ianue et toti populo, salutem et obtimam voluntatem. Perpetue mentis nostre memorie figentes honestissima bonitatis vestre servitia, que persone nostre toto mentis affectu et corporis assiduitate nuper, cum apud vos essemus, exibuistis, ita nos vobis reddunt obnoxios, ut pre omnibus vestris Italie consortibus vos diligere specialiter*

a) *deest* 1. b) et h. m. s. c. e. c. I. q. a. *desunt* 1. c) et *deest, lacuna relicta* 1. et prout Pisani *ed.*

*debeamus, et civitatem vestram honorare teneamur et exaltare. Ea propter notum facimus universitati vestre,* 1172. *quod proxima tercia Feria post Letare Ierusalem congregata apud Senas* Mart. 28. *celeberrima curia, in platea civitatis consedimus, in conspectu prefecti*[a] *urbis Romanorum, et coram marchionibus Anconitanis, Conrado marchione de Monteferrato, comite Guidone, comite Aldebrandino, et quam pluribus aliis comitibus, capitaneis, valvassoribus, consulibus civitatum Tuscie, Marchie et vallis Spolitane et superioris atque inferioris Romanie, et infinita populi multitudine contumatiam et superbiam Pisanorum ostendimus, humilitatem atque iusticiam vestram omnibus notam fecimus, et deinde causidicorum imperii iudicio, et assensu principum, episcoporum multorum videlicet et superius enumeratorum, et ad favorem omnis populi omnia privilegia Pisanorum quecumque a serenissimo domino nostro Frederico imperatore Romanorum invictissimo et ab omnibus predecessoribus suis obtinuerunt, cassavimus, et nominatim ea que de Sardinea et de ripa maris, et de libertate ac fodro civitatis sue ac terre, et de comitatu comitis Uguelini et comitisse Matilde, et insuper de moneta, quam irritam fecimus, et dari sive recipi sub pena rerum atque personarum prohibuimus; et preterea quicquid de honore atque utilitate ipsorum potuimus excogitare, eis imperiali auctoritate abstulimus. Deinde civitatem ipsorum et burgum atque personas et peccuniam in bannum*[b] *domni imperatoris auctoritate imperiali et nostra et misimus et publicavimus. Multo etiam his plura addidimus in confusionem eorum, que vobis nequaquam promiseramus, sicut ab amicis vestris Lucensibus luce clarius cognoscetis. Ammonemus*[c] *igitur attentissime discretionem vestram, ut omni occasione postposita usque ad proximum pasca sive octavas ipsius pasce 50 galeas habeatis preparatas,* Apr. 16. 23. *20 Ianue, et 20 ad Portum Veneris, et 10 que versus Romam ducantur. Egimus enim cum prefecto Urbis, ut apud Civitam Vetulam et per districtum suum et per terram comitis Aldebrandini libere et secure possitis eas ducere; et insuper exercitum vestrum cotidie preparetis. Idcirco autem sciatis, quod nullum prorsus vobis terminum de peccunia nobis solvenda dare possimus nec volumus. Multis enim ad presens propter id ipsum tenemur debitis, et damus militibus et precipue illis de Sancto Miniato. Inde est quod sapientiam vestram quam intime rogamus et sub sacramento quod nobis fecistis comonefacimus, ut debitam nobis peccuniam determinato tempore statim persolvatis, et sicut in simplicitate et fide atque veritate vobiscum ambulamus, sic et ipsi nobiscum ambulate, et virtutem sacramenti et necessitatem tanti negotii observate sapienter.*

Interim Rapallini armaverunt galeas duas, et homines Segestri 2, et Portus Veneris 1, et dampnum grande fecerunt Pisanis. Et tunc Corsus consul comunis cum duobus consulibus causarum, Rogerio de Iusta, Philippo Baraterio, iverunt in Tusciam et Lucam, locuturi cum Cristiano archicancellario, et portaverunt ei libras 500[d]. Prefati consules armaverunt galeas 6, in quibus Simon Aurie consul comunis fuit preelectus et dominus assignatus, qui infra mensem rediit, quoniam a consulibus Pisanorum sibi dictum fuerat, quod pax facta erat inter nos et Pisanos, pro qua pace componenda ivit Lucam Obertus Spinula, Amicus Grillus consules cum quibusdam sapientibus viris. Et interim consules ordinaverunt galeas octo, in quibus Corsus consul erat iturus; et steterunt pro spe tunc future pacis. Quo facto Otobonus consul et Sismundus Muscula, Lanfrancus Albericus et Obertus cancellarius iverunt Lucam pro eadem pace componenda; pro securitate cuius pacis iuraverunt mille Pisani et totidem Florentini, et mille Lucenses et totidem Ianuenses. Evacuata quidem spe pacis propter proditionem quam Pisani et Florentini facere proposuerant de castro Sancti Meniati, quod dominus imperator Fredericus in Tuscia tenebat et possidebat, et quod ei conabantur auferre, armaverunt prefati consules galeas septem, in quibus Corsus consul dominus fuit assignatus, que magnum dampnum Pisanis fecerunt, et in faucem Arni usque ad Sanctam Crucem et desuper ascenderunt, et ceperunt turres insule Planusie, et destruxerunt eas et quidquid erat in predicta insula edificatum; et hoc factum fuit ad oprobrium Pisanorum. Quo peracto, consulibus Simone Aurie et Oberto Spinula ab archicancellario domini imperatoris Frederici vocatis vel appellatis[e], redierunt Lucam, ut cognoscerent quid cancellarius de illa predicta pace esset facturus. Et cum ipsa pax tunc esse non potuit, prefati consules Otobonus et Simon Aurie simul cum consulibus Luce adiverunt archicancellarium domini Frederici imperatoris qui ibi aderat, rogantes ipsum, ut Pisanum consulem nomine ........ et socios, et consulem Florentinorum et socios, quos tenuerat de castro Sancti Meniati, daret illos sibi retinendos in prexione[56] Luce. Nam

a) iufati 1. b) banum 1. c) Amonemus 1. d) lb..OO. 1. e) apell. 1. 56) i. e. prisione, carcere.

1172. post multa verba iuravit Cristianus archicancellarius Magontine sedis, qui tunc vicem imperatoris in Tusciam tenebat, se guerram pro posse Pisanis facturum ordinatione consulum nostrorum et Lucensium. Et tradidit Pisanum consulem nomine ..... et socios Ianuensium consulibus et Lucensium, quos in carcerem Luce cum aliis Pisanis posuerunt; et iuravit quod mitteret Florentinos in bannum imperatoris, et cassaret et destrueret omnia dona et privilegia facta utrisque, videlicet Pisanis et Florentinis; et pro his omnibus recepit a Ianuensibus libras mille monete Luce; et a Lucensibus habuit libras 1500. Quo peracto, armaverunt consules galeas 6, in quibus Rubaldus Bisatia consul comunis guida et dominus fuit a sotiis assignatus. Qui audiens tres galeas Pisanorum ad insulam sancti Petri[57] ivisse, ivit post illas quousque invenit eas, que ceperant navim nostram que de Buzea venerat, et quam secum habebant; et sicut Deo placuit, easdem tres galeas Pisanorum in Sardinea nocte ceperunt, et in civitatem nostram cum magna leticia duxerunt.

Namque mense Decembris, videlicet in ebdomada sancti Thome, Opizo Malaspina, qui tunc temporis vassallus archiepiscopi erat, et Moruel filius eius vassallus comunis, qui a tribus mensibus coniurationem fecerant cum hominibus Lunisiane et hominibus Paxani et illis de Lavania, et qui proditionem nostrorum castrorum tractaverant, advenerunt hostiliter, et nescientibus Ianuensibus intraverunt Opizo Malaspina burgum Clavari, et obsedit castrum, et Murruel filius eius fuit ad insulam Segestri, et alii eorum societatis ad castrum Rivarolii, ubique viriliter preliantes, et fuerunt milites 250 et pedites ultra tria milia. Scientibus hoc nostris consulibus et civitas multis comota rumoribus, fecerunt parlamentum, et sine mora Rappallum mari et terra iverunt[a], convocantes amicos milites et omnes affines marchiones et archiferos et clientes multos. Antea quidem quam exercitus foret simul congregatus, homines qui in castrum Clavari fuerant, pacti sunt cum Opizone Malaspina, se daturi libras denariorum 300 si recederet burgo non combusto; pro quibus etiam Nicolla Roza, qui castrum intraverat, se ipsum Opizoni predicto obsidem dedit; quod utique factum consulibus et omni populo vehementer displicuit. Et tunc exercitus Ianue mari et terra contra marchionem et suos iter arripuit. Qui siquidem marchio rumores huius exercitus percipiens, secessit sine mora mortuis et vulneratis quam pluribus, et retentis 4 militibus Placentie, ad Rivarolum castra metatus fuit in plano Segestri. Veniens autem noster exercitus contra periuros et proditores homines Cucurni, ascenderunt montem armis et ceperunt Cucurnum, et munierunt illud armis et viris; et inde versus insulam iter suum mari et terra arripientes, marchio Malaspina montanas partes quesivit, videlicet ad Petram tinctam. Altera die nostri euntes ad ipsum capiendum, cum fuerint super Muneliam, frigus[b] et gelus inauditum fuit, et nix et ventus contrarius nimis, et sol iam declinabat ad occasum; et sic reversi fuerunt ad insulam, et maxime quia fides quorumdam marchionum qui nobiscum venerant deficiebat, et maliciose contra nos actibus et consiliis machinabantur. Tandem verbis pacis et conventionis intermixtis treuga ad Segestrim facta fuit usque ad proximum pascha, et sic Ianuam exercitus sospes cum victoria rediit. Pace quidem et liberaliter sol-
58 verunt consules marchioni Montisferrati scausimentum[58], et cuique militum illius libras[c], et totidem Enrico Guercio, et marchionibus de Gavi[59] et de Bosco et de Ponzano, et cuique peditum solidos 10 et victum. Nam prefati consules suum consulatum honeste et viriliter tractarunt. In fine tamen laborem eximium cum illis, qui electi fuerant, viriliter sustulerunt. Qui utique collectam fecerant per libram denariorum septem, preter collectam plebium et navium. Sicut enim prefati consules rem publicam sapienter et prudenter tractarunt, ita consules causarum ea que ad officium suum fuerant comissa sollicita mente et tamquam viri sapientes disposuerunt, cuique ius suum comode secundum varietates temporum tribuentes[d].

1173. Anno 1173. existentibus sex cumsulibus in re publica, Ansaldus de Trencleo, Iugone de Flexa, Lanfranco Alberico, Nichola de Rodulfo, Wilielmo[e] de Nigrone, Bellamuto; in

a) *manu anni* 1173 *additum* 1. b) grigus, *manu a.* 1173 *corr.* frigus 1. c) *legendum videtur* libram; *lacuna nulla* 1. d) *historia anni* 1173 *atramento fusco subiecta est littera maiori, nec Oberti manu, dum scriba saepius sensu non intellecto grammatices regulas multum transgreditur.* e) Welmo 1. *et infra pluries.*

57) in meridionali et occidentali ora Sardiniae. 58) esse videtur i. q. excusamentum, excusaticum, excusatio, pecunia, pensio, qua soluta quis se extra causam ponit; entschädigung, bezahlung. 59) Foedus defensionis vicissim praestandae cum marchione Gavii d. 12. Apr. 1173 initum est. L. iur. I, 274. W.

causis vero Wilielmo Malone, Ugone Alberico, Guidoto Zurlo, Anselmo de Caphara; in aliis 1173. quatuor compagnis Pascali de Marino, Ansaldono, Oberto Maloaucello, Alberto Grillo; clavigeris Curado Malfuastro, Wilielmo Zerbino, Rubaldo Lercario, Oberto existente cancellario; scribis Wilielmo Caligis de Pallio, Ogerio[a] Pane in comuni, Ogerio[a] et Gandulfo Constantii in causis. Istius consulatus principium multis fuit negotiis diversis inpeditum. Nam Opizo Malaspina et Muruel eius filius, qui tunc temporis vasalli comunis nostri fuerant, accepta feudo mille solidorum illi anni, addeo verbis pollicitis[b] omnique hostili calliditate corda sollicitavit proditorum, videlicet abitantium ab Airana usque Rapallum, quod fere omnes maligni cogitatione convenerunt in unum, insidiantes et pro viribus laborantes contra nostrum ius publicum, videlicet clam exercitum congregando, cogitantes prodicionem nostrorum castrorum sibi futuram, sicut in fine preteriti cumsulatus breviori sermone qua potuimus vobis per seriem exposuimus. Qui etenim rei publice consules ultra tria milia librarum mutuo sumpserunt, quando noster exercitus contra predictos marchiones exierant, ex quibus libris cuique militum clientum infra unius mensis spacium indifferenter exsolverunt quicquid illis fuerat promissum; et insuper castra additis in his clientibus, ut viri[c] prudentes munierunt. Abentes cumscilium secum hoc modo dicentes: *Civitas nostra viris diviciis omnique rerum amenitate inter ceteras urbes affines propitia deitate prefulget. Si igitur laudem nobilitatem vel demum quietem volumus conservare, ac vicinos hostis funditus intendimus de medio exstirpare, sanum et perutile esset, ut milites nativos in urbe nostra incipiamus creare.* Hac quidem ratione partem omnes concordes extiterunt, in urbe Ianue militiam vel milites esse statuentes. Et facto proinde conscilio, silentiani[60], qui rem publicam 60 annue nituntur augere, ad creandam militiam Deo auspice profuturam letiores solito auctoritatem ylari mente prestarunt. Qua habita, consules infra urbem et extra ultra centum milites spreto labore sumptumque nimio continuo creaverunt, et illos siquidem docentes more paterno, ut sepius addiscerent otio, quo possent levius perficere[d] bello. Qui etenim post parvi temporis spatium mense Iunio ad partes[e] Muneia[61] solum cum clientibus exeuntes, existente capite militum consule Ingone de Flexa, edificaverunt castrum quod vocatur Villafranca, in presentia videlicet marchionis Malaspine et suorum adiutorum[f]. Et ut ne videretur, quod propter discordiam dictorum proditorum affectus minor fieret in agenda guerra Pisanorum, armaverunt mense Aprili galeas 8 ad infugandos[g] et capiendos Pisanos, et ut iudices Sardinee, qui quodammodo in fide promissa videbantur deficere, cumsul noster Lanfrancus Albericus, qui dominus galearum fuerat constitutus, illos ad fidem tenendam et servandam confirmaret.

Propterea audientibus consulibus, fama cursorum refferente, quod due galee Pisanorum iverant Provinciam, armaverunt quattuor galeas quas miserunt post illas, in quibus Oto de Caphara dominus et guida fuit a consulibus constitutus. Post hec intraverunt Provinciam quinque galee Pisanorum, ad quas quidem capiendas vel vi fugandas mandaverunt consules 7 galeas, in quibus Ingo de Flexa fuit guida et dominus preelectus. Interea mense Octubris intrante Opizo Malaspina congregato exercitu, quoad potuit, ingressus terram nostram, et statim Montem Leonem obsedit. Mox Ianua militibus suis et alias undique civitatis numero ultra 360 et peditibus archiferis 1500 sine mora in sucursu Montis Leonis iverunt. Rumore siquidem nostrorum audito, nostrisque visis[h] militibus, Malaspina cum suis noctu ante lucem fugam petiit. Consules siquidem nostri cum predicto marchione[i] nullam concordiam ibi facere voluerunt, ne forte diceretur nos sub suo vexillo[k] confederationem ullam secum fecisse; disponentes tamen interim longius ire, ne forte dispendium factum videretur quasi sepultum, et ne civium iudicium[l] exinde forsan[m] minus videretur accutum. Armata ergo manu contra perfidos Paxanos perexerunt; qui transacto anno Malespine inportuna suasione facti fuerant rebelles. Maximo quidem conamine castrum Paxani coram eidem Malaspina et Muruello et suique militibus obsidentes; et licet victualia et queque necessaria mari, et dum illud ineptum adefat, terra, magno labore vehebantur, et terras et domos castrum cetera queque[n] conburentes, infra dies octo, muris undique ruptis miroque ictu lapidum fractis, castrum Paxani ceperunt. Ad quam siquidem captionem

a) Oglerio 1. b) pollititis 1. c) uim 1. d) perficeret 1. e) partos 1. f) *hinc littera minori eodem tamen atramento pergitur* 1. g) infugandas 1. h) [illegible] 1. i) machione 1. k) noxillo 1. l) *ita emendari* in initium 1. otium *ed.* m) forsam 1. n) ceteri 1.

60) i. e. silentiarii, v. supra a. 1158. 61) i. e. Munelia, Monelia.

1173. Ingo de Flexa con galeis 7 venerat, viriliter pugnantes quousque rei finis optatam pervenit. Nam prefati consules rei publice collectam grandem in urbe et extra fecerunt; nam consulatum intrantes numos tres per libram, et ex eo exeuntes numos novem collegerunt, quos pro nimiis exspensis factis dederunt[a]. Consules vero causarum auxilio illis et cumsilio amice subvenientes, cumsulatum suum modis decentibus rexerunt, cuique civium ius suum amicabiliter dantes.

---

# III.

# OTOBONI SCRIBAE ANNALES.

## A. 1174—1196.

*Congruum quidem et equitati atque iustitiae consentaneum esse dinoscitur, bonorum actuum memoriam retinere, set in is maxime quae ad commodum et honorem rei publice pertinere noscuntur, in quibus bone indolis viri necessario debent studium et summam diligentiam adhibere. Nil enim gratius est quam videre crescere publicum decus, ubi ius omnium sub generalitate concluditur. Agitur siquidem res privata, quotiens res publica patitur diminutionem. Huius rei gratia ego Otobonus scriba gloriosum et commendabile opus quod quondam felicis memorie Capharus edidit emulans, quia tam laudabile propositum inhertia diu fuerat pretermissum, licet brevitate sensus ad hoc insufficiens videar, tamen quicquid potui memorie commendavi, et ad commodum rei publice Ianuensis et nobilium animos provocandos presenti volumine in scriptis redegi, ut sit memorabile in aeternum; et si qua gestarum rerum questio vel dubietas forte in posterum orietur, per presens autenticum scriptum veritas cognoscatur omnisque ambiguitas auferatur. Unde felices successus victorias et res gestas, prout potui,* 62 *breviter intitulavi et scripsi sub quo millesimo*[62] *et indictione, nomina etiam consulum communis et iustitiae prefigurans.*

1174. Anno dominice nativitatis 1174, indictione 6. fuerunt consules rei publice Ianuensis sex, videlicet Wilielmus Longus, Otobonus de Albericis, Oto de Capharo, Wilielmus Auriae, Wilielmus Piper, Bonusvasallus Antiochiae. Consules vero iustitiae fuerunt in quatuor compagnis versus civitatem Pascalis Eliae, Wilielmus Crispinus, Wilielmus Cavarruncus[b], Wilielmus Fornarius. In quatuor vero compagnis versus burgum fuerunt consules Pascalis de Marino, Rubaldus Lercarius, Rubaldus Ususmaris et Ansaldus de Nigro.

Hoc anno prenominatus Otobonus de Albericis bis ivit legatus pro communi Ianue ad regem Wilielmum Sicilie, filio quondam regis Wilielmi, qui filius fuit quondam regis Rogerii, in galea; a quo honorifice fuit receptus, et de discordia quam diu habuerat civitas Ianuensis cum regno suo, pacem et concordiam fecit cum honore et emolumento civitatis nostrae[63]. De discordia que erat inter civitatem Ianue et marchionem Malaspinam et filium eius Murruelum, pacem et concordiam fecerunt, et emerunt ab illis castrum Petretecte et Podium Ilicis, quae funditus destruxerunt[64]. Fredericus imperator hoc anno circa festum
Sept. sancti Michaelis cum rege Boemie et maxima expeditione fines intravit Ytaliae, ac pervenit

a) *ita* 2. ::::derunt 1. b) *vir bis scriptus in* 1.

62) i. e. quo anno. 63) Privilegium scr. m. Nov. a. 1174. Libr. iur. I, 300. W. 64) Tractatio pacis ab arbitris facta dd. 14. 15. m. Mart. ibid. p. 288–292. W.

ad urbem Astensem. Postmodum vero recessit inde, et aggressus civitatem novam Alexan- 1174.
driam et castra metatus est circa ipsam, et permansit ibi per totam hiemem illam usque pasca obsidendo; et impugnando eam cum Papiensibus et Wilielmo marchione Montisferrati nichil ibidem profecit. Nam cum ipse imperator in sollempnibus et reverendis diebus dominice passionis et resurrectionis iam dictis obsessis dedisset fiduciam, et promisisset de non impugnando, quidam Theotonici nocte parasceue, reverentia passionis et resurrectionis post- Apr. 11.
posita, clam fodentes, multi ex eis civitatem intraverunt. Alexandrini vero excitati percipientes hoc, currerunt ad arma, et eos penitus occiderunt[65]. Preterea Ianuenses multum hoc anno impugnaverunt Pisanos, et plures galeas super eos miserunt, fugantes ipsos et capientes. Presenti quidem anno in quadragesima maximus ignis extitit accensus in domo Bellamuti.

Anno dominice nativitatis 1175, indictione 7. fuerunt 6 consules in re publica, et 8 pro 1175.
iustitia, videlicet Fulco de Castro, Rogeronus de Castello, Ingo de Frexia, Rubaldus Bisacia, Ugo Balditionis et Picamilium. Pro iustitia in quattuor compagnis versus civitatem Boiamondus de Odone, Guidotus de Nigrone, Rogerius Iuste; in quattuor vero compagnis versus burgum fuerunt Obertus Malocellus, Obertus de Nigro, Tanclerius Alde et Ansaldus Ceba.

Hoc anno imperator Fredericus ab Alexandrie obsidione discessit, transacto festo pasce dominice resurrectionis, et ivit cum exercitu suo contra exercitum civitatum Lombardie et Marchie, que[66] in partibus Montisbelli castra metate fuerant una cum marchione Malaspina, quae venire proposuerant super eum ad succursum faciendum Alexandriae; et castra metatus fuit ipse imperator in partibus illis non multum longe ab exercitu civitatum. Verumtamen mediantibus bonis viris ac religiosis pepigit imperator cum eis, et nulla fuit ibi pugna; sicque Lombardi ad domos proprias remearunt. Imperator vero pervenit Papiam, et ibi moratus est.

Prefati namque consules egregie Ianuensem urbem rexerunt, ac persecutionem maximam intulerunt Pisanis, et valde eos impugnarunt. Rogeronus consul cum sex galeis eos fuit persecutus. Invenit quidem navem quandam Pisanorum maximam venientem de Sardinea de portu Turritano, quam multum impugnavit, et persecutus eam fuit usque in portum Pisanum, ubi exhonerata fuerat. Attamen nichilominus eam agressus fuit, et tam diu expugnavit, quod vi cepit eam, et in conspectu multorum Pisanorum et de eius vicinia eam combussit, et cum omni gaudio et triumpho Ianuam cum galeis suis pervenit. Postmodum Ugo Scotus claviger comunis Ianue, vir nobilis ac probus et honoris Ianue civitatis amator, dum cum quadam galea comunis armata ad guardiam Provinciae destinaret, invenit quamdam galeam Pisanorum, quam cum ipsa galea sua in medio maris aggressus fuit, et fortiter unam per aliam impugnando, expugnavit et cepit, et homines cum galea ipsa Ianuam duxit et in carcere truxit[a].

Ceterum Fredericus imperator Ianuenses et Lucenses et partem eorum, et Pisanos ac Florentinos et eorum partem vocavit; qui omnes ad eum Papiam accesserunt, ubi ipse curiam tenebat, et ad eius instantiam de tota lite et discordia in eum compromiserunt, et in eius mandato stare iuraverunt. Qui inter eos pacem et concordiam stabilivit, et in ipsa pace concessit Ianuensibus medietatem Sardinee sicut exigebant, quam Pisani eis pro posse contradicebant, et pro qua guerra diu steterat inter eos. Castrum vero Vie regie[c], quod concessione domni Cristiani archiepiscopi Maguntini cancellarii et legati imperatoris super Pisanos, Ianuenses et Lucenses construxerant, destrui precepit[67]. Pisanis vero monetam Lucensem, quam maliciose cudebant et falsificabant, sub iuramenti debito interdixit; et precepit[b] ne amplius eam cuderent. Omnia quidem in isto consulatu letum et gloriosum finem susceperunt. Eodem quidem anno ignis maximus accensus fuit extra civitatem iuxta Sanctum Victorem in mense Ianuario.

Anno dominicae nativitatis 1176, indictione 8. consulibus 6 existentibus in re publica, 1176.
videlicet Nicolla Embriaco, Rodoano de Mauro, Ogerio Vento, Symone Auriae, Amico

a) *i. e.* trusit; traxit 2. b) precepit — precepit *desunt* 2. c) vero montis Gravati seu via regie *c. Bunbury.*

65) quos inter et 150 sagittarios Ianuenses, v. Ann. Mediolanenses et Placentinos. 66) scil. civitates. 67) Quod castrum omnino desertum a. 1221 m. Apr. Fridericus II donatione Pagano Balduino civi Messanensi, monetario Brundusino, concessit. Memorie di Lucca t. 3. p. 223.

1176. Grillo atque Balditione Ususmaris; et consulibus 8 existentibus pro iustitia, videlicet Wilielmo Cavarunco, Henrico Contardo, Wilielmo Mallono, Philippo Iuste in quattuor compagnis versus castrum; et Ansaldo Golia, Oiono de Insulis, Sismondo Muscula atque Wilielmo Carmadino in 4 compagnis versus burgum, civitas nostra per Dei gratiam in maxima tranquillitate et fertilitate permansit. Prefati namque consules per totum ver et totam estatem galeas armatas in custodia Provincie tenuerunt ad capiendos cursales et rebelles et illos qui contra devetum eorum[a] ibant.

Hoc siquidem anno Fredericus imperator apud Lagnanum Mediolanenses et Brexianos[b] cum exercitu suo et Cumensibus est aggressus, et inito certamine, tandem imperator ipse triumphi contrarium incurrit, et cum toto suo exercitu de campo fuit eiectus atque fugatus, sicque Mediolanenses ex toto triumphum ac victoriam reportarunt; et hoc fuit in ebdomada
Mai. pentecostes[67*].

1177. Anno dominice nativitatis 1177, indictione 9. fuerunt sex consules in re publica Ianue, videlicet Ingo de Frexia, Wilielmus Ventus, Wilielmus Longus, Rubaldus Bisaza, Wilielmus Sardina et Obertus Recalcatus. Consules vero fuerunt pro iustitiis in quattuor compagnis versus castellum Pascalis Heliae, Martinus Tornellus, Fredentio Contardus et Albertus Castanea. In quattuor autem compagnis versus burgum fuerunt Almericus de Porta, Petrus de Marino, Rolandus Guaracus et Wilielmus Piccamilium.

Hoc anno Wilielmus Ventus ad imperatorem qui erat apud Ravennam perrexit, a quo honorifice fuit receptus, et que cum eo stabilienda fuerant stabilivit. Isti quidem consules Rubeum de Volta legatum ad Salahadinum regem Egypti miserunt, cum quo pacem firmavit. Civitatem denique in pace et tranquillitate maxima et fertilitate rexerunt, et ad letum finem omnia pervenerunt. In isto namque consulatu filia regis Angliae Ianuam venit, quam vasalli Wilielmi regis Siciliae, cuius uxor fuit, ad eum cum galeis in Siciliam transportarunt.

1178. Anno dominice nativitatis 1178, indictione 10. fuerunt in re publica consules 6, et 8 pro iustitiis, videlicet pro communi Wilielmus Modiusferri, Albericus, Nuvelonus, Bisacinus, Wilielmus de Nigrone et Otto Fornarius; pro iustitiis vero in quatuor compagnis versus castellum fuerunt Hugolinus Mallonus, Guidotus de Nigrone, Phylippus Iuste, Fulco Guiliae comitisse; et in quatuor compagnis versus burgum fuerunt Oionus de Insulis, Wilielmus Ursetus filius Nicole de Rodulfo, Pascalis de Marino et Rubaldus Lercarius.

Hoc anno mense Ianuarii dum prescripti consules essent electi, Fredericus imperator venit in Ianuam[68]; nam ante per diem unam conthoralis eius Beatrix imperatrix venerat. Postea sequenti die ab adventu imperatoris venit filius eius rex Enricus; et moram fecerunt per paucos dies, et honorabilibus donis acceptis recesserunt. In isto siquidem consulatu discordia fuit inter Mazanellos et Navarros, et bellum fuit inde semel. Nam prefati consules, qui in tranquillitate et fertilitate Ianuam civitatem rexerunt, pacem et concordiam inter eos composuerunt. Omnia quidem ad letum et onum finem ipso anno pervenerunt. Consules vero iustitie tamquam viri legales et honesti officium consulatus feliciter exercuerunt, ius suum cuique civium amicabiliter tribuentes; et potestatem consulatus et acta publica successoribus suis in fine feliciter assignantes.

1179. Anno dominice nativitatis 1179, indictione 11. consules fuerunt in Ianuensi re publica 6, et 8 pro iustitiis, scilicet Nicolla Embriacus, Ogerius Ventus, Otobonus de Albericis, Balditio Ususmaris, Wilielmus Aurie[c] et Amicus Grillus; in iustitiis vero versus castellum Wilielmus Mallonus, Wilielmus Cavaruncus, Wilielmus Tornellus et Wilielmus Fornarius; et versus burgum fuerunt Pascalis de Marino, Sismundus Muscula, Rubaldus de Pinasca et Guido Spinula.

In isto consulatu prememoratus Balditio morbo confectus obiit. Discordia quidem fuit inter Amicum filium Amici Grilli et propinquos eius, et fratres Ogerii Venti, Petrum videlicet et Symonem; et bellum inde fuit apud Sturlam. Hoc[69] siquidem anno domnus Hugo archiepiscopus fuit vocatus ad concilium et synodum maximam, quam Alexander felix papa III apud Lateranum celebravit, ad quam prenominatus archiepiscopus honorifice

a) *in loco raso* 1. devetum *i. q.* dibitum *est.* b) brexiani *in loco raso* 1. c) W. A. *manu posteriori inserta.*

67*) Hic tres equites ad marginem picti. 68) In margine imperator, rex et Beatrix equis insidentes pinguntur. 69) In margine pictus papa Alexander adiecta voce *Synodus.*

ivit cum domno Oberto preposito Sancti Laurentii, Ogerio Galleta Magiscola, Enrico Auriae 1179. atque Nuvelono in galea quadam egregie armata. Iocunde quidem et cum honore maximo in curia ab ipso apostolico et cardinalibus fuerunt recepti et tractati, et omnia privilegia confirmavit dominus papa, quae ipse et predecessores[a] eius ecclesiae et urbi Ianue fecerant; et reliquias gloriosissimi precursoris et martyris Christi, videlicet beati Ioannis baptistae revelavit, et cum omni gaudio Ianuam remearunt[70]. Prememorati consules civitatem et comune bene in omni felicitate rexerunt, et ad letum finem omnia pervenerunt. Filia[71] regis Francorum hoc anno venit in Ianuam, quam Balduinus Guertius et propinqui eius cum galeis apud Constantinopolim transportarunt ad Alexium filium domni Hemanuelis imperatoris, cuius uxor fuit. Omnia quippe in isto consulatu letum finem perceperunt. Consules quidem iustitie omnia negotia et causas fine debito terminantes, et ius suum cuique civium amicabiliter tribuentes, regimen et officium consulatus successoribus suis consulibus in fine feliciter assignarunt. Hoc anno fuit primitus constitutum per emendatores, ut liceret reo, ut ante quemcumque consulatum vellet, posset convenire actorem.

Anno dominice nativitatis 1180, indictione 12. fuerunt consules 6 in re publica Ianuensi, 1180. videlicet Ingo de Frexia, Wilielmus Ventus, Albericus[b], Ido de Carmadino, Symon Auriae et Hugo Balditionis; et 8 pro iustitiis, videlicet in quatuor compagnis versus castellum Corsus de Palazolo, Tanclerius Phylippi, Obertus Pedicula et Rubaldus Porcellus; in aliis vero quatuor compagnis versus burgum fuerunt Iohannes de Infantibus, Obertus Roza, Obertus de Nigro et Ansaldus Golias.

Prenominati consules pacem et concordiam fecerunt inter Ventos et Grillos. Hoc siquidem anno domnus Emanuel dive memoriae Constantinopolitanus beatissimus imperator, sicut divine placuit maiestati proh dolor obiit[72] mense Septembris, festo beate Tecle virginis et Sept. 23 martyris, secundum quod retulit Wilielmus Arnaldus nobilis Ianue civis, qui venit de Peira[c, 72*] cum navi honerata frumento; unde christianitas universa ruinam maximam et detrimentum incurrit. In isto namque consulatu odium maximum et guerra crevit inter Rubaldum Porcellum et fratres, et Girardum Scotum et propinquos eius; sed non fuit inde bellum. Ex predicta namque discordia prefati consules pacem fecerunt inter Porcellos et propinquos Girardi Scoti; qui Girardus Scotus pacem recusando extra Ianuam abiit; bona cuius predicti consules destruxerunt.

Anno dominice nativitatis 1181, indictione 13. fuerunt in re publica Ianue consules 6, 1181. et octo pro iustitiis; pro comuni videlicet fuerunt Anselmus Garrius, Ansaldus de Tanclerio, Nuvelonus de Albericis, Bisatia, Ido Picius et Wilielmus Auriae; pro iustitiis vero fuerunt in quatuor compagnis versus civitatem Fredericus Albericus, Ugo Albericus, Anselmus de Caffara, Wilielmus Tornellus; in quatuor vero compagnis versus burgum fuerunt Enricus de Murta, Pascalis de Marino, Amicus Grillus et Wilielmus Ususmaris.

Hoc anno morbus maximus et mortalitas fuit in Ianua, ex qua plures nobiles obierunt. In isto namque consulatu Gualterius de Moach, admiratus Wilielmi regis Siciliae[73], cum maximo stolo de galeis et plurimis uxeriis[74] cum militibus venit in portum Ianuae; quod siquidem stolium prenominatus rex Wilielmus mandabat ad capiendam Maioricam. Cum stolio ipse Gualterius per totam hiemem stetit apud Vadim. Hoc anno ignis maximus[75] fuit accensus in Palazolo in nocte dominicae nativitatis, veniente festo beati Stephani prothomartyris. Hic nempe ignis maximum dampnum intulit civitati; totam enim fere contratam et viciniam Palazoli combussit et consumpsit. Consulatus quippe iustitiae omnia quae sub eorum examine fuerunt, fine debito terminarunt, et in fine consulatus regimen et officium successoribus suis consulibus assignarunt.

Anno dominice nativitatis 1182, indictione 15. fuerunt consules rei publice Ianuensis 1182. Ingo de Frexia, Nicola Mallonus, Wilielmus Modiusferri, Andreas Auriae filius Symonis Auriae, Picamilium et Spezapreda. In quatuor vero compagnis versus castellum fuerunt consules pro iustitiis Wilielmus Mallonus, Wilielmus Buronus, Fulco Giuliae comitissae

a) p̃dessores 1. b) *deest* 1. c) *loco vocis lacuna* 1. 2. Peira *ed.* Peyra *cod. Bunbury.*

70) Ugo tunc a papa legatus a latere in partibus transmarinis nominatus est. Libr. iur. I, 307. W. 71) picta in margine, longis crinibus. 72) Loculo impositus pingitur in margine. 72*) Pera in ora Bospori. 73) Figura eius habetur in margine. 74) Uscherii sunt naves quibus equi vehuntur. 75) pingitur in margine.

1182. et Angelotus de Cafara; in aliis quatuor compagnis versus burgum fuerunt Enricus de Nigro, Obertus Lucensis, Tanclerius Alde et Ansaldus Golias.

Hoc siquidem anno cum prememorati consules se viriliter accingerent aggrediendi et impugnandi Vinguiliam[76] et incolas eiusdem loci propter immensum facinus quod fecerant capiendo nobilem et eggregiam mulierem, Mariam videlicet filiam quondam Otonisboni de Albericis, uxorem Lanfranchi Richerii, Niciam proficiscentem, ecce homines ipsius loci Ianuam venerunt, et mandato consulum steterunt, et iurando fidelitatem comuni Ianuae, castrum et totam terram consulibus reddiderunt[77]. Preterea homines Vernatiae[78] Pisanos, cum quibus pacem habebat Ianue civitas, in publica strata maris capere presumpserunt, et bonis suis ac mercimoniis, cum quibus Ianuam festinabant, eos exspoliarunt. Verum quia moniti a perpetrato scelere resipiscere recusabant, supradicti consules exercitu congregato illos fuerunt aggressi, et circa Vernatiae castellum potenter castra metati, et tam diu illos per diem et noctem cum machina[79] et ceteris bellicosis instrumentis eos impugnarunt, quod vi ceperunt eos, et castrum et peccuniam ablatam supradictis Pisanis in integrum reddiderunt. Hoc etiam anno Wilielmus Modiusferri consul cum exercitu et cum Alexandrinis aggressus castrum Silvani, et obsedit illud, et cum gaudio et victoria Ianuam remeavit. In isto nam-
Aug. 15. que consulatu festo videlicet assumptionis beate Mariae, cum matutinum celebraretur, fuit maximus terre motus. Consules namque iustitiae decenter rexerunt officium consulatus, causas omnes et negotia universa, quae ante eos fuerunt, fine debito terminantes, et consulatus officium ac regimen successoribus suis consulibus in fine consulatus feliciter assignantes[a].

1183. Anno dominicae nativitatis 1183.[b] fuerunt in Ianuensi re publica consules 6, et 8 pro iustitiis, videlicet Hugolinus Mallonus, Ansaldus Bufferius, Rubeus de Volta, Anglerius de Mari, Wilielmus Auriae et Lanfrancus Piper; pro iustitiis vero fuerunt in quatuor compagnis versus castellum Oto Mallonus, Opizo Lecavelum, Ionathas Cavarruncus, Obertus Pedicula; in aliis autem compagnis versus burgum fuerunt Oto Pezullus, Vassallus Grillus, Rubaldus de Pinasca et Ansaldus Guaracus.

Hoc anno multa odia[c] atque dissensiones fuerunt in civitate, videlicet inter Fulconem de Castello et Ventos ex una parte, et Bulbunosum et illos de Curia ex altera; et inde bellum maximum fuit in Bisanne[80]. Prefati namque consules de iustitia omnia iuste et amicabiliter tractaverunt, et ius suum cuique sicut iuris ordo postulat providerunt, et cum honore maximo ad finem consulatus pervenerunt, et eorum successoribus acta publica et consulatus officium assignare.

1184. Anno 1184, indictione 1. fuerunt consules 6 pro comuni, et 8 pro iustitiis, 4 videlicet ex una parte civitatis et 4 ex parte burgi; videlicet in re publica fuerunt Wilielmus Tornellus, Nuvelonus, Rubaldus Porcellus, Amicus filius Amici Grilli, Grimaldus et Iacobus de Turca; pro iustitiis vero fuerunt ex parte versus castellum Wilielmus Mallonus, Albertonus Ricius, Rainaldus Strugnonus et Rubaldus de Curia; ex parte autem burgi fuerunt Obertus Lucensis, Viridis de Mastalo, Angelotus Vicecomes et Ansaldus Golias.

In isto namque consulatu illi de Portu Mauricio et comitatu rebelles fuerunt civitati; contra quos prefati consules exercitum dirigere destinaverant, et machinas plurimas et cetera bellica instrumenta fecerant preparari. Ceterum quia consulatus et maiores predictorum locorum Ianuam venerunt, et fusis precibus ad pedes consulum et nobilium civitatis venerunt, et prostrati[81] veniam postularunt, et offensis commissionibus satisfecerunt in ordinatione consulum et nobilium civitatis, pepercerunt eis, et remansit exercitus.

1185. Anno dominice nativitatis 1185, indictione 2. fuerunt in re publica consules 6, et quatuor ex parte civitatis pro iustitiis, et quatuor ex parte versus burgum; pro comuni fuerunt Nicola Embriacus, Ingo de Frexia, Wilielmus Ventus, Bisacinus, Symon Auriae et Lanfrancus Piper; pro iustitiis fuerunt Obertus Pedicula, Iohannes Boletum, Balduinus Scotus et Martinus Tornellus; ex parte vero quae est versus burgum fuerunt Otto Pezullus, Villanus de Insulis, Bonusvassallus Brunus et Tanclerius Alde.

a) *in margine m. saec. XIII exeuntis:* hoc etiam anno alexander III papa obiit, et lucius III est in pontificem . . . .
b) *indictio deest.* c) multe odie *corr.* odia 1.

76) Linguiliam. 77) Quibus eodem anno potestas proprios sibi consules eligendi permissa est. Libr. iur. I, p. 321. W. 78) Castrum in margine pingitur. 79) Ballista pingitur in margine. 80) Duo equites pugnantes in margine. 81) Hoc depictum est in margine.

Isti consules pacificaverunt omnes discordias quae erant in civitate, et fecerunt collectam, et solverunt medietatem totius debiti quod comune solvere tenebatur, pro quo marche et introitus comunis erant creditoribus comunis pignori obligate. Hoc anno civitas Ianue in pace maxima et tranquillitate permansit. Prefati namque iustitiae consules regimen et officium consulatus decenter et honeste tractarunt, ius suum secundum iuris tenorem cuique amicabiliter tribuentes, officium et regimen successoribus eorum in fine feliciter assignantes[a].

Anno dominice nativitatis 1186, indictione .3. fuerunt in Ianue re publica consules 6, 1186.
videlicet Hugolinus Mallonus, Raimundus de Frexia, Wilielmus Tornellus, Wilielmus Auriae, Amicus Grillus et Wilielmus Piper; pro iustitiis vero consules fuerunt ex parte quae est versus castellum, Rubaldus Mallonus, Maurinus Rodoani, Albertonus Ricius et Wilielmus filius quondam Ingonis Tornelli; et ex parte burgi fuerunt Enricus filius Wilielmi Auriae, Obertus de Nigro, Gisulfus de Campo et Angelotus Vicecomes.

Isti consules collectam fecerunt, et solverunt medietatem debitorum comunis Ianue de eo quod restabat ex debito marcarum creditoribus. Hoc anno Wilielmus Tornellus fuit missus in Sardineam pro comune Ianue et negotiis Sardineae collocandis; et Nicola Mallonus atque Lanfrancus Piper ad Ysachium Constantinopolitanum imperatorem legati destinati fuerunt. Civitas equidem nostra in isto consulatu in maxima tranquillitate et pace permansit, et omnia letum et gloriosum finem per omnia susceperunt. Consulatus quippe iustitiae omnia, quae sub eorum examine fuerunt, fine debito terminarunt, et in fine consulatus regimen et officium successoribus suis consulibus assignarunt.

Anno dominicae nativitatis 1187, indictione 4. fuerunt in re publica Ianue consules 6. et 1187.
pro iustitiis 8, quorum medietas ex parte illa quae est versus castellum, et alia medietas quae est versus burgum; pro comuni fuerunt Wilielmus Embriacus, Ansaldus Bufferius, Rubeus de Volta, Ido de Carmadino, Anglerius de Mari et Iacobus de Turca; pro iustitiis ex parte civitatis fuerunt Lanfrancus de Pallo, Oto Heliae, Fredentio Contardus et Wilielmus Galleta; ex parte vero burgi fuerunt Botarius filius Wilielmi Auriae, Wilielmus de Nigro, Lanfrancus de Mari et Bonusvassallus Brunus.

In isto consulatu dum civitas nostra in concordia maxima et tranquillitate maneret, caput extulit sathanas. Lanfrancus namque filius Iacobi de Turca, diabolico arreptus spiritu, interfecit memoratum Anglerium de Mari consulem comunis in civitate ante domum Bonatiae cum quibusdam latrunculis et servientibus 16. die Februarii. Pro supradicto namque homicidio odia innumera et seditiones in civitate Ianuae initium susceperunt. Sepulte igitur inimicicie et discordie habuerunt peccatis exigentibus resurrectionem. Nam predicti consules ad tantum facinus ulciscendum ad honorem patriae se viriliter accinxerunt. Congregatis itaque nobilibus civitatis et populo, armata manu ad capiendos illos qui tantum scelus perpetraverant accesserunt, et domos et turrim[82] ac bona eorum omnia radicitus destruxerunt, eosque de civitate penitus eiecerunt. Preterea nobiles viri Rubaldus Porcellus et Opizo Lecavelum peccatis existentibus mense Iulii in vigilia sancti Iacobi ad capitulum interfecti fuerunt: unde rumor et tumultus maximus atque seditio fuit in civitate. Hoc equidem anno mense Iunii inter festum sancti Iohannis baptistae et apostolorum Petri et Pauli Salaadinus rex Egypti manu valida et infinita Turcorum et Sarracenorum multitudine terram Suriae fuit aggressus, et peccatis exigentibus, campestri prelio Templarios et christianos vicit atque fugavit, Hierosolimam, Acon, et omnes partes illas cepit, excepta civitate Tyri, veram quoque crucem proh dolor[b], et regem Guidonem, qui eo tempore regnabat, captivum duxit in Damascum cum Wilielmo sene marchione Montis ferrati[c], aliisque plurimis militibus et baronibus. Contigit namque, quod vir egregius domnus Conradus marchio Montis ferrati cum esset Constantinopolim, divina inspiratione navem quandam[83] cum Ianuensibus ascendit, et ad partes Tyri feliciter accedens, in civitate Tyri, quae a captione Sarracenorum evaserat, se recepit; et cum quibusdam Ianuensibus opposuit se, et per totam hiemem illam civitatem ipsam defendendo et contra Turcos viriliter bellando, eam tenuit, et plurima bella vicit, et in Dei virtute obtinuit.

a) *in margine manu saec. XIII exeuntis:* hoc etiam anno lucius papa moritur, cui in papatu successit urbanus III ann. II.
b) deportavit *addit ed.* c) Montis ferrati — Montis ferrati *desunt* 2.

82) Turris Angelerii de Mari destructa pingitur in margine. 83) pingitur in margine.

1187. Insuper autem prefatus marchio ad imperatorem Alemanniae et Phylippum regem Francorum, ad Ricardum regem Angliae, ad Wilielmum regem Siciliae, et universis fere baronibus et sublimibus personis, et ad civitatem Ianue, et Pisas litteras suas et nuntios destinavit, ut pro servicio Dei et eius succursu viriliter accingerent.

Hoc quidem anno Pisani pretermisso iuramento pacis cum exercitu Sardineam ascenderunt, et mercatores Ianue omnes, quoscumque invenerunt, bonis suis expoliarunt, et de grotis[84] et toto iudicatu Kalaris eiecerunt. Unde guerra inter Ianuenses et Pisanos incepta fuit. Ianuenses profecto exercitum maximum super Pisanos et stolium prepararunt; et cum essent apud Portum Veneris in manu valida et extento brachio parati et accincti aggrediendi Pisanos et eundi ad portum Pisanum: ecce littere regis Enrici filii imperatoris Frederici, quas impetraverunt Pisani, fuerunt consuli Ianue et exercitui presentate, quibus continebatur, quod rex ipse rogabat eos, ut eius obtentu et amore a Pisanorum offensione desisterent. Qui admissis regis precibus destiterunt, et exercitus universus ad lares proprios feliciter et ingenti gaudio remeavit Verum nobilem virum et probitissimum Fulconem de Castello cum galeis 10 super Pisanos miserunt, qui Pisanos valde persecutus fuit, et castrum Bonifacii quod Pisani construxerant viriliter fuit aggressus, et vi in ore gladii castellum illud cepit et funditus destruxit. Prefati namque consules iniurias et commissa scelera vindicarunt, et ingenti conamine et angustiis eximiis civitatem rexerunt et viriliter gubernarunt. Consules quoque iustitiae regimen et officium consulatus decenter et honeste tractarunt, ius suum secundum iuris tenorem cuique amicabiliter tribuentes, officium et regimen successoribus eorum in fine feliciter assignantes[a].

1188. Anno dominicae nativitatis 1188, indictione 5. fuerunt in re publica Ianuensi consules 8 pro comuni, et 8 pro iustitiis: pro comuni namque fuerunt Fulco de Castello, Nichola Embriacus, Ingo de Frexia, Ogerius Ventus, Symon Auriae, Obertus Spinula, Balduinus Guercius et Spesapreda; pro iustitiis vero fuerunt Petrus Capra, Ugo Mallonus, Ingo filius quondam Cassitii de Volta in quatuor compagnis versus castellum; in aliis vero quatuor compagnis burgi consules fuerunt Oionus de Insulis, Wilielmus Lercarius, Rubaldus de Pinasca et Tanclerius Aude.

Hoc anno seditiones multe, discordie innumere et prelia fuerunt in civitate. Unde contigit quod vir nobilis Ingo predictus filius quondam Cassitii dum transiret a domo filiorum Malfantis, casu lapide percussus capite obiit. In isto namque consulatu ex imminenti guerra et discordia, quae erat inter Ianuenses et Pisanos, pax facta fuit mediante domno apostolico Clemente, in quo compromiserunt. Predicti igitur consules miserunt in legatum Nicolam filium quondam Philippi de Lamberto ad regem Maiorice, cum quo ad honorem Ianuensium urbis pacem usque ad annos 20 firmavit, sicut in instrumentis Latinis et Sarracenicis litteris inde confectis redactum est et conscriptum.

Obiit domnus Hugo secundus.

Hoc denique anno domnus Hugo secundus archiepiscopus, qui per multa tempora feliciter et gloriose vixit in Ianuensi archiepiscopatu, ...[b] die Iunii circa vesperas ultimum nature debitum solvit, et de terris ad coelum, de imis vocante Domino ad superna gaudia transmeavit, et beato Syro aliisque contuberniis meruit feliciter sociari. Sequenti vero die, corpore ipsius iuxta altare beati Nicholai episcopali more cum hymnis et canticis sollempniter tumulato, clerus et consules cum nobilibus de senatu et officiariis civitatis convenerunt in unum, et de constituendo antistite fideliter et humiliter tractaverunt, et electionem ipsam uno spiritu, unanimi devotione infrascriptis venerabilibus viris secundum statuta[c] canonum, decreta principum religiosissime commiserunt; abbati videlicet Sancti Syri, abbati Sancti Stephani, abbati Sancti Benigni, donno Ottoni preposito Sancte Mariae de Vineis, Wilielmo Sancti Donati preposito, presbitero Oliverio Sancte Marie de Castello, presbitero Wilielmo Sancti Damiani, presbitero Wilielmo Sancti Georgii, presbitero Iohanni Sancti Petri de Porta, canonicis quoque Sancti Laurentii, magistro Anselmo, presbitero Augustino, Rustico diacono, qui omnes de ipsa electione legitime facienda in hunc modum iuraverunt: † *Ego cum sociis meis ad hoc assignatis absque fraude et dolo nichilum obstante vel suadente amore vel odio timore aut servitio ullo, eligam in archiepiscopum civitatis huius illam personam, quam moribus et scientia ad hoc convenientiorem et honestiorem, utiliorem cognoscam, vel sine fraude credam;*

a) *in margine manu saec. XIII exeuntis:* hoc anno urbanus papa decessit . . . . Gregorius VIII, menses II, quo mortuo Clemens III successit ann. III. b) *lacuna* 1. 2. XII *ed.* c) statum *corr. postea* statuta 1.

84) rupibus, roccis, munitionibus, castris.

*ita tamen si nostre huiusmodi electioni publice annuerit.* Quo iuramento prestito, convenerunt nominati electores in palatio Ianuensis archiepiscopi, et canonicos ecclesiae beati Laurentii primo inspicientes, presente A.[85] sancte Romane ecclesiae presbitero cardinali, qui postea fuit episcopus Veronae[86], unanimiter domnum Bonifacium, tunc temporis archidiaconum, in Ianuensem archiepiscopum elegerunt[87]; qui eadem die a clero et populo, ipso renitente et reluctante, in pontificali sede fuit feliciter collocatus; et campanis undique pulsantibus clerus universus *Te Deum laudamus* feliciter decantavit. 1188.

Preterea universis tam futuris quam presentibus innotescat, quod prenominatus domnus archiepiscopus Bonifatius cum preposito Sancti Laurentii, abbatibus religiosis, clericis, consulibus, presente quoque domno Petro tituli Sancte Cecilie presbitero cardinali, fodiit sub altare beati Laurentii, ubi sarchophagum tuveum[88] invenit marmoreum, quod publice, intuentibus omnibus qui presentes aderant, aperiri fecit. In quo quidem beatissimi confessoris Syri reliquias, qui olim fuit episcopus[a] Ianuensis et Emilianae mulieris religiosae filius, invenit, cum quibus reliquiis inventus fuit episcopalis anulus et pars virge pastoralis, cum quibus fuit predictum corpus beatissimum tumulatum. In predicto namque sarcophago epytaphia duo inventa sunt, unum plumbeum et aliud marmoreum. In marmoreo quidem epytaphio continetur ita:

HIC RECUBAT SYLUS SACRO BAPTISMATE DICTUS,
CUIUS TERRA LEVIS FLORIDA MEMBRA PREMIT.

In plumbeo etiam epytafio pariter continetur et etiam plus. Prefate namque beati Syri reliquie hoc modo olim ad aecclesiam beati Laurentii pervenerunt. Contigit namque, quod cum beatum corpus apud aecclesiam sancti Syli in Domino requiesceret, quod tempore quo Landulfus vir venerabilis Ianue cathedram regebat, ad ecclesiam beati Laurentii fuit inde translatum: et sunt modo circiter anni 200 secundum quod sapientum dictis et cronicorum commentis continetur[89]. Predictus denique archiepiscopus iam dictas reliquias in marmorea capsa, quae sita est super altare sancti Laurentii, cum canticis et hymnis, presente iam dicto Petro cardinali et clero et populo Ianuensi, sollempniter collocavit atque recondidit. Circa quidem archam tuveam supradictam inventa fuerunt ossa et reliquie beatissimorum confessorum Felicis et Romuli Ianuensium episcoporum. In isto namque consulatu prememoratus donnus Petrus cardinalis et apostolice sedis legatus inter Lanfrancum de[b] Turca et partem suam, et Bulbunosum et partem suam pacem fecit. Supradicti consules et comunitas Ianue hoc anno Rubeum de Volta ad regem Angliae legatum miserunt causa tractandi cum rege ipso de succursu prestando terre Suriae, a quo honorifice fuit tractatus. Consules vero iustitiae supradicti civium et civitatis negotia honeste et benigne tractaverunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes[c].

Anno 1189, indictione 7. fuerunt consules 8 pro comuni in re publica, et pro iusticiis 8. 1189.
Pro comuni fuerunt Wilielmus Embriacus, Rodoanus de Mauro, Wilielmus Ventus, Nicholaus de Mari, Otto de Nigro, Bisacinus, Guido Spinula et Picamilium; pro iustitiis vero ex parte civitatis fuerunt Symon Bufferius, Ogerius de Pallo, Obertus Pedicula qui obiit in consulatu, et Baldicio Cutis; ex alia vero parte burgi fuerunt consules Villanus de Insulis, Obertus Lucensis, Adalardus de Burgo et Obertus de Nigro. Isti consules habuerunt octo clavigeros.

In isto consulatu multe guerre et seditiones fuerunt in civitate, et multa odia regnaverunt. Secundo siquidem die Madii bellum maximum fuit in mercato Sancti Georgii inter Wilielmum Ventum et consanguineos, et illos de Volta, et die pentecostes prope Sanctum Laurentium et prope Sanctam Mariam de Vineis.

Comes de Zaalono[90] hoc anno venit Ianuam, et inde transfretavit ad succursum terrae Suriae. Dux namque Burgundiae venit Ianuam. Prefati quippe consules pro sucursu terrae Suriae miserunt legatos ad Phylippum regem Francorum, et Ricardum regem Angliae, et aliis baronibus et principibus de ultramontibus, videlicet Ansaldum Bufferium et Enricum Deitesalve: quos instinctu diabolico ceperunt, et ad redemptionem coegerunt Donexella uxor quondam Alberti marchionis de Incisa, et filius eius; contra quos exercitum paravit

a) archi *deletum.* b) de Turca *postea deleta* 1. *desunt* 2. c) *quae sequuntur alio atramento addita sunt.*

85) Adalhardo. 86) Riprandi d. 23. Iunii 1188 defuncti successor. 87) In margine pictura: archiepiscopus in kathedra sedens, adstantibus duobus electoribus. 88) lapide tufo, *Tuffstein*, confectum. 89) Landulphus a. 1015 synodo Romanae subscripsit. 90) Chalons?

1189. civitas Ianue cum Astensibus et Alexandrinis: qui tandem coacti reddiderunt legatos. Qui etiam legati perrexerunt ad supradictos reges et principes, qui primo Ianuam legatos suos et litteras destinaverant, et sollicitantes eos de servitio Dei et succursu terre Suriae, sic perfecerunt, quod ipsi duo reges, qui salutifere crucis signum levaverant, de predicto succursu concordes fuerunt; hoc modo videlicet, quod rex Franciae Ianuam venire et inde transfretare proposuit, et rex Angliae de Marsilia transfretare proposuit, et transfretavit. Prenominate quidem et alie civiles imminentes discordie sedate satis et ad pacem revocate fuerunt.

Hoc siquidem anno multe naves cum militibus et peregrinis de portu Ianue exierunt. Transfretavit namque hoc anno Guido Spinula consul communis, quem alii socii et comunitas Ianue ad succursum et servitium Dei et obsidionem Acconitane civitatis miserunt, quam impugnabant et obsidebant christiani. Transfretaverunt etiam Nichola Embriacus et Fulco de Castello, Symon Auriae, Balduinus Guercius, Spezapreda, Rubeus de Volta, et multi alii nobiles milites et pedites civitatis Ianuae. Qui in castris et obsidione predicte civitatis viriliter steterunt, et castella lignea et machina et alia bellica instrumenta ibi erexerunt.

Fredericus imperator hoc anno mense Aprilis terrestre iter arripiens, cum infinita multitudine militum ad predictum properavit occursum. Qui per mediam transiens Romaniam, brachium sancti Georgii transfretavit, et fines Turcorum intravit, et per terram regis Yconiae et per alias adiacentes fines post multa pericula et bellorum eventus intravit Suriam. At cum esset in partibus Antiochiae, et transiret fluvium Ferri, casu cecidit inter aquas[91], ubi sicut divinae placuit voluntati, obiit. Multi quidem ex suis militibus fame penuria et morbo percussi, mortui fuerunt. Supradicti namque consules iustitiae, tamquam viri boni et honesti, omnia quae arbitrio eorum commissa fuerunt, fine debito terminarunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1190. Anno quidem dominicae nativitatis 1190, indictione 7. fuerunt 6 consules in re publica Ianuensi, et 8 pro iustitiis. Pro re siquidem publica fuerunt Raimundus de Frexia Morinus filius Rodoani et Symon Ventus, Ido de Carmadino, Lanfrancus Piper et Enricus Picamilium; pro iustitiis consules fuerunt ex parte civitatis Otto de Castello, Bonifacius quondam Ogerii de Guidone filius, Hugo Albericus et Ialnus filius Phylippi de Iusta; ex parte vero burgi fuerunt Ansaldus Golia, Berruminus de Campo, Petrus de Marino et Rainaldus Archantus.

Presenti quidem anno nova et inaudita per emendatores constituta fuerunt, unde[a] nimirum novi et inauditi casus evenerunt in civitate, sicut scire volentes presentis pagine poterunt insinuatione doceri. Fuit enim per emendatores constitutum, ut consules iustitiae, qui vetusta et antiqua consuetudine solent in palatiis domni archiepiscopi pro tribunali sedere, et querelantium voces sollempniter audire, ac cuique in sua iustitia legitime providere, predictam vetustam et sollempnem sedem relinquerent; et per tres menses, res mira, apud Sanctam Mariam de Castello placita tenerent, et per alios tres menses apud Sanctum Georgium, et per alios tres apud Sanctum Donatum, et per alios tres in palatiis supradictis; et ut consules ex parte burgi per tres menses placita tenerent apud Sanctum Syrum, et per alios tres apud Sanctam Mariam de Vineis, et per alios tres apud Sanctum Petrum de Porta, et per alios tres in palaciis supradictis.

Presenti quidem anno Phylippus rex Francorum[92] primo die Augusti intravit Ianuam cum duce Burgundiae et comite de Nivel et aliis plurimis principibus et baronibus, et Aug. 24. moratus est in Ianua usque ad diem illam, qua celebratur festum sancti Bartholomei[b] apostoli. Ipsa die cum praedictis baronibus intravit mare, et vellificante nave ivit in Suriam, in occursu[c] illorum qui Acconitanam obsidebant civitatem. Eodem quoque anno Ricardus rex Angliae[93] de Marsilia veniens cum galeis 15 intravit Ianuam terciodecimo die Augusti, et cum predicto rege Philippo colloquio celebrato, ipsa die recessit et applicuit in portu Dulfino, ubi per aliquot dies imminente tempestate moram fecit; prosperis vero ventis

a) unum 1. b) Stephani *ed. Stephanus rex Ungariae d.* 15. *Aug. obiit; olim d.* 20. *Aug. celebrabatur.* c) occursum *deleto* m. 1

91) In margine pictura Friderici in transitu fluminis de equo cadentis. 92) Pingitur eques in margine. 93) Pingitur eques in margine.

flantibus iter tenuit, et ad predictum occursum obsidionis viriliter festinavit. Ipso quoque 1190. tempore multe naves honuste peregrinis et militibus pro supradicto succursu faciendo iverunt de portu Ianue ultra mare, quibus iverunt Symon Ventus et Morinus consules comunis[94]. 94

Ut autem nova et inaudita quae modernis temporibus evenerunt, posteris innotescant, ad memoriam inde in posterum conservandam infra scripta presenti volumine intitulavi et in scriptis redegi. Noverint ergo tam futuri in posterum quam moderni, quod ob multorum invidiam, qui consulatus comunis officium ultra modum cupiebant habere, nonnulle civiles discordie et odiose conspirationes et divisiones in civitate plurimum inoleverant. Unde contigit, quod sapientes consiliarii civitatis convenerunt in unum, et de communi consilio statuerunt, ut consulatus comunis in futuro anno cessaret, et de habenda potestate fuerunt omnes fere concordes. Ad quod quidem officium fuit domnus Manegoldus de Tetocio Brissiensis electus et feliciter constitutus. At cum ipse esset in civitate, et consules communis assignassent ei ac concessissent potestatem vindictarum exercendarum, et essent consulari more circa finem consulatus secreto pro inquirendis et cognoscendis ratiociniis consulatus et communis in domo Ogerii Panis scribae communis: ecce Fulchinus et Wilielmus Balbus filii Fulconis de Castello, et Fulchinus filius quondam Anselmi de Castello immensum facinus perpetrarunt; interfecerunt enim ibi prodicionaliter absque ulla causa proh dolor Lanfrancum Piper, virum utique nobilem consularem et eggregium. Propter quod civiles discordie et seditiones resurrectionem habuerunt et recidivam. Sequenti namque die vir ille egregius Manegoldus Ianuensis potestas, dolore nimio ac rubore perfusus, parlamentum maximum celebravit; et indutus lorica et militaribus ornamentis equum ascendit, et ivit ad quandam domum utique preciosissimam quam Fulco de Castello habebat in castro, eamque pro vindicta maleficii supradicti penitus dirruit atque destruxit; personas vero predictorum homicidarum habere non potuit, quoniam absentaverunt se et clam Placentiam recesserunt. Consules namque iustitiae supradicti, civium et civitatis negotia honeste et benigne tractaverunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes[95].

In anno quidem dominicae nativitatis 1191, indictione 8. cessavit consulatus communis; 1191. et fuit domnus Manegoldus de Brixia potestas et rector civitatis feliciter constitutus; et fuerunt eodem anno 8 consules pro iustitiis, videlicet Bellusbrunus de Castello, Ogerius de Pallo, Wilielmus Ingonis Tornelli et Wilielmus Zerbinus ex parte civitatis; et Rolandus de Carmadino, Otto Guaraccus, Angelotus Vicecomes et Fulco Spezapreda in aliis quatuor compagnis ex parte burgi.

Predictus domnus Manegoldus misit Angelotum Vicecomitem legatum ad regem Maioricae et Streiaporcum in Sardineam. Liqueat profecto tam futuris in posterum quam modernis, quod Enricus rex filius quondam Frederici imperatoris, quem postea Celestinus papa III. coronavit in imperatorem, nuntios suos et litteras ad predictum domnum Manegoldum potestatem et communi Ianuae misit, rogando ut Ianuae[a] commune ad acquirendum et obtinendum regnum Siciliae auxilium[b] ei conferret, et stolum et expeditionem ei pararet: pro quibus quidem multa et maxima promisit per predictos legatos, videlicet per Otonem archiepiscopum Ravennae et Arnaldum Strictum de Placentia. Pro quibus etiam stabiliendis et perficiendis direxit potestas et commune Ianuae legatos ad ipsum imperatorem, qui erat ad obsidionem Neapolis magnifice castra metatus, videlicet Ugolinum Mallonum et Idonem Picium; quibus ipse imperator multa maximaque promisit et iuravit, et privilegio suo aurea bulla bullato munivit. Confirmavit enim veteres consuetudines et privilegia, et marchiam et comitatum, podium Monachi, castrum Gavi, Syracusanam civitatem[96] cum omnibus 96 suis pertinentiis, et 250 caballariis terrae in valle Noth[97], et alia plurima quae in eodem privilegio continentur[98], quae quidem postea male et inhoneste contra honorem suum et

a) Ianuam 1. b) *deest* 1.

94) Multas promissiones cruciferorum principes Ianuam transeuntes Philippus rex Franciae, Richardus rex Angliae, Hugo Burgundiae dux, alii civibus fecerunt, quarum nonnullas revolvas in Libro iur. I, 354 sq. W. 95) Hic pictura potestatis equo sedentis armati, domum arcubus superstructam demoliendam iubentis. Deinde fol. 110. pictura Manegoldi potestatis sceptrum tenentis, in medio octo consulum iustitiae stantis. Manu multo posteriore ad latus scriptum est: *Iste potestas ivit in S*(iciliam). 96) Hic in margine civitas picta est. 97) Val di Noto. 98) Auctor profecto pretiosissimum Heinrici VI. privilegium d. ante Neapolim d. 3.

1191. fidem promissam observavit; immo quod deterius est, eis fecit omnino fere contrarium, sicut inferius[99] presenti cronicorum volumine scire volentibus in posterum declarabitur. Predictis namque suppletis et predictis legatis Ianuam reversis, civitas Ianuae pro servitio iam dicti imperatoris stolium et exercitum praeparavit; et antequam haberent castellum Gavi, quod quidem hoc tempore habuerunt, fuit enim ipsius possessio et dominium supra dicto Manegoldo pro communi Ianuae assignata et tradita, universus exercitus die assumptionis beatae Mariae de portu Ianuae exivit; et fuerunt 33 galeae, quibus fuerunt Bellusbrunus et Rolandus de Carmadino consules, maiores et guida constituti. Quae siquidem galeae fuerunt usque ad fluvium castelli de Mare, qui est prope Montem Dra-
1 conem[1], ubi Margaritus ammiratus regis Tanclerii, qui per multos dies tenebat Siciliam, et exercitum Pisanorum obsessum tenuerat. At cum ibi pervenissent prefate galeae Ianuensium, non invento exercitu Pisanorum qui nocte fugerat, didicerunt ibi, quod ipse imperator confectus morbo ab obsidione recesserat, et inde Capuam semivivus fuerat deportatus. Quo cognito, Ianuenses qui erant in exercitu dolentes ad mortem, pervenerunt cum omni exercitu ad insulam Yscle[2]; et veniente nocte vellificantes. tenuerunt ad insulas Pontiae et Palmariae[3]. Mane vero facto Bellusbrunus cum galea sua expectavit exercitum, et invenit se cum viginti tribus galeis. Alius enim consul Rolandus tenuerat mare cum aliis galeis.
4 Cum autem appropinquaret Monti Cercelii[4], ecce Margaritus cum stolo regis Tanclerii, videlicet cum galeis 72 et duabus sagitteis et duabus scurzatis apparuit, et praedictis 22 galeis dedit insultum. Quibus visis galeae nostrae erexerunt vexilla, et ceperunt arma, volentes aggredi exercitum regis Tanclerii. Tandem contigit, quod Margaritus cum stolio regis dedit terga, et tenuerunt versus insulam Yscle; et exercitus Ianuae tenuit versus Romam, et applicuit apud Civitatem Vetulam; et inde ad imperatorem, qui egrotabat apud Sanctum Germanum, suos nuntios direxerunt, denuntiando illi ut preciperet quid esset faciendum. Qui[5] per Arnaldum Strictum nuntium suum et litteris suis exercitui repatriandi licentiam dedit, dicens quod ipsemet in propria persona veniret Ianuam, de renovando et faciendo iterum exercitum ad obtinendum regnum Siciliae tractaturus; conquerendo etiam plurimum, quod rex Tanclerius abstulerat ei uxorem, quam fecerat de Salerno in Siciliam transportari. Prefatus namque exercitus Ianuam reversus est. Veniente itaque hieme predictus imperator circa festum sancti Martini venit in Ianua; et celebrata contione et consilio de exercitu renovando, multa promisit civitati Ianue et comuni, quae quidem male observata et completa fuerunt; quibus peractis recessit imperator et ivit in Alamaniam.

Contigit igitur, quod quedam Nerbonensis galea ibat per fines Ianuae capiendo ligna; ad quam persequendam ivit Wilielmus Ingonis Tornelli cum galea una, cum qua eam invenit et cepit in portu Vadi. Hoc etiam anno Wilielmus Zerbinus fuit destinatus pro commune Ianue cum Oberto de Nigro legatos ad regem Murrochi Elmiremumulinum, cum quo pactum et concordiam inierunt. Multas quidem expensas et honera subiit civitas Ianuae pro exercitu et servitiis imperatoris. Castrum quoque Montisacuti, super quem interfectores Lanfranci Piperis quondam consulis ad contumeliam civitatis construxerant, funditus destruxit[a]. Prenominatus etiam vir domnus Manegoldus bene et egregie rexit et gubernavit civitatem Ianuae; et consules etiam supradicti civitatis et civium negotia decenter tractaverunt, cuique quod suum fuit amicabiliter assignantes.

1192. Anno dominicae nativitatis 1192, indictione 9. fuerunt electi et constituti sex consules pro comuni, et 8 pro placitis. Pro comuni quoque fuerunt consules Wilielmus Buronus, Ogerius Ventus, Nuvelonus, Ido Picius, Obertus Ususmaris et Bisacia; pro placitis fuerunt Rainaldus de Castello, Corsus de Palazolo, Angelotus de Cafara, Martinus Tornellus in quatuor compagnis civitatis; in aliis vero compagnis burgi consules fuerunt Rubaldus filius Alberti Lercarii, Tanclius Aude, Rubaldus Guaracius et Anselmus Carmainus. Hoc anno

a) domnus Manegoldus p. c. v. d. M. I.

Kal. Iun. a. 1191 respicit, Libr. iur. I, 370. Sed eodem die etiam Ianuensium legati supra nominati iuraverunt, civitatem suam imperatori ad Siciliam expugnandam (ibid. 373) et ad Sarracenos in partibus Sardiniae debellandos (ibid. 374) fideliter opem laturam. Alterum Heinrici VI. privilegium de podio Monaci Ianuensibus indultum, quod supra commemoratur, videas ibid. p. 378. W. 99) anno 1194. 1) Mondragone inter Neapolim et Gaietam ad mare. 2) Ischia. 3) Ponza et Palmarola. 4) Monte Circello. 5) Imperatoris in throno sedentis imago picta est in margine.

ivit Wilielmus Buronus in Sardinea cum Symone Vento et Idone de Carmadino pro collo- 1192.
candis et stabiliendis negotiis Sardineae[6]. Prefati consules armaverunt 9 galeas pro fugandis galeis cursalium de Provincia, qui capiebant ligna per mare. Hoc anno etiam multe guerre et seditiones fuerunt in civitate, et undique sturmi et prelia multa. In mense quidem Augusti fuit sturmus et prelium maximum in Bisamne inter illos de Volta et eorum partem. Supradicti namque consules iustitiae tamquam viri boni et honesti omnia fine debito terminarunt, cuique ius suum amicabiliter tribuentes.

Anno dominicae nativitatis 1193, indictione 9. fuerunt constituti 8 consules pro comuni, 1193.
et 8 pro placitis. Pro comuni vero Ugo Embriacus, Ugolinus Mallonus, Symon Ventus, Wilielmus Tornellus, Wilielmus Guercius, Ido de Carmadino, Wilielmus Malocellus et Enricus de Nigro. Pro placitis vero fuerunt Wilielmus Mallonus, Ugo Mallonus, Ingo de Galliana, Ido Stanconus in quattuor compagnis; in aliis vero 4 de burgo Wilielmus Buca, Ogerius Mazanellus, Oliverius Guaracus, et Wilielmus Picamilium.

Sicut validissimus ignis inter copiosissimam[a] lignorum congeriem ventorum flamine copiosissime augmentatur, ita et odia, seditiones, prelia et mala omnia creverunt presenti anno in urbe. Cecidit enim, fronduit, floruit et fructificavit semen sathane in civitate. Nobilissimus enim et egregius vir Ingo de Frexia pro dolor quadam die summo mane mense Ingonis de Frexia.
Augusti fuit a quibusdam latrunculis interfectus in Clavica de Mari, pro qua itur ad plateam longam. Hoc quidem anno dormitaverunt et dormierunt potestates[b] et consules; vigilaverunt fures, latrones, parricide. Quid plura? Omnes pessimi, omnes et interfectores ac latrones habuerunt dominium civitatis. Dimiserunt denique consules officium consulatus et capitulum. Consules vero iustitiae et quisque ad domum propriam recessit, tamquam viri boni et honesti, actus et negotia consulatus decenter tractaverunt, omnia fine debito terminantes. Contigit namque, quod illi de Volta et de parte eorum clam noctu intraverunt turrem novam Bulbunosi, quae est in carrubio sancti Syri, unde rumor maximus et prelium fuit in civitate. Tandem vi recuperaverunt eam illi de Curia. Machina quidem traxerunt hinc inde.

Anno dominicae nativitatis 1194, indictione 11. consules electi[c] fuerunt pro communi 1194.
Wilielmus filius Nichole Embriaci, Wilielmus Buronus, Thomas Ventus, Wilielmus Auriae, Rubaldus Lercarius, Amicus Grillus; pro placitis vero in quatuor compagnis civitatis Amicus Mallonus, Symon Bacemus, Corsus de Palazolo et Ogerius Scotus; ex parte vero burgi fuerunt Wilielmus Roza, Nichola Embroni, Fulco Spezapreda et . . . . . . . .

Consueta pestis mortifera et seditio non solum non cessavit, verum etiam magis ac magis crevit et suscepit augmentum. Illi namque de Volta et de parte eorum inauditum composuerunt instrumentum, vehementissimum quidem in turri Oberti de Grimaldo et in nova turri Oberti Spinule ligneum instruxerunt bulzonem[7], cum quo vi, cunctis viden- 7
tibus, turrim novam Bulbunosi, que est in directo carrubio sancti Syri, perforando, in maximam partem destruxerunt et corrui fecerunt. Unde contigit, quod illi de Curia paraverunt et instruxerunt machinam unam in orto sancti Syri, cum qua multos traxerunt lapides ad domus et turres Spinulorum et Oberti de Grimaldo, et alia erexerunt machina. Et illi pariter ex altera parte machina plurima erexerunt, et traxerunt multos lapides ad domos et turres illorum de Curia. Cum autem omnia hinc inde parata essent ad malum, et universus populus factus esset inobediens consulatui, quia illi de Curia fecerant sibi consules Iohannem Advocatum, Rubaldum de Curia et Enricum filium Embroni; tandem videntes consules sese nichil in aliquo profecturos, ad instantiam Marcualdi senescalchi imperatoris, ne forte hac occasione prepediretur exercitus et promissio quae facta fuerat imperatori de negotio regni Siciliae, officio consulatus sponte abrenuntiarunt, et illud penitus dimiserunt. Et celebrato consilio et publica concione, elegerunt in potestatem et consulem Ianue Obertum de Olevano Papiensem[8], virum utique nobilem ac strenuum, ut ab ea die usque purificationem sanctae Mariae et ab inde usque ad annum unum esset Ianuensium consul et potestas. Qui turres discordantium in suam potestatem accepit, et de stolio et expeditione

a) copiosissimum 1. b) potetestates 1. c) electus 1.

6) Qui legati cum iudicibus regibusve Sardiniae nonnulla pacta inierunt d. 20. m. Febr. a. 1192. Libr. iur. I, 389—397. W. 7) Ex pictura in margine apparet esse trabem muro perforando idoneam; Italis *bolzone*. 8) Textui imago eius picta inseritur.

1194. imperatoris magnifice paravit se, atque processit. Et cum exercitus vehementissime pararetur, imperator Enricus mense Iunii venit in Ianua, monendo et rogando plurimum nobiles viros et populum Ianuae, ut de exercitu et expeditione sese viriliter accingerent: *Ut per vos*[a] *post Deum regnum Siciliae acquisiero, meus erit honor, set proficuum erit vestrum. Ego enim in eo cum Theuthonicis meis manere non debeo; set vos et posteri vestri in eo manebitis*[b]. *Erit utique regnum illud non meum set vestrum.* Et fingens illud totum fere Ianuensibus donare, alliciebat omnes, et ex civitatibus opidibus et casalibus largas et plenas vento, hominibus Ianue porrigebat manus; et ex preditis et aliis innumeris opibus eis vana et inefficatia privilegia fieri et sigillo suo bullari fecit[9].

Porro Ianuenses promissionibus ipsius imperatoris et mentibus maxime confidentes, de stolio et expeditione ad acquirendum ei regnum Siciliae sese magnifice accinxerunt sic, quod usque medium Augusti cum uxeriis et galeis, armis et equitibus, et ceteris quae ad exercitum pertinent, de portu Ianuae copiosissime exierunt. In quo stolio Pisani pro servitio imperatoris cum 12 galeis et uxeriis fuerunt. Ivit namque in praedicto exercitu Ianuae dominus et capitaneus Ubertus de Olevano cum supradictis, et constituit vicarium suum in officio potestatiae Dracum de Gambolato, qui permansit in eodem officio usque festum purificationis sanctae Mariae. Et vellificantibus terra tenus iter suum fecerunt, et apud Gaietam applicuerunt. Et volentes civitatem ipsam invadere manu forti, tandem reddidit se civitas ipsa Marcualdo senescalco imperatoris, et Bonifacio marchioni Montisferrati, et Uberto de Olevano Ianuae potestati, qui in predicto magnifico stolio eminebant et principabantur. Et recedentibus inde cum exercitu, dimiserunt ibi Bertramum Sallimbene iudicem potestatis, et Otonem Bonum scribam communis Ianuae, pro recipiendis iuramentis et fidelitatibus ab episcopo consulibus et populo universo predictae civitatis Gagetae. Et applicuit praedictus
Aug. 23. exercitus apud civitatem Neapolim in vigilia sancti Bartholomei apostoli. Quae siquidem civitas una cum comite Alienno reddidit se, et cum predictis principibus exercitus pactum inivit, et
10 iuramentum et fidelitates ipso[c] imperatori fecerunt. Insulae quoque Ysclae et Capri et Gironi[10] et Proceae[11] reddiderunt se et civitates eorum. Et amoto inde exercitu vellificaverunt, et prosperis ventis flantibus pervenerunt ad Farium, et applicuerunt Messanam primo die Septembris. Et cum pervenissent ad civitatem, diabolico instinctu accidit, quod inter Ianuenses et Pisanos fuit prelium durissimum inchoatum. Incepto autem et diu manente certamine, multi quidem ex Pisanis ipsa die ante faciem gladii corruerunt et vulnerati fuerunt ad mortem, et Ianuenses qui cum eis certaverunt in mari, 13 ex eorum galeis ceperunt et eas illis abstulerunt. Attamen Pisani fundicum[12] sancti Iohannis, in quo parva erat acies Ianuensium bellatorum, vi ceperunt; et quosdam ex Ianuensibus qui in eo erant retinuerunt, et maximam inde peccuniam portaverunt. Domos quoque, in quibus invenerunt Ianuenses, ceperunt, et peccuniam inde portarunt, sic quod quamvis minus[c] luculenta[d], melior tamen eis pars arrisit honoris atque victoriae; sic quod etiam Iohannem Advocatum cum aliis nobilibus, qui strenuissime ipsa die pugnaverant pro re publica Ianuensi, retinuerunt; et per aliquot dies in palatio quod fuit Margariti, ad dedecorem et contumeliam aliorum eos tenuerunt captivos. Sequenti namque die maxima pars strenuissimorum, nobilium quoque ac populi Ianuensis, per mare et per terram causa comburendi naves cursalium Pisanorum, et aggrediendi eos ad tam immensum dedecus gladio vindicandum, et iam dictos nobiles, qui detinebantur, captivos recuperandos, sese viriliter accinxerunt. Et[e] insuper insurgentes
13 Ianuenses super Pisanos, tredecim de galeis ipsorum ceperunt et retinuerunt[13], et maxima pars Pisanorum in galeis ipsis existencium ipsa die in facie gladii mortui fuerunt, et in Fario Mesine, ubi nulla est redemptio, cum loricis et armis submersi.

Ad haec igitur predictus senescalcus per aliquot dies studuit inter Pisanos et Ianuenses treguas componere, et restitutis predictis captivis pro velle Pisanorum, fecit iurare hinc inde Pisanos et Ianuenses ablata in integrum restituere; et iuramentis utrinque prestitis, restituerunt Ianuenses Pisanis mille marchas argenti et corpora galearum eorum. Pisani vero, qui non inmerito parvipendebant[f] Ianuenses, haec reddiderunt, videlicet clippeum

a) eos 1. 2. b) manebit 1. c) *ita* 1. c*) *ita emendavi.* q. etiam quamvis l. 1. 2. d) *ita* 1. 2. caro emta *ed. Linea inde ab* etiam *usque* victoriae *in loco raso, eadem tamen manu scripta est.* e) Et — submersi *in loco raso, post circa quinque lineae erasae vacant* 1. f) *ita emendo*; paruidebant 1. 2. providebant *ed.*

9) scilicet de re monetaria civitatis pridie Nonas Iunii a. 1194. Libr. iur. p. 410. W. 10) Sirenusa, nunc Lunga. 11) Procida. 12) domus mercatorum. 13) Vide supra eadem narrata.

unum, caldariam unam pro solvenda pice, mazios[14] decem lini, sportulam unam cum pauco 1194. canelle et radice una galange. Loricas vero et armamenta innumera, vestes sericas, ornamenta varia et grisia, vasa etiam argentea et aurum et monetas et alias innumerabiles divitias et multum arnese[a] sibi, praetermissis iuramentis quae fecerant, retinuerunt in totum[b] Insuper etiam Ianuenses quoscumque inveniebant in medio civitatis et in facie supra dicti exercitus expoliabant, qui nudi et expoliati, verberati ad exercitum revertebantur. Preterea contigit, quod dum navis quedam ditissima Ianuensium de Septa[15] Alexandriam 15 properaret, Pisani cum navibus suis et cursalibus portus Bonifacii, pretermisso iuramento et securitate quam fecerant de non offendendo, in facie Ianuensium eam persequendo ceperunt. Nec etiam fuit aliquis ausus inde loqui vel eam defendere timore praedictorum, qui dicebant: *Sustineantur in pace hec omnia amore domini imperatoris, ne forte servitia sua hac occasione impediantur.* Quid plura? tot et tanta fuerunt dedecora et dampna, quod vix posset aliquis narrare; unde vir magnae strenuitatis et laudis Obertus de Olevano Ianuensis potestas ob angustiam et dolorem tanti dedecoris morbum incurrit et febricitavit; quo confectus morbo et febre continua et ventris etiam fluxu, sicut divinae voluntati placuit, diem clausit extremum. Et cum cadaver tanti viri per nobiles ad tumulum honorifice portaretur: ecce maliciosi Pisani paraverunt insidias; loricati namque et muniti armis secreto manebant in domibus. Cogitaverant enim et sperabant, ut cum senescalcus et marchio et alii nobiles essent extra civitatem Messane, capere munitiones civitatis omnes et civitatem retinere, et postmodum armatorum copiam mittere ad trucidandos et interficiendos praedictos marchionem et senescalcum et alios qui sequebantur cadaver, et alios etiam qui essent in civitate penitus interficere. Set per Dei gratiam frustrata est spes eorum, quoniam per amicos et fideles eorum qui huiusmodi scelera perceperunt, fuit senescalco et marchioni fideliter intimatum. Qui hoc audito, cum praedictis nobilibus ad hospicia ilico redierunt, nec alios nobiles Ianuenses cadaver amplius insequi permiserunt; et deinde palatium regium et castrum munierunt, et fecerunt melius solito custodiri. Fuit enim ipso[c] senescalco relatum[d] per fideles et amicos suos, qui erant conscii secreta consilia Pisanorum, quod ipsi Pisani favebant uxori et filio quondam regis Tanclerii, et quod per[e] eos[f] litteras et promissiones habuerant.

Interea imperatore, qui terrestrem[g] viam tenebat, diu moram faciente, quique civitatem Salerni destruxit, Ianuenses cum exercitu suo versus Cathanensium civitatem, quae reddiderat se et impugnabatur a Sarracenis et exercitu reginae uxoris quondam regis Tanclerii, tenuerunt, et Sarracenorum exercitum inde eiecerunt de campo et fugaverunt. Postmodum vero tenuerunt versus Syracusam, quam diu impugnando vi ceperunt, nonnullis ex Pisanis ipsis, qui eam defendebant, interfectis et trucidatis. Ab ea namque die nulla civitas, nullum opidum vel castrum tenuit se, imo se omnes reddiderunt, excepta urbe et palatio Panormi, quoniam Ianuenses plurima campestria[h] prelia vicerant et obtinuerant. Pisani vero nec per mare nec per terram amoverunt se Messana. Postmodum vero imperator cum exercitu terrestri Messanam venit; qui statim Ianuenses et Ottonem de Carreto, quem potestatem creaverant, ad se venire fecit; quos plurimum alliciens, quedam tractavit et promisit, quae numquam adimpleta fuerunt. Cui predictus Otto cum Ianuensibus dixit: *Domine imperator, placuit excellentiae vestrae cum civitate Ianuae pacisci, et promisistis nobis Syracusam et vallem Noth. Ecce nos Dei gratia et felici omine nominis vestri expugnavimus et optinuimus eam gladio. Si placet, ex quo Deus eam dedit in potestatem vestri, quesumus, ut ipsam nobis detis.* Quibus imperator ipse respondit: *Bene ac strenue, sicut consuevistis, ad instar predecessorum vestrorum vos actenus habuistis; set nos nundum habemus palatium Panormi; set eo habito, et Syracusam et vallem Noth et quecumque promisimus et communitati et civibus, adimplebuntur, et multo maiora prestolemini; rogo et eamus Panormum.* Ammoto itaque exercitu et per terram et mare, imperator ipse exivit de Messana et ivit Panormum; tandem civitas Panormi et palatium regium reddiderunt se eidem imperatori. Quibus feliciter peractis et habito dominio totius regni, fuerunt Ianuenses ad imperatorem in quodam palatio iardini et viridiarii quod vocatur Giloloardus, et dixerunt ei: *Domine, omnia sunt per Dei gratiam adimpleta. Ecce universi regni habetis dominium, et nos illud tradidimus in manibus vestris. Quesumus si placet, ut quae convenistis et promisistis*

a) asnese 1. 2. *i. q. supellex.* b) *ita emendo;* tantum *deleto* an 1. c) *ita* 1. 2. d) *deest* 1. 2. e) per *deest* 1. 2. ab eis *ed.* f) eos 1. eo 2. g) terrestem 1. h) campestra 1.

14) fasciculos. 15) Ceuta.

1194. *communitati et civibus Ianuae, de munere gratiae vestrae adimpleantur.* Qui respondit eis: *Potestas vestra mortua est. Ego non video hic aliquem qui sit pro communi Ianuae, nec novi commune; set quandocumque videro per certitudinem illum vel illos qui pro communitate sit, ego bene complebo quicquid promisi*[a]. Unde contigit, quod ipse tanquam pernitiosus parvipendens promissiones quas fecerat, diabolica suggestione quorumdam civium Ianuae et aliorum pravorum et malignorum, non solum promissa non observavit, verum etiam in cunctas asperrime ergà civitatem Ianuae, quam ei regnum tradidisse proprio ore confitebatur, nerozavit, sic etiam quod ea quae civitas Ianuae in regno de munere dive memoriae preteritorum regum Rogerii, et Wilielmi filii sui, et alterius Wilielmi huius Wilielmi filii, diu obtinuerat, ei penitus abstulit; et etiam prohibuit, ne aliquis Ianuensis in regno suo Siciliae se consulem presumeret nominari: quod si quis faceret, iussit illum ultimo supplicio subiacere; minando etiam et dicendo, quod Ianuenses non erunt ausi[b] de cetero amplius ire per mare, et quod etiam civitatem Ianuae destrueret. Videte igitur cuncti et considerate, si est dolor sicut dolor iste, et si ab exordio seculi a quolibet paganissimo vel tyranno talia fuerint perpetrata. Animadvertite, quis in eo de cetero confidere debeat, aut se eius servitiis et actibus inmisce i.

Hoc etiam anno mense Iulii maximus ignis fuit accensus in mercato sancti Georgii, qui totam fere viciniam illam combussit atque consumpsit.

Appropinquante exitu anni huius et potestatiae, consules et consiliarii convenerunt in unum, et communi consilio statuerunt, ut Ianuensis civitas sequenti anno haberet potestatem de civitate Mediolani, et elegerunt dominum Iacobum Manerium, sicut inferius presenti volumine declarabitur. Et reversus est predictus Draco de Gambolate vicarius quondam domini Uberti de Olevano supradicti Papiam. Hoc[c] anno ignis maximus accensus fuit in contrada sancti Georgii in furno quem tenebat Carellus.

*(Hic pictura Iacobi Manerii inseritur.)*

1195. Anno dominicae nativitatis 1195, indictione 12. dominus Iacobus Manerius, vir utique strenuus ac nobilissimus, rexit civitatem Ianuae, et fuit potestas et consul rei publicae Ianuensis constitutus. Consules quoque fuerunt octo pro iustitiis, quorum quattuor fuerunt in compagnis ex parte civitatis, videlicet Bellusbrunus de Castello, Symon Bufferius, Hugo Albericus et Wilielmus Fornarius. In aliis compagnis burgi fuerunt Nichola filius Rogerii de Maraboto, Wilielmus Lercarius, Rubaldus, Ionathan.

Hoc anno civitas Ianuensis per Dei gratiam interius quiete perseveravit, et exterius largiente Domino multa ei prospera evenerunt. Verum inimici nostri Pisani ob civiles discordias quae olim fuerant in civitate, putaverunt et studuerunt civitatem Ianuae callide dirimere. Pretermisso itaque federe et pacis iuramento, per quasdam pyratas cives eorum, 16 qui multos Ianuenses antea ceperant et expoliaverant, iudaizantes, fecerunt podium[16] Bonifacii rehedifficari et opidum in eo construi. Quod equidem fecerant domum pyratarum, spelluncam latronum; qui etiam laqueos sathanae per vias et transitus maris posuerunt ad capiendos negotiatores et peregrinos qui per maria ibant, quibus commune Pisarum ad talia perpetranda quasi secreto necessaria preparabant, putantes infra se et dicentes: *Quis nos videt? totum nos faciamus, et nichil fecisse videamur.* Quid plura? infinita mala fecerunt civitati nostrae; multas enim naves, multos mercatores, infinitam peccuniam per Siciliam, per Romaniam et circumquaque ceperunt et abstulerunt Ianuensibus. Et cum eos capiebant, increpando dicebant: *Meretrices, uxores Venetum, adhuc ausi ire per mare? Si de cetero vultis ire per mare, abicite ferrum, relinquite arma, et ite sicuti mulieres vadunt: alioquin vobis nasos incidemus.* Volentes igitur Ianuenses in pace perseverare, cum consulibus Pisanis et sapientibus apud Ilicem convenerunt, et de pace et rapinis et huiusmodi iniuriis simul habuerunt tractatum. Dicebant enim Ianuenses Pisanis: *Male constat ex quo pacem habemus, quod cives vestri nostros capiunt et expoliant. Ecce vestri opidani de Bonifacio, qui nostros cives capiunt. Faciate*[d] *ablata restitui; alioquin pacem fregistis. Quid erit inde?* Quibus respondentes callide Pisani asseverabant: *Mirum est quod dicitis, quoniam opidum Bonifacii non est nostrum, nec ipsi cives nostri sunt, set inimici. Capiunt enim similiter nostros Pisanos; set*

a) *hic in margine manu saeculi XIII. notatur* lege hic et intellige et commenda memorie 1. b) a. amplius 1. c) *haec paullo alio atramento addita sunt* 1. d) *ita* 1, *italismus.*

16) collis, castellum.

*nos faciemus vobiscum exercitum super eos, et destruemus locum, et eos inde eitiemus.* Unde 1195. factum est, quod Deus nolens fraudes et excessus illorum ac illatas iniurias tollerare, data est contritio et infelicitas in viis eorum, qui viam pacis non cognoverunt.

Ianuenses igitur, qui semper hactenus consueverunt contumelias et iniurias suas ultore gladio vindicare, ad tam immensas contumelias et iniurias vindicandas sese viriliter accinxerunt. Insurgentes autem quidam nobiles et strenuissimi viri, videlicet Inguo Longus, Enricus de Carmadino et Otto Pulpus[a], viri fortes et probitissimi, cum navibus suis, quarum una nominabatur Ialna, altera Carmaina, et tercia Venciguerra, cum barcis canturiorum[17] et cum galeis tribus vellificantes de portu Ianuae exierunt, et prosperis 17 ventis flantibus alta maria petierunt et tribus galionis et feliciter applicuerunt apud portum Bonifacii, et descendentes in terram, bellatorum acies instruxerunt; et inito certamine per totam diem bellando, suburbium et castrum vi expugnarunt atque ceperunt, nonnullis ex oppidanis et pyratis interfectis et subiugatis; eumque exclusa inde multitudine pyratarum et cursalium, ad laudem et gloriam Dei et Ianuae urbis egregie munierunt. Ipsa namque die qua predicti strenui baroni predictum Bonifacii oppidum subiugarunt, voluit eis divina providentia de munere suae gratiae providere. Contigit quidem, quod Pisani cursales Bonifacii qui erant in quadam nave quae dicebatur Oliva, navem quandam honeratam frumento, quam negociatoribus Ianuensibus abstulerant, transmittebant; quam ipsi interfectis et trucidatis cursalibus qui erant in ea ceperunt, et dictum frumentum fecerunt in castello in integrum apponi, et vocaverunt deinde navem illam Benvenutam. Interea contigit, quod Pisani dolentes ad mortem, pro posse quandam navem maximam cum castellis mirificis et instrumentis bellicosis et ingeniis et armatorum multitudine copiosa vehementissime paraverunt, asserentes quod predictas naves et omnes quascumque invenirent caperent; et quod quae de Bonifacio contigerant vindicarent, quam et ipsi vocabant Leonem de Foresta; et cum ipsa nave et aliis navigiis in Sardineam ascenderunt; quae quidem ad praedictorum strenuorum Ianuensium audientiam pervenerunt. Qui statim prestolantes et victrices gladios suos super eorum femora potentissime accingentes, vellificando ad eam et alia navigia querenda, maria tenuerunt; et applicantes invenerunt eam summo mane in portu Karolitano[b]. Pisani igitur visis navibus Ianuensium, prestolaverunt ad pugnam, et turba copiossissima loricatorum de terra ascenderunt in navem. Ad hec igitur Ianuenses, quia propter parvitatem aquae ad eos cum navibus suis, quia Pisani retraxerant se ad terram et ad minimum fundum aquae, accedere minime potuerunt, pro alleviandis navibus loricati descenderunt in barchis, et temones[18] dimiserunt 18 in mari; sicque cum tubis cimbalis et clamore ac sonitu maximo eos fuerunt aggressi. Incepto autem et diu hinc inde perseverante certamine, et maxima bellatorum copia, qui erant in terra, conferente Pisanis, et ascendente navim cum barchis, eis preliandi vicissitudinem et auxilium impendebant; tandem advesperascente die, Ianuensibus eos acrius et durius impugnantibus, defecerunt Pisani, et Ianuenses prevaluerunt. Multi quidem ex Pisanis ante faciem gladii corruerunt, et perierunt in mari; sicque Ianuenses ingenti conamine navem ipsam et hostium spolia optinuerunt. Sequenti namque die summo diluculo, dum predicti Ianuenses victores cum ipsa nave et inimicorum spoliis Bonifacium remearunt[c], prospera contigit fortuna, quod quandam Pisanorum navem maximam et ditissimam remeantem Buzea, in qua maxima erat copia thesauri et mobiliae Pisis invenerunt, quam quidem statim ceperunt, et vocaverunt eam Dianam, quia illucescente die eam ceperunt; et cum navibus ipsis ambabus captis et peccunia, quia prohibente sevicia temporis non potuerunt Bonifacium applicare, iverunt in Provinciam, et inde cum omni laude et gloria feliciter in portu Ianuae redierunt.

Predicto quidem anno quidam nobiles Ianuenses et strenui bellatores armaverunt quattuor galeas predictos hostes eorum viriliter insequendo. At cum essent apud Elbam, invenerunt navem quandam maximam Pisanorum, quam insequentes fugaverunt subtus castrum Plumbini. Et quia pro turribus et castello eam non poterant impugnare, et eam sic ibi tenebant obsessam, contigit quod illi de nave dederunt eis causa redemptionis et ut eos incolumes abire permitterent, bisancios 200 supradictis galeis, qui eam sic dimiserunt.

a) *hic duae lineae vacant* 1. b) Kalolitano 2. c) remearunt 1.

17) Vocis significatio latet; nec *conturiorum*, quasi remigum contis utentium, locum habere videtur; fortasse *centuriorum* i. q. centurionum, legendum est. Editio habet *cathenorum*. 18) gubernacula.

1195. Et ammotis inde, tenuerunt versus Maritimam, et pervenerunt in partibus Corneti; et illucescente die invenerunt aliam quandam navem maximam Pisanorum apud insulam quae dicitur Marrellae, quae venerat ibi causa honerandi granum, in qua siquidem erant turba copiosissima bellatorum; qui insultantes diu et impugnantes immenso conamine, vicerunt et ceperunt eam, nonnullis utrimque vulneratis et mortuis; eamque cum honere universo in portum Ianuae deduxerunt, omnibus eam videntibus valde mirantibus, et dicentibus: *Decem galeae non deberent posse capere eam.*

Alias etiam victorias Dominus largitus est Ianuensibus; set quia longum nimis esset narrare,[a] succincte ad alia veniamus, narrantes, qualiter sevus tyrannus dictus imperator super pollicitis suis erga civitatem Ianuae se habuerit. Contigit autem, quod, quia imperator ille calvas occasiones querendo et simulando se velle adimplere quae Ianuensi promiserat civitati, dicendo etiam quod quando videret potestatem Ianuae aut certum nuntium qui esset pro communi Ianuae, omnia quae promiserat in integrum adimpleret, communitas Ianuensis misit ad eum domnum Bonifacium archiepiscopum Ianuae cum domno Iacobo Manerio potestate, necnon Fulcone de Castello, Iohanne Advocato, Ansaldo Bufferio, et Picamilio nobilibus civibus Ianue, qui ex parte civitatis et communis ante ipsum imperatorem fuerunt apud Papiam in palatio sancti Salvatoris, supplicando et petendo ei, ut ea quae[b] ipse convenerat et promiserat, sicuti privilegio suo, cuius exemplarium ei attulerunt, continebatur, eis, qui erant pro civitate et communi Ianuae, faceret et compleret. Et eodem exemplario ante eum sine mora delato, ut ante eum legeretur et eius memoriae occurreret quod promiserat, statim ipse ne legeretur prohibuit, dicens: *Ego consimile habeo, et bene novi quid in eo continetur. Vultis vos placitari mecum? Ego vobis faciam rationem. Set illud vere sciatis, quod non dabo vobis in regno Siciliae......, nec eritis mei consortes; nec ad hoc studeatis ut mecum habeatis terram communem. Set si vultis exercitum facere, ego conferam vobis ad capiendum aliud regnum, quod totum sit vestrum. Si vultis exercitum facere super regem Aragonae, ego ero vobiscum.* Quid plura? Ad hoc[c] videbatur niti, ut peccunia mobili cum eo transigeret civitas Ianuae. Qui discordati, discesserunt ab eo et Ianuam redierunt. Ipse vero imperator ivit in Alamanniam.

Supradicti namque consules iustitiae, quorum subsidio et amminiculo fuit iam dictus domnus Iacobus vehementer suffultus, eggregie civium et civitatis negotia et iustitias pertractantes, ius suum cuique servavere illesum. Appropinquante autem termino finis huius anni et potestatiae, predictus domnus Iacobus et consules ac viri consiliarii convenerunt in unum, hesitantes quid potius foret agendum; tandem uno spiritu de habenda potestate in futuro anno fuerunt concordes, et nominatim de aliqua civitate Lombardiae, set praecipue de Mediolanensi civitate seu aliis quae parti eius faveret; quam elegerunt de Mediolanensi civitate praedicta personam; personam et actus cuius scire volentes, presenti pagina poterunt edoceri.

*(Pictura Drudi Marcellini.)*

1196. Anno dominicae nativitatis 1196, indictione 13. domnus Drudus[d] Marcellinus Mediolanensis, nobilissimus Mediolanensis civis, fuit Ianuensis civitatis potestas consul et rector feliciter consututus. Hic fuit utique vir prudens et providus, strenuissimus et facundus ac honestissimus. In isto quoque anno more solito fuerunt 8 consules pro iustitiis, de quibus quattuor fuerunt ex parte civitatis, videlicet Rogerius Helyae, Symon Lecanoce, Phylippus Cavaruncus et Opizo Wilielmi Guercii; ex parte vero burgi fuerunt Rubaldus Paneria qui obiit in consulatu, Wilielmus Roza, Obertus Porconus, Ido filius Ugonis de Balditione.

Hoc etiam anno fuit per emendatores brevium constitutum, ut Ianuensis potestas esset amminiculo rectorum 8 suffulta; ad quod siquidem officium electi et constituti fuerunt infra scripti nobiles viri, videlicet Hugo Embriacus, Nicola Lecanoze, Ingo Longus, Wilielmus Fornarius in quatuor compagnis versus civitatem; et in aliis quattuor compagnis versus burgum electi et constituti fuerunt Belmustus Lercarius, Montanarius Auriae, Wilielmus de Nigro et Ansaldus Guaraccus; qui introitum et exituum peccuniae rei publice Ianuensis 19 et collectarum, de galeis quoque et sarciis[19], et custodiae castrorum curam et sollicitudinem habere debebant.

a) *deest, lacuna, voce erasa* 1. b) *lacuna* 1. c) uos 1. 2. id *ed.* d) Drudus Marcellinus Mediolanensis *alio atramento loco vacuo inscriptum* 1.

19) Sarcia est armamentum navis, rudentes et alia eiusmodi.

Sicuti gravibus et desperatis morbis frequenter competens medicina succedit et patientibus prestat beneficium sanitatis, sic et magnanimitatis domni Drudi Marcellini[a] civis Mediolanensis clara strenuitas fuit morbis Ianuensis urbis succursum. 1196. Viguit namque domnus Drudus[b] in officiis suis, quia omnia quae sub examine sui iudicii fuere commissa, iudiciali calculo ac fine debito terminavit. Fuit quidem in exercendis vindictis potentissimus atque magnanimus; hostes quoque rei puplice fugavit, et in cunctis per Dei gratiam sub regimine suo splenduit civitas Ianuensis, sicuti tam futuri in posterum quam moderni presentis paginae poterunt insinuatione percipere. Hic quidem primitus superfluitates turrium, quas pro velle suo quidam cives contra licitum et constitutionem communitatis construxerant, unde consulatus et potestates, qui olim civitatem rexerant, peccatum incurrerant iuramenti, sapienter ac probitissime demoliri et ad certum modum pedum 80 redigi fecit. Hic quidem contra omnes qui fuerunt in aliquo rebelles rei publice Ianuensi, pretermisso timore verbo ac viso hominum, vindictam exercuit; hic alicui demum qui culpam commiserit non pepercit, set fecit eos omnino succumbere. Umbra et strenuitas huius cuique securum prestitit ducatum et iter. Unde contigit, quod dum navis quedam contra devetum et prohibitionem communis Ianue venisset in Ianua, ecce filius quondam Idonis Malloni clam et quasi etiam violenter quasdam merces exhoneravit de ipsa navi; et vocatus a potestate propterea, inde ei se rebellem exhibuit. Unde ipse domnus Drudus[c] populum per campanam et cintragum[20] convocavit ad parlamentum; et armata manu accessit ad eum, et pro vindicta tanti excessus domum ipsius, quam habebat ante domum quondam Ingonis de Frexia, destrui fecit; et insuper ad restitutionem mercium quas de nave deposuerat constrinxit; et nolens inde aurum accipere nec argentum seu lapides preciosos, fecit ipsas res proprias in parlamento publico cunctis videntibus sibi publice presentari et in volta communis reponi. Haec quidem et alia innumera tam in exercendis vindictis quam aliis causis atque negotiis, quae longum esset narrare per ordinem, sinentes[d], ad alia utiliora succincte perveniamus.

Porro contigit, quod Pandulfus basilicae 12 apostolorum apostolicae sedis legatus, instinctu et suggestione Pisanorum venit in Ianua mense Martio; qui predicto domno Drudo[e] potestati atque consulibus apostolicas litteras presentavit, dicens quod iussu domini Coelestini[f] papae venerat causa componendi pacem inter Ianuenses et Pisanos. Unde in tantum fecit, quod pro huiusmodi actibus quosdam nobiles ex utraque civitate apud Ilicem ad colloquium congregavit. Ad quod siquidem colloquium Belmustus Lercarius qui erat unus ex octo rectoribus, et Picamilius, Ido Picius, Symon Bufferius et Lambertus Fornarius destinati fuerunt cum Donadeo, Guarnerio et Guidoto Pelluco iudicibus; et cum multa, parum tamen profutura, ibi essent hinc inde transacta, asserendo Pisani quod pax non erat rupta, tandem festo parasceue et resurrectionis dominicae imminente, recesserunt hoc modo, quod statuerunt aliud terminum quo esse simul deberent super his iterum tractaturi. Interim vero callidi et maliciosi Pisani expeditionem et exercitum paraverunt, cum quo ad obsidendum et impugnandum castellum portus Bonifacii, quod Ianuensis civitas viriliter obtinebat, festinanter iverunt, putantes illum non invenire munitum, et capere illud antequam civitas Ianuensis ei prestaret succursum. Predictis namque auditis rumoribus, statim civitas Ianuensis virilem preparavit succursum, et ingentem copiam et exercitum galearum et navium pro succursu iam dicto et aggrediendis hostibus misit; in quo quidem exercitu ivit domnus Drudus[g] supradictus; et ammoto exercitu ivit ad portum Bonifacium, et non inventis hostibus, qui timore exercitus Ianuensium inde affugerant, recesserunt inde pro capiendis et fugandis Pisanis; et iverunt usque Callarim, ubi putaverunt invenire Pisanos, qui proxima transita die cum navibus inde affugerant. Postmodum Ianuenses cum exercitu suo castra metati fuerunt in terram, ibique diu moram faciendo contra voluntatem marchionis Wilielmi qui Carolitanum iudicatum tenebat, ipse marchio maximam et innumeram gentem militum et peditum Pisanorum, Catalanorum, Sardorum ad expellendum exercitum Ianuensium de castris, et castra sua, congregavit. Unde contigit quod ipse posuit latenter insidias, et quosdam ex Ianuensibus, qui pro deferenda aqua exercitui[h], illis de exercitu ignorantibus

a) D. M. *alio atramento loco vacuo inscriptum* 1. b) *alio atramento loco vacuo inscriptum* 1. c) *alio atramento in loco vacuo* 1. d) *deest* 1. 2. desinentes *ed.* e) d. D. *alio atramento in loco vacuo* 1. f) III. *alia manu additum* 1. g) *alio atramento in loco vacuo* 1. h) exierant *vel aliquid eiusmodi deest.*

20) praeconem

1196. cepit inermes. Deinde marchio ipse ingenti copia militum et peditum, Ianuensium exercitum galearum, qui omnes erant pedites et nullum habebant militem, sepius fuit aggressus, et multis proeliis attemptavit. At cum videret se eos minime posse de campo et castris erradicare, seque nichil proficere posse, imo sui semper victi et vulnerati recedebant de campo, retraxit se cum militia sua et fortia. Interim autem ecce ingens copia navium et aliorum navigiorum Ianuensium cum ingenti sonitu et clamore pervenerunt ad littus, et cum armis et munitionibus suis descenderunt in terram. Tandem vero acies bellatorum instruxerunt in campo; et fugato marchione cum militibus suis ac Pisanis ac exercitu suo, palatium ipsius marchionis, palatia quoque et domos de Sancta Ygia penitus destruxerunt; et victores cum capta preda et hostium spoliis reversi fuerunt ad castra. Omnibus igitur tam feliciter ac gloriose peractis, galeas suas naves et navigia ascenderunt, et apud portum Bonifacium pervenerunt; quem peroptime munitum et bellicose instructum quibusdam strenuissimis et providis castellanis, domnus Drudus[a] Ianuensis potestas commisit; deinde cum omni felicitate cum universo exercitu Ianuam redierunt.

Rursum igitur Pisani cognoscentes se in huiusmodi nil posse proficere, cognoscentes etiam Bonifacium acutum fore gladium, quo putant caput amittere, sicut Golias spurius qui Davitica funda percussus gladio proprio capud amisit, miras insidias et laqueos paraverunt. Fecerunt quidem in longinquis partibus, videlicet in[b] Siciliam et per alias partes cursales[d] et pyratas suos quaerere, in quibus eorum spes sistit atque fiducia querere supplicantes, ut civitati Pisane in tanto necessitatis articulo subvenirent. Sicque studuerunt in tantum, quod predicti cursales et pirate maximum exercitum congregarunt, et cum navibus 9 magnis, galeis quoque aliisque navigiis ad obsidendum et impugnandum predictum opidum Bonifacii pervenerunt; quod quidem graviter cum machinis et aliis instrumentis diu impugnaverunt. Nonnulli quidem ex eis Ianuensium ictibus percussi, mortui et vulnerati ceciderunt in terram. Attamen civitas Ianuae in occursum[e] predicti Bonifacii expeditionem maximam et exercitum paraverunt; et pro confortandis castellanis et aliis probitissimis qui illud viriliter defendebant, in cunctis necessariis probitissime hostibus obsistendo, Montanarium Auriae, qui erat unus ex octo rectoribus, in sagittea Nasoni armata miserunt, qui tamquam improvidus fuit a galeis hostium apud insulam de Picuariis fugatus et captus. Verum cum iam dictus exercitus Ianuae vehementissime pararetur, statim pro succursu et confortamento castelli Bonifacii miserunt galeas 17, quibus Ansaldus Guaraccus, qui erat unus ex octo rectoribus, guida fuit et capitaneus constitutus. Qui cum exercitu supradicto 17 galearum de portu Ianuae exivit, et vellificando ad portum Bonifacium applicuit; et cum ad aggrediendos hostes et eorum comburendas[f] naves eorum prestolaretur: ecce Pisani omnes, relicto campo, machina et instrumenta bellica, quibus predictum opidum impugnabant, dimiserunt in terram; et vellificando cum magnis navibus suis et galeis ac galionis, noctu exierunt ac fugerunt de portu; quas quidem naves galeae Ianuensium multis proeliis attemptarunt, feriendo eas et ictibus maximis propellendo. Nam cum predictus exercitus pyratarum et Pisanorum apud Bonifacium esset castra metatus, et audissent Pisani quod Ianuensis civitas ad eos aggrediendos exercitum vehementissimum prepararet, tunc archiepiscopus Pisanus cum clero et cruce per plateas et vicos Pisarum ibat supplicando, ut fratribus et concivibus suis, qui pro honore et fiducia Pisanae civitatis Bonifacium obsidebant, pro posse succurrerent; maxime enim ad Pisanae civitatis dedecus redundaret, si ipsi in predicto campo conflictum ab inimicis et incommodum substinerent. Unde Pisani 19 galeas et alia 7 remigantia et armata navigia armaverunt, in quibus copiosam armatorum et militum turbam et acies instruxerunt. Qui vellificando portum Bonifacium in occursum suorum et perturbationem Ianuensium tenuerunt. Attamen Ianuenses eis visis, licet non essent nisi cum 17 galeis, tamen confidentes divina virtute, et quia hostes fovere videbantur obliquum et tortum, ad eos aggrediendos et invadendos, relicto Bonifacio, maria petierunt; et eis aggressis, cum eis certamen maximum inierunt. Verum quia indiscrete accesserunt ad pugnam[h], incoepto prelio de galeis nostris tres retinuerunt, et nos de eorum galeis unam[g] retinuimus, in qua Guirardum Vicecomitem, nobilem Pisanum civem, et alios plures nobiles cives Pisanos cepimus et Ianuam conduximus.

a) *alio atramento in loco vacuo* 1. b) per *corr.* in 1. d) *deest* 2. e) succursum *ed.* f) comburendos 1. g) *loco vacuo relicto inscriptum manu fere eadem.* h) *quae sequuntur, in loco raso manu paullo posteriore scripta sunt qua et pagina sequens exarata est.*

# IV.

# OGERII PANIS ANNALES

## A. 1197—1219.

*Cum*[a] *perutile*[b] *videatur existere communitati Ianuae, et tam presentibus quam futuris valde prodesse, cronicorum opus continuo ego Ogerius Panis, volens ad memoriam adducere opus commendabile quod bone memorie Cafarus vir nobilis et discretus incepit, et Obertus cancellarius, et Ottobonus scriba continuarunt usque millesimum centesimum nonagesimum sextum, licet sensus non michi sufficere videatur, tamen ea quae per me vel alium cognoscere potero, ad memoriam reducam, ut hii qui res gestas scire voluerint, per presentem paginam cognoscere possint et nomina potestatum et consulum communis et placitorum et foritanorum*[21].

Anno dominice nativitatis 1197, indictione 14. fuit in regimine civitatis Drudus Mar- 1197.
cellinus Mediolanensis potestas et rector civitatis constitutus et confirmatus; et fuerunt eodem anno consules placitorum pro iustitiis diffiniendis, videlicet Ugolinus Mallonus, Fredericus de Albericis, Wilielmus Tornellus et Ugo Fornarius in quatuor compagnis versus civitatem; in aliis vero quatuor compagnis versus burgum Wilielmus Panzanus, Obertus Lucensis, Obertus quondam Grimaldi et Obertus de Nigro; pro foritanis Symon Lecanuptias et Vassallus de Laumello.

In presenti quidem anno in civitatem Ianuensem intus et exterius in pace rexit. Verumtamen propter galeas quas quidam nobiles Ianuenses armaverunt in Siciliam ducendas, briga inter ipsum Drudum et ipsos Ianuenses orta fuit, quod ipse fecit destruere domos et turres illorum, et in reditu eorum de Sicilia inter ipsum et Nicolaum Aurie et alios qui cum eo redierant de Sicilia, fere prelium inceptum est, in tantum quod Nicolaus palacium novum domini archiepiscopi invasit, et pontem lignaminis inter palacium et domum quondam Mariscoti nocte construxit. Die autem adveniente fecit contionem dicta potestas, et fecit armare populum totum; in fine tamen cum prelium deberet incipere, propinquis Nicolai mediantibus, fecerunt ipsum venire in parlamentum et iurare ad voluntatem ipsius potestatis, et facta est tranquillitas magna. In presenti quidem anno marchiones qui fuerunt de Gavi, stratam invaserunt et plures torsellos[22] Ianuensium et Astensium ceperunt, et in castro Taxarie se receperunt. Dominus autem Drudus equitavit et perrexit Gavim, et maiorem partem ipsius prede recuperavit, et castrum quod ipsi marchiones cum illis de Palodio construxerant in podio Carroxii, omnino destrui fecit. In eodem quippe anno ultima die Septembris apud Messinam dominus Enricus Romanorum imperator ex hac vita migravit[d]. Consules vero placitorum et foritanorum per Dei gratiam offitium suum optime tractaverunt, et honeste et decenter operati sunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes[e].

Anno[f] dominice nativitatis 1198, indictione 15. fuit dominus Albertus de Mandello, 1198.
nobilissimus Mediolanensis civis, Ianuensis civitatis in re publica potestas et dominus feliciter electus et constitutus; et octo consules pro iustitiis, videlicet in quatuor compagnis ex parte civitatis fuerunt[g] Rogerius Helie, Philippus Cavarruncus, Wilielmus Ingonis Tornelli et Obertus Porcus; in aliis vero quatuor compagnis burgi fuerunt Enricus Guercius, Vassallus Grillus, Wilielmus Rocius et Ogerius Manzanellus; pro foritanis Symon Lecanuptias et Vassallus de Laumello.

Prefatus quidem dominus Albertus fuit virtutibus multis ornatus; multa namque legalitate et discretione fulsit, probus, honestus, strenuus, victoriosus; civitatem Ianuensem feliciter per totum tempus sue potestatie gubernavit et rexit. Multos felices successus

a) *manu pulchra, longiori tamen littera et tenuiori pergitur.* b) perutilis 1. d) *hinc inde alio atramento, eadem manu.* e) *reliqua paginae pars vacat, et in fine cuiusque anni spatium maius minusve vacat.* f) *manus anni 1196 pergit.* g) fuit 1.

21) i. e. extra urbem habitantium. 22) i. e. fasciculos.

1198. Dominus omnipotens in tempore suo contulit civitati, sicut scire volentes presenti pagina cognoscere poterint. Contigit autem, quod hoc anno in principio potestacie sue Paganellus de Porcaria vassallus communis Ianue, et illi de Vezano, et alii vassalli de Lunexana exceptis filiis parentis cum Pisanis confederarunt[a], ea occasione quod feudi beneficium eis fuerat retardatum, et cum fortia sua per terram et per mare clam Ianuensibus ignorantibus castra Portus Veneris hostiliter invaserunt, et burgum impugnarunt. Ex quo autem huiusmodi rumores in Ianua pervenerunt, statim omnes cucurrerunt ad arma, et statim pro succursu predictorum castrorum in galeis et aliis navigiis et parvis et maximis ascenderunt; set ex quo predicti vassalli et Pisani de adventu exercitus Ianuensium audierunt, statim redierunt retro. Ianuenses quidem Portum Veneris applicuerunt, et sequenti die armatorum acies instruxerunt[b], et castra illorum de Lunexana et terras viriliter aggressi, et cum eis inierunt certamen; et eicientes eos de campo, castrum Vesigne in ore gladii vi ceperunt, et quosdam nobiles ex nobilibus Ianuam duxere captivos. Postea vero per aliquot dies predicti vassalli veniam postularunt, et inito cum eis pacto et captos reddiderunt, et in ordinatione potestatis et consulum per omnia satisfecerunt, et iuramenta et fidelitates renovaverunt, et ad gratiam potestatis et consulatus reversi sunt.

Preterea communitas Ianuensis in hoc anno pro custodia et defensione navium et mercatorum octo galeas armaverunt, in quibus prefuit Wilielmus Ingonis Tornelli consul et dominus constitutus; qui cum ipsis galeis ivit per totam Corsicam et Sardineam et Siciliam; at cum pervenisset Panormum, invenit ibi in portu quendam piratam Recuperum nomine, hostem Ianuensium, cum 9 galeis: quas in facie totius Panormi vi cepit et extraxit de portu. Verum ad instanciam Constantie imperatricis, uxoris quondam imperatoris Enrici, que ob hoc ab hoc[c] quosdam nobiles Ianuenses qui erant in Sicilia[d] ceperat et in carcere truserat, eas reddidit. Predicte siquidem galee cum navibus mercatorum et ingenti peccunia Ianuensium feliciter consumato itinere, in portu Ianuae applicuerunt. In presenti quippe anno mense Iunio Guido marchio de Gavi inito conspirationis federe cum Terdonensibus et quibusdam latrunculis, prodicionaliter et clam castrum Gavi quadam nocte intravit per quoddam foramen, quod in muro fecerat Canevarius Nicolae Squartafici tunc temporis castellani, qui in Ianua erat; set ex quo castellani et servientes qui in eo erant hoc persenserunt, inierunt cum eis certamen et bellum, sicque eos eiecerunt de castro, quibusdam ex eis interfectis et trucidatis, et predictus Guido vix manus eorum evasit. Ceterum cum huiusmodi rumores ipsa die in Ianua pervenerunt, illico et festinantissime et minimi et maximi ad succursum predicti castelli et confusionem inimicorum ceperunt arma, nec cessaverunt quousque ad Gavim pervenerunt; et invento ibi predicto Alberto Ianuensi potestate, latrones et proditores quos in castro invenerant fecit in furcis suspendi. Qui de honore et commodo atque victoria Ianuensis civitatis cogitando et sollicitando, cum sapientibus et egregiis[e] viris qui cum eo erant in Gavi tamdiu moram fecit, donec universam baroniam et populum vassallos quoque et amicos Ianuensis urbis congregavit in unum. Quo facto, nocte quadam que fuit transacto die festivitatis sanctorum Quirici et Iulete, montana que sunt circa podium illud ubi erat predictus Guido marchio, et qui construxerat castrum Taxarie, armatorum catervis discretissime ac sapienter munivit. Mane autem facto, alios qui in Gavi remanserant congregavit in unum, sollempnemque ibi parlamentum et curiam celebravit, ibi bellatorum acies instruxit: quo facto cum ingenti armatorum copia, paucis tamen militibus, planiciem de Gavi que Vallis dicitur munivit, reliquos vero ad debellandum castrum Taxarie misit. At cum Terdonenses et qui apud Serramvallem cum eorum fortia erant, videlicet cum Alberto Malaspina et castellanis et omnibus fere citra Pado hoc persenserunt, qui predictum castrum munierant, statim cum exercitu suo Ianuensibus obviam et ad predicti castri succursum, quod Ianuenses districtissime impugnabant, venerunt; statimque ut possent eos ab impugnatione predicti castri repellere, in eos fecerunt insultum. Inito autem certamine et crebrescentibus[f] hinc inde ictibus, tandem prevaluerunt Ianuenses. Terdonenses vero, nonnullis ex eis prostratis et interfectis, dimiserunt pugnam, terga dederunt; sicque Ianuenses fugando eos fuerunt eos secuti usque Montem Cucum; unde ob predictum conflictum castrum Serravallis Terdonensium derelictum permansit; predictum autem castrum Taxarie in facie tocius exercitus Terdonensium tandiu Ianuenses impugnarunt, quod vi illud ceperunt, et vexillum sancti

a) confedarunt 1. b) instruxe 1. c) *ita* 1. d) Siciliam 1. e) eggreis 1. f) crebescentibus 1.

1198.

Georgii coram Terdonensibus in eo imposuerunt; illud quoque ipsa die funditus destruxerunt. Signiferos quoque Terdonensium et alios nonnullos ex nobilioribus Terdone, quos et in castro Taxarie et in pugna retinuerunt, Ianuam duxerunt captivos, et tandiu in vinculis tenuerunt, quousque Terdonenses satisfecerunt civitati Ianuensi et de offensionibus omnibus et excessibus perpetratis[23]. Insuper autem castrum Palodi viriliter aggressi fuerunt Ianuenses cum exercitu suo, quod Palodinus filius Wilielmi de Palodo tenebat, qui pretermisso iuramento fidelitatis quod comuni Ianuae fecerat, stratam fregerat et Ianuenses ceperat. Qui Palodinus reddidit se et castrum domino Alberto potestati et comuni Ianuae; qui eum muniri fecerunt et ad honorem Dei et comunis Ianuae custodiri. Quid plura? Omnia quidem civitati Ianuae hoc anno intus et extra prospera evenerunt. Transacto quippe tempore[a] sue potestatie dominus Albertus feliciter Mediolanum reversus est. Consules vero iustitie tamquam viri discreti et legales officium suum feliciter rexerunt, ius suum amicabiliter cuique tribuentes[b].

1199.

Anno 1199, indictione prima, fuit electus potestas Ianuae civitatis Bertramis Christianus, Papiensis civis, et habuit secum rectores sex, Nicolam Mallonum videlicet, Ingonem Longum, Obertum Malocellum, Symonem de Camilla, Belmustum Lercarium et Manfredum Piccamilium: et tempore isto fuerunt consules 12 pro iusticiis civium, videlicet pro quatuor compagnis versus civitatem Ansaldus de Castello, Wilielmus Mallonus, Ido Stanconus et Ingo Tornellus; in aliis quatuor compagnis versus burgum Villanus de Insulis, Symon Sardena, Angelotus Vicecomes et Bernicio de Campo; alii vero quatuor consules electi pro iusticiis inter habitantes in quatuor compagnis civitatis et quatuor compagnis burgi diffiniendis fuerunt Rubaldus Helye, Enricus Mazalis, Porconus et Wilielmus Oberti de Nigro; pro foritanis Opizo Wilielmi Guercii et Wilielmus quondam Oberti Ususmaris.

Hoc anno misit predicta potestas obviam nostris navibus de oriente redeuntibus galeas 8 bene armatas, in quibus ivit guida Obertus Malusoccellus, qui cum pervenisset ad portum Calari, invenit quamdam maximam navem Pisanorum blava et aliis mercibus honeratam, Bucamnigram nomine; et facientes insultum in eam, preliando vi eam ceperunt, et Ianuam transmiserunt. Et tendentes maria usque in partes Sicilie perrexerunt, ibique cum applicuissent, naves nostras invenerunt, et cum ipsis Ianuam feliciter redierunt. Tempore isto fuerunt armate 4 galee, in quibus ivit Symon Camille guida pro rumoribus navium Pisanorum, que dicebantur in Provinciam perrexisse[c] cursitandi causa, et secum duxit naves duas. Et cum perrexissent ad insulas Arearum, invenerunt in quodam fortissimo castello sito in insulis illis quosdam homines nostri districtus incarceratos et ad redemptionem coactos; quod quidem preliando ceperunt, et illud penitus destruxerunt; homines quoque nostros recuperarunt, et latrones et piratas qui erant in eo inclusi ceperunt et expoliaverunt. In eodem quidem anno comunitas Ianuae super Victimilienses rebelles exercitum et expedicionem fecit; et tenuerunt eos obsessos per mare et per terram a festo sancti Iacobi usque per totum Augustum et eo amplius, impugnando eos cum machinis et aliis modis, et eos omnino vastantes. Set interveniente sceleribus quorumdam malorum virorum, contigit quod exercitus predictus eos dimisit et Ianuam pervenit[d]. Consules vero placitorum ac foritanorum per Dei gratiam offitium suum optime tractaverunt, et honeste ac decenter operati sunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1200.

Anno[e] 1200, indictione 2. fuit electus potestas et rector Ianuensis civitatis Rollandinus quondam Malapresi, nobilis civis Luccensis, et consules placitorum 8, videlicet in quatuor compagnis versus civitatem Rogerius Elye, Amicus Mallonus, Phylippus Cavarruncus et Wilielmus de Pallo; in aliis quatuor versus burgum Iacobus de Marino, Belmustus Lercarius iuhior, Wilielmus Ricius[f] et Wilielmus Piccamilium; pro foritanis vero Bertramis de Savignono et Balduinus de Volta.

a) *deest* 1. 2. b) *in margine manu saec. XIII exeuntis*: hoc anno Colestinus IV papa moritur | . . . Innocentius III ei successit annis XVIII mens.| c) perresisse 1. d) *reliqua anni littera minori scripta sunt.* e) *iterum maiori littera.* f) rocius *corr.* ricius 1.

23) Mense quidem Augusti haec dissidio Papiensibus intermediantibus pace finita est, cuius documenta v. Libr. iur. I, 418–422, et paullo post marchio quoque Gavii castrum Ianuensibus cessit; ibid. p. 427.

1200. In presenti anno potestas ipsa cum militibus Ianuae ivit Sanctum Romulum[24], et cum ipsis militibus et paucis galeis ivit ad Sanctum Ampelium, et ibi tentoria fixit, et per plures dies[a] ibi stetit vastando blavas vineas et arbores per totam vallem ipsam a Sancto Ampelio usque aquam Nervie et eo amplius. Redeunte inde perrexit Lucam, et ibi fati munus implevit. Ianuenses vero habito consilio Wilielmum Enrici, quem vicarium suum Ianuae dimiserat, in potestatem elegerunt, et per totum illud tempus ipsum pro potestate habuerunt et tenuerunt; qui per Dei gratiam civitatem intus et extra in pace et quiete tenuit. Fulconem quoque de Castello Alexandriam in legatum transmisit in nave Ialna de Finali; et duxit galeam unam secum, in qua bene et optime armata in terram Alexandrie descendit; et cum soldanus Babilonie bene de captivis eidem Fulconi promisisset, tamen in fine nullum captivorum ei reddere voluit, licet dona quae propterea portaverat, quae valebant bene libras 500 et eo amplius, de comuni Ianuae ab eo recepisset. Contigit autem, quod navis Bucanigra, que fuerat Pisanorum, ivit Tunesim mercationis causa; et cum ibi esset, venerunt naves tres Pisanorum armate, una quarum vocabatur Castellana, et altera Diana, et alia Paonum, et in nave illa assultum fecerunt. Ianuenses vero qui in ea erant, sicut viri fortes et robusti surrexerunt ad arma, et ipsas preliando ceperunt, et cum ipsis Ianuam feliciter pervenerunt, in quibus navibus multa arma et cetera rauba ceperunt.

1201. Anno dominice nativitatis 1201, indictione 3. fuerunt consules pro communi Wilielmus Embriacus, Nicola Mallonus, Iordanus Richerius, Wilielmus Guercius, Nicolaus Aurie et Guido Spinula; et consules placitorum 12: in quatuor compagnis versus civitatem Corsus Vicecomes, Wilielmus Crispinus, Martinus Tornellus et Opizo quondam Wilielmi Guercii; pro aliis vero quatuor compagnis versus burgum Wilielmus Becherius, Enricus Domusculte, Oto Guaracus et Nicola Maraboti; pro diffiniendis discordiis inter cives et burgenses Bonifacius quondam Alberti de Volta, Enricus Mazalis, Nicola Boccacius et marchio Grillus; pro foritanis Enricus Cigala et Wilielmus Ficusmatarius.

In presenti quidem consulatu fuerunt inventi multi latrones, et consules per civitatem eundo nocte ceperunt plures latrones, et quibusdam ex eis oculos eruere fecerunt et quibusdam capita truncare fecerunt. Audientibus quod Victimilienses in mari intraverant cum galea una armata, qui statim armarunt galeas 3, et ipsam secute sunt usque Yspaniam. Nicolaus Auriae cum galeis 8 obviam ivit navibus nostris a partibus orientis redeuntibus; et fuit in Siciliam, ibique cum regno[b] pacem firmavit[25], et inter aurum et argentum et lapides preciosos tantum adduxit, unde comune Ianuae habuit ultra libras 1500. In eodem consulatu Marchoaldus cepit Wilielmum Grassum admiratum, et ipsum incarceravit. Unde Ianuenses habito consilio armarunt galeam unam pro ipsius deliberatione, in qua ivit Wilielmus Embriacus; set ipsum habere non potuit. Preterea in fine consulatus venerunt Victimilienses Ianuam de mandato ipsorum consulum ad mandatum totum iam dictorum consulum, et iurarunt im parlamento, ubi venerunt cum crucibus discalciati, proicientes se ad pedes consulum, universa precepta illorum per omnia parere et obedire. Eodem quippe anno Mediolanenses pro eo quod Papienses apud burgum Sancti Donnini, ubi erant in adiutorium Parmensium, graviter Mediolanenses invaserant, castrum Vegevali obsederunt, et illud preliando ceperunt et omnino destruxerunt. Hoc facto quidam religiosi viri se de pace inter Mediolanenses et Papienses intromiserunt; et per Dei gratiam, a quo cuncta bona procedunt, facta est pax inter ipsas civitates im perpetuum duratura[c]. Consules vero causarum tam civilium quam foritanorum, tanquam viri legales et discreti, offitium suum rexerunt feliciter, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1202. Anno dominice nativitatis 1202, indictione 4. fuit domnus Guifredotus Grassellus, nobilissimus Mediolanensis civis, Ianuensis civitatis in re publica potestas et dominus feliciter electus constitutus; et habuit ad suum consilium pro rationibus comunis cognoscendis quatuor nobiles et sapientes, Nicolam Mallonum videlicet, Wilielmum Tornellum, Belmustum Lercarium et Enricum de Nigro; pro placitis consules in quatuor compagnis

a) *deest* 1. 2. b) *regn* : : : : *corr.* regno 1. c) *reliqua anni alio atramento* 1.

24) Amicitiae foedus tunc cum S. Romuli consulibus initum est; Lib. iur. I, p. 447. 25) Anno praeterito Fridericus Siciliae rex Ianuensibus privilegium indulserat; ibid. 462.

1202.
versus civitatem, Iohannes scilicet quondam Vassalli Stralleriae, Zacharias de Castello, Nicola Lecanoce et Phylippus Cavarruncus; in aliis vero quatuor compagnis versus burgum Wilielmus Rocius, Bartholomeus Domusculte, Andreas Domusculte et Symon Pignolus; pro medianis fuerunt consules quatuor Obertus Porcus, Wilielmus Ingonis Tornelli, Otto Pezullus et Amicus Guercius; pro foritanis Rubaldus Tarallus et Raimundus cancellerius.

Prefatus quidem dominus Guifredotus fuit virtutibus multis ornatus; multa namque legalitate et discretione fulsit; probus[a], honestus, strenuus, victoriosus, civitatem Ianuensem feliciter per totum tempus sue potestatie gubernavit et rexit. Multos felices successus[b] Dominus omnipotens in tempore suo contulit civitati, sicut presenti pagina cognoscere poterint. Contigit autem, quod idem dominus Guifredotus cum potestate Pisana, Girardo videlicet Vicecomite, et aliis nobilibus viris Ianuensibus et Pisanis, mediantibus Bonifacio marchione Montisferrati[c], et comite Aldevrandino, apud Ylicem se convenerunt ad tractandum de pace et convencione utriusque civitatis circa octavam pasche; set quia Pisani de plurimis factis et specialiter de castro Bonifacii locuti fuerunt, invicem concordare se minime potuerunt. Eodem quippe anno Bertramis de Nervi cum iret in maritima cum nave sua que vocabatur Castellana pro grano, invenit naves duas Pisanorum et persecutus fuit, et tandem unam ex ipsis que vocabatur Sanctus Petrus cepit et multos denarios in ea, et Ianuam duxit. Eodem quippe anno cum quedam navis nostrorum hominum que vocabatur Berarda Alexandriam proficisceretur, invenit quamdam navem Pisanorum, que super nostram assultum fecit; et Ianuenses, qui in ea erant, ad arma surrexerunt, et illam Pisanorum navem preliando ceperunt, et rebus omnibus que in ea erant eos expoliaverunt; set Ianuenses misericordia moti, quia im pelagus erant, navem illam illis reddiderunt. Eodem quippe anno marchiones qui fuerunt de Gavi, Albertus videlicet et Wilielmus et Rainerius fratres, pro se et filiis quondam Guidonis fratris eorum, cum comune Ianuae se convenerunt, et comuni Ianuae dederunt possessiones omnes et iura, quae vel quas habebant in Gavi aut in castro et territorio Gavi, et in burgo et in nemoribus et in molendinis et in vassallis et fidelitatibus comuni Ianuae remiserunt; et inde finem transactionem et refutacionem fecerunt et drictum totum, si quod in eis habebant, retinendo eis medietatem pedagii solummodo; et propterea comune Ianuae eis libras 3200 dedit; et pedagium constituerunt super euntes per stratam voluntate civitatum Lonbardie[d] colligendum per saumam usque in libris 800 ad complementum librarum 4000. Et ipsi compagnam Ianuae iurarunt et habitaculum civitatis, et quod non debent transire iugum nisi ter in anno, et tunc cum potestatibus vel consulibus, et cum eis Ianuam redire[e] [26]. Consules vero causarum tam civium quam foritanorum tanquam viri legales et discreti officium suum rexerunt feliciter, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1203.
Anno dominice nativitatis 1203, indictione 5. fuit dominus in regimine civitatis predictus dominus Guifredotus Grassellus Mediolanensis civis, et habuit ad suum consilium pro rationibus comunis faciendis quatuor nobiles viros, Wilielmum Barcam videlicet, Ottonem Bonum de Cruce, Idonem de Carmadino et Guidonem Spinulam; et consules placitorum 12, videlicet in quatuor versus civitatem Ingo de Galiana, Wilielmus de Pallo, Opizo Wilielmi Guercii et Paganus de Rodulfo; in quatuor compagnis versus burgum Rollandus Belmustus, Wilielmus Bonivassalli Ususmaris, Enricus Domusculte et Otto Guaracus; pro civitate et burgo Amigonus de Castello, Ingo Tornellus, marchio Grillus et Villanus Maniaporri; pro iusticiis civium et foritanorum Bonifacius quondam Alberti de Volta et Symon Alpanis.

In presenti quidem anno propter discordiam quae vertebatur inter Albinganenses et homines de valle Arocie, qui ad servicium civitatis se omnimode tradiderunt, ivit predicta potestas cum pluribus nobilibus civitatis Albinganam, et eos modis omnibus pacificavit; et habuit Albingana pro collecta super eos imposita libras 50. Veniente autem Saonam vocare fecit quemdam Saonensem nomine Wilielmum Saragum, ut ei daret pro deveto Provincie ex peccunia sua delata libras 11 semis; et cum rebellis exstitisset, misit servientes suos ad diruendam

a) *vox in loco raso* 1. *deest; lacuna* 2. b) succesus 1. c) Montisferratis 1. d) lonbardiam 1. e) *reliqua anni littera minori, ut annis praeteritis.*

26) Quae diuturnae litis inter Gavii marchionem et Ianuae civitatem compositio m. Sept. perfecta est, unde complura exstant documenta; Lib. iur. I. p. 482.

1203. domum ipsius. Contigit autem quod quidam nepos ipsius Wilielmi venit clam et percussit quemdam hominem ipsius potestatis cultello, de qua percussione mortuus fuit. Indignata autem predicta potestas fecit destruere ipsius Wilielmi et plures alias domos et turres, et a comune Saonae accepit libras 300 in denariis propterea, et libras 700 im pignoribus, et fideiussores cepit pro libris 1000. Eodem quippe anno Pisani duas galeas armarunt, et venerunt im Provinciam; et potestas armare fecit duas galeas ad ipsas persequendas; et cum ipsas invenissent prope insulas Arearum, secute sunt eas, et unam ex ipsis ceperunt. Contigit autem quod Pisani optime navem unam que vocabatur Palmeta armarunt, et cum ea im Provinciam ad insulas Massilie iverunt cursitandi[a] causa. Naves vero nostre, que mercationis causa ibant, ipsam invenerunt, et persequendo eam ceperunt. Galionum autem, qui cum ea erat, profugium fecit. Eodem quippe anno Pisani maximam navem, que vocabatur Rosa, tam cursitandi causa quam etiam et adducendi peccuniam Pisanorum de Turritano iudicatu, optime armarunt; Ianuenses vero pro adducenda peccunia Ianuensium que ibi erat, duas parvas naves Stellam et Falconem, et illuc cum duabus galeis perrexerunt; et inventa ipsa, preliando ceperunt, et Ianuam conduxerunt.

Eodem vero anno Murruellus et Gualterius Caputmallei Saonenses, qui forestati de Saona erant pro morte Raimundi de Alba causidici et vicarii Ugonis de Carreto Saonensium potestatis, furtim lignum unum armaverunt, et quemdam bucium torsellorum Astensium carricatum ceperunt, et castrum Turbie et Nicensem civitatem profugium fecerunt. Accidit autem, quod potestas illa plures nuntios misit ad predam ipsam recuperandam; novissime vero, cum nichil posset recuperari, missit causidicum suum Albertum de Summaripa, qui cum partem de preda illa recuperasset et pervenisset Tabiam, quidam latrones de Tabia et de Celiana ipsum et eos qui cum eo erant nocte invaserunt, et rebus omnibus quas secum habebant ipsos expoliarunt; et quod deterius fuit, ipsum Albertum et plures alios[b] fere ad mortem vulnerarunt. Indignata autem potestas et commota tota civitas exercitum super ipsos malefactores fecit, et perrexit Tabiam, et ipsam vastavit, et omnino castrum destruxit; et de exercitibus suis misit Celianam, et possessiones rusticorum qui ad maleficium illud fuerant vastari fecit, et maiorem partem ipsius prede recuperavit. Et insuper collectam per universum comitatum et marchiam impositam ab eis extorquid et Ianuam adduxit; et quod fuit quantitas[c] librarum 800 et eo amplius, excepta collecta super eos imposita pro guardia castri Bonifacii. Preterea quia propinqui illorum malefactorum de Saona prout ferebatur, assensum ad maleficium[d] illud perpetrandum praebuerant, omnes eorum possessiones et destrui fecit et mobile eorum ubicumque inventum cepit. Et quoniam quidam de Albizola ad huiusmodi factum interfuit, universum posse ad ipsum pertinentem vastari fecit. Simili quoque modo possessiones et domos illorum de Varaginis, qui de preda illa in eorum domibus receperunt, vastari dirumpere[e] omnino iussit. In eodem quippe anno vicesima secunda die Septenbris dominus Bonifacius Ianuensis archiepiscopus fati munus complevit. Altera autem die congregatis[f] in unum canonicis maioris ecclesiae, abbatibus, prepositis, prelatis ecclesiarum, per Rollandum praepositum Sancti Laurentii et Ottonem archidiaconum, quibus electio[g] data et concessa fuit per clericos et laicos, dominus Otto Bobiensis episcopus in archiepiscopum electus fuit. Contigit autem, quod in eodem anno quarto die intrantis Decembris in crepusculo noctis duo ex servientibus Surleonis Piperis instinctu quorumdam de parte illorum de Volta ipsum Surleonem in domo sua graviter vulnerarunt. Mane autem facto, videlicet in vigilia sancti Nicolai, predictus domnus Guifredotus ambas partes, de Volta videlicet et de Curia, vocavit in publico parlamento, et eos iurare constrinxit de discordiis omnibus, que invicem habebant, mandatis suis et preceptis in omnibus obedire. In festivitate autem beati Nicolai facta contione, et vocatis preposito et archidiacono Ianuensis ecclesie, constitutis in medio ecclesie reliquiis et teste[27] euangeliorum, partibus omnibus existentibus et presentibus in ecclesia sancti Laurentii, iuraverunt omnes pacem invicem servare; et sacramentis peractis super ipsas reliquias et ewangelias, ipsos omnes invicem osculari fecit. Postea vero de guerra que erat inter Aureos et Porcellos atque filium quondam Opizonis Lecavelum, et inter filios quondam Ingonis Cassicii et filios quondam Phylippi Maliinfantis, similem pacem iurare fecit, et im publico parlamento invicem osculari fecit[h]. Contigit autem quod eodem anno comes Flandrensis et

a) *ita ed.*; consistandi 1. 2. b) aljas 1. c) quantitat 1. d) meleficium 1. e) dirupere 1. f) congratis 1. g) electia 1. h) *hinc alio atramento et littera minori et graciliori.*

27) i. q. textu.

1203. comes Sancti Pauli et marchio Bonifacius de Monteferrato crucem dominicam accipere credentes, Veniciam perrexerunt, ibique cum Venitis confederarunt, fingentes se ire ultra mare ad recuperandum dominicum sepulcrum. Primo euntes ad Iadaram, et preliando, ipsam ceperunt, et penitus destruxerunt tam ecclesias quam cetera edificia; et multos homines et feminas et pueros interfecerunt; et aliam civitatem in insula . . . . . . . . . .[a] hedificarunt[b]. Postmodum vero obliti dominice crucis receptionem, et ipsam crucem proitientes, Constantinopolim perrexerunt, et civitatem ceperunt et expoliarunt, ecclesias expoliantes et cruces et testes ewangeliorum crustantes[28], et reliquias sanctorum inter se dividentes, huc et illuc miserunt; et imperium Romanie in tres partes diviserunt, imperium dantes comiti Flandrensi, regnum Salonichi marchioni Montisferrati, et insulas Romanie duci Venetiae cum quadam parte terrarum Romanie[29. c]. Consules vero causarum tam civium quam foritanorum, sicut viri prudentes et discreti officium suum feliciter rexerunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1204. Anno dominice nativitatis 1204, indictione 6. fuit predictus dominus Guifredottus Grassellus confirmatus in potestate Ianuensis civitatis, et fuerunt consules pro placitis 12: in quatuor compagnis versus civitatem videlicet Enricus Mallonus, Bonifacius de Guidone, Ido Stanconus et Martinus Tornellus; in aliis quatuor compagnis versus burgum Guirardus de Murta, Ansaldus Malfante, Botarius Auriae et Iacobus Piccamilium; pro civitate et burgo in medio Baialardus de Pallo, Bertholotus de Volta, Balduinus Bisatia et Fulco de Gisulfo; pro foritanis Balduinus de Volta et Vassallus Grillus.

In presenti quidem anno civitas exercitum fecit super rebelles de valle Arotiae, et ivit illuc potestas cum militibus civitatis et cum hominibus comitatus et marchie, et super illos equitavit; et ad mandatum suum venerunt, et civitati fidelitatem iurarunt, et pro offensionibus factis in illis de Reveria et specialiter in portu Mauritio ab eis extorsit ultra libras 1000 Ianuensium. Et castella duo que fecerant rustici de valle Arocie et Unegie, in quibus se receperant, destruere fecit, et ad domos proprias omnes redire fecit[30]. In eodem quidem anno Ugo de Cassaro cum galea una cepit per bataliam galeam unam Recoveri, in qua ipse Recoverus interfectus fuit, cum nequissimus inimicus Ianuensis civitatis esset. Contigit autem, quod quadam die mensis Septenbris sagittea una Pisanorum centum remorum cum bucio uno octuaginta remorum venit im partibus de infra muris, et ceperunt bucios qui per Riveriam illam ibant. Burgenses vero Portus Veneris tanquam viri fortes et robusti armarunt galeam unam, in qua fuit Phylippus Cavarruncus castellanus Portus Veneris, et iverunt ad fucem Arni; et ibi tandiu expectarunt, quod sagittea et bucius redierunt; et sagitteam vi ceperunt et Ianuam conduxerunt. Ceterum vero gloriam et honorem, victoriam et triumphum, que de benignitate sua Pater celestis Ianuensi urbi de celo contulit super inimicos nostros Pisanos, ad memoriam retinendam dignum enarrare duxi. Navis Carrocia, de qua erat dominus vir strenuus Alamannus de Costa, navem Pisanorum de cursu que Leopardus vocabatur, et que exierat ad ipsam inquirendam cum quingentis bellatoribus, campali bello devicit et eam cepit, in qua ultra 280 guarnimenta ferri, ultra iuppones[31], elmos et clipeos, et alia arma multa ceperunt. Que dum pervenissent in partibus insule Creti, naves nostre de ultra mare et de Alexandria inveniendo, simul cum eis venire firmarunt ad expugnandam civitatem Siracusanam, quam Pisani pirati ad offensionem nostram et omnium gentium habitabant; de qua etiam burgenses eiusdem civitatis violenter expulerant; et quod nequissimum potius videbatur, et spiritualem patrem, scilicet episcopum, et fratres suos de civitate ipsa inhumaniter eiecerunt. Cum igitur iter gloriosum incepissent, et pervenissent ad insulam Malte, vir egregius et amator Ianuensium honoris, comes Enricus Piscator, volens esse particeps tanti honoris, cum galeis et gente sua eis adiuvatus est. Et sic ad Siracusanam civitatem venientes, et applicantes die Veneris sexta

a) *lacuna* 1. 2. b) quare fuerunt per Romanam ecclesiam excommunicati. Quidam autem Ianuensium qui erant in Scicilia armaverunt quam plures galeas, et apud Iadaram euntes, ipsam ceperunt, et eam incolis regni Austrie restituerunt, quia tunc vigebat guera inter Ianuenses et Venetos. *subiecit manus saeculi XV. in margine inferiori* 1. *in textu recepit* 2. c) *reliqua anni alio atramento.*

28) scilicet excrustantes, crustis aureis et gemmatis nudantes. 29) Haec a. 1204 peracta igitur et eo demum scripta sunt. 30) Cf. potestatis mandatum de valle Arotiae pacificanda. Libr. iur. I, 515 W. 31) i. e. thoraces.

1204. die Augusti, inter nonam et vesperas navibus duabus magnis que in portu erant, una quarum nomen erat Florius et altera Rosa, vi captis, ipsam obsederunt; et de munere summi Regis cum scalis et aliis belli generibus dimicando, in conspectu comitis Rainerii de Tusscia, qui cum manu militum et peditum in succursum eius venerant, infra dies septem in facie gladii ceperunt; et universis malefactoribus qui in ea latitabant deiectis, et episcopo cum suis fratribus sedi sue et ecclesiis restitutis, cum laudibus et hynnis laudabilem Ianuensem Alamannum ad honorem civitatis nostre ex ea comitem pro comuni Ianue prefecerunt consules de Alexandria Lanbertus Fornarius et Belmustus Lercarius, et consules de Alexandria Ogerius de Insulis et Belmustus Lercarius iunior, conscilio et voluntate nobilium qui in navibus erant, et recepta ab eo fidelitate pro comuni Ianuae, ei civitatem dederunt; et terra commissa sibi et bene guarnita, prosperantibus ventis Ianuam pervenerunt. Verum cum adhuc essent in portu, navis quedam magna Pisanorum, que vocabatur Tunnus, portum illum applicuit, et cum universa peccunia existente in ea ipsam manu salva ceperunt.

In eodem videlicet anno mense Octubris, undecima vero die, fuit maxima tempestas maris, in qua im portu Ianuae naufragium passe fuerunt plures naves, inter quas Gazella quae itura erat ultra mare, et Falconem quae itura erat Septam cum magna peccunia Sarracenorum et maximum plures homines dampnum. Navis quoque que vocabatur Regina, et navis que vocabatur Dulcis, fortuitu casu ipsa die naufragium passe fuere. Eodem die post nubilum vero facta est tranquillitas magna, et venerunt homines cum barcis lignis et 32 buciis inquirentes de peccunia illa, ultra ballas 350 pannorum et baldinellarum[32] invenerunt, et de zurris[33] piperis et lacce[34] atque saccis bonbecii maximam quantitatem. Verum peccatis exigentibus in introitu mensis Decembris quidam nobiles viri simul confederantes occasione servientum potestatis, qui nocte quemdam filium Iohannis Balbi de Susilia in cambio alterius interfecerunt, contra potestatem insurrexerunt; et per aliquot dies in errore illo perseverantes, cum potestas maximam congregasset gentem, in fine tamen mediantibus pluribus viris religiosis et laicis ad satisfacionem venerunt; et sic in maxima permansit civitas tranquillitate.

In eodem quippe anno in mense Ianuarii. 11. vero die, fuit ignis magnus in contrata 35 Obraderiorum, qui maximum dampnum intulit. Eodem quippe anno quum[35] Ugo de Cassaro unam galeam suam Messinam transmitteret, obviata fuit galea una Pisanorum que de industria armata erat ad ipsam conprehendendam, in qua erat Recoverus capitalis inimicus Ianuensium civitatis; et cum illam invenisset, prelium invicem commiserunt, et per Dei gratiam galea Ugonis optinuit, et illam Pisanorum cepit, et illum Recuverum interfecerunt[36]. In eodem vero anno cum multi Ianuenses undique congregati cum galeis 6 Romaniam intrassent, inter quas fuit quedam galea de Portu Veneris, invenerunt quamdam navem de Constantinopoli redeuntem, in qua ceperunt magnam peccunie quantitatem, et multas reliquias sanctorum et cruces dominicas, et inter se diviserunt. Et pars, quae galee Portus Veneris contigit, Ianuam adducta fuit, et per ecclesias, prout vocabula sanctorum erant, divisa. In isto vero anno intravit Ianuam rex Aragonensis[a]. In eadem quippe potestatia mercatores Ianuae galeas quatuor armaverunt circa festivitatem natalis Domini, in quibus mercationem suam in Siciliam portaverunt, pro quibus asociandis comune armavit galeam unam, qua comitus ivit Amicus Mallonus; qui cum im partibus Neapolis pervenissent, invenerunt navem unam Pisanorum que vocabatur Garafanus, que ibi armabatur causa intrandi in cursum, quam protinus[b] ceperunt, et eam penitus combuxerunt. Consules vero placitorum et foritanorum tanquam viri discreti et legales officium suum feliciter rexerunt, ius suum amicabiliter cuique tribuentes[c]. Dictus namque Guifredotus potestas octo galeas novas hoc anno fieri fecit.

1205. In[d] anno sequenti 1205, indictione 7. fuit in regimine civitatis potestas dominus Fulco de Castello, qui ad suum conscilium habuit pro rectoribus et super rationibus comunis cognoscendis Nicolam Mallonum, Wilielmum Tornellum, Belmustum Lercarium et Wiliel-

a) *hinc alio atramento.* b) *ita ed.*, penitus 1. 2. c) *reliqua alio atramento.* d) *alia manu.*

32) sindonis subtilioris. 33) Videtur esse vas vel fascis. 34) resinae species. 35) Haec supra iam brevius relata sunt. 36) Quae res supra iam narrata est.

mum de Nigro. Consules placitorum pro rationibus hominum quatuor compagnarum de 1205. versus civitatem cognoscendis fuerunt Bonifacius quondam Alberti de Volta, Ansaldus Lecavelum, Wilielmus Ingonis Tornelli et Obertus Castagna; in aliis quatuor compagnis versus burgum Wilielmus Spavaldus, Balduinus de Medolico, Amicus Turcius et Obertus quondam Vegii de Ceba; pro medianis Amigonus de Castello, Enricus Cigala, Amicus Guercius et Ogerius Mazanellus.

In eodem anno comes Flandrensis, qui sedem Constantinopolitanam susceperat, cum magno militum Francorum numero et cum duce Venetico et gente sua ad obsidionem Andrinopolis perrexit; ibique infestati et preliati a Brachis[37], surrexerunt ad arma, secuti 37 fuerunt illos terga vertentes, et ex eis innumeram quantitatem prostraverunt et interfecerunt. Set tamdem Brachi revertentes, illum ceperunt cum 300 militibus Franchis, qui omnes in faciem gladii mortui fuerunt, et personam imperatoris retinuerunt. Marchio autem Bonifacius de Monteferrato, qui dominatum Salonicensem et regnum habebat, quum perrexisset ad obsidionem Neapolis et Coranti, quibus dominabatur Alexius quondam Constantinopolitanus imperator, ipsum Alexium uxorem et filium cepit, Ianuamque in galea una Portus Veneris, que apud Salonicum erat, per Enricum de Carmadino mandavit. Cumque Ianuam applicuissent, Wilielmus marchio, dicti Bonifacii filius, habito inde nuntio Ianuam venit, ipsumque imperatorem uxorem et filium apud Montemferratum secum duxit. Preterea naves de ultra mare et Alexandria redeuntes, cum quatuor galeis quas obviam eis miserat potestas apud Panormum venerunt, ibique navem quendam[a] Pisanorum invenientes, cum galea una in terram descenderunt, et civitatem admodum preliantes, et carricum[38] navis quod extra civitatem erat in terra ceperunt, et navem penitus combuxerunt, et Ianuam feliciter redierunt.

In presenti quidem anno Pisani cum tribus navibus in Provinciam descenderunt, ibique invenientes navem unam Ianuensium euntem Buzeam, que vocabatur Viola, ceperunt; et cum ea apud Kalarim et inde Siciliam iverunt. Et cum pervenissent cum ipsis navibus et aliis quatuor navibus et galeis 12 apud Messanam, descenderunt in terram, et prelium cum paucis Ianuensibus qui ibi erant inceperunt; quo bello multi Pisani in facie gladii perierunt. Contigit autem, quod dum comes Benedictus cum galea una et Paganellus de Porcaria cum altera galea iverunt Panormum pro auxilio petendo, Wilielmus Porcus et Benvenutus filius comitis Alamanni galeas armarunt duas, et illas Pisanorum secuti fuerunt, et prelium invicem committentes, unam ex galeis Pisanorum, illam videlicet comitis Benedicti, ceperunt et Messinam duxerunt; in quo prelio ultra septuaginta Pisani interfecti fuerunt; et comitem Benedictum in carcere posuerunt; set tandem ipsum incarceratum comiti Anfusso reddiderunt; et hoc fuit in mense Augusti. Inter cetera contigit, quod Paganellus, qui preerat navibus Pisanorum et qui evaserat fugiendo cum galea sua, et Bonalbergus cursalis, postquam prelium commiserunt cum Ianuensibus apud Messinam, cum navibus 10 et galeis 12 ceterisque lignis multis apud Siracusiam perrexerunt cum comite Rainerio de Manente multisque Tuscanis undique congregatis; et ipsam civitatem circumquaque obsidentes, per tres menses et dimidium et plus etiam in illa obsidione permanserunt. Unde egregius comes Malte Enricus[b] intuitu civitatis Ianue et amicissimi sui comitis Alamanni, qui in civitate illa preerat et obsidebatur, iracundia motus ad dampnum et detrimentum Pisanorum et dicte civitatis succursum viriliter se preparavit, et galeas 4 armavit, et cum ipsis et maxime peccunie quantitate et numero tarinorum[39] Messanam accessit; ibique inveniens naves duas Ianuensium de ultra mare redeuntes, Lunam videlicet qua preerat Ugolinus de Levanto, et Papagasium, qua preerat Iohannes de Torcha et consules Ianuenses ibi constitutos, atque Wilielmum Spinulam qui legatus apud Alexandriam mittebatur, et Zachariam de Castro qui per domnum Fulchonem cum quadam galea de Portu Veneris ibi fuerat missus pro facto Syracusie, et comitem Anfussum, atque Wilielmum Porcum, Dondedeum Bovem et Iohannem de Camugio, et negociatores dictarum navium, ceterosque amicos Ianuensis civitatis qui ibi aderant, admonuit eos et rogavit, ut de succursu Siracusie ad honorem civitatis Ianuae se prepararent; qui viriliter ad hoc se preparaverunt. Qui comes cum supradictis precibus atque solidis galeas et alia ligna minuta 16 velociter armavit. Quo facto Zacharias de Castro et alii nobiles Ianuae et amici

a) *ita c.* b) *alia pagina et aliud atramentum.* 37) Walachis. 38) onus. 39) nummus aureus.

1205. civitatis unanimiter nobilem Enricum comitem iandicti stoli, exercitus dominum et capitaneum levaverunt et constituerunt; et cum omni felicitate de Mesana moventes, super Syragusiam aplicuerunt. Pisani vero qui ibi erant, cum navibus 9 et galeis 12 buciisque et barcis 14 obviam galeis et lignis Ianuensium exierunt, et invicem bellum committentes, maxime insimul preliarunt. In fine tamen per Christi misericordiam Ianuenses de bello optinuerunt, et victoriam inde habuerunt, et galeas omnes et ligna Pisanorum ceperunt, preter galeas 5 Longobardorum, in quibus erant Pisani 20 per galeam, que fugam ceperunt. Et venientes ad portum, naves omnes ceperunt, et inter se eas diviserunt. Comes autem Siracusie cum sua baronia de civitate exeuntes, apertis portis multos Pisanos qui in terra erant et totam raubam eorum, vexilla et tentoria et arnesium[a] totum ceperunt, et plures ex illis in fatiem gladii interfecerunt; et omnes etiam penitus cepissent, nisi quod comes Rainerius cum suis militibus profugium cepit: et hoc fuit die lune ante nativitatem Domini. Dominus autem Fulcho de conscilio et voluntate tocius conscilii antea pro succursu eiusdem civitatis 10 galeas de corpore civitatis, et unam de Saona, aliam de Naulo, et alteram de Victimilio armaverat, in quibus fuerunt rectores et maiores Nicola Mallonus et Wilielmus de Nigro; set in nomine Domini 12. die Ianuarii iter feliciter arripuerunt, et penultima die Marcii redierunt et nichil vel parum fecerunt.

Insuper non est pretermittendum de eo, quod egregio comiti Enrico contigit in isto anno. Ipse enim quamdam navem suam Leonempardum nomine, que Pisanis fuerat ablata per comitem Alamannum, armavit optime cum duabus galeis, et super inimicos nostros in Romaniam in cursu mandavit, cuius navis et galearum prudentissimos viros Armannum Vicecomitem et Albertum Gallinam dominos et rectores constituit. Navigante vero nave cum galeis et in Romaniam intrante, obviavit navibus duabus magnis et ditissimis Venetarum et bene armatis apud Constantinopolim proficiscentibus, una quarum vocabatur Falconus et alia Rosa, ipsasque secuta fuit terga vertentes. Cumque vero die noctuque ipsas sequeretur, et tranquillitate ventorum iuxta eas ad bellum ire non posset, homines de Rosa, que minor erat, cum mercibus subtilibus in Falcone ascenderunt, et navem illam Rosan inferius perforarunt. Set antequam penitus submergeretur, galee ad eam euntes plus 200 ballis bonorum pannorum, scarlatarum videlicet et aliorum pannorum et fusta- 40 neorum[40] ex ea extraxerunt. Flantibus autem ventis Venete cum Falcone ceperunt fugam; et Leopardus cum galeis ipsam usque in orientales partes sequendo, eam iunxerunt, et viriliter ipsam preliantes pluribus diebus, Christi misericordia eam ceperunt, et innumerabilem peccunie quantitatem, et lorica 1200 et alia arma multa in ea acquirentes, homines qui in ea erant plus 900 in potestate habuere. Habito quoque tanto triumpho, Venetas in terra posuerunt. Cumque in portu Tyri et Accon vellent applicare et pro victu accipiendo in terra descendere, prae multitudine Venetarum in ipsis terris existentium minime potuerunt. Et tandem velificantes, apud Tripolim iverunt, volentes ibi in terra descendere et non potuerunt nec fiduciam habere. Quare iuvenes Maltenses qui in navibus et galeis erant ira valde moti, per mare civitatem obsidentes, tandiu ibi steterunt, quod comes Tripolitanus pactum et concordiam cum ipsis fecit, et eis fiduciam dedit. Permanentibus autem ibi in amore et concordia comitis, ad obsidendum et capiendum castrum Nifini, quod comiti fuerat rebellatum, viriliter perrexere; et ipsum acriter bellantes sub dominio et potestate comitis illud subiugarunt. Sed tamdem dominus et rector Nifini ad resistendum comiti et suis per Turchos et Sarracenos mandavit, volens eis primitus quam comiti castrum reddere. Set Christi misericordia et iuvenum Maltensium coadiuvante auxilio, nichil ei valuit, quoniam ipsum invenerunt subiugatum. Venientibus autem Turchis plus 20 milibus, et invenientibus Nifinum a comite captum ut supra et optime munitum, obsederunt Gibelletum ipsum fortiter bellantes. In quo iuvenes Maltenses existentes qui 300 erant, eis obviam exierunt; et quod est mirabile in oculis hominum enarrare, ab obsidione dicti castri iandictos 20 milia Turchos repulsos fecerunt recedere: ex quorum probitate per universan[b] Turchorum regionem fama volat. Quid plura? Prenominatus comes pro iandicto servitio et dictorum Ianuensium in Malta habitantium intuitu, cunctis Ianuensibus dacitam vel drictum, quam vel quod in Tripolin soliti erant dare, remisit; et insuper iura omnia et rationes omnes que et quas Ianuensis civitas in Tripolitana civitate et in Antiochia habere et tenere solita erat, et

a) asnesium 1. 2. b) *ita* 1. *ut infra saepius n loco m usitatum.*

40) ex gossypio confectorum.

rugam et balneum[a] et ecclesiam et cetera omnia Ianuensi civitati concessit; et inde optimum privilegium sigillo aureo munitum eis fecit[41]. Quo facto cum omni felicitate victoria et triumpho atque divitiis multis Maltam redierunt, omnia in potestate victoriosi comitis Enrici tradentes. Qui comes summo gaudio et ingenti leticia ipsos recepit, et iandictum privilegium Ianuensi potestati mandavit; quo habito Ianuenses omnes ingenti gaudio et leticia repleti fuere. Consules vero placitorum et foritanorum per Dei gratiam officium suum optime tractaverunt, et honeste ac decenter operati sunt, ius suum cuique amicabiliter tribuentes. Prefatus quidem potestas hoc anno octo galeas novas fieri fecit. 1205. 41

Anno[b] 1206, indictione 8. fuit in regimine civitatis vir nobilissimus et discretus dominus Iohannes Struxius[c], qui rem publicam legaliter pertractans et honeste, habuit secum consules quatuor maris, videlicet Ogerium Scotum, Idonem de Carmadino, Obertum Ususmaris et Iacobum Picamilium. Pro placitis vero ex parte civitatis fuerunt consules constituti Enricus Mallonus, Ido Stanconus, Otto Pezullus et Ingo de Volta; in compagnis autem de versus burgum Nicola Bocatius, Iacobus Finamor, Lambertus Domusculte, et Rubaldus de Ginatha; pro medianis vero Opizo Guercius, Villanus de Insulis, Andreas Grillus et Villanus Maniaporri. 1206.

Anno quidem presenti domnus Iohannes potestas quatuor armavit galeas, que versus Provinciam proficiscentes, duos magnos cursalium Pisanorum bucios acceperunt Ianuamque miserunt. Deinde vero euntes in Corsicam, ad portum descenderunt Pisanum, et per Riveriam Pisanorum venientes, Ianuam reverse fuerunt. Supradicti vero consules maris tres magnas naves cum tribus galeis tribusque[d] barcis tribusque canteriis[e] magnis viriliter armaverunt, et in cursu miserunt. Morantes autem per duos menses supra Pisanos ad obsidendas eorum naves que erant ad Karolin perrexerunt, ibique eas longo tempore hostiliter tenuerunt inclusas. Mense quoque Iulii dictus potestas de honore et exaltatione Ianuensis urbis cogitans, quatuor armavit galeas, easque misit super Pisanos. Cum autem pervenissent ad portum Pisanum, invenerunt navem magnam Pisanorum quae vocabatur Christiana causa intrandi in cursum armatam, et ipsam preliando ceperunt; cumque autem eam propter timones quibus carebat et temporis adversitatem minime ducere possent, multis personis videntibus et etiam Venetarum legato presente, qui pro ipsa videnda apud portum Pisanum venerat, ipsam conbuxerunt, extractis primitus ex ea multis armis et guarnimentis libras 500 valentibus, que per galeas inter se diviserunt. Deinde Corsicam et Sardineam circumeuntes, Ianuam feliciter redierunt. In predicto quidem anno in civitate Ianuae armate fuerunt galee quatuor, in quibus delata fuit filia marchionis Bonifatii de Monferrato ad eum qui imperatorem Constantinopolitanum se appellari faciebat, cui copulari debebat. Preterea non est oblivioni tradendum de honorabili et victorioso comite Malte Enrico, qui cum navibus, galeis, uscheriis, buciis aliisque lignis cursalibus armatis insulam[f] Creti adivit, et ipsam preliando cepit et eam Venetis abstulit[g], cuius dominus factus eam tenuit habuitque tributum. In hac vero potestatia, vigilia beati Silvestri videlicet, naves quatuor quae Septam ibant, in partibus Gibeltarie[h] et Marzamuse naufragium passe fuerunt; in quo naufragio tam personarum quam rerum maximum dampnum sustinuerunt. Predicta autem potestas et consules maris octo galeas novas fieri fecerunt. Consules vero causarum tam civium quam foritanorum per Dei gratiam suum optime tractaverunt officium, ius suum cuique amicabiliter tribuentes[i].

In sequenti vero anno 1207, indictione 9. fuerunt in regimine civitatis consules sex pro comuni, videlicet Fulcho filius Fulchonis de Castro, Lanfrancus Rubeus, Wilielmus Maloucellus, Nicolaus Aurie, Enricus de Nigro et Obertus Spinula; placitorum vero fuerunt 1207.

a) *in margine* 1. *manu saeculi XV. notatur* non consit balneum nec rugam nec ecclesiam. b) *littera paullo minori.* c) honorabilis civis Cremonensis *addit* 2. d) *ita ed.; deest* 1. 2. e) canterii 1. f) *in sequentibus plura abscisa sunt in codice* 1. *servata in* 2. g) et c. V. a. *alia manu addita in* 1. h) *ita* 1. i) *manu saeculi XIII. exeuntis adicitur in* 1: Hoc quoque anno aqueductus primo factus est in Ianua. Veneti etiam eodem anno ceperunt Mutonum quod cursales tenebant, et ipsum dirruerunt, et Coronum etiam ceperunt et munierunt. Insulam quoque Creti abstulerunt comiti predicto. Insuper armate fuerunt per burgenses Constantinopolis due naves et due galee privatim, et venientes in Sicilia, ceperunt ibi naves quatuor Ianuensium. Deinde intraverunt in Garbo et ibi ceperunt naves Ianuensium 27, et in Constantinopolim redierunt, ante quam ad notitiam hominum Ianuae pervenisset. Aliqui dicunt, quod hoc fuit anno Domini 1215.

41) mense Iulii a. 1205. Lib. iur. I. p. 522. W.

1207. consules in quatuor compagnis versus civitatem Bonifatius quondam Alberti de Volta, Bonusvassallus Barbavaria, Ansaldus Policinus et Balduinus de Volta; in aliis quatuor compagnis versus burgum Botarius Aurie, Amicus Guercius, Balduinus Sardena et Wilielmus quondam Ansaldi Sardene. Consules de medio fuerunt Iacobus Angeloti[a], Iacobus[a] de[a] Insulis[a], Balduinus de Medolico et Wilielmus[a] Sivorellus.

Prescripti vero consules comunis in principio sui consulatus fecerunt mutuum per cives ultra librarum decem milia quantitatem, et galeas 22 novas et taridas 4 ad modum galearum fieri fecerunt, galeamque unam a Niciensibus compararunt, et unam apud Saonam alteramque apud Naulim fieri fecerunt. In mense vero Madii armarunt galeas decem et naves decem, in quibus ivit Nicolaus Aurie dominus et guida, que Karalin aplicantes, invenerunt ibi naves 10 Pisanorum et galeas 8 bene guarnitas et omni fractarum munitione defensas, easque invadendo prederiis balistis atque sagittis preliarunt; set 42 propter fractas[42] super eas ire minime potuerunt. Videntes autem quod nichil proficerent, in nave una ignem accenderunt, quam super illas ire facere volentes, propter fractas non potuerunt. Pisani vero de succursu navium et galearum suarum cogitantes, 17 galeas optime armatas in earum auxilio miserunt. Consules autem galeas 14 preparantes, unum ex eis, Fulconem videlicet Fulconis filium, ex eis constituerunt rectorem. Verum quia Pisanorum galee primitus Karolim aplicuerunt quam galee Ianuensium, primitive naves et galee ab obsidione se extrahentes, temporis contrarietate huc et illuc se separarunt. Quarum due, videlicet navis que dicebatur Bissia et Stelleta, contrarium iter tenentes, ab hominibus relicte, fuerunt capte. Navis autem que Sanctus Iacobus dicebatur, qua Symon de Bulgaro preerat, cum galea una apud Messanam iter suum direxit. Ibique homines Messane timore Pisanorum perterritos inveniens et stupefactos, eos penitus confortavit. Pisani vero cum dicto navigio Panormum euntes et in terram descendentes, vanis cogitationibus pleni, totam terram cum Rainerio de Manente, qui comitem se appellari faciebat, et Capparrono habere sperarunt. Unde fraudulentis cogitationibus decepti, cancellarius cum suo exercitu supra eos felicem fecit assultum, et incepto prelio ipsos tergavertentes fugavit, et multos ex ipsis qui in navibus et galeis ascendere non potuerant interfecit. Postmodum vero cum navibus et galeis 8 in Sardineam reversi sunt ad caricum recipiendum, et 17 galee Pisas redierunt. Mense vero Iunii dum naves 7 cum galeis et salandro aliisque lignis subtilibus de ultra mare redirent, et prope civitatem in partibus Nervi videlicet nocte pervenissent, facta fuit maris tempestas valida in tantum, quod proiectis antennis temonibusque fractis vix evaserunt, preter unam que Carrocius dicebatur, que apud Alegariam passa fuit naufragium, et exceptis duabus barcis, una navis Domine et altera navis Papagaxii, que similiter naufragium passe fuerunt, et excepta galea navis Domine, que in littore Sturle honerata sana venit. Et sic extractis reliquiis beati Iohannis summo mane dominus archiepiscopus cum clero et laicorum multitudine copiosa atque mulierum, predictis navibus in tanto periculo extantibus obviam exivit; et facta fuit tranquillitas, et ipsa die cum gaudio tanquam a morte liberati intraverunt in portu. Quoniam consules cum galeis barcis et sartia multa ad ipsas iverunt succurrendas. Quo facto tristicia primo orta, versa fuit in gaudium et leticia magna. Consules vero causarum tam civium quam foritanorum per Dei gratiam suum optime tractaverunt offitium, ius suum cuique amicabiliter tribuentes.

1208. Anno quidem dominice nativitatis 1208, indictione 10. fuerunt in regimine civitatis sex consules pro comuni, videlicet Wilielmus Embriacus, Ottobonus de Cruce, Wilielmus Guercius, Montanarius Aurie, Wilielmus de Nigro et Wilielmus Spinula; qui Wilielmus Spinula vocatus a soldano[b] Babilonie, legatus ivit ad ipsum, de voluntate tamen sociorum ac licentia consciliariorum. Pro placitis vero fuerunt consules in quatuor compagnis versus civitatem Amigonus de Castro, Enricus Mallonus, Otto Pezullus et Opizo Guercius; in aliis autem quatuor compagnis versus burgum Podius cancellarius, Wilielmus quondam Rainaldi Sardene, Dondedeus de Campo et Bucutius Capitisgalli. Pro medianis vero fuerunt consules Bachemus quondam Lanfranci Bachemi, Martinus Tornellus, Symon Alpanus et Wilielmus Ficus matarius; pro foritanis autem Rubaldus Tarallus et Wilielmus de Balneo.

a) *alia manu loco vacuo inserta* 1. b) saldano 1. 42) Palorum munitio esse videtur; *verzäunung* nobis.

In predicto siquidem consulatu Girardus abbas de Telieto vocavit consules iandictos, ut de discordia que inter Ianuensem urbem et civitatem Pisanam vertebatur, in se ponere deberent. Qui habito conscilio, Ottobonus et Wilielmus Spinula cum pluribus sapientibus civitatis Portum Veneris iverunt, et cum nobili cive Parmensium Matheo de Corrigia videlicet Pisarum potestate apud Ylicem se convenerunt[a]; et audito sermone predicti abbatis iuraverunt ambe partes mandatis ipsius et Gargani abbatis Sancti Gargani per omnia obedire de universis controversiis et discordiis que inter utramque civitatem vertebantur. Qui abbates illis preceperunt in continenti treguam servare ad invicem, et nullam una pars alteri facere offenssionem, et nuncios et litteras suas per diversas mundi partes ad suos transmittere, ut inde pariter tenerentur, et quod mille homines sacramentales de quaque civitate eis prestarent. Quo facto, iniunxerunt eis ut duobus mille hominibus ultra predictos per quamque civitatem simile facerent subire iuramentum, precipientes eis ut usque sanctum Andream tregua servaretur inter eos, postmodum vero ut usque[b] Kalendas Ianuarii, et postea usque Kalendas Marcii. 1208.

In predicto siquidem anno contigit quoddam infortunium et scelus nequissimum atque apud Deum et homines detestabile et abhominabile, videlicet quod quidam scelleratissimus homo nomine Falsusgradus[43] accedens ad palatium domini Philipi Romanorum regis situm 43 loco, ubi dicitur ........[44], ipsumque solum quasi inveniens, mucrone erecto interfecit. Unde accidit quod universa terra Teotonica in tantum fuit perturbata, quod mercatores et iter agentes per partes illas securi ire non poterant; et quod deterius fuit, qui tunc inventi fuerunt, bonis omnibus fuerunt penitus expoliati. Videntes autem principes Alamanie et cognoscentes, quod tota terra erat in maligno posita, congregati in unum, pari voto atque comuni concordia dominum Ottonem Romanorum elegerunt in regem, coronam ei penitus concedentes, cum primitus inter ipsum et ian dictum Filipum de imperio maxima discordia exstitisset Hoc autem anno Enricus comes Malte et dominus Crete, Arnadum Burdinum cum duabus galeis Ianuam misit, postulans et implorans consilium et auxilium contra Venetos inimicos. Consules autem habito sapientum conscilio, naves et galeas, milites et[c] servientes, et maximam biscocti quantitatem, et in denariis libras tria milia pro centum equis ex eis emptis ei miserunt. Qui cum Cretam applicuissent, bellum cum Venetis inceperunt, et Reinerium Dandali, quem dux Venetorum admiratum et dominum exercitus Crete constituerat, ceperunt in prelio; qui Rainerius in carcere ductus, post paucos dies, sicut divine placuit voluntati, vitam finivit, et egregius comes Enricus corpus illius honorabiliter preparatum Venetis reddi fecit sepelliendum. Cumque Veneti ipsum in tribus galeis cum suo arnesio[d] apud Venetas mitterent, tribus galeis Beneventuti filii comitis Alamanni obviaverunt, qui ipsas cepit et Siracusan duxit. Prefati namque consules in principio sui consulatus Nicolam Mallonum et Enricum Detesalve ad Miramolinum legatos in una galea apud Murrochum miserunt, qui pacem cum ipso usque annos duos firmarunt; ibique dictus Nicola migravit a seculo. Consules vero causarum tan civium quam foritanorum per Dei gratiam suum optime tractaverunt offitium, unicuique ius suum amicabiliter tribuentes.

Anno quidem dominice nativitatis 1209, indictione 11. fuerunt consules sex pro comuni, 1209. videlicet[e] Wilhermus quondam Ugonis[f] Embriaci, Wilielmus Rubeus de Volta, Ido de Carmadino, qui in eodem consulatu mense Novembris migravit a seculo, Daniel Aurie, Obertus Ususmaris et Enricus de Nigro; pro placitis vero fuerunt consules in quatuor compagnis de versus civitatem Obertus Mallonus, Bonusvassallus Barbavaria, Bonifatius de Guidone et Wilielmus quondam Ingonis Tornelli; in quatuor autem compagnis de versus burgum Botarius Aurie, Wilielmus de Orto, Otto Guaracus et Villanus Maniaporri; pro medianis vero Balditionus Boiachensis, Iacobus Angelotti de Caphara, Wilielmus Rotius et Balduinus Mussus; pro foritanis Symon de Bonothoma et Obertus comes.

In principio itaque dicti consulatus Girardus abbas de Telieto et Garganus abbas Sancti Gargani, in quorum potestate ut supra lis et discordia, que inter Ianuenses et Pisanos posita erat diffinienda, cum iandictis consulibus comunis et Gotefredo Musto Pisarum potestate apud Ylicem convenerunt, et sententiam dicte discordie in presentia multorum protulerunt, ambas partes comuni concordio et voluntate in pace osculari fatientes. Verum quia dicti abbates apud

a) *plura abscisa in summa pagina* 1. b) *deest* 1. c) *nonnulla avulsa* 1. d) assesio 1. 2. e) v. W. q. V. e. *in loco raso* 1. f) Vg 1. *cf. a.* 1215. 43) pfalzgraf Otto. 44) scilicet Babenberg.

1209. portum Bonifatium servientes exteros mittere debebant quam plures, Pisarum archiepiscopus pro ipsis videndis Ianuam venit; cumque eos cepissent, et in quadam galea, quam consules eis preparaverant, posuissent eundi causa apud portum Bonifatium, et ad Portum Veneris aplicuissent, prefatus Pisarum archiepiscopus et abbas de Sancto Gargano inde recedentes Pisas iverunt. Quo facto emuli ac scelleratissimi Pisani, parvo tempore transacto, naves quinque cum totidem galeis armantes, qui talibus moribus et vita ab antiquo semper vivere consueverunt, eas in cursu miserunt, et quod nequissimum fuit, contra eorum fidem et iuramentum quamdam navem Ianuensium, Villani de Castelleto videlicet et sociorum, cum minori parte honeris apud Turrim ceperunt, Ianuenses eorum pro posse offendere incipientes. Quo audito consules, qui de illorum nequitia non cogitabant, galeas 12 preparaverunt, ipsas navibus nostris de ultra mare et Alexandria venientes[a] obviam miserunt, quibus Wilielmus Rubeus consul dominus ivit; dantes eis in mandato et ordinatione, ne Pisanis ullam facerent offenssionem, quousque scirent eam nobis fecisse. Cumque versus Sardineam pergerent, navem supradictam Villani de Castelleto et sociorum, quam Pisani captam Pisas mittebant, invenientes recuperarunt, ipsamque dicto Villano reddiderunt, Pisanos in terra mittentes. Cumque dicte naves Pisanorum versus Galatam iter arriperent, plures naves nostras de ultra mare versus Septam euntes in illis partibus invenerunt, et unam ex ipsis eorum peccatis exigentibus Stelletam nomine capientes, apud Pisas homines incarceratos duxerunt; de quo dicte galee nichil scientes, plures Pisanos[b] quos in partibus Scicilie ceperant ire dimiserunt[b]; et sic Ianuam redierunt. Tempore vero procedente prefati consules maximam panis biscocti et peccunie quantitatem Oberto Castanee et Ugolino de Levanto, qui duas naves et duas galeas armabant, dederunt, eas in cursu mittentes; qui sagitteam unam Pisanorum et alia ligna atque duas naves Provincialium cum multitudine mercium accipientes, circa 80 Pisanos Ianuam duxerunt incarceratos. Consules vero causarum tam civium quam foritanorum, per Dei gratiam suum optime tractaverunt offitium, unicuique ius suum amicabiliter tribuentes[c].

1210. Anno quidem dominice nativitatis 1210, indictione 12. fuerunt consules sex pro comuni, Wilielmus quondam Nichole Embriaci videlicet, Enricus Deitesalve, Maloucellus, Symon de Camilla, Enricus Domusculte et Advocatus; consules vero placitorum versus civitatem Symon Botarius, Oto Pezollus, Opizo Guercius et Ido Tabaccus; de versus burgum Symon Alpanis, Ansaldus de Orto, Baldoinus Sardena et Domdedei de Campo; consules de medio Baldoinus de Volta, Iacobus de Insulis, Wilielmus de Balneo et Wilielmus de Infantibus; pro foretanis Obertus de Dadala et Guillelmus[d] Ficusmatarius.

In principio namque huius consulatus Pisani furtim et subdole cum galeis 10 Portum Veneris venerunt, et descendentes in insulam, inceperunt guastare vineas et arbores in insula. Quo audito, homines de Vernacia cucurrerunt et burgenses Portus Veneris, et transeuntes cum paucis lignis in insula, et currentes[e] supra ipsos Pisanos, terga verserunt, et ipsos rumpentes interficientes et vulnerantes, vix se in galeis receperunt. Et dum ascenderent in una ex galeis, bucius in quo erant submersit; et nisi hoc fuisset, galeam illam retinuissent. Tamen scalas duarum galearum et paromarias[45] retinuerunt, et de melioribus hominibus ipsarum galearum retinuerunt, inter quos unum nobilissimum Pisanum qui erat admiratus illarum galearum, Tegrimum nomine, quem retinuerunt et qui in potestate et bailia Wilielmi Scoti, qui tunc erat castellanus Portus Veneris, pervenit; et illum Pisas remisit pro cambio fratris sui Lanfranci Scoti, qui in carcere a Pisanis detinebatur, cum bona securitate et fideiussione. Consules vero ipsum Wilielmum a Castellania removerunt et domum illius destruxerunt, quia contra voluntatem ipsorum consulum cambium illud fecit predictus Guilielmus. De Ianua siquidem et de districtu Ianuae, quia tempus in mare non erat, sequenti die inter milites et pedites ultra duo milia ad sucursum Portus Veneris iverunt, et de civitate et riveria ultra 40 galeas cum omnibus apparatibus infra dies quatuor iter arripuerunt, de quibus 13 usque ad Portum Dulfinum iverunt. Consules vero qui pervenerant Portum Veneris, viderunt quod galee Pisanorum recesserant; mandarunt nuntium suum ad civitatem, ut non se moverent quoniam Pisani recesserant. Quam ob rem galaeae que erant ad Portum Dulfinum, Ianuam de licentia consciliatorum feliciter

a) venientibus *corrige*. b) P. q. i. p. S. c. i. d. *desunt* 2. c) *pergitur littera tenuiore* 1. d) *hic aliqua exesa desunt* 1. e) curentes 1.

45) an paramenta?

redierunt. In eodem quippe anno comes Enricus de Malta Ianuam die dominico de 1210.
ramis palmarum venit, postulans auxilium a comune Ianuae. Consules vero habito con-
scilio dederunt ei galeas octo et taridam unam cum universa sartia[46], et naves tres, et 46
armationem omnium, et equos centum, et tantum in vianda armis et pannis et aliis rebus
necessariis, que summam ceperunt valens libras viginti milia[47]. Qua occasione constituti
fuerunt[a] colligere denarios duos per libram de mobilia que per mare portata vel missa
fuerit, semel in anno usque ad annos sex proximos venturos, qui fuerunt incantati libre
12,542. Consules vero annorum[b] naves quatuor cum totidem galeis, quarum due iverunt in Hyspaniam, una quarum perdidit galeam unam, quam caitus Oaxant retinuit, cum per fortiam temporis ad terram iret. Due ex eis Sanctus Iohannes nomine et Sanctus Iacobus iverunt in Sardineam, et invenientes naves septem Provincialium que navem unam comitis Syracuse ceperant, et ipsas omnes ceperunt preliando cum maxima peccunie quantitate, et navem quam ceperant recuperarunt, et Ianuam cum ipsis omnibus feliciter redierunt.

In isto namque consulatu imperator Otto cum Lombardis et Tuscis super terram sancti Petri equitavit, et plurima castra et loca cepit, et versus Neapolim perrexit et equitavit. In quo quidem anno vocavit ipse dominus imperator consules Ianue, ut irent ad eum consciliati de iuramento prestando stare mandatis ipsius de treuga vel pace, de discordia que inter Ianuensem urbem et Pisas vertebatur ad terminum constitutum. Et in quo itinere iverunt Malocellus et Symon de Camilla cum pluribus nobilibus viris usque Bononiam, et venerunt Placentiam, ubi idem dominus imperator precepit Ianuensibus et Pisanis treugam tenere et servare a proximo festo sancti Michaelis usque ad annos duos, et ut ei omnes presiones ab utraque civitate detentos consignarentur et darentur. Quo facto ipsos presiones cepit et in carcere reclusit, Ianuenses apud Sanctum Miniatum et apud Fixecium, et Pisanos apud Alexandriam in Lombardiam, qui fere omnes per Christi misericordiam dextera Domini fatiente de carcere evaserunt fugiendo. In eodem anno antequam consules comiti Malte subvenire vellent, legatos Venetum[48] miserunt, si possent ipsum comitem cum Venetis concordare. Et cum non possent nec Veneti ulla ratione acquiescere vellent, deinde, sicut dictum est, ipsi comiti subvenerunt. Preterea consules armarunt galeas quatuor, in quibus maior fuit Wilielmus Embriacus, que apud Pimagum navem unam Marsiliensium, quae Buzeam ire debebat, cum toto carrico ceperunt et Ianuam duxerunt. Due vero galee Marsiliensium cum de Barbaria redirent, clam una die summo mane in capite Sepe Moduli venerunt, set nullam moram fecerunt. In isto anno consules ad Messemutum Lanfranchum de Turcha miserunt. Die Veneris 23. Septembris summo mane peccatis exhigentibus Guillielmus de Pallo ante suam domum fuit interfectus a Porcellino et Conrado Porcello, consanguineis uxoris sue, filios videlicet Bertholomei Porcelli, associatis sibi tribus Lombardis nequissimis. Consules vero placitorum et foritanorum per Dei gratiam suum optime tractaverunt offitium, unicuique ius suum amicabiliter et pro iuris ordine tribuentes.

In[c] anno vero sequenti 1211, indictione 13. fuit in regimine civitatis Ianue potestas 1211.
domnus Rainerius Cotta Mediolanensis civis. Consules de placitis in quatuor compagnis versus civitatem Balicus de Castello, Bonusvassallus Nichole Barbavarie[d], Villanus de Insulis et Andreas de Carmadino. In aliis quatuor compagnis versus burgum[e] Raimundus cancellarius, Botarius Aurie, Baldoinus Mussus et Amicus Guercius; consules de medio Ingo Tornellus, Rollandus Belmustus, Otobonus de Camilla et Baldoinus de Medolico; pro foretanis vero fuerunt Symon de Bonothoma et Wilielmus Rocia.

Predicta potestas elegit in principio sue potestacie octo nobiles viros, Fulchonem de Castro videlicet, Bonifatium quondam Iacobi de Volta, Lambertum Fornarium, Guillielmum Guertium, Nicholaum Aurie, Obertum Ususmaris, Wilielmum de Nigro et Sorleonum Piper, qui festinanter pro guerra que erat inter Ianuam et Marsiliam armaverunt quatuor naves cum quatuor galeis. Et cum pervenissent ad portum Aquile in Provintiam, Marsilienses

a) *nonnulla exesa desunt* 1. b) *fortasse* armarunt. MUR. c) AN 1. d) barbauaırıe 1. e) *in loco raso manu saec. XV.* 1.

46) funes. 47) Factum est, ut Maltae comes Cretam recuperaret, quam Veneti expugnaverant; cf. privilegium eiusdem d. 25. m. Iulii a. 1250. Lib. iur. I. p. 553. W. 48) i. e. Venetiam.

1211. audito eo navem unam magnam quam preparaverant cum duabus galeis in cursum mittere[a], et que iam erat ad Pumagum, ad Marsiliam extra bucam timore nostrarum navium
49 duxerunt, et ibi cum tota saurra[49] et vianda inter portum Archerium et Turretam naufragium passa fuit. Naves vero nostre in partibus illis steterunt a Marsilia usque ad buccham Areorum per menses duos. Accidit autem, quod due naves ipsarum cum duabus galeis pro persequendis navibus duabus nostrorum hominum, putantes illas de inimicis esse, miserunt se in mare; et cognitis navibus, reverse sunt ad terram. Alie vero due naves iverunt usque Caput Crucis, et cum venissent in gulfo Ampulie, viderunt navem Marsiliensium cursalium venientem ad terram cum nave una Sarracenorum quam ceperant; et videntibus illis, putaverunt illas duas naves nostras, expectaverunt eas. Marsilienses vero, visis navibus nostris, fugierunt ad terram ad turrisellam quae vocatur turrisella de Moncrino, ibique maximum auxilium barcharum balisteriorum et hominum de terra habuerunt, sicque nullum dampnum eis naves nostre facere potuerunt; et per alios duos menses steterunt supra inimicos in Cataloniam et in Provintiam. In eodem quippe anno potestas galeas quatuor armare fecit, in quibus maior ivit Ingo Longus, que iverunt ad Marsiliam offensionis causa; et cum inde rediret et pervenisset in partibus Esie, ivit ad terram cum galeis; et homines Nitie assultum in eis fecerunt, ex inproviso unam de galeis, que in terra adurata fuerat, retinuerunt, et Niciam cum pluribus hominibus duxerunt ad comitem Santium, quem Nicienses in dominum susceperant et Nitiam in manibus suis tradiderant; qui homines nostros in carcere recludi precepit. Eodem quippe anno in Hyspania in partibus Capitis Pali navis Sancti Iohannis quam armaverat comes Seraguse, et navis Gorgie quam armaverat Amiragius Porcus, ceperunt navem unam magnam Marsiliensium nomine Barra, et unam aliam[b] navem nomine Guastavinum, que de Septa veniebat carrigata maxime peccunia, et ipsas cum toto carico in Sciciliam feliciter duxerunt. In mense Augusti Ugo de Bauso cum nobilibus viris Marsiliensibus usque in decem Ianuam in una galea bene armata venit, postulando maximis precibus pacem a comuni nostro. Auditis et cognitis suis iustis peticionibus, amore potius ipsius nobilissimi militis quam alia de causa, pacem cum eis usque ad annos 21 firmavimus. In eodem mense galeas tres armate fuerunt, quibus prefuit Obertus Cebe, causa in maritima mittende[c] pro guardandis multis et innumerabilibus lignis[d] qui in maritima pro grano et blava iverant, et qui cum maxima multitudine et abundantia frumenti Ianuam venerunt.

1210. Insequenti[e] quidem anno dominus Oto imperator Romanorum intravit Campaniam pro
Nov. subiugando regno Scicilie, si posset, contra voluntatem Romane ecclesie; et pervenit Capuam,
1211. que tradita fuit ei per comitem Petrum de Celana; et inde ivit Neapolim, et equitavit cum
Iun. magna quantitate militum in Apuliam, et usque Tarantum. Qua de causa fuit ipse imperator ab
Mart. 31. ecclesia Romana excommunicatus et maledictus cum omnibus illis qui conscilium vel auxilium ei darent et qui contrarii existere[f] vellent regi Sciciliae; et insuper dominus papa universos homines qui ei tenebantur, de fidelitate omnino absolvit. Pisani vero praetermissis omnibus armaverunt ei galeas 40 quas miserunt usque Neapolim, ibique per paucum tempus steterunt; et non videntes nec invenientes illum Otonem, Pisas cum galeis redierunt. Ianuenses vero anathema timentes et dubitantes in facto imperii, noluerunt se movere. Preterea quidam latro venit Ianuam, qui dicebat se predam passus fuisse a Wilielmo de Mari, et taliter se misit nocte infra crates dominice crucis, custodibus Sancti Laurentii ignorantibus, quod capsam in qua erant cruces reposite cum verinos perforavit, et ipsas cruces de civitate portavit. Quo audito et cognito tota civitas commota fuit pariter et turbata, et[g] missis spiculatoribus et cursoribus ipsum latronem invenerunt apud Vogueriam, et ductus fuit ad potestatem Papie, qui ipsum latronem missis Ianue liberavit et tradidit, qui eum Ianue duxerunt, et carceri fuit emancipatus[h]. In presenti quoque anno Wilielmus Malaspina venit ad castrum Corvarie, et postulavit castrum a Begino de Corvaria, volentes illud dare Pisanis; qui noluit illud sibi dare. Ianuenses vero cognita negocii qualitate, miserunt nuntios suos Danihelem Auriam et Guidonem Spinulam atque Philipum Cavarunchum ad Beginum, et cum eo pacificaverunt in tantum, quod ei dedit comune Ianue libras 1800, et ipse reddidit[i]
50 comuni Ianue castrum Corvarie[50]. Unde Wilielmus et Conradus Malaspina nolentes inde

a) mitere 1. b) *hic nonnulla exesa desiderantur* 1. c) mitende 1. d) *ita ed.* locis *erasum* 1. e) *lege* In precedenti. f) existente 1. g) *aliqua exesa desunt* 1. h) *ita* 1. 2. *loco* mancipatus. i) redidit 1.

49) i. e. animalia viva, porci, mutones, verveces, pulli, ova. Chronicon Fontanellense. 50) Lib. iur. 558.

stare ad rationem, guerram super Ianuenses inceperunt; pro quo facto ordinavit potestas fieri milites 200 in civitate de Ianuensibus. 1211. In eadem vero potestatia vocavit potestas Albertum marchionem quondam de Gavi, ut veniret habitare Ianuam cum uxore et filiis; et cum nollet acquiescere, fugit nocte de civitate, et guerram facere incepit ad Gavim; pro qua causa fuit privatus a potestate et comuni Ianue de pedagio Gavi, et fuit incantatus[51] usque ad annos decem pro quantitate librarum mille; et ut strata securior iret, 51 fecit fieri potestas viam levatam a Gavi usque cremiam[a] montis Cucelii. Consules vero placitorum et foritanorum per Dei gratiam suum officium optime tractaverunt, unicuique ius suum amicabiliter pro iuris ordine tribuentes[b].

Anno vero sequenti 1212, indictione 14. fuerunt consules de comuni Guillielmus Embriacus maior, 1212. Bonifatius quondam Iacobi de Volta, Guillielmus Guertius, Nicholaus Aurie, Guillielmus Spinulla et Sorleonus Piper. Consules quidem de placitis in quatuor compagnis versus civitatem Bonifacius quondam Alberti de Volta, Bonusvassallus Brusedus, Otobonus Binzerrus et Guillielmus de Savignono; in aliis quatuor compagnis versus burgum Obertus de Raimfredo, Amicus Turcius, Porchonus et Matheus Pignolus; consules de medio Bachemus Grossus, Rubaldus Ascherius, Vassallus Gatolusius et Villanus Maniaporros; pro foritanis fuerunt Rubaldus Tarallus et Obertus Comes.

Predicti vero consules in principio sui consulatus de guerra que erat inter civitatem et marchiones Malaspina occasione castri de Corvaria, pacem fecerunt cum ipsis marchionibus, et de comuni ei dederunt libras 1500, et ipsi iuraverunt fidelitatem comuni Ianue, et finem fecerunt de toto eo quod habebant vel habere possent in castro Corvarie et in toto districtu suo, et cartam transactionis et donationis et refutationis, et pactum de non petendo in perpetuum. Preterea pro guerra[c] que inter Ianuensem civitatem et Niciam, armaverunt galeas duas, que ibi steterunt per mensem unum in Provintiam; et postea alias tres pro altero mense; et postmodum alias tres pro strata maris assecuranda propter blavam, que multum plus solito carior erat; et versus orientem similiter galeas armaverunt pro securitate danda lignis nostris qui pro blava in maritimam perrexerant.

In eodem quidem anno Fredericus rex Scicilie in Kalendis vero Madii Ianuam venit Mai. 1. cum galeis quatuor, et honorifice a clero et populo receptus fuit, et in civitate moram fecit fere per menses tres, et comune Ianue pro expensis ei donavit ultra libras 2400[52]. Die 15. Iulii de civitate recessit, et Papiam perrexit. Papienses vero cum magna multitudine militum duxerunt illum ultra Lambrum; ibique expectatus a Cremonensibus et marchione de Est, eis liberarunt[d], et cum maximo gaudio Cremonam intravit. Quando vero Papienses Papiam redibant non putantes ullum habere impedimentum, Mediolanenses cum maxima multitudine militum et peditum super[e] eos assultum fecerunt; et bello incepto, in fine circa milites 70 ceperunt Mediolanenses de Papiensibus, et Papienses retinuerunt de Mediolanensibus circa milites 35.

In mense vero Augusti, die sabbati octava Kalendarum Septembris, intravit civitatem Ianue quidam puer Teutonicus nomine Nicholaus peregrinationis causa, et cum eo multitudo maxima pelegrinorum, defferentes cruces et bordonos[53] atque scarsellas[54], ultra 53 septem milia arbitratu boni viri, inter homines et feminas et pueros et puellas. Et die dominica sequenti de civitate exierunt; set plures homines, feminas, pueri et puelle de eo numero Ianuam remanserunt. Dominicas vero cruces, quas quidam latro de ecclesia sancti Laurentii furatus fuerat, et quas quicam niger de Alexandria nomine Niger ei abstulerat, recuperarunt ab eodem Nigro, et redimerunt ultra libras 400, et cruces reposuerunt ubi solite erant stare, multo melius ordinate et collocate capsiis ferratis et catenis munitis. Et introitum totum ad comune retinuerunt, et secundum quod consciliatores decreverunt ad opus moduli[55] et portus expendendi iudicaverunt[f]. Dominus autem archiepiscopus, pro eo quod Deus nobis cruces recuperare concessit, ordinavit festum facere prima die Veneris post octavum pasche, et introitus illius diei dare in redemptione captivorum.

a) *vox ignota.* b) Hoc anno Fridericus rex Scicilie fuit electus imperator contra imperatorem Ottonem III. voluntate pape Innocentii III. et postea coronatus per Honorium III. anno Domini 1216. *manu saeculi XIII exeuntis in margine* 1. c) *haec vox aliquotiens* gra *scribitur* 1. d) *i. e. Papienses regem Cremonensibus tradiderunt.* e) *hinc littera minor et gracilis incipit.* f) *alio atramento pergitur* 1.

51) locatus scil. pedagii fructus. 52) pro quibus Fridericus d. 9. mensis Iulii multa in privilegio civitati indulto promisit. Lib. iur. I. p. 564. W. 53) tubas aeneas. 54) peras coriaceas. 55) molis. aggeris.

1212. De guerra vero que erat inter civitatem et marchiones Malaspinas occasione castri cf. p 131. l. 19 sqq. Corvarie, pacem fecerunt cum ipsis marchionibus, et de comuni eis dederunt libras 1500; et ipsi iuraverunt fidelitatem comuni Ianue, et finem fecerunt de toto eo quod habebant vel habere possent in castro Corvarie et in toto districtu suo, et cartam transactionis et donationis et refutationis et pactum de non petendo in perpetuum comuni Ianue fecit.

In eodem autem consulatu treuga[a] que erat inter nos et Pisanos, firmata fuit usque ad annos quinque, et iurata per ipsos consules et per quingentos viros de nobilioribus civitatis nostre, et per consules maris Pisanorum, qui carebant consulum et potestatum, et per quingentos viros de nobilioribus civitatis Pisane, mediante Petro Erminio nobile cive Pisano, qui Ianuam propterea per plures vices venerat, et ad effectum perduxit. In eodem quidem consulatu rex Aragonensis cum maxima multitudine militum et peditum et cum multis croxatis, Francigenis, Bergognonis, Theotonicis, et aliis[b] multis hominibus undique congregatis, inter quos fuit abbas Cisterciensis et legati sancte Romane ecclesie et multi principes et barones et reges, scilicet rex Aragonensis qui caput et inceptor illius operis fuit, rex de Castella, et rex Navarre, et electus in archiepiscopum Nerbone legatus Romane ecclesie, Yspaniam intraverunt, et castra et loca multa Sarracenorum et civitates preliando ceperunt. In fine vero Milemimemin cum innumerabili exercitu Yspaniam venit; et cum pervenisset in partibus Cordube, christiani erectis vexillis contra ipsum equitarunt, et incepto prelio inter christianos et Sarracenos, cum per plures dies durasset prelium, in fine tamen, sicut voluntas Dei fuit dextera Domini fatiente virtutem, devicti sunt Sarraceni, et fugam capientes et terga vertentes, ultra tres centum miliaria Sarracenorum interfecti fuerunt, et Milemimenim cum sua compagna fugiit, et se recepit in civitate Mulecche, ibique intravit in galea[c] una et Sibiliam perrexit; et hoc fuit mense Iulio, die dominica in festivitate beate Iul. 22. Marie Magdalene. Postmodum christiani cum victoria reversi sunt in castris et locis per Yspaniam constitutis.

Nov. 30. Cumque rex Fredericus Alamaniam intrasset, receptus fuit honorifice a principibus et Dec. 6. magnatibus et archiepiscopis et episcopis Alamanie, et in festo beatissimi Nicholai confirmatus fuit in regno Romanorum, et hoc fuit die Iovis, sexto die Decembris. Die vero Dec. 9. dominica veniente, nona die videlicet Decembris, in civitate Magantie honorifice coronam recepit ab archiepiscopis, episcopis et principibus, qui ius coronandi reges ab antiquo 56 tempore sunt consecuti[56]. In eodem consulatu miserunt consules legatos Venetiam pro discordia que inter ipsos et civitatem nostram vertebatur, et treugam firmarunt per annos tres; et tam pro ipso negocio quam eciam pro nave una recuperanda nostrorum hominum de Alexandria redeunte, quam ceperant Veneti cum nave sua; et quas comes Alamanus Syracuse cum nave una in cursum transmissa ceperat, galeam[d] unam cum duobus legatis, Lanfrancho Rubeo videlicet et Oberto Spinula miserunt, et partem peccunie navis recuperarunt, et treugam per ipsum et comitem Malte Venetis iurare fecerunt. Consules vero placitorum et foritanorum offitium suum diligenter fecerunt, unicuique ius suum[e] amicabiliter tribuentes.

1213. In sequenti vero consulatus anno 1213, indictione 15. fuerunt sex consules pro comuni, videlicet Nichola Embriacus, Obertus de Volta, Wilielmus Scotus, Montanarius Aurie, Fredericus Grillus et Herodes de Mari. Consules placitorum in quatuor compagnis versus civitatem Iacobus quondam Angeloti, Obertus de Dandala, Opizo Guercius, Ido Tabaccus; in aliis quatuor compagnis versus burgum Obertus Domusculte, Baldoinus Sardena, Ogerius Mazanellus et Wilielmus Aurie; consules vero de medio Martinus Tornellus, Baldoinus de Volta, Symon Alpanus et Albertus Grillus; pro foritanis Symon Botarius, Ruffinus de Bassiano et Wilielmus Ficusmatarius.

Prefati autem consules in principio sui consulatus pensantes de honore civitatis, et audientes quod Pisani armarent naves et galeas apud Kalarim, et offensionem si possent nostrarum navium de ultra mare et Alexandria redientium facere intendebant: habito consilio armarunt naves duas, Olivam videlicet et Ialnam, cum galeis quatuor in quibus Nichola consul dominus ivit; et per Dei gratiam timore ipsarum naves Pisanorum non exierunt. Galeas plures armarunt causa eundi in maritimam pro custodienda caravanna lignorum

a) treugam 1. b) *aliqua exesa desunt* 1. c) cōalea 1. 2. *quod corruptum esse videtur ex* galea. d) Galeam 1. e) um ami *abscisa* 1.

56) Hae notitiae litteris novi regis encyclicis desumptae esse videntur.

nostrorum qui pro grano iverant, et in Provintiam similiter. Circa pascha navis una nomine Sanctus Blasius de Sicilia redeuntes, per temporis fortunam venit ad Caput Liberum; ibique rex Aragonensis eam cepit, et homines et peccuniam retinuit contra pacis tenorem. Consules namque ad preces propinquorum et amicorum illorum qui in nave illa erant detenti, miserunt socium suum Obertum de Volta cum galea una ad regem; qui homines liberavit, set peccuniam totam retinuit. In festivitate pentecostem Mediolanenses cum Placentinis Comanis Laudensibus et cum maxima multitudine militum et peditum venerunt ad castellum Leonis super terram Cremonensium. Cremonenses vero cum gente sua obviam eis iverunt, et papillionibus tensis, antequam succursum Cremonensibus de eorum amiciciis veniret, Mediolanenses in fortitudine sua confidentes, insultum fecerunt in eis; et illis defendentibus, per misericordiam Dei, a qua cuncta bona procedunt et qui superbos humiliat et exaltat humiles, carrocium perdiderunt ibi Mediolanenses; et Cremonenses habuerunt de eis, quos Cremonam incarceratos duxerunt, inter milites et pedites ultra quatuor milia. Subsequenter Alexandrini cum Terdonensibus terram Papiensium intrarunt, et unam optimam villam nomine Salam ceperunt, et totam combuxerunt, et homines et feminas captos duxerunt. Postmodum vero equitarunt Alexandrini Terdonenses Vercellenses Aquenses Albenses Wilielmus et Conradus Malaspina cum forcia sua et cum militibus 700 Mediolanensibus, et venerunt ad locum unum Papiensium qui vocatur Casellis et hoc fuit per dies duos ante festum sancti Michaelis. Papienses vero audito hoc equitarunt cum portis quinque solummodo militum et peditum, et venerunt die sancti Michaelis ad partes illas; et incepto prelio ceperunt fugam Mediolanenses et de eorum parte, et Papienses habuerunt campum; et per miliaria tria et eo amplius eos secuti fuerunt, et ultra duo milia inter milites et pedites de ipsis retinuerunt; boves carros barocios[57] tendas[58] papiliones malas[59] et arnesium[a] totum retinuerunt, et habuerunt valentia ultra libras quadraginta milia Papiensium. 1213. 59

In mense autem Septembris rex Aragonensis cum comite Thelose et cum maxima multitudine militum et peditum in castro Murello[60] prope Thelosam per tres leugas obsedit Symon comitem de Monforte; et cum castrum et terram reddere vellet, noluit illum recipere nisi personam suam se redderet pro presione. Habito consilio cum militibus suis, armarunt se et exierunt de castro, et in primo assultu invenerunt regem et cum sua compagna interfecerunt, et multos milites et pedites, et exercitum totum fugarunt, tendas quoque papilliones et arnesium[a] habuerunt. Et cum essent ultra sexaginta miliaria, illi de parte comitis Symonis non erant ultra septingenti, et de quibus non remanserunt in campo mortui nisi solummodo miles unus et tres servientes. In eodem quoque mense Septembris accidit in portu nostro quoddam infortunium; scilicet cum calafati bruscarent quandam maximam navem que vocabatur Contesa, accenso in ea igne combusta fuit tota, et iusta illam duas alias naves, una quarum vocabatur Sanctus Romulus, et una nova Bonavie Rainaldi de Naula nomine Stella.

Pateat omnibus tam presentibus quam futuris, quod dominus Alexander papa III. quando in Ianuensi civitate venit honorifice receptus, cognovit fidem quam Ianuensis ecclesia et populus sancte Romane ecclesie illibatam servavit, donationem ecclesie Ianuensi de episcopatu Albinganensi fecit, et suo privilegio confirmavit. Subsequenter per dominum papam Celestinum firmatum fuit et postmodum per dominum papam Clementem; et dominus vero Innocentius simili modo qui fuit papa III. suo privilegio firmavit, et eo amplius statuit, quod abbati de Civitatula dedit in mandatis, quod dominum archiepiscopum Otonem in possessionem mitteret nomine Ianuensis ecclesie et archiepiscopatus: quod utique statuit et ordinavit, quod dominus archiepiscopus illuc iret ad possessionem recipiendam. Die Veneris que fuit 20. die Decembris, perrexit Albinganensem civitatem, et duxit secum presbiterum Lanfranchum et magistrum Guirardum, canonicos Sancti Laurentii, et Wilielmum Scotum consulem comunis, qui Lanfranchum Rubeum et Ingonem Longum secum duxit, et honorifice a clero et populo recepti fuerunt, et universi clerici civitatis Albinganensis et archipresbiteri de toto episcopatu debitam obedientiam domino archiepiscopo et ecclesie et capitulo Ianuensi promiserunt: et hoc fuit die Martis

a) asnesium 1.

57) plaustra cum onere imposito. 58) tentoria. 59) equestres sarcinae. 60) Muret prope Toulouse.

1213. 24. Decembris. In eodem quippe consulatu 9. die Ianuarii ignis maximus fuit in civitate iuxta merchatum vetus ad banchos cambiatorum, et fuerunt combuste domos ultra quinquaginta quatuor.

1214. Anno dominice[a] nativitatis 1214, indictione 1. fuerunt consules pro comuni Iohannes Rubeus de Volta, Wilielmus Tornellus, Enricus Guercius, Ansaldus de Mari, Obertus Spinula et Ogerius Piper; pro placitis versus civitatem Andreas Boiamundi, Bonifatius de Volta, Lambertus Drogus, Rubaldus Ascherii; de versus burgum Amicus de Brasilli, Botarius Aurie, Wilielmus Rocia et Vassallus Gatuslusius; pro medianis Wilielmus Merlonis de Castro, Bachemus Grossus, Martinus Rocius et Baldoinus de Medolico; pro foritanis Guilielmus quondam Baldometi Guercii, Wilielmus de Balneo et Carlo de Bassiano.

Consules autem in principio sui consulatus pensantes qualiter possent regere Ianuensem urbem, elegerunt de nobilibus civitatis qui super facto illo existerent. Qui habita ratione de expensis factis et faciendis, et de debitis comunis solvendis, et introitibus omnibus
61 comunis accipiendis, constituerunt[61] quod denarios quatuor per libram de collecta maris incantarentur[62] usque annos sex, et de illis denariis redimerentur introitus marcharum, pedagii Gavii, pedagii[b] Portus Veneris, pedagii Vultabii, introitus pancogolarum[63], cantari[64] casei, cabella de Clavari et de Vulturi, et demum universos introitus comunis Ianue, que omnia vendita erant per longum tempus. Statuerunt insuper, quod collecta super immobile constitueretur de denariis sex per libram, de quibus medaliam[65] pro portu colligeretur, et denarii quinque cum dimidio darentur creditoribus cabelle salis pro medietate debitorum et introituum ipsius cabelle quam[c] comune acciperet — erat enim vendita usque annos 29 —.
66 Et calega[66] denariorum quatuor per libram collecte maris, fuit summa librarum 38,050. Ipsi vero consules publice iuraverunt, quod dicti introitus de cetero in perpetuum non possent vendi nec obligari seu alienari alicui personae vel personis ultra annum unum tantum, et non plus, excepta cabella salis domus Messane, que fuit Margariti, introitus Tyri, scribania Septe et Buzee, que possint vendi in publica calega usque ad annos duos tantum, et non plus, ita tamen quod de uno anno debeat respondere ipsi consulibus vel potestati, qui ea vendiderit, et de alio anno sequenti potestati vel consulibus; et hoc iuramentum fieri fecerunt per universos Ianuenses ab annis 17 usque in 70. Et emendari fecerunt in brevi comunis compagne[d], quod firmum et ratum in perpetuum haberi debent, et non contra fieri possit secundum tenorem scripture facte in registro et in cartulario maris comunis Ianue per manum Bonivassalli Caligepalii. Et si aliqua persona ultra quam supra dictum est, de dictis introitibus comparaverit, consules vel potestates qui pro tempore fuerint, debeant illam vendictionem irritam habere, et comuni Ianue illud totum recuperare.

Predicti namque consules plures galeas armarunt pro guardia maris, et pro lignis grani in maritimam euntibus assecurandis. Contigit autem in mense Iulio, quidam cursalis de Nicia venit in partibus Clavari cum bucio uno, et cepit de bonis hominibus de Clavari. Armaverunt consules galeam unam, in qua ivit Bonavia de Portu Venere, et secutus est eum usque in partibus Pisanorum, sic quod bucius se recepit ad Vadam; et ceperunt illum, et homines de Vada abstulerunt ei butium, tamen captos recuperarunt de Clavari, et venerunt Pisas, et conquesti sunt Pisanis de iniuria quam receperant, et non potuerunt inde quicquam consequi, nec inde rationem habere. Redeunte autem galea ad Portum Veneris, bucius venit Pisis, et Pisani in civitate illum receperunt. Galea autem nostra venit ad Arnum, et tenebat eum obsessum. Consules vero Pisanorum venerunt ad legatos nostros, qui erant tunc temporis Pisas pro recipiendis sacramentis treugue, dicentes: *Facite venire galeam vestram ad civitatem, et recipiet honorem et beneficium.* Legati namque miserunt nuntium suum et fecerunt venire galeam. Cum autem assecurati essent homines galee, venerunt Pisani prodiciose[e] et ascenderunt galeam, et expoliaverunt eam vianda armis et remis; et tenentes eam, remiserunt bucium Niciensium; et facientes custodire

a) *aliqua exesa desiderantur* 1. b) p. p. V. *bis* 1. c) *vocem supplevi, deest in libris.* d) *aliqua exesa sunt* 1. e) prodiese 1.

61) Constituerunt igitur: a) vendere denarios quatuor per libram de collecta maris usque annos 6, unde receperunt libras 38,050. b) collectam super immobile denariorum sex per libram. 62) i. e. sub basta venderentur. 63) cauponarum. 64) praestatio pro cantaro casei. 65) obolus, dimidius denarius. 66) venditio.

galeam, quodam die summo mane homines galee ascenderunt eam, et de fuce illam extraxerunt et Ianuam duxerunt. 1214. Consules vero vocatis universis hominibus galee, fecerunt eis iurare perditam totam, et a merchatoribus Pisanis, qui Ianuam erant, tantumdem extorquerunt et perdentibus restituerunt. In eodem quippe anno mense Augusti rex Francorum cum duce Burgundie maximum exercitum fecerunt[a] supra rebelles, comitem Flandrensem videlicet et comitem de Belogna[67] et alios multos; et fuerunt ex alia parte 67 comites illi et Oto quondam imperator; et incepto prelio, per Christri misericordiam a Iul. 27. quo cuncta bona procedunt, rex Francorum obtinuit et victoriam habuit; et comites illos et multos magnates et milites cepit et carceri mancipavit. Oto dictus cum paucis militibus profugium fecit, et in Valentina[68] se nocte illa recepit, et summo mane inde fugiendo exivit. In eodem quoque consulatu mense Iulio venit Oto de Carreto marchio Ianuam, et dedit comuni Ianue castrum Cairi cum sua castellaria et pertinenciis, Vignarolio videlicet cum medietate Carcarum, cum medietate Runchi de Mallo et cum medietate Montis Cavillionis et Bazolis, et castrum quod vocatur Deus, et pedagium quod colligitur vel colligetur in predictis locis, secundum tenorem instrumenti facti per manum Marchesii scribe. Et predicti consules ei in feudum reddiderunt, et ipse in publico parlamento fidelitatem comuni Ianue inde iuravit, et per drictum feudum inde eum investierunt[69]. In eodem quidem anno contigit, quod Sorleonus Piper cum rediret de Bisanneo spatiatu causa cum aliis nobilibus Ianuensibus, venerunt Bulbuninus, Rubeus de Turcha et Nuvellonus de Camilla, et assultum in eo fecerunt. Et cum Ansaldus de Mari, qui erat in partibus illis, hoc vidisset, secutus est eos in runcino solus cum ense usque ad angulum hospitalis sancti Laurentii, et ibi reversus unus ex ipsis percussit eum in brachio, et vulneravit eum; et propterea aliquantulum in civitate discordia orta fuit, set parum duravit.

Anno 1215. fuerunt sex consules pro comuni, videlicet Wilielmus quondam Ugonis 1215. Embriaci, Fulcho de Castello, Bonifatius quondam Iacobi de Volta, Manuhel Aurie, Lanfrancus de Mari et Advocatus. Consules vero placitorum in quatuor compagnis versus civitatem Oto Cilium blancum, Ansaldus Leccavelum, Opizo Guercius, Wilielmus de Savignono. De versus burgum Vassallus Maniavaccam, Baldoinus Sardena, Obertus Domusculti et Rainaldus Archantus; pro medianis Merlo de Castello, Symon de Bonothoma, Symon Alpanus et Villanus Maniaporros; pro foritanis cum de voluntate consciliatorum consulatus foritanorum cessasset, fuerunt consules de comuni et eorum vicarius Oto vicedomini de Alba causidicus.

Predicti namque consules in principio sui consulatus inceperunt collectam denariorum sex per libram; de quibus denarii $5\frac{1}{2}$ in soluctione et redemptione cabelle salis, scilicet medietatis, et medaliam[70] pro labore portus. In eodem consulatu inceptum fuit murus darsene[71]. In mense Iunio sexto die Fulcho de Castello cum pluribus civibus nobilibus ivit 71 cum galeis tribus et aliis lignis portantibus lignamen et calcinam et ferramenta multa ad podium Monachi; et decimo die Iunii castrum hedificare ceperunt; et antequam reddirent ad propria, hedificarunt turres quatuor et murum in circuitu altitudine palmorum 37. In mense vero Augusti Conradus Malaspina[72] contra fidem et iuramentum promissum comuni Ianue, ascendere fecit homines de Cazana in podium quod vocatur Rotundum prope Celascum, et incepit ipsum incastellare et spaudare[73]. Quo audito consules unum de sociis suis, Lanfranchun de Mari videlicet, cum nobilibus viris miserunt ad ipsum Conradum, qui non solum a suo proposito cessare noluit[b], set eciam noluit ei in aliquo respondere, set congregato exercitu militum et peditum intravit terram Brumatensis episcopi. Consules vero habito conscilio, movit Wilielmus Embriacus consul cum militibus et archatoribus et balisteriis per terram et populus per mare usque Levantum, et inde iter arripientes, ad montem Rotundum iverunt et illud preliando ceperunt. Postea iverunt ad castrum Cazanam, et illud similiter preliando ceperunt. Venientibus ipsis ad aquam Varie, vidente Conrado cum multis militibus et archatoribus iverunt ad castrum Bozoli; et ipsis marchionibus et

a) *deest* 1. 2. b) uoluit 1.

67) Boulogne. 68) Valenciennes. 69) Lib. iur. Ian. I, p. 565. W. 70) i. e. medietatem denarii reliquam. 71) portus interior. 72) qui eodem tempore viros ad concilium Lateranense proficiscentes in sultibus vexavit, de qua re Innocentius III. Nonis Iunii valde questus est. Lib. iur. p. 576. W. 73) i. e. spaldis munire.

1215. militibus presentibus et videntibus cum exercitu suo, cum non possent resistere contra Ianuenses, per fortiam ipsum preliando ceperunt. Et guarnito illo de castellano archatoribus et balistariis, ad propria sine lesione aliqua feliciter redierunt. Conradus vero cum suo exercitu et gente sua terram reliquid et profugium cepit. Eodem quippe anno apud Constantinopolim Veneti cum Pisanis Anconitanis et Provintialibus duas naves armantes cum duabus galeis et in partibus Sicilie venientes, plures naves ceperunt; et ad Kalarim venientes, et inde in Hyspaniam perrexerunt, et quatuor naves de nostris ceperunt
74 de Septa redeuntes. Pro quo facto consules comuni consilio versus orientem devetum[74] fecerunt. In eodem namque anno[75] domnus papa Innocentius[a] conscilium apud Sanctum Iohannem de Laterano celebravit, ad quod archiepiscopi patriarche episcopi abbates[b] prepositi archidiacones[c] et multitudo nimia clericorum de longinquis partibus convenerunt et interfuerunt; et dominus Otto Ianuensis archiepiscopus cum tribus galeis et cum clericis et laicis et Manuele[d] consule comunis Ianue, illuc perrexit et interfuit[76]. Et de multis negotiis ad illud conscilium tractatum fuit, et specialiter de succursu sancte terre Ierusalem et dominici sepulcri.

1214. Iul. 27. Eodem anno[77] prelium maximum fuit inter dominum Philippum regem Francorum, et rebelles eius; Ferrandum[e] comitem Frandressem, comitem Bolonie et Wilielmum Lungaspatam, omnes in conflictu illo cepit et carcere mancipavit, Ottone quondam imperatore, qui cum ipsis aderant, profugium fatiente.

In eodem[f] quippe consulatu Guido Polexinus et Carbonus Ansaldi Malaucelli in Bissanne assultum fecerunt in Herodem de Mari; quare consules ipsos forestarunt in publico parlamento, et domum dicti Guidonis penitus destruxerunt, et partem suam castellanie Gavi, unde castellanus erat, propterea ei abstulerunt. In mense vero Novembris Mirobadadus
78 Niciensis civis una cum Antepelicano[78] episcopo Ianuam nuntium suum miserunt, et comuni Ianue Niciensem civitatem dederunt ad hostem et cavalcatam faciendam, et collectam maris dandam, et Ianuensem compagnam iurandam, secundum quod continetur in carta inde facta per manum Marchisii scribe in manibus nobilis consulis Ianue Oberti Spinulle, qui cum multis nobilibus illuc iverat, et castrum Niciense[g] situm[g] infra civitatem Nitie, in quo Aragonenses habitabant, penitus destruxit.

Antea vero cum Nicienses rebelli essent, Pisani quendam suum cursorem Nitiam miserant cum litteris suis. Et cum pervenisset[h] Victimilium, receperunt eum Victimilienses honorifice, et litteras suas sigillatas sigillo leonis Pisanis miserunt; quas cum idem cursor Ianue pervenisset, cepimus litteras illas, in quibus sicut inferius scriptum est continebatur. Tenor litterarum talis est: *Magnificentissimis propriis et pre aliis singularibus dominis et amicis karissimis, fortissimorum Pisanorum consulibus de comuni et eiusdem civitatis probis consiliariis, consules Victimilienses et omnes consiliarii, salutem et cunctos felices ad vota successus. Invenientes in civitate nostra quendam cursorem vestrum latorem utique presentium, transseuntem ad partes Nicie, memores more solito de sincero et puro amore quem circa vos gerimus, ipso quidem festivo gaudio recepto, erga ipsum serviendum intelleximus diligenter, dantes ei socium, qui usque Nitiam eundo, et in redditu usque ad portum Mauritium associavit. Scientes quod super alia desideria et omnia sunt desideria nostra, ut honor civitatis vestre super emulos inimicos florescat et augmentetur, et conexa*[i] *amicitia vestra et nostra indissolubili nodo permaneat innodata*[k], *dominationem vestram attencius deprecantes, quatenus nos filios ac vestros fideles et fratres ita ubique conservare dignemini, ut sub vestris paternis brachiis cum salubri sopore*[l] *requiescere valeamus, et nos vestros fovere ac custodire teneamur. Credimus enim dominationem vestram non latere, quod omnes Pisani ubicumque inveniantur a nostris, tanquam pupillam occulorum nostrorum conserventur illesi.*

1216. Anno dominice nativitatis[m] 1216. fuerunt consules sex pro comuni, Philippus Embriacus, Raimundus de Volta, Symon de Bulgaro, Percival Aurie, Wilielmus Spinulla et

a) III *alio atramento additur* 1. b) *hinc columna alia alio atramento scripta est* 1. c) *aliqua exesa desunt* 1. d) Auriae *addit ed.* e) f. c. f. c. b. et W. *paulo alio atramento sed eadem manu lacunae inserta* 1. f) e. q. c. *paulo alio atramento sed eadem manu lacunae inscripta* 1. g) suum 1; situm 2. h) pervenissent 1. i) *i. q.* connexa k) *ita corrigo;* enodata 1. 2. l) *aliqua exesa desiderantur* 1. m) *vox deest* 1.

74) interdictum. 75) d. 11. m. Nov. a. 1215. W. 76) De concilio Ianuae celebrato, postquam Otto archiep. d. 28. m. Febr. a. 1216. reversus est, ut decreta Lateranensia proponeret, v. ann. 1216. W. 77) v. supra a. 1214. 78) Antipolitano, civitatis Antibes.

Lanfrancus de Turcha. Consul[a] placitorum versus civitatem fuit Wilielmus filius Agadi 1216. Placentinus iuris peritus, cum de voluntate tocius consilii consulatus placitorum cessasset; et pro quatuor compagni versus burgum Iacobus de Brissis causidicus Mediolanensis, pro consulatu de medio Bertoldus Boticella Papiensis causidicus, pro foritanis Girardus de Montanario Parmensis causidicus; pro comuni vero Monferratus Cremonensis causidicus.

Predicti namque consules in principio sui consulatus de honore civitatis tractantes, et galeas 10 incipere fecerunt de novo, et alias veteres galeas preparare fecerunt de lignamine et sartia et ceteris omnibus necessariis. Et pro novis navium Venetarum et Pisanorum, que armari debebantur, sicut audierant, apud Constantinopolim, fecerunt preparare naves 6 cum galeis 12. Et fecerunt per universos Ianuenses iurare manifestare mobile suum, et cognita quantitate tam mobilis quam inmobilis civium, preceperunt colligere denarios tres per libram, et facere panem et viandam duorum hominum per miliarium, et omnem[b] apparatum per totam civitatem preceperunt et fieri fecerunt. Postea nova habuerunt, quod non armabantur naves ille in Romania[c], de armatura navium et galearum desisterunt. Die dominica de quadragesima, 28. Februarii, reddiit dominus archiepiscopus Otto a curia Romana, et die sabbati veniente, qui fuit 5. die Marcii, Obertum electum in Albinganensem episcopum in ordine presbiteratus consecravit. Die dominica veniente, 10. die Marcii videlicet, ipsum in episcopum consecravit cum Bobiense et Bruniatense episcopis. Sexto die Aprilis veniente domnus archiepiscopus cum[d] episcopo Albingane et cum[d] Bruniatense et multis abbatibus et canonicis et prepositis et archipresbiteris et sacerdotibus et clericis de Ianuensi archiepiscopatu consilium per dies tres celebravit, exponendo ea que ad Lateranense consilium per dominum papam Innocentium tractata et ordinata fuerant, in quibus conciliis multi homines et mulieres in nomine Domini ad honorem sancti sepulcri cruces ceperunt. Die sabbati, 4. die Iunii, contigit, quod Wilielmus Pignollus cum a domo Guidonis Pollicini, qui discordiam habebat cum Herode de Mari, reddiret, obviatus fuit cum Nuvellono de Camilla sub volta Squarzafici; et tanta verba creverunt inter se ad invicem, quod peccatis exigentibus percusserunt se cultellis ad invicem ad angulum domus Enrici Guercii, de qua percussione Wilielmus Pignolus mortuus fuit. Unde magna discordia inter cives orta fuit. In eodem quippe[e] anno dominus Laudoicus rex Francorum cum[f] maximo navigio Angliam perrexit, et die sabbati post ascensionem Domini terram applicuit; et non inveniens aliquem qui contradiceret, terram descendit, et naves 300 cepit, et terram totam suo dominio subiugavit. Et Iohannes Sine-Terris nomine, qui rex Angliae se vocare fatiebat, profugium fecit in marinis insulis, et ibi fati munus complevit, relinquens filios, unum[g] quorum dominus Laudoicus de insula Anglie coronavit et in militem ordinavit, relinquens ei totam terram de insula. In mense autem Augusto cum Nuvellono de Camilla, qui erat potestas de Corvaria et de partibus illis, cum partibus de servientibus castri de Corvaria perrexisset ad Vernatiam, quidam filius naturalis quondam Begini, Saladinus nomine, cum aliis de burgensibus ipsius loci prodiciose intravit castrum Corvarie, et de servientibus interfecit et castrum cepit, et Guilliermo Malaspine illud tradidit, qui ipsum de nobilibus et probis viris garnivit. Quo audito consules cum comunitate nostra moverunt, et castrum obsiderunt, et statim burgum ceperunt, et igni conburerunt. Videntes autem illi qui intus erant, quod exercitus se preparabat ad machinas et trabucum et cetera bellicosa, castrum consulibus reddiderunt; et consules quoque castrum ceperunt, et de castellanis et servientibus et vianda et ceteris neccessariis munientes, ad propria feliciter remearunt. Mense vero Decembris apud portum Pisanum navis que vocabatur Coronata, de ultra mare reddeunte[79], naufragium passa fuit. Cum autem consules ad dominum papam 79 legatos suos mitterent[h] pro maximis civitatis negociis, et specialiter pro expeditione ultra mare, et pervenissent in partibus Masse, ab Andrea marchione de Massa capti fuerunt et impediti, pro quibus Lucenses equitarunt cum exercitu. Consules vero placitorum et foritanorum offitium suum diligenter fecerunt, unicuique ius suum amicabiliter tribuentes[i].

Anno 1217. fuit in regimine domnus Obertus Boccafollis Papiensis civis; pro placitis 1217. in quatuor compagnis versus civitatem Monsferratus causidicus Cremonensis, in aliis

a) consules 1. b) omne 1. c) romaniā 1. d) cō 1. e) quicpe 1. f) cō 1. g) unus 1. h) mitteret 1. i) *in marg. manu saec. XV:* Hoc anno Innocentius III. papa moritur, cui successit Honorius III. annis X m. VIII. 1.

79) i. e. quum de ultra mare rediret.

1217. quatuor compagnis versus burgum Angellus causidicus Parmensis civis, pro medianis Girardus causidicus Parmensis civis; pro foritanis Iohannes Bucentaurus causidicus Papiensis civis.

Que potestas in principio sue potestatie conscilium celebravit, qualiter se regere deberet de facto custodie maris et navium venientium et euntium; et habito consilio armavit naves duas cum[a] galeis quattuor, que iter arripuerunt in nomine Domini die Iovis 27. Aprilis feliciter. In mense Madii venit in civitate Ianue Hostiensis et Vellitrensis[b] episcopus cardinalis legatus domini pape Honorii[c], qui de pace inter nos et Pisanos monuit; et habito consilio iuravit potestas stare mandatis ipsius cardinalis de discordia que inter Ianuenses et Pisanos vertebatur. Secundo die Iunii iter arripuit ipse cardinalis et pótestas cum multis nobilibus civitatis nostre causa eundi ad Portum Veneris pro tractanda et conplenda, quod feliciter dictum sit, de pace et concordia inter ipsas civitates; et convenerunt se invicem ad Hylicem. Ibi iuraverunt Pisani, sicut et potestas nostra iuraverat; et cum se invicem separarent, misit potestas ad recipienda iuramenta Pisas Raimundum de Volta et Nicholam Barbavariam, qui iuramenta hominum 1000 receperunt; et in civitate nostra venerunt Pisani nobiles viri Scorzalupus et Aldevrandus Suavicus ad recipienda iuramenta homi-
80 num 1000 et cintragûm[80] in anima populi. Venerunt die Veneris 16. Iunii, et honeste recepti fuerunt. Ipse namque cardinalis iurare fecit Andream de Massa stare suis ordinationibus de eo quod nobiles viros[d] Wilielmum Embriacum et Wilielmum de Nigro carceri emancipaverat; et eos absolvi fecit Andrea a carcere; et obsides quos dederant ipsi Andree, de manibus eius arripuit, et Ianuam absolutos misit, tam ipsos quam obsides. In eadem potestatia misit idem potestas ad Bonifatium nobilem virum Barocium, militem suum, et cum eo Marchisium scribam ad solvendos soldos servientum Bonifatii; qui postea iverunt in Sardineam ad iudicem Turritanum ad recipiendam collectam, quam annuatim dare debet de libris viginti milibus, et ad confirmandam et sigillandam cartam conventionis inter Ianuensem civitatem et ipsum iudicem[81]. Inter multas discordias que vertebantur inter civitates Lonbardie cum multe religiose persone se intromitterent de pace et concordia conponenda, tamdem[e] repleti gratia et spiritu[f] eterni Dei, inter Papiam Mediolanum Placentiam Terdonam et Alexandriam pax firma fuit et firmata[82]. Mense Iunii in eodem anno cum comes[83] Alamannus esset in partibus Cretie cum nave una et galeis duabus, supervenerunt naves Venetarum cum galeis, et peccatis exigentibus ceperunt illum, et Venetian duxerunt, et carcere manciparunt. Die Martis die 20. Iunii feliciter caravana nostra de ultra mare venit in portum Ianue, et fuerant inter naves galeas et taridas 22. In eodem quippe anno discordia orta fuit inter Iohannem Iordanum Riclerium, et Manuelem et Percivalem Aurie. Sed per Dei gratiam potestas in tantum laboravit, mediantibus viris nobilibus propinquis eorum, quod pax et tranquillitas inter eos composita fuit mense Iunii in vigilia sancti Iohannis Iunii. In festivitate sancti Petri Belmustus filius Rollandi Belmusti Nuvellonum de Camilla apud Sanctum Petrum de Porta, dum descenderet de ecclesia, percussit cultello in gula; et hoc fuit propter guerram quam Pignoli habebant cum illis de Camilla. In eadem quoque potestatia mense Novembris legati in galea missi fuerunt Romam, Fulcho de Castello videlicet, Obertus Spinula, et cum eis Ugo cancellarius pro audienda sententia domini pape de pace inter Ianuenses et Pisanos. Qui multum honorifice recepti fuerunt a domino papa Honorio et a cardinalibus et universa Romana curia; et habita licentia, a curia die Veneris 15. die Decembris redierunt, et die sabbati sequenti in consilio de tota legatione rationem reddiderunt, defferentes sententiam a domino papa datam per litteras suas bullatas tulerunt, et potestati dederunt. Die Lune 8. Ianuarii terre motus fuit in civitate et per totam civitatem, set parum duravit ad horam cene. Consules namque placitorum offitium suum legaliter fecerunt[g], tribuentes ius suum unicuique[h].

1218. Anno 1218. fuit in regimine civitatis potestas dominus Rambertinus Guidonis de Bovarello civis Bononiensis. Pro placitis versus civitatem Wilielmus Bertranus Astensis, pro

a) cō 1. *saepius.* b) virtellensis 1. c) III. *alio atramento additum* 1. d) *aliqua exesa desunt* 1. e) tamen 1. f) s̄ps 1. g) *deest* 1. 2. h) i. s. u. *alia manu addita* 1.

80) praeconum. 81) A. 1216. Comita II. Turritanus iudex Ianuensium compagniam civitatemque iuraverat. Libr. iur. I, 582—586. W. 82) Placentiae pridie Kal. Iunii iurata fuit. 83) scil. Syracusarum comes, qui anno sequente pace inter Venetos et Ianuenses inita carcere liberatus est. W.

placitis de versus burgum Lanfrancus de Puteo Papiensis, pro medianis Bonacursus de Bond . . . . Regensis, pro foritanis Nichola Bononiensis. 1218.

Que potestas in principio sue potestatie elegit octo nobiles viros, unum videlicet per compagnam, qui totum introitum comunis Ianue inquirere diligenter et recolligere iuraverunt, et dare clavigeris pro expensis comunis. Verum ad medium Martium misit nuntios suos ad Parmam ad coloquium Venetorum; et pacem cum Venetis firmaverunt usque annos 10.[84] Preterea cum Terdonensibus pacem de novo firmavit in eodem mense Martii[85]. 84 Comes Henricus de Malta Ianuam venit in galea una, et ivit per terram in Alamania ad regem Fredericum, et cartas retulit ab eo preceptorias, quod Ianuenses in toto regno Scicilie franchi essent, et nullum drictum nullamque exactionem dare tenerentur[86]. In mense Aprilis fuit armata galea una pro comuni, que[a] ipsum ad Romanam curiam portavit et inde in suo comitatu. Mense vero Madii Wilielmus Malaspina et Conradus Ianuam venerunt, et de discordiis et guerris, que inter Ianuensem civitatem et ipsos vertebantur, in potestatem ipsam et arbitrio comunis Ianue omnino se posuerunt sine aliqua conditione aut aliquo intellectu a potestate vel comune Ianue habito. Simili quoque modo Victimilienses eodem mense Ianuam venerunt et in publico parlamento iuraverunt, ponentes se et offerentes comuni Ianue mandato et ordinatione, et sine aliqua conditione aut aliquo intellectu habito se omnino posuerunt. Et potestas Symonem Bufferium et Ogerium Fallamonicam ad Victimilium misit pro iuramentis ab hominibus recipiendis; qui maior pars et ordinationes et mandata eorum, secundum quod alii iuraverunt, ipsi iuraverunt[87]. Mense Madio una die sabbati ante ascensionem Domini[88] obiit Otto de Brosoich[89], qui imperator 88 Romanorum extiterat; et ideo postea totum imperium domino Frederico Romanorum regi et Scicilie voluntati sue per omnia fuit subiugatum. Die sabbati sancta, videlicet 14. die Aprilis, de voluntate et beneplacito tocius consilii et participum navium misit potestas predicta nuntios suos Wilielmum Embriacum Nigrum videlicet et Lanfranchum Rubeum ad comitem de Niver et ad comitem de Marchis et alios baronos de Frantia et de ultra montes, qui transsitum ad succurssum sancte terre de civitate Ianue habere volebant; et convenerunt cum ipsis ad eorum beneplacitum; et venerunt ad Kalendas Augusti, secundum quod cum eis convenerant; et in nomine Domini iter arripuerunt de portu Ianue circa exitum predicti mensis Augusti. Die vero Mercurii 18. die Iulii in sero ignis accensus fuit in domo Nicholosi Stabilis prope Sanctam Mariam Magdalenam, et fuit per homines sic viriliter defensus, quod non cremavit nisi solummodo domus illa, in qua accensus fuit, et altera domus iuxta illam fuit discohoperta, sic quod ignis non potuit virtutem habere neque transitum ad alias domos. Vicesimo primo die Augusti Petrus de Castello Ianuam aplicuit de exercitu Damiate rediens, et talia retulit nova, secundum quod in litteris regis Iohannis, patriarche, ducis Austrie, archiepiscopi Nicosie, episcopi Acconensis, magistri Hospitalis, magistri Templi, magistri Hospitalis Theuthonicorum, et episcopi de Bellecm[b] [90]: „Feria tertia ante pentecostem exercitus christianorum Damiatam aplicuit, et obsederunt eam; in quo accessu misericors Dominus primitias gratie sue eis impendit, et futurum favorabilem se hostendit. Nam contra spem omnium, nullo infidelium resistente licet multa milia essent in civitate et exercitu, pauci descenderunt[c] de navibus, et ante prefatam civitatem castra libere posuerunt, et machinas erexerunt ad expugnandam turrem quandam sitam inter fluvium, brachium Nyli silicet, a qua turri protenditur catena ferrea per medium fluvium usque ad civitatem, prestans impedimentum christianorum navibus transsituris."

Mense vero Septembris due galee piratarum de Neapoli et de Ysela in Provintiam iverunt, et ligna Ianuensium et Provintialium ceperunt et miserunt ad portum Falese; et propterea armavimus galeas duas de civitate et unam de Portu Veneris pro illis consequendis et capiendis. Et cum due galee nostre pervenissent supra Lavaniam, viderunt galeam unam cum duobus lignis, putantes illas esse galeas, ipse secute sunt galeam illam, que profugium fecit, dimissis lignis quos ducebant. Erat enim galea illa de Arelate, que supra gradum Pisanorum platas duas caricatas rerum cuiusdam navis de Tunesi

a) qui 1. b) continebatur *addit ed.* c) *ita ed.*; discorderunt 1.

84) Formulam pacis, quae imprimis ad res orientalis imperii pertinet, videas in Libr. iur. I, 609. W. 85) Ibid. 599—608. W. 86) Hoc privilegium pretiosissimum non iam exstare videtur. W. 87) De rebus cum Ventimiliensibus tractatis v. Libr. iur. I, 614—624. 626—628. W. 88) d. 19. m. Maii a. 1218. W 89) i. e. Brunswich. 90) i. e. Bethlebem.

1218. redeuntis ceperat. Contigit autem, quod propterea Pisanorum consul cum quattuor de nobilioribus civitatis Pisane Ianuam venit, et peccuniam illam potestati et comuni Ianuae quesivit amore et solummodo dono. Congregato consilio Ianue, peticioni eius acquieverunt consiliatores, et peccuniam ei reddiderunt. Galee quidem nostre iverunt Falesiam, et non inventis cursalibus, invenerunt ibi galeam Narbonensium quam ceperunt, et butium caricatum sale, et bucium per fortiam de portu extraxerunt et Ianuam miserunt. Plumbinenses vero galeam defenderunt sic, quod galee nostre illam habere minime potuerunt. Galee nostre iverunt usque insulam Elbe oviam galeis cursalium; et cum illuc irent, galee cursalium intraverunt Falesiam, et cum galee nostre reddirent assultum in eis facientes, homines de Plumbino eas deffenderunt. Quare habito conscilio potestas misit legatos suos Pisas, Lanfranchum Rubeum videlicet et Henricum de Nigro, qui non transsierunt Sigestrum propter temporis sevitiam, set Ianuam reddierunt. Iterum misit Pisas Paganum de Rodulfo et Wilielmum Lercarium et Wilielmum Pictavinium, qui cum satis bona responsione Pisanorum Ianuam reddierunt. Mense vero Octubris in festo sancti Dionisii apud Damiatam prelium commissum fuit inter christianos et soldanum Egypti; et per Dei misericordiam christiani optinuerunt, et multi de Sarracenis in fatie gladii mortui sunt. Tercia die ante festum sancti Martini aliud prelium commiserunt, et sine[a] .... mortui fuerunt. Mense vero Octubris homines de Capriata Ianuam venerunt, dicentes quod Capriatam dare volebant comuni Ianue ad hostem, cavalcatam et fodrum et ad fidelitates. Et habito consilio, ipsos[b] ceperunt, et fidelitates et cetera que ad honorem Ianuensis urbis spectare videntur,
91 unanimes et voluntate gratuita fecerunt[91].

1219. Anno[c] 1219, indictione 7. potestate existente prefato domino Rambertino, et consule placitorum de compagnis quatuor civitatis Thomasio de Parvopilo Bononiense; de quatuor compagnis burgi Ugolino Marsilii; civitatis et burgi Nicolao de Naxempace; pro civibus et foritanis Bononiense Principino.

Prefata potestas et comunitas Ianuensis ad animum reducens, quod Victimilienses conventionem compositam ipsorum gratuita voluntate inter eos et comune Ianue noluerunt sigilli sui comunis munimine roborare, spreta multitudine iuramentorum que ipsorum consules et alii plures in precedenti anno subierant in publica contione Ianuensium, sine aliquo intellectu de conventione ipsa et suis mandatis et ordinationibus observandis; et que sane omnes Victimilienses subsequenter fecerant apud Victimilium nobilibus civibus Ianue Symoni Bufferio et Ogerio Fallamonice nuntiis comunitatis Ianue illuc propterea destinatis; nec obliviscens iniquitatem ipsorum, qui postea ipso anno, existente iam dicto potestate cum quattuor galeis armatis in litore suo, in publico parlamento in ecclesia sancte Marie providis civibus Ianue Zacharie de Castello, Oberto Galete, Manueli Aurie, Oberto Spinule et Iacobo Piccamilio pro comuni Ianue sponte sua eiusdem civitatis tradiderunt dominium, sicut in carta inde facta per manum Nicolai Panis expressius[d] continetur: cum tam de hiis que iuraverant quam de promissis ad terminum et terminos, quos ipse potestas eisdem pocius benignitate sua quam suis meritis multociens prorogavit, nollent comunitati Ianue aliquid adimplere: cum potentissimo exercitu Ianuensis urbis per mare et terram cum egregiis viris Conrado et Opitione marchionibus Malaspine, Ottone atque Enrico marchionibus de Carreto, Bonifatio marchione Cravexanae, filio Wilielmi marchionis de Ceva, et multis aliis proceribus et nobilibus, cum multitudine peditum et militibus quingentis apud Victimilium Madii die 10. in Dei nomine properavit. Cumque in ipso exercitu permanerent, quedam galea Ianue pro custodia maritime destinata, cui Calvus Respectus comitus inminebat, in initio confusionis ipsorum quoddam lignum suum honustum frumento relictum ab hominibus occupavit, et ipsa civitate, per montes valles et loca dificilima undique devastata, dimissa eadem obsidione trium galearum et totidem lignorum minutorum arctata, quas ibidem fecit per totum tempus sui regiminis de beneplacito Ianuensium[e] consilium permanere, cum omni felicitate Ianuam[e] remeavit. Ipso namque anno armarunt Victimilienses quandam sagiteam, cum qua Trapanum accedentes, ibi quandam naviculam

a) *lacuna maior* 1. 2; fine *editio.* b) *aliqua exesa* 1. c) *aliqua exesa desunt* 1. d) expresius 1. e) Ianuensium — Ianuam *desunt* 2.

91) Capriatae consules se reddiderunt diplomatibus in Libr. iur. I, 630—636 editis. W.

Belmusti et aliorum Ianuensium, et cum ipsa postea aliam Ugonis Montelli et Vassalli 1219. Segneris acceperunt; et primo captam recedere extracto honere permittentes, cum altera nave et sagitea in partibus Karollis redeuntes, ibidem quamdam naviculam Ianuensem, que de portu Karollis iter arripuerat, occuparunt. Audiens autem Donumdeus Bos, qui cum galea sua ipso portu aplicuerat, eo quod usque in Sardineam de partibus Barbarie a sex galeis Sarracenorum fuerat vi fugatus, quod Victimilienses adversus homines Ianue tantam audatiam ostendebant, statim eam cum hominibus Ianue qui illuc erant optime perarmavit, et insequendo et inquirendo ipsos, invenerunt navem ultimo captam; quam visa galea, Victimilienses absissa sartia dimiserant, ne cum ipsa possent forsitan apprehendi, et tandem consecuta sagitea prope navem eam viriliter invaserunt; et conmisso prelio, Victimilienses qui erant in nave, timentes de captione sagitee, ipsam iuxta navem sagaciter extraserunt, et nisi intervenisset noctis obstaculum, eos concedente Domino accepisent. Set sicut Deo placuit, vulneratis ex ipsis pluribus et specialiter comito sagiteae, et quattuor de melioribus ipsorum qui in galea prosilierant interfectis, vivos totidem tenuerunt, quos cum nave inventa, quam Victimilienses dimiserant, et cum honere ipsius comunitati Ianue in signum devocionis ipse Donumdei postea presentavit; et comunitas Ianue eidem respondere ad merita non obmisit.

Post modicum quippe dierum spatium Victimilienses conmoti detrimento quod passi fuerant sagitea iam dicta, quamdam galeam armarunt, cum qua euntes in portu Turritano quamdam navem nuncupatam Benvenutam, ibidem cum honere et hominibus occuparunt. Quo audito comunitas Ianuensis galeam unam armavit pro ea inquirenda cum galea prefati Donumdei[a], qui adhuc in Ianua morabatur; quibus virum nobilem Zachariam de Castro rectorem et dominum stabilivit. Et inquirentes ipsam cum pervenissent ad insulas Arearum, sicut Omnipotens concedebat, galea Victimiliensium cum nave capta sequendo alteram navem Ianuensium, que dicebatur Sanctus Leonardus[b], venientem de Sardinea honeratam, cepit in ipsis partibus deffretare; quam postquam Ianuenses viderunt, ad navem, quam sequebantur, viriliter perrexerunt. Et ascendentes navem ipsam cum ea, habitis per homines qui erant in ipsa certis rumoribus inimicorum, velut leo ad predam versus ipsos celeriter accesserunt. Ipsi nempe videntes quod a fugatis fugabantur, relicta nave capta et hominibus, ceperunt cum galea pelaga resercare; quam sane recuperata eadem nave, galee sequi animosius inceperunt. Set cum ipsam forent aliquantulum insecute, ab insecutione obscuro noctis obstaculo destiterunt, reddeuntes ad terram et sperantes quod deberent ipsa nocte vel summo mane aquarum deffitientia littorare. Set spe ipsa decepti, conmunitis ambabus navibus, terratenus usque Monachum redierunt, prestolantes adventum ipsius galee, de qua rumores habebant quod ad presens debebat ad propria remeare. Et cum quadam die in partibus fucis Victimilii et Murtule permanerent, Victimilienses cum dicta galea quodam mane, inspectis galeis comunis Ianue, in partibus Roccabrune ad terram intra duo saxa maxima confugerunt: quam galeam homines intuentes, illuc perrexerunt, conantes ipsam de loco quo infixa fuerat exstirpare. Set interveniente deffensione tam hominum galee quam aliorum Victimiliensium qui venerant ibidem, quamvis plurimi ex ipsis vulnerarentur, quod inceperant nequiverunt perducere ad effectum; set debellantes ipsam tamdiu tenuerunt obsessam, quod superveniente asperitate maris penitus naufragavit, pridem quam[c] ad eos nequivit succursus Ianue pervenisse. Quippe ipso anno comunitas Ianue decem galeas armavit, quas ad succursum christianorum in obsidione Damiate commorantium 23. die Iulii de Ianua destinavit, quibus et omnibus Ianuensibus qui erant in ipso exercitu nobiles cives Ianue Iohannem Rubeum de Volta et Petrum Aurie rectores et presides procreavit; qui usque mensem post conflictum quem festo decollationis beati Iohannis baptistae exigentibus nostris peccatis[d] passus fuit exercitus[e] christianus, tam cum ipsis galeis quam cum altera illustris viri Alamani comitis Siracusae, et tribus galeis egregii viri Savarixii de Maloleone apud Damiatam incolumes aplicarunt, invenientes gentem et principes exercitus passo detrimento taliter expaventes, quod etiam erant in proposito ascendendi ligna, et si posset esse, ad propria remeandi. Set benedictus Deus in tantum fuerunt adventu ipsorum et presentia confortati, quod qui erant in procinctu eundi, et multi qui iam naves ascenderant, vigorem sumpserunt et animum remanendi. Octavo vero die post

a) donundei 1. b) laurentius 2. c) quem 1. d) peccuniis 2. e) *nonnulla exesa desunt* 1.

1219. applicationem ipsorum soldanus Damaschi coadunata multitudine Sarracenorum ad castra christianorum accessit, et tribus diebus continue ibidem christianos fortiter debellavit; set per gratiam Dei tantam lesionem tollerarunt, quod tam ab obsidione ipsorum quam de ipsis partibus recesserunt.

---

V

# MARCHISII SCRIBAE ANNALES.

## A. 1220—1224.

*Neccessarium siquidem humano generi reperitur, ut quod natura non valet de diversis gestorum negociis mentis memorie conmendare*[a], *per scripturarum compositionem exhibeat, que tam presentibus quam futuris esse debeant profutura. Ideoque ego Marchisius, qui multis rationibus nomen meum exprimere erubesco, quarum una silicet*[b], *ne magis redarguendus essem, si aliqua inutilia praesumptuose proferrem, aut si forte in aliquo commendabilia, ne potius crederetur, me proprio nomini quam Deo humane laudis gloriam acquisisse, licet me insufficientem cognoscam ad conscribendos actus pariter et honores tante rei publice Ianuensis urbis: ad instar strenui et illustris viri domini Caffari quondam beate memorie, qui actor fuit tanti operis, cuius non fui dignus solvere corrigiam calciamentorum eius: tamen ad instantiam et exhortationem nobilis viri domini Rambertini Guidonis de Bovarello Ianuensium potestatis, ac multorum nobilium virorum, assumpto inde studio et labore, prout melius potero divina auxiliante clementia effectui mancipare curabo.*

1220. Anno 1220. indictione 8. dominus Rambertinus Guido de Bovarello Bononiensis civis
92 fuit Ianuensis civitatis potestas; qui confirmatus in hoc anno, triennio[92] tanquam strenuus et illustris cuncta sagaciter et prudenter disponens, civitatem satis feliciter ac laudabiliter gubernavit. Habuit siquidem circa se ipsum et ad promovenda negotia introitus et exitus comunis Ianue octo nobiles viros, videlicet Oliverium de Platealonga, Nicolam Barbavariam, Ugolinum Cavarruncum, Paganum de Rodulfo, Obertum Usummaris, Enricum Domusculte, Nicolam Embronum et Ogerium Fallamonicam. Pro iustitia vero in consulatu civitatis Thomam Parvipili, in consulatu civitatis et burgi Albertum de Gascono, in burgo autem Ugolinum Marsilii et in consulatu civium et foritanorum Principinum iudicem ipsius potestatis, omnes Bononienses cives. Qui vero tam octo quam consules per iustitie tramitem ambulantes, tempus sui regiminis ad honorem Ianue urbis fine laudabili terminarunt.

Cum igitur pater celestis Deus, absque cuius nutu nec passer ad terram nec folium arboris cadit, civitatem Damiate diu a christianis obsessam post labores multos pariter et sudores in manus christiani nominis tradidisset, de cuius captione per litteras domini Pelaii beati Albanensis episcopi et apostolice sedis legati certiores effecti sicut inferius declaratur, iam dicta potestas susceptis litteris ipsis et cum omni iocunditate perlectis, continuo pulsatis campanis, ad ecclesiam beati Laurentii ad noticiam populi ibi undique confluentis

a) conmedare 1. b) *aliqua exesa desunt* 1. 92) scilicet annis 1218, 1219, 1220.

fecit ylariter pervenire. In qua tam clerus quam populus Ianuensis de tanta plenitudine 1220.
gaudiorum innumeras gratiarum actiones Altissimo referentes, una voce clamarunt dicentes: *Te Deum laudamus; te Dominum confitemur.* Tenor autem litterarum:

*Nobili ac egregio viro potestati, clero et populo Ianuensium, P. miseratione divina Albanensis episcopus salutem et sincere dilectionis affectum.*

*Exaudivit Dominus de excelso sancto suo preces servorum suorum, non permittens expensas apud Damiatam a christianis factas*[a] *inutiliter fieri, et tantam christianorum stragem inpunitam relinqui; set in hiis omnibus nobis misericorde*[b] *providens ac clementer, pro parte magna nostrum desiderium adimplevit. Cum enim propter multiplicem sui deffensionem nec per terram nec per aquam manifeste capi posset civitas Damiate, non virtute vel probitate alicuius viventis, set solius Dei dextera pugnante pro nobis, ignorantibus omnibus de exercitu preter illum qui quantum ad studium hominis pertinet negocium procuravit, Nonis Novembris in tempeste noctis silentio furtive inmo potius miraculose capta est Damiata, adeo quod in captione ipsius nec unus de nostris extitit interfectus nec leviter vulneratus, preter unum qui, tanquam incisionem flebotomi, ictum sagitte recepit in pede. De Sarracenis vero tot ceciderunt in ore gladii, quod etiam nobis displicuit. Maiores tamen admirati et alii qui se in turribus receperunt sunt reservati ad vitam, pro quibus captivos nostros non solum rehabere speramus set etiam peccuniam infinitam. Civitatem autem ipsam invenimus plenam auro et argento, pannis sericis et lapidibus preciosis, frumento et ordeo et aliis multis divitiis, quibus ditatus est exercitus christianus, Egyptus spoliatus. Hec ideo universitati vestre per ordinem duximus intimanda, ut exultetis et letemini et concorditer omnes grates referatis Altissimo, qui sua solummodo misericordia non nostris meritis tantam et tam famosam et tanto tempore per terram et aquam christianis infestam, nobis ad cultum suum tradidit civitatem; et speramus quod idem qui nobis aperuit portam Egypti, concedet nobis eius interiora rimari. Nos autem cum toto exercitu infinitas universitati vestre grates refferimus, pro eo quod galee, quas ad terre sancte subsidium transmisistis, nobis in necessitatis articulo subvenerunt; in adventu quarum exercitus, qui propter infortunium quod nobis in festo decollationis beati Iohannis contigerat animum et virtutem amiserat, plurimum confortatus quasi nichil mali substinuissent, in servitio Christi resumptis viribus ac animis stetit viriliter ac prudenter. Data Damiata 2. Idus Novembris.*

In hoc siquidem anno cum Wilielmus marchio Malaspina, qui multa nobilitate ac gloriose militie probitate vigebat, de Sardinea ad propria remeasset, magnis febribus occupatus, cupiens, que contra matrem suam Ianuensem urbem, de cuius munere feudi benefitio annis singulis congaudebat, quandoque peccatis exigentibus commiserat indiscrete, demum per traditionem sui corporis restaurare, Ianuam accessit, ibique divina annuente clementia numero mortalium preteritorum adiunctus, iuxta portam ecclesie beati Laurentii de versus fabricam beati Iohannis baptiste honorifice in Domino requiescit. Çeterum dum Victimilienses ad instar angeli lucis, qui adversus Creatorem elatus de celesti patria ad infima precipitatus descendit, per inobedientiam facti essent rebelles Ianuensi civitati, veluti inebriati vino, non premeditantes quam durum esset contra stimulum calcitrare, prefatus dominus Rambertinus suffultus provido consilio Ianuensi, nobilem virum Manuelem strenuum comitem Victimiliensem, fratre suo Wilielmo absente, ante suam presentiam convocavit. Veniente autem ipso, de novo pacis federa inierunt, quibus ipse Manuel promisit et interveniente vinculo iuramenti firmavit, quod quamdiu duraret discordia inter civitatem Ianue et homines Victimilii, ipse cum[c] terris suis et castris que tunc habebat vel[d] deinceps habiturus esset, per se et homines suos faceret pro posse suo bona fide sine fraude vivam guerram igneam et sanguinolentam hominibus Victimilii in perso is et rebus, et quod cum militibus quindecim ultra personam suam et fratris, equis et armis militaribus et neccessariis ad guerram decenter guarnitis, et balistariis decem cum armis neccessariis, et balistis de cornu[93], unam videlicet per unumquemque habendis semper et tenendis usque ad finem guerre, ipsos Victimilienses offenderet pro posse suo in personis et rebus. Stratam quoque qua tenditur de versus Pennam ad Burgum sancti Dalmatii, vel si aliunde mutaretur, frangere et destruere et fractam tenere promissit; similiter et alias ad Victimilium decurrentes pro posse suo bona fide. Ad castrum quoque Penne in virtute sua habendum et retinendum

a) factam 1. 2. b) *i. e.* misericorditer; misericordie *habet* 1. c) con 1. *aliquotiens.* d) *aliqua exesa desunt* 1.

93) *balistis de cornu* distincte codex; fortasse idem quod *balista de turno* infra a. 1247.

1220. debebat studium et operam modis omnibus adhibere; nec cum[a] hominibus Victimilii, durante guerra ipsa, pacem vel treugam seu concordiam aliquam componeret vel haberet sine voluntate et licentia comunis Ianue. Captos quoque debebat in virtute comunis Ianue liberare pro ea redemptione, quam habere posset ab ipsis, vel ab aliqua persona pro eis, si comune Ianue eos habere vellet: de quibus omnibus ad beneplacitum iam dicte potestatis ydoneam cautionem prestavit. Dominus autem Rambertinus eidem Manueli pro se et fratre suo promisit, quod quamdiu Victimiliensis discordia vigilaret, comune Ianue eis singulis mensibus errogaret libras 150 denariorum Ianuensium ipsis observantibus que superius dicta sunt, sicut continetur in instrumento per manum Marchisii scribe inde confecto. Contigit autem, quod cum[b] Victimilienses terram comitum hostili manu audaciter fuissent aggressi, pervenientes ad castrum quod dicitur Lucis Ramus, ibi aliquid perficere nequiverunt. Deinde vero declinantes ad Cespeelem, ubi iustus iudex et dominus noster Iesus Christus volens eorum scelera et iniquitates purgare, preveniente Oddone Sevenco in occursu eorum cum valida atie bellatorum, eos dirrupit in fugam. Quorum quadraginta quinque de melioribus cursus velocitate devictos retinuit, et captos strenuo comiti[c] Manueli, qui de Sancta Agnete, ubi erat, orto clamore in eius auxilium properabat, letanti animo liberavit. Postquam igitur hec ad domini Rambertini notitiam pervenerunt, statim consilium celebravit, ex cuius decreto nobiles Ianue cives Ugolinum Cavarruncum et Ogerium Fallamonacam et Iacobum Piccamilium et Ansaldum de Nigro pro ipsis hominibus exigendis ad comitem Manuelem direxit. Qui vero ad id exequendum prudenter et sagaciter intendentes, demum ipsos homines habuerunt, et una cum ipsis et comite Manuele letanter ad propria redierunt, recipiente eodem comite per transsactionem et traditionem ipsorum a comuni Ianue libras 1500 denariorum Ianuensium. Post hec Victimilienses animadvertentes[d] qualiter possent incautos decipere et suos e carceribus liberare, convocatis priore Sancti Andree de Sexto et Raymundo iudice de Victimilio, eis denuntiarunt, quod firmo gerebant proposito absque ullo tenore mandata et ordinationes comunis Ianue fideliter adimplere. Cumque ipsi Ianuam remeassent, recitatis ipsis respondit eis prefata potestas: *Placet itaque michi, si Victimilienses suum cognoscentes errorem nostre cupiunt satisfacere voluntati; ideoque approbo et affirmo, quod inde fiant duo scripta, quorum unum penes nos remaneat et alterum deferatis vobiscum; et redeuntibus vobis apud Victimilium, si prout dicitis adimplere voluerint, de melioribus illius civitatis pro his perfitiendis vobiscum usque ad quantitatem maximam conducatis.* Accepto igitur scripto in quo continebatur quod deberent venire salvi et securi, si absque ullo tenore comunis Ianue parerent preceptis, arripuerunt iter et cum omni festinatione ad Victimilium perrexerunt. Redeuntibus autem cum viginti novem de probis hominibus illius civitatis, iam dicta potestas colloquium celebravit, in quo exposuit qualiter ipsi venerant pro mandatis et ordinationibus comunis Ianue observandis, nullo intellectu ab eo recepto vel ab aliqua persona pro eo, et quod de sua voluntate erat, quod inde deberent per iurisiurandi fidem veritati testimonium perhibere[e]. Qui omnes tam prefatus Raymundus quam Victimilienses in publica contione publice et patenter iurarunt, et prefatus prior in ordine suo promissit, quod ita verum erat ut ipse dicebat, et quod ipse nec aliqua persona pro eo eis vel alteri pro eis nullum inde dederat intellectum. Subsequenter recepto iuramento ipsorum de mandatis comunis Ianue absque ullo tenore in omnibus et per omnia observandis, idem domnus Rambertinus consilium celebravit, requirens quid esset precepturus eisdem. Cuius summa consilii fuit, ut eis preciperet quod facerent maiorem hominum quantitatem venire. Unde potestas a se ipso motus in presentia consilii ait ad illos: *Quia pauci venerunt de vestris, precipio vobis ut de reliquis usque ad ducentos fatiatis venire pro mandatis nostris et ordinationibus observandis.* Qui cum[f] ad hoc nullum darent responsum, prefata potestas quasi conscius de his que sub eorum pectore subdole latitabant, rursum ad eos dixit: *Video enim, quod vobis difficile videtur illud quod dico, et ideo non vultis acquiescere verbis meis. Ergo centum quinquaginta accedant.* Ad quod cum ipsi habentes semper fatiem pronam ad terram, nullum curarent dare responsum, quid plura? iam dictus dominus Rambertinus de quantitate ipsa semper ad minorem gradum descendens, demum usque ad homines triginta pervenit. Quo audito ipsi accuentes linguas suas, emisso verbo quod videbatur amissum dixerunt: *Domine, nunc reticere non possumus*[g] *nec debemus, cum id quod dicitis nobis satis*

a) com 1. b) con 1. c) *aliqua exesa desunt* 1. d) animauertentes 1. e) peribere 1. f) con 1. g) posumus 1.

*suffitiens videatur. Volumus enim habere consilium, et ipso accepto, quid super hiis fuerit fatiendum, vobis presentialiter respondere.* Cumque ipsi in quadam parte palatii convenirent in unum, quidam ex ipsis occulte ab aliis separantes de palatio exierunt, et versus partes suas fugam continuo acceperunt. Alii vero accepto consilio responderunt: *Domine, tale est consilium nostrum, quod pro hominibus conducendis debeamus Victimilium proficisci, quia sicut nobis videtur, aliter ipsos homines habere non possemus.* Ad quos potestas respondit: *Miror enim non modicum de eo quod dicitis; quia sicut scitis, huc venistis de consensu et voluntate ceterorum hominum Victimilii pro nostris mandatis et ordinationibus adimplendis. Quare vobis precipimus et ordinamus, quod mandata nostra, sicut tenemini, exsecutioni mandetis, nec de civitate ista sine nostra licentia separetis*[a]. Ipsi vero exhibentes quod vellent reiterare consilium, sicut subsequentibus signis apparuit, malitiose et fraudulenter tractarunt, qualiter possent evadere manus eius et ad propria remeare. Unde cum quidam ex ipsis arripuissent fugam, prefata potestas, postquam hoc novit, alios cepit et carceris custodie mancipavit, sollicitans potestatem ipsorum Iacobum de Caaralio, quod absque impedimento deberet Victimilium remeare. Qui cum nollet absque aliis, ipsum fecit in eodem carcere mancipari. 1220.

Preterea iam dicta potestas per totum tempus sui regiminis de voluntate conscilii fecit stare galeas tres cum aliis lignis minutis apud Victimilium, tam pro ipsis comprimendis quam securo ducatu prestando omnibus per partes ipsas transseuntibus; pro quarum custodia tam universi quam singuli homines de foris ab annis sedecim supra, videlicet a Portu Veneris usque Cogoletum, conprehenso Cogoleto, impendebant a soldis tribus usque in novem, sic quod homines quinque computatis ditioribus solidos triginta vel hominem unum prestabant. Ut autem in posterum clareat ac memorie singulorum occurrat, presenti pagina denotare disposui, quod cum quedam ex ipsis galeis de custodia, in qua preerat vir strenuus Oliverius Merenda, quamdam[b] sagitteam de fauce Victimilii egressam insequeretur, nec per fugam aliquatenus evadere posset, applicante ea apud Brenzonum, ibi tuta fuit pariter et recepta ab hominibus ipsius loci, qui ipsam et homines ipsius a prefato comite iam dicte galee tam pacis respectu, que inter nos et Massilienses vigebat, cuius[94] est ipse locus, quam multa precum instantia requisitam nullatenus reddere voluerunt, dicentes quod inde se haberent secundum mandatum rectorum Massillis. Eunte autem prefato Oliverio, eisdem rectoribus sagitteam ipsam et homines postulavit, asserens qualiter homines Breenzoni ipsam ab eo insecutam receperant, et pro ipsius deffensione repugnaverant contra eum. Cui prefati rectores Massilie responderunt: *Quod homines Breenzoni sagitteam et homines vobis reddere noluerunt, non feratis moleste, quia Victimilienses nobis et genti nostre dampna non modica intulerunt, propter quod in personis ipsorum eam curabimus exercere vindictam, quod vobis et civitati*[c] *vestrae cedet ad gloriam et honorem.* Interea vero homines de Breenzono de licentia et mandato Massiliensium, sicut credendum est, sagitteam et homines dimiserunt, fingentes occasiones suas, quod quadam nocte furati sagitteam ipsam ipsis insciis inde recesserant fugiendo. Cumque iam dicta potestas nobilem virum Idonem Lercarium et cum eo Marchisium scribam pro sagittea exigenda et homines destinaret, et iam iter arripuissent, audientes quemadmodum homines Breenzoni malitiose ipsam abire permisserant, ad propria redierunt. Ad hec prefatus dominus Rambertinus, sicut per capitulum tenebatur, potestatem apud Sanctum Romulum constituit, videlicet nobilem Ianuensem civem Obertum advocatum, qui dampna multa pariter et offenssiones intulit hominibus Victimilii[95].

Dominus autem Fredericus excelsus Romanorum rex et semper augustus atque regni Scicilie, Theotonie fines egressus, ad suscipiendum imperii diadema deproperavit ad Urbem; ad quem dominus Rambertinus de voluntate consilii cum multis nobilibus civitatis eius sollicitatione perrexit, existimans pro comuni Ianue ab eo multa comoda suscipere et honores, prout litteris suis sepissime promiserat se facturum in remuneratione multorum obsequiorum, que ab ipso comuni asseverabat multociens suscepisse. Et eo invento extra Muti- Oct.

a) seperetis 1. *ita et supra.* b) quadam 1. c) *aliqua exesa desunt* 1.

94) scil. civitatis. 95) Quos Otto marchio Carreti, cui Fridericus II Rom. rex hanc curam permiserat (Libr. iur. I, p. 652), banno imperiali suppositos esse, anno 1220. exeunte compluribus epistolis declaravit. Ibid. 657—663.

1220. nensem civitatem, secutus fuit eum ultra Bononiam usque ad castrum Sancti Petri; et ostensis privilegiis nostris, vix partem de eo quod ad imperium pertinebat voluit confir-
Oct. 4. mare[96], suas excussationes preponens, quod quicquid ad regnum Sicilie attinebat, nisi prius esset in regno, non poterat aliquatenus confirmare; sed eo existente in regno, firmo gerebat proposito, non solum ea set multo maiora comuni Ianue exhibere. Ammonuit autem eos, quod usque ad Urbem eum sequi deberent; set nostrates premeditantes, quam grave dampnum ex ipsa consuetudine civitati nostre posset in posterum pervenire, eius ammonitionibus acquiescere noluerunt, dicentes quod sine licentia consilii Ianue fieri non poterat, cum[a] predecessorum suorum coronationi non consueverat civitas Ianue aliquem vel aliquos destinare; et sic ab eo licentia impetrata ad propria remeaverunt. Quod quidem[b] pro parte maxima accidisse noscatur eo, quia cum ab initio nostros hilari fatie suscepisset, demum eos adeo despicere et abhorrere proposuit, quod non sicut notos sed tamquam extraneos eos faciebat extra suum temptorium inhoneste cottidie permanere. Unde, quod apparuit tempore breviori, noluerunt per spatium temporis prolixioris ad dedecus civitatis Ianue substinere. Dominus autem Conradus venerabilis Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, quod non est pretermittendum, satis honorifice et benigne cives nostros tractavit, et negotia nostra prout potuit ad honorem Ianuensis urbis promovere curavit, per tres vices ad temptorium potestatis nostre declinans, erga ipsum pro honore civitatis nostre familiaritatem non modicam et amiciciam ostensurus: propter quod iam dicta potestas in signum dilectionis ex parte comunis ei grata munera presentavit. Prefatus itaque Romanorum rex die dominica veniente post
Nov. 22. octavam beati Martini coronam imperialis sublimitatis accepit, et ipsa accepta ad partes Siculi regni perrexit.

1221. Anno 1221, indictione 9. fuit potestas dominus Lotherengus de Martinengo, nobilis et strenuus Brixiensis civis, qui cum[c] multa legalitate vigeret, Ianuensem civitatem feliciter rexit et laudabiliter gubernavit. Habuit siquidem secum ad civitatis servitium duos iuris peritos, videlicet Aimericum de Monteclaro et Conradum de Bagnolo, viros utique providos et discretos, quorum unus rexit offitium consulatus civium et foritanorum, et alter iuxta se ipsum ad diffiniendas lites malefitiorum permansit. Pro redditibus quoque comunis Ianue recolligendis et expendendis habuit octo nobiles, videlicet Pubaldum Elie, Wilielmum Streiaporcum, Honoratum Bolletum, Wilielmum Cicadam, Ansaldum Malfantem, Marchisium Grillum, Lanfrancum[d] de Turca et Iacobum de Guisulfo. Pro iustitia vero in consulatu civitatis Iacobum de Presbitero civem Parmensem; in medio autem Anselmum de Fontana Placentinum; in burgo namque Iacobum de Runco Terdonensem; qui omnes velud iustitie amatores finem sui regiminis laudabiliter terminarunt, de iustitia singulis providentes.

Dominus autem Lotherengus presciens, quod dominus Fredericus Romanorum imperator, antequam diadema imperii suscepisset, domino Rambertino tunc Ianue potestati et qui cum eo erant, dederat intelligi, quod post susceptionem ipsius, cum esset in regno, Ianuensis civitatis privilegia confirmaret, ex decreto Ianuensis consilii viros nobiles et discretos Obertum de Volta, Sorleonum Piper et Ubertum de Novaria ad eum in legatos direxit. Qui cum[e] ipsum diu insecuti fuissent, multis expensis ac laboribus fatigati, demum nichil inde perficere potuerunt, immo, quod contra omnem humanitatem videtur, de servitiis illis que tam magnifice tam fideliter erga ipsum gesserat civitas Ianuensis[97], que licet difficilimum esset omnia per singula ennarrare, tamen quedam reserare non pretermittam, pro bono nobis malum reddentes: Palatium quondam Margariti, quod dederat hominibus Ianue habitandum, a nobis attrociter sublevavit; et insuper fracta libertate, quam benefitio privilegiorum suorum concesserat nobis in regno ad drictum prestandum, quod omnibus circumspectis decenum et eo amplius computatur, nos iniuste subiecit, et comitem Alamanum, qui inter alios fidellissimus exsistens ei tot et tanta servitia contulerat, inhoneste a gubernatione civitatis Siracusane privavit. Wilielmus Porcus scilicet admiratus cum

a) con 1. b) *aliqua exesa desunt* 1. c) com 1. d) lanfracum 1. e) con 1.

96) Confirmavit imprimis privilegium Heinrici VI, de quo cf. supra pag. 105 not. 98, d. 4. Nonas Oct. a. 1221. Liber iur. I, 653. Huillard-Bréholles Hist. dipl. Frid. II tom. I. pag. 868. W. Vide Senkenberg imperii ius in Genua. 97) Cf. a 1212.

ipsum capere vellet, sicut divine placuit voluntati, manus eius aufugit, et a liminibus regni coactus indebite separavit. Ceterum cum puerilis etas et inbecilitas eo regnante adhuc in persona eius vigent, propter quod Pisani et alii multi undique confluentes, ipsum et regnum eius perdere nitebantur, Ianuenses tamquam fideles amici et experti eorum opinioni viriliter resistentes, in quibus poterant, subministrabant ei; et terram suam propter eorum frequentiam adeo reddiderunt munitam et insidiis inimicorum praevisam, quod emuli ipsius non prevaluerunt adversus eum, nec potuerunt quod sepissime premeditaverant stabilire. 1221.

Contigit autem quod dominante imperatore Ottone, qui prosperitate solus erat in mundo, cui fata ad vota cedebant, cupiens contra ipsum, quem valde habebat exosum, ad surripiendum regnum eius exercitum congregare, sollicitavit homines Ianue ad ipsum faciendum, promittens Ianue civitatem inde magnis honoribus magnisque utilitatibus ampliare. Cuius cum nollent affectibus inclinare respectu pacis quam cum rege habebant, et inde ad Pisanos habuisset recursum, cum quibus exercitum ipsum[a], ab ea die in antea homines Ianue adeo a gratia sua alienos effecit, quod ipsam, quam primitus obtinebant, demum noverunt penitus amisisse; et cum in sua cepisset virtute quosdam Pisanos et Ianuenses, qui propter guerram a Pisanis inceptam ab utraque civitate detinebantur captivi, pro quibus ab omnibus[b] sperabatur se pacem facturum, et eos a vinculis absoluturum[c], severitate compulsus Pisanorum incarceratos dimisit, Ianuenses vero apud Sanctum Meniatum transmissos iniuste carceri ergastulo mancipavit. Postmodum vero prefatus dominus Fredericus cupiens versus partes Alamanie transmeare, ceteris regionibus vitatis[d], ad quas timore iam dicti Ottonis non ausus erat adpropinquare, Ianuam confidenter aplicuit, ubi omni periculo et timore postpositis, a minimo usque ad maximum tanta fuit reverentia et devocione receptus, tantaque iocunditate et honorificentia pertractatus, quod si prorsus vellem litteris explicare, vix plene possem exprimere veritatem, comune Ianue ei libras . . . . . . . . . . Ianuensium largiente, cum necessaria non haberet. Et vere fuit ei Ianua porta, que per figuram Porta vocatur, quia per Ianuam habuit accessum ad id quod sperabat, et ad culmen imperialis dignitatis pervenit.

Dominus autem Lotherengus cum ex capitulo teneretur super facto Victimiliensium consilium celebrare, ex decreto ipsius consilii super Victimilienses exercitum congregavit, pro cuius expensis imposuit mutuum solidorum viginti per centum[e] a civibus colligendum, et equos trecentos, pro quolibet quorum soldos centum excussabantur; a presentibus vero inutilibus propter impossibilitatem vel temporis maturitatem, prestita licentia et absolutione[f] exercitus, et ab absentibus iuxta facultatem suam[g] pro suo arbitrio capiebat Unde convocatis quam pluribus vassallis et amicis civitatis, inter quos fuerunt milites 15 nobiles Brixienses cives . . . . iter arripuit, et apud Sanctum Romulum pro exercitu coadunando applicuit. Set cum comune Ianue iam dictis Brixiensibus militibus pro collatis obsequiis, in reversione exercitus vellet gratis muneribus respondere, ab ipso comuni, prohibente penitus potestate, aliquid accipere noluerunt. Exsistente igitur apud Sanctum Romulum potestate, ecce comes Provintie in succursum Victimiliensium fere cum militibus[h] advenit, inter quos fuerunt . . . . . . Cumque exercitus anxietate non modica ad prelium urgueretur, et tumultus assiduus oriretur ad festinandos gressus versus comitem ipsum et Victimilienses, iam dicta potestas coadunato consilio et quam pluribus de probis hominibus civitatis, quid esset facturus ab eis consilium postulavit. Cuius siquidem cum[i] magna esset diversitas, tamen sicut divine placuit voluntati, que[k] foventes iustitiam dirigit in viam rectam, maior[l] pars ipsorum optinuit quod exercitus moram faceret ibi, quamdiu comes in Victimilium permaneret, ea ratione deducti, quia quanto longior esset mora ipsius, tanto ad maiorem incomoditatem Victimiliensium redundabat, licet ipsius instantiam et gravamen diu non possint equanimiter substinere. Unde sic factum est, quod ipse comes desertis Victimiliensibus male et occulte fugitivus recessit, dimisso ibi Guilielmo[m] de Cotignao cum quibusdam aliis ad regimen et gubernaculum illius terrae. Quorum quidam denique implorata fidutia Ianuensis potestatis, ac multis precibus impetrata, alii vero occulte fatiendo ad propria redierunt.

Cumque recessus ipsius comitis ad potestatis noticiam pervenisset, coadunata gente sua, et facta dispositione ipsorum qui exercitui tam maris quam terre preesse debebant, Lanfranco Wilielmi de Mari vice admirati ad lignorum custodiam constituto, precepit quod

a) *scilicet* effecit. b) onnibus 1. c) absoloturus 1. d) ciuitatis 1. e) pro *cantario ed.* f) absolutionem 1. g) *aliqua exesa desunt* 1. h) *lacuna* 1. i) com 1. k) qui 1. l) maiors 1. m) guĝo 1.

1221. sequenti die summo mane quilibet audito sonitu tubarum versus Victimilium properaret, sic quod euntes per mare[a] non ausi essent ad littora Victimiliensium applicare, donec signum suum viderent. Ipsi vero per inobedientiam fines mandati transgressi, descenderunt in terram; et cum inermes concurrerent ad hospitia capienda, Victimilienses equites ibi paratis insidiis latitantes irruerunt in eos, quorum quosdam graviter vulnerarunt, et undecim atrociter more barbarico occiderunt; de quorum morte cum totus exercitus pre nimia tristitia turbaretur, tam universi quam singuli fuerunt ad clamorem conmoti, quod Victimilienses incarcerati Ianue detenti ducerentur ibi mortis periculo traditurі. Set cum potestas clamorem exercitus non posset sub silentio preterire, celebrato inde consilio fecit eos conduci ibi, et in quodam hedifitio[b] ad modum hospitalis in campo ipso constructi in vinculis mancipari, iurante eo se facturum eos luce privari, nisi usque ad dies octo civitas ad suum beneplacitum redderetur. Unde contigit, quod mediantibus bonis hominibus Victimilienses venerunt, et absque ullo tenore iuramenta trecentorum hominum prestiterunt de mandatis et ordinationibus potestatis in[c] omnibus et per omnia observandis. Redditis[d] itaque ad mandatum suum clavibus civitatis, precepit eis, quod castrum Apii gente sua traderent muniendum, et alia que restabant iuramenta supplerent. Qui cum ad libitum suum facere promississent, sequenti die proficiscentibus nuntiis suis ad ea recipienda, non solum id facere neglexerunt, immo etiam tamquam maledicti periuri eos retinere et capere voluerunt. Unde potestas conmotus inde non modicum et turbatus, licet eorum reparationem prestolatam ad tempus obtinere non[e] posset, undecim ex ipsis fecit lumine oculorum privari. Dum autem in ipso exercitu permaneret, fecit fieri fossatum, cuius alveus latissimus fuit valde, et longissimus fere per miliaria duo, in quo latices Victimiliensis fluvii concludere et eis auferre putavit; et licet ex toto fieri non posset, tamen copiosam partem eduxit, de qua non modicam comoditatem totus exercitus sentiebat. Preterea erexit ibi duos manganelos et duos trabucos in ipso exercitu fabricatos, qui ingenti mole lapidum ac suis formidandis ictibus civitatem illam adeo conquassarunt et in ruinam vergerunt, quod si de eorum gravamine a principio previssum esset et cognitum, tot ibi ad ipsius destructionem creassent, quod Victimilienses, licet nollent, denique civitatem in suis manibus tradidissent. Insuper copanum unum plenum lapidibus et muratum ante fucem Victimilii pro ipsa claudenda demersit. Pontones quoque de Ianua ibi ductos ad fatiendam sepem lapideam ibi fecit per dies quam plurimos laborare, quorum duo in[f] plagia que est infra civitatem et Caput sancti[g] Amplelii, temporis sevitia naufragarunt. Post hec autem in monte sancti Christofori duo castra, et inferius iuxta mare quandam civitatem construxit[h] miris ac robustis muris vallatam; in opere quorum cum tam nobiles quam mediocres iugiter insudarent, ipsum in tam brevi temporis spatio compleverunt, quod non posset credi Romanam civitatem vel imperium perfecisse. Ad ipsorum quoque custodiam et munitionem constituit duo milia bellatores, quorum regimini procreavit virum nobilem et discretum Sorleonum Piper, a quibus Victimilienses adeo oppressi fuerunt, quod a tempore illo citra terram extra civitatem colere minime presumpserunt, nec aliquatenus apparere. Et si quando id contigebat, a nostratibus usque ad muros civitatis ad eorum ignominiam et dedecus fugabantur; unde adeo penuria et neccessitate compulsi fuerunt, quod maior pars ipsorum edes proprias dimiserunt, ac pedibus Ianuensis civitatis prostrati, habitaculum civitatis nove ceperunt, offenssionem et guerram ceteris fatientes. Inter quos iudices nobiles Victimilienses cives venerunt sua sponte pocius quam voluntate coacta, qui pre ceteris fideles comuni Ianue exstiterunt, et de eorum adventu a comunitate Victimilii dampnum non modicum subierunt.

Hiis itaque paratis ac guasto Victimiliensium facto, prefata potestas cum universo exercitu feliciter ad propria remeavit. Convocatis igitur hominibus Sancti Romuli de quibusdam que gesserant in ipso exercitu suis mandatis et ordinationibus parituris, dominus Otto archiepiscopus de civitate ista seccedens, apud Sanctum Romulum properavit, eos corroborans et inducens in potestatis contumacia permansuros. Et cum nobiles viros Aimericum[i] . . . . . . . militem suum, et Rubaldum Elie ad eorum bona dissipanda misisset, nolentibus ipsis nobis venire, iam dictus archiepiscopus opponens se ex adverso, sub pena anathematis universis hominibus comitatus prohibuit, ne guastarent. Unde ipsi nuntii comunis Ianue, subtracto ab eis auxilio, excommunicationis terrore nichil profitientes ad pro-

a) *aliqua exesa desunt* 1. b) hedifftitio 1. c) im 1. d) Redi  s 1. e) nom 1. f) im 1. g) sibi c.
h) *in margine manu saec. XV.* bastita vintimilii 1. i) *lacuna* 1.

pria remearunt. Quapropter iam dicta potestas nimio furore commotus, invasit bona palatii, voce preconia prohibendo ne quis ei deberet de ipsis amplius respondere, exsistente archiepiscopo per totum tempus sui regiminis, quod Ianuam non accessit. Et ideo in suo exitu iam dicta potestas in libris quingentis comune Sancti Romuli condempnavit. 1221.

In hoc siquidem anno Sarraceni de Egypto cum galeis 37 de Raxedi flumine exierunt, que dampna quam plurima, incendia, cedes et offenssiones christiano nomini intulerunt. Ceperunt igitur naves et personas quam plures christianorum, quas Egyptiaco carceri retruserunt. Ad quas insequendas dominus Fredericus Romanorum imperator galeas 40 direxit, quarum gubernationi Enricum strenuum comitem Malte constituit. Applicantibus autem ipsis ad partes Egypti, audiens ipse comes quod galee infra iam dictum fluvium fuerant regresse, ad civitatem Damiate festinus accessit. Exercitus autem christianorum ab ipsa civitate omine malo indiscrete seccessus, equitaverat super Sarracenos. Cumque prefatus comes post ipsum tendere viriliter festinaret, contigit peccatis nostris exigentibus, quod soldanus Egypti presciens adventum exercitus, quadam nocte equitavit, et eo castra metato infra civitatem Damiate et exercitum christianorum, fodendo per totam noctem, de flumine Nyli rivum aque deduxit, per quem christianos ibi quasi in insula alligavit, sic quod procedere[a] nec ad civitatem Damiate redire minime potuerunt. Habuit siquidem galeas[b] infra fluvium preparatas, que omnibus lignis euntibus ad exercitum et ab exercitu reddeuntibus impedimentum prestabant. Unde christiani ignari de adventu comitis[c], existimantes se non posse habere ullum succursum set potius ibi fame et necessitate perire, demum cum dolore et tristitia pepigerunt, et interveniente vinculo iuramenti firmarunt, salvis eorum personis et rebus, et redditis ab utraque parte captivis, civitatem Damiate reddere Sarracenis. Hiis igitur peractis pro dolor facta est restitutio illius civitatis ad dedecus et ignominiam nominis christiani, nisi divina clementia providebit: que tanto labore tantaque sanguinis effusione[d] a paganorum spurcitiis[e] fuerat liberata. De cuius amissione, sicut premeditari potest, divino miraculo tellus tristis effecta, in insula Cipri contremuit, et mare littora consueta destituens, infra pelagus quam plurimum desiccavit; de quorum motu Baffa[98] et Limisso[99] penitus sunt submersse.

Apud Victimilium cum comune Ianue solitam galearum custodiam retineret, contigit quod exsistente galea cui preerat Wilielmus Aldonis supra fucem, ceteris vero supra Cardonam, quia rumores perceperant[f] de lignis Victimiliensium ituris in cursum, egresso quodam de lignis ipsis in ipsa nocte, invenit illius galee homines dormientes, et eo reverso ad terram secum ligna quam plura attraxit bellatoribus optime premunita, qui galeam ipsam aggressam et audaciter occupatam ceperunt. Comes namque Wilielmus Victimiliensis ignorans conventionem factam inter comune Ianue et Manuelem fratrem suum, et quam ipse propria sponte interveniente vinculo iuramenti firmaverat, oblitus etiam beneficiorum multorum que sibi et predecessoribus suis sepissime contulit civitas Ianuensis, male et inhoneste contra fidem versando deseruit civitatem nostram, Victimiliensibus, quorum regimen et potestatiam suscepit ipsis exsistentibus in contumatia civitatis, ad sui ignominiam nequissime inherendo[g].

Anno 1222, indictione 10.[h] fuit potestas dominus Spinus de Sorexina, nobilis et discretus Mediolanensis civis, qui rem publicam provida circumspectione tractavit, et civitatem in tranquillitate dilectionis et pacis pariter et timore laudabiliter gubernavit. Habuit siquidem ad servitium civitatis duos iuris peritos, videlicet Conradum de Oldanis Mediolanensem, virum utique providum et modestum ac suis bonis moribus singulis gratiosum, qui iuxta se ipsum ad sedandas lites iniuriarum permansit, et Opitionem Salanum Mediolanensem, virum siquidem bone opinionis in consulatu civium et foritanorum offitio constitutum. Pro redditibus comunis Ianue recolligendis et expendendis habuit octo nobiles, videlicet Baalardum de Paulo, Symonem de Galiana, qui ad Dominum in ipsa officii dignitate migravit, Ansuisium de Sancto Genesio, Nicolaum de Mari, Wilielmum Usummaris, Ansaldum de Mari, Sozo Piper et Lanfrancum Gaberniam. Pro iustitia vero in consulatu 1222.

a) p̄cedere 1. b) galeam 1. c) *aliqua exesa desunt* 1. d) efussione 1. e) spuritiis 1. f) precep. 1. g) *aliqua exesa desunt* 1. h) ind. X. *desunt* 1.

98) antiqua urbs Paphos. 99) Limasol in meridionali insulae ora.

1222. civitatis Anscelmum de Fontana Placentinum, in medio autem Wilielmum filium Agathi Placentinum, in burgo namque Iacobum de Rumco Terdonensem; qui per iustitiae[a] viam ambulantes, consulatus offitium fine laudabili terminarunt.

Facta igitur condempnatione, sicut predictum est, de libris quingentis ab hominibus Sancti Romuli extorquendis, et citatis ipsis a domino Spino ad solutionem earum, ecce Ianuensis archiepiscopus, mediantibus Albinganense episcopo, magistro Iohanne archidiacono, magistro Ugone et magistro Bartholomeo canonicis Ianuensis ecclesie, Ianuam redivit, speraturis inter ipsum et potestatem Ianue amicabilem concordiam invenire. Cumque id facere nequivissent archiepiscopo resistente, idem ad hoc motus propria voluntate de civitate recessit, apud Sanctum Andream de Sexto per dies quam plurimos permansurus. Deinde vero Papiam processit, ubi sub iudicibus a Romana curia delegatis et ad eius instantiam impetratis, videlicet episcopo Papiense et preposito Sancti Iohannis Donnarum, contra comune Ianue controversiam movere incepit, opponens tacita veritate, quod bonis palatii a comuni Ianue fuerat spoliatus, quibus cogebatur egestate nimia mendicare; licet ex parte comunis Ianue suffitienter foret ostensum, id prorsus contrarium veritati, confitente nuntio suo quod pacifice absque alicuius impedimento redditus palatii colligebat. Nam prefata potestas post recessum archiepiscopi ad exonerationem comunis Ianue per civitatem fecerat preconari, quod quilibet nuntio archiepiscopi iura palatii sine molestia assignaret. Pro quibus cum potestas viros providos et discretos Nicolam Rotium canonicum Ianuensem, et Raimundum de Claveri iuris peritum ad Romanam curiam direxisset, sicut divine placuit voluntati, ibi fati munus implerunt; de quorum morte civitas Ianuensis dampnum non modicum et gravamen subivit. Postmodum vero Ianuam venientes venerabiles viri Parmensis episcopus et abbas de Thelieto a summo pontifice super hoc iudices delegati[1], ipsum archiepiscopum Ianuam conduxerunt, devote et humiliter potestati et consilio supplicantes, quod exsistente causa Molazane in eo statu quo erat, idem archiepiscopus haberet redditus suos tam maris quam terre secundum quod consueverat habere, et id quod in Sancto Romulo videbatur habere. Quibus responderunt, quod nullam violentiam inde passus fuerat pro comuni, et ideo licitum esset ei redditus ipsos more solito capere et habere.

Pisani vero in Acconensi civitate cum Ianuensibus ad discordiam pervenerunt, que fatiente humani generis inimico, adeo peccatis nostris exigentibus pullulavit, quod inito belli certamine Pisani terga dederunt; et ipsis devictis penitus et expulsis, posuerunt ignem, de cuius incendio illius civitatis pars potissima concremavit, et turris comunis Ianue mire pulcritudinis et altitudinis magne ibi constructa, discubuit in ruinam. Quapropter cum Ianuenses instarent ad evadendas res suas a furore ignis[b], suffulti auxilio regis reversi ad pugnam, demum hominibus Ianue restiterunt, et eis concrematione ignis dampnum non modicum intulerunt, quod extimatum per fidem perdentium bisantiorum[c] . . . Pisani demum ad restitutionem bisantiorum . . . ex sententia[d] lata per . . . . . . . condempnati fuerunt. Redeuntibus autem Ianuam civibus nostris, potestas consilium celebravit, quid inde facturus: ex cuius decreto naves ituras ultra mare apud Beritum disposuit applicare, ibique yemare, nisi facta esset solutio de bisantiis supradictis, de turris exaltatione omni prohibitione cessante. Cum igitur Ianuenses nichil inde consequi potuissent, iuxta mandatum ipsius aput Beritum steterunt, ubi a strenuo viro Iohanne de Belino domino Berithi benigne recepti fuerunt[2], et ab omni prestatione inmunes honorifice pertractati. Dominus autem Spinus cupiens omnem discordiam civitatis exstirpare, illam que inter Nuvelonum de Camila ex una parte et filios quondam Pignoli et Belmustinum filium quondam Rollandi Belmusti ex altera, et inter Albertum filium Wilielmi Balbi et filios quondam Anselmi de Castro capitaliter vigilabat, viriliter extinguens, eos benefitio pacis ad concordiam divina fatiente clementia revocavit. Contigit autem, quod cum[e] sagittea Victimiliensis non solum ad nostram verum etiam singulorum offensionem iter arripuisset, a galea Portus Veneris in custodia ad[f] soldos comunis Ianue exsistente, cui preerat Gallus de Portu Veneris, fuit viri-

a) iustititiae 1. b) Pisani *inseritur manu saeculi XV.* 1. c) *haec ita* 1. *habet lacunis relictis.* d) sentemtia 1. e) con 1. f) a 1.

1) Mirum, quod in bulla Honorii III d. 3. Idus Maii aliis hominibus lis diffinienda commissa sit. Lib. iur. I, 666. W. 2) Qui a praeterito Ianuensibus vectigalium immunitatem aliasque libertates concesserat. Lib. iur. I, 665. W.

liter insecuta, et ea inventa prope Cornetum, sicut divine placuit voluntati, nimia cursus 1222.
velocitate ipsam prostratam ad terram cum maiore parte hominum cepit, qui fuerunt de melioribus Victimilii, ceteris per fugam evasis. Quos universitas Ianuensium Dei reverentia et timore, licet omnes crederent ultimo supplicio subiacere, conservans intactos, tantum carceris[a] custodie mancipavit. Ceteri autem qui pauci infra civitatem remanserant, considerantes debilitatem suam, cognoscentes etiam quod Dei voluntati ac magne potentie Ianue urbis resistere non valebant, nuntios suos Ianuam direxerunt, de conmissis Dei intuitu misericordiam cum satisfactione debita postulantes. Iam dicta vero potestas cum sapientibus civitatis pietate conmotis, videntes quod utilius erat comuni Ianue reservare quam destruere civitatem, eos ad mandatum comunis Ianue receperunt, ita quod salvis personis et civitate et eorum possessionibus, comune Ianue ibi haberet omnem iurisditionem et dominium et facultatem potestatem creandi ac redditus accipiendi et construendi castra in omni loco ipsius civitatis et extra, secundum velle suum, prout continetur in instrumento[b] inde facto per manum Marchisii scribe[3]. Unde Ianuensis potestas tam pro his fir- 3
mandis quam iuramentis accipiendis, nobiles viros Wilielmum Lercarium et Nicolaum de Nigro apud Victimilium destinavit. Reversis itaque ipsis, dominus Spinus cum quibusdam nobilibus civitatis illuc post ipsos perrexit; qui susceptis munitionibus civitatis et gente sua guarnitis, in die festivitatis beate Marie civitatem intravit, et recepta possessione et dominio pro comuni Ianue illius civitatis, et receptis cauccionibus[c] et prestitis iuramentis a potestate Victimilii consiliatoribus et universitate illius civitatis, et designatis locis ubi castra fieri debebant, ad propria feliciter remeavit. Quorum unum fieri fecit in Apio, et alterum in superiori parte civitatis in arce; opus quorum inceptum fuit in hoc anno, et in sequenti mirabili providentia ac laudabili probitate expletum. Pro constructione quorum terram et domos tunc ibi residentes et spatium iuxta castra ipsa relictum comune Ianue, prout ex pacto promissum fuit, de proprio comparavit. In castro vero civitatis ad ipsius custodiam designavit nobiles viros Marinum de Bulgaro et Wilielmum de Savignono cum servientibus centum, et in altero Ugolinum Buccutium et Ottonem de Murta cum totidem servien tibus. Muros quoque undique extra civitatem constructos iam dicta potestas dirui fecit penitus et evelli; et insuper ad regimen illius civitatis pro comuni Ianue et nomine ipsius comunis potestatem constituit nobilem virum Sorleonem Piper, de cuius regimine iuramentum subivit in ordinatione et mandato Ianue potestatis, et quicquid habuit de vindictis et bandis, facta ratione in consilio, comuni Ianue consignavit. Redditus nanque civitatis per nobilem virum Symonem de Burgaro nuntium comunis Ianue illuc missum fecit publice incantari, accepto eorum pignore pretio ad usum et utilitatem Ianuensis comunis.

In die nativitatis Domini, de cuius celebritate tota civitas congaudebat, ad singulorum terrorem et correctionem malorum, omnibus fere ad prandium discumbentibus, ingenti ac perfido terre motu[d] nos divina clementia visitavit. Set nisi sua misericordia restitisset, profecto tota civitas, que diu in corruendi periculo laboravit, cum illo terribilior numquam a seculo fuisset sentitus, submersa penitus praecipicium ad imfima recepisset. Post quietem cuius universus populus civitatis ad ecclesiam beati Laurentii fideliter et devote concurrens, cepit reliquias beati Iohannis baptiste et aliorum sanctorum, quas cum summa devotione ac lacrimabili voce per civitatem portavit, delictorum veniam a Domino misericorditer petiturus. Post hec autem cum in die circumcisionis terra deberet vehementius agitari, refferrente fama, tam universi quam singuli fere ceperunt relinquere civitatem, de foris loca spatiosa querentes, ubi possent vite remedium invenire. Adveniente vero Ianuensi archiepiscopo, qui absens erat sicut iam dictum est, congregavit clerum et populum Ianuensem, et ad mitigandum divinum iudicium cum sanctuariis totam civitatem undique circumivit; propter que civitas a tanto cruciatu ipsius terre motus divina favente clementia extitit liberata. Brisia[4] vero ex visitatione ipsius terre motus, qui fere totam Ytaliam occupavit, tam murorum destructione quam virorum occisione maximam persecutionem persensit[5]. Cum autem Dianenses, spreta iustitia civitatis pariter et timore, in homines Servi nulla iusta

a) carceri 1. b) *aliqua exesa desunt* 1. c) pauccionibus 1. d) *plura exesa desunt* 1.

3) Documenta adsunt Lib. iur. I, 667—675. W.
4) Brescia.
5) Cuius terribilis terrae motus, qui Italiae civitates et praecipue Brixiam multum quassavit, saepe apud Germanorum quoque auctores mentio fit. W.

1222. causa interveniente audaciter insevissent et eos crudeliter dissipassent, iam dicta potestas, habita inde confessione eorum, eos in libris 800 et Albingane in libris 200 qui ad hoc eis praestiterunt auxilium et favorem, pro suo offitio condempnavit. Saonenses vero pro guasto facto hominibus Nauli, similiter in libris 1000 Ianuensium comuni Ianuensi condempnavit.

1223. Anno 1223, indictione 11. fuit potestas dominus Spinus de Sorexina, qui comfirmatus in[a] hoc anno secundo civitatem ad libitum suum viriliter gubernavit. Habuit siquidem iuxta se ipsum, sicut predictum est, dominum Conradum de Oldanis, et vice domini Opitionis Salarii in offitio consulatus civium et foritanorum dominum Albericum Paschalem Mediolanensem civem, virum utique providum et constantem. In aministratione comunis Wilielmum Ugonis Embriacum, Thomam Ventum, Iordanum Riclerium, Ansaldum Pollecinum, Henricum de Nigro, Bonumvassallum Sardenam, Iohannem Spinulam, et Rubaldum Anivinum. Pro iustitia vero in consulatu civitatis Rufinum de Porta Placentinum, in medio Lanfrancum de Caravazo Cremascum, in burgo magistrum Iohannem Terdonensem, viros siquidem providos et discretos, qui equa lance viam rectitudinis tenuerunt, ac semitas iustitie[b] laudabiliter promulgarunt.

Contigit quod cum Rainaldus Anchantus nobilis Ianuensis civis cum quadam nave sua mercibus christianorum et Sarracenorum honusta, in qua Seid Bulaule dominus Tunesis non modicam quantitatem peccunie dirigebat, de Tunesi iter arripuisset in Yspaniam profectura, coactus nimia repletione aquarum ingredientium[c] navem ipsam apud Massiliam aplicuit; ubi recepta securitate a comuni ipsius civitatis habendi liberum additum et eggressum, cum nave et honere ipsius navis intravit portum Massilie. Cumque ibi non post longum temporis spatium permansisset, homines Massillie maligno spiritu ducti, cogitantes qualiter possent ab ipso Rainaldo iter ipsum subripere, et inter ipsum et Sarracenos discordiam seminare, eisdem Sarracenis subdole suggesserunt, quod ipse Rainaldus eos proposuerit interficere ac bonis suis penitus spoliare. Quapropter Sarraceni inde commoti[d], adeuntes presentiam Massiliensis potestatis, videlicet Carnislevarii de Ozeno Mediolanensis civis, de ipso Rainaldo conquesti fuerunt dicentes quod secum ire nolebant, exigentes etiam ab eo peccuniam a Seid Bulaule sibi commissam. Ad cuius peccunie dationem cum Rainaldus ab ipsa potestate crudeliter urgueretur, nec sibi prodesset quod in suum auxilium allegabat peccuniam sibi tantum fore commissam, ignorantibus Sarracenis iuxta mandatum domini Tunesis deferendam, et alia multa que ipsam potestatem ad ipsam dimittendam in virtute Rainaldi satis debebant inducere et movere, cogitavit qualiter posset evadere manus eius ac suum pravum iuditium evitare. Unde de conscilio Martini Castanee clavigeri ipsius potestatis peccuniam ipsam studiose abscondit, ac de civitate occulte discessit[e], ut cum[f] ipsa potestate ipse vel alius pro eo posset moderatas pactiones et congruas facilius[g] invenire. Cuius reccessus postquam ad noticiam ipsius potestatis pervenit, post ipsum statim perrexit, et captum non longe a civitate cum maximo dedecore et ignominia ad ipsam civitatem reduxit carceribus mancipandum. Cuius ipsius infortunium aliter quam rei veritas se habebat potestati nostre, que absens erat, cum[h] per suas litteras intimasset, vicarii eius litteris ipsius fidem omnimodam adhibentes, habito inde conscilio responderunt, quod Rainaldum diligenter fatiant custodiri, quousque potestas super hoc suam plenius exponeret voluntatem. Adveniente igitur potestate, protinus conscilium celebravit, ex cuius decreto nobiles et discretos viros Henricum Rogiatum militem suum, et Symonem de Bulgaro, et Marchisium scribam apud Massiliam destinavit, eos sub iureiurando cogentes, quod ipsum Rainaldum modis omnibus habere studerent, et vinctum in vinculis ferreis si haberent, magnifico regi Elmirelmimenim fideliter ducerent puniendum. Aplicantibus ipsis apud Massilliam, ipsum cum summa precum instantia postulantes habere nullatenus potuerunt. Quapropter viso ab eis tenore conventionis et pacis que inter nos et Massillienses vigebat, commonuerunt ipsam potestatem, quod tam ipsum Rainaldum quam ceteros Ianuenses qui de pelago ibi advenerant, cum rebus suis cogerent Ianuam remeare. Ad quod ipse respondit, quod de pace non tenebatur, cum nullum de observatione ipsius

a) im 1. b) iustitia 1. c) egred. 1. d) commoniti 1. e) dissessit 1. f) con 1. g) fatilius 1. h) *deest* 1.

subierat iuramentum. Preterea rogaverunt ipsum, quod Victimilienses, de quorum offensione conquerebantur, postquam ad gratiam nostre civitatis venerunt, antea vero eos in contumatia exsistentes tamquam fratres tractabant, deberent in sua amicitia revocare. Quorum precibus cum nollet aures benignas prestare, iam dicti[a] legati ad propria redierunt, quecumque gesserant potestati et conscilio Ianue reserantes. Unde potestas data Victimiliensibus licentia offendendi, cum duabus galeis illico exierunt, et navem legati Massilie quem Tunesim fraudulenter direxerant, in portu Tunesis divina concedente clementia et alia multa de rebus ipsorum ceperunt. 1223.

Post hec autem cum idem Carlevarius Massilliensis potestas finito tempore sui regiminis ad propria remearet, iactando quod ad malam voluntatem comunis Ianue et propinquorum Rainaldi per partes nostras transsiret, applicante eo apud Albinganam, ubi per terram dirigerat gressus suos, captus fuit et ductus in Ianuam custodie mancipatus. Facta demum absolutione ipsius ad postulationem ambaxatorum Mediolanensium, qui propterea Ianuam accesserunt, Massilienses vero suum cognoscentes delictum, legatum suum Ianuam direxerunt, qui post multos variosque labores adhibitos in[b] pacis reformatione, antequam id posset perducere ad effectum, se facturum promisit non solum Raynaldum a carceribus liberare, verum etiam dampnum quod passus fuerat, ad beneplacitum potestatis Ianue in integrum emendare: quod utique ad honorem comunis Ianue fecit fideliter adimplere. Cum igitur Ianuenses tum propter accusationem quam odiose fecerat, legatus Massilliensis de Rainaldo et hominibus Ianue, tum propter navem quam ceperant Victimilienses, ad Seid Bulaule rege Tunesis male et indebite tractarentur, praefata potestas ex decreto conscilii nobilem virum Symonem de Bulgaro, et cum eo Marchisium scribam in legatum direxit. Qui homines Ianue in proprio statu suo de bono in melius conservantes, quod fuerat stabilitum de restauratione fatienda ab hominibus Ianue de hiis que ceperunt Victimilienses, in irritum deduxerunt, ac de novo cum eodem rege pacis federa cum acquisitione fundici balnei et furni laudabiliter inierunt. Insuper iam dicta potestas ante legationem iam dicti Symonis de voluntate conscilii nobiles viros Henricum Molazanam et Nicholam Embronum ad regem Murrochi pro reformatione pacis ipsius in legatos direxit.

In hoc anno Sarraceni Scicilie rebelles facti sunt domino[c] Frederico Romanorum imperatori, quorum perfidie cum strenuus comes Malte Enricus ad honorem imperii viriliter repugnasset, demum quia de offensione ipsorum se iustissime excussavit, ad quam inferendam cum parvissima acie bellatorum eum mittere satagebat, ipsum fecit carceris custodie mancipari, et dominio et gubernatione Malte privari[6]; set demum nulla restitutione facta de castro Malte, in sua gratia reconciliavit. Castrum Pereti[7], quod vir nobilis Ugo marchio de Carreto detinebat iniuste, de virtute[8] Enrici de Uretio marchionis subreptum, iam dicta potestas strenuè recuperavit, et ad instantiam et preces ipsius Enrici pretio librarum . . . .[d] comuni Ianue acquisivit, sicut continetur in instrumento per manum Marchisii scribe inde confecto. In cuius venditione cum omnia iura que habebat in castro Dalfino ad Pereti curiam pertinenti comuni Ianue tradidisset, citato iam dicto Ugone qui ipsum tenebat, multociens ad restitucionem ipsius, cum ipsum reddere non curaret, prefata potestas conscilium celebravit, ex cuius decreto iniunxit[e] Thome Fornario tunc castellano Pereti, possessionem ipsius castri accipere pro comuni. Quam cum gratanter habere non posset, cum parte hominum Pereti ad locum ipsum accessit, et ipso aggresso per violentiam infra ambitum Domignoni intravit, et menia ipsius concremando destruxit. Set cum turrem subiugare non posset, eo dimisso ad propria remeavit. Cum igitur id ad potestatis noticiam pervenisset, statim homines Ianuensis districtus a Ianua usque Naulam sollicitavit, ad castrum ipsum expugnandum ituros. Unde cum quidam de hominibus Saone prope ipsum castrum apud locum Tanavete hospitatum ivissent, homines exsistentes ad custodiam castri Dalfini in eos quadam nocte fatientes insultum, septem ex Saonensibus crudeliter occiderunt. Ex quorum morte iam dicta potestas nimio furore conmotus, universos homines

a) *aliqua exesa desunt* 1. b) im 1. c) *aliqua exesa desunt* 1. d) *lacuna* 1. 2; MMM *ed.* e) iniumxit 1.

6) Comitem non propter Siciliae Sarracenos male impugnatos sed rem Damiatae infeliciter gestam punitum refert Richardus de S. Germano. 7) De venditione castrorum Delfini et Pereti nonnulla huius anni diplomata sunt in Libr. iur. I, 680 sq. W. 8) Cf. p. 154. l. 12. = gewalt.

1223. Ianue et districtus tam litteris quam voce preconia concitavit, quod ipsum sequi deberent ad ipsum castrum capiendum, praemittentes ad gentis gubernationem militem suum Enricum Rogiatum, et Rubaldum Anivinum cum eo. Cumque apud castrum Stelle meatu celeri perrexissent, homines castri Dalfini cerciorati de eorum adventu, statim castrum deseruerunt, et personas per fugam evadere cogitarunt. Euntes autem nostri ad castrum, ipsum munierunt et pro comuni Ianue custodiri fecerunt.

Post hec autem quia ferebatur nobilem virum Ugonem de Carreto culpam meruisse in hominibus interfectis, prefata potestas eum et patrem appellavit, quod Ianuam venire deberent suis ordinationibus parituri. Cumque venire differrent, iam dicta potestas sub certa pena eis Ianuam veniendi terminum propterea assignavit. Veniente autem Ottone, iuravit mandatis potestatis parere; cui precepit, quod castra Cari et Dei, dę quibus donationem fecerat comuni Ianue, deberet in virtute ipsius comunis vel nuntiorum suorum ponere et liberare. Euntibus vero nuntiis, castra ipsa que occupaverat prefatus Ugo habere nullatenus potuerunt. Cum igitur iam dicta potestas prefatos Ottonem et Ugonem condempnasset in quadam peccunie quantitate, demum adveniente Ugone iuravit mandatis potestatis et ordinationi obedire. Unde traditis castris et positis in virtute comunis Ianue, demum rogatu hominum Ianue penam ad quantitatem librarum . . . . . . . . . taxavit, quas comuni Ianue pro reconpensatione interfectorum ac rerum ipsorum que amisse fuerant, disposuit errogandas. Preterea Balduinus de Vezano cum[a] filiis suis Paganello et Raimundino et cum hominibus suis de Vezano et cum[a] hominibus de Vesigna Pulveraria et Bevelino in compagnam Ianuensium intrarunt, subponentes se vinculo iuramenti mandatis comunis Ianue ex tenore ipsius compagne, ac promittentes castrum de Vesigne reddere comuni Ianue guarnitum et disguarnitum quotiens a comuni Ianue fuerit requisitum, secumdum quod continetur in instrumento facto per manum Marchisii scribe. Quod quidem cum molestum esset ceteris dominis de Vezano, contigit, quod Guirardus de Villano et filii quondam Ubaldi de Parente cum quodam ligno armato stratam maris ausu temerario violantes, ceperunt prope Portum Veneris quosdam Lucenses Ianuam venientes, et bonis suis penitus spoliarunt. Unde cum ad restitutionem rapine tam litteris quam viva voce maxime per nobiles nuntios comunis Ianue Ingonem de Volta et Ugolinum cancellerium forent sepissime requisiti, non solum ea reddere neglexerunt, verum etiam meditantes iniuriam maioribus gravitatibus cumulare, congregata multitudine militum et peditum una cum episcopo Lunense castrum Trebiani hostiliter invaserunt, ac cum machinis fortiter impugnarunt. Aldebrandus vicedominus et vassallus comunis Ianue, vir utique strenuus et discretus, una cum hominibus Portus Veneris, qui in eius succursum ingressi fuerant castrum ipsum, eorum opinioni viriliter resistentes, non solum castrum ipsum ab ipsorum impugnatione strenue deffenderunt, verum etiam turrem consortum eius positam infra castrum ipsum eis contrariam dimicando ceperunt. Ceterum cum ad noticiam potestatis ipsius castri oppressio pervenisset, illuc cum[c] ea gente qua potuit in succursum castri festinanter perrexit, et inimicos ab obsidione ipsius cum magno dedecore effugavit, dissipando et concremando terras ipsius episcopi, et quedam castra de partibus illis honori comunis Ianue subiugando. Insuper et quasdam personas de adversa parte cepit infra castrum ipsum, quas comune Ianue tam diu detinuit, quod de rebus Lucensium ablatis restitutio in integrum facta fuit. Preterea illi de Mirbello sua sponte Ianuam accesserunt, et se et sua et specialiter castrum Elme sub conditione recuperandi in feudum comuni Ianue tradiderunt, sicut continetur in 9 instrumento inde facto per manum Marchisii scribe[9]. Andreas quoque de Massa quondam filius Palodini, de discordia que vertebatur inter ipsum et comune Ianue ad tranquillitatem dilectionis et pacis pervenit, fatiendo finem et remisionem et pactum de non petendo et de omni iure ratione et actione sibi competenti in castro Palodi et pertinentiis suis et pedagio Gavi, secundum quod continetur in instrumento inde facto per manum Bonivassalli Caligepalii[10]; pro quibus comune Ianue ei libras 100 singulis annis in pedagio Gavi haben- 11 das et percipiendas liberaliter assignavit[11], et insuper ipsum et filium nobilis viri Oberti de Montobio cum[b] eo militari cingulo decoravit. Dominus Philippus sublimis et strenuus rex Francorum, sicut divine placuit voluntati, in hoc anno ex hac luce migravit, in cuius

a) con 1. b) con 1. c) com 1.

9) d. 10. Sept. 1223. Libr. iur. I. p. 697. W. 10) d. 24. mensis Iunii 1223. Ibid. 690. cf. II, 31. W. 11) Ibid. 692. W.

honorem dominus Laudoisius illustris filius eius regali infula decoratus successit feliciter et letanter[a] 1223.

Anno 1224, indictione 12. fuit potestas dominus Andalo de Bononia, qui habuit iuxta se ipsum Fulconem de Saragosa iurisperitum, et in offitio consulatus[b] civium et foritanorum Ugolinum Presbiteri, Bononienses cives; in consulatu de iustitia Wilielmum filium Agathi Placentinum, pro civitate Petrum Laurentium Astensem, pro mediocri Conradum;..... pro burgo; in offitio octo nobilium Raimundum de Volta, Wilielmum Buscam, Ingonem Castaneam, Nicholaum de Carmadino, Ansaldum Laumelinum, Lanfrancum de Mari, Iacobum Pignolum et Iacobum de Guisulfo. 1224.

In hoc anno iam dicta potestas ex decreto conscilii nobiles viros Paganum de Rodulfo et Enricum de Domoculta ad dominum imperatorem in legatos direxit, et post eorum redditum nobilem virum Ingonem de Volta; qui de comunis negociis non potuerunt aliquid perducere ad effectum. Comune vero Ianue naves duas cum totidem galeis armavit ad insequendas naves duas Provintialium armatas pro offensione vestra[c] a comite Wilielmo et comite[d] Impunarum[12], tam de gente sua quam Catalanorum et Massiliensium, quas naves nostre divina clementia fatiente ceperunt, et Ianuam cum hominibus conduxerunt; ubi cum diu exstitissent carceribus mancipati, demum Dei reverentia et timore pars ipsorum absolutionis veniam consecuti fuere. Domini vero de Vezano exsistentes in contumatia civitatis, venerunt mandatis et ordinationibus iam dicte potestatis in omnibus et per omnia murituri, componentes ad voluntatem ipsius, secundum quod continetur in instrumento inde facto per manum Marchisii scribe[13]. Alexandrini vero cum super eorum concordia diu pertractatum fuisset, nec vellent ad compositionem aliquam pervenire, nisi villam Capriate haberent, quam[e] ad se pertinere dicebant, de qua sub examine comunium amicorum comune Ianue offerebat facere rationem, demum cum Terdonensibus conspirarunt, qui eodem modo Arquatam, de qua datum fecerant comuni Ianue, sicut ex conventione apparet, a comuni Ianue postulabant, recussantes iuri parere sub comuni Mediolanensium, per cuius arbitrium inspecto tantummodo conventionis tenore comune Ianue diffinire volebat[f]. Unde spreto Dei timore ac vinculo iuramentorum quibus comuni Ianue tenebantur, obliti etiam beneficiorum multorum que in dilectione nostra recipiebant et sepissime recipiunt, guerram contra Ianuensem civitatem ausu temerario inceperunt, facientes insultum prope castrum Pereti, ubi dampnum et dedecus receperunt. Postea vero congregato exercitu, una cum Terdonensibus Vercellensibus et cum trecentis militibus Mediolanensibus apud Capriatam venerunt; ibique castra metati, dampnum quod potuerunt in guastandis vineis et arboribus intulerunt. Set cum comune Ianue villam strenuis bellatoribus in quantitate maxima premunisset, fabricato ibi trabucho, cum quo Bonussenior de Arena vir probus et ingenuus[g] adverse partis machina destruebat, frustrati[h] cogitacione sua nichil in ea perficere potuerunt; immo quod non est pretermittendum, gens nostra dimissis portis ipsius ville apertis, in occursum inimicorum foras exibant[i], et manualiter cum eis pugnabant. Dominus autem Andalo Ianue potestas, postquam de adventu inimicorum cercior factus fuit, commonitis militibus et peditibus civitatis voce preconia, et per litteras homines Ianuensis districtus, vassallos pariter et amicos, quod quilibet eum sequi deberent, statim apud Gavim perrexit; ubi cum per quamplures dies moram fecisset, demum coadunato undique exercitu civitatis ad insultandos hostes disposuit equitare. Hostes vero certiorati de adventu exercitus, relictis castris cum maxima quantitate ibi pro machinis lata, terga dederunt et fugiendo versus partes Alexandrie redierunt. Cum igitur quorum recessus ad potestatis noticiam pervenisset, habito inde conscilio, cum exercitu direxit gressus suos ad castrum Montaldelli, quod pro hominibus Alexandrie tenebatur, et ipsum muris et aggere fortissimum in brevi tem-

a) *manu saeculi XIII medio, scilicet anni* 1248 *vel* 1249, *defuncto Bartholomaeo loco vacuo* 1. *insertum est distichon*

Hic prius incepit res gestas Bartholomeus
Scribere, cui requiem det pater ipse Deus.

b) cūsulatus 1. c) *ita* 1. 2. d) comitē 1. e) quem 1. f) *in imo margine paginae legitur manu saeculi XIII exeuntis:* Ista potestas cassavit et evacuavit laudem illorum de Naxio et laudem illorum de Turri et aliorum plurium. Cartam fecit Madius dicto tempore 1. g) ingeniosus *ed.* h) frustati 1. i) exibant *addito e alio atramento* 1.

12) Emporias. 13) Lib. iur. Ian. I. pag 713 et 722. W.

1224. poris spatio preliando ceperunt, et captum penitus destruxerunt. Homines quoque ibi captos carceris[a] custodie mancipavit. Quo facto exercitus noster cum triumpho Ianuam remeavit. Alexandrini vero cum hiis qui secum erant de civitatibus superius nominatis, post recessum nostrorum ad Taxarolium perrexerunt. Unde cum homines illius loci eis temere occurrissent ad preliandum cum eis, relicto castro disguarnito, quidam de Alexandria ex inproviso per quemdam tramitem transierunt ad castrum, et ipsum ingredientes antequam burgenses se recolligere possent, ceperunt et penitus concremarunt. Post hec autem Terdonenses cum Alexandrinis apud Arquatam iverunt, et cum ibi manganos erexissent castrum ac ipsum preliarentur, potestas postquam audivit, apud Vultabium equitavit, deinde vero ad supravidendum exercitum inimicorum ad castrum Montisalti perrexit. Ipsi namque quam cito audiverunt de eius adventu, dimissis manganis fugiendo ad propria recesserunt. Potestas siquidem ex decreto conscilii pro hac guerra equos et arma imposuit tam infra civitatem quam extra per districtum Ianue, et mutuum solidorum 20 per centum inter cives composuit colligendum, et de mobili denarios 2, et de inmobili denarium 1 cum dimidio, ab hiis qui in exercitum non iverunt, deductis septuagenariis, infirmis et magagnatis[15]; et absentibus qui supra mare erant quamdam peccunie quantitatem gratis dandam comuni[b] extorsit: ultra Iugum de hominibus locorum nostrorum elegit usque ad . . . . . . . quibus comune equos dedit, scilicet libras . . . . . unicuique pro equo, et insuper soldos duos Papienses pro die, quamdiu in servitio comunis extra a suis liminibus morabantur. Et insuper alios milites habuit ad soldos in partibus ipsis, quorum regimini constituit militem suum Petrum de Querceto, virum utique providum et discretum, qui dampna multa hominibus Terdone et Alexandrie intulerunt. Discordiam vero que vertebatur inter comune Ianue et Aldebrandum vicedominum ex una parte, et episcopum Lu ensem et filios quondam Ubaldi de Parente et Iustamontis ex altera, interveniente benefitio pacis sedavit[c][16].

---

VI.

# BARTHOLOMAEI SCRIBAE ANNALES.

## A. 1225—1248.

1225. Anno dominice nativitatis 1225, indictione 12.[d] fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis Branchaleo de Bononia filius Andalonis. Cum ipso vero iudices duo, unus quorum videlicet Sigencellus vir providus et discretus pro malefitiorum litibus audiendis, et alter scilicet Enricetus de Abaixio pro consule civium et foritanorum, scribis eius in ipso consulatu Iacobo de Curia[e] et Wilielmo Sapiente. Girardus Iosberti pro consule civitatis, eius scribis existentibus Enrico de Bissanne et Stephano Iohannis de Giberto. Algixius vero de Bergamo pro consule civitatis et burgi, scribis eius Oberto de Langasco et magistro Urso; et Obertus Medius Catanius pro consule burgi, scribis eius Vassalo Vicecomite et

a) carceri 1. b) comunis 1. c) *hinc columna una vacat, tum maiori littera pergitur* 1. d) XIII *ed. et ita porro usque ad a.* 1248 *quo ultimo indictio indicatur.* e) curia 1. 2; auria *ed.*

15) labe vel vitio infectis. 16) Lib. iur. Ian. I. pag. 713. W.

Bartholomeo[17]. Scribe vero comunis fuerunt Bonusvasallus Calligepallii et Marchixius, Vasallus Gallus et Ambroxius, Oliverius et Madius. In hoc siquidem anno fuerunt octo nobiles viri constituti pro introitibus comunis recipiendis et expendendis, Merlus de Castro, Wilielmus Malonus, Wilielmus Scotus, Wilielmus Guercius, Obertus Aurie, Fredericus Grillus, Ingo de Grimaldo et Iacobus Picamilium. 1225.

In eodem quidem anno perdurante guerra inter civitatem Ianue ex una parte, et Alexandriam atque Terdonam ex altera, cum vir prudens et nobilis Obertus advocatus esset potestas pro comuni Ianue ultra Iugum apud Gavium constitutus, et vir strenuus et providus Petrus Ventus apud locum qui dicitur Capriata, mense Aprilis quidam proditor vir maleficus Petrusbonus de Gavio cum Alexandrinis et Terdonensibus pepigit, et occulte malitiose tractavit, ipsisque promisit dare et in eorum potestate ponere burgum Gavii. Nam cum esset homo dives et in burgo atque territorio Gavii possessiones et divitias plurimas possideret, comune Ianue de ipso plurimum confidebat, in tantum etiam quod claves ipsius burgi sibi concesserat ad tenendum. Unde mense Aprilis comune Alexandrie una cum Terdonensibus cum universa militia et populo ipsarum civitatum cupiens ad effectum deducere quod cum dicto tractaverat proditore, per totam noctem sine magno strepitu gradientes, ad partes Gavii accesserunt, et ipsum burgum summo diluculo a quibuscumque potuerunt partibus circumdarunt; set sicut divine placuit voluntati, cum locus ipse optime custodiretur et bene munitus esset, inimici memorati spe sua frustrati exinde cum verecundia recesserunt[a]. Ipse vero proditor tamquam sibi conscius, procurans sui corporis saluti consulere, suum filium premittendo cum tota familia sua et rebus quibus potuit Alexandriam properavit, et eiusdem loci habitatorem se fecit. Ipso vero mense Aprilis vir discretus Marchisius scriba communis ex hac luce migravit; loco cuius magister Bartholomeus fuit postea mense Augusti in vigilia beate Marie virginis scriba communis Ianue constitutus.

In Kalendis vero Madii cum predicte potestates de ultra Iugum, scilicet Obertus advocatus et Petrus Ventus, privatim universos milites soldaerios et qui habitabant in castris nostris, qui fuerunt milites 300 cum illis de Vultabio, Gavio, Pallodio, Capriata, Montaldo, Arquata et aliis locis summo mane una cum peditibus, relictis tantum ipsis locis bene munitis, super terram Terdonensium perrexerunt, et specialiter Preceplanum ipsum burgum hostiliter debellarunt, homines et bestias exinde deducentes. Cum autem usque locum qui Vallus dicitur essent cum incolumitate reversi, ecce fuerunt eis obviam apud Lavandariam Terdonenses et milites 80 Alexandrie sub uno vexillo. Unde nostri milites in nullo perterriti set etiam congavisi, invocato Christi et beati Georgii nomine ad eos currentes viriliter, ipsos ter in fugam miserunt; et cum nostri possent sine dampno redire Gavium cum triumpho, sicut per proditores res extiterat pertractata, subito Alexandrini cum tota eorum militia et universo populo advenerunt. Sicque ambe civitates milites et pedites quasi fessos undique circumdantes converterunt in fugam, 27 numero de nostris militibus retinentes, quorum 12 de civitate erant, et alii morabantur ad soldos. Insuper et pedites 400; alii vero se apud Gavium et Vultabium receperunt. Quo audito, rumor maximus factus est in Ianue civitate. Unde vir prudens et nobilis Branchaleo potestas, omni dilatione postposita in ipso sero iter arripiens et ad lumen per totam noctem militando, licet esset egrotans, pervenit Gavium, ipsumque locum et alios de ultra Iugum muniens, et homines ipsorum locorum confortans, et que tunc temporis ibi facienda erant pertractans, Ianuam celeriter est reversus. Eodem vero mense cum Alexandrini et Vercellenses cum eorum exfortio terram Astensem, et specialiter locum qui Calamadrana dicitur ostiliter invasissent, et Astenses pro deffensione dicti loci apud Canellas armata manu venissent, dictus Branchaleo potestas, qui Gavi erat infirmitate gravatus, et ad evitandum clamorem gentium et tumultum et propter aeris puritatem apud monasterium sancti Iohannis de Pavarano iacebat egrotans, hoc audito confestim accessit Ianuam, et ex decreto conscilii Gavium properavit, secum ducens tres milites suos, Ugolinum, Carbonum et Corginainum et Sigencellum iudicem suum. Enricetum vero de Abaixio consulem civium et foritanorum Ianue loco sui dimisit, qui voce preconia per civitatem Ianue precepit, quod omnes milites[a] archatores et balistarii potestatem sequantur. Postmodum vero precepit, quod tam interius quam exterius vadat exercitus generalis, secundum quod a dicta potestate receperat in mandatis. Unde sicut mos

a) recesserunt I.

17) auctore huius annalium partis.

1225. est, de die in diem Ianuensis exercitus post dictam potestatem cum rebus neccessariis Gavium accedebat de diversis partibus et longinquis. In quo exercitu fuerunt milites ultra 1200, connumeratis in eis militibus 100 comitis Sabaudie; qui comes Thomas[a] de Sabaudia per instrumentum et pactum inde factum cum 200 militibus et Alabragibus[18] usque menses duos stare in exercitu ad servitium comunis Ianue tenebatur, et inde habere debebat et habuit libras 16 pro milite cum donzello[19] armatis et duobus scutiferis omni mense, et pro sua persona centum marchas argenti, et pro capitaneis tribus pro quolibet libras Vianensium[*] 50 et emendationem dampni equorum perditorum, et magagnatorum nichillominus et armorum. Qui comes venire non potuit infirmitate detentus, set dictos milites 200 Gavium delegavit, 100 videlicet in exercitu, et alios 100 post exercitum ad custodiam Gavii et aliorum de ultra Iugum locorum. In ipso vero exercitu fuerunt viri nobiles Lotherengus de Martinengo civis Brixiensis cum militibus 50, quorum quisque erat cum duobus equis et tribus et cum tribus scutiferis et donzellis bene armatis; quos omnes dictus Lotherengus in obsequium comunis Ianue duxit liberaliter et decenter. Item fuerunt in exercitu memorato comites omnes Lavanie, et vassalli nostri de Lunexana, comites Victimilii, Otto et Enricus marchiones de Carreto, Otto marchio Cravexane, marchiones de Ceva, Wilielmus marchio de Bosco, universi castellani Garrexii et Vallis Tanari, et plures alii marchiones et castellani et alii nobiles et egregii viri. Qui dum apud Gavium essent, et non invenirent obstaculum, dominus Branchaleo potestas, receptis inde litteris ab Astensi potestate, cum quibus comune Ianue occasione ipsius guerre conventionem habebat et pactum, ex decreto conscilii milites 300 optime armis militaribus communitos, quemlibet cum saumerio et duobus scutiferis, item balistarios 20 equitantes et alios 100 ad pedes cum balistis tamen de cornu in servitium Astensium et inimicorum offensionem transmisit. Qui ab Astensibus cum maximo gaudio recepti fuerunt, ibique per spatium unius mensis et ultra morantes ad expensas semper comunis Ianue, Alexandrinorum loca plurima concremarunt, et civitatem Albe usque ad muralia et portas ipsius civitatis vastarunt; et quam plures ex hominibus ipsius urbis ceperunt, quos ad carceres Astensium deduxerunt. Qui dum in Astensium steterunt servitio, ipsi Astenses in personis vel terris suis nullum dampnum nullam offensionem ab hostibus receperunt. In ipsis vero militibus Ugolinus miles et socius potestatis, Petrus Ventus et Obertus advocatus fuerunt capitanei et maiores. Set quoniam post dulcia aliquid amaritudinis, et post gaudia vel etiam inter ipsa gaudia iuxta cursum fortune aliquid tristitie subsequi consuevit, dominus Branchaleo potestas, miles formosus, sapiens, largus, animosus, in castro Gavii palatino pro dolor[b] viam carnis ingressus est universe.

Unde universi de exercitu de ipsius morte sive transsitu condolentes, virum sapientem et providum Sigencellum, iudicem suum, in regimine civitatis et totius exercitus in pleno conscilio concorditer elegerunt, quousque Ianuam reversus esset exercitus, et potestatem eligerent et haberent iuxta formam capituli de electione potestatis vel consulum facienda per consciliarios procreatam; ipsumque Sigencellum in plena contione dicto modo unanimiter confirmarunt. Qui sicut vir discretus, post mortem dicti Branchaleonis negocia civitatis Ianue et tocius exercitus cum maxima diligencia et sollicitudine laudabiliter pertractavit. Et cum Alexandrini et Terdonenses una cum militibus 200 et amplius de Mediolano congregati essent apud Serravallem cum toto eorum exfortio, manifeste dicentes quod pro exercitu comunis Ianue non dimitterent quin ad obsidionem Arquate venirent et starent, placuit conscilio et domino Sigencello partem hominum exercitus nostri ad debellandum castrum Terdonensium quod Monteiarius dicitur destinare; quibus constituti et assignati fuerunt capitanei et maiores duo ex octo nobilibus, Merlo videlicet Merlonis de Castro, et Ingo de Grimaldo. Et cum propter arduitatem loci ipsum castrum non possent[d] manualiter expugnare nec etiam scalas apponere comode, licet quidam ex nostris, frustra tamen, personas more solito periculis obiectantes, scalas opposuerunt ipsumque viriliter expugnarunt, adeo quod incredibile videretur, trabuchetum unum brevi temporis spatio construxerunt; et dum castri muralia[c] lapidibus maximis verberarent, et aliquot intus lapides proiecissent ita quod ipsius castri cisternam diruperant, et per spatium 18 dierum ad ipsius loci obsidionem et expugnationem stetissent, cum se tueri non possent homines dicti castri nec inde recedere quovis modo, securitatem et fidutiam

a) Th. d. S. *alio atramento in loco raso* 1. b) *ita ed., lacuna in* 1. c) mutalia 1, 2. d) posset *c.*

18) i. e. Allobrogibus. 19) serviente, nostris Knappe. *) Viennensium.

impetrarunt cum armis et rebus castellanorum et servientium exinde recedendi. Et sic 1225. nostri die 19. mensis Iulii dictum castrum feliciter habuerunt. Iul. 19. Quo audito nostris inhesit gaudium et letitia[a], Terdonensibus vero et eorum parti dolor et tristitia atque metus in tantum, quod illi qui erant apud Serravallem, stupefacti atque perterriti segregatim recesserunt exinde cum rubore. Exercitus vero noster dum staret apud Gavium spatio sexaginta dierum et ultra, loca plurima et villas Alexandrinorum[b] devastavit et igne combussit, homines et bestias captos exinde deducendo.

In mense vero Augusti Aug. cum Wilielmus Malonus et Fredericus Grillus duo ex octo nobilibus Gavium ivissent pro servientibus persolvendis, et de Gavio tenderent Capriatam, ducentes secum milites qui morabantur Gavii pro comuni, et accipientes milites Capriate qui inter omnes circa 200 milites fuere, iverunt ad locum qui dicitur Boscus, et inde homines 24 de melioribus ipsius loci captos et ligatos et bestias multas duxerunt. Eodem vero mense Augusti cum exercitus Ianuam remeasset, domnus Sigencellus de regimine civitatis Ianue conscilium celebravit; in quo consilio electus fuit potestas Ianue pro mensibus quinque venturis, usque festum videlicet purificationis beate Marie virginis, vir nobilis et egregius miles Ugolinus Domine da me de Bononia, qui secum duxit pro iudice comunis constantem et sapientem virum Rodulfinum de Thebaldis, et pro consule civium et foritanorum Petrum de Borromeo. Qui Petrus propter infirmitatem quam patiebatur, impetrata licentia per conscilium, Bononiam est reversus, et in eius locum Petrus Manfredini accessit. Item milites tres Rubaldinum de Panigali, Sysmundinum de Domozola . . . . . . . scribas vero comunis et octo nobiles et alios offitiales retinuit, sicut erant. Negocia vero civitatis in ipsis quinque mensibus interius et exterius tam in negociis comunis gerendis quam in offensionibus[c] hostibus faciendis, tractavit sagaciter et prudenter. Consules vero placitorum unicuique ius suum integre conservarunt.

Mense vero Octubris Oct. cum Iacobus Picamilium; unus ex octo nobilibus, pro soldis servientibus persolvendis Gavium accessisset, et inde deberet pergere Capriatam, quidam Alexandrini de melioribus et probioribus hominibus ipsius civitatis causa capiendi dictum Iacobum Piccamillium cum peccunia quam portabat, se sub plebe Lemori versus Alexandriam in quodam castagneto prope nemus Gazoli occulte insidiis posuerunt. Unde hoc audito et cognito, Obertus advocatus Gavii potestas de voluntate et consensu dicti Iacobi Picamilii milites suos et aliquot pedites in ipsa nocte armari fecit, et ad predictos insidiatores gressus suos festinanter direxit, ipsosque inprovisos summo mane iuxta auroram invadendo circumdans, ex ipsis 49 retinuit et ligavit, quos ad carceres Ianue sub custodia ligatos direxit. Ipso quippe anno Wilielmus marchio Montisferrati, qui apud Romaniam iter arripuerat ad gentes subiugandum rebelles, cum ibi esset et iam plurimos subiugasset, de voluntate Domini fati munus implevit.

Anno dominice nativitatis 1226, indictione 13.[d] 1226. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et benignus dominus Peccorarius de Mercato novo Veronensis, cum ipso vero iudices duo, unus quorum videlicet Iohannes de Leniaco vir providus et discretus pro maleficiorum litibus audiendis, et alter scilicet Ventura de Ripa pro consule civium et foritanorum, scribis vero in ipso consulatu foritanorum existentibus Iacobo de Curia et Wilielmo Sapiente. Wilielmus filius Aigadi fuit pro consule civitatis, eius scribis existentibus Enrico de Bissanne et Stephano Iohannis de Guiberto. Egydius de Brixia fuit pro consule civitatis et burgi, scribis eius Oberto de Langasco et magistro Urso. Enricus Rachamus fuit pro consule burgi, scribis eius existentibus Vassallo Vicecomite et Bartholomeo. Scribe vero comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepalii, magister Bartholomeus, Vassallus Gallus, Ambrosius Madius et Oliverius, qui Oliverius die 2. Iunii diem vite clausit extremum, loco cuius constitutus fuit Obertus de Langasco prefatus, et loco ipsius Oberti constitutus fuit in palacio medii Obertus de Cerredo. Octo nobiles pro introitibus comunis recipiendis et exponendis fuerunt: Deitesalve de Platealonga, Rubaldus Albericus, Wilielmus Fornarius, Ugo de Marino, Ansaldus de Nigro, Wilielmus de Orto, Obertus advocatus et Nichola Guisulfi.

Ipso quippe anno cum Saonenses et Albinganenses, Enricus marchio de Carreto et quidam alii marchiones intellexissent, dominum imperatorem Fredericum in ipsa estate venturum esse Cremonam pro curia celebranda, cogitantes quod eidem imperatori ad ipsius

a) letia I. b) alexadrinorum I. c) offenssibus I. d) XIV *ed., et ita porro*

1226. beneplacitum deberent omnia arridere, presertim cum filius eius de versus Alamaniam iuxta mandatum patris veniret ad curiam supradictam in manu valida armatorum, cui fuit obtrusus aditus per Lombardos, et alii innumerabiles archiepiscopi, episcopi, abbates, marchiones, comites, duces, catanei[a], valvasores, castellani, principes et barones, et quam plures potestates sive rectores civitatum et locorum cum honorabilibus virorum nobilium comitivis, omnes videlicet cum armis, essent de dicti imperatoris mandato ad ipsam curiam accessuri: mente tacita revolventes, qualiter comune Ianue propter immoderatas expensas factas et faciendas occasione guerre, quam ipsum comune cum Alexandrinis et Terdonensibus et etiam Vercellensibus habebat, fuerat aggravatum, iam dudum conceptam eorum iniquitatem deduxerunt verbis et operibus in apertum. Nam cum dominus Peccorarius supradictus misisset, secundum ex capitulo tenebatur, Oberto de Summo, civi Cremone Saonensium potestati, ut veniret Ianuam causa faciendi iuramentum secundum quod ex conventione potestates Saone facere consueverant, ipse Obertus de Summo cum quibusdam Saonensibus Ianuam venisset, et constituti essent ante presentiam domini Peccorarii supradicti, ipse dominus Peccorarius ipsi Oberto de Summo denuntiavit et dixit, quod more solito dictum faceret iuramentum. Qui Obertus, secundum quod per Saonenses instructus fuerat, respondit, quod ipsum non faceret iusiurandum. Unde Saonenses qui secum erant, exinde dolere fingebant. Quare dictus dominus Peccorarius sibi sub pena mille marcharum precepit et Saonensibus qui secum erant, quod civitatem Ianue non exirent, nisi primo dictus Obertus ipsum faceret iuramentum, et hoc infra certam diem et terminum determinatum, qui terminus presentialiter imminebat. Unde penultima die termini dictus Obertus cum eisdem Saonensibus venit, et dixit quod sacramentum volebat facere. Tamen sicut conscientiam cauteriatam habebat, semper ipsum sacramentum cavilabat et aliquod fermenti addebat. Quare potestas Ianue ipsum sacramentum recipere noluit tali modo. Unde Saon ses qui secum erant timentes dictam penam, eodem die perrexerunt Saonam, et celebrato consilio elegerunt Obertum de Persico militem dicti Oberti de Summo in potestatem Saone de communi omnium voluntate. Qui Obertus de Persico cum dictis Saonensibus in ipsa nocte venit ante dominum Peccorarium, et ostendit qualiter electus erat potestas per publicum instrumentum, et quod sicut mos erat, volebat facere sacramentum. Potestas vero Ianue, tamquam homo bone fidei, ipsum sacramentum recepit; et sic Saonenses de Ianua recesserunt, et Saonam reversi sunt, putantes decepisse comune Ianue, et de ipso comuni derrisionem fecisse. Nam predictum Obertum de Persico qui iuraverat, nec pro potestate neque pro rectore habebant, immo Obertum de Summo pro potestate tenebant in comunis Ianue opprobrium et contemptum. Qui Obertus de Summo tamquam Saone potestas, et quidam de maioribus Saone inter quos fuerunt Vivaldus Capus[b] Malei et plures alii, tempestive sine scientia sive requisitione comunis Ianue ad imperatoris curiam fraudulenter et nequiter accesserunt, satagentes comune Ianue prevenire et contra honorem dicti comunis a domino imperatore aliquid impetrare, tamquam ingratitudinis filii civitati Ianue reddentes odium pro amore, venenum pro melle, offensam pro gratia, quam sicut matrem et dominam debebant omnimode revereri; non considerantes nec ad mentis oculos revocantes beneficia pariter et honores, libertatem et cetera comoda, que fuerant in cismarinis et ultramarinis partibus per comune Ianue consecuti, nec quam durum sit contra stimulum calcitrare, nec in quam gravi articulo propter Lombardorum guerram et alias imminentes necessitates negocium comunis Ianue situm esset. Cum igitur postmodum prenominatus dominus Peccorarius cum decenti et honorabili militum et iudicum comitiva ad prenominatam curiam accessisset, et ab imperatore et ab omnibus principibus curie, et a marchionibus, comitibus, potestatibus ceterisque magnatibus ipse et omnes qui secum aderant honorifice reciperentur et magnifice tractarentur[21], et ad omnia imperatoris consilia vocarentur, predicti Saonenses et eorum potestas nec eis assurgebant, nec honoris aliquid impendebant, immo post eos ridebant, et contemnibiliter nauseabant, et quasi de pari contendere presumebant, adeo quod ipsi Saonenses reputabantur ab omnibus indiscreti, et a pluribus exinde culpabantur. Quid plura? Cum ab imperatore non possent consequi quod volebant, ipsi et Albinganenses consilio et favore Enrici de Carreto marchionis, qui

a) *i. q.* capitanei 1. 2. b) *ita* 1.

21) Imperator enim Fridericus confirmavit privilegium civitati a. 1220 concessum, paucis tantum mutatis, Lib. iur. I. p. 774. W.

malorum omnium predictorum extitit fons et auctor, comiti Thome[a] de Sabaudia, qui per dictum dominum imperatorem legatus fuerat in Ytalia constitutus, montes et maria promittentes, se et sua supposuerunt eidem, sibi dantes obsides et omnia quecumque ab eis petere voluit et habere, non parcentes laboribus nec expensis, dummodo possent statum comunis Ianue suffocare vel aliqualiter minorare; firmiter asserentes, quod tocius Riperie sibi darent dominium et tenutam, et quod in Saona cabellam salis construerent, cuius introitum sibi darent. Quare dictus comes eorum promissionibus et inductionibus inprovide condescendens, ad ipsorum partes accessit, et eos in sua protectione suscepit. Saonenses vero sibi primitus iuraverunt, postea homines Albingane. Consequenter ad locum Nauli accessit, et ab hominibus ipsius loci sacramentum consimile postulavit; qui sibi responderunt, quod nec sibi nec alicui promissionem facerent, nisi secundum quod ipsis civitas Ianue ordinaret. Unde consules eiusdem loci Ianuam cum festinantia accesserunt, et dictum negotium propalarunt, dicendo quod in hiis et omnibus aliis volebant et parati erant procedere iuxta comunis Ianue beneplacitum et mandatum. Quare dicta potestas Ianue ambaxatores duos, videlicet Idonem Lercarium et Wilielmum Usummaris, in Riperiam ex parte comunis Ianue delegavit, qui apud Albinganam et Saonam fuerunt inhoneste recepti et contumeliose tractati[22]. Illi vero de Naulo honorifice et tamquam dominos receperunt; qui exinde reversi, que sibi acciderant in pleno consilio Ianue enarrarunt. Quare predicta potestas galeas quattuor et duas sagitteas et bucium magnum et barchetas et alia ligna armavit; que ante civitatem Saone et Albingane assidue commorantes, maris custodiam faciebant, ita quod ad ipsas civitates per mare aliquis accedere vel ab eis recedere non valebat. Item apud Victimilium et castrum Monachi alia ligna constituit, que salem faciebant exhonerari apud Monacum, ad hoc ut ad partes Albingane vel Saone cum sale non posset aliquis modo quolibet declinare. Quibus galeis et lignis constitutus fuit pro comuni Ianue admiratus, primitus videlicet Belmustinus Vicecomes, postea Amicus Straleria, ambo viri providi et discreti, et qui bene comunis Ianue negotia procurarunt. Apud vero castrum Segni[b] constituti fuerunt milites 50, quibus vir nobilis et prudens Nicholaus de Cruce constitutus fuit pro capitaneo et rectore pro offensionibus Saonensibus faciendis et pro terra fidelium comunis Ianue Naulensium videlicet defendenda. Qui Nicholaus infirmitate gravatus, ibidem infra mensem viam carnis ingressus est universe, loco cuius vir nobilis et strenuus miles Iohannes Guercius per dictum dominum Peccorarium fuit pro capitaneo subrogatus.

1226.

Item per diversas mundi partes misit litteras in hanc formam:

*Peccorarius de Mercato novo Ianuensium civitatis potestas, viris nobilibus et prudentibus Ianuensium consulibus per diversas mundi partes pro comuni Ianue constitutis dilectis suis, salutem et de inimicis nostris gloriam et triumphum. Qualiter Saonenses et Albinganenses contra comune Ianue, contra Deum et sacramenti religionem, contra conventiones et pacta, tanquam ingratitudinis filii nequiter aspirarunt, qualiterque diu conceptam eorum iniquitatem deduxerunt in apertum, vos latere non decet, quos tangit negotium, et ideo non expedit ennarrare. Facti sunt utique hostes nostri inimici perfidi et persecutores iniqui, retribuentes nobis mala pro bonis, offensam pro gratia, odium pro amore, non considerantes quod durum sit contra stimulum calcitrare nec utpote comune Ianue tam longe quam prope Deo previo suos conterere consueverit inimicos. Nolentes igitur nec valentes eorum inimicas offensas et superbiam de cetero substinere, quas diutius substinuimus expectantes ut per se ipsos se debeant corrigere et perverse acta in melius reformare, ipsos omnes facta tamen prius citatione legittima bannivimus et pronuntiavimus hostes nostros, et comunis Ianue inimicos. Quo circa dilectionis vestre prudentiam deprecamur et sub pena tocius gravaminis et debito iuramenti vobis damus firmiter in mandatis, quatinus eis omnem offensionem tamquam hostibus vestris[c] et comunis Ianue nequissimis faciatis in personis et rebus per vos et quoslibet Ianuenses et ceteros amicos nostros, et per eos omnes quos ad hoc poteritis verbis vel litteris sive per nuncios incitare[d]. Taliter autem in hac parte preces nostras exaudiatis et iussa, quod vestra valeat exinde prudentia commendari, et quod urbis et patrie vestre videamini amatores, et de probissimis actibus antecessorum vestrorum dici possitis memores successores[e].*

a) I. *alio atramento superscribitur* 1. b) Sigestri *ed.* c) uris *c.* d) inotare *c.* e) *manu saeculi XV. subicitur in margine* Hoc anno Honorius papa moritur, cui successit Gregorius nonus annis XIIII. *Spatium unius columnae vacat, in folio sequenti* 141. *equitis Lazarii Gerardini imago picta est; tum pergitur* 1.

22) Castellanus castri Stellae auxilium se laturum contra rebelles Riperiae homines promiserat. Lib. iur. Ian. I. p. 773. W.

1227. Anno nativitatis dominice 1227, indictione 14. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et eggregius dominus Lazarinus Gerardini Glandonis de civitate Luchana,

Miles formosus, largus, sapiens animosus,

habens circa etatem annorum triginta. Cum ipso vero multe circumspectionis et prudentie iudices duo de eadem civitate Luche, Ricomus videlicet Urbitiani et Ubertus Gangi,

Constantes, puri, recti, fidei quoque muri.

Item secum duxit et continentie tenuis[a] socios duos, videlicet Ubaldum Guidonis Rubei, et Fraimericum de Pexa,

Viros prudentes, sensatos, labe carentes;

et plures alios milites pro magna parte sui regiminis secum habuit et tenuit, et magnam copiam nobilium servientium. Algixius vero de Rosiate canonicus[b] Pergamensis fuit pro consule civium et foritanorum, scribis eius existentibus Wilielmo Sapiente et Nicholao de Clavaro. Consules vero civitatis fuerunt Wilielmus Nichole Malloni et Ingo Castanea, scribis eorum existentibus Enrico de Bisanne et Stephano de Guiberto. Nicholaus vero de Mari et Nichola Malfante fuerunt consules civitatis et burgi, scribis eorum existentibus magistro Urso, et Oberto de Cerreto. Consules vero burgi fuerunt Marchixius Grillus et Ansaldus Fallamonaca, scribis eorum existentibus Vasallo Vicecomite et Bartholomeo Pellipario. Scribe comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepalii, magister Bartholomeus, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus et Ambroxius Caudalupi. Octo vero nobiles pro introitibus comunis recipiendis et expendendis fuerunt Zacharias de Castro, Iohannes Streiaporcus, Obertus Galleta, Wilielmus Cicada, Ido Lercarius, Enricus Domusculte, Rubeus de Turcha et Marchixius Calvus.

Ipso quippe anno perdurante guerra inter comune Ianue ex una parte, et Alexandrinos, Terdonenses et Albenses et eorum coadiutores ex altera, perseverantibus insuper illis de Albingana et Saona et aliis de Riperia, Enrico marchione de Carreto et aliis marchionibus et eorum cohadiutoribus in sua rebellione et iniquitate concepta: dictus dominus Lazarius statim in introitu sui regiminis cum magno vigore et spiritu leonino, convocatis consiliatoribus campane[23] et maxima quantitate hominum per compagnas, super facto Riperiae consilium celebravit, dicens, quod cum duo vel plura pondera imminent baiulanda, gravius debet a sapientibus eici cicius a cervice; quare sibi videbatur exercitum debere fieri generalem[c] causa recuperandi Riperiam et puniendi rebelles, et consequenter causa requirendi Lonbardos in plano et partibus Lonbardie; et quod ceteris pretermissis hoc fieri oportebat, etiam si omnes darent consilium contrarium dicto eius et ipsius domini Lazarii voluntati. Cum igitur tunc temporis in civitate Ianue non inveniretur frumentum, ordeum, nec annona, et illi de Riperia munitiones magnas fecissent, et Lonbardi multum instarent, salubrius consiliariis et vocatis ad consilium[d] differre quam procedere videbatur. Tamen sicut mos est in principio regiminis voluntati conscendere potestatum, maior pars consilii concors fuit, quod suo loco et tempore fieret exercitus generalis pro negotio supradicto. Unde potestas suum propositum assecutus, gavisus est in inmensum, et ex decreto alterius consilii ambaxatores misit in Tusciam et Parmam et ad partes alias pro militibus et pro vasallis de Lunexana, et aliis fidelibus comunis Ianue et amicis.

Interea quidem cum occasione homicidii in Nicholam Embronum nobilem civem Ianue perpetrati tempore regiminis domini Peccorarii de Verona magna guerra et discordia et capitalis inimicitia verteretur inter filios et propinquos predicti Nichole Embroni ex una parte, et Surleonum et Sozum et Iohannem Piperes et alios de domo sive parentela sua ex altera, et de mandato predicti domini Peccorarii plures muri facti essent propterea in pluribus carrubiis et viis publicis Ianue civitatis, et omnes dicti guerrerii armati irent et servientes tenerent armatos, supradictus dominus Lazarius per se et viros religiosos ac timentes Deum, interponendo preces persuasiones et minas magnosque terrores, prout expedire videbat et tale negotium exigebat, eos omnes interveniente suffragio Iesu Christi ad concordiam et pacis osculum et[e] unionem in ecclesia sancti Laurentii publice et laudabiliter coram multis deduxit, et ipsam pacem fecit ibidem in presentia omnium iuramento vallari, et eam iussit sub pena maxima ab unaquaque[f] partium inviolabiliter observari.

a) *ita emendavi;* tenuie 1. 2. b) civis *ed.* c) generale 1. d) cosilium 1. e) *deest* 1. f) unaque 1. 2; utraque *ed.*

23) Consiliatores campanae sonitu convocari soliti.

Insuper et muralia sive clausuras factas per carrubios in eorum contratis fecit penitus removeri. 1227. Postmodum ut nichil temporis preteriret incassum, tempore quadragesime quadam die dominica mensis Martii in campo Sarzani maximum colloquium celebravit, et mirabiliter locutus est, omnes et singulos ad bellum et exercitum faciendum viriliter animando. Ibique tam militum quam peditum confalonarios seu vexiliferos cum matura prius deliberatione per compagnas electos, fecit publice nominari et legi, et eisdem vexilla baiulanda comisit et dedit, et arma iussit et cetera cum festinantia preparari, que ad exercitum pertinebant. Set quia quadragesima erat et passionis ebdomada inminebat, ob illius reverentiam qui pro redemptione humani generis passus est in patibulo crucifigi, dictus dominus Lazarius distulit usque post octavam[a] pasce resurrectionis movere et in Riperiam equitare, expectans etiam quod trabuchi completi essent quos mire magnitudinis et pulcritudinis fieri faciebat, et quod copia esset frumenti ordei et annone et aliorum victualium congregata in partibus Varagini et in terra domini Ottonis de Carreto, et apud castrum Segni, et partes Nauli, ubi cabellas victualium pro comuni Ianue fieri fecerat, et in eis cabellatores sive ministros constituerat, et in ipsas cabellas victualia conduci fecit, et blavam de diversis partibus et longinquis ad comunis Ianue precium et expensas. O mira providentia! o provisio gloriosa! Nam cum omnes propter frumenti et annone penuriam fame crederent et inedia deperire, tanta fuit victualium habundantia tantaque omnium necessariorum affluentia in exercitu Ianuensi, quod in partibus Ytalie omnibus computatis maior eorum copia nullatenus habebatur, nec ante ipsum exercitum nec post ipsum fuit ipso anni circulo in civitate Ianue eque magna.

Quid plura? Quadam die Iovis, que esse fortunata civitatis Luche hominibus consuevit, 22. Aprilis, memoratus dominus Lazarius Gerardini Glandonis feliciter movit, et ivit Apr. 22. Varaginem; set priusquam iter arriperet, ultra Iugum ivit, et omnia castra burgos et loca comunis Ianue diligenter vidit, et optime ipsa loca et castra hominibus arcubus et balistis et ceteris necessariis premunivit, ad hoc ut nulla eis nec comuni Ianue esse posset trepidatio de Lonbardis. Ianuenses vero de civitate et districtu Ianue, exceptis illis de ultra Iugum et illis tam militibus quam peditibus qui in ipsis erant partibus pro custodia et offensione Lonbardorum a comuni Ianue in quantitate maxima constituti, forti et armata manu predictum dominum Lazarium more solito sunt viriliter subsecuti; et congregatus est exercitus apud Varaginum, ubi per plures dies moram fecit, quia procedere non poterant novercante maris et temporis qualitate. Exinde vero nondum tempore tranquillato moverunt, et castra metati sunt im partibus Albizole; et cum ipsum castrum esset per Saonenses armis prederiis[24] et spaldis et bellicosis hominibus premunitum et ad deffensionem paratum, trabuchum unum ibi erigi fecit potestas, illum videlicet de Marino magistro; et per plures dies castrum et turrim lapidibus tormentari precepit, et circumquaque die noctuque per balistarios obsideri, et per illos de villis vineta et arbores devastari, et trabuchum alium elevari. Et dum hec fierent, Symon de Stella ad potestatem sub fidantia et securitate accessit, et comuni Ianue reddidit castrum Stelle[25]. Quo audito, comiti Sabaudie, qui erat in Saona et quem illi de Riperia inprovide suum constituerant capitaneum et maiorem, et omnibus Saonensibus et Albinganensibus et eorum fautoribus, et spetialiter illis de Albizola, et quibusdam ex marchionibus dolor et timor in summa mesticia inheserunt. Et cum illi qui erant in Albizola se tueri non possent, se et castrum domino Uberto Gangis iudici, et domino Fraimerico de Pexa militi de familia potestatis, recipientibus pro potestate et comuni Ianue, qui ambo ad dictum castrum dum trabuchus traheret accesserunt, die Mercurii 5. Madii reddiderunt pro victis, et de mandato potestatis et predictorum duorum ea- Mai. 5. dem die in sero fuerunt omnes qui erant in dicto castro ducti ad castra Ianuensium sub temptorio potestatis, et ibi se ad pedes potestatis universaliter proiecerunt. Potestas vero eorum nomina scribi fecit, et quosdam ex eis, cum multi essent, quibusdam civibus Ianue de maioribus custodiendos commisit, ceteros vero potestatibus villarum et potestariarum hominibus sub custodia consignavit. Non enim moram aliquam apud Albizolam potestas et Ianuenses fecissent, nisi quia post terga nolebant aliquid dimittere indevictum[b].

a) octauum 1. b) *in imo margine paginae obsidio Albizolae depicta est* 1.

24) i. e. petrariis. 25) Quod castrum post bellum finitum castellano restituendum erat ex pacto d. 29. m. Apr. inito. Lib. iur. I. p. 777. W.

1227. Habita vero victoria de predictis, pre nimia tempestate maris et aeris intemperie et inundationibus aquarum contra eorum voluntatem moram fecerunt per plures dies in partibus Albizole. Nec etiam predictis ex causis ad partes Saone poterant per mare vel terram aliquatenus ambulare, ibique quemdam nobilem virum Parmensem predictus dominus La-
Mai. 17. zarius promovit ad fastigium militare. Tamen die Lune 17. Madii pro magna parte moverunt potestas et exercitus, et castra metati sunt in plano prope Saonam inter ecclesiam
Mai. 19. sancte Cecilie et civitatem Saone. Die vero Mercurii 19. Madii in vigilia ascensionis Domini, predictus dominus Lazarius inde movit, et familia sua et exercitus totus post ipsum. Et catervatim ceperunt ire versus montem qui est super Saonam, ubi est ecclesia sancte Recordate, ubi Saonenses et Alabroges munitiones fecerant, et ibidem congregati erant ad deffensionem ipsius. Cumque hoc videret exercitus Ianuensis, cumque diutius affectasset aliquod obstaculum invenire, ad ipsos cum tanto vigore et audatia cucurrerunt, quod non videbantur homines set leones et griffi vel aquile celeriter convolantes; et sic Saonenses et Alabroges et quosdam ex Albinganensibus qui ibi erant exinde fugaverunt, et eos trucidando capiendo et sub pedibus conculcando subsecuti sunt usque infra muros et portalia civitatis Saone, et quos ibi retinuerant, Ianuam ad carceres transmiserunt. In ipso vero conflictu potestatis familia multum apparuit bellicosa. Quod totum ambaxatores Mediolani et aliarum civitatum Lonbardie viderunt, qui ad dictum dominum Lazarium et exercitum Ianue tunc temporis accesserant pro pace conponenda et facienda inter comune Ianue et Lonbardos, pro Deo et bono pacis humiliter deposcentes et pro honore et utilitate comunis Ianue, ut de ipsa discordia quam cum Lonbardis habebant, se in comune Mediolani compromitterent, de quo fidutiam gerere poterat comune Ianue pleniorem; ostendentes et firmiter asserentes, quod ipsi Lonbardi ex adversa parte iam compromiserant in Mediolanensi comuni. Consequenter in eodem monte circa ecclesiam sancte Recordate usque prope muros Saone castra fixerunt in temptoria potestas et exercitus Ianue; duosque trabuchos ibi dominus Lazarius fecit erigi, et interim arbores et vineas Saonensium devastari, et eos interdum usque in civitatis muralia dimicari[a].

Cum autem Saonenses, comes Sabaudie, et Alabroges[b], et homines Albingane qui convenerant ad deffensionem Saone, se tueri non possent, se sine tenore et pacto aliquo
Mai. 24. reddiderunt; et quadam die Lune 24. Madii venerunt Saonenses ad mandata potestatis et comunis Ianue ad castra Ianuensium sub temptorio potestatis[c], et ibi coram omnibus se proicientes ad pedes potestatis, et lacrimabiliter ac suppliciter misericordiam postulantes, et crucem in manibus apportantes, mandata omnia et ordinationes potestatis et comunis Ianue omnifariam ad purum intellectum potestatis et comunis Ianue corporaliter iuraverunt, et quod nullum intellectum habuerunt a potestate, nec ab aliquo de sua familia, nec a persona aliqua pro comuni Ianue aliquo modo vel ingenio qui dici vel excogitari possit. Amedeus vero comes Sabaudie, comitis Thome de Sabaudia filius, et Alabroges qui secum aderant, et homines Albingane de personis propriis formidantes, timore perterriti in sero fugam arripuerunt, et per totam noctem fugere non cessarunt, et cum dedecore recesserunt. Dominus vero Lazarius ex decreto consilii fossata ipsius civitatis explanari fecit, muralia omnia et fortitudines quas fecerant dirui, et eiusdem urbis portalia removeri et modulum destrui, ut occasione portus non possent ulterius subire. Item castrum de novo precepit construi et levari in eminentiori et fortiori parte civitatis ipsius. Die vero Mercurii
Mai. 26. 26. Madii Raimundus, Sysmundus, Manfredus, et Anselmus, viri nobiles et domini castri Quiliani, venerunt ad mercedem potestatis et comunis Ianue, et se et dictum castrum comuni Ianue reddiderunt, et mandata comunis Ianue et potestatis iurarunt. Sequenti die
Mai. 27. Iovis 27. Madii Enricus marchio de Carreto venit ad mercedem comunis et mandata potestatis et comunis Ianue et ordinationes iuravit, et de his omnibus que dixisset fecisset sive tractasset contra honorem et bonum statum comunis Ianue publice sub iuramento abdixit[d], asserens quod honorem et incrementum comunis Ianue diligebat. Comune tamen Ianue opinionem propterea non mutavit, cum facta preferenda sint dictis et certa preiudicent positivis, non credens, quod unius possint vel debeant infitiatione celari, que multorum noticia manifestat, nec quod singularis assertio reddat ambigua, que per evidentiam facti sunt omnibus manifesta. Et hec omnia fuerunt in castris sive temptoriis Ianuensium prope Saonam cum triumpho peracta.

a) *ita ed.*; diraicari 1; *lacuna in* 2. b) id est Burgondiones *glossa alio atramento scripta.* c) *in ima pagina obsidio Saonae et redditio depingitur* 1. d) asdixit 1. 2; absdixit *ed.*

Die vero sabbati 29. Madii, relicto tantum viro nobili uno ex octo nobilibus Oberto 1227. Galleta apud Saonam pro capitaneo et rectore, quousque exercitus Ianuam esset reversus, Mai. 29. et relicta ipsa civitate Saone et turribus atque forteciis ipsius civitatis de quibusdam nobilibus civitatis Ianue et fidelibus servientibus bene munitis, in vigilia pentecostes sepe dictus dominus Lazarius inde movit, et ivit Finarium; et exercitus Ianue secutus est ipsum viriliter et libenter. Ibique fixerunt temptoria, et festum pentecostes cum gaudio celebrarunt. Et eadem die predictus dominus Lazarius milites duos, videlicet Ubertum filium Ubaldi Guidonis Rubei, et Veltrum, viros nobiles civitatis Luchane, militari cingulo decoravit. Sequenti vero die Lune ultima Madii, Otto de Gravexana et frater eius et homines Albingane presentia sui episcopi venerunt ad mandata potestatis et comunis Ianue, et in omnibus et per omnia fecerunt et iuraverunt sicut Saonenses predicti, sub temptorio potestatis coram omnibus manifeste. Potestas tamen dominus Lazarius supradictus non ideo conversus est retro; set

Nil credens actum, cum quid superesset agendum, Luca.

ad ipsam civitatem Albingane properavit; et cum ibi nullum obstaculum inveniret, homines 160 numero de melioribus et maioribus ipsius civitatis elegit consilio eorum qui cognoscebant eosdem, et insulam Albingane, castrum Cogolarie et Tiracii, et cetera castra districtus Albingane et turres atque forticias civitatis eiusdem peroptime[a] muniens, Saonam cum dictis hominibus est reversus, et ibi 150 homines de melioribus et maioribus Saone accepit; quos omnes homines, tam Saonenses quam Albinganenses predictos, prefatus dominus Lazarius Ianuam secum duxit, et tamdiu fecit eos sub custodia detineri, quousque ex de- Iun. 4. creto consilii vir nobilis Iohannes Spinula apud Saonam, et Enricus Wilielmi Rubei de Volta apud Albinganam fuerunt pro potestatibus a comuni Ianue constituti. Qui ambo de voluntate comunis Ianue et domini Lazarii mandato et iudices et scribas sive notarios de civitate Ianue ad illas partes duxerunt, et quousque eciam pro magna parte destructa et completa fuerunt, que prenominatus dominus Lazarius in partibus Riperie destrui preceperat et compleri, Ianue detenti fuerunt.

Reversus est autem sepe dictus dominus Lazarius Ianuam die Veneris 4. Iunii cum gaudio et triumpho; qui in signum victorie et anni felicissimi in festivitate sive nativitate beati Iohannis baptiste, cuius corpus gloriosum in maiori ecclesia recubat Ianuensi prope altare beati Laurentii, post tribunal ipsius ecclesie, in curia domini archiepiscopi Ianue mirabilem curiam et dignam memoria celebravit. In qua curia innumerabilia indumentorum paria a potestate et aliis nobilibus et honorabilibus viris fuerunt ioculatoribus, qui de Lonbardia Provincia et Tuscia et aliis partibus ad ipsam curiam convenerant, laudabiliter erogata, et convivia magna facta et cetera que infra scriptis carminibus continentur:

*Omne genus ludi Iani fuit urbe repertum*
*Per te, Lazari, tunc quia tempus erat.*
*Implebant pueri totam concentibus urbem,*
*Uno psaltabant[26] tunc vetuleque pede.*
*Tunc veluti iuvenum mores iustique gerebant,*
*Audax in ludis queque puella fuit.*
*Et sonipes multo fessus sudore madebat,*
*Currebant equites urbis ad omne latus.*
*Tanti discursus et ludicra tanta fuerunt,*
*Urbe quod in nulla tanta fuisse reor.*
*Adde quod expensis largos superabat avarus,*
*Pauper ad obsequium quisque paratus erat.*
*Uxor zelotipi secura cuncta gerebat,*
*Verberibus pravis nulla cohacta fuit.*
*De dominabus porticus omnis densa manebat,*
*Res quoque que nimium digna favore fuit.*

Ut autem nichil de his que relatu sunt digna sive memoria, obmittatur, sit omnibus manifestum, quod in exercitu Riperie supradicto fuerunt dominus Otto de Carreto et eius filius Andreas de Massa cum militibus 20 et alii multi marchiones, comites de Lavania et alii

a) pro optime I.

26) i. e. saltabant.

1227. multi comites. Item Guarinus de Sancto Vitali, Girardus Francigena, Ogerius Guidonis Rogerii, Ugolinus comes, Girardus de Cornazano, Bertulus de Tavernerio, Girardus Bocerius, Barbotus et Iacobus Grassus, honorabiles milites civitatis Parme, et alii quam plures eiusdem civitatis milites et domicelli in maxima quantitate. Predictus vero Iacobus Grassus apud civitatem Ianue infirmitate gravatus, viam carnis ingressus est universe. Insuper fuerunt in ipso exercitu multi nobiles milites et domicelli de civitate Luchana et eius districtu. Item plures alii de partibus Tuscie et Lombardie, ita quod forenses milites fuerunt quingenti et plures. Omnes tamen venerunt ad expensas et decentes missiones comunis Ianue et restitutiones dampnorum et perditorum, et quidam eorum ad soldos. Item ultra Iugum fuerunt milites forenses 300 et plures et ad soldos et expensas comunis Ianue. Mercatores vero de Lucha qui Ianue erant, pro maiori parte in dicto exercitu ad obsequium comunis Ianue commorati sunt.

Predicti vero ambaxatores Mediolani et aliarum civitatum Lonbardie, cum in Riperia non potuissent assequi quod volebant, post reditum dicti exercitus, a partibus Ast et Alexandrie atque Terdone, ubi consecuti fuerant quod petebant, Ianuam pro dicto concordio sunt reversi, ostendentes in pleno et magno consilio civitatis Ianue, qualiter Astenses Alexandrini et Terdonenses atque Albenses de plano compromiserunt in comune Mediolani. Quod idem instanter a comuni Ianue fieri postulabant, cum ab antiquo et moderno tempore civitas Ianue et comune non secus de dicto comuni Mediolani quam de se ipsis confiderent, et ratione interne dilectionis et pure fidei, quam erga comune Mediolani habebant, de ipso comuni pre ceteris haberent materiam confidendi. Habita tamen inde prius licentia ab Astensibus et eisdem concessa, in comune Mediolani de discordiis que inter comune Ianue ab una parte et comunia Alexandrie et Terdone ex altera vertebantur, compromiserunt cum omni securitate et fidutia speciali, non credentes, quod eorum posset iusticia vel deberet sub alis comunis Mediolani perire vel aliqualiter minorari. Quod totum in contrarium cessit; nam plura adiudicarunt Mediolanenses Terdonensibus et Alexandrinis fieri quam ipsi Terdonenses vel Alexandrini peterent; plura etiam pronuntiaverunt ab eis comuni Ianue non fieri nec deberi quam ipsi Terdonenses et Alexandrini vellent eidem comuni Ianue facere motu proprio et de plano, quod idem sententia lata per comune Mediolani declarat[27].

Cum autem plures coniurationes et compagne dicerentur esse in Ianuensi civitate et diutius viguisse, quare plures nobiles qui non erant in ipsis compagnis, pro ut eis videbatur, honores assequi non poterant ut decebat, nec ad comunis officia vocabantur, surrexit quidam vir nobilis et eggregius civis Ianue, videlicet Wilielmus de Mari, et cum quibusdam de dictis nobilibus ad dicti domini Lazarii noticiam, pro ut merito dicitur, et assensum, coniurationem fecit maximam et potentem. In qua fere omnes populares fuerunt, et maxima quantitas illorum de villis. Tamen Naulenses et illi de Portu Venere et illi de Recho et Camulio et Aguxio in ipsam compagniam[a] nullatenus intraverunt. Item omnes et singuli de parrochia Sancti Donati et de ipsis contratis, et precipue Wilielmus Streiaporcus et filii de domo et parentela sua non solum in dictam compagniam sive coniurationem intrare spreverunt, verum etiam illos qui in ea iuraverant increpabant, et ubique contra eos viriliter insurgebant. Accidit quod dominus Lazarius memoratus propter quedam imminentia sibi negotia ad partes suas, videlicet ad civitatem Luchanam, accessit, impetrata tamen inde licentia a consiliatoribus campane et hominibus quatuor per compagnam; in cuius absentia ita predicta compagnia Wilielmi de Mari convaluit et incrementum suscepit tam intra civitatem quam extra, quod incredibile videretur. Et multo fortius crevisset, nisi quia predicti potestatis iudices, qui loco eius remanserant, inhibebant et se obstaculum opposuerunt, et villarum potestatibus sub certa poena preceperunt, quod neminem de suis potestatiis in ipsam intrare permitterent compagniam. Dicebatur etiam, quod predictus dominus Lazarius Ianuam non debebat reverti; quare populus adeo dictum Wilielmum de Mari virum nobilem animavit, quod de domo propria, quam inhabitabat, ipsum exire fecit eciam contra ipsius Wilielmi voluntatem, et ad Sanctum Laurentium in domos et turres Ingonis et Iohannis de Volta ad habitandum venire, quas dictus populus pensione non modica conducebant. Et dum ibi esset, iudices suos et alios suos nuntios per partes Riperie destinavit cum scribis sive notariis ad recipiendum iuramenta eorum qui in ipsam volebant com-

a) compagnam *postea superadiecto* i 1. *ita et infra.*

27) d. 9. m. Nov. 1227. Lib. iur. I. 780. W.

pagniam intrare; et per suas litteras significabat, qualiter apud Sanctum Laurentium in supradictis domibus et turribus habitabat et acceperat mansionem. 1227.

Interea dominus Lazarius supradictus contra opinionem vanam popularium Ianuam reversus est a civitate Luchana; et cum videret ipsam compagniam taliter et tam maxime processisse, et quod res aliter processerat quam credebat, cum de Christo dicatur, *penitet me fecisse hominem:* ipsum dominum Lazarium penituit predicto Wilielmo de Mari assensum aliquem prebuisse, et quod ipsa societas tantum susceperat incrementum, multis etiam insultantibus et dicentibus quod ipse fecerat sive fieri permiserat gladium, de quo posset graviter vulnerari, et civitas et comune Ianue possent proinde deperire. Quare super ipso negotio plura habuit secreta consilia a nobilioribus et maioribus Ianue civitatis; set quia credebant in ipso negotio ipsum dominum Lazarium mobilem et varium invenire, cum predictus Wilielmus de Mari et sui coniurati dicerent et scripturam ostenderent, quod de ipsius voluntate pariter et consensu processerat quicquid fecerant de predictis, eidem tepide ad ipsius confusionem et varie consulebant; et cum predicto Wilielmo de Mari cotidie loquebantur, laborantes ut potestas eadem deberet scutica verberari, quam propriis manibus collegisse publice dicebatur. Potestas vero hoc videns pro quibusdam de illis, qui non habebantur suspecti, cecus[28] misit, et eos sua mandata iurare fecit, et eis precepit quod parati essent sequi ipsum cum armis ad sonum campane vel cintraci, et ad quenlibet alium rumorem. Illi vero qui erant de compagnia predicti domini Wilielmi de Mari, sibi iurare nolebant; set videntes quod inceperat facere potestas, commoti sunt, et omni sero cum armis veniebant catervatim ad domum in qua morabatur predictus Wilielmus de Mari, et multum parati erant facere quecumque idem dominus Wilielmus iussisset. Quadam tamen die dominica predictus dominus Lazarius volens procedere contra Wilielmum predictum et compagniam ipsius, et inquirere voluntatem eorum qui non erant in ipsa compagnia et quorum sacramenta de novo receperat[a], pro ipsis misit, eosque in domum Fornariorum eadem die convocavit et habuit, ubi consilia celebrantur. Et dum iam surrexisset ad loquendum, dictum est quod dictus Wilielmus de Mari volebat venire ad suum mandatum. Quare de voluntate omnium ipsorum distulit. Tamen in crepusculo predictus Wilielmus de Mari, Paganus de Cucurno, Guaraccus de Sancto Laurentio, Enricus Gontardus et Ingonus de Volta, qui secum venerant et de eius compagnia erant, iurarunt omnia mandata et ordinationes potestatis. Potestas vero statim precepit predicto Wilielmo de Mari, quod sequenti die faceret omnes consiliarios suos venire ante ipsam potestatem, et iurare mandata omnia et ordinationes ipsius: et ita factum est et completum. Statim potestas precepit Wilielmo de Mari quod de domibus et turribus et contrata sancti Laurentii infra certum[b] recedere debeat et exire, et ad alias partes ad habitandum ire: quod sibi et[c] coniuratis suis fuit gravissimum ultra modum, in tantum etiam quod dicebant, quod mandatum istud observari non posset; et cum instantia plures rogaverunt ut potestas dictum revocaret mandatum et ipsum revocari credebant. Set cum in hoc potestatem invenirent constantem, predictus Wilielmus observavit mandatum[c]: qui[d] tamen cum se multos viderent et potentiores esse sperarent, quod mente conceperant, operibus demonstrabant. Nempe portale[29] sancti Laurentii acceperunt sive munierunt. Consequenter ambo portalia civitatis Ianue, videlicet portale sancti Andree et turres, et totam ecclesiam sancti Laurentii in suo posse habebant. Quod non solum nobilibus civibus Ianue displicebat, verum eciam dominabus et pueris et clericis intollerabile videbatur, presertim cum laneri[30] et homines alienigene ascendissent in eis. Quare virorum nobilium et divitum et diligentium civitatem Ianue ad dolorem viscera sunt commota; et cum plura super hoc fecissent et habuissent consilia, tandem omnes in ecclesia beate Marie de Vineis convenerunt. Et iudex potestatis cum quibusdam ex octo nobilibus illuc ivit, et primo locutus est inter eos; postea locutus est Obertus de Grimaldo, Deutesalve de Platea-longa et plures alii; et finitis eorum locutionibus ad conservationem rei publice et omnium ipsorum et domini Lazarii supradicti tociusque civitatis Ianue, et ad destructionem rassorum[31], specialiter compagnie predicte, concorditer et unanimiter ad breve iurarunt omnes et singuli in eadem ecclesia motu proprio non coacti. Cuius tenor hic est:

a) reperat 1. b) *scil.* terminum, *vel* diem *quod addit ed.* c) coniuratis — mandatum *in margine suppleta* 1. d) q 1.

28) i. e. occultos. 29) porta amplior, principalis. 30) i. q. lanarii, lanarum artifices. 31) i. e. coniuratorum.

1227. *Iuro ad sancta Dei euangelia sequi dominum Lazarium potestatem Ianue et suos iudices et vicarios et milites adversus Wilielmum de Mari et omnes coadiutores suos qui nunc sunt vel fuerunt, et omnia eius et nunciorum suorum mandata et ordinationes obedire, et nominatim si idem Wilielmus et homines de sua sotietate ad mandatum potestatis non venerit, adiuvare dictam potestatem ad vindictam inde faciendam ad voluntatem potestatis per me et amicos et homines ac benivolos meos cum personis et rebus domibus et turribus et totis forticiis et iuribus meis bona fide et sine fraude, quociens a dicta potestate vel ab aliqua persona pro eo vel per cornu aut per campanam vel alio modo fuero requisitus, et sine requisitione quociens ei opus fuerit; et omnes et singulos qui hoc sacramentum fecerint, omni tempore adiuvabo manutenere et deffendere adversus dictum Wilielmum de Mari et suos fautores et quoslibet alios pro hoc facto; et hec omnia iuro salvo sacramento quod feci potestati predicte.*

Et dum in dictum modum fierent sacramenta, elegerunt ex se ipsis decem de maioribus et melioribus et altioribus ac potentioribus civitatis Ianue causa providendi in ipso negotio, et causa tractandi que in ipso negotio neccessaria erant, et causa dissuadendi Wilielmo de Mari predicto et aliis de sua compagnia, quod desisterent ab inceptis, et quod mandatis deberent domini Lazarii[a] obedire et in omnibus suam voluntatem complere. Et nichilominus per civitatem compellebant homines ad dictum breve iurare; et sic ipsa compagnia debilitata est, et cottidie decrescebat, et vigor potestatis et comunis Ianue convalere cepit et in omnibus prevalere. Quare turres, que tenebantur pro predicto Wilielmo de Mari, de mandato predicte potestatis posite fuerunt in custodiam et bailiam tredecim de maioribus et nobilioribus civitatis Ianue, quorum nomina sunt hec: Nichola Embriacus, Wilielmus Mallonus, Lanfrancus Rubeus, Percivalus Aurie, Symon de Camilla, Ansaldus de Nigro, Enricus de Nigro, Wilielmus Ususmaris, Fredericus Grillus, Wilielmus Bos Spinula, Obertus de Grimaldo, Wilielmus Guercius et Lanfrancus Malocellus. Item pro hominibus villarum et civitatum et locorum de Riperia misit; et de illis quos credebat esse fideles, multas turres, pro ut expedire videbat, munivit et de turribus civitatis et de aliis que munite erant per dictum Wilielmum de Mari. Homines omnes qui in eis erant per dictum Wilielmum deiecit, et de portali sancti Laurentii similiter, ipsasque ad suam voluntatem de hominibus suis munivit. Similiter munivit campanile sancti Laurentii et alias fortitudines, pro ut expedire videbat. Reliquos vero per civitatem Ianue distribuit, et quosdam de melioribus secum retinuit, set pre ceteris homines Nauli et Albingane et Portus Veneris melius et honorabilius in succursum et auxilium potestatis venerunt atque steterunt, quamdiu eidem domino Lazario placuit potestati.

Nov. 2. Die vero 2. Novembris in comemoratione mortuorum supradictus dominus Lazarius per campanam et cintracum more solito omnes fecit ad parlamentum in ecclesiam sancti Laurentii convocare; et quia quod a multis peccatur, consuevit impunitum relinqui, et quia viris religiosis et pluribus nobilibus civitatis Ianue ad eorum instantiam promiserat, quod aliquo modo predictum Wilielmum de Mari vel aliquem de sua compagnia seu occasione ipsius compagnie nequaquam puniret, interventu ipsorum et causa scandali evitandi eos omnes exinde in ipsa contione absolvit. Consequenter ipsam compagniam sive coniurationem Wilielmi de Mari, et omnes alias que in civitate Ianue erant vel esse dicebantur, per infrascriptam sententiam et per infrascriptum iuramentum, ad quod omnes Ianue et de districtu iurarunt, omnino cassavit; et ipsam sententiam atque ipsum sacramentum magister Bartholomeus scriba comunis de mandato ipsius potestatis in eadem contione legit; et potestas ipsam sententiam approbavit, et roboravit et autenticari precepit; et sub debito iuramenti et magna pena precepit, quod omnes et singuli tam in civitate quam districtu Ianue infra certum terminum dictum facerent sacramentum. Et in ipso parlamento[b] maxima pars virorum nobilium et potentum civitatis Ianue ad ipsum breve iurarunt et ipsum sacramentum fecerunt, et etiam predictus Wilielmus de Mari pacifice ac benigne. Et postquam ipse Wilielmus de Mari iuravit, predictus dominus Lazarius in eadem contione omnibus audientibus precepit eidem Wilielmo alta voce, quod in continenti omnes et singulos coniuratos suos et qui sibi tenebantur de ipsa compagnia, coram omnibus absolveret: quod idem Wilielmus statim fecit; et hoc visus est facere vultu ylari et animo letabundo. Et cum tot accederent ad iurandum, quod non erat qui scriberet vel scribere posset eorum nomina, dominus Lazarius colloquium licenciavit, et receptores sacramentorum constituit per compagnas; et potestatibus civitatum locorum et villarum districtus Ianue sub pena magna et

a) lacarii I. b) par I.

debito sacramenti iniunxit, quod procurarent ut omnes de suis potestatiis facerent ipsum sacramentum infra certum tempus, et ad ipsum breve iurarent. Quod totum fuit per eosdem completum: et sic civitas Ianue interius et exterius per Dei gratiam ad tantam concordiam et amorem deducta est et fuit ipso mense Novembris, quod a multis retro temporibus in consimili non fuerat, nec eciam in tam magna. Tenor autem sententie lecte in contione predicta hec est: 1227.

*Nos Lazarius Gerardini Glandonis Luchensis, Ianue civitatis potestas; volentes per omnia sequi consilium illorum peritorum virorum divini et humani iuris tam clericorum quam laicorum scriptum manu Bonivassalli Caligepallii notarii, quod dederunt super sacramentis societatis Wilielmi de Mari et hominum sue compagnie et suorum coniuratorum et sequentium, et quicquid ex eo et eis secutum est, esse iuramenta illicita et contra sacramentum compagnie et iuramenti nostri, quo pro comuni Ianue tenemur, et ideo dicta sacramenta omnia et quicquid ex eis secutum est, cassamus irritamus et penitus evacuamus, et non esse tenenda statuimus precipimus et laudamus; et ne ipsi de cetero vel aliqui eorum vel aliqui alii in eadem sacramenta vel compagnam vel securitatem seu fidantiam recidant vel permaneant vel consimilem seu aliam contrahant, precipimus statuimus et laudamus. Precipimus insuper per sacramentum predicto Wilielmo et omnibus de sua compagnia et qui sacramenta predicta cum eo societate fecerunt, ut hodie per totam diem a predictis sacramentis et omnibus vinculis quo vel quibus propterea tenentur se absolvant et absolutos denuntient, et quod ab hodie in antea nullo modo pro predictis sacramentis vel vinculis seu societate vel fidantia propterea conveniant, nec ut dictum est predictam societatem et sacramenta teneant, nec in similibus iuramentis incidant; statuentes, ut si dictus Wilielmus de Mari et alii qui de sua sunt societate predicta non observaverint, aut si contra fecerint, quod omnia bona contrafacientium ubicumque sint debeant destrui et vastari, et que vastari non poterunt debeant confiscari in comuni Ianue; nec aliquo tempore restitui vel emendari in totum vel in aliqua parte: et insuper quod debeant forestari et in perpetua forestatione teneri; et si iudices vel notarii vel publici scribe fuerint, insuper perpetua infamia notentur, nec abinde eorum vel alicuius eorum sententia teneat, nec eorum vel alicuius eorum scripturis fides aliqua postmodum habeatur, nec officium notarie in Ianua nec in districtu Ianue possint postea exercere, nec ad publicos honores vel officia ullo tempore admittantur ipsi iudices scribe vel notarii. Et predicta absolutio fiat hodie ab omnibus civibus et districtu qui modo sunt in civitate Ianue, ab aliis fiat infra tercium diem ex quo ad eorum notitiam pervenerit, et predicta postmodum teneantur observare sub predictis penis omnibus et singulis. Idem etiam dicimus statuimus et precipimus ac laudamus de omnibus aliis consimilibus iuramentis et conspirationibus, que sunt in civitate Ianue inter quascumque personas, ut simili modo per omnia se absolvant et absolutos denuntient, nec in similia de cetero incidant vel faciant vel permaneant, sub predictis penis omnibus et singulis.*

In eadem contione dominus Lazarius Ianue potestas precepit[32] Wilielmo de Mari, quod 32 omnes de sua compagna et qui in ipsa compagna iuraverant, ab ipsis iuramentis et ab omni obligatione absolvat et deliberet. Et dictus Wilielmus dixit, quod sibi placebat et libenter volebat; et eos inde absolvebat et liberabat.

Eodem die, videlicet die Martis secundo Novembris in ecclesia sancti Laurentii in eadem contione dominus Lazarius Ianuensis civitatis potestas fecit et precepit infrascriptum sacramentum legi, et ad ipsum sacramentum precepit et fecit iurare homines Ianue et de districtu; et maxima quantitas nobilium in eadem contione iuravit, quorum nomina scripta sunt per manum Bonivassalli Caligepallii.

*Ego iuro ad sancta Dei euangelia, quod firmiter et inviolabiliter observabo dictum et preceptum et laudem factam et factum a domino Lazario Gerardini Glandonis potestate Ianue super dissolutione conspirationum et iuramentorum factarum et factorum ab hominibus de civitate Ianue et de districtu, et super eis vel consimilibus non faciendis, sicuti predicte potestatis dictum et preceptum publice scriptum est manu magistri Bartholomei notarii, nec contra predicta veniam vel faciam ullo tempore. Et si aliquis vel aliqui contrafacerent vel predictum dictum potestatis non observaverint, quotiens michi preceptum fuerit per potestatem vel consules comunis Ianue vel eius seu eorum nuntium vel per cintracum seu campanam vel cornu seu alio modo, iuvabo inde potestatem sive consules comunis Ianue, qui vel que pro tempore fuerit vel*

32) Haec supra brevius habentur, sed in codice eadem manu qua tota narratio subiecta sunt.

1227. *fuerint, cum armis et sine armis, et cum domibus et turribus et omnibus forticiis meis, et cum tota mea fortia prout melius potero bona fide contra omnes personas que pro predictis rebelles essent potestati vel consulibus comunis Ianue, vel inde sibi adversarentur; et spetialiter iuro, quod si sum in rassa vel compagnia vel confederatione aliqua seu obligatione fidei vel sacramento vel obligationis, inde quam cicius potero exibo, et alios qui michi tenentur inde absolvam, nec in similem vel aliam de cetero ero vel permanebo per sacramentum vel fidem seu aliquam obligationem vel pactum.*

1228. Millesimo[a] ducentesimo vigesimo octavo, indictione 15. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et prudens Guifredus de Pirovano[b], qui secum habuit iudices duos, unum videlicet ad causas malefitiorum audiendas et diffiniendas deputatum, scilicet dominum magistrum Cazulum, et alium videlicet Iacobum de Osa secum pro assessore sive vicario suo. Item duos milites sive sotios secum, videlicet dominum Rogerium de Bollatę et Philippum de Pirovano. Scribe vero comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartolomeus, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, et Ambrosius Caudalupi. Consul[c] vero civitatis de iusticia fuit Ricomus Urbiciani, et eius scribe Enricus de Bisamne et Stephanus Guiberti. Consul vero palacii de medio fuit Wilielmus Cacaramus et eius scribe magister Ursus et Obertus Cerreto. Consul quatuor compagnarum de versus burgum fuit Vitalianus de Padua, eius scribe Ricobonus Coxanus et Iacobus Isembardi. Consul vero civium et foritanorum fuit Datus Conforti, et eius scribe Nicholaus de Clavaro et Gandulfus de Sesto[c].

Predictus vero dominus Guifredus pro facto negotiorum de ultra Iugum ad mandatum sive requisitionem Modalbergi iudicis et Resonati de Puteo-Bonello, ambaxatorum comunis Mediolani pro ipsis negotiis ordinandis transmissorum, cum honorabili nobilium civium Ianue comitiva ultra Iugum ivit, et cum paratus esset ipse et alii nobiles et sindici comunis Ianue qui secum erant, in omnibus et per omnia complerę et observare sentęntiam latam per comune Mediolani, et quicquid comune Ianue facerę debebat, et spetialiter in facto Capriatae et Arquadae, et refectione castri Montis-Iarii, predicti ambaxatores Mediolani dixerunt, quod ire volębant Capriatam, et videre si ibi facta erant ea que ibidem per comunę Ianue iuxta tenoręm dictae sententie fieri dębebant. Quarę potestas predictus et ipsi ambaxatores iverunt Capriatam; et dum ibi essent, Boccatius Brema potestas Alexandrie cum aliquot de militibus Alexandrie accessit ad locum Capriatae; et dum ibi ęssęnt, et viderent si completa erant quae fięri debebant ibidem, Alexandrini omnes malitiose contra sęntentiam memoratam, contra fidem et iuramenta, et hoc de consęnsu suae pro ut dicitur potestatis, armata manu cum vexillis apparuerunt. Quod videns dominus Guifredus miratus est valde, et dixit ambaxatoribus supradictis: *Quid est hoc? sum ego proditus. Cęrtę turpissima res est ista et iniqua proditio.* Et versus potestatem Alexandrie hec eadem et alia dicenda dixit. Item protestatus ęst, quod si aliquid deerat fatiendum, paratus erat complere ad voluntatem ipsorum ambaxatorum iuxta formam sententie inde late, et inde fieri fecit publicum instrumentum. Tunc vero eggręssi sunt locum, et ceperunt ire versus homines Alexandrie, et potestas ipsorum Alexandrinorum ficticie precipiebat eis sub certa pena vel banno, quod ad locum non accederent Capriate, hec appropinquarent ad locum ipsum ultra certa confinia que eis exposuit, exceptis aliquibus qui de voluntate dictorum ambaxatorum destruerę debebant, si aliquid destruendum restabat iuxta sententiam inde latam. Dum vero dominus Guifredus perpenderet malitiam et excogitatam prodicionem Alexandrinorum et potestatis eorum, et videret quod licet ipsi ambaxatores Męediolani magna verba dicerent et inde fingerent se dolere, Alexandrini ad actum nichilominus procedebant, saluti et vite hominum Capriatae a minimo usque ad maximum excogitans, tamquam bonus pastor de suis ovibus curam gerens, monuit homines Capriate, quod res omnes mobiles quas habebant inde portarent ad loca tuta, et quod sibi precaverent, ita quod Alexandrini non possent de eis eorum desiderium adimplere. Quod quidem ipsi homines Capriate fecerunt; et ut ad plenum possent utilitatibus suis intendere, dictus dominus Guifredus ad cautelam est egressus de loco Capriate, et ivit versus Alexandrinos et eorum potestatem, et ipsos in

a) *pergitur littera alia maiori* I. b) *alia manu additur* civis Mediolanensis I. c) Consul — de Sesto *eadem manu in inferiori margine suppleta* I.

verbis, allegando iura comunis Ianue, detinuit tota die, ita quod nox erat, quando Gavium 1228.
est reversus.

Alexandrini vero hostiliter et contra sacramentum ipsum locum intrarunt, ecclesias et domos destruxerunt et igne cremarunt; et si aliquos de Capriate hominibus vel mulięribus invenissent[a], eos dillacerassent membratim, prout operibus demonstrarunt. Nam mortuos de monumentis et foveis extraxerunt, et eorum capita circa fossata ipsius loci non oborruerunt ponere et levarę. Homines vero Capriate[33] se apud Gavium receperunt cum uxori- 33 *
bus filiis et familia, quibus omnibus providere et subvenirę liberaliter comune Ianue non cessavit. Cum autem predictus dominus Guifredus reversus Ianuam, superbiam et transgressionem Alexandrinorum non posset nec vellet amplius tolerare, cum domino Bonifatio marchione Montisferrati et cum Percivali Aurie Astęnsium potestate, qui ad hoc totis nisibus anhelabat[b], colloquium habuit et tractatum; et in tantum processit negotium, quod ipse marchio et Astenses ceperunt Alexandrinis facere vivam guerram; et potestas Ianue et comune eidem marchioni certam quantitatem militum et balestariorum et peccunie dederunt, pro ut in conventione inde facta plenius continetur. Cumque Enricus de Carreto marchio congregato exercitu de diversis partibus castrum quoddam, quod dicitur Sine[c], et quod a civitate Albe ultra miliaria quinque non distat, viriliter obsedisset, et ibi eius exercitus dudum stetisset, nec illi de castro se plus possent tueri, milites Alexandrie occulte in noctis silentio ad ipsas partes iverunt in succursum Albensium et castri predicti, et ipsos qui erant in obsidione, cum inde provisi non essent, in fugam verterunt, et ibi virum nobilem Petrum de Ponzono et quosdam pedites retinentes ceperunt, et apud Albam in carceribus posuerunt. Quo audito, dominus marchio Montisferrati predictus cum militibus et hominibus suis et Astenses cum eo ad castrum sancti Stęphani cum festinantia perrexerunt, ne dicti Alexandrini possent Alexandriam nisi per manus ipsorum marchionis et Astensium reverti. Item castrum Clavaxii et passus alios dictus marchio premunivit, ut dictis Alexandrinis non pateret regressus. Comune vero Ianue milites quinquaginta ęquis et armis optimę premunitos de melioribus et maioribus civibus Ianue in dictorum marchionis et Astensium auxilium destinavit. Quare milites Alexandrie supradicti timore perterriti, civitatem Albe egredi non audebant, ibique obsessi tempore longo stetęrunt. Cum autem dicti marchio Astenses et milites Ianuae quasi tedio affecti, die quadam versus Belmontem super terram Alexandrie viriliter equitassent, milites Alexandrie exierunt de Alba, et die noctuque quo usque fuerunt apud civitatęm Taurinum, fugere non cessarunt. Quo audito dicti milites marchionis cum militibus Ianue ipsos fugantes, cum eos non possent consequi, se apud Clavasium receperunt, et undique posuerunt insidias, ita quod dicti Alexandrini de civitate Taurini exire non poterant nec audebant. Comune vero Mediolani Alexandrinis compatiens supra dictis, ambaxatores suos dicto marchioni transmisit et militibus Ast et Ianue qui erant ibidem, cum omni mansuetudine et supplicationibus ex partę comunis Męddiolani deposcentes ab eis, ut dictos Alexandrinos amorę comunis Mediolani permitterent reverti ad propria; quod quidem fecerunt marchio et milites supradicti respęctu Mediolani comunis. Tamen ad locum Wiliae maturarunt, et ipsum burgum pro parte maxima destruxerunt et igne cręmarunt, et inde predam maximam asportarunt; et interim milites Alexandrie de partibus Taurini Alexandriam sunt ręversi, et postea per totum tempus regiminis dicti domini Guifredi homines Alexandrie stupęfacti stęterunt. Cum autem elapso termino, quo pronuntiatum erat per comune Mediolani castrum Arquate debere destrui a comuni Ianue, alioquin postea per comune Terdone nondum ęssęt dirutum, quia ipsis loci dominis non placebat, homines Terdone ad ipsum locum armata manu pro comune iverunt, et ultra quam contineretur in dicta sentęntia destruxerunt. Set de aliis offensionibus comunis Ianue satis per totum tempus ipsius regiminis abstinere curarunt. Ipso quippe anno tranquillitas fuit in civitate Ianue et districtu. Ambrosius vero comes de Rapallo circa exitum dicti regiminis interfectus fuit quodam sero occultę in hospitio Philippi macellatoris prope macęllum de modulo[d].

Anno[e] nativitatis dominice 1229, indictione 1. fuit in regimine civitatis Ianue dominus 1229.

a) inuenisent 1. b) hanelabat 1. c) Sine 1. 2. Fine *ed.* d) *manu saeculi XVI. in margine additur:* Hoc insuper anno fuit firmata pax ad annos IIII in Ianuenses et Venetos[34]. 1. e) *alio atramento pergitur* 1.

33) Capriatae homines de non facienda pace fidem dant. Lib. iur. 1, 838. W. 34) Formula pacis est ibid. p. 815. W.

1229. Iacobus de Baldoino de Bononia, qui duxit et secum habuit iudices duos, Iacobum videlicet de Argento pro maleficiis audiendis, et Iacobinum de Saragoza qui ex altera parte palatii gerebat vicem dicte potestatis. Milites vero dicte potestatis fuerunt Enrichetus de Corvolino, Benvegnai et Ugolinus Brondellus. Octo vero nobiles pro introitibus comunis recipiendis et expendendis fuerunt Conradus de Castro, Wilielmus Mallonus, Ingo Tornellus, Paganus de Rodulfo, Wilielmus Ususmaris, Ansaldus de Mari, Surleonus Piper et Enricus Vicecomes. Scribe vero comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepalii et magister Bartolomeus, Vassallus Gallus et Ambrosius, Madius et Obertus de Langasco. Consul vero civitatis de iustitia fuit magister Cazulus, et eius scribe fuerunt Enricus de Bisanne et Stephanus Guiberti. Consul palatii de medio fuit Martinus de Degoldeis et eius scribe fuerunt magister Urso et Obertus de Cerredo. Consul vero burgi fuit Lanfrancus de Aigiratis, scribe vero ipsius fuerunt Ricobonus Coxanus et Iacobus Isembardi. Consul autem civium et foritanorum fuit Albertus de Nozardo, scribis eius existentibus Nicholao de Clavaro et Gandulfo de Sexto.

Ipso quippe anno dicta potestas cives Ianue in pace et tranquillitate servavit. Consilia multa fecit, et sepe ac sepius communis Ianue negotia sollicite procurando per diem totam et quandoque usque ad magnam partem noctis spontanee ieiunavit; et officiales et consiliatores et vocatos ad consilia pro negotiis communis Ianue tam pro minimis quam pro magnis contra voluntatem ipsorum, non distinguendo inter diem et diem nec inter horam 35 et horam, fecit pluries ieiunare. Conventionem vero cum hominibus Arelatis[35], item cum hominibus Massilie[36], item cum hominibus Aerearum[37], et cum dominis et hominibus Teloni de novo fecit, secundum quod in ipsis conventionibus continetur. Item fecit conventionem cum dominis et hominibus Castelleti. Naves quidem de portu Ianue, que iture erant versus orientem item alias que iture erant versus ponentem in caravanna simul, secundum quod consiliatum fuerat, fecit laudabiliter cum celeritate movere, que omnes ad partes destinatas felici dipromate[38] navigarunt. 38 In ipso quidem anno dum Carrocinus filius naturalis quondam comitis Alamani navem quamdam armaret, et diceretur quod offendere volebat tam amicis quam inimicis communis Ianue; et quod iudex Turritanus ad ipsam armandam sibi dabat auxilium et favorem, et quod sibi peccuniam et alia necessaria ministrabat: dictus domnus Iacobus auctoritate consilii navem unam fecit armari pro custodia maris, et dicto iudici Turritano misit per quendam nuntium communis Ianue videlicet per Symonem Donati notarium litteras in hunc modum:

*Eggregio et magnifico viro Mariano Dei gratia iudici Turritano, potenti et peramabili civi suo, Iacobus de Balduino civitatis Ianue eadem gratia potestas, salutem et honorifica contingentium incrementa. Quanto personam vestram magnificam et vestri honoris augmentum maiori prerogativa sincerioris dilectionis amplectimur, tanto reputamus gravius et est ab omnibus reputandum, quando in terra vestra vel partibus aliqua pertractantur vel fiunt, que Deo contraria, hominibus sunt nociva, honoribus et utilitatibus communis Ianue derogant atque vestris. Intelleximus quidem quod Carrocinus filius comitis Alamani more patris volens pyraticam exercere, navem quamdam armat in Sardinea causa in cursum intrandi, ad quod exequendum per vos et homines vestros prout nobis a pluribus est relatum, consilium impenditis et favorem; et manum porrigitis adiutricem, peccuniam sibi et alia necessaria ministrando. Cum igitur de vobis geramus fiduciam pleniorem, nec credamus quod exequi permittatis postquam inde nostram cognoveritis voluntatem, dilectionis vestre benivolentiam quam intime deprecamur, et civilitati vestre sicut plus possumus iniungendo mandamus, quatinus dicto Carrocino vel alicui ad armandum navim dictam nullum favorem vel auxilium impendatis, immo si quod propterea impendistis, prout melius poteritis subtrahatis. Scientes quod nil possit hoc tempore fieri vel tractari, quod commune Ianue gravius reputaret, quam si dicta navis armabitur, sicut fertur; maxime cum vos hoc posse prohibere nullatenus dubitamus; nichilque gratius quam si per vos prohibetur ne armetur. Taliter autem quod vobis iniungimus et rogamus, studeatis efficaciter exaudire, quod sincere dilectionis affectus quem erga commune Ianue geritis per effectum operis demonstretur. Plures enim vidimus litteras quas pluribus civibus nostris Carrocinus transmisit, continentes quod eidem peccuniam et alia necessaria ministratis pro dicta nave armanda, de*

35) d. 18. m. Aug. Lib. iur. I, 866. W. 36) d. 7. m. Maii ibid. 851. W. 37) d. 24. m. April. ibid. 844–851. 863. W. 38) i. q. diplomate.

*quo plurimum admiramur, cum talia non consueverunt esse usque modo facta vestra, nec bone memorie patris vestri. Si secus autem fieret, quod non credimus, et aliquod dampnum occasione dicte navis commune Ianue quod avertat Dominus immineret, vobis imputaretur et posset ab hominibus imputari.* 1229.

Preterea galeam unam de Portu Venere, item lignum unum in quo ivit Nicola Mallonus Garratonus, misit potestas predicta causa faciendi comburi et impediri navem predictam; quod quidem fieri non potuit propter versutiam et providentiam Carrocini predicti, qui callide[a] cum dicta nave quam armabat, de Sardinea et partibus ipsis recessit, et plurima mala fecit.

Eodem anno celebrato consilio ante Kalendas Augusti iuxta formam capituli de emendatoribus eligendis, fuit de voluntate consilii quod dictus dominus Iacobus de Balduino solus esse deberet emendator; qui capitula emendavit, et ipsa per libros distinxit et usque ad finem sui regiminis[39] emendavit. Tamen ex eo quod fuit constitutus emendator, maximus rumor fuit in civitate Ianue. Postea quidem dicta potestas ante festum omnium sanctorum secundum tenorem capituli consilium de regimine civitatis Ianue celebravit; et cum diceretur quod dicta potestas volebat et laborabat et tractaverat, quod confirmaretur in potestatem pro anno venturo, et quasi manifestum erat, et quod propterea venire fecerat Ianuam Gotifredum prefecti domini pape capellanum, ut auctoritate domini pape absolveret ipsum dominum Iacobum a sacramentis que fecerat de non remanendo ad regimen civitatis Ianue pro anno venturo[40]: item ut absolveret consiliarios et commune Ianue et electores qui brevia haberent de eligendo potestatem, a sacramentis quibus tenebantur de non habendo dictum Iacobum in sequenti anno pro potestate capitaneo vel rectore; et dum habitis et datis in consilio brevibus de electione regiminis facienda electores diu simul starent, et misissent pro domino archiepiscopo et pro dicto capellano et pro fratribus predicatoribus et minoribus causa habendi consilium, si salvis iuramentis proinde factis remanere posset dictus Iacobus ad regimen civitatis Ianue pro anno venturo, maximus rumor fuit per totam civitatem Ianue, et omnes fere per civitatem ceperunt inde clamare et currere ad arma et dicere, quod hoc opprobrium et periurium fieri nullo modo paterentur. Et sicut Domino placuit et fuit de consilio domini archiepiscopi et fratrum, dicti electores a proposito eligendi dictum dominum Iacobum recesserunt, et dominum Spinum de Surrexina pro potestate venturi anni concorditer elegerunt. Iul. 31. 40

Quadam autem die dominica ultima Septembris Alexandrini non contenti de destructione Capriate, quam fecerunt contra tenorem iuramenti quo tenebantur, et sententiam inde latam per Mediolani commune, dum in quiete positi essent, volentes naturam capre sequi, que tamdiu terram scalpit, quod male dicitur recubare: ad locum ubi castrum fuerat Capriate venerunt, et ibi cum festinantia de trabibus et lignamine habitaculum sive receptaculum construxerunt, et ipsum infortiarunt, et homines arma et victualia posuerunt ibidem ad custodiam et deffensionem ipsius. Quare Ianuenses commoti sunt, et ex decreto consilii equi quingenti fuerunt impositi, videlicet equi 400 in civitate, et in districtu Ianue equi 100. Postmodum die sabbati sexta Octobris legati domini imperatoris ex parte ipsius domini imperatoris verba plurima proposuerunt in consilio Ianue per campanam et cornu more solito congregato, et inter cetera petierunt ambaxatores ad dominum imperatorem ex parte communis Ianue destinari; et fuerunt lectae litterae domini imperatoris in consilio supradicto[41]. Quare dicta potestas, habito consilio et obtento, quod ambaxatores mitti deberent, post multum temporis ambaxatores duos elegit, Wilielmum videlicet de Mari et Henricum Domusculte, et eis ambaxaciam imposuit supradictam; set tamdiu eos distulit eligere, volens in suo recessu, sicut dicebatur, in galea tendere usque Pisas, que pro dictis portandis ambaxatoribus parabatur, quod movere de Ianua suo tempore nequiverunt, set mense Februarii moverunt cum galea predicta. Sept. 30.

a) calide 1.

39) Idem potestas omnia civibus Ianuensibus concessa privilegia in registro exemplari iussit. Lib. iur. I, 871. W. 40) Etenim bellum tunc erat primum inter Gregorium IX papam Fridericumque II imperatorem, quam ob rem papa quamvis frustra studuit, ut potestas ille, e Bononia civitate societatis Lombardiae oriundus, regimen civitatis Ianuae diutius sustineret. W. 41) Quamquam hae litterae non iam exstant, dubitari non potest, quin eiusdem fere argumenti plenae fuerint, ac quas d. 5. m. Oct. imperator aliis civitatibus destinaverit, scilicet de reditu suo et recuperatione Apuliae. Mon. Germ. LL. II, 265. W.

1229. Circa vero principium mensis Novembris comes Provintie, secundum quod cum Restagno Guigonis et aliis proditoribus de parte sua tractaverat, venit Niciam cum exercitu, quem proditores homines comitis introduxerunt in civitate Nicie, et suas turres et fortitias eis statim dederunt. Set Baibaldus Baraterius et Ogerius Badatus et Lanfrancus Richerius et alii de parte sua, dicto comiti et proditoribus Nicie viriliter resistere inceperunt, gerentes de succursu[a] communis Ianue fiduciam pleniorem, pro quo succursu[a] miserunt, et ipsum infortunium per nuntios et litteras potestati et communi Ianuae intimarunt. Et cum propter intemperiem temporis exercitus fieri non posset, fuit de voluntate consilii, quod illuc galee quatuor mitterentur. Quare galeas quatuor dicta potestas in eorum succursum misit, quarum capitaneus fuit Ottobonus Mallonus. Et cum nichil ibi facere possent, alie galee quatuor illuc destinate fuerunt; et cum diutius stetissent, nec utilitatem amicis nec offensionem possent facere inimicis, nec de voluntate maioris partis consilii foret quod aliter succursus Niciensibus prestaretur, illi de galeis quandam quantitatem hominum armatorum de mandato potestatis Ianue in Nicia posuerunt. Et cum nichil ibi galeae predicte sine maiori succursu[a] facere possent, Ianuam sunt reverse, et sic illi, qui civitatem Nicie contra comitem defendebant, desperantes de succursu Ianuae, antequam mori vellent, cum se tueri non possent, se et suas turres et forticias dicto comiti Provintie reddiderunt.

1230. 1230, indictione 2. fuit in regimine civitatis Ianue dominus Spinus de Surexina civis Mediolani, miles multe constancie et probitatis. Qui secum habuit iudices duos, unum eorum deputatum ad causas maleficiorum audiendas et diffiniendas videlicet Enrigetum de Bonvicino, et alium secum scilicet Ugonem Maonum pro assessore. Item milites duos, scilicet dominos Rodulfum de Villa et Manfredum de Bivulco. Scribe vero communis fuerunt Bonusvasallus Caligepalii, magister Bartholomeus, Madius et Obertus, Vasallus et Ambrosius. Octo vero nobiles pro introitibus communis Ianue recipiendis et expendendis fuerunt Ugo Ferrarius, Lanfrancus Bachimus, Obertus de Cruce, Girardus de Murta, Daniel Aurie, Wilielmus de Mari, Ansaldus Embronus et Ansaldus Fallamonica. Consules placitorum fuerunt in palacio[b] civitatis Enricus Racamus, in palacio de medio Wilielmus filius Agadi, in palacio furitanorum Iacobinus de Saragoza, in palacio burgi Thomaxius magistri Cazuli. Scribe vero dictorum consulum fuerunt illi, qui anno precedenti pro scribis extiterunt in dictis palaciis.

In eodem anno dum guerra incepta pro negociis Capriate duraret, Iacobus de Terciago potestas Alexandrie, videns quod Alexandrini fatigati erant laboribus et expensis, opprobrium timens incurrere sempiternum, cum quibusdam de maioribus et sapientioribus hominibus Alexandrie Mediolanum, Placentiam, Bononiam ivit, et ad civitates alias societatis Lonbardorum ex parte Mediolani, et ita fecit, quod anciani et rectores ipsius societatis et ambaxatores cuiuslibet civitatis ad civitatem Placentie convenerunt, et ibi consilia celebrarunt, et cuilibet civitatum societatis iam dicte certam quantitatem militum imposuerunt, qui omnes statuto tempore et termino iverunt Alexandriam; et cum nullam viam viderent, quod in terris sive locis communis Ianue comode possent nocere, deliberato consilio ipsi milites et tota communitas Alexandrie armata manu ad obsidionem cuiusdam castri marchionis Montisferrati, quod Monbarucius dicitur, ostiliter accesserunt. Quo audito dictus dominus Spinus cum quinquaginta melioribus militibus civitatis Ianue, et cum militibus centum quos duxit dominus Opicinus Malaspina ad soldos communis, item cum magna quantitate aliorum militum de ultra iugum et de Papia et de aliis partibus acceptorum ad soldos communis, ivit Ast; et fuerunt ipsi et dicti milites in servitio Astensium et succursu, et sic terras Astensium deffenderunt et marchionis Montisferrati predicti; et tamdiu in partibus Ast et Montisferrati viriliter et magnifice steterunt, quod inimici, qui tam magnifice tam potenter convenerant, quod intendebant nequiverunt deducere ad effectum, sed de ipsis partibus cum confusione et dedecore recesserunt. Dicta vero potestas Ianue nec non et milites pro communi Ianue destinati, reversi sunt Ianuam cum honore. Videntes autem Alexandrini, quod totum suum exforcium fecerant, et quod ad effectum que intendebant non poterant ducere, et quod milites qui venerant in eorum servicium, plus dampni et dedecoris eisdem Alexandrinis intulerant quam proficui vel honoris, circa composicionem ceperunt intendere,
Nov. 7. et die 7. Novembris in arbitros compromiserunt[c], videlicet in Sardum archipresbiterum de

a) sucursu I. b) placito I. c) compermiserunt I.

Alba, et fratrem Wilielmum ministrum hospitalis sancti Iohannis. Ianuenses vero, recepto 1230. intellectu ab arbitro electo pro communi Alexandrie de facto Capriate, et acto quod Alexandrini de discordiis et guerra quam habebant cum Astensibus conpromitterent in commune Ianue, et hoc in presentia et assensu alterius arbitri supradicti, post multas preces et inductiones in eosdem arbitros compromiserunt. Et die 2. Februarii in festivitate purificationis 1231. beate Marie de facto Capriate tulerunt sentenciam, et adiudicata fuit communi Ianue; et Febr. 2. eciam de facto strate et de quibusdam aliis de quibus in eos non fuerat compromissum et que in questione non erant. Et de ipsa sentencia Nicholaus de Vultabio notarius fecit cartam; et ordinarunt quod ipsa sentencia sigillata tribus sigillis deponeretur penes abbatem de Tileto, et alia eiusdem tenoris sigillita tribus sigillis consimilibus, videlicet sigillo fratris Wilielmi et dicti Sardi et fratris Bartholomei de Vincentia ordinis fratrum predicatorum, medii et tercii ab eis assumpti, penes abbatem Sancti Andree de Sexto: que depositio multum suspecta visa est conscilio et sapientibus Ianue, licet predicti arbitri religiosi appareant, et quibus fides debeat adhiberi.

Eodem quidem anno circa principium regiminis dicti domini Spini, Astenses et Al- 1230. benses, Enricus de Carreto marchio et Gratapalia, domini de Manzano, domini de Salma- Febr. tione, et multi alii marchiones proceres et magnates de ipsis partibus, compromiserunt in commune Ianue de omnibus guerris questionibus et discordiis, que inter eos vertebantur et que diucius viguerunt inter ipsos. Et eodem anno Albenses elegerunt Wilielmum Nigrum Enbriacum in suam potestatem; qui Wilielmus postquam fuit ad regimen ipsorum Albensium, et pro negociis communis Albe ipse et filius eius Iohannes, et iudex eius Hugo cancellerius et plures ambaxatores ipsius communis irent, capti fuerunt per Ubertum de Revello apud castrum Sancti Stephani de Caxano et detenti. Et quia commune Ianue preceperat, quod partes que compromiserant in commune Ianue non offendere it[a], et quod quelibet pro posse alterius salvus et securus esset in personis et rebus; et dictum castrum et predictus Ubertus esse videbantur in posse communis de Ast, requisitis primo Astensibus quod predictos detentos facerent deliberari et termino dimitti, tandem ex decreto consilii Ianue obsides de Ast qui erant in Ianua, dati fuerunt dicto Wilielmo Embriaco, ut eos custodiret pro communi Ianue, et quod easdem comoditates et axevelationes eis posset facere que sibi et aliis secum captis fierent et fiebant, et quod de posse communis Ianue non deberent exire, quousque de expensis et dampnis dicto Wilielmo Embriaco et aliis secum captis foret integre satisfactum. Quare Astenses ita fecerunt, quod dictus Wilielmus Embriacus et filius et iudex eius et ambaxatores de Alba deliberati fuerunt, et quod expense quas in carcere fecerant, fuerunt eis integre restitute ad voluntatem ipsorum.

Dum autem eodem anno et in precedenti plures Romani et plures homines de regno Sycilie et de Monte-Pesulano et de aliis partibus cum litteris Ianuam accessissent, et de rapina quam dicebant factam eis per Durantum de Portu Venere et per Recuperum et alios eorum complices, graviter conquererentur; et per maleficia que fiebant et per eos pyratas per diversas mundi partes diffamarentur ab illis qui rei veritatem nesciebant, cives Ianue et commune: ex decreto consilii fuit in portu Ianue galea una optime armata causa capiendi ipsos cursales, et causa maris custodiam faciendi. Et comitus ipsius galee fuit vir nobilis Ansaldus Bufferius, qui negocium ipsum cum tanta cura et sollicitudine procuravit, quod sagitteam dicti Duranti et ipsum Durantum, et Wilielmum[b] et Recuperum de Portu Venere et quam plures ex complicibus eorumdem pyratarum viriliter cepit, et eos duxit Ianuam cum dicta sagittea, ipsosque in virtutem communis Ianue consignavit; qui omnes fuerunt in compedibus positi et in carcere Et quadam die dominica in festivitate sanctorum Nazarii et Celsi dictus dominus Spinus condempnavit malefactores predictos, pronunciando quod Durantus et Recuperus de Portu Venere et Wilielmus de Vintimilio deberent in furcis suspendi; et alii qui non erant capitanei nec in tanta culpa, deberent dextris manibus mutilari. Et quia fratres minores et predicatores et domine sive mulieres Ianue hoc perseuserant, videntes quod dictus dominus Spinus dictos malefactores nolebat dimittere impunitos, nec etiam ad instantiam domini Ianuensis archiepiscopi, multorum abbatum, et capituli clericorum Ianue, et quam plurium religiosarum personarum, vellet terminum unius diei suspendere, sed dicta die dominica in festivitate dictorum martirum predictos punire: congregato parlamento

a) offenderet 1. b) *ita restitui*, et Recuperum Wilielmum 1. 2.

1230. ante ecclesiam sancti Laurentii, et condempnatis malefactoribus supradictis, tanta multitudo dominarum et mulierum civitatis Ianue convenit in ecclesiam et circa ecclesiam sancti Laurentii et ad domum in qua erant incarcerati predicti, quod de ipsa domo non poterant extrahi. Et cum milites domini Spini et octo nobiles et guardatores vellent ipsos malefactores de domo in qua erant extrahere et[a] ad supplicium ducere, mulieres ceperunt proicere lapides et impellere guardatores. Quare dicta potestas hoc audito precepit quod homines a parlamento non irent, et ipse cepit ire ad domum in qua erant predicti, et currendo huc et illuc terrebat mulieres predictas. Et dum curreret, equus transportavit eum, et quando fuit super lapidibus unius ex hostiis dicte ecclesie, cecidit equus sub ipso domino Spino; et sicut Deo placuit, ipse dominus Spinus cadendo sibi crus fregit, et inde fuit in domum in qua morabatur adductus, et medici Ianue ipsum optime ligaverunt. Postea venerunt medici de Mediolano, et cum nondum[b] crus solidatum esset, eum disligarunt, quod multum fuit eidem domino Spino nocivum. Postmodum mense Octubris dum iam quasi liberatus esset de crure, et letus esset et potestaciam civitatis Esyne ylariter recepisset et eam iurasset, et eodem sero letanter cenasset cum familia sua, et de carnibus anseris comedisset, et intrasset cubiculum, occupatus fuit gravi egritudine, ita quod taliter constipatum est guttur eius, quod non poterat excreare sive sputum emittere. Et ita, sicut Domino placuit, quadam die sabbati viam carnis egressus est universe, et sequenti die dominica fuit apud ecclesiam fratrum predicatorum honorifice tumulatus. Ut autem nichil de contingentibus obmittatur, non fuit visum pretermittere, qualiter dum Recuperus de Portu Venere et Wilielmus de Vintimilio ducerentur ad furcas, personas suas Deo et beato Iohanni recommendaverunt; qui ambo dum fuissent suspensi, et dudum suspensi stetissent, interventu beati Iohannis mori non potuerunt in furcis, licet Durantus de Portu Venere et Rubeus de Molinello, qui cum predictis eadem hora suspensi fuerant, iam dudum mortui essent. Quare hoc viso miraculo, unus ex iudicibus domini Spini et unus ex octo nobilibus qui de mandato domini potestatis iverant ad dictorum malefactorum supplicium fieri faciendum, Ianuam festinanter venerunt, et dicte potestati hoc miraculum nunciarunt. Et potestas precepit, quod ambo Ianuam ducerentur, et eadem die celebrato super hoc conscilio, dimissi sunt ambo interventu Dei et beati Iohannis.

Post obitum quidem dicti domini Spini fuit in regimine civitatis Ianue usque ad com-
Febr. 2. plementum ipsius anni, videlicet usque festum purificationis, vir nobilis et providus miles dominus Rodulfus de Villa, qui iudices eosdem et octo nobiles et scribas communis et officiales habuit et retinuit quos dictus dominus Spinus habebat; et civitatem ac cives Ianue interius et exterius in pace ac tranquilitate et bono statu usque in finem sui regiminis conservavit et rexit, et legaliter se habuit ac constanter. Et dominus Ricardus de Villa iudex et curialis miles dictum dominum Rodulfum associavit, et cum ipso stetit laudabiliter et decenter[c].

1231. Anno nativitatis dominice 1231, indictione 3. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et egregius ylaris et curialis miles, dominus Ugolinus Rubeus de Parma, et cum ipso iudices duo, videlicet dominus Guido capitaneus et dominus Tursellinus. Eius milites fuerunt dominus Andreas de Ripalta et dominus Botexanus. Octo nobiles pro introitibus communis recipiendis et expendendis fuerunt Wilielmus Ugonis Embriaci, Rubeus de Volta, Iordanus Richerius, Iohannes Guercius, Symon de Camilla, Fredericus[d] Grillus, Thomas Spinula et Iacobus Picamilium. Consules placitorum Enricus de Bonvicino; in palatio civitatis Bergundius Pugnus de Alba, in palatio de medio Albertus Nocardus, in palatio de burgo consul civium et foritanorum fuit Arthonus e Runcho. Scribe comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartholomeus, adius et Obertus, Vassallus Gallus et Ambrosius.

Ipso quippe anno mense Martio redditum fuit castrum Capriate comuni Ianue, et fuerunt constituti castellani ad custodiam ipsius castri viri nobiles Symon Ventus et Wilielmus Bulboninus. Eodem anno redeuntibus navibus Ianuensibus de partibus ultramarinis mense Iulio, maximum consilium fuit in Ianua celebratum, in quo recitatum fuit, quod dominus imperator miserat mense Februario proxime preterito galeam unam ad partes ultramarinas

a) et ad s. d. *in margine eadem manu suppleta* I. b) nundum I. c) *hinc iterum manus prior parva recurrit* I. d) Fredicus I.

et in ipsa galea miserat litteras suas suo baiulo in ultramarinis partibus constituto, continentes quod ab hominibus Ianue et de districtu drictum cathene acciperet, videlicet decenum, sicut ab aliis hominibus qui exinde privilegiati non erant. Qui baiulus ipsum decenum a Ianuensibus extorquere volebat, secundum quod sibi iniunctum fuerat, set Ianuenses ipsum decenum dare noluerunt, et tantam habuerunt cautelam quod nichil inde solverunt; quia cum Ianuenses in ipsis partibus essent fortes et ius suum vellent defendere, dictus baiulus volens evitare scandalum, cessavit ipsum decenum a Ianuensibus extorquere. Eodem anno cum quidam esset in Yspania qui se Miramamoninum faciebat, et qui apud Murciam et Deniam[42] plures ceperat et detinuerat Ianuenses, quos contumeliose tractaverat et tractabat, et qui Ianuenses ad fidantiam ipsius soldani cause negociandi illuc accesserant; et qui etiam soldanus resistebat Elimermemolim de Marrocho qui Septam tenebat, cui totam terram quam tenebat auferre credebat et dominium optinere sperabat; et qui soldanus direxerat quendam fidelem suum nomine Augustinum cum stolio galearum ad offensionem cuiusdam Caiti sive domini Septe, qui ibi erat pro Elimielmemorim[a], nec non ad offensionem Ianuensium in illis partibus consistentium[b]: comune Ianue recolens iniurias illatas Ianuensibus atque dampna, volens etiam sibi ab iniuriis et gravaminibus et dampnis que ex dicta armatione possent emergere precavere, continuo galeas decem et quinque barchetas armavit, et de omnibus necessariis eas optime premunivit ad reprimendam superbiam Sarraceni predicti. Et die quinta intrante Iunio de portu Ianue omine felici moverunt, Iun. 5. et capitanei sive admirati galearum ipsarum fuerunt viri nobiles et clarissimi[b*] cives Ianue Carbonus Malocellus et Nicholinus Spinula[43]. Et cum ad civitatem Septe applicuissent, valde honorati et decenter recepti fuerunt, et cum Elimermemolino Sybilie pacem honorabilem et conventionem laudabilem firmaverunt. Qui Elimermemolinus in signum pure dilectionis et pacis comuni Ianue bizantios octo miliaria[c] destinavit, et insuper tantam pecuniam unde optimus equus ferratus[d] compararetur et ex parte sua presentaretur comuni Ianue cohopertus optimo panno aureo, et ferratus claponis[44] argenteis. Qui equus sive destrarius emptus fuit et ductus per civitatem Ianue in signum memorie cum claponis argenti et panno aureo cohopertus. Et circa finem mensis Augusti dicte galee reverse sunt Ianue cum leticia et vigore. Ipso quippe anno destinati fuerunt legati duo, videlicet Nichola Embriacus et Guido Policinus, ad partes Romanie in una galea bene armata causa loquendi et firmandi pacem et conventionem cum Vathatio imperatore Romanie, et cum Michaele despoti Commiano; qui legati tempore potestatie predicti domni Ugolini non potuerunt reverti. Item eodem anno missi fuerunt missatici duo, videlicet Enricus Mulazana de Volta et Paganus de Rodulfo, ad soldanum Alexandrie de Egypto causa firmandi pacem et conventionem cum ipso, et iverunt multum honorifice in nave Ingonis Bonifacii de Volta, et cum novercante maris et temporis qualitate transfretare non possent apud Bonifacium, cum navibus aliis que iture erant ad partes Syrie yemarunt. Eodem quippe anno circa medium mensem Septembris dominus imperator Fredericus[e] ordinavit celebrare generalem curiam apud Ravennam[f] in festivitate omnium sanctorum, et misit litteras per diversas partes fidelibus imperii, videlicet rectoribus civitatum et locorum, et aliis viris magnatibus, quod associati, sicut deceret, ad ipsam curiam maturarent. Et receptis proinde litteris a potestate et comuni Ianue, dicta potestas maximum consilium celebravit, in quo legere[g] fecit ipsas litteras, quarum tenor hic erat:

*Fridericus*[h] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Ierusalem et Sycilie rex, potestati totique comuni Ianue fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Dudum per litteras nostras vos fecisse recolimus plenius certiores, qualiter de consilio summi pontificis indiximus primo venturo mense Novembris in festo sanctorum omnium generalem curiam in Ravenna cum rege Alamannie, filio nostro, et universis imperii principibus vita comite sine defectu quolibet celebrandam, desiderio summo zelantes ad honorem Dei et imperialem gratiam, pacem universalem imperii reformare, disponere statum Italie prosperum et tranquillum, sedare*

a) elimielmr. 1. b) coritentium 1. b*) karissimi 1. 2. c) VIII. miliar 1; VIII. miliar 2. d) ferradus 1. ferrandus 2. e) *in margine* 1; II. *alia manu additur.* f) pro mense Novembris venturo *inserit ed.* g) lege 1. h) Fred. *corr.* Frid. 1.

42) Denia in litore Valenciae. 43) postea regni Siciliae ammiratus d. 15. m. Dec. a. 1239. Regest. Friderici apud Carcanum p. 292. W. 44) soleis.

1231. *discidia civitatum intus et extra ferventia, et inter vicinos populos omnem turbinem et odii fomitem amovere. Tempus idoneum esse confidimus, quo vestra et universalium omnium vota piis monitis nostre mansuetudinis debeant convenire, ut tot incumbentibus dissensionum*[a] *malis, que passim et publice civitates et populos in desolationem impellunt, que intestina et plus quam civilia bella movent, finis debitus imponatur. Nos enim cum omni serenitate cordis et corporis ad ipsius celebritatem curie auctores pacis noveritis advenire, pro dispositione status imperii et discensionibus ammovendis cum consilio summi pontificis, assistentia principum, et nostrorum provisione fidelium procedere proponentes. Quapropter universitati vestre sub debito fidelitatis, quo nobis et imperio tenemini, firmiter precipiendo mandamus, quatinus eligatis de comuni vestro viros industrios et peritos, quot et quales videritis expedire, una cum potestate vestra mittendos ad Ravennensem curiam pretaxatam, qui veniant omnium vestrum auctoritate providi consilii moderatione subfulti, qua sufficienter valeant nostris colloquiis et ordinationibus interesse, prudentia et virtute conspicui, ut quod de promotione status imperii et tranquillitate totius Ytalie fuerit per generale colloquium approbatum, pro parte sua et nostra sciant et possint diligenter implere.*

Quibus litteris in dicto consilio lectis, fuit de voluntate consilii, quod potestas ad ipsam curiam cum sex de nobilibus civibus Ianue et cum duobus de iudicibus Ianue et cum uno de suis scribis ad ipsam curiam accederet honorabiliter et decenter. Quare potestas ipsos elegit, et fuerunt infrascripti, Rubeus de Volta, Rubaldus Albericus, Iohannes Guertius, Almerius[b] Panzanus, Tedisius de Flesco, Ansaldus de Mari, Ansaldus de Nigro et Iohannes Spinula. Iudices fuerunt Ugo cancellarius, Wilielmus Pictavinus; scriba fuit magister Bartolomeus. Sed quia Lombardi[c] domno imperatori erant contrarii et inobedientes, non permiserunt principes Alamanniae pertransire nec ad ipsam curiam Ravennam accedere, et suspensa est curia usque prope natale Domini, cum in festo sanctorum omnium propter eorum absentiam celebrari non posset. Et tunc dicta potestas ad domini imperatoris curiam cum predictis accessit. Et in ipsa curia steterunt et fuerunt tam honorifice tam decenter, quod nulla potestas alia nullaque comunitas potestati potuerunt et ambaxatoribus Ianue comparari. Principes vero de Alamannia qui erant in ipsa curia, occulte venerant ad tapinum[45] propter metum et insidias Lombardorum. Quadam vero die in maiori ecclesia Ravenne, que dicitur Sancta Resurrectio, in plena curia ibidem per dominum imperatorem et principes Theotonicos et Latinos sollempniter celebrata, dictus dominus imperator statuit et precepit sub pena fidelitatis et iurisdicionis, quod aliqua civitas sive locus de fidelitate imperii, non eligerent nec reciperent nec retinerent aliquem in rectorem vel potestatem vel in officialem de illa parte Lombardie que contraria erat et rebellis domino imperatori[46]. Quo audito potestas et ambaxatores stupefacti sunt et ad dominum imperatorem accesserunt; et dum excusare vellent comune Ianue, dominus imperator nichil permisit eis dicere, quousque dictum ordinamentum, quod fecerat, exposuit; et circa ipsam materiam verba plurima inductiva et pondus habentia propalavit, et plurima dedit exempla. Finitis vero sermonibus eius dicta potestas de voluntate ambaxatorum surrexit, et sicut melius potuit, comune Ianue excusavit dicens et allegans, qualiter dominus Paganus de Petrasancta electus fuerat circa principium mensis Septembris, antequam alia mentio esset de curia ipsius, et antequam misisset litteras suas comuni Ianue, et antequam insonaret vel rumor aliquis esset, quod exercitum facere vellet, vel aliquo modo procedere contra ipsos Lombardos, et antequam in bannum aliquod posuisset ipsos Lombardos. Quia si comune Ianue intellexisset, quod ea deberent fieri que facta sunt, et quod ipsi domino imperatori debuisset displicere[d] et gravis esse electio que facta fuerat de dicto domino Pagano, nullatenus facta esset; set ex quo facta erat, non posset cum honore et salvamento comunis Ianue retractari, quoniam omnes et singuli Ianuenses tenebantur speciali capitulo et vinculo iuramenti habere et tenere dictum dominum Paganum, ex quo electus erat per illos qui brevia habuerunt et bailiam eligendi, in potestatem et rectorem pro anno venturo; set finito ipso anno comune Ianue non faceret aliquod regimen, quod crederent debere posse displicere[d] ipsi domino impe-

a) disensionem 1. b) A. P. *alio atramento inserta* 1. c) *vocem inserui; lacuna patet* 1. d) dispicere 1.

45) Videtur esse consilium, dum locus ubi celebrabatur tapetibus coopertus erat; quo modo et voces *rota* et *scacarium* pro curia ibi habita usurpari constat. 46) Die scilicet 13. m. Iul. a. 1231 Mantuae Lombardorum societas renovata erat. W.

ratori; allegando etiam, qualiter dicta electio non fuerat facta ad vocem, set ad brevia sive 1231.
sortem. Quare potestas et ambaxiatores supplicabant ipsi domino imperatori, quod sibi grave non esset, si comune Ianuae contra id quod iuraverat non veniret. In reversione quidem quam predicta potestas et ambaxatores fecerant Ianuam a dicta curia, celebravit consilium super his que dominus imperator ordinaverat et preceperat et ore proprio dixerat super predicto negotio. Et cum quidam ex adverso nollent quod mitteretur pro ipsa potestate, maximus tumultus fuit et maximus rumor in civitate Ianue; et quam plures ex illis qui nolebant quod mitteretur pro potestate electa, se armaverunt et amicos suos armari fecerunt, et se congregaverunt quadam die quando celebrabatur consilium ad palacium domini archiepiscopi. Set postquam fuit firmatum per consilium, quod mitteretur pro potestate electa, cessavit rumor et tumultus, et omnia in tranquillo fuerunt; et dictus dominus Ugolinus Rubeus, secundum quod de voluntate fuit consilii, misit personas speciales[a] Mediolanum pro potestate electa ducenda Ianuam. Interea quidam nuncius domini imperatoris venit Ianuam, qui vocatur Iohannes de Regio, et est sive erat de iudicibus curie domini imperatoris, et petiit consilium; et in ipso consilio fecit legi litteras, quas ex parte domini imperatoris presentaverat potestati Ianue. In quibus litteris inter cetera continebatur preceptum et ordinamentum, quod ipse fecerat apud Ravennam super facto potestatum et officialium non habendorum de parte Lonbardorum qui contrarii domino imperatori existunt. Et post recitationem ipsarum litterarum dictus nuncius ex parte domini imperatoris exposuit ordinamentum quod fecit dominus imperator, et multa pulcra verba dixit in ipso consilio; et dictus dominus Ugolinus comune Ianue, sicut melius potuit, excusavit. Qui dominus Ugolinus Rubeus post tempus sui regiminis, pro facto syndicationis stetit in Ianua laudabiliter honorifice ac decenter per dies 15, et a multis de civibus Ianue fuit multipliciter honoratus et associatus honorifice in regressu.

Anno dominice nativitatis 1232, indictione 4. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis 1232.
et magnificus civis Mediolanensis dominus Paganus de Petrasancta, miles facundus dives facieque iucundus, et cum ipso iudices duo providi et discreti, videlicet dominus Matheus de Curte nova et dominus Iohannes de Gallerate. Milites vero sive socii dicte potestatis fuerunt dominus Petrasancta et dominus Albertus de Modoetia. Scribe vero communis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii et magister Bartolomeus, Madius et Obertus de Langasco, Ambrosius et Vassallus Gallus. Octo vero nobiles pro introitibus communis recipiendis et expendendis fuerunt Baalardus de Pallo, Porchetus Streiaporcus, Ansaldus Bolletus, Bonifacius Panzanus, Obertus Aurie, Bonusvassallus[b] Sardena, Grimaldus Grimaldi et Iacobus Guisulfi. Consules placitorum fuerunt in palatio civitatis dominus Thomaxinus de Parvopilo, eius scribe fuerunt Enricus de Bisanne et Phylippus Cintracus; in palatio de medio Paganus de Alba, eius scribe magister Urso et Obertus de Cerreto; in palatio burgi Egidius Turselli, eius scribe fuerunt Ricobonus Coxanus et Iacobus Isembardi; in palatio foritanorum Ardigus de Comitibus, eius scribe fuerunt Nicholosus de Clavaro et Gandulfus de Sexto.

Ipso quidem anno cum dominus imperator intelligeret, quod dominus Paganus de Petrasancta contra suam prohibitionem receptus esset ad regimen civitatis Ianue, misit litteras suas in regnum, quod Ianuenses ubique caperentur in personis et rebus; et sic factum est. Hoc audito fuit maximum consilium celebratum, et de voluntate consilii fuit, quod ambaxatores duo mitterentur ad partes Lonbardie causa inquirendi voluntatem Lonbardorum, et illuc destinati fuerunt Wilielmus Niger Embriacus et Conradus de Castro. Et quia magna quantitas consilii, licet non maior pars, dixerat, quod ambaxatores mitterentur ad dominum imperatorem, dicta potestas ad inductionem quorumdam secreto misit ad dominum imperatorem quendam clericum, videlicet dominum Nicholam Lercarium canonicum Sancte Marie de Vineis, et fuit ei ordinatum, quod in curia domini imperatoris ultra dies octo non staret. Quare nichil fecit in curia domini imperatoris. Et sic tota civitas interius et exterius posita est in maximo turbine et errore, et quidam fovebant partem imperii, et quidam alii volebant confederationem facere cum illa societate Lonbardorum que contraria est et rebellis domino imperatori. Cum autem propter ea que acciderant in regno misse fuissent ad partes Tunesi galee quinque pro custodia et salvamento lignorum et hominum Ianue, in

a) *ita corrigo;* spiritales 1. 2. *ed. vitio librariorum.* b) *fol.* 150 *prima pagina una columna expleta est* 1.

1232. quibus fuit capitaneus Wilielmus Nichole Malloni, et insonuisset in ipsis partibus quod imperator miserat in Acon[a] suo mariscalco, quod omnes Ianuenses qui erant in partibus Tunesi caperentur[b], ipsas galeas et naves duas bene guarnitas ad partes ultramarinas miserunt in subsidium et ad defensionem nostrorum. Et postquam ipse rumor insonuit in Ianua, de voluntate consilii armate fuerunt galee decem et naves due in Ianua, et misse fuerunt ad partes ultramarinas; et earum capitanei sive admirati fuerunt Ansaldus Boletus et Bonifacius Panzanus. Et moverunt predicte galee decem die 11. Augusti, et antequam dicte galee decem ad partes ultramarinas accederent[c], mariscalcus imperatoris et milites sui fuerant discumfiti in campo, et fere omnes mortui atque capti. Qui marescalcus cum paucis militibus fugiendo se reduxit apud Tyrum. Postquam vero nostre galee et naves applicuerunt apud Achcon, habuerunt totum mare in sua virtute, et stolum imperatoris non audebat stare in mari. Rebus autem ita se hinc inde habentibus, dominus imperator suis volens casibus previdere, misit ambaxatores duos Ianuam, quorum unus vocabatur Leo Manzinus et alius Tadeus de Suexa, qui in consilio congregato porrexerunt quasdam litteras ex parte domini imperatoris, quarum tenor hic est:

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Ierusalem et Sycilie rex, consilio totique communi Ianue fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Qualiter fortunato exercitui nostro successerit in partibus transmarinis, quam felicem victoriam prostratis* 47 *hostibus fuerint assecuti*[47], *longe lateque celebris iam fama vulgavit, ut plene gaudere valeant, qui nostris successibus colletantur. Nos autem, qui ad nostri fideles imperii, etsi quando eorum provocemur*[d] *offensa, non obliviscimur misereri, mittimus illuc Manzinum magne curie nostre et Barensium iudicem, et iudicem Tadeum de Suexa fideles nostros, universitati vestre mandantes, quatenus ea que vobis ex parte nostra proponent, indubitanter et firmiter credere debeatis, Data Melfie* 18. *Iulii, quinta indictione*[48].

Porrectis itaque dictis litteris et perlectis, post multas hinc inde verborum effusiones dixerunt, quod si per comune Ianue mitterentur ambaxatores decentes ad dominum imperatorem, qui peterent personas et res Ianuensium detentas in regno, quod dominus imperator ipsos Ianuenses cum rebus suis faceret expediri. Quare fuit de voluntate consilii, quod ambaxatores ad dominum imperatorem propterea mitterentur. Unde fuerunt electi viri nobiles Montanarius de Marino et Picamilius. Qui ambo iverunt, et bene ab imperatore recepti fuerunt; et sicut petierunt, habuerunt litteras ad quascumque partes regni voluerunt mittendas ex parte imperatoris, quod persone Ianuensium et res dimitti et deliberari deberent; et sic Ianuam reversi sunt, et ex parte domini imperatoris comuni Ianue litteras adduxerunt, quarum tenor hic est:

Aug. Sept. *Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Ierusalem et Sycilie rex, consilio totique communi*[e] *Ianue fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Recepit excellentia*[f] *nostra benigne nuncios vestros, quos cum vestris litteris ad nostram presentiam destinastis, et tam ea que coram nobis ex parte vestra proposuerunt oretenus, quam que littere continebant, intelleximus diligenter. Sane licet quedam fuerint attentata per vos, in quibus nostra serenitas vix potuit*[g] *non offendi; nos tamen imperialem mansuetudinem ad subditos nostros exercere volentes, nec dedignantes iustitiam cum clementia moderari, Ianuenses qui custodiebantur in regno nostro, et res eorum que capte fuerant, liberari et restitui iussimus. Ita quod de offensis precedentibus taliter culmini nostro satisfacere studeatis, ut sicut*[h] *commissa preterita per satisfactionem debitam duxeritis redimenda, sic celsitudinem nostram placabilem de bono in melius cum favore gratie sentiatis; scituri nuncios nostros illuc e vestigio accessuros, ut de proposito et benigna intentione nostra potiorem confidentiam assumatis, intendentes maiestati nostre placere per obsequium futurum, quemadmodum et hactenus displicuisse noscimini per offensam: ut si quis predecessorum nostrorum propter vestra servicia vobis recolitur favorabilis extitisse, nos mereamini nedum favorabiles set liberales vestris servitiis persentire; istud pre oculis potissimum habituri, quod maior et favorabilior nostra sequetur benignitas, quam aliquorum potuerit temeritas precessisse. Dat. Fogie* et cetera[49].

a) *in* A. *addit in margine* 1. b) *ita supplevi; vox deest* 1. 2.; expellerentur *ed.* c) *deest* 1. 2. d) prouocetur 1. e) *deest* 1. f) exellentia 1. g) *hinc fol.* 150' *duae iterum columnae incipiunt* 1. h) s. per c. 1.

47) d. 3. m. Maii apud casale Imberti. W. 48) Itaque neque Friderico neque Ianuensibus tunc notum fuisse videtur, mareschalcum imperatoris Richardum Filangerium in insula Cypri apud Nicosiam d. 15. m. Iunii gravissima clade afflictum esse. W. 49) Cum imperator m. Sept. Melfiae et Foggiae moratus sit, tunc fortasse hae litterae scriptae sunt. W.

In eodem quidem anno mense Iunii dum predicta potestas habita inde licentia a con- 1232. Iun. silio pro negotiis suis iret Mediolanum, et secum irent Guarnerius iudex et Lanfrancus filius Grimaldi, et iam essent inter Viqueriam et Papiam, capti fuerunt et detenti per Rollandum Georgium de Papia, et contumeliose tractati. Tamen eos postea dimiserunt abire, nec ipsos ausi sunt diutius detinere. Eodem quidem mense Iunii homines Alexandrie, secuti motum furoris[a] sui, armata manu Capriatam venerunt, et segetes et alia que invenerunt circa Capriatam devastarunt, non contenti de aliis iniuriis factis in negotiis Capriate. Eodem anno Aalix regina Cipri intravit civitatem Ianue[50], et in eadem potestatia mense Ia- 50 nuarii de Ianua recessit. Eodem anno cum Ottobonus Helye in quadam nave veniret Ianuam cum Iacobo Grillo de Campo, et quedam verba secum habuissent, post ipsa verba ita, dum esset in pelago, disparuit, quod nec in nave nec alibi postea potuit inveniri. Quare dictus Iacobus inculpatus fuit et accusatus de morte ipsius Ottoboni; et habitis inde presumptionibus, pronunciatum fuit per dictam potestatem, quod inde se defenderet per duellum. Quare campiones electi fuerunt per partes, et ordinatum est quod pugna fieret in Sarzano; et unus campionum qui defendebat dictum Iacobum, qui vocabatur Pestellus de Cumis, subcubuit et superatus fuit sive victus ab alio campione, qui vocabatur Cacia de Florentia; et sic eadem die dicta potestas fecit decapitari dictum Iacobum in littore Sarzani; et factum fuit dictum duellum die Veneris tercia Decembris. Postea eodem anno die 10. Dec. Decembris Sorleonus Piper et Suzo frater eius ambo vulnerati fuerunt graviter, et inde fuit culpatus Enrigetus Embronus filius quondam Rubaldi Embroni, et propterea forestatus fuit et in bannum positus.[b]

Anno dominice nativitatis 1233, indictione 5. fuit in regimine civitatis Ianue dominus 1233. Pegolottus Ugutionis de Gerardinis de civitate Florentie. Iudices eius fuerunt dominus Altovittus et dominus Bonavia; milites eius dominus Aldibaldus et dominus Ardimannus; octo nobiles pro introitibus communis Ianue recipiendis et expendendis fuerunt Obertus de Volta, Wilielmus Ventus, Ansaldus de Nigro, Lanfrancus Malocellus, Obertus Ususmaris, Enricus Domusculte, Lanfrancus Advocatus et Iacobus Gattusluxius; scribe communis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartholomeus, Madius et Obertus de Langascho, Vassallus Gallus et Ambrosius; consules de iustitia in palatio civitatis Albertus Morescus de Placentia, eius scribe Enricus de Bissanne et Phylippus Cintracus; in palatio de medio Ruffinus de Cavatio de Laude, eius scribe magister Ursso et Obertus; in palatio burgi Gottifredus Storarius, eius scribe Richobonus Coxanus et Iacobus Auricula; in palatio civium et foritanorum Inguiffredus quondam Gonelle de Lucha, eius scribe Nicholaus de Clavaro et Gandulfus de Sexto.

Ipso quippe anno cum gravis discordia esset inter homines civitatis Luchanae, et intestina bella ibi essent, fuerunt illuc missi viri nobiles Symon Ventus et Iohannes Streiaporchus, qui sicut viri providi et discreti tamdiu ibi steterunt, quod ipsos ad tranquillitatem et concordiam deduxerunt. Item eodem anno fuerunt legati duo sive ambaxatores missi ad dominum papam, videlicet Iohannes Piper et Nichola Guisulfi, causa impetrandi privilegium, quod canonici Ianuenses non eligant canonicos nisi de civitate Ianue salva auctoritate domini pape, et inde litteras impetrarunt. Eodem anno Iacobus de Marino missus fuit legatus apud Septam. Eodem anno ambo admirati, videlicet Ansaldus Bolletus et Boniffatius Panzanus, qui anno precedenti tempore domini Pagani de Petrasancta missi fuerant cum stolio galearum decem ad partes ultramarinas, reversi sunt Ianuam. Eodem anno missi fuerunt ambaxatores duo ad ducem Venetie, videlicet dominus Deutesalve de Platealonga et Succius Piper, et magister Bartolomeus scriba cum eis. Eodem anno legati duo, videlicet Enricus de Molazana de Volta et Paganus Rodulfi, qui missi fuerunt tempore domini Ugolini Rubei de Parma ad soldanum Egypti, reversi sunt Ianuam. Eodem anno cum rustici vallis Unelie et rustici de valle Arozie coniurationem fecissent, et suis dominis, videlicet episcopo Albingane et marchionibus de Cravexana[c], inobedientes essent,

a) *bis scriptum* 1. b) *hic* 1½ *columnae patent; deinde alia scriptura minuta sed longiore pergitur* 1. c) *de c. addit alia manus in margine* 1.

50) Quae regina forte filii sui regis Heinrici privilegium d. Famagustae d. 10. m. Iun. a. 1232 Ianuensibus donatum (Lib. iur. I, 899) secum tulit. W.

1233. dictus episcopus et marchiones, videlicet Taliaferrus et domina Mabilia uxor quondam Ottonis de Cravexanna, Ianuam accesserunt, et in tantum per se et suos propinquos et amicos laboraverunt et fecerunt, quod dicta potestas pro communi Ianue conventionem fecit cum Taliaferro, et quod destinati fuerunt in Riperiam pro ipsis negotiis contra rusticos de Iura viri nobiles Conradus de Castro, Wilielmus Ventus et Manuhel Aurie; quibus data fuit potestas procedendi contra ipsos rusticos de Iura secundum quod expedire viderent. Qui homines de Riperia congregaverunt contra rusticos supradictos, et licet non multi essent, duos fecerunt exercitus, et se in duabus partibus diviserunt. Rustici autem de dicta Iura omnes simul iverunt ad unum de dictis exercitibus, cui exercitui preerat Conradus de Castro, et ipsum Conradum et exercitum qui secum erat converterunt in fugam. Postmodum dicti rustici sine dilatione ad alium exercitum, cui preerant Wilielmus Ventus et Manuhel Aurie, accesserunt, et similiter ipsum exercitum converterunt in fugam; et sic dicti rustici accensi spiritu stultitie et furoris, ceperunt expugnare castra de partibus Albingane et quedam alia pertinentia communi Ianue; et quedam ex ipsis castris ceperunt et quedam ex ipsis destruxerunt, et quedam alia loca devastarunt, et de melioribus civibus Ianue Vintimilii et Saone nequiter occiderunt, et die noctuque malefacere non cessarunt usque in finem regiminis potestatis predicte[a].

1234. Anno dominice nativitatis 1234, indictione 6. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis civis Cumarum, dominus Remedius Ruscha. Iudices eius fuerunt dominus Wilielmus de Guillienzono et dominus Anselmus de Porta Monastili; milites eius fuerunt Wilielmus de Viola et Iacobus de Casanova; octo nobiles constituti ad introitus communis recipiendos et expendendos[b] fuerunt Iacobus Mallonus, Wilielmus Sardena, Ginatha Cavarunchus, Ugo de Marino, Manuhel Aurie, Fredericus Grillus, Lanfrancus Spinula et Matheus Zebba; scribe communis Ianue fuerunt Bonusvassallus Caligepalii, magister Bartholomeus[c], Madius et Obertus, Vassallus Gallus et Ambrosius. Consules de iustitia fuerunt: in palatio civitatis Ianue Iohannes Amiglerius de Placentia, eius scribe Enricus de Bissanne et Filippus Cintracus; in palatio de medio Rambertinus de Tebaldis de Bononia, eius scribe magister Ursso et Obertus; in palatio burgi Ubertinus de Pegoloto, eius scribe Richobonus Coxanus et Iacobus Issembardi; in palatio civium et foritanorum Guiffredus de Laude, eius scribe Nicholaus de Clavaro et Gandulfus de Sexto.

Ipso quippe anno cum dominus Pegolotus potestas anni preteriti fuisset condempnatus per Ugonem Ferrarium, Andream de Carmadino, Obertum Aurie et Rubaldum Anivignum syndicatores communis in quandam peccunie quantitatem, et eam solvere nollet, propterea quia dicebat ipsam pecuniam devenisse in commune, et quod eam reddere non debebat, fuit ei prohibitum ne de Ianua recederet, quousque ipsam condempnationem solutam haberet. Et ideo venerunt Ianuam ambaxatores Florentie et de Bononia, et etiam dominus Otto de Mandello de Mediolano causa petendi gratiam de dicta condempnatione; et cum non possent ipsam gratiam consequi nec habere, quidam ex nobilibus Ianue, qui se obligaverant pro dicto domino Pegoloto, ipsam quantitatem solverunt pro ipso; et sic dictus dominus Pegolotus recessit. Cum igitur rustici de valle Unelie et Arozie et de Iura, ipsorum malefacere et iniuriari communi Ianue non cessarent, immo ad instigationem Bergondii Pugni potestatis eorum de die in diem accenderentur in peius; et castrum Petrelate inferioris cepissent, et castrum Rivernate similiter, et alia plurima mala hominibus districtus Ianue inferrent in personis et rebus: placuit generali conscilio quod exercitus[d] fieret contra eos, nisi usque ad certum terminum venissent ad mandatum communis Ianue. Et quia venire ad terminum noluerunt, dominus Remedius Ruscha Ianuensis potestas auctoritate generalis conscilii, dato primitus vexillo mastro[e] Sancti Georgii viro nobili Iohanni Stralerie, et datis quibusdam aliis vexillis militum et peditum hominibus per compagnas in ecclesia
Mai. 28. sancti Laurentii in publico parlamento, quadam die dominica 28. Madii cum iudice suo domno Anselmo et cum ambobus suis militibus et suis servientibus, et cum aliquibus de nobilibus civibus Ianue, facta pulsatione campanarum in ecclesia sancti Laurentii, in modum
51 stremite[51] viriliter movit et exivit de Ianua, et apud Albinganam exercitum expectavit. Et

a) *columna una vacat* 1. b) extorquendos 1. 2. c) barthelomeus 1. d) exercitū 1. e) *ita* 1. *recte, id est principali*; magno 2. magistratus *ed.*
51) i. q. stormus, Sturm, bellum.

die sabbati tercia Iunii in arena Albingane fecit maximum parllamentum, et dedit vexillum 1234. militum quattuor compagnarum deversus civitatem viro nobili Petro Vento, et aliud vexillum militum quattuor compagnarum viro nobili Tedisio de Flissco. Et sequenti die potestas et totus exercitus inde moverunt, et per terram et mare iverunt ad plagjam Unelie et Portus Mauritii, et ibidem fixerunt temptoria. Et postea inde feliciter et viriliter moverunt, et iverunt usque ante castrum Bestagni; et statim ceperunt satis inprovide expugnare antequam manducarent ipsum castrum; et antequam balistarii illuc venissent vel parati essent; et sic quam plures ex nostris ibi de lapidibus et quarellis[52] vulnerati fuerunt. Et Oliverius Arnal- 52 dus ibidem pugnando interfectus fuit. Et cum machine nondum facte essent nec alia necessaria ad expugnandum dictum castrum, et homines ibi magagnarentur[53], potestas divisit prelium. Et die sequenti fecit fieri guastum et grates in maxima quantitate. Unde homines qui erant in ipso castro Bestagni, videntes quod se tueri[a] non poterant, venerunt ad mandatum communis Ianue, et postea omnes alii rustici de Iura, qui erant in Aquarono et in Scortegabecho et in aliis locis utriusque vallis, scilicet vallis Unelie et vallis Arozie, venerunt ad mandatum communis Ianue. Postea potestas auctoritate conscilii munivit castrum Bestagni et castrum Aquaroni et Scortegabechi, et constituit potestatem Enricum Rubeum de Volta in Unelia et in tota ipsa valle Unelie, et fecit muniri in valle Arozie castrum Teuchi, et postea Ianuam reversus est cum magna gloria et triumpho.

Eodem quippe anno in festivitate sancti Bartholomei apostoli insonuerunt rumores de partibus Septe, quod Calcurini cruce signati cum maximo exercitu venerunt ad obsidionem Septe causa capiendi locum ipsum et homines. Ianuenses vero qui erant in partibus ipsis cum multis navibus et cum maxima quantitate bizantiorum mercium atque rerum, timore commoti sunt. Timebant enim amissionem personarum et rerum, si terra ipsa caperetur per predictos Calcurinos. Item timebant pugnare contra christianos cruce signatos. Set quia ipsi Calcurini iam ceperant apud Cadesum[54] et in strictu[55] quasdam naves Ianuensium et quosdam ex hominibus Ianue, videlicet Wilielmum de Nigrono et Balduinum Spionum, Ianuenses qui erant apud Septam munierunt 10 de maioribus et melioribus navibus causa eundi eis obviam. Set ipsi Calcurini bona verba habuerunt, et reddederunt dictum Wilielmum de Nigrono et alios Ianuenses quos habebant; et sic Ianuenses stabant ab una parte; et tandem ipsi Calcurini se posuerunt supra ventum, et posuerunt ignem in una parva navi veteri quam habebant et quam ceperant, et eam impellebant super navibus et lignis Ianuensium, ut eas comburerent. Nostri autem videntes quod ab igne non poterant se tueri, dimittentes res et omnia que habebant in Septa, et dimittentes etiam quam plures Ianuenses qui erant in Septa, venerunt Malicam[56] cum ipsis navibus decem. Calcurini vero ceperunt quemdem buzium navem honustum, paratum venire Ianuam, et alia ligna que erant in ipsis partibus igne cremarunt. Ianuenses vero de dictis navibus decem apud Malicam conscilium celebrarunt, et fuit de conscilio et voluntate ipsorum munire bene duas naves, et in eis remiserunt homines 600 bene munitos Septam ad deffenssionem ipsius terre et rerum. Que due naves applicuerunt apud Gumeriam, loco ubi dicitur Tarffonoli. Et exinde ipsi homines iverunt Septam per terram. Quattuor vero ex dictis navibus decem venerunt Ianuam, et alie et predicte due naves iverunt Tunesim. Dominus vero Remedius Ianue potestas, receptis litteris a soldano Septe quod mitteretur sibi succursus, et ipse faceret medictatem expensarum et etiam amplius ad voluntatem potestatis et communis Ianue, auctoritate conscilii misit illuc galeas 18 et illas quattuor naves ex dictis navibus 10, que Ianuam venerant causa portandi victualia et cetera necessaria ipsis navibus et galeis. Primitus iverunt galee quattuor, quibus constitutus fuit capitaneus dominus Lanfrancus Spinula, postea iverunt galee decem, quibus constitutus fuit capitaneus vir nobilis Ottobonus de Camilla. Postea vero iverunt alie galee quattuor cum dictis quattuor navibus, quibus constitutus fuit capitaneus Ingo Boniffatii de Volta; et venditi fuerunt denarii 12 usque annos 10 in qualibet mina salis pro libris 18[b] milibus, causa furniendi[57] expensas predictarum navium et galearum. Cum autem dicti admirati sive capitanei

a) *hic in imo margine manu alia quae infra annales a. 1267 et 1268 scripsit legitur:* Nota quod hoc anno vel precedenti mense Decembris potestas Ianue fecit plura precepta et ordinamenta in homines vallis Unelie, prout continetur in cartulario magistri Bartholomei, et de hiis non reperitur aliquid in registro, et tamen . . . . . . . . . . *reliqua abscisa sunt* 1. *In libro iurium T. I. et II. nihil quod huc pertineat reperitur.* b) ·XVIII· causa 1; ·XVIII· causa 2.

52) telis. 53) graviter vulnerarentur. 54) Gades. 55) freto Gaditano. 56) Malaga. 57) furnire, *fournir*.

1234. instarent et peterent a soldano Septe expensas quas promiserat, et restitutionem dampnorum que passi fuerant et eis data fuerant per Calcurinos: dictus soldanus timens potentiam Ianuensium, misit per barbaros; et cum quasi tota civitas Septe plena esset ipsis barbaris, quidam ex galeotis galearum devenerunt ad rixam cum quibusdam Sarracenis, et sic omnes clamaverunt ad arma. Et fuit prelium inceptum, et cucurrerunt Sarraceni ad fondicos, et posuerunt ignem in ipsis fundicis et domibus, et sic quam plures hinc inde mortui sunt et interfecti, et maxima quantitas rerum Ianuensium combusta est et deperdita[a].

1235. Anno dominice nativitatis 1235, indictione 7. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et magnificus civis Bononiensis Petrus de Andalo. Eius iudices fuerunt dominus Merchadantus et dominus Iacobinus de Tebaldis. Milites vero eius fuerunt dominus Petrus de Guerreto et dominus Wilielmus. Octo vero nobiles constituti ad introitus communis Ianue recipiendos et expendendos fuerunt Iohannes Zakarias[b], Rubaldus Albericus, Conradus Porcellus, Iohannes Guercius, Obertus de Nigro, Wilielmus Baraterius, Nicholosus Grimaldi et Petrus Fallamonacha. Scribe vero communis Ianue fuerunt Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartholomeus, Madius et Obertus de Langascho, Ambrosius et Vassallus Gallus.

Ipso quippe anno cum soldanus Septe nuntios sive ambaxatores communis Ianue et Ianuenses qui erant apud Septam detineret in verbis, et eos diu duxisset et ducerét per ambages, destinatus fuit illuc pro communi Ianue messaticus videlicet dominus Carbonus Malocellus, qui sicut vir providus et discretus, constitutus pluries coram dicto soldano Septe, secundum formam sibi datam bene ac sapienter proposuit et processit; et cum videret et perciperet, quod ipse soldanus nichil vel quasi nichil facere vellet de his que facere promiserat et debebat, de voluntate aliorum admiratorum et capitaneorum et conscilii Ianuensium qui erant in ipsis partibus Septe, in sancto die Veneris dictum soldanum et homines suos viva voce viriliter diffidavit, et facta diffidatione, ipse et alii Ianuenses qui erant in terra, se in navibus et lignis Ianuensium colligerunt cum aliis, qui quasi omnes prescii dicte diffidationis que fieri debebat per dictum Carbonum, iam se recolligerant. Dictus autem Carbonus dum ab aliis admiratis auctoritate conscilii Ianuensium qui erant apud Septam, destinatus fuisset in Sybiliam causa accipiendi et soldeandi milites et ducendi eos ad obsidionem Septe, sicut altissimo Domino placuit, de hac vita migravit.

Auditis autem rumoribus, qualiter nostri stabant et erant in obsidione Septe, misse ibi fuerunt galee quattuor bene armate in succursum nostrorum Ianuensium qui erant apud Septam, et omnia pro quibus miserunt, exceptis militibus eis de Ianua per commune Ianue missa fuerunt. Set si milites missi fuissent, Ianuenses qui erant in exercitu in terra, viriliter cum ipsis militibus descendissent, et civitatem Septe obsedissent per terram, et eam secundum quod ab omnibus videbatur, cepissent; sed quia milites eis non fuerunt transmissi, construxerunt trabucchos duos in navibus duabus, et tenentes ipsam civitatem ad obsidionem per mare cum navibus magnis septuaginta et cum aliis navibus parvis triginta et cum galeis viginti et cum multis aliis lignis minutis, die noctuque cum trabucchis et aliis machinis ipsam civitatem expugnare non cessarunt. Postea vero in fine ivit Sucius Piper messaticus pro communi Ianue, et iuxta formam tractatus quem portavit de Ianua fuit electus alius capitaneus, videlicet Ugo Lercarius; qui ambo remanere debebant cum galeis decem et quadam navium quantitate, si concordium decens et honorabile fieri non posset. Tamen concordium cum honore maximo communis Ianue factum est, et sic omnes capitanei excepto domno Carbono cum omnibus galeis et quibusdam ex navibus Ianuam sunt reversi,
Dec. 13. et die Iovis 13. Decembris ad portum Ianue feliciter applicarunt. Quedam vero ex navibus remanserunt apud Septam, et quedam aliae Tunesym et ad quasdam alias mundi partes diversas iverunt. Eodem anno factum fuit duellum in campo Sarzani, et unus ipsorum campionum qui vocabatur Oliverius, dum subtus staret prostratus viriliter ab alio campione et conculcatus teneretur et videretur devictus, sicut Domino placuit obtinuit, et campionem alium, qui erat desuper eum, strangulavit et interfecit iuxta illud Catonis exemplum:

*Victorem a victo superari sepe videmus.*

Eodem quippe anno[c] mense Decembris navis quedam magna Nichole Cigale et sociorum,

a) *spatium unius columnae vacat; tum pergitur* 1. b) *socer Lenfranchi Spinulae addit ed.* c) *in margine navis flammis exusta depicta est* 1.

que venerat de ultra mare honusta bombecio, et que nondum tota erat exhonerata; per malam custodiam guardatorum dicte navis accensa fuit igne et combusta; tamen de bombecio quod erat in ipsa nave, maxima quantitas recuperata fuit. Ipso quidem anno electus fuit messaticus vir nobilis Wilielmus de Nigrono ad eundum pro communi Ianue ad regem Tunesys causa faciendi conventionem cum ipso rege; et movit de Ianua et ipsum iter arripuit, tamen novercante maris et temporis qualitate, navis in qua ipse ibat non potuit transfretare, set reversa est ad portum Dulfinum, et dictus messaticus reversus est Ianuam. In fine autem dicti regiminis die ultima Ianuarii vera crux reddita fuit per Ingonem de Grimaldo, qui eam acceperat a dicta potestate, in virtutem domini Ottonis Ianuensis archiepiscopi et capituli ecclesie Ianuensis, et inde sunt instrumenta [a]. 1235.

Anno nativitatis Domini 1236, indictione 8. fuit in regimine civitatis Ianuensis vir nobilis et magnificus civis Mediolanensis dominus Iacobus de Tertiago; eius iudices Durantus de Marliate et Wilielmus de Grogonzola; eius milites Gamba de Mazate et Enricus de Tertiago. Octo nobiles fuerunt Wilielmus Niger Embriacus, Ingo Bonifacii de Volta, Obertus de Cruce, Iacobus Malocellus, Gavinus Aurie, Lanfrancus de Mari, Nicolaus Spinula et Picamilius. Scribe comunis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii et magister Bartholomeus, Madius, Obertus Vassallus et Ambrosius. Ipso quippe anno Sorleonus Piper fuit legatus missus pro comuni Ianue ad soldanum Septe, et eodem anno reversus est ab ipsa legatione. Eodem anno dominus Fredericus Romanorum imperator, Ierusalem et Sicilie rex, cum quadam quantitate militum Teotonicorum per civitatem et partes Verone venit, et multos burgos et multa loca de districtu Mantue destruxit; et veniens versus Cremonam, habuit Marchariam et Mosum sine aliquo prelio, quia illi qui tunc tenebant Marchariam, ipsam in virtutem domini imperatoris dederunt, et sicut dicitur et fama erat, a domino imperatore proinde magnam quantitatem pecunie habuerunt. Mediolanenses vero et Brixani et alii Lombardi de societate ipsorum viriliter iverunt contra exercitum imperatoris, et stabant in campo in territorio Brixie. Cremonenses vero et alii de parte sua iverunt obviam imperatori; set quia aqua Lolii erat in medio, non poterant ire nec se coniungere imperatori, nec imperator ad eos. Tandem Cremonenses de nocte per quemdam pontem occulte sine strepitu ultra dictam aquam iverunt, et imperator cum exercitu suo se cum ipsis coniunxit; et pro hominibus Brixie remansit, quod prelium factum non fuit. Et sic imperator cum exercitu suo venit ad partes Cremone, intendens ire Papiam. Set Placentini, qui semper in arduis articulis et negociis providentiam habuerunt, ad suggestionem domini Iacobi Prenestini episcopi apostolice sedis legati, de invio sunt ad viam, de odio ad amorem, de discordia et dissensione ad concordiam et unionem deducti; et reiectis Conrado Malaspina eorum potestate, et expulsis quibusdam ex civibus Placentie, qui sue non erant civitatis neque patrie amatores, per prudentiam et circomspectionem domini Raineríi Zini potestatis eorum, pro sua et societatis Lombardorum libertate se murum et clipeum opponere tempore tanti discriminis nullatenus timuerunt. Mediolanenses vero et ceteri de societate ipsorum apud civitatem Laudi et apud Placentiam et in campis castra metati sunt et fixerunt temptoria, causa prohibendi ne dominus imperator eundi Papiam suum desiderium sive propositum adimpleret. Interea Azolinus de Romano, qui remanserat cum quadam quantitate militum in Marchia, tractavit proditionem Vicentie civitatis, et misit domino imperatori, quod illuc cum omni festinantia maturaret. Qui dominus imperator cum in partibus Placentie nichil posset proficere, nec se vellet periculis objectare, versus Vicentiam coepit dirigere gressus suos, gaudens quod habuerat versus Alamaniam materiam reddeundi. Et cum appropinquasset Vicentiam, partes que erant in civitate, sicut pertractatum fuerat, preliari ceperunt, et introductus est exercitus imperatoris in ipsam civitatem, et sic capta est ipsa civitas et destructa. Qualiter autem mulieres ipsius civitatis virgines et vidue, coniugate nobiles et populares, pertractate fuerunt, non expedit propter tanti facinoris turpitudinem enarrare. Quo peracto dictus dominus imperator facta permissione dicto Azolino de reddeundo ad certum terminum in Lombardiam, in Alamaniam est reversus. Ipso quippe anno homines Mantue occulte quadam nocte ad dictum locum Marcharie, qui locus erat bene munitus de hominibus Cremone et Parme, accesserunt, et

1236. Aug. 16. Nov. 1.

a) *dimidia columna vacat* I.

1236. dum custodes dormirent, ceperunt expugnare ipsum locum, et ipsum et homines qui erant in ipso loco ceperunt, et multos ex eis occiderunt, et alios captos duxerunt Mantuam, et ipsum locum munierunt. Ipso quidem anno moneta Ianue ita fuit falsata, quod aliquis ipsos denarios nolebat recipere, et quandoque ita bene repudiabantur boni sicut falsi. Set per curam et sollicitudinem domini Iacobi de Terciago potestatis falsa moneta fuit brevi tempore suffocata destructa pariter et incisa, et multi propterea graviter puniti fuerunt. Eodem anno Conradus de Castro reversus est a legatione, quam pro comuni Ianue fecerat ad regem Tunesis[a. 58].

1237. Anno dominice nativitatis 1237, indictione 9. fuit in regimine civitatis Ianue dominus Oldratus Grossus de Trexeno, Laudensis, et cum eo iudices duo, dominus Iacobus Altacima, qui semper fuit ejus assessor, et dominus Iacobinus de Limihi ad malefitia audienda, qui dominus Iacobinus repentina infirmitate gravatus decessit; et dicta potestas alium iudicem videlicet dominum Baxianum de Boldonis habuit super facto malefitiorum. Milites vero potestatis fuerunt dominus Antonius et dominus Raymundus, qui Raymundus propter infirmitatem sui corporis recessit de Ianua; et dicta potestas habuit et tenuit loco eius dominum Albertum. Scribe communis fuerunt Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartholomeus, Vassallus Gallus et Ambrosius, Madius et Obertus de Langascho. Octo nobiles constituti ad expendendos et recipiendos introitus communis Ianue fuerunt infra scripti, Obertus Ferrarius, Iohannes Streiaporchus, Ugo Fornarius, Almerius Panzanus, Enricus de Nigro, Enricus Baraterius, Luchetus Grimaldi et Rainaldus Cebba.

Ipso quidem anno venerunt Terdonenses et in eorum servitium milites Papie ad Arquatam, et ipsum locum rehedifficaverunt de lignamine et fossatis; quo audito dicta potestas auctoritate conscilii ivit ultra Iugum; et exercitus de Ianua et districtu cepit eum insequi, tarde tamen. Et quando magna pars exercitus fuit apud Vultabium, potestas celebravit conscilium, et de voluntate conscilii fuit ire versus Terdonenses; et se attendavit potestas prope exercitum inimicorum per unum miliarium, ita quod ambo exercitus se videbant. Et dum ibi per plures dies starent, Papienses et Terdonenses se levaverunt de campo, et postmodum potestas auctoritate conscilii incastellavit Montem Gavilionum, infortiando ipsum locum melius quam antea infortiatus esset, et ipsum bene munivit de armis et victualibus, et balisteriis et servientibus et de capitaneis, et Ianuam reversus est ipse et totus exercitus Ianue.

Ipso quidem anno dominus Thebaldus comes de Monfort venit Ianuam, et ivit Romam, et per Ianuam ivit et redivit, et in Ianua recepit plurima servitia et honores. Ipso quidem anno perdurante guerra inter dominum imperatorem et Lombardos, dominus imperator Fredericus
Sept. ineunte. de Alemania venit in Lombardiam cum quadam quantitate militum non multum magna, et cum amicis quos habebat in Lombardia et in Marchia et Tuscia, intravit hostiliter terram Mantue, et devastando extrinseca ipsius civitatis, ipsam habuit civitatem. Et postea intra-
Oct. 22. vit terram et districtum Brixie, et cepit Montem Clarum et alia plura castra et loca usque prope civitatem Brixie. Quo audito Mediolanenses cum suo exfortio et amicitia illuc iverunt, et fixerunt temptoria prope exercitum domini imperatoris per miliaria quattuor; et cum ipsi Mediolanenses male sibi caverent et pluribus de suis dedissent licentiam de exer-
Nov. 27. citu recedendi, dominus imperator eos invaxit[b], et inito prelio triumphavit, et cepit carrocium et potestatem Mediolani, et quam plures de maioribus et melioribus civibus Mediolani, et de Vercellis, Novarie, Alexandrie et aliis civitatibus atque locis qui erant cum Mediolanensibus, capti fuerunt et detempti, et etiam vulnerati et mortui in ipso prelio. Post-
Dec. modum venit Cremonam, et hoc fuit mense Novembris. Et circa medium mensem Decembris homines de Laude reddiderunt sibi se et civitatem Laudensem, et dictus dominus imperator ipsam civitatem feliciter et sine aliqua pugna intravit. Ipso quidem anno messaticus regis Tunesys venit Ianuam in una galea armata de Sarracenis. Ipso quidem anno facto conscilio de regimine civitatis Ianue, quinque ex electoribus elegerunt pro anno venturo dominum Paulum de Surexina civem Mediolanensem in potestatem Ianue, et unus ex

a) *columna vacat* 1. b) *i. e.* invasit.

58) Tractatum tunc conclusum d. 10. Iunii in decem annos, fundamentum posteriorum, v. in Bibliothèque de l'école des chartes IV, 3. a. 1857. p. 440 sqq.

electoribus noluit consentire ipsi electioni; et exinde crevit discessio[a] inter cives Ianue, 1237. quia quidam dicebant, quod electio non tenebat; et ad dictam potestatem accesserunt dicentes, quod deberet cognosci, utrum de iure posset esse potestas vel non, et quod non mitteret potestati electo nuntium aliquem neque litteras, quousque cognitum esset et diffinitum, utrum teneret dicta electio vel non. Tamen potestas misit nuntium et litteras potestati electo, secundum quod consuetum erat aliis potestatibus mitti. Quare dicti cives fecerunt congregationem magnam, in qua congregatione fuit magna quantitas nobilium civium Ianue. Et quia non videbatur eis, quod potestas in hoc casu vellet eos audire de iure, neque capitula observare, ceperunt dicere quod non credebant se teneri potestati, ex quo potestas, sicut dicebant, non observabat capitula nec eis volebat facere rationem; et iuraverunt, ut dicebatur, quod non haberent neque tenerent dictam potestatem electam pro potestate, nisi primitus cognitum esset et diffinitum per sapientes, in quibus non esset aliquis de iudicibus domini Oldrati, nec ipse dominus Oldratus. Et sic fuit et crevit magna contentio et discordia in civitate Ianue, ita quod omnes viri magnates de civitate Ianue tenebant servientes, et fere omnes ibant armati, et habebant turres munitas. Et dum quadam die dictus dominus Oldratus vellet accipere, immo accepisset quandam turrim dealbatam Baalardi de Pallo, positam prope domum in qua morabatur potestas, insonuit rumor maximus, et per totam civitatem ceperunt clamare ad arma; et inceptum fuit prelium ante ipsam turrim et sub porticu ipsius turris et in ipsa contrata, in quo prelio fuerunt plures vulnerati et unus mortuus; et in sero cives qui hinc inde bellabant ibi, fecerunt treuguam usque ad sequens mane. Et postea de die in diem duravit, et producta fuit ipsa treugua, quousque per dominum archiepiscopum et per iudices et sapientes, clericos et laicos divini et humani iuris, fuit visis capitulis determinatum et diffinitum, utrum dicta potestas electa deberet esse potestas. Et data fuit inde sententia per dominum archiepiscopum, et sic fuerunt omnia in tranquillo, et missi fuerunt nuntii ad ducendam personam domini Pauli de Surexina. Ipso quippe anno fuit discordia inter Spinulas et viros nobiles filios quondam Malocelli, et data fuerunt confinia utrique parti. Et eodem anno facta fuit pax et concordia inter eos de plana voluntate utriusque partis. Eodem anno incepta est guerra et discordia inter Obertum de Cruce ex una parte et Boniffatium Ligaporcum et Iacobum eius fratrem ex altera, occasione vulneris facti in persona dicti Boniffatii, et data fuerunt confinia utrique parti. Eodem anno quodam sero Petrinus Ventus filius quondam Thome Venti, pulcher iuvenis et discretus, in sua contrata pro dolor vulneratus fuit mortaliter et occulte, et eadem nocte mortuus est; de cuius morte propter bonitatem ipsius iuvenis omnes doluerunt, parvi et magni. Cuius occasione eodem anno Paschalis Olearius et Pecullus et Otto Nigrinus, qui de morte ipsius Petrini culpabantur, dum essent in carceribus communis, in una ex turribus de porta Vaccharum occisi fuerunt et capitibus privati[b].

Anno dominice nativitatis 1238, indictione 10. fuit in regimine civitatis Ianue dominus 1238. Paulus de Surexina civis Mediolani, et cum eo iudices duo, videlicet dominus Grimerius Rondana pro eius assessore, et dominus Girardus de Sarturano ad maleficia audienda. Milites eius fuerunt dominus Petrus de Savina et dominus Rainerius de Surexina. Scribe communis fuerunt sex, Bonusvassallus Caligepallii, magister Bartholomeus, Madius, Obertus de Langascho, Vassallus Gallus et Ambroxius. Octo nobiles communis fuerunt Ottobonus Mallonus, Lanfrancus Bachimus, Iohannes Margionus, Andreas de Carmadino, Ottobonus de Camilla, Nicholosus Herodis de Mari, Obertus Advocatus et Nichola Guisulfi de Campo.

Ipso quidem anno Saonenses conceptam iniquitatem in publicum deducentes contra iuramentum quod fecerant se communi Ianue rebellarunt, et conversi sunt in arcum perversum; et die Lune post pascha quinta Aprilis occupaverunt castrum quod commune Ianue fieri fecerat in Saona, ubi erant pro castellanis Balduinus Mulferrius et Petrus Gontardus, et Ansaldus Soldanus Mallonus erat potestas Saone; et omnes exinde depulsi fuerunt. Albinganenses consequenter illud idem fecerunt, quorum potestas erat Enricus de Carmadino. Homines de portu Mauritii illud idem fecerunt, quorum potestas erat Baalardus de Pallo, qui tunc erat infirmus in Ianua. Consequenter homines Vintimilii fecerunt similiter, tamen Bonifatius Embriacus, sicut vir providus et discretus, se reduxit cum scribis et familia sua

a) *ita c. loco* dissensio. b) *una columna vacat* 1.

1238. in castrum Roche Vintimilii, et signifficavit communi Ianue negotium sicut erat. Unde commune Ianue celeriter armavit galeas quattuordecim, et eas ad partes Vintimilii destinavit[a]. Set proditores Vintimilii de versus mare in cavernis sub rupe[b] cum trabibus[c] et machinis taliter se opposuerant armati de balistis et arcubus et de ceteris armaturis et guarnimentis, quod Ianuenses non poterant in terram descendere, nec illis qui erant in castro dare subsidium vel iuvamen. Et cum pluries temptassent descendere, procedere non valebant, set vulnerati et compulsi vix recolligebantur in galeis et lignis. Et Iohannes Ususmaris fuit ibidem viriliter pugnando a proditoribus interfectus. Tandem Ianuenses se maluerunt mortis periculis obiectare, quam cum confusione reverti, et quam derelinquere

Mai. 21. illos qui se deffendebant in castro. Unde quadam die Veneris 21. Madii, invocato nomine Iesu Christi, per scalas galearum descenderunt in scopulis et in terram, et quidam filius Recuperi de Boiasco cum quodam vexillo currendo per quemdam tramitem satis strictum, asscendit usque in supercilium montis, et quidam alii ex Ianuensibus viri bellicosi ipsum postea sunt secuti. Quod quidem videntes illi Vintimilienses qui erant in rupe et in cavernis, in fugam conversi sunt et se ad civitatem Vintimiliensem reduxerunt. In littore tamen Taravagia et plures alii ex Vintimiliensibus fuerunt occisi. Postmodum Vintimilienses timore commoti, quidam ex ipsis civitatem Vintimilii aufugerunt[d], et quidam venerunt sine aliquo intellecto eis dato ad mandatum communis, et in quadam galea Ianuam fuerunt transmissi manibus posterga ligatis, et in festivitate pentecostem portum Ianue intraverunt. Et eadem die factum fuit parlamentum, et Wilielmus Saonensis[e], qui totius proditionis extiterat fons et auctor, fuit condempnatus ad mortem, et eadem die suspensus in furchis in capite farii[f].

Cum autem homines Albingane castellanos et homines, qui erant pro communi Ianue in insula Gallinaria, de ipsa insula expulissent, et ipsam insulam de victualibus et armis et hominibus et ceteris necessariis munivissent, munitis tamen castro et civitate Vintimilii, galee predicte ad ipsam insulam accesserunt cum quadam navi, quarum galearum et navis fuerunt capitanei Fulcho Guercius et Rubeus de Turcha. Et trabucus unus bastitus fuit in ipsa navi; et cum ad obsidionem ipsius insule diutius extitissent, et non eis videretur quod possent proficere, decreverunt personas periculis obiectare. Unde ab omni parte ipsius insule ceperunt ipsam insulam viriliter expugnare. Et cum homines Albingane non possent ab omni parte succurrere, succubuerunt et capti fuerunt pariter et devicti, et ad civitatem Ianue ducti manibus posterga ligatis, et carceribus mancipati. Et munita bene dicta insula

Aug. 14. capta in vigilia assumptionis beate Marie, die sabbati 14. Augusti Ianuam reversi sunt cum triumpho. Ipso quippe anno in quadam nocte unius diei Iovis 5. Augusti Saonenses occulte accesserunt ad quamdam galeam guardie, cuius erat capitaneus Bonavia de Portu Venere; et dum dormirent et se inprovide custodirent, tracta est ad terram apud Vadum, et a Saonensibus capta cum hominibus pariter et retempta. In eodem anno legati quattuor, videlicet Conradus de Castro, Rubeus de Volta, Lanfrancus Malocellus et Enricus Domusculte, ante recuperationem civitatis Vintimilii et insule de Albingana fuerunt ad dominum imperatorem transmissi, cum quibus sive statim post eos dominus imperator misit duos ambaxatores Ianuam, videlicet Detesalve Botum et quemdam alium de Apulia. Qui in pleno conscilio civitatis Ianue postulaverunt a communi Ianue sacramentum fidelitatis; et responsum fuit eis, quod ad dominum imperatorem mitterentur ambaxatores, qui pro communi Ianue exinde responderent taliter, quod ad honorem domini imperatoris et bonum statum communis Ianue pertineret; et sic recesserunt dicti ambaxatores domini imperatoris. Et postea post captionem et recuperationem Vintimilii missi fuerunt pro predictis quattuor legati ad dominum imperatorem, videlicet Amicus Streiaporchus, Nicholaus de Nigro, Fredericus Grillus et Piccamilius de Campo; et facto iuramento fidelitatis eidem imperatori pro communi Ianue, sicut eis iniunctum fuerat, reversi sunt Ianuam. Et confestim post eos venerunt ambaxatores duo domini imperatoris Ianuam, qui in pleno conscilio petierunt ex parte domini imperatoris sacramentum fidelitatis, et fecerunt legi litteras

a) d. s. p. V. *desunt.* b) castri Roche *alia manu in margine* 1. c) trabis 1. d) Nam quasi omnes homines de Vintimilio recesserunt et se posuerunt in loco qui dicitur Portiiola prope civitatem Vintimilii per miliaria duo guerram facientes hominibus Ianue semper. Ianuenses vero munierunt civitatem Vintimilii de hominibus ad soldos, et guerram continue faciebant hominibus Vintimilii qui se recolexerunt in dicto loco Portiiole ut dictum est. *alia manu anni* 1267. 1268. *addita in margine* 1. e) civis Vintimilii *additur a. m.* 1. f) Seduxerat enim homines Vintimilii dicendo, se sompniasse quod ipse ponebat insigniam comunis Vintimilii in caplte faris[59], et sic necessarium erat quod in brevi tempore faceret. *manu anni* 1267. 1268. *addita in margine* 1.

59) *i. e. fari.*

quasdam, in quibus continebatur quod dominus imperator eos mittebat ad petendum et 1238. recipiendum sacramentum fidelitatis et hominium[60]. Et in ipsum conscilium venerunt quam plures ex civibus Ianue, inter quos pro se et aliis dixit Fulcho Guercius quod non erat conveniens, ut tam magnum et tam arduum negotium deberet terminari per conscilium campane et sex homines per compagnam, et quod volebant interesse ipsi conscilio, et volebant quod tota communitas Ianue hoc scire deberet. Quare potestas iuxta voluntatem suam licentiavit conscilium, de quo ambaxatores domini imperatoris, qui intererant consilio, plurimum doluerunt. Postmodum dicta potestas celebravit maximum parlamentum in ecclesia sancti Laurentii, et fecit legi litteras missas a domino imperatore, in quibus continebatur quod dominus imperator petebat iuramentum fidelitatis et hominii; et proposuit quedam verba et tetigit, qualiter dominus imperator tractaverat et tractabat homines de regno, et alios omnes qui sub ipso erant. Unde populus ex verbo hominii et ex verbis potestatis multum commotus est ob imperatorem; et licentiato conscilio fecit muniri campanile sancti Laurentii et portale ipsius ecclesie, et turres Serravallis et Iohannis Streiaporci, Iohannis de Volta et Pagani de Rodulfo et Wilielmi Guercii, et turres porte sancti Andree; et sic tenendo forticias suum regimen pacifice et feliciter terminavit; et assumptus fuit pro anno sequenti in Alexandrie potestatem. Ipso quidem anno dominus imperator cum Aug. 3. maximo exercitu intravit in territorium et districtum Brixie, et loca que erant extra ipsam civitatem vastavit, et per plures menses stetit prope ipsam civitatem in eius obsidione cum machinis et trabuchis; tamen cum eam non posset capere, exinde cum exercitu suo re- Oct. cessit; et ipso anno nil mali aliud fecit in partibus Lombardie.

Eodem anno missi fuerunt ad mandatum domini pape viri nobiles Wilielmus Niger Embriacus et Petrus Ventus ad dominum papam in galea una bene armata pro concordia et unione facienda et firmanda cum ambaxatoribus et nuntiis ducis et communis Veneciarum; et hinc inde per dictos nuntios et ambaxatores in domini pape presentia facta est ipsa concordia et firmata. Et dominus papa recepit civitatem et cives Ianue in sua et beatorum Petri et Pauli apostolorum protectione; et ad preces communis Ianue subtraxit ecclesiam Nauli episcopo Saone, et citavit episcopum Albingane pro malo portamento quod ipse fecerat de communi Ianue in negotiis Riperie, ad curiam suam; et scripsit etiam domino Ugoni Magiscole[a], quod Ianuenses non traherentur in causis ad loca suspecta arbitrio ipsius domini Magiscole[b].

Anno dominice nativitatis 1239, indictione 11. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobi- 1239. lis Filippus Vicedominus de Placentia, et cum eo iudices duo quos secum duxit, unus quorum videlicet dominus Iacobus de Englescho stetit iuxta potestatem, et alius videlicet dominus Iohannes de Malamena ad audiendum causas malefitiorum. Milites vero potestatis fuerunt dominus Antolinus Molinarius et dominus Iacobus Viccecomes. Octo nobiles communis fuerunt Wilielmus Ugonis Embriaci, Amicus Streiaporchus, Iohannes de Volta, Fulcho Guercius, Iohannes Ususmaris, Iohannes Navarrus, Lanfrancus Pignolus et Piper Peilavicinus. Scribe autem communis fuerunt magister Urso, Richobonus Coxannus, Madius, Obertus de Langascho, Vassallus Gallus et Ambrosius.

In ipso anno ad indictionem Wilielmi de Sancto Laurentio et Petri de Guercio nunciorum domini pape, et litterarum eiusdem summi pontificis, destinati fuerunt ad Romanam curiam ambaxatores duo pro comuni Ianue, videlicet Iacobus Malocellus et Sucius Piper, unus quorum videlicet Sucius Piper pro negociis comunis Ianuam reversus est, et loco eius missus fuit vir nobilisUgo Lercarius, qui stetit in curia Romana cum dicto Iacobo, qui ambo diu steterunt in curia predicta Venetiarum nuntios expectando, et tandem Ianuam reversi sunt. Et cum ipsis venit dominus Berardus domini pape notarius; et tractatis hinc inde que fuerunt pertractanda, missi fuerunt cum ipso domino Berardo ad summum pontificem ambaxatores duo, videlicet Iohannes Embriacus et Guillelmus Ususmaris[c. 61]. Eodem anno

a) magistro scholarum *hic et infra ed.* b) *dimidia columna vacat* 1. c) qui societatem fecerunt cum domno papa nomine ecclesie Romane et cum Venetis, prout plenius continetur in Registro comunis Ianue in folio CCX. XII. XIII. XIIII. *manu a.* 1267. *in margine addita* 1.

60) Huillard-Bréholles V, 205. W. 61) Foedus initum est d. 29. m. Iul. a. 1239. inter papam et Venetos et Ianuenses, ut regnum Siculum expugnarent. Libr. iur. I, 980. Quod Ianuae iuratum est d. 11. m. Oct. Ibid. p. 983. 984. W.

1239. cum Saonenses et Albinganenses cum marchionibus et hominibus marchionum, et cum hominibus de Aquis et de Alba, venissent ad partes Varagini, milites Ianue viriliter iverunt sive equitarunt Varaginum, et ibi per plures dies honorifice et viriliter steterunt; et inimici de ipsis partibus aufugerunt. Postea eodem anno iverunt milites Ianue ad partes Albizole; et cum illi qui erant in castro ipso, se et ipsum castrum reddere nollent comuni Ianue, dicti milites Ianue sunt reversi; et postea de consensu eorum qui erant in dicto castro illuc missus fuit unus ex octo nobilibus, videlicet Iohannes Ususmaris, qui castrum ipsum pro comuni Ianue habuit et munivit, et Ianuam reversus est.

Eodem anno Fulcho Guercius cum galeis 13 et lignis aliis destinatus fuit in Riperiam, qui sagaciter castrum Servii bene munivit. Item homines Diani et homines Unelie et Bestagni fecerunt voluntatem eiusdem Fulchonis, et de ipsis locis duxit Ianuam plures obsides de melioribus potentioribus et dicioribus ipsorum locorum. Postea ivit ad portum Mauricium, et cum se reddere nollent comuni Ianue nec ipsi Fulchoni volenti eos recipere ad mandatum comunis, in terram descendit, et terras et quedam edifficia ipsius loci devastavit, quosdam interfecit et mortaliter vulneravit. Postmodum ivit ad partes Vinctimilii ubi dicitur Sanctus Ampelius, ubi homines Vinctimilii, proditores comunis Ianue, se reduxerant, et ibi fuit magnum prelium, in quo plures fuerunt hinc inde vulnerati mortaliter et occisi. Tandem dictus Fulcho et Ianuenses qui secum erant prevaluerunt in bello, et destruxerunt turrem Sancti Ampelii, et domos et receptacula forestatorum Vinctimilii, et eorum terras destruxerunt et devastarunt; quedam ex galeis remanserunt in guardia, et alie Ianuam sunt reverse. Eodem anno Bonusvassallus Ususmaris, qui fuerat missus ad Vathacium Romanie, Ianuam reversus est; et quidam Grecus legatus dicti Vathacii venit secum, cum quo Greco venit Iohannes Guercius causa associandi ipsum. Et hoc fecit de domini imperatoris mandato, sicut dicebat; qui Grecus tandem post multa verba hinc inde interposita,
Iun. 3. complere non potuit quod volebat, et ita recessit. Eodem anno die Veneris tercia mensis Iunii intrantis parum post meridiem, cum tempus esset serenum et clarum, obscuratus est sol, et facta est nox per spatium cuiusdam temporis, et non erat aliquis qui recordaretur aliquo tempore consimile quid vidisse, nec tantam obscuritatem in die, nec etiam que tanto tempore perduraret. Unde quam plurimi stupefacti fuerunt et conterriti de visione tam mira. Et quia carmina melius memorie commendantur quam prosa, proinde noveris versus esse compositos infrascriptos:

*Annus erat Domini millesimus atque ducenta*[a],
*Quattuor et quinque, iunge triginta simul;*
*Tercia lux Iunii metibus doloribus orbem*
*Involvit, gemuit territus omnis homo.*
*Non fuit hoc mirum; periit lux clara diei,*
*Est radius solis visus et ipse mori.*
*In nonis horis misit Deus ista timoris*
*Signa, potest signo quisque timere novo.*
*Sidera quid poscant, quid nobis signa minentur,*
*Tempore pandetur per nova signa brevi.*

Eodem anno dominus Iacobus episcopus Prenestinus cardinalis, apostolice sedis legatus venit Ianuam, et de Ianua ivit ad partes ultramontanas, et sicut a domino papa habuerat in mandatis respectu comunis Ianue, et ex summa gratia, ecclesiam Nauli episcopavit et eam univit ecclesie Bruniatis, existente episcopo domino Guillelmo canonico Ianue; et sic de burgo Nauli fecit civitatem, unde versus:

*Urbs meruit dici mutato nomine vici.*

Oct. 31. Ipso quippe anno in vigilia omnium sanctorum post vesperum dominus Otto Ianuensis archiepiscopus bone memorie de hac vita migravit, et sequenti die fuit corpus eius honorabiliter tumulatum prope altare beate Marie. Et congregatis abbatibus et prelatis per capitulum Ianuense, electi fuerunt electores duo de capitulo, videlicet dominus magister Hugo prepositus et presbiter Rollandus, et unus de omnibus aliis, videlicet abbas Sancti Syri, fuit electus per alios prelatos salvo iure capituli. Qui omnes tres dominum magistrum Iohannem de Cucurno tunc archidiaconum Ianuensem in archiepiscopum Ianue concorditer elegerunt, et ipsam electionem ante altare sancti Laurentii coram multis clericis et laicis promulgarunt,

a) CC° 1.

1239. et statim omnes ceperunt alta voce canere *Te Deum laudamus.* Qui postquam die sequenti consensit, galeam unam optime fecit armari, in qua ivit Romam, et cum eo ad eius petitionem missi fuerunt ambaxatores duo pro comuni Ianue in servicium dicti archiepiscopi, videlicet Ottobonus Mallonus et Nichola Guisulfi. Et postquam pervenit Romam, prima die fuit examinatus, secunda consecratus, et tertia fuit gratiam pallei consecutus, quod quidem fuit magnum ab omnibus reputatum; tamen respectu comunis Ianue summus pontifex gratiam talem fecit. Eodem anno plurima matrimonia sive sponsalia contracta fuerunt secrete in civitate Ianue inter tales personas, que inter se habere credebantur et consueverant odium potius quam amorem; videlicet filius sive nepos Sorleonis Piperis accepit filiam Percivalis Aurie, filius quondam Symonis Venti filiam Frederici Grilli, filius Iohannis Spinule filiam Wilielmi Venti, et plura alia matrimonia facta fuerunt. Quare maxima pars bonorum hominum civitatis Ianue in admirationem et timorem deducta est. Unde dicta potestas fecit claudi pusternas [62] muri civitatis Ianue, et posuit custodes plures in montibus et in aliis partibus, ubi videbatur expedire; quia dicebatur, quod quidam nobiles et potentes cives Ianue volebant facere venire homines et servientes in civitate Ianue causa infortiandi se, et ut possent resistere et rebelles esse potestati predicte et comuni Ianue. Et etiam littere fuerunt invente, continentes quod Papienses et Terdonenses qui fovebant partem Frederici dicti imperatoris venirent in eorum auxilium et quod caperent terras et loca communis Ianue extra civitatem, et quod predicti nobiles infra civitatem bene erant fortes, et cetera que in ipsis litteris continentur. Que littere postquam lecte fuerunt in secreto consilio, omnes ipsi consiliarii tam amici et propinqui ipsorum duorum qui dicebantur ipsas misisse litteras, licet ipsi hoc inficiarentur, quam alii stupefacti sunt perterriti et commoti. Et ceperunt quam plures ex eis blasfemare tam neffandum opus et inherere communi Ianue et potestati predicte; et tunc facta ipsorum civium multa diminuta fuerunt. Et dicta potestas ut fortior esset, commune elegit duos capitaneos populi et communis Ianue, unum de quattuor compagnis de versus civitatem, videlicet Fulchonem Guercium, et alium de aliis quattuor compagnis de versus burgum, videlicet Rubeum de Turcha; quorum quilibet teneret servientes viginti quinque, et quilibet ipsorum haberet pro salario suo et servientum libras 600 Ianuinorum [a]. Quadam vero nocte dum quidam ex hominibus Wilielmi Spinule venirent Ianuam armati, et guardie que erant in monte eos venire non permitterent, vulneraverunt quosdam ex ipsis hominibus qui erant in guardia. Unde magnus rumor fuit in civitate Ianue, et omnes cucurrerunt ad arma; et potestas fecit maximum parlamentum et misit pro Wilielmo Spinula, et pro Sorleone Pipere, Suzio Pipere, Ansaldo Embrono, Raymundo de Volta, Bulbonino et quibusdam aliis, ut venirent ad mandatum suum et comunis Ianue; et noluerunt venire, et multum duravit ipsum parlamentum fere per totam diem. Unde potestas eos condempnavit; et sequenti die potestas fecit devastari domum et locum Raimundi de Volta apud Pavaranum, et misit ad faciendum fieri guastum aliis rebellibus. Item fecit fieri parlamentum maximum, in quo dato bono intellectu per quosdam nobiles qui fovebant potestatem, Raymundus de Volta, Wilielmus Spinula, Ansaldus Embronus, Wilielmus Ventus, Bulboninus, Surleonus Piper, Sucius Piper et plures alii venerunt ad mandatum potestatis, et iuraverunt mandata potestatis Ianue in omnibus et per omnia. Postmodum dicta potestas ad instantiam domini Petri de Guercino et Bonaventure, nuntiorum domini pape qui venerunt Ianuam cum domino Iohanne Ianuensi archiepiscopo, et etiam ad petitionem eiusdem domini archiepiscopi, remisit banna data predictis civibus Ianue et condempnationes quas fecerat contra eos. Et sic omnia in pace fuerunt; tamen dicta potestas nichilominus munivit et parari fecit de lignamine turrem que est in muro civitatis Ianue prope domum Wilielmi Spinule, et turres alias muri civitatis, et fecit compleri machinas sive gattas in ecclesia sancti Laurentii; et tempus sui regiminis paciffice terminavit [b].

1240. Anno [c] dominice nativitatis 1240. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et strenuus dominus Anricus de Modoetia civis Mediolanensis; qui pro sociis et militibus habuit Lantelmum Medicum et Amicionem de Canavesi, cives Mediolani. Iudices autem fuerunt dominus Arnoldus de Modoecia, qui superstitit ad maleficia audienda, et dominus Ubertinus de Niguarda, qui exstitit iuxta eum Octo vero nobiles pro comuni Ianue fuerunt Ansaldus Mallonus Soldanus, Iacobus Albericus, Obertus de Cruce, Enricus Malocellus, Enricus de

a) Ian 1. b) *duae columnae vacant* 1. c) *hinc littera duplo maior incipit* 1. 62) i. q. posterulas.

1240. Nigro, Bonusvassallus Sardena, Lanfrancus de Grimaldo et Iacobus Gatusluxius. Scribe comunis fuerunt Symon Spaderius, Wilielmus de Varagine, Madius scriba, Obertus de Langascho, Vassallus Gallus et Iacobus Papia. Consules de iustitia placitorum de versus civitatem fuerunt Egydius Baiamundi de Brixia; medianorum, videlicet civitatis et burgi, Armannus Antelminelli de Luccha; de versus burgum Aleramus Lavandanus de Placentia; civium et foritanorum Phylippus Cyrimellus de Alexandria.

Eodem namque anno dominus Gregorius de Romagnia, venerabilis apostolice sedis legatus, Ianuam venit pro maximis et arduis Romane ecclesie et fautorum eiusdem negotiis; ibique facta predicatione de facto crucis suscipiende contra inimicos et rebelles sacrosancte ecclesie, remissionem omnium peccatorum omnibus crucem assumentibus, tamquam transeuntibus ultra mare ad recuperationem terre sancte, auctoritate apostolica condonavit et in eadem civitate permansit per menses. Ipso quoque anno facta obsidione per dominum Gregorium de Monte Longo sedis apostolice legatum, et alios coadiutores ecclesie, videlicet Mediolanenses Placentinos Brixienses et Bononienses, et maxime Venetos, contra civitatem Ferrariensem per plures menses, tandem eam viriliter occuparunt.

Ipso autem anno dominus ........ Hierosolimitanus patriarcha, pro quo associando nobilis vir Wilielmus Niger Embriacus cum galea una apud Romam perrexerat, Ianue civitatem feliciter accessit, et apud hospitale sancti Iohannis per menses plurimos est moratus. Eodem anno mense ..... perfidi Alexandrini obmissa Dei reverentia et Romane ecclesie, spreto etiam iuramento quod fecerant societatis Lombardorum ecclesie fidelium, mandata Manfredi marchionis Lancie vicarii Frederici dicti imperatoris temere iuraverunt, ipsum quoque in regimine civitatis eiusdem voluntarie procreantes. Item eodem anno die terciadecima intrantis Septembris modicum post campanam in Susilia parum infra ab ecclesia sancte Marie Magdalene usque macellum ipso comprehenso ignis magnus accensus fuit, cuius quoque accensione circa domos 30 concremate et dirupte fuerunt. Eodem quoque anno celebrata fuit conventio inter comune Ianue et comune Mediolani et Placentie et iuramento cuiuslibet civitatum dictarum ab annis 17 usque in 70 amicabiliter confirmata. Eodem similiter anno tota fere Riperia de versus ponentem, que rebellis extiterat comuni Ianue, ad mandata comunis Ianue venit sua propria voluntate, exceptis impiis proditoribus Saonensibus et Albinganensibus, qui in sua temeritate et pravitate consistunt. Eodem
Aug. namque anno Fredericus dictus imperator mense ...... ad obsidionem Faventie civitatis accessit cum immenso exercitu tam Sarracenorum quam christianorum; in quo quidem exercitu multi de Tuxia[63] Lombardia Apulia Teutonia sive Alamania et de marchia Trivisiana et Guamerii[a] et aliis diversis partibus affuere. In qua obsidione ab omni latere eiusdem civitatis facta, permansit per menses[b] .... faciendo ibi construi domos et quam plurimas mansiones. Eodem quippe anno mense Novembris dictus Manfredus marchio Lancea cum maximo exercitu in obsidione castri Petre, quod castrum comuni Ianue Symon Albinganensis episcopus reddiderat, se opposuit circumquaque, et illud expugnando cum bricola[64] trabuchis et aliis machinis per plures dies circumstetit. Ad munitionem et defensionem cuius erant nobilis vir dominus Lantelmus Medicus miles potestatis, et Iacobus Gatuslusius, et in galeis Rubeus de Turcha et Marinus de Marino. Ad quam etiam obsidionem Iacobus marchio de Carreto cum hominibus suis de Finario, spreto iuramento et conventione, quo comuni Ianue tenebatur, in subsidium dicti marchionis Lancie accedere minime formidavit. Quo audito, potestas Ianue de tam nefanda et inaudita malitia consilium celebravit more solito congregatum per campanam et cornu; cuius namque auctoritate consilii eundem Iacobum de Carreto et homines suos de Finario et aliunde, die quinto mensis Decembris fecit publice voce preconia tam personis quam rebus sollempniter diffidari. Postmodum
Dec. 11. vero die Martis 11. Decembris dictus potestas de Ianua movit, et apud Varaginem cum exercitu castra metatus est viriliter et potenter. Milites autem Placentie qui Ianuae venerant, sunt ipsam potestatem secuti. Die autem dominico, qui fuit 16. ipsius mensis, quidam ex nostro exercitu tam mari quam terra usque ad civitatem infidelium Saonensium accedentes, montem qui appellatur Septem-montes, situm supra Saonam, qui munitus erat ex multis hominibus longas lanceas habentibus, viriliter preliantes, fugarunt eosdem, et quam plurimis ex ipsis inimicis mortaliter vulneratis, montem illum cum victoria occuparunt. Aliis quidem de nostro exercitu, qui in lignis per mare perrexerant, in litore maris civitatis

a) *ita* l. *an* Guarnerii? b) *supple* octo. 63) i. e. Tuscia. 64) ballistae genus.

eiusdem magnanime[a] descendentibus, ipsam civitatem fortiter preliarunt; quibusdam etiam 1240. ex militibus ipsorum Saonensium in terra prostratis, in lignis in quibus ibi accesserant ascendentes, cum victoria ad nostrum exercitum sunt reversi. Die vero sabbati 8. eiusdem Dec. 8. mensis triginta milites Placentini, quorum superius facta est mentio, civitatem Ianue intraverunt; et postea, die enim Lune 17. Decembris, milites 70 de Mediolano civitatem Ianue intraverunt pro servitio ipsius comunis; qui vero die Mercurii 19. Decembris de Ianua exeuntes, in exercitu comunis Ianue apud Varaginem properarunt. Die vero Iovis 15. Nov. 15. Novembris venit nuntius potestati Ianue et comuni, quod Ubertus marchio Pillavicinus, qui est vicarius sive capitaneus Frederici dicti imperatoris in partibus Lunexane, ingressus fuerat cum magno exercitu terram comunis Ianue, et quod occupaverat castrum sive villam Rivalte et Laccum et Cazanam atque Bozolum. Eodem vero die idem potestas celebrato consilio per campanam et cornu fecit contionem, in qua precepit et statuit sub pena librarum 25 pro pedite, et librarum 50 pro quolibet milite, quod quilibet sequeretur eumdem cum armis ad propulsandum et effugandum iam dictum Ubertum Peilavicinum viriliter et potenter. Die vero dominico 18. Novembris circa tertiam movit potestas de Ianua pro eundo Nov. 18. faciente Domino in exercitum contra Ubertum Pelavicinum predictum, cum triumpho et victoria reversurus Die autem Lune tercia Decembris dicta potestas, munitis castris et locis comunis Dec. 3. Ianue, cum dictus Ubertus Pelavicinus de partibus illis cum exercitu suo vilissime aufugisset, timens ne de commissis penitentiam maximam substineret, Ianuam cum exercitu feliciter 1241. remeavit. Die autem dominico 20. Ianuarii dominus Lantelmus miles potestatis, et dominus Ian. 20. Fulcho Guercius et dominus Rubeus de Turcha capitanei civitatis Ianue cum parte militie Ianue et cum militibus Mediolani et Placentie et quadam quantitate peditum et balistariorum Ianuensium ingredientes viriliter terram dictorum infidelium Saonensium, eam devastaverunt incisione et dissipatione vinearum et arborum et domorum non modica atque igne[b].

Anno[c] dominice nativitatis 1241, indictione 13. in festo sancti Blasii tercia die mensis 1241. Februarii fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis dominus Guillielmus Surdus civis Placentie, et cum eo iudices duo, videlicet Gandulfus de Casali qui stetit iuxta eum, et Guirardus Spalla ad audienda maleficia deputatus. Milites vero eius fuerunt Iacobus de Roca et Ansaldus Lavandarius. Octo pro comuni fuerunt Iohannes Ebriacus, qui ipso anno decessit, Guillielmus Busca, Blasius Castagna, Lanfrancus de Mari, qui ipso anno decessit, Guillielmus Lercarius, Enricus Domusculte, Matheus Pignolus et Lanfrancus Cibo. Scribe autem comunis fuerunt Symon Spaerius, Guillielmus Cavagnus de Varagine, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Iacobus Papia. Consules placitorum fuerunt in palatio civitatis Guirardus Cagapistus de Mediolano, in palatio de medio Graciade[d] Brixiensis, in palatio foritanorum Guillielmus de Monticello Bobiensis, in palatio burgi Guillielmus Panzonus Bononiensis. Scribe autem ipsorum consulum fuerunt hii, qui anno precedenti extiterunt.

Ipso quidem anno multi infelices successus civitati, sicut Deo placuit, contingerunt. Dum esset Fredericus dictus imperator in obsidione civitatis Faencie, inter ipsum et comune Febr. Ianue discordia existente, erant in civitate Ianue milites Mediolanenses 70 et Placentini milites 30; et milites Ianue cum ipsis militibus et hominibus potestatiarum Bisannis Vulturis et Pulcifere, et cum balistariis civitatis Ianue predicto mense Februarii equitarunt in vastum rebellium Sagonensium; et tota die vastitantes a ponte Lavagnolie, qui est prope Sagonam, usque Vadum, domos et molendina, vineas, arbores et cetera domestica igne subposuerunt gladio et ruinis, et nocte illa iacuerunt in Vado. Die crastina mane de Vado redeuntes versus Sagonam usque ad portas civitatis similiter vastitantes, Sagonenses cum quibusdam militibus Teothonicis et Alexandrinis qui erant ibi, foras prope civitatem exiverunt. Nostri autem milites et pedites agressi viriliter contra ipsos, fugarunt eos usque ad portas civitatis Sagone, et duos ex ipsis ceperunt Guascum Gloriam de Sagona et quendam militem de Vercellis. Sagonenses autem valde perterriti, portas civitatis clauserunt; et quidam ex ipsis qui metu fuge civitatem introire nequiverunt, montem ascenderunt qui dicitur Monticellus; quos cum nostri viderent, contra ipsos agressi, fugarunt eos usque ad portam Sagone que est in Monticello, quam et ipsi Sagonenses clauserunt. Ipsa die, que fuit in carnisprivio, nostri venerunt apud Varaginem hospitari; et die crastina prima quadragesime reversi sunt Ianuam cum honore.

a) magnanimē 1. b) *reliqua paginae et tota pagina 158' vacat* 1. c) *alia manu et atramento pergitur* 1. d) *i. e.* gracia Dei.

1241. In eodem quidem anno mense Februarii cum dominus Gregorius de Romania apostolice sedis legatus, galeas simul et taridas 30 in civitate Ianue faceret preparari pro prelatis et principibus ecclesie conducendis ad concilium, quod dominus Gregorius[a] summus pontifex in Romana curia fieri statuerat: dictus imperator undique subditis eius mandavit, et statuit impedire dictum passagium prelatorum[65]. Mandavit quidem Ansaldo de Mari, qui erat in Ianua, ut iret ad ipsum, quia mortuo Nicolino Spinula admirato suo[66], ipsum constituerat regni Sicilie admiratum. Idem Ansaldus, omnibus pretermissis, quam secrecius potuit ivit ad imperatorem, et collatum admiragie beneficium suscepit ab eo. Paratis autem[b] et munitis galeis et taridis predictis, ut irent apud Niciam et levarent principes barones et prelatos ecclesie, qui illuc venerant cum cardinalibus domino Iacobo Penestrine, et domino Ottone Mart. de Thoenengo, venerunt mense Martii ad civitatem Ianue ambaxatores Pisarum, et exposuerunt in consilio, rogantes comune Ianue ex parte comunis Pisarum, ne prelatos et principes ecclesie ad concilium portarent; dicentes quod habebant in mandatis a domino suo imperatore ipsum passagium impedire pro posse, nec poterant domini sui mandatum pretermittere. Quibus diligenter fuit responsum, quod comune Ianue toto tempore Romanam ecclesiam honoravit, et ipsi ecclesie tamquam matri servivit, et in defensione libertatis ecclesiae et fidei christiane comune Ianue servire proposuit, et promisit prelatos principes et barones et alios fideles ecclesie pro posse ad Romanam curiam conducere, et mandatum domini pape servare volebat. Tunc constitutus fuit ipsarum galearum et taridarum admiratus pro comuni Ianue Iacobus Malocellus, et mense predicto Marcii de portu Ianue cum dicto legato euntes apud Niciam pro prelatis et aliis principibus ecclesie Ianuam adducendis[c], ambaxatores Pisarum habita responsione de Ianua recesserunt. Cumque dicte galee et taride applicuissent Nicie, quam plures ex principibus ecclesie et prelatis excusationes interponentes, quod dicte galee et taride sufficientes non erant pro ipsis, repatriarunt et procuratores loco ipsorum ad Romanam curiam mandare statuerunt. Alii vero principes et prelati qui venerant Niciam, cum cardinalibus ascenderunt galeas et taridas cum equis et rebus eorum, et Ianuam venerunt mense Aprilis octo diebus post festum pasce resurrectionis Domini; et cum ipsis venit in quadam galea bene armata et sagitea una Romeus de Villanova, domini comitis Raymondi Belengarii[d] Provincie baiulus, quem ipse comes ad concilium destinabat, et descendentibus in civitatem honorabiliter recepti fuerunt in palatio domini archiepiscopi et aliis ecclesiis et hospiciis decentibus hospitati; et morantibus in civitate per plures dies, venerunt in civitatem ambaxatores Mediolani Placentie et Brixie, et alii multi episcopi abbates et ecclesiarum rectores, qui ad concilium profecturi erant; et nova sonuerunt, quod galee 16 armate dicti imperatoris venerant Civitatem vetulam[67], et alie quam plures veniebant post ipsas; et Pisani galeas et alia ligna ipsorum, sicut melius poterant, armaverunt ut rexisterent[e] passagio prelatorum.

Tunc dimissis quibusdam ex taridis, armate fuerant galee simul et taride 27. Que cum armate essent et parate in procinctu itineris, fautores dicti imperatoris circumquaque minantes ut concilium impedirent, super terram Ianue exercitum[f] commoverunt; et illi Ianuenses qui partem ipsius imperatoris in civitate fovebant, publice minabantur stridentes dentibus in comune. Obertus marchio Pelavicinus vicarius in Lurexana a parte orientis, et Marinus de Ebulis vicarius in Lombardia a parte occidentis et ultra Iugum super terram comunis Ianue hostiliter intraverunt. Nichilo tamen minus prefati navigii stolus potentissime parabatur, et ad confusionem terreni exercitus inimicorum comune Ianue viriliter insurgebat. Res ita se habens, placuit omnipotenti Deo, in cuius servitio civitas Ianue intendebat, ipsam civitatem suam visitare, et sua misericordia gubernare. Fuerunt in quodam pane cereo littere dicti imperatoris invente et sigilli ipsius munimine insignite, quas suis fautoribus in Ianua transmittebat[g] [68]. Quarum tenor talis est:

Mart. 25. *Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, Frederico Grilli et Iohanni Streiaporco capitaneis fidelium suorum Ianuensium, fidelibus suis, gratiam suam[h] et bonam voluntatem. Grata est in conspectu nostro fidei vestre constancia*

a) VIIII. *alia manu additur* 1. b) *post additum* 1. c) aducendis 1. d) R. B. *in marg. manu saeculi XIII. exeuntis* 1. e) *i. e.* resisterent. f) *in marg. alia manu insertum* 1. g) transmutabat 1. h) et suam 1.

65) V. Martene Coll. II, 1146 et 1138. W. 66) De cuius morte habemus litteras consolatorias Friderici ad fratrem Lanfrancum Spinolam scriptas apud Martene Coll. ampl. II, 1178. W. 67) Civitavecchia. 68) quarum copia praesto est etiam in Libro iur. I, 999. W.

*quam ad nos et imperium vos habere ipsa opera dilucide protestantur. Ut autem de felicibus* 1241. *excellencie nostre successibus gaudere possitis, per presentes vos volumus esse certos, quod undique nobis per gratiam Regis regum cuncta cedunt ad votum*[a]. *Nam Faventini ad ultimam impotentiam adeo sunt deducti, tum rerum defectu tum crebris bellatorum nostrorum insultibus fatigati, quod de Faventie deditione*[b] *firmam et celerem fiduciam optinemus. Premisimus autem in Lombardiam Enricum dilectum filium nostrum illustrem regem Turitanum*[c] *et Gallure et sacri imperii legatum in Italia generalem, ut exercitum nostrorum fidelium copiosum faciat preparari, quod optenta Faventia ad depopulationem Bononiensium et subsequenter aliorum rebellium procedamus. Dedimus quoque per litteras nostras Marino de Ebulis sacri imperii a Papia superius vicario et fideli nostro firmiter in mandatis, ut ipse cum fidelibus nostris et imperii de iurisdictione sua faciat Ianuensibus, qui rebelles sunt imperii, vivam guerram. Uberto etiam marchioni Pelavicino*[d] *vicario in Lunesana et partibus convicinis fideli nostro de facienda guerra ex hac parte mandatum fecimus speciale. Nichilominus autem felix et victoriosum stolum nostrum per mare ad coartationem Ianue iam*[e] *fecimus preparari pro depressione infidelium qui sunt ibi, et pro vestro ac fidelium omnium incremento. Vos igitur de bono in melius de nostris serviciis studeatis. Nam de inpensis et impendendis obsequiis retributione condigna vos curabimus compensare. Noveritis insuper quod ea que Ansaldus de Mari regni Sicilie amiratus fidelis noster nobis ex parte vestra retulit, intelleximus diligenter. Et super his que nobis dixit circa confusionem rebellium, priusquam ipse venisset, firmiter proposueramus magnificencius et alcius procedere quam propositum fuerit per eundem, et iam pro maiori parte ad effectum operum est processum. Data in obsidione Faventie* 25. *Marcii,* 14. *indictione.*

Cumque tam ipsarum litterarum indicatu quam aliis manifestis indiciis quam plures ex magnatibus Ianue, qui patriam defendebant ad servicium sancte Romane ecclesie, tractati essent ad mortem, iverunt coram potestate supplicantes et consulentes ei, ne ipsas litteras in patulo revelaret, usquedum prelati et alii principes ecclesie cum galeis de Ianua separati essent, ne forte oriretur scandalum, quod ipsorum passagium impediret. Quorum consilio decrevit potestas ipsas litteras secretas tenere, nec eas usque ad separationem dictarum galearum in patulo revelare. Audientibus autem illis Ianuensibus qui partem dicti imperatoris fovebant, de inventione dictarum litterarum, maxime timuerunt, et quoscumque servientes habere poterant capiebant, domos et turres eorum celatim quam melius poterant muniebant. Quo audito a potestate, mandavit quosdam servientes et executores suos, ut caperent quemdam Florentinum, Maynetum nomine, qui in favorem dictorum contra comune Ianue alios Florentinos et servientes per civitatem querebat; quem dum cepissent et ad potestatem ducerent, Rubeus de Volta per vim abstulit dictum Maynetum de manibus servientum et executorum. Cuius facti potestas et populus Ianue ad iram commoti, nolentes tante presumptionis audatiam tollerare, mandavit continuo potestas pro Rubeo de Volta, ut mandatis suis veniret pariturus; qui spretis[f] mandatis, venire recusavit. Iussit itaque potestas pulsari et fieri parlamentum, et ut quilibet armata manu ad parlamentum veniret. Impleta igitur concione et potentissime coadunata in ecclesia beati Laurentii, dictas litteras fecit legi et in patulo revelari, et erexit se in contione, dixit: *Filii benedictionis et gratie, qui pro Dei servicio laboratis et libertatem defenditis, attendite et videte, si est dolor sicut dolor iste. Nam qui nati sunt ex vobis, perditionem vestram quesierunt; et ecce quomodo tractati estis ad mortem. Nolebamus enim usque ad separationem prelatorum hec pandere, ne forte timerent, et impediretur passagium eorumdem; set tanti periculi nolentes audatiam tolerare, hec vobis duximus nunciandа. Mandavimus quidem pro Rubeo de Volta, Iohanne Streiaporco, Ingone Grillo, ut mandatis nostris venirent parituri, nec voluerunt comparere. Set ipsi et illi de Volta, illi de Auria, et Thomas Spinula, et Obertus advocatus, et alii sequaces eorum domos et turres ipsorum contra nos et comune Ianue munierunt. Quid vultis inde fieri?* Tunc omnes de contione clamarunt: *Moriantur, moriantur perfidi proditores, et ne dimittamus eos amplius vivere super terram!*

Vocatis itaque capitaneis populi Fulcone Guercio et Rubeo de Turca, et vexilliferis per compagnas, precepit potestas, ut quilibet ad confusionem rebellium paratus sequeretur eumdem. Et exeuntibus de contione, ad domum Iohannis Streiaporci primitus viriliter perrexerunt; qui Iohannes relicta domo aufugit ad domum illorum de Volta, quam[g]

a) vota *Libr. iur.* I, 999. b) ditione *Libr. iur.* c) turris *Libr. iur.* d) pillauicino *Libr. iur.* e) iam *omiss. Libr. iur.* f) spletis 1. g) quas 1.

1241. munierant contra comune. Destructa itaque domo prefati Iohannis, et rebus que in ea erant omnibus exportatis, tumultus et clamor maximus fuit in populo: *Ad domum illorum de Volta et illorum de Auria viriliter insurgamus, et eos personaliter destruamus, et domos eorum funditus diruamus.* Tunc potestas in platea beati Laurentii et circa ipsam ecclesiam fecit universum populum conveniri, et erecto vexillo beati Georgii contra rebelles de Auria, fratres Minores et Predicatores venerunt signum crucis portantes, et misericorditer postulantes, ut modicum cessaret potestas, quia omnes illi de Auria parati erant venire ad mandata sua. Et motus ad pietatem, ut venirent ad mandata, ipsos voluit expectare; et mandavit Guillielmo de Volta, Rubeo de Volta, Ingoni de Volta, Guillielmo Vento, Albertino Vento et aliis qui erant ad domum illorum de Volta, et Thome Spinule, Sorleoni Piperi, Sozo Piperi, Iohanni Piperi, Oberto Advocato et Ingoni Grillo, ut mandata potestatis venirent iuraturi, nec venire voluerunt. Tunc mandavit potestas Rubeo de Turca capitaneo populi in quatuor compagnis de versus burgum expresse[a], ut ammonitis[b] et paratis omnibus de capitania sua, confestim insurgeret armata manu contra Thomam Spinulam, qui domum et turrim suam de novo fabricatam munierat contra comune, et mandata sua recusaverat. Iacobo insuper Malocello, tunc admirato galearum que iture erant Romam cum prelatis, que erant in portu, et comitis ipsarum universisque[c] qui erant in galeis, mandavit expresse, ut descenderent de galeis universi, et una cum Rubeo de Turcha surgerent contra dictum Thomam Spinulam. Qui servantes mandatum, gentes suas ammonentes[d] omnes ad domum dicti Thome potentissime pervenerunt; et fractis portis et clausuris ipsius domus et turris, per vim intraverunt ipsam et occuparunt; in cuius captione percussus fuit Thomas Spinula de quodam quadrello in capite, et post paucos dies decessit. Nocte autem superveniente, distulit potestas usque in crastinum contra rebelles procedere, precipiens ut tota nocte quilibet per contratas vigilaret cum armis, portas civitatis et turrim dicti Thome muniri faciens et diligenter custodiri, et in crastino paratus esset quilibet ad depopulationem illorum de Auria et illorum de Volta et subsequenter aliorum rebellium, nisi essent mandatis suis in omnibus parituri. Ipsa quidem nocte Guillielmus de Volta, Rubeus de Volta, Ingo et Lanfrancus de Volta, Guillielmus Ventus, Albertinus Ventus, Percival et Manuel Aurie, et plures alii de occupatione turris dicti Thome Spinule et percussione ipsius audientes, maxime timuerunt, et relictis domibus immunitis fugierunt et absconsi steterunt. Die mane facta concionem maximam in ecclesia beati Laurentii fecit potestas, in qua fuit cum armis maxima gentium multitudo, et mandavit pro supradictis rebellibus, ut venirent parituri mandatis suis. Tunc Percival et Manuel Aurie et quidam ex aliis venerunt, iurantes in contione mandata potestatis attendere, et promiserunt quod alios venire facerent ad mandata sua. Quibus terminum dedit potestas, ad quem venirent suis iuraturi mandatis; et separata contione precepit, ut quilibet paratus esset cum armis ad destructionem eorum qui contra comune rebellare presumerent, et mandavit ut turres illorum de Volta et aliorum rebellium munirentur. Munitis autem omnibus, venerunt alii rebelles ad terminum constitutum, et iuraverunt et securitates dederunt mandata potestatis in omnibus attendere, excepto Iohanne Streiaporco, qui timens de persona absentavit se; cui potestas bannum dedit et domos et possessiones ipsius intus et de foris dirui fecit et vastari. Cumque totam civitatem dominaretur potestas, et non esset aliquis qui contradiceret, super expediendis galeis que iture erant Romam cum prelatis ad concilium, ipsum intendere opportuit, ut subsequenter rexisteret inimicis, qui circumquaque terras comunis Ianue invadebant. Et munitis galeis 27 omnibus apparatis, fuerunt electi pro comuni Ianue ambaxatores duo destinandi ad concilium cum prelatis et aliis ambaxatoribus civitatum; videlicet Ottobonus Mallonus et Trencherius Ysmahel. Petrus Ventus et Guillielmus Niger iverunt cum legato, et move-
Apr. 25. runt de portu Ianue cum cardinalibus et prelatis die Iovis 6. exeunte Aprilis in festivitate sancti Marchi, et iverunt apud Portum Dalphinum. Que dum[e] rexiderent ibi per aliquot dies, ut nova[f] adiscerent, tamdem apud Levantum pervenerunt[g]; et audiverunt quod Obertus Pelavicinus castrum Zolaschi hostiliter cum machinis obsederat. Et voluerunt nostri qui in galeis erant, descendere ad terram, ut dicto Pelavicino rexisterent et ipsum ab obsidione levarent. Tamen cardinales et legatus prohibuerunt, ne forte metu prelii impedirentur; et iverunt apud Portum Venerum. Expeditis autem galeis predictis, fecit potestas

a) *in marg. alia m.* 1. b) amonitis 1. c) uniuersique 1. d) amon. 1. e) *hinc voces duae erasae* 1. f) *in margine alia m.* 1. g) *alia m. insertum* 1.

1241.

ante presentiam suam venire Fredericum Grillum, Obertum Advocatum, Sorleonum Piperem et Paschalinum de Nigro, quibus precepit sub iuramento et pena quam eis et manulevatoribus suis vellet auferre, ut irent Placentiam vel Mediolanum, nec deinde moverentur sine mandato eius. Quod dum audirent Percival[a], Manuel, Ingo Aurie, Guillielmus Rubeus et Lanfrancus de Volta, Willelmus Ventus et Albertinus Ventus, et alii plures complices eorum, timentes ne simile de eis fieret, exiverunt de civitate, et iverunt apud Roncum et Buzallam, ut cum Guillielmo Spinula morarentur. Sorleonus Piper et Paschalinus de Nigro spretis mandatis potestatis exiverunt de civitate, nec ire voluerunt Placentiam vel Mediolanum. Fredericus quidem Grillus et Obertus Advocatus servantes mandatum iverunt Placentiam, et stetit ibi Fredericus Grillus ad voluntatem et mandatum potestatis. Obertus namque Advocatus inobediens fuit, et absque mandato et licentia potestatis recessit de Placentia et venit apud Pastoranam Roncum et Buzallam cum aliis moraturus. Potestas quidem dum ad multa intenderet, tam super festinare transitum prelatorum quam super defensione facienda et succursu prestando, et munitione castrorum et locorum comunis Ianue: nova undique sonuerunt quod apud Pisas galeas 27 mandaverat imperator, et Pisani galeas et multa alia ligna armaverant ut nostris transitum impedirent, et quod Marinus de Ebulis vicarius imperatoris cum potenti exercitu Tardonensium, Alexandrinorum, Papiensium, Albensium, Astensium, Aquensium, Cassinensium[68] et marchionum, aliorumque fautorum eius, terram comunis de ultra Iugum pro viribus vastitabat, et apud locum Vultabii ad instantiam dictorum rebellium Ianuensium qui extra civitatem exiverant venire satagebat, et quod Obertus marchio Pelavicinus cum exercitu castrum Zolaschy obsederat: cum festinatione armate fuerunt in civitate galee 8, una videlicet per compagnam, pro custodia maris, et ut nostris si expediret prestarent succursum. Milites quoque 25 de proboribus et melioribus civitatis, et pedites 200, et balistarii multi fuerunt intus burgum Vultabii destinati, qui locum illum, cum disclausus esset, spaldis et belfredis aliisque clausuris potentissime ornaverunt[b]. Et cum inimici ad ipsum locum eorum infortunio pervenirent, nichil profecerunt. Set nostri in defensione viriliter consistentes, inimici cum vituperio recesserunt, et circa locum Gavidioni quem comune Ianue munierat cum trabucho et aliis hedifficiis, castra fixerunt. Galee autem nostre 27 auditis rumoribus de galeis et aliis navigiis hostium in portu Venero,[c] malum consilium habuerunt, ut non expectantes aliud subsidium velociter moverent et ad concilium properarent. Cumque hora infelici perge- Mai. 3 rent iter suum, et essent in aquis Pisanorum supra Zigium, galee dicti imperatoris 27, in quibus Andriolus filius Ansaldi de Mari preerat admiratus, et galee et galiote quam plures Pisanorum, et alie sagitee Sagonensium, irruerunt contra nostras, et incepto prelio casu infortunio obtinuerunt, et capte fuerunt de nostris galee 22; quinque tantum evaserunt. Et in ipsis capti fuerunt dominus Iacobus episcopus Penestrine, et dominus Otto de Thoenengo cardinales, et dominus Gregorius de Romania legatus, et alii multi prelati, episcopi, abbates clerici et procuratores prelatorum, et ambaxatores civitatum, et thesauri magna quantitas occupata. De civitate Ianue capti fuerunt Guillielmus Niger Ebriacus, Petrus Ventus et Iacobinus filius eis, Ottobonus Mallonus, Andriolus filius Enrici Domusculte, Andreas de Burgaro et alii multi de civitate et potestatiis Ianue. Iacobus namque Malocellus qui in ipsis erat admiratus evasit, et alii multi ex Ianuensibus et hominibus potestatiarum in dictis galeis quinque evaserunt. Et postquam fuerunt ducti ad terram, multi fugierunt, alii ducti fuerunt carcerati in regnum, et alii remanserunt Pisis in carceribus. Guillielmus namque Niger Ebriacus, Petrus Ventus et Iacobinus filius dum essent in carceribus Pisanorum, mandavit imperator pro ipsis, et dederunt Pisani eos in forciam imperatoris. Alios quos habebant Pisani ex Ianuensibus, dimiserunt pro scontro suorum Pisanorum qui carcerati Ianue tenebantur. Romeus de Villanova illustris comitis Provincie baiulus dum evasisset a prelio cum galea sua, quandam navem Pisanorum invenit in partibus Sardinee, et ipsam captam duxit apud Niciam, mercibus et diviciis honeratam.

Audito in civitate Ianue casu infortunio, dolor undique et angustiae circondarunt; et gentes de riperia et districtu nostro expavescerunt ut plurimum. Et inimici qui hostiliter intraverant terram nostram exaltati, castrum et loca nostra plus solito invaserunt; et castrum Gavilioni non per pugnam set acordio eorum qui intus erant ceperunt, et ipsum continuo destruxerunt. Obertus Pelavicinus cum exercitu suo castrum Zolaschi concordio

a) p̄ciual I. b) *ita* I. armaverunt *fortasse legendum.* c) *ita distinguit* I. 68) i. e. Cassanonsium.

1241. eorum qui intus erant occupavit. Deinde ad locum et burgum Levanti descendens, ipsum locum preliavit; cui providi de Levanto rexistentes, locum Levanti viriliter defenderunt. Viri namque providi Ianuenses, licet dolore[a] perfusi, vigoris tamen et fortitudinis spiritu roborati, ad ulciscendum et defendendum arma viriliter accingerunt, omnes quicumque arma portare poterant vestes induentes frepatas[69], et arma per compagnas diversis coloribus designantes, negociacionibus et rebus aliis pretermissis, et statim imposite fuerunt galee simul et taride 52. In quibus cum assidue et in nocte etiam ad lumen candelarum laboraretur cum festinantia, in paucis diebus suppleta fuerunt. Et mandavit potestas omnibus fidelibus de riperia et districtu nostro, ut potenter starent facta que acciderant non curantes, et essent armis et necessariis ad confusionem inimicorum parati. Cumque caravanam nostram de ultra mari expectaremus, et diceretur manifeste quod imperator galeas 40 armaverat et naves plures, ut caravane si posset dampnum inferret, et eas in nostram riperiam mandaret; audito etiam manifeste quod inimici nostri undique per terram exercitum parabant ut terram nostram invaderent, missus fuit quidam bucius salarius obviam caravane, ut facta scirent que acciderant, et previsi tucius evenirent[b]. Munitis autem castris et locis nostris, ad defensionem caravane nostre super omnia intendentes: Obertus marchio Pelavicinus vicarius in Lurexana cum exforcio suo de versus orientem rediens, terram nostram, sicut poterat, invadebat. Cui perfidi Vairenses, fide et constantia derelicti et Iude Scariotis vestigia immitantes, illi de Podenzolio Bozolio Corvaria Carpana et Ripalta castra et loca illa per traditionem dederunt eidem.

Fuerunt tunc missi ambaxatores duo pro comuni Ianue Mediolanum et Placentiam pro succursu militum et peditum habendo; videlicet Guarnerius Iudex et Nicola Mallonus, a quibus honorabilem militum et peditum succursum habuimus. Ipso tempore viri providi et fideles homines Portus Veneris audientes quod galiota una Pisanorum venerat ad fucem Macre, munierunt quasdam sagiteas, et expugnantes ipsam ceperunt, quam plures ex Pisanis gladio cedentes, reliquos usque in 30 Pisanos carceribus manciparunt. Mense autem Iulii dum naves caravane nostre de ultra mari venientes appropinquassent ad partes Sardinee, infortunium galearum nostrarum quod acciderat audiverunt, et quod imperator galeas 40 armaverat, timuerunt, et arma sumentes in defensione navium potentissime paraverunt. Que dum in ipsis partibus invenirent quandam navem et alia plura ligna Pisanorum, ipsam navem et ligna cum omnibus Pisanis et rebus que in eis erant ceperunt. Quam navem et ligna dum Ianuam ducerent, fortuna temporis et maris tempestate dimiserunt ipsam navem, reliqua ligna et multos Pisanos carceribus Ianue manciparunt, et intraverunt portum Iul. Ianue[c] . . . . . mense Iulii. In qua caravana multitudo magna bonorum Ianuensium et divitie multe venerunt, et civitati Ianue contulerunt gaudium infinitum. Dum autem super ipsa caravana et in rebus exhonerandis quilibet intenderet, et maxime ad muniendas et preparandas galeas nostras, accidit, quod die Mercurii[d] . . . . . mensis Augusti summo diluculo galee 40 imperatoris, in quibus Ansaldus de Mari preerat admiratus, foras in mari per medium miliarium supra portum Ianue apparuerunt, que nulla facta residentia iverunt Sagonam, et die crastina submonitis Sagonensibus Finarensibus et Albinganensibus, per mare et per terram iverunt Naulum. Due autem ex nostris galeis que in guardia erant supra Sagonam, fugierunt in Naulum, et unam ex ipsis homines Nauli et illi de galeis nostris tiraverunt in terram, aliam ad litus Nauli perforaverunt. Et ad defensionem Nauli viriliter consistentes, domos que extra civitatem Nauli erant, ut civitatem tucius defenderent, concremarunt. Visis autem dictis inimicorum galeis, subito relictis omnibus armatae fuerunt die illa et nocte ad lumen candelarum in civitate Ianue et viriliter premunite galee 51, in quibus Ansaldus Soldanus et Iacobus de Levanto admirati fuerunt, et in ipsis, tamquam ad clamorem et strumitam[70], viri providi Ianuenses voluntarie ascenderunt. Et die secunda post apparitionem dictarum galearum inimicorum de portu Ianue feliciter exeuntes, erecto beati Georgii vexillo contra inimicorum galeas tota nocte, maxime ut nescientibus inimicis comprehenderent eas, in portu Nauli potentissime iverunt, et nocte non sufficiente, summo mane fuerunt supra Sagonam. Inimici autem hoc videntes, relictis ancoris scalis et vachetis[71], continuo mari et terra de loco Nauli fugierunt, eicientes in mari quecumque in

a) dolore I. b) *i. e.* evaderent. c) *sequitur vox erasa et lacuna* I. d) *sequitur lacuna* I.

69) *frippes* gallice; vestem militarem esse patet. 70) cf. a. 1234. 71) naves minores.

cohopertis galearum habebant. Nostre autem ipsas tota die fugantes, nequiverunt ipsas 1241. comprehendere, quoniam parate erant ad fugam pocius quam ad bellum. Et redeuntes galee nostre ad locum Nauli, ipsum locum civitatem et castrum servientibus victualibus et rebus omnibus munierunt, et ibi Fulconem Guercium capitaneum statuerunt. Ut autem nostri de ipsis galeis nova scirent, mandaverunt vachetas et sagiteas usque Albinganam; et quia metu nostrarum pelagus maris intraverunt, aliqua nova de ipsis quo ivissent minime invenerunt, et Ianuam nostri cum gaudio redierunt[a]. Cumque audivisset Ansaldus de Mari quod Ianuam redierunt galee nostre, ivit cum galeis apud insulam Albingane, ubi cum Albinganensibus rebellibus, dum Lanfrancus Boca castellanus esset pro comuni Ianue, cum paucis servientibus timuit, et ipsum locum ex concordio reddidit[b] dicto Ansaldo. Accepto autem castro, ipsum penitus destruxerunt; deinde ad locum Servi euntes, ipsum locum preliarunt. Viri namque providi de Servo cum hominibus Diani et cum modica militum quantitate qui pro comuni erant ibi, contra inimicos viriliter irruentes, eos in confrictu posuerunt, et multos ex inimicis occiderunt et retinuerunt, et in unam de galeis Ansaldi de Mari que ibi erat ad litus ascendentes, plures de illis qui in galea illa erant occiderunt. Quam cum nostri defendere non possent propter alias galeas dicti Ansaldi, afondarunt ipsam, et quecumque in ea erant exportarunt, et sic dictus Ansaldus cum dampno et vituperio recedens, reversus est in Sagonam.

Audito in civitate Ianue quod redierat cum galeis in Sagonam, statim armate fuerunt galee simul et taride 51, in quibus potentiores homines Ianue voluntarie ascendentes, cum festinantia iverunt galeas inimicorum querere; et videntibus illis de Sagona nostras a longe, subito Ansaldus de Mari cum galeis non expectans, fugam cepit, et tota die et nocte galee nostre secute sunt eas; set quia velociores erant nostris, non potuerunt eas attingere, et die crastina reversi sunt nostri supra Sagonam, ubi eas invenire putarunt; et non invenientibus, descenderunt apud Naulum expectantes ibi nova de galeis inimicorum quo ivissent.

Dum autem in Naulo essent galee nostre, exivit Ansaldus de Mari de pelago maris cum galeis; et nocte una ante lucem intravit portum Ianue cum galeis, ut navibus et lignis que in portu erant offenderet, si potuisset. Viri providi Ianuenses qui in civitate remanserant, arma sumentes, continuo naves et ligna portus munierunt, et ascendentes galeas et alia ligna currentia que in portu erant, contra inimicorum galeas iverunt, et de portu eas cum vituperio eiecerunt; et factis faro et signis galeis nostris sicut statutum erat, continuo de portu Nauli exeuntes, dimisso loco Nauli munito, Ianuam redierunt. Ansaldus namque de Mari cum galeis iterum maris pelagus introivit; et cum audivit, quod galee nostre Ianuam redierunt, reversus est in Sagonam.

Audiens autem imperator, quod nichil proficeret cum galeis, mandavit Marino de Ebulis vicario suo in Lombardia, et Oberto Pelavicino vicario suo in partibus Lurexane, ut exercitum maximum in quantum possent coadhunarent, et super terram Ianue viriliter introirent, ut simul cum Ansaldo de Mari admirato suo tucius offenderent terras Ianue. Prefati namque vicarii domini sui mandatum servantes, exercitus magnos pro viribus facientes, Marinus dictus de Ebulis ad instigationem etiam mascaratorum[72] et rebellium Ianue qui extra civitatem exiverant, cum comunibus Papie Alexandrie Tardone Vercellarum Novarie Ast Albe Aquis Casine et cum marchionibus Montisferrati Guillelmo, Conrado et Manfredo de Bosco, et aliis multis sequacibus et fautoribus imperatoris, hostiliter veniens usque Ouadam, vias et passus faciens ordinari, iactavit usque in Pulciferam venire, et etiam bastitam construere in capite fari. Obertus quoque Pelavicinus de versus orientem cum magna quantitate militum de Tuscia et cum hominibus Lurexane, et marchionibus Malespine et aliis sequacibus eorum, hostiliter apud Montem Rubeum et Vernaciam veniens, iactavit usque in Bisanem venire. Ansaldus de Mari admiratus cum audivit exercitus predictos coadunatos esse super terram Ianue introire, et quod Ianuenses per terram obviam ipsis exercitibus intendebant, venit apud Vulturim cum galeis, expectans ibi, ut veniret Mesias. Cum autem potestatem ad multa intendere oporteret, celebrato magno consilio et etiam parlamento statuerunt viri providi Ianuenses armamentum dimittere galearum, et contra hostes per terram insurgere viriliter et potenter. Tunc missi fuerunt quidam milites cum potestatibus et hominibus potestatiarum Rechi Rapalli Clavari et Sigestri, et cum hominibus

a) *in marg. alia m.* 1. b) rediđit 1.

72) i. e. Gibellinorum exulum.

1241. Levanti et aliis de finibus illis obviam exercitui Oberti Pelavicini. Quod cum audisset Pelavicinus, retraxit cornua, et stetit in montibus supra Vernaciam, nec ausus fuit ut descenderet. Potestas namque cum universa milicia et toto con ni atque balistariis Ianue continuo exivit contra exercitum Marini de Ebulis, dimissis quibusdam militibus ad custodiam burgi Vulturis; et supra montes Vulturis ad vias, per quas exercitus ille venire statuerat, potentissime se opposuit. Ansaldus de Mari cum galeis ivit Arenzanum; et cum descenderent illi de galeis, occurrerunt quidam ex militibus nostris, et posuerunt eos in conflictu, multos ex galiotis gladio supponentes et eorum vexilla et arma retinentes. Cumque dictus vicarius quosdam milites et pedites suos mandaret, ut exercitum Ianue supra viderent, exiverunt quidam milites pedites Ianue contra illos, et ponentes eos in conflictu, usque ad tentoria inimicorum fugaverunt eos, et acceptis duabus banderiis inimicorum, quas metu fuge relinquerant, redierunt nostri ad exercitum Ianue cum honore.

Nocte autem eveniente habuerunt consilium inimici ut retroirent, et summo diluculo ante lucem separaverunt exercitum, et cum vituperio recesserunt. Mascarati vero de loco Buzalle recesserunt et iverunt stare Sagonam. Ansaldus quoque de Mari cum galeis, quam cito de separatione exercitus predicti audivit, timuit, et velud conflictus recessit, terram Ianue non in aliquo dampnificando. Nostri autem Ianuam reversi sunt cum triumpho, et ad preparationem et munitionem galearum nostrarum et ad confusionem exercitus Oberti Pelavicini viriliter cum festinantia intendentes, ut Ansaldum de Mari cum galeis obsederent in Sagona, et exercitum Pellavicini, qui castrum Vernaciae obsederat, expellerent et dele-
Aug. rent. Tunc potestas cum militibus et balistariis Ianue mense Augusti exivit contra Pelavicinum, dimissis vicariis suis in civitate qui armamentum galearum festinarent. Et cum appropinquasset potestas cum militibus apud Sigestrum, audivit Pelavicinus de adventu potestatis et militum, recessit cum vituperio et exercitum separavit, et Ianuam redivit potestas cum militibus et exercitu. Ipso quidem mense Augusti dominus christianorum et pater bea-
Aug. 21. tissimus summus pontifex dominus Gregorius diem clausit extremum. Quo audito dolor et angustia fuerunt in civitate Ianue et extra. Et licet dolore perfusi, fortitudine tamen et vigore Ianuenses roborati, ad destruendas galeas inimicorum viriliter insurgentes, ascenderunt galeas, et iverunt potentissime supra Sagonam, et in ipsis Guillelmus Gabernia preerat admiratus; et cum dictas galeas inimicorum insultare statuissent, nequiverunt eo quod de antennis et lignamine liceas[73] et spaldos[74] in mari fecerant, bricolas et alia machina in ripa Sagone statuerant, ne galee nostre ipsis possent appropinquare. Tunc parata fuit in civitate quaedam bricola in navi una, et plura ligna impleta fuerunt bruschis et catrono[75], ut nostri galeas illas destruerent et cremarent. Cumque artificia illa supra Sagonam missa essent, et ad destructionem inimicorum galearum nostri intenderent, factum fuit tempus in mare turbidum, ita quod opportuit galeas nostras cum apparatu predicto ire ad portum Nauli. Videns autem Ansaldus de Mari, quod galee nostre de obsidione levate erant propter temporis turbedinem, iussit muniri galeas 20, in quibus Obertum Poncetam statuit ancianum, quas ipsa nocte, dum essent galee nostre in portu Nauli cum fortuna temporis valida, mandavit apud Pisas fugientes, diligens pocius maris iudicium quam nostrorum. Deinde in regnum Sicilie recesserunt, et in ipsis galeis iverunt pro mascaratis ambaxatores Sorleonus Piper, Ingo Aurie et Rubeus de Volta. Qui descendentes in Pisis iverunt ad imperatorem apud Faentiam[76]. Ansaldus de Mari cum galeis 9 remansit Sagonae, expectans quasdam galeas quas miserat in Provinciam, et ipsas galeas ad litus Sagone trahi fecit, ne ipsis offenderent galee nostre. Et cum audivissent galee Ansaldi de Mari, que iverant in Provinciam, quod galee nostre obsederant ipsum Ansaldum cum galeis in Sagona, timuerunt et fucem Albingane intraverunt. Homines autem ipsarum galearum tam de Albingana quam Sagona clamabant, et cotidie fugientes Ianuam veniebant, et ipsis de galeis qui fugiebant data erat fidantia per comune Ianue. Videntes autem nostri, quod inimicis dampnum inferre non possent, Ianuam cum honore et gaudio sunt reversi. Ansaldus de Mari videns, quod nil proficeret ei mora eius, et gens sua clamabat, nec eos poterat retinere, mandavit galeis suis, ut exirent de Albingana et venirent Sagonam, que cum fere omnes disarmate essent et destructe, fecit eas armari sicut melius potuit et aptari, et recessit cum ipsis tenens altum mare nocte navigando ne forte videretur a nostris, et

73) repagula lignea. 74) muros, propugnacula. 75) resina. 76) Imperator mense Augusto prope Romam morabatur.

1241.
ivit Pisas, ubi male a Pisanis receptus fuit et visus, deinde ivit Sardineam, volens si potuisset terram regine Sardinee munire. Verumtamen de Sardinea cum vituperio expulsus, in regnum Sicilie est reversus.

Post hec Marinus de Ebulis vicarius dictus, ad preces mascaratorum Ianue et rebellium Sagonensium, mense Octubris congregavit exercitum Lombardorum, Sagonensium et aliorum sequacium, et ivit obsedere castrum Signi, quod munierant homines Nauli, ibique construxerunt bricolas et alia edificia multa. Et cum in obsidione illius castri per multos dies stetissent et nil profecissent, venit ibi Iacobus marchio de Carreto, offerens vicario dicto personam suam et omne subsidium eius ad captionem castri Signi, supplicans vicario ne de inde recederet, quousque castrum Signi captum haberet. Tunc Iacobus de Carreto cum hominibus de Finario et aliis hominibus suis construxit et erigi fecit ad depopulationem castri Signi trabucum[a] unum magnum, preliando ipsum castrum nocte et die cum machinis et trabucho. Tandem homines Nauli ambaxatores in Ianuam mandaverunt pro succursu habendo; et decrevit consilium Ianue exercitum fieri generalem per mare et terram in succursum castri Signi. Et ivit potestas cum milicia usque Varaginum, expectando ibi exercitum congregari. Set quia tempus mari et terra per multos dies contrarium extitit et malum, non potuit simul exercitus conveniri, immo necessitate opportuit exercitum separari. Et missi fuerunt milites soldaerii centum et quam plures pedites per mare ad voluntatem hominum Nauli apud Naulum pro succursu prestando dicto castro[b] Signi[c]; namque quidam de Signo proditionem[d] recepti ipsius castri tractantes tradiderunt eum, et ipsum receptum dicto vicario et Iacobo marchioni de Carreto per traditionem dederunt. Videntes autem illi de castro, quod traditi erant, pactum fecerunt cum inimicis, ut[e] salvarent personas et res, et ipsum castrum inimicis per vim dederunt et reddiderunt. Accepto autem castro, munivit eum Iacobus de Carreto. Cumque homines de Naulo inde dolerent et ad ulciscendum intenderent offensiones inferre Iacobo de Carreto, missus fuit pro comuni Ianue Fulco Guercius apud Naulum, ut militibus et peditibus qui erant ibi pro comuni foret capitaneus, et ad depopulationem Iacobi de Carreto cum hominibus Nauli intenderet. Iacobus de Carreto submonitis amicis et hominibus suis, locum Finarii munire et succursum habere studuit. Fulco quidem Guercius cum militibus et peditibus et cum hominibus Nauli una die dominico ad vastandas terras hominum de Finario equitavit; cui Iacobus de Carreto et eius exercitus obstiterunt, et incepto prelio ipsum Fulconem et eius exercitum converterunt in fugam, et capti fuerunt idem Fulco et eius nepos Enricetus Guercius, plures autem ex militibus soldariis et peditibus Nauli et aliis peditibus capti fuerunt, quos Iacobus de Carreto in carcerem mancipavit. Audito autem in civitate quod predicta acciderant, missi fuerunt pro comuni Ianue apud Naulum pro custodia ipsius civitatis, et ut solacium prestarent hominibus Nauli, Lanfrancus Malocellus, Muruel Malocellus, Enricus de Nigro, Lanfrancus Ususmaris et Picamilius. Et cum audiret Iacobus de Carreto, quod Lanfrancus Malocellus cognatus eius venerat Naulum, mandavit pro eo, ut apud Finarium iret locuturus ad eum; et accepta inde a potestate Ianuae licentia ivit. Qui Iacobus cum multa diceret, et promitteret se comuni Ianue velle facere, et diceret se mestum esse de hiis quae acciderant, nil tamen profuturum facere curavit; set ab inde in antea accensus spiritu stulticie et furoris, cum hominibus suis de Finario terram et homines Ianue offendere non cessavit[f]. Dictus dominus Guillielmus Surdus potestas finem sui regiminis, sicut melius potuit, terminavit[g].

1242.
Anno dominice nativitatis 1242. indictione 14. fuit in regimine civitatis Ianue dominus Conradus de Concesio civis Brixie, miles formosus largus sapiens animosus; et cum eo iudices duo, videlicet Guido de Villana de eadem civitate, et Villanus de Troiano Mediolanensis ad malefitia deputatus; milites vero eius Fortis de Monteclaro et Gualandrinus de Capriolo. Octo discreti pro comunis introitibus recipiendis et expendendis fuerunt Guillielmus Mallonus Grassus, Martinus Bancherius, Guillielmus Reca, Symon de Marino, Marinus Ususmaris, Iacobus Frixonus, Bovarel de Grimaldis, Iohannes Calvus; scribe comunis Guillielmus de Varagine, Symon Spaerius, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus.

a) trabum 1. b) *voces intra* castro *et* tractantes *alia manu in margine scriptae erant, quarum nonnihil abscisum est* 1. c) *vox iam abscisa* 1. d) proditio *iam abscisum* 1. e) ut — inimicis *in margine alia manu suppleta* 1. f) *reliqua eadem manu subiiciuntur* 1. g) *pergit duobus columnis vacuis relictis in alio quaternione, cuius primae etiam paginae tertia pars vacat* 1.

1242. Iacobus Papia; consules de iustitia, in palatio civitatis Iacobus Grasellus Mediolanensis, in palatio civitatis et burgi Bigurrus de Porta Placentinus, in palatio civium et foritanorum Ogerius de Nivolinis Brixiensis, et in palatio de versus burgum Bonusfiliolus de Bononia.

Ipso quippe anno, sede vacante apostolica, et perdurante guerra maxima inter ecclesiam et dominum Fredericum imperatorem, et inter comune Ianue ex una parte, et imperatorem, Alexandrinos Tardonenses Albenses Astenses Aquenses Cassinenses Vercellenses Novarienses Papienses Cremonenses, marchionem Montisferrati, marchiones de Ceva, Iacobum et Manfredum marchiones de Carreto, marchiones de Bosco, marchiones Malespine et alios multos fautores coadiutores et comprices[a] eorum, nec non et Pisanos, Obertum marchionem Pelavicinum, Pontremolenses, et ceteros de Lurexana et Grafignana, cum hominibus Parme, et aliis multis fautoribus et compricibus eorum ex altera: perseverantibus insuper mascaratis Ianue, et rebellibus illis de Sagona Albingana Finario Corvaria Celasco Carpena Buzolio Monterubeo Lacu et aliis pluribus in sua rebellione et iniquitate concepta: dictus dominus Conradus statim in introitu sui regiminis a se ipso sine consilio aliquorum cum magno vigore et spiritu leonino[b] putavit dicens: *Cum plura pondera immineant baiulanda, gravius debet a sapientibus eici cicius a cervice. Verum tamen non sic; sed cum infirmetur totum corpus, solidentur prius membra proximiora ut ad verticem levius ascendatur.* Audivit itaque, quod Guillielmus Spinula filium suum ad imperatorem mandavit, ut dampnum et minorantiam comunis Ianue tractaret, et ut Lombardi venirent per terram suam de valle Scrivie, et intrarent offendere terras Ianue. Tunc omnia menbra et castra ipsius Guillielmi et fortias quascumque habebat, tractavit subvertere et delere. Die autem 16. mensis Marcii secrete cum militibus Ianue et potestatiis Bisannis et Pulcifere equitavit in vallem Scrivie ad castrum Ronchi, quod munierat idem Guilielmus, et sine aliquo prelio habuit ipsum castrum, et munivit pro comuni Ianue ad voluntatem suam; quo munito Ianuam rediit cum honore. Post paucos vero dies cum dominis et hominibus castri Savignoni quod et ipsi Guilielmo erat subditum, tractavit ipsum castrum et aliud quod dicitur Costa-
Apr. pelata habendi. et 22. die Aprilis ad ipsum similiter equitavit, et castra illa ad voluntatem suam habuit, et munivit, et munitis letanter Ianuam rediit et gavisus. Videns autem Guilielmus Spinula quod acciderat, castrum Buzalle introivit, et ipsum castrum pro viribus munire et forciare studuit; et forestatos aliosque malefactores et raubatores quoscumque potuit introduxit, ut homines de valle illa offenderent et vastarent. Congregatis itaque ad unum hominibus burgi fornariorum et ceteris de valle illa ad servitium et honorem comunis Ianue, contra ipsum Guilielmum Spinulam omnimode se dederunt; et cum exivissent quidam ex forestatis et hominibus de Buzalla dictos homines offendentes, illi de burgo fornariorum, Ronco, et alii de valle illa, arma viriliter accingentes[c], exiverunt viriliter contra illos; et quosdam ex[d] eis capientes et occidentes, alios usque ad portam Buzalle fugaverunt. Et audito clamore per vallem illam et in Flacono et in Pulciffera et finibus illis, in subsidium dictorum hominum vallis Scrivie potentissime occurrerunt, et castrum obsederunt[e] per se ipsos viriliter, et mandarunt ad potestatem Ianue ut succursum prestaret eis, quia illi de castro non poterant se tueri. Tunc potestas vocatis consiliariis campane et magna quantitate hominum per compagnas, decrevit consilium exercitum facere generalem; et voluntate ipsius consilii die Lune 5. exeunte mense Aprilis cum exercitu ad dictum castrum Buzalle viriliter equitavit; et paratis gratis[77] et aliis multis hedificiis ad prelium ipsa die, iussit potestas in crastinum ipsi castro dari prelium circumquaque; et constitutis bataliis[78] per compagnas, ut ad castrum preliandum die Martis 4. exeunte Aprilis mane viriliter insurgerent universi: Guilielmus Spinula et illi qui secum intus erant timuerunt, et facto pacto ut personas tantum evaderent cum rebus solummodo quas ad dorsum portare possent, exiverunt de castro et ipsum in voluntate potestatis dederunt. Munito[f] autem castro, ivit Guilielmus Spinula cum familia Tardonam. Et reversus est potestas ipsa die cum exercitu Ianue cum triumpho. Et paucis intermissis diebus mandavit unum ex militibus suis ad castrum illud, et cum hominibus de valle illa fecit ipsum castrum fonditus dirrui. Domum quoque sive palatium Guilielmi Spinulae quod supra Loculim in civitate construxerat,

a) i. e. complices. b) lenonio 1. c) accigentes 1. d) *ex m. alia inserit.* e) *a. m. in loco raso* 1. f) *an* tradito *vel* relicto?

77) Videntur non esse crates, sed gati, gatti, instrumenta bellica. 78) pugnis.

turrim atque domum Sorleonis Piperis, similiter fecit dirrui. Videntes autem universi opera 1242. que ipse potestas faciebat, in tantum timuerunt de eo, quod nunquam presumpsit in civitate aliquis rebellari, sed tanquam obedientes et pacifici velud domino naturali obedivit ei.

Post hec auditis rumoribus undique, quod contra comune Ianue mari et terra magni inimicorum exercitus parabantur, et inimici bastistam[79] in capite fari facere minabantur, fecit potestas in ecclesia beati Laurentii contionem maximam militum et peditum et universorum bonorum hominum Ianue congregari, et erexit se in contione dicens, quia: *Sedata sunt menbra quibus infirmabatur corpus. Expedit ascendere ad cervicem. Omnes firmi et fortes estote, et nolite oblivisci ardua et inmensa facta vestrorum antecessorum, sed curetis ut libertatem et honores quam et quos maiores vestri dimiserunt vobis, honorifice teneatis. Dimittatis mercimonia, et nullus presumat navigare neque extra districtum Ianue exire. Dimittat unusquisque cendata, xamita, iupas blancas, et assumat arma pro honore et defensione sancte Romane ecclesie matris nostre, et fidei christiane; et in defensione vestra taliter vos paretis, ut si contra nos venire presumpserint inimici, ipsos vigore solito destruamus.* Separata itaque contione quilibet postea fuit intentus ad arma. Et continuo fuerunt imposite galee nove 40 et in paucis diebus supplete. Audito namque die 10. mensis Iulii, quod imperator mandaverat apud Pisas galeas 60 munitas et naves duas, in quibus Ansaldus de Mari preerat admiratus, et Pisani galeas et alia ligna de duabus theriis[80] 58 numero muniebant, in quibus Busacarinus Pisanus preerat admiratus: statim varate[81] fuerunt dicte galee de novo facte, et cum ipsis parate fuerunt in portu Ianuae galee 83 et taride 13 et naves 4 magne et depincte colore albo cum crucibus vermiliis per totum, dimisso tunc glauco colore, quo depingi solebant. Et missum fuit undique per potestatias et districtum Ianue, ut omnes parati essent armis et victualibus ascendere in galeis. Postmodum potestas in platea beati Laurentii maximum colloquium celebravit, et mirabiliter locutus est, omnes et singulos ad bellum viriliter animando; et in persona sua propria vexillum beati Georgii ad honorem Dei et sancte ecclesie et confusionem inimicorum gratulanter assumpsit, et se constituit victoriosi stoli Ianuensis admiratum. Ibique protentinos 8 et comitos sive vexilliferos[a] 96, cum matura prius deliberatione per compagnas electos, fecit publice nominari et legi, et eisdem protentinis vexillum unum cuilibet iuxta formam cuiuslibet compagne dedit mirabiliter designatum, in una ex galeis cuiusque compagne feliciter baiulandum. Comitis predictis dedit cuilibet duo vexilla, unum videlicet ad signum comunis in dextera parte, et aliud ad signum Venetorum sancti Marchi in sinistra parte cuiusque galee, iusta[82] conventionem inter comune Ianue et Venetos initam baiulanda. Et divisis galeis et taridis omnibus per compagnas, triumphale vexillum beati Georgii in una bona galea, et alia vexilla protentinorum et comitorum in aliis galeis et taridis cum leticia fuerunt erecta, et hediffitia mirabilia ad prelium in ipsis taridis ornata. Et ut nichil temporis preteriret incassum, facta fuit electio potens et dispensatio supersalientum[83] et bellatorum et balistariorum in civitate per compagnas, et vogueriorum[84] per potestatias; panatica et victualia et cetera necessaria preparata. Et audito quod Pisani obliti pacis et conventionis vinculum quo comuni Ianue tenebantur, cum galeis et navigiis suis et omni eorum exfortio, et Ansaldus de Mari cum galeis dicti imperatoris, et Obertus marchio Pelavicinus tunc vicarius imperatoris in Lurexana cum magna quantitate militum Pisanorum Parmensium et cum magno exercitu peditum et balistariorum per terram venerat apud Portum Venerem, die 20. Iulii, vastantes Iul. 20. omnia domestica quecumque extra castrum inveniebant: subito velut ad strumitam universi de civitate arma viriliter assumentes, posuerunt ea in galeis; et necessaria omnia fuerunt honerata in ipsis, et missum fuit per potestatias ut omnes electi venirent ascendere in galeis.

Et cum inimici mari et terra cum machinis, prederiis[85], bricolis, scalis et aliis hediffiicis eorum infortunio ad locum Levanti pervenissent, et burgum ipsius loci disclausum invenirent, obsederunt eum; et cottidie preliantes nichil profecerunt; set providi de Levanto eis viriliter resisterunt. Statim potestas ascendit in galeam suam, et omnes de civitate et potestatiis electi galeas et taridas ascenderunt; et die dominico 27. Iulii, ut monstra fieret Iul 27.

a) vexiliferos 1.

79) i. e. bastitam, castrum, turrem, Baſtei. 80) i. e. coopertis, tabulatis. 81) in mare missae, vom Stapel gelaſſen. 82) i. e. iuxta. 83) vectorum. 84) remigum. 85) petrariis.

1242. et melius ornarentur ad bellum, iverunt omnes cum galeis et taridis apud Sanctum Petrum de Arena, ubi tanta fuit mirabilis et innumerabilis bellatorum proborum et gentium multitudo, quod de facili[a] posset scribi. Galearum et lignorum armatorum tanta fuit iocunda visio[b] et multitudo, quod in tota plazia[86] nullo modo stare poterant. Paratis itaque galeis et taridis omnibus et viriliter premunitis, movit potestas cum ipsis de loco dicto, et ipsa die cum mirabili stolo ivit in Bisannem. Die vero Lune sequenti assumpta de ecclesia sancti Laurentii cum magna reverentia vera cruce, que semper in omnibus bataliis extitit triumphatrix, et posita in fortiori tarida exercitus, ivit cum festinantia usque ad Sigestrum. Et audito quod inimici mari et terra cum omni eorum exfortio castrum et burgum Levanti
Iul. 30. obsederant, die Mercurii penultima mensis Iulii, dum ceteri de exercitu ad honorem sancte ecclesie et in reverentia vere crucis penitenciati essent, et crucem quilibet assumpsisset in spalla dextra, summo mane cum magna festinantia et vigore facta maxima et potens schera galearum et taridarum in mari supra Devam, erexit potestas triumphale vexillum beati Georgii viriliter contra hostes. Videntes autem inimici tam mirabilem exercitum et potentem irruere contra ipsos, statim nulla facta rexidentia, relictis tentoriis scalis ancoris machinis et rebus et armis militie, confricti[87] fuerunt mari et terra, et posuerunt se ad fugam. Ansaldus quidem de Mari cum omnibus galeis suis, eo quod ad fugam velociores erant illis Pisanorum, et primo viderat exercitum Ianue, diligens magis ut capti essent Pisani quam ipse, primitus fugam cepit; et post ipsum Pisani versus Pisas cum magna festinantia remorum et velorum fugere non cessarunt. Obertus Pelavicinus cum omni exercitu suo ad montes Celaschi se reduxit. Videntes autem illi de Levanto, quod ita essent in confrictu, exiverunt contra ipsos, et multos ex eis occiderunt. Cumque hoc videret exercitus Ianuensis, contra Pisanos et Ansaldum de Mari cum magno vigore et audatia irruerunt; et ut inimici inter Corvum finierent et Cornicem, usque ad partes illas Corvi eos mirabiliter fugaverunt. Set quia taride Ianuensis exercitus non ita veloces erant sicut et galee, et a longe viderent inimici exercitum Ianuensem quando fugam ceperant, nocte etiam superveniente, inimicos attingere nequiverunt. Unam tamen galiotam Pisanorum armatam cum multis Pisanis acceperunt, eosque ligatos adduxerunt[c]; et galiotam illam iussit potestas in platea macelli et moduli cum vexillis Pisanorum sanguinolentis que in ea capta fuerant poni ad dedecus Pisanorum. Multi autem ex Pisanis qui in ipsa galiota erant, muniti eiecerunt se in mare et maluerunt submergi potius in profundum maris quam expectare gladium Ianuensem. Timens autem Ansaldus de Mari de Pisanis, noluit ire Pisis, sed per plures dies et noctes stetit in pelago maris cum galeis suis et cum una galea Pisanorum in qua Busacarinus admiratus Pisanorum erat, qui metu verecondie noluerat ire Pisis. Alie galee omnes et ligna Pisanorum ipsa nocte non putantes aliquatenus evadere fugierunt, quedam in fucem Macre, et quedam in fucem Pisanam, non amplius reversure. Et nocte illa cum gloria et triumpho redivit apud Levantum mirabilis stolus et exercitus Ianuensis, et stetit ibi usque in diem crastinam; cuius adventus et victorie universi de Levanto parvi mediocres et maiores in tantum letati fuerunt, quod quasi videbantur ad astra volare. Et cum nulla de inimicis audirentur nova, iussit potestas castrum et burgum Levanti victualibus et omnibus necessariis diligenter muniri. Et ipsa die cum universo exercitu redivit apud Sigestrum, ubi per plures dies letanter et honorifice commorantes, ut rumores aliquos de inimicis sciret, potestas quasdam sagiteas et ligna currentia mandavit usque Ilicem; ubi invenerunt, quod nocte una Ansaldus de Mari cum galeis suis exeundo de pelago venerat cum galea Busacarini admirati Pisanorum, et Andriolus de Mari filius Ansaldi cum duabus galeis imperatoris ibidem de regno veniendo applicuerat, in quibus imperiale vexillum adduxerat[d]; et redeuntibus dictis sagiteis ad potestatem, supradicta, que viderant et audierant nuntiantes, subito potestas dimissis taridis omnibus in Sigestro, cum galeis omnibus ad inquirendas inimicorum galeas celeriter festinavit. Et cum Ansaldus de Mari foras in mari a longe in quibusdam sagiteis et in montaneis posuisset custodes, quibus certa signa dederat facienda si viderent exercitum Ianuensem, quam cito viderunt multum a longe, nulla rexidentia facta, cum galeis omnibus versus Pisas foras in mari Ansaldus de Mari et filius et admiratus Pisanorum fugierunt, et timentes amplius redire ad terram, transiverunt

a) *supple* non. b) et visio 1. c) aduxerunt 1. d) aduxerat 1.

86) i. q. plagia, ora, aestuarium. 87) i. q. conflicti, dissipati.

per altum mare et nocte iverunt Sagonam. Quo audito per homines Portus Veneris, qui eas 1242.
viderant fugientes, stetit potestas ipsa die in Portu Venero, ubi cum galeis paravit insidias
ad confusionem inimicorum, si forte ad terram redire amplius presumerent. Deinde rediit
cum exercitu potestas apud Corniliam. Et quia nuper propter adventum galearum inimi-
corum illi de Cornilia infideles et rebelles comuni Ianue extiterant, iussit eos vastari, et
continuo fuerunt usque ad cavernam quam munierant vastitati. Et rediit potestas ipsa die
apud Sigestrum cum galeis, ut nova melius haberet de inimicis. Audito namque quod
versus Sagonam iverant per altum mare, munitis locis illis omnibus de riperia, cum galeis
et taridis rediit versus Ianuam; et iussit potestas, ut taride irent et intrarent portum Ianue;
et ut galeas inimicorum quereret et inveniret, cum galeis omnibus versus Sagonam letanter
mirabiliter festinavit. Et cum adpropinquasset supra capud Montis die Lune 11. mensis Au- Aug. 11.
gusti, vidit ad partes Ianue faros[a] multos fieri cum fumis, quos illi de civitate Ianue fieri
faciebant eo, quod velud ad latrocinium mane cum galeis quibusdam Ansaldus de Mari por-
tum intraverat; quosque faros[b] cum videret Ianuensis exercitus, cum maiori festinantia et
vigore cum velis et remis ad inimicos inquirendos omnimode festinavit. Videns autem An-
saldus de Mari et cognoscens a longe exercitum Ianuensem, nulla mora facta velificavit, et
in quantum festinantius potuit ivit Sagonam, nichil dampni in portu Ianue vel alibi infe-
rendo. Cumque appropinquasset[c] cum galeis et taridis omnibus Ianuensis exercitus supra
portum Ianue, ipsa die nocte facta, et obscuro tempore mari et terra, fulgura et tonitrua
mirabiliter prepulsantia, oportuit exercitum Ianuensem licet invitum ipsa nocte portum
Ianue introire. Et regnante per plures dies in mari turbine et tempore pluviali, licentiati
fuerunt omnes de galeis ut descenderent in civitate, sed nullus esset ausus de civitate exire,
immo pararent arma, et quam cito tempus foret tranquillum, ascenderet quilibet in galeis.
Audito quod Ansaldus de Mari et Andriolus filius cum galeis 57, et Busacarinus Pisa-
norum admiratus cum una galea tantum, ut dedecus et pudorem Pisanorum obperiret si
posset, erant et stabant in portu Sagone, ordinatum fuit, quod taride dimitterentur in portu
Ianue, et galee 83 sicut possent melius armarentur, et si forte expectarent galee inimicorum
in Sagona, daretur eis prelium, et per vim de portu Saone traherentur vel igne comburerentur.
Cumque facta esset maris tranquillitas[d] et tempus bonum, armate fuerunt in civitate Ianue die Aug. 21.
Iovis 21. Augusti galee 83, sicut armari melius potuerunt; et ipsa die iverunt apud Sanctum
Petrum de Arena, ut ibi melius pararentur; et statutis custodiis in mari et terra, ne prescirent
inimici, et eos conprehenderemus in Sagona, die sabbati sequenti 23. Augusti summo mane Aug. 23.
movit potestas cum predictis galeis tam ad bellum quam ad celeritatem mirabiliter premuni-
tis, et ivit apud Arenzanum putans nocte ire Sagonam et eas ibidem obsessas tenere. Nocte
superveniente circa mediam noctem movit potestas cum galeis, et ivit supra portum Sagone,
ubi tam mirabilem et potentem scheriam galearum supra portum Sagone paravit ipsa
nocte, quod piscis vel avis una de portu Saone vix exivisset per mare. Et cum prescivisset
Ansaldus de Mari de adventu Ianuensis exercitus, cum omnibus galeis primo sero noctis
illius fugam cepit, et maris pelagus introivit. Die mane audito, quod Ansaldus de Mari cum
galeis omnibus iverat versus Albinganam, et quamdam navem magnam honeratam victua-
libus expectabat, quam de regno venire fecerat, continuo potestas cum victorioso exercitu
versus Albinganam ivit, et ibi die dominico applicuit summo mane. Quem dum viderent
rebelles Albinganenses, clausis portis omnibus civitatis, per murum et turres ascenderunt,
et nullus fuit ausus extra muros exire. Viri namque providi Ianuenses in terram Albingane
prope civitatem descenderunt, et domos que extra civitatem erant cremarunt, vineas et
arbores et alia domestica vastitarunt: navem unam Albinganensium et bucios duos sala-
rios honeratos sale et alia ligna plura que ad litus erant Albingane, de inde extraxerunt, et
duxerunt navem et ligna apud insulam Albingane ibique navem cremaverunt, alia ligna
Ianuam mandaverunt, et ibi nocte illa cum gaudio steterunt usque diem Lune mane. Et
audito, quod supra Andoriam et ad partes Servi vise fuerant inimicorum galee, cum festi-
nantia ivit Ianuensis exercitus contra ipsas; et non invenientes descenderunt ad terram
castri Andorie, quod Bonifacius de Cravexana et eius mater Mabilia in favorem Albinganen-
sium contra comune Ianue munierant; et arbores vineas et cetera domestica multa illorum
de Andoria vastitarunt. Et occurrentibus Mabilia de Cravexana, et aliis multis rusticis

a) *ita corrigendum videtur*; faro 1; *ed. post* multos *inserit* ignes. b) faro 1. c) apropinquasset 1. d) tranquilitas 1.

1242. Andorie ad pedes potestatis, asserentibus se velle fideles esse comuni Ianue, et castrum dare in fortia[a] potestatis, licet in verbis diu tenuissent potestatem, nil tamen inde facere voluerunt, immo fraudulose mandaverant apud Albinganam pro succursu; et cum ibidem venisset Bonifacius de Cravexana cum quibusdam militibus et peditibus Albingane, multo fortius viri Ianuenses providi rusticos invaserunt, et omnia domestica plus solito vastitarunt, nec ausus fuit aliquis de castro Andorie exire Sagiteam quandam hominum de Andoria que erat in fuce, et alia plura ligna que in ripa erant, cremarunt et duxerunt. Sero autem facto dum custodes posuisset potestas in insula Albingane, si viderent inimicorum galeas, visis fumis et faro quos illi custodes faciebant propter vela duo que viderant in mari, statim exercitus Ianuensis ad insulam Albingane venit; et cum illa duo vela versus Albinganam declinarent[b] et nescirent aliquid de Ianuensi exercitu, et essent duo ligna salaria honerata sale Provincialium de Areis[c] que salem volebant in Albingana exonerare, mandavit potestate quasdam galeas pro ipsis capiendis, et ceperunt unum ex eis; aliud, dum ventus esset pro eo, aufugit in Finarium iuxta montem altum et rocam validam Finarii, et strinxit se et reduxit in quantum potuit ad latus ipsius montis versus terram. Et cum insequerentur eum galee Ianuensis exercitus ut ipsum traherent de Finario, erat ibi Iacobus de Carreto marchio cum militibus et hominibus multis. Et cum multum tirassent lignum illud iuxta rocam et ad litus arene, et homines Finarii cum lapidibus essent in roca alta, trahentes multum lapides supra galeis, et non possent ultra galeas quatuor lignum illud preliari, defenderunt eum, et salem in Finario exoneraverunt. Et quia Ianuensem exercitum ad alia intendere oportebat, maxime ad inquirendas inimicorum galeas, venerunt galee due, quas dominus Romeus de Villanova, illustris comitis Provincie baiulus, cum sagiteis tribus diligenter munitis in servitium Ianuensis exercitus mandavit; et retulerunt, quod inimicorum galee erant in Provincia, et apud insulam sancte Margarite vise erant. Tunc movit potestas cum victorioso stolo, et ad inveniendas inimicorum galeas versus Provintiam festinavit. Et cum appropinquasset apud Niciam, audivit quod galee inimicorum erant apud insulam sancte Margarite et sancti Honorati. Et positis mari et terra custodibus versus Antipolin et in capite Galope, Sept. 3. ne prescirent inimici, die Mercurii tercia Septembris in sero quam secrecius potuit movit Ianuensis exercitus de Nicia et ivit ad capud Antipolim de versus partem Nicie. Transacta vero media nocte erecto vexillo triumphali beati Georgii contra hostes, movit et ad inveniendas et conprehendendas inimicorum galeas nocte illa versus insulam sancti Honorati mirabiliter festinavit. Et cum inimici sero illo custodes posuissent in capite Galope, sencierunt de custodibus et exercitu Ianuensi. Et nocte illa dimissis scalis et ancoris, inimicorum galee ad umbram terre in quantum celatim potuerunt versus Aheras fugierunt. Et die mane 4. Septembris dum esset Ianuensis exercitus supra insulam sancte Margerite, ubi galeas inimicorum capere putaverat, vise fuerunt dicte inimicorum galee supra capud Agani versus Aheras fugientes. Quibus visis statim cum festinantia Ianuensis exercitus mirabiliter eas usque in Cavallarium secutus fuit, et nocte facta iacuit in Cavallaria. Die vero mane movit potestas Ianue cum victorioso stolo, et ad inquirendas inimicorum galeas versus Aheras festinavit. Et cum appropinquasset ad plaziam Aheris, audivit quod nocte illa iacuerant inimici ad insulam de Aheris, et quam cito viderunt Ianuensem exercitum[d] de Cavallaria moventem fugierunt foras in mari. Tunc potestas misit quasdam sagiteas ad insulas Aherarum, ut nova scirent de inimicorum galeis; que retulerunt potestati Ianue, quod fugerant galee inimicorum cum festinantia foras in mari, et in Corsicam iverant, non ulterius reversure. Die namque Veneris 5. Septembris facta maris et ventus fortuna stetit Ianuensis exercitus ad ancoras in plazia de Aheris usque in diem crastinum, et potestas cum universis supersalientibus descendit ad ripam Aherarum iuxta fucem Capellis, et ibidem sub tentoriis castrametatus fuit. Facta autem maris et ventus tranquillitate[e], consuluerunt magnates et sapientes Ianue, qui erant in ipso exercitu, ut cum defficeret sal in civitate Ianue et maxime quod de sale fierent et recuperarentur expense que fierant in exercitu, deberent poni mine 200 salis in qualibet galea; et ita continuo factum fuit. Posito itaque Sept. 13. sale in universis galeis, movit potestas cum victorioso stolo, et die sabbati[f] 13. Septembris cum magna caravana lignorum et navium honeratorum victualibus et sale rediit Ianuam cum honore. Cumque desideraret potestas rumores audire de galeis inimicorum, et dice-

a) for- 1. b) decrinarent 1. c) aeris 1. d) *in margine alia m.* 1. e) tranquilitate 1. f) sabati 1.

retur publice quod perierant, eo quod fugientes ab insulis de Aheris in Corsicam, fortuna 1242. maris et ventus valida circumvenerat eis, venerunt Ianuam de Pisis et Corsica quedam ligna, que retulerunt et adfirmarunt, quod Ansaldus de Mari cum quibusdam galeis erat ad insulam Caprarie mestus et turbatus de reliquis galeis, que propter fortunam temporis separate erant ab eo. Alii de Pisis venientes retulerunt, quod quedam ex ipsis galeis venerant, et alie per insulas Corsice separate erant.

Tunc potestas, celebrato in civitate Ianue magno consilio, de voluntate tocius consilii dictum fuit et decretum, quod licet non speraretur quod amplius rediret Ansaldus de Mari cum galeis, licentia daretur universis vogueriis et supersalientibus, et eis iniungeretur quod semper parati essent cum armis redire et ascendere in galeis, quam cito domini potestatis Ianue mandatum viderent. Licentiatis itaque universis, Ansaldus de Mari de Corsica ivit Pisis, et ibi alias omnes galeas suas invenit; et audiens quod disarmate erant galee Ianuensium, cum omnibus galeis suis die 22. Septembris reversus est Sagonam; et cum ipsa Sept. 22. die naves due et tarida una Ianuensium essent supra Arenzanum, a Septa et Buzea venientes, subito ascendit potestas in galeam suam, et precepit, ut universi de civitate ad Bruidam ascenderent in galeis. Et confestim ipsa die armate fuerunt de hominibus civitatis galee 32 et in succursum navium potentissime exiverunt; ipsasque naves et taridas in portum Ianue feliciter conduxerunt.

Post dies vero paucos, dum instaret potestas ad preparandas galeas, et cum festinantia munirentur, et mandasset per potestatias, ut omnes venirent quicumque debebant ascendere in galeis, venit Marinus de Ebulis vicarius imperatoris in Sagonam cum exercitu militum et peditum Lombardorum, et die una velud ad latrocinium per terram; et Ansaldus de Mari cum galeis per mare venerunt apud Cogoletum et Arenzanum, et posuerunt ignem in quibusdam domibus; et res quas in ipsis domibus invenerunt, velud raubatores et latrones rapuerunt. Quod cum audiret potestas, statim contra ipsos cum tota militia Ianue equitavit; et cum a longe inimici statuissent custodes in mari, quam cito vexilla potestatis Ianue viderunt, non expectantes, subito fugierunt Sagonam. Potestas vero usque Arenzanum cum universis militibus equitavit, et munito loco Arenzani, ut festinaret exercitum galearum, Ianuam rediit ipsa die. Et remisit per universas potestatias, ut venirent omnes quicumque electi erant ascendere in galeis. Et statim in tribus diebus armate fuerunt et viriliter munite galee 70, in quibus dominus potestas Ianue ascendit, et die Mercurii prima Octobris felici Oct. 1. hora movit, et ut galeas inimicorum obsederet in Sagona, die illa et nocte ire versus Sagonam cum victorioso exercitu non cessavit; et eas obsedit in portu Sagone. Videns autem Ansaldus de Mari, quod nullo modo fugere poterat cum galeis, rogavit vicarium et marchiones et alios Lombardos qui erant in Sagona, et ipsis sub banno imperiali precepit, ut non recederent de Sagona set iuvarent ei ad defensionem galearum; et puppes[a] galearum volvens de versus exercitum Ianue, proras[b] cuiusque ipsarum in quantum potuit trahens ad ripam Sagone cum spaldis antennarum et arborum positis in mari, et cum bricolis erectis in ripa Sagone, in quantum potuit, ad defensionem fecit dictus Ansaldus mirabilem apparatum.

Videns autem potestas, quod non esset tutum cum galeis Ianue prelium dare galeis inimicorum ad ripam Sagone, mandavit Ianuam ut naves due implerentur bruschis lignamine et catrano, et cum festinantia ad exercitum Ianue mandarentur; et stetit cum exercitu nocte et die supra Sagonam, obsessas tenendo galeas inimicorum, ne unquam recedere possent, usque ad adventum[c] navium predictarum. Que cum venissent, ordinatum fuit, ut poneretur ignis in eis, et contra galeas inimicorum mandarentur, ut eas cremarent ad litus. Quibus navibus fuit ventus contrarius, et non potuerunt ad inimicorum galeas attingere, set ventus duxit eas versus septem montes prope ecclesiam Sagone que dicitur Sanctus Poncius, et ibi conbuste fuerunt, galeas inimicorum non in aliquo dampnantes; cuius facti multum inimici letati fuerunt, et fortiter exclamabant. Iratus itaque potestas et commotus, de voluntate magnatum et nobilium Ianue qui secum erant, proposuit non magis de inde separare, quousque galeas inimicorum destruxisset; et mandavit Ianuam, ut in duabus aliis navibus pararentur et construerentur bricole due, et alia ligna pararentur cremantia, et continuo mandarentur ad exercitum. Que cum expectaret, cepit mare[d] conmoveri, et ventus regnari contrarius, ita quod dubium stare videbatur ibidem; tunc potestas iussit ut separetur exercitus ab obsidione, et cum universo exercitu statuit ire in portum

a) pupes I. b) ploras I. c) auentum I. d) maris I.

1242. Nauli. Videns autem Ansaldus de Mari quod separabatur exercitus, fecit universos milites et Lombardos, qui erant Sagone, ire ad plaziam Albizole, et exivit cum galeis usque ad plaziam, semper stringens se ad terram. Tunc potestas consilio sapientum qui iuxta se erant, finxit se versus Ianuam ire et campum dare inimicis, ut removerentur a terra, et eos insultare antequam in portum Sagone fugere potuissent. Ansaldus de Mari hec cogitans, noluit separare se a terra. Tunc potestas cum Ianuensi exercitu galearum volvit contra inimicos; et inimici continuo portum Sagone intra Licias intraverunt. Et ivit potestas cum exercitu in portum Nauli, et die crastina summo mane, que fuit die Veneris 10.
Oct. 10. Octubris, cum victorioso stolo redivit potestas Ianue supra portum Sagone, ut inimicorum galeas obsessas teneret ibidem; et stetit ibi tota die, nec ausi fuerunt inimici exire extra Licias. Sero autem facto mare cepit moveri, et ventus fortis contrarius regnari, ita quod stare ibi inmensum dubium videbatur, et oportuit ut cum exercitu veniret potestas apud Arenzanum, nec ultra potuit ire. Et cum tempus et mare multo fortius contrarium regnaret[a], non potuerunt galee pati ibidem stare omnes; et quedam velificantes, portum Ianue intrare laborabant, nec ultra Vulturim transire potuerunt; set nocte illa steterunt ad ancoras; et quum ancorae vel sarcia eas tenere non possent, iverunt ad litus Arenzani et Vulturis plures ex galeis Ianue et fracte fuerunt. Homines vero earum gratia Dei sani et salvi omnes fuerunt. Die vero crastina fecit potestas omnes galeas illas que ad terram iverant, trahi[b] extra mare, et cum reliquis galeis portum Ianue intravit, et universos magistros lignaminis et calafatos mandavit Vulturim et Arenzanum, et in paucis diebus galeas illas fecit ordinari et refici. Ansaldus de Mari cum galeis suis ivit in Vadum, et fortuna temporis quedam ex galeis suis iverunt ad terram et fracte fuerunt, quas in paucis diebus ordinari fecit. Regnante vero maris fortuna pluvia et ventus per plures dies, licentiati fuerunt omnes de galeis Ianue, et eis iniunctum ut quam cito tranquillaret tempus Ianuam redirent. Cum audiret Ansaldus de Mari, quod disarmate erant galee Ianuensium et licentiati homines de ipsis, quam cito potuit et maris cessavit fortuna, ivit cum galeis suis in Provintiam, ut salem adduceret[c] in Sagonam. Quo audito, mandavit potestas Ianue, ut venirent omnes et ascenderent in galeas, et confestim armate fuerunt galee 70; que cum armate essent et ad inquirendas galeas inimicorum potestas Ianue viriliter festinaret, continuo valida fortuna maris et ventus et pluvia regnavit per dies viginti et ultra, ita quod portum Ianue exire nullatenus potuit. Et iterum licentiati fuerunt omnes de galeis; eo quod veloces et prompti essent semper ad mandatum potestatis redire et ascendere in galeis, maluit potestas potius ut commoditatem haberent quam in galeis aliquod incommodum substinerent. Et ivit Ansaldus de Mari apud Aheras pro sale. Cui homines de Aheris prohibuerunt ut nichil inde haberet. Deinde ivit Tholonum et ibi salem levavit modicam quantitatem. Et cum staret in Tholono, accidit quod bucius unus navis Paschalis Porci, et navis una Iacobi Ialni de Naulo venientes Ianuam de Yspania honerate mercantiis et blava, cum portum Tholoni intrare vellent, de galeis inimicorum quod ibi essent aliquid nescientes, inciderunt in eas, et cum in tantum appropinquassent ad terram quod ab inimicis separare non poterant, capte fuerunt, et eas cum mercandiis et hominibus captas duxit Ansaldus de Mari in portum Massilie, ibique exoneravit eas, et partem mercandie vendidit in Massilia, et partem posuit in galeis, et blavam totam ibi vendidit. Homines vero de Massilia contra iuramentum et pacem et conventionem et pactum quibus comuni Ianue tenebantur, letanter ipsum Ansaldum receperunt, et quecumque gratuita obsequia potuerunt, contulerunt eidem. Et dimissis navibus in Massilia rediit Ansaldus de Mari cum galeis honeratis mercandiis et sale et cum illis prexoneriis quos ceperat in Sagonam. Et dum rediret, fortuna maris et ventus in tantum obfuit ei, quod fere[88] omnes galee perierunt, una tantum ex ipsis galeis cum universis hominibus periit. Cumque ad coartationem et confusionem inimicorum iterum potestas Ianue armamentum solitum faceret galearum, licet nocte et die regnaret mare
Nov. 29. turbidum[d] et tempus malum, nocte una penultima mensis Novembris de Sagona recessit Andriolus de Mari filius Ansaldi cum galeis 35, et ivit in Ampuliam et Siciliam. Ansaldus de Mari cum reliquis remansit in Sagona, et post paucos dies nocte una recessit cum ipsis et ivit in Siciliam.

Ipso quippe anno, licet non modica quantitas pecunie daretur proinde marchionibus,

a) *hinc vox erasa* 1. b) trahy 1. c) aduceret 1. d) turbitum 1. 88) vox refertur ad *perierunt*, non ad *omnes*.

1242. composita fuit pax et conventio inter dominum Bonifacium marchionem Montisferrati, Manfredum marchionem de Carreto, Georgium et Manuelem marchiones de Ceva pro se et aliis fratribus suis ex una parte, et comune Ianue Mediolani et Placentie ex altera. Et mense Ianuarii venerunt ipsi marchiones Ianuam, quibus potestas cum militibus Ianuensibus ivit obviam usque Stellam; et cum tunc temporis partem imperatoris foverent, iuraverunt in publica contione Ianue et in consilio manutenere et deffendere pro posse sanctam Romanam ecclesiam et dicta comunia Ianue Mediolani et Placentie, inimicis ecclesie et dictorum comunium facere vivam guerram, et sub protectione[a] sancte Romane ecclesie in manibus domini Hastachii prepositi Brixiensis delegati domini Gregorii de Montelongo apostolice sedis legati in eadem contione Ianue letanter et cum reverentia se dederunt. Et sic dictus dominus Conradus finem sui regiminis cum honore maximo feliciter terminavit[b].

1243. Anno dominice nativitatis 1243, indictione 15. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis ilaris probus iuvenis et curialis, miles dominus Manuel de Madio, civis Brixie, et cum ipso iudices duo, videlicet Albertanus de Sancta Agatha et Brixianus de Liazario. Milites eius Petrus de Cocallis et Iohannes de Bergonato. Octo eius pro comunis introitibus recipiendis et expendendis fuerunt Nicolosus filius quondam comitis Enrici de Malta, Purpallus Busca, Lanfranchus Cigala iudex, Andreas de Carmadino qui ipso anno gladio fuit interfectus, Andriolus de Nigro, Obertus Purpus, Pignolus de Pignolis et Conradus Guaracus. Scribe comunis Guilielmus de Varagine, Symon Spaerius, qui ipso anno obiit, et loco eius fuit substitutus scriba Enrichus de Bisanne, Madius, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus, Iacobus Papia. Mortuo autem dicto Symone Spaerio, cui cura sigillorum comunis Ianue commissa erat[c], idem potestas commisit ipsa sigilla supradicto Guilielmo de Varagine, et ipsum constituit comunis Ianue cancellarium. Consules de iustitia in palatio civitatis Iacobus de Osa Mediolanensis, in palatio de medio Matheus de Roaldis Bononiensis, in palatio foritanorum Iacobus Cilizoinco Brixiensis, in palatio burgi Homobonus Ferrariensis.

Ipso quippe anno adhuc vacante sede apostolica et perdurante guerra magna inter Romanam ecclesiam et dominum Fredericum imperatorem, et perseverantibus rebellibus Sagonensibus Albinganensibus, Iacobo de Carreto cum illis de Finario et multis aliis de riperia, et mascaratis Ianue in sua rebellione et iniquitate concepta, dum esset imperator in partibus Rome et Marchie, et diceretur quod tractabat dimittere cardinales quos carceratos tenebat, ut in Romana ecclesia provideretur de pastore ad voluntatem suam, dominus Bonifacius marchio Montisferrati mandavit speciales nuntios suos Ansaldum de Laneriis et Ogerium de Pallo in Ianuam, qui in consilio Ianue ex parte ipsius marchionis retraxerunt et dixerunt, rogantes potestatem consilium et comune Ianue, ut ad presens exercitum facerent[d] contra Sagonenses rebelles, et ipsam civitatem Sagone obsiderent, quia et ipse marchio cum omnibus amicis suis et cum hominibus totius sue terre paratus erat in subsidium comunis Ianue venire et deffendere, ne aliquis in succursum Sagonensium veniret. Tunc vocatis consiliariis omnibus et insuper sex per quamlibet compagnam, de voluntate tocius consilii stabilitum fuit contra Sagonenses exercitum facere generalem, et ut quilibet paviliones et tentoria in exercitu apportaret[e]. Et movit potestas de Ianua cum exercitu die sabbati prima Marcii, et ivit Varaginum, ibique per aliquot dies exercitum expectando, pro- Mart. 1. cessit et cum exercitu supra Sagonam in septem montibus castra fixit, et trabucos duos magnos, bricolas duas et alia multa machina et hedifficia ad bellum erigi faciens et inponi, mandavit pro marchione Montisferrati, ut veniret vel saltim taliter se opponeret in via, ne inimici possent Sagonensibus prestare succursum. Qui plurimas excusationes interponens, neutrum facere voluit; set ivit Mediolanum, ubi cum domino Gregorio de Monte longo apostolice sedis legato tractavit, ut civitatem et homines Vercellarum ad devotionem sancte Romane ecclesie et societatem nostram reduceret. Qui licet diutius factum illud protenderet[f] in verbis, civitatem et homines Vercellarum ad servitium Romane ecclesie et societatem nostram gratulanter reduxit.

Quo facto post multos dies civitas et homines Novarie, qui tunc tempore partem imperatoris fovebant, simile facientes, ad servitium sancte ecclesie unitatem et societatem nostram conversi fuerunt. Cumque statuisset potestas in plana Sagonae apud Sanctam

a) protegnone 1. b) *columna fere una vacat* 1. c) erant 1. d) fecerent 1. e) aportaret 1. f) protenderetur 1.

1243. Ciciliam partem exercitus ponere ad coartationem Sagonensium, mandavit pro succursu marchionis Montisferrati et marchionum de Ceva et Manfredi marchionis de Carreto, sicuti pacti erant cum comuni Ianue et promiserant, et pro militibus quos comunia Mediolani et Placentie ex conventione dare comuni Ianue tenebantur. Tunc comune Placentie, quod nunquam in necessitatibus defuit comuni Ianue, licet multum gravatum esset ab inimicis, et cotidie inimici super terram suam insultarent, mandavit in exercitum comunis Ianue milites 40 cum equis cohopertis de melioribus et potentioribus civitatis Placentie. Manfredus quidem marchio de Carreto cum militibus suis honorifice venit in ipsum exercitum. Comune vero Mediolani, marchio Montisferrati et marchiones de Ceva succursum dare comuni Ianue in ipso exercitu penitus denegarunt. Et cum in tantum astricti essent Sagonenses, quod victualia non habebant, mandaverunt regi Encio filio dicti imperatoris, et Manfredo marchioni Lancee, qui erant in Lombardia, ut continuo succursum eis prestarent, aut ex necessitate redderent[a] se comuni Ianue. Tunc rex Encius et Manfredus marchio Lancea simul convenientes, magnum exercitum Papiensium Alexandrinorum Tardonensium Albensium et aliorum multorum congregaverunt; et venientes cum exercitu usque ad civitatem Aquensem, tractaverunt minas facientes exercitum Ianuensium de obsidione levare, nec ausi essent Ianuenses eos aliquatenus exspectare. Quo audito in Ianuensi exercitu, omnes de exercitu Ianue unanimiter dixerunt: *Stemus et non moveamus pro inimicis, quousque rebelles et iniquos Sagonenses captos habeamus.* Et multo fortius trabuchos et alia machina ad confusionem Sagonensium potestas erigi fecit, et exercitum circumquaque[b] in septem montibus muniri, inimicos pro nichilo reputantes. Audientes autem inimici, quod Ianuensis exercitus vires resumerat et multo fortius ad destructionem rebellium parabatur, cornua retraxerunt, et non fuerunt ausi ultra civitatem Aquensem venire, set cum vituperio exercitum separarunt, et elegerunt milites 200 de Papia Alexandria Tardona et Alba ad soldos, quos ad instantiam Iacobi marchionis de Carreto intus Sagonam pro defensione civitatis illius per terram dicti Iacobi mittere statuerunt. Qui Iacobus ammonens gentes de tota sua terra, fecit eas apud Mallas conveniri, et die una summo diluculo supradictos milites sociavit in plana Saone, eosque introduxit in Saona cum magna quantitate farine et victualium.

Tunc potestas celebrato consilio, de voluntate ipsius consilii processit, ut haberentur ad soldos comunis Ianue milites 200. Et continuo misit potestas in Pedemonte, ubi milites Berruerii de Mediolano venerant in servitium marchionis Salucearum, et fecit soldari 200 milites, quos Paganinus de Gavio et Niger de Valle, qui pro ipsis ducendis iverunt, duxerunt in exercitum. Qui dum venirent per stratam montis Mauri et essent in plana Saone, exiverunt foras Sagonenses cum militibus qui intus erant. Tunc armatis militibus Ianue simul cum dictis soldaeriis inimicos insultarunt, eosque secuti fuerunt usque ad portas civitatis, ubi predicti milites inimici dimissis equis de foris, per fossata intraverunt civitatem, et capti fuerunt ac retempti per milites Ianue de equis inimicorum 32, exceptis pluribus aliis qui in fossato perierunt. Ab illa die in antea non fuerunt ausi milites Sagonensium neque Sagonenses extra civitatem exire. Milites autem Ianue cum hominibus potestatiarum universa domestica, quecunque in posse Sagone et castri Quiliani erant, assidue vastitarunt; et in tantum fuerunt astricti Sagonenses, quod nulla persona intrare civitatem poterat vel exire. Et mandaverunt milites et Sagonenses ad regem Encium et marchionem Lanceam et ad comunia civitatum suarum, ut nisi continuo succursum haberent, periebant fame et capti essent atque Ianuensium carcerati. Sagiteam unam cum ambaxatoribus mandaverunt ad imperatorem, qui in partibus Pisarum esse ferebatur, pro succursu habendo. Et cum Sagonenses munitum haberent quendam astricum[91] qui extra civitatem erat in capite plane Albizole de versus Sagonam, et offenderent illis qui mercatum ad exercitum defferebant, iussit potestas ad destructionem ipsius astrici bricolam erigi. Et cum illi de astrico se tenere non possent, reddiderunt se et astricum ad mandatum potestatis; ipsumque fecit potestas continuo dirui. Videns autem dictus imperator, quod multum sui fautores deprimerentur ex occupatione civitatis Saone, mandavit regi Encio et marchioni Lancie aliisque fautoribus suis in Lombardia, ut totum exfortium suum et exercitum congregarent in subsidium Saonensium. Pisanis etiam mandatum fecit, et per regnum mandavit ut galeas quantas possent velociter premunirent, easque in subsidium Saonensium mandarent. Qui mandatum domini sui servantes, exercitum magnum militum et peditum omnium civitatum

a) rederent 1. b) circumq; 1.

91) Eſtrich, planum.

que ipsi obediebant in Lombardia, potentissime congregarunt. Ansaldus quidem de Mari 1243. regni Sicilie admiratus cum galeis 55 armatis venit Pisis, et Pisani galeas 80 cum magna bubantia[a] munierunt, et in ipsis potestatem eorum Bonacursum de Palude admiratum constituerunt. Audito in Ianuensi exercitu quod marini et terrestres exercitus inimicorum contra comune Ianue parabantur, et victualia essent in Ianua solito cariora, eo quod paucitas salis et victualium erat ibi, statim celebrato consilio magno decretum fuit, quod naves mitterentur in Provintiam pro sale et victualibus Ianuam deferendis. Que misse fuerunt, et cum ipsis navibus multa ligna iverunt, que postea cum magna quantitate salis et victualium Ianuam redierunt. Et in ipso consilio Ianue fuit stabilitum, quod prelium daretur civitati Sagonae circumquaque; et sic divisis bataliis per compagnas militum et peditum, omnes de exercitu Ianue ipsam civitatem Sagone die sabbati 19. Aprilis mane viriliter expugnarunt. Apr. 19. Que cum potentissime munita esset militum et peditum et balistariorum, ipsam devincere per bataliam minime potuerunt. Die vero crastina mane in ecclesia sancte Recordate fecit potestas magnum consilium congregari; et exposuit sapienter sicut inimici undique mari et terra contra comune Ianue parabantur, et victualia erant in exercitu et in civitate Ianue et per districtum solito cariora, et postulavit consilium quid faciendum esset. In quo consilio multi sapientes erexerunt se in consilio ad loquendum, ita quod magna divisio sententiarum fuit ibi. Quidam volebant bastitam facere ibi prope Sagonam in septem montibus et introducere ibi bricolas et trabucos et alia machina, alii volebant exercitum separare et conburere bricolas et trabucos; et sic optinuit consilium ut separaretur exercitus, et intenderet potestas, cum esset Ianue, ad galeas armandas et ad defensionem faciendam. Iussit ergo potestas plombum de trabuchis reduci in galeis et lignis sicut melius posset, et ignem poni in trabuchis et aliis hedifficiis. Quo facto potestas die Iovis mane 23. Aprilis exercitum Apr. 23. separavit, et gratia Dei cum toto exercitu absque dampno reversus est in civitatem. In ipso namque exercitu Iacobus marchio de Carreto quia timebat de captione Sagone, multos nuncios et etiam Fulconem Guercium qui tunc erat eius prexonerius, ad potestatem mandavit, fingens se velle concordiam facere cum comuni; tamen non inde curabat nisi capta fuisset Sagona, set sicut plenus malicia contra comune Ianue, conditiones et tempora videre volebat. Cumque in civitate Ianue verba dicerentur vana, et reprehensiones multe fierent de illis civibus qui potentiores videbantur in comuni et consuluerant[b] potestatem in exercitu, eo quod non esset capta Sagona, fecit potestas in ecclesia beati Laurentii congregari maximam contionem, ibique de statu et honore quem comune Ianue habuerat, et sicut ad dedecus et vituperium inimicorum ad obsidionem civitatis Sagone honorifice steterat, mirabiliter adlocutus fuit, et precepit ut quilibet paratus esset armis et equis, et galee omnes pararentur, et quilibet esset paratus ascendere in galeis ad confusionem et destructionem inimicorum mari et terra, si contra comune Ianue venire temptarent; et sic vexillum beati Georgii in persona sua sumpsit, et se constituit victoriosi stoli galearum Ianue armiratum. Galeas omnes et taridas depingi fecit et mirabiliter parari omnibus necessariis, facta mirabili dispensatione vogueriorum et supersalientum pro armamento earum, precepit universis qui electi erant in galeis, ut semper parati essent ad mandatum eius quociens expediret ascendere in galeis. Spias[92] autem apud Pisas et per totam Lombardiam mandavit, ut de inimicorum exercitibus nova sciret. Castra et loca comunis Ianue universa muniri fecit omnibus necessariis, et victualia in quantum potuit habere studuit, inimicos pro nichilo reputando. Audito autem ab inimicis, quod de obsidione Sagone fuerat exercitus Ianue separatus, et quod ad defensionem et confusionem inimicorum providi Ianuenses apparatum mirabilem faciebant, distulerunt super terram comunis Ianue venire. Tamen Pisani bubanciis pleni, iactaverunt quod portum Ianue cum galeis suis intrarent, et quadrellos[93] argenteos, quos fieri fecerant, sagittarent; et sic retinuerunt galeas 55 dicti imperatoris armatas, ut in societatem Pisanorum venirent. Quo audito in civitate Ianue, mirabilem et potentem galearum apparatum potestas fieri faciens, omnes galeas varari fecit, et eas necessariis omnibus ordinari; ad quarum armamentum viriliter faciendum providi Ianuenses mirabiliter intendebant et gratulabantur, rogantes Deum, ut Pisani quod promiserant adimplere temptarent, firmam spem tenentes ipsos omnes capere et delere.

a) ita 1. i. e. tumore; baldantia ed. b) consuluerant 1.

92) i. e. exploratores. 93) tela balistarum brevia, forma quadrata.

1243. Cum autem tempus diu elapsum esset termini, ad quem Pisani iactaverant se portum Ianue introire, et non speraretur in Ianua quod amplius advenirent Pisani, eo quod ipso tempore Ianuenses et homines potestatiarum intendere oportebat[a] ad vindemias et delectationes in villis ut solebant, et licentiati essent ire per villas, accidit quod Pisani cum galeis 80 de suis et cum galeis 55 dicti imperatoris armatis die sabbati 19. Septembris summo mane in mari Ianue foras multum in mari per miliaria 15 venerunt, non ausi aliquo modo appropinquare ad terram, etiam quod vix poterant ipse galee videri. Que cum vise essent, statim potestas galeam suam et unam de Sancto Thoma et alias galeas usque in decem ad rumorem muniri fecit, et mandavit per villas universis Ianuensibus et hominibus potestatiarum in pena personarum, ut statim venirent omnes ascendere in galeis; et cum galea potestatis[b] Ianue, in qua erat vexillum beati Georgii, et cum ipsa usque in sex galeis de nostris foras in mari supervidere galeas inimicorum[c] ivissent, statim Pisani quamcito viderunt vexillum comunis Ianue, putaverunt se captos esse; et nulla rexidentia facta, velud confricti velificarunt omnes, et cum galeis dicti imperatoris omnibus Pisas cum vituperio reddierunt, non in aliqua parte Ianue vel districtus dampnificantes, nec etiam appropinquantes ad terram. Et cum universi cives Ianue et homines potestatiarum ad mandatum potestatis in civitatem velociter advenissent, audito quod galee inimicorum cum tanto vituperio aufugerant, licentiavit eos potestas, ut quilibet rediret[d] ad villas pro vindemiis et delectationibus suis solito faciendis.

Sept. 19.

Iun. 25. Ipso quidem anno mense Iunii, sequenti die post festum sancti Iohannis, dominus Siguenbadus ex comitibus Lavanie cardinalis Romane ecclesie assumptus fuit ad dignitatem apostolatus[e], et nomen eius feliciter Innocentius papa[f]; qui cum filius sit civitatis Ianue oriundus, litteras ex parte sua mirabiliter compositas primo comuni Ianue mandavit de promotione dignitatis sue continentes, et quod civitatem et universos de Ianua tanquam filios sub protectione sancte Romane ecclesie confovere volebat. De quo universi de Ianua magni mediocres et minores in tantum letati fuerunt, quod quidem videbantur ad astra volare.

In ipso etiam anno quarta die exeunte Decembris elapsa media nocte, auditus fuit in civitate Ianue terre motus. Processu vero temporis dictus dominus potestas civitatem in bono statu conservavit et deffendit, et finem sui regiminis feliciter terminavit[g].

1244. Anno dominice nativitatis 1244, indictione prima, fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis et curialis miles dominus Phylippus Vicedominus, civis Placentinus, et cum eo iudices duo, videlicet dominus Iacobus de Englesco qui stetit iuxta eum, et dominus Rogerius Caponus qui stetit ad maleficia. Milites eius Antolinus Molinarius, Thedisius de Monte Donnico. Consules de iustitia in palatio civitatis Alarius de Calvo Novarensis, in palatio de medio Carlevarius Tadonus Mediolanensis, in palatio civium et foritanorum Paganus de Bagaroto Placentinus, in palatio de versus burgum Osbertus de Leno Brixiensis. Octo nobiles sive clavigeri comunis fuerunt: Ottobonus Mallonus, Amicus Streiaporcus, Ingo Tornellus, Iacobus Malocellus, Obertus Ususmaris, Petrus Mazanellus, Grimaldus de Grimaldis, Iacobus Gatelusius. Scribe comunis hii qui in anno preterito extiterunt. Sed Petracius de Musso intravit officium in scribania comunis super maleficiis, loco Maii scribe qui decessit. Qui dominus Phylippus cum iam potestas Ianue fuisset alias et voluntates civium Ianue cognosceret, tanquam sagax et probus eo quod partem ecclesie fovebat ut plurimum, studuit in principio sui regiminis inter Rampinos[94] Ianue qui occasione officiariorum discordes erant ad invicem componere et eos ponere in tranquillo, ne forte exaltarentur proinde mascarati. Et restituit Fulconem Guercium, qui occasione mortis Andree de Carmadino extiterat forestatus. Cum esset itaque dominus Fredericus in partibus Rome et maritime, et nuncios suos mandasset ad dominum papam, videlicet nobilem virum dominum comitem Tholose, Petrum de Vineis et iudicem Thadeum, cum tractatu pacis quam ipse desiderare dicebat et toti mondo dare volebat, in quo etiam tractatu erat, quod totam terram ecclesie quam tenebat ad presens, liberam dimittebat, set dubitabat Romam intrare; et si Romam exiret dominus papa, iret ad eum, et in eius voluntate pacem daret omnibus christianis: exivit Romam dominus papa et venit Subtriam[95], ibique expectavit, ut veniret

a) opportebat I. b) po *postea additum* I. c) corum ivissent *postea addita* I. d) reddiret I. e) appost. I. f) IIII *post additum* I. g) *columna una vacat* I. 94) videntur esse intrinseci Ianuenses 95) Sutri.

dominus Fredericus imperator, et mandavit ad eum nuntios suos ex cardinalibus pro recipienda 1244. terra ecclesie quam velle restituere se dicebat. Tunc missi fuerunt pro comuni Ianue ad dominum papam duo ambaxatores videlicet Fulco Guercius et Picamilius de Picamiliis in quadam galea armata, ut civitatem Ianue et cives recommendarent domino pape, et si contingeret eum componere cum domino Frederico, quod Ianuenses in eadem essent concordia cum amicis eorum, et libertates honores et iura civitatis Ianue servarentur illesa, et restitueretur eis possessio terre et riperie quam tenebant ante ceptam guerram. Videns autem imperator, quod exierat Romam dominus papa, in quantum potuit laboravit stringere eum, secundum quod ipsi ambaxatores comuni Ianue intimarunt, et civitatem Viterbii que ecclesie favebat ditioni sue supponere tunc conatus[a] fuit, cardinalibus qui ad ipsum iverant terram ecclesie quam promiserat restituere non curavit. Set ad coartationem domni pape milites ducentos mandavit apud Tuscanellam et partes convicinas Subtrie. Andriolus quidem filius Ansaldi de Mari, mense Madii cum galeis 10 armatis et taridis 7 honeratis blava Mai. venit Sagonam; et cum magna caravana lignorum esset in partibus Provincie cum blava et victualibus Ianuam ventura, ad quam etiam conducendam nobilis vir Amicus Streiaporcus iverat pro comuni cum galeis quatuor armatis, et ceperat in itinere sagiteam unam rebellium de Saona, tumultus fuit in civitate ut pro ipsa caravana conducenda et ad depressionem galearum inimicorum statim fieret armamentum. Et continuo fuerunt armate galee 25, in quibus dominus potestas predictus se constituit admiratum, et ivit cum ipsis galeis usque Monacum, et de inde reduxit Ianuam magnam et copiosam lignorum caravanam cum blava et rebus multis, et stetit supra portum Saone cum galeis, ubi erat Andriolus de Mari cum galeis et taridis. Et habito ibi consilio nobilium Ianue qui erant in galeis, de consilio omnium fuit, ut mandaret ad civitatem Ianue, ut totus moveret exercitus militum et peditum et balistariorum mari et terra, et fieret vastum Saonensibus. Et sic continuo et in paucis diebus factum fuit, et undique usque ad foveas civitatis Saone omnia vastitavit, et igne supposuit et ruinè, et reversus est Ianuam cum honore. Audito namque quod Ansaldus de Mari domini Frederici admiratus galeas 20 armaverat, et iverat Tunexim et Buzeam offendere Ianuenses universos, qui fidelitatem domino imperatori non iurarent et privilegiati non[b] essent ab eo, et quod iam ceperat de lignis et navibus hominum Ianue, et in riperiam Ianue cum ipsis galeis venire volebat, statim de voluntate consilii Ianue fuerunt armate ad studium et parate sicut potuerunt melius galee 22, in quibus electio meliorum vogueriorum supersalientum et marinariorum facta fuit qui inveniri potuerunt. Cumque armate essent, venit Ianuam quidam vir religiosus de ordine fratrum Minorum, frater Boiolus nomine, missus a domino Innocentio papa cum litteris secretissimis domini pape continentibus, ut super his omnibus que diceret ipse frater Boiolus ex parte domini pape, fides daretur et crederetur eidem. Qui frater Boiolus retulit et dixit, quod: *dominus papa apud Subtriam a militibus domini Frederici imperatoris taliter est astrictus, quod nisi succurratur in brevi, captus erit et in fortiam domini Frederici positus; circumdaverunt ei undique inimici, et illi de Subtria iam eum perdere tractaverunt. Vult enim in brachiis comunis Ianue se dare, et mandat ut pro Deo armentur galee in quibus sit persona potestatis Ianue et nepotum domini pape, qui velociter moveant, euntes aput Civitatem vetulam; que cum ibi applicuerint, separabit se de Subtria quam celatim poterit nocte una, et veniet ad galeas omnibus pretermissis.* Tunc potestas vocatis paucis ex nobilibus Ianue in quibus confidebat, et qui statum domini pape et ecclesie pocius videbantur amare, revelavit eis in credentia litteras, et ea que dixit frater Boiolus. Qui alacriter consuluerunt dicentes: *Domine, omnia pretermisimus ut Deo et ecclesie serviamus. Ecce parate sunt galee 22, et diligenter munite; ascendat in Christi nomine persona vestra, et dicat unusquisque quod galeas inimicorum in quibus Andriolus de Mari est, vultis querere et fugare.* Tunc dixit potestas: *Quid ergo erit quod in galeis venire oportet nepotes domini pape? et sic putabit unusquisque factum qualiter erit. Cogitate et videte quo melius hec fieri possint secreta; nam sicut scitis, Andriolus de Mari cum decem galeis et taridis septem armatis in riperia nostra est, et Ansaldus de Mari, sicut pro constanti habemus, cum 20 galeis armatis venturum expectamus. Sanum de ore vestro procedat consilium, ut iter nostrum taliter sit secretum, quod Deo previo nostra voluntas perficiat quod intendit.* Fuit autem eorum consilium et tractatus, ut domini Albertus et Iacobus de Flisco, domini pape nepotes, instarent domino potestati et licentiam peterent eundi Parmam pro quodam

a) conactus 1. b) *m. alia additum* 1.

1244. matrimonio contrahendo de quadam eorum propinqua. Quibus inhybeatur ne vadant. Ut amicos ipsorum sollicitent et inducant ad potestatem rogantes pro eis, ut per civitatem ad aures perveniat singulorum. Quibus nullo modo potestas consentiat, set moveat se ad iram dicendo: *Ecce domini pape opera propinquorum! qui cum nobiscum ad fugandas inimicorum galeas que pro invadenda riperia nostra venerunt esse deberent, querunt licentiam eundi ad inimicos nostros Parmenses!* Et sicut consuluerunt, ita factum fuit. Ascendit itaque potestas in galeis, et ivit Vulturim ut expectaret ibi omnes qui venturi erant. Et secundum tractatum sapientum venerunt illuc prefati nepotes domini pape cum pluribus de amicis eorum, similem licentiam postulantes in presentia multarum gentium que ibi erant. Quibus respondit potestas, quod nullo modo haberent inde licentiam, precipiens sub certa pena, ne inde amplius loquerentur usque reditum ipsius. Ipsi vero dixerunt: *Domine, quid ob hoc contingat, Parmam ibimus, nec possumus vestrum reditum de Provintia expectare.* Tunc potestas erexit se in pedibus, exclamavit contra eos dicens: *Iurate manu data mea attendere in personis et rebus!* Qui se nolle iurare fingentes, ad ultimum compulsi ab amicis eorum iuraverunt, et securitates fecerunt in voluntate potestatis. Et ipsis precepit potestas sub pena decem milium marcarum argenti pro quolibet, ut ascenderent in galeas cum eo, et venirent post ipsum in Provintiam. Omnes autem qui audiebant et viderant hec dicebant: *Ecce guerram habemus cum domino imperatore et cum omnibus gentibus, et de novo guerram incipimus cum domino papa; neccesse habemus Sarracenorum vel Iudeorum auxilium implorare, quo usque guerram facimus omnibus christianis!* Iun. 21. Ascendit illico potestas in galeis die 21. Iunii et omnes qui venturi erant in ipsis, et in una ex galeis ascenderunt domini Albertus Iacobus et Ugo de Flisco nepotes domini pape, et secuti sunt potestatem. Cumque iter pergerent versus Provintiam, maxima caravana lignorum et barcarum sequebatur que versus Provintiam et per riperiam ibant, timentes de inimicorum galeis; quam lignorum caravanam fecit potestas ultra Albinganam ad salvamentum conduci, et postmodum cum galeis nocte intravit mare, ita quod die veniente a nulla partium videbatur terra. In ipsis autem galeis constituti fuerunt admirati et gubernatores viri nobiles Ugo Lercarius et Iacobus de Levanto, quorum consilio navigabant, stantes semper iuxta potestatem. Et cum pervenissent in capud Corsi, statim nulla residentia facta moverunt et iverunt Cornetum. Iun. 27. Et deinde ad Civitatem[a] vetulam applicuit die Lune 27. Iunii, et mandavit potestas nuncios suos, inter quos fuit Macia de Flisco, ad dominum papam significando ei quod ibi venerat cum galeis 22, in quibus erant nepotes sui, paratus mandatum eius servare. Quam cito hec audivit dominus papa, nulla mora facta, nocte cum pauca societate[b] exivit de Subtria, et festinanter pervenit ad galeas; requievit tamen modicum in quadam parva ecclesia que est sita in campis Civitevetule, et assumpta corona et vestibus apostolicis venit ad galeas, et benedixit eas et omnes qui in eis venerant, indulgentiam de peccatis cuilibet faciendo; et ascendit in galea ubi erat potestas, et in aliis galeis ascenderunt quidam ex cardinalibus et prelatis qui secuti fuerant[c] eum, inter quos fuerunt cardinales sex, videlicet episcopus Sabinensis, dominus Guilielmus nepos eius, dominus Petrus de Capociis, dominus Iohannes de Toleta, dominus Iohannes Gaietanus, magister Petrus de Bar, et pervenerunt Dei gratia Iul. 4. ad locum Portusveneris die Lune 4. Iulii. Ibi descendit dominus papa cum cardinalibus, et requievit in ecclesia Portusveneris per aliquot dies, eo quod mare timuerat. De cuius adventu homines Portusveneris mirabiliter gavisi sunt.

Audito in civitate Ianue quod dominus papa cum galeis venerat Portumvenerem, mirati sunt universi, gavisi tamen gaudio vehementi eo etiam quod de galeis nostris quo ivissent aliquid nesciebant. Et movit cum galeis de Portuvenero et Ianuam applicuit feliciter Iul. 7. die Iovis 7. mensis Iulii; fuit enim in civitate ab omnibus cum gaudio honorifice receptus. Galea in qua venerat et alie in quibus erant cardinales paliis cendatis[95] et pannis deauratis cohoperte per totum. Dominus archiepiscopus cum universo clero, milites quoque et domine ac universi de populo obviam venerunt ei, et cum magna processione et leticia cohopertis carrubiis[96] civitatis pannis deauratis et cendatis receperunt eum, et aduxerunt in palatium archiepiscopi. Divulgato autem per universum orbem quod Ianuam venerat dominus papa, et cum galeis ipsum aduxerant Ianuenses, mirati sunt universi, dicentes quod

a) civitam I. b) *in marg. alia manu saec. XIII. ex. additur* scilicet cum tribus tantum, et in habitu laycali I. c) fuerat *c*.

95) sericis. 96) i. e. quadriviis.

nunquam fuit tanta sagacitas et sensus tractatus per aliquos viventes. Principes et ma- 1244. gnates et comunia civitatum Italie fere omnes de eius adventu gavisi, statuerunt ad ipsum venire et ambaxatores suos mandare; et quidam timore domini Frederici recusaverunt venire. Venerunt tunc ambaxatores Mediolani Brixie Placentie Vercellarum et Novarie, et alii multi de civitatibus, et principes et magnates, et dominus Bonifacius marchio Montisferrati, quem dominus papa ad latus suum sedere fecit, et obsculatus est eum. Mandavit itaque dominus papa ut omnes cardinales venirent ad ipsum preter venerabilem dominum Raynerium de Viterbio, quem vicarium suum constituerat in Roma. Et venit tunc dominus Otto Anianus, et dominus Otto de Thoenengo stetit in Monferrato voluntate domini pape. Cum autem audivisset dominus Fredericus qui erat in partibus Tuscanelle et maritime, quod de Subtria recesserat dominus papa, et ipsum Ianuenses receperant in galeis, ad iram fuit vehementer commotus, timens plurimum in factis suis. Et dimissis omnibus continuo venit Aug. Pisas, postulans a Pisanis ut apparatum facerent galearum, et ipsi permiserunt facere quicquid vellet. Quibus ipse dixit proverbium tale: *Dum luderem cum papa ad ludum scacorum, habebam talem partitam de ludo, quod dicebam ei scacum matum vel portabam raucum*[97]*; et venerunt Ianuenses et manus iniecerunt per tabulerium et linierunt*[98] *totum ludum.* Pisani vero cum audissent hunc sermonem, putaverunt, et dixerunt: *Vere captus erat dominus papa, et ecclesia superata, nisi Ianuenses traxissent eum de Subtria et portassent in galeis.* Stetit autem in Pisis dominus Fredericus pluribus diebus, et multos nuncios secrete mandavit ad papam[a], dicentes quod mirabatur de recessu suo, et voluntatem suam facere volebat. Mandavit itaque ad dominum papam nobilem virum dominum Raymundum comitem Tolose, qui comes sicut in mandatis habuerat a domino Frederico, noluit Ianuam tunc venire ubi erat dominus papa; set venit Sagonam et nuncios plures domino pape mandavit dicentes, quod volebat complere dominus Fredericus secundum tractatum pacis. Quibus cum nullam fidem daret dominus papa, eo[b] quod tenuerat ipsum in verbis et promissa non curaverat[b] adimplere, statuit et fecit apparatum dominus papa ire Lugdunum, et ibi principes et prelatos ecclesie convocare. Et sicut Deo placuit, egrotavit. Et mandavit ut meliores medici qui invenirentur, ad ipsum venirent. Qui cum per dies plures egrotasset, de consilio medicorum equitavit ad monasterium sancti Andree de Sexto ut haberet ibi aherem[99] largiorem. Et per dies plures requievit ibidem iacens infirmus. Et cum eius infirmitas modicum tranquillasset, mandavit ut potestas Ianue cum pluribus sapientibus Ianue iret ad ipsum. Quibus ipse dixit lacrimando: *Filii, in nomine Iesu Christi volo ire Lugdunum, et antequam moriar, angustiam et iniuriam quam ecclesia Dei patitur, christianis et principibus ac prelatis ecclesie monstrare. Si equitare non potero, faciam me portari.* Cui per potestatem et sapientes Ianue fuit responsum: *Pater sancte et domine specialis. Numquam defuimus nec deerimus in servitiis sancte ecclesie; quocumque sitis, ad pedes vestros esse volumus; parati sumus galeas armare ad voluntatem vestram et secure vos portare usque in Rodanum apud Arelates nostris expensis, ut deinde facilius apud Lugdunum eatis; nec consulimus quod eatis per terram, quia de marchionibus et castellanis timendum est, qui nullam tenent fidem. Et si forte per terram ir volueritis, parati sumus cum militibus et populo Ianue vos sociare ad voluntatem vestram.* Tunc benedixit eos et totam civitatem, et dixit: *Nullo modo mare intrarem, set per terram ibo si potero, vel faciam me portari.* Movit autem dominus papa die Mercurii 5. Oct. 5. Octobris et ivit Varaginum hospitari, et dein fecit se portari in quodam lecto usque Stellam. Secuti sunt eum potestas et multi nobiles Ianue, et mandavit, ut venirent obviam ei marchio Montisferrati et Manfredus marchio de Carreto. Stetit itaque dominus papa in castro Stelle, et iacuit infirmus pluribus diebus, ita quod de eius vita non sperabatur. Set Dei gratia cito liberatus fuit, et dicti marchiones obviam sibi venerunt, et potestas Ianue cum honorabili militum et balistariorum Ianuensium comitiva[c] sociavit ipsum ad suam voluntatem, et in manibus dictorum marchionum qui ipsum conducere promiserant posuerunt; et accepto comeato a domno papa, rediit Ianuam potestas cum militibus et societate sua. Ipse vero dominus papa equitando sicut melius poterat et faciendo se portari in lecto ab hominibus, Lugdunum studuit proficisci.

Ipso anno dum Pisani quandam navem nomine Lombardam armassent in cursu, et eam

a) papa *c.* b) eo — curaverat *alio atramento in loco raso* 1; *voces* in verbis *primum et in margine scriptae* [illegible], comunia 1. *manifesto scribae errore.*

97) *tollebam turrem;* raucus est Roche. 98) foedarunt, corruperunt. 99) i. e. aerem.

1244. mandassent Yspaniam offendere Ianuenses, Nicola Cigala, Manuel de Guascho et alii mercatores de Ianua qui erant in Yspania, navem unam armaverunt nomine Balzanam, et iverunt ad navem illam Pisanorum armatam, et per bataliam illam ceperunt; in qua magna quantitas thesauri et armorum fuit capta, et multi boni Pisani capti fuerunt, et missi Ianuam carcerati. Ipso autem anno littere misse fuerunt et rumores de partibus ultramarinis, quod Tartari fugaverant quandam gentem pessimam Colosmorum, et ipsi Colosmi venerunt ad civitatem Ierusalem; contra quos Templarii Hospitalarii et alii milites transmarini simul cum patriarcha Ierusalem hostiliter exiverunt; et sicut Deo placuit, exercitus christianorum confrictus fuit, et fere omnes christiani capti et mortui. Et ipsi Colosmi terram sanctam Ierusalem ceperunt, et christianos qui in ea erant occiderunt, et sanctum Domini sepulcrum erradicarunt.

Ipse vero dominus Phylippus finem sui regiminis feliciter terminavit.

1245. Anno dominicae nativitatis 1245, indictione 2. fuit in regimine civitatis Ianue dominus Phylippus Guiringuellus, civis Mediolani, et cum eo iudices duo, videlicet dominus Arditus de Comite qui stetit iuxta eum, dominus Rogerius de Leucho, qui fuit ad causas maleficiorum deputatus. Milites eius domini Leonardus et Matheus Testaguatus et Albericetus de Ancona. Octo nobiles sive clavigeri comunis Conradus de Castro, Martinus Bancherius, Baldoinus Scotus, Iohannes Guercius, Guarnerius Iudex, Iacobus Frixonus, Matheus Pignolus et Picamillius. Consules[a] de iustitia fuerunt isti: in palatio civitatis Paganus de Fide .....; in palatio de medio ... Balengarius de Placentia; in palatio foritanorum Iohannes Cami......sis; in palatio de versus burgum .....leon Bononiensis. Scribe comunis illi qui in anno preterito[a].

Ipso quippe anno domino Innocencio papa beatissimo moram in Lugduno faciente, omnes principes barones et magnates atque prelatos ibidem ad concilium convocavit, ut ipsis hostenderet, qualiter dominus Fredericus sub specie pacis ecclesiam statuerat devorare, et sciret ab eis quid faciendum esset, ut tam ecclesia quam fideles ipsius maxime christiani solita libertate gauderent. Tunc missi fuerunt pro comuni Ianue ad ipsum duo ambaxatores, domini Ugo de Flisco et Symon de Marino; quos dominus papa illari vultu recepit, et Apr. 12. inter alios ambaxatores Ytalie honoravit eosdem. Mense vero Aprilis 12. ipsius mensis Saonensibus et aliis de riperia adhuc perseverantibus in rebellione concepta, nunciatum fuit ipsi domino potestati, quod Albertus de Albizola qui pro comuni Ianue in ipso castro Albizole castellanus erat cum Lanfranco de Carmadino, eiecerat ipsum Lanfrancum de castro et alios servientes qui in ipso erant pro comuni Ianue ordinati. Tunc de voluntate consilii Ianue equitavit potestas cum militia et balistariis Ianue ad ipsum castrum, timens ne daretur inimicis; et pactum fecit ipse Albertus tenendi castrum pro comuni Ianue, ut esset in eo castellanus tempore guerre presentis, et certum haberet salarium a comuni cum suis nepotibus; et rediit Ianuam potestas cum militia et balistariis universis. Die vero 11. Mai. 11. mensis Madii congregato generali consilio firmatum fuit, ut contra rebelles Saonenses ad ipsorum depopulationem fieret exercitus in presenti; et sic cum tota militia et populo Ianue et cum hominibus potestatiarum Bisannis Pulcifere et Vulturis equitavit viriliter contra ipsos, et quecunque extra civitatem Saone invenit, usque Vadum igne et vasto supposuit et ruina, et iacuit cum exercitu in territorio Saone noctibus tribus. Cumque homines de Odego et Rocheta districtuales domini Manfredi de Carreto cum armis et banderiis erectis venirent in occursum Saonensium, aggressi fuerunt quidam ex nostris militibus contra ipsos, et ceperunt eos, ita quod nullus evasit, et ducti fuerunt Ianuam carcerati; plures tamen ex ipsis in captione mortui fuerunt. Audito in ipso exercitu quod dominus Fredericus imperator venerat Pisas, et volebat Lombardiam introire, separatus fuit exercitus de vasto Saone, et rediit domnus potestas Ianuam cum suo exercitu feliciter cum honore. Dominus Fredericus imperator in comuni Pisano multis et variis sermonibus adlocutus fuit, hostendens eis, quod Ianuenses infideles imperii super omnia intendebat comprimere et delere, et Pisanos pre aliis suis fidelibus exaltare; et ut magis contra Ianuenses animaret Pisanos et induceret, privilegia multa, sicut insonuit, de terra comunis Ianue eis dedit. Postmodum ivit Parmam, deinde Veronam, ut in medio mense Madii curiam teneret ibi,

a) consules — preterito *in margine abscisa* 1.

expectando neptem ducis Austrie ut eam desponsaret et transduceret in consortem. Cum autem domnus dux Austrie mandatum apostolicum recepisset, ut quam diu domnus Fredericus in contumacia perseveraret cum ecclesia, nullo modo suam neptem in coniugem ei daret, distulit ipse domnus dux et noluit eam dare. Commotus tunc ad iram domnus Fredericus imperator, excusationes quas potuit coram concilio premisit, et contra ecclesiam et fideles ipsius multo forcius animatus fuit. Et statuit contra Placentinos validum exercitum fieri; et stetit exercitus ad depopulationem Placentinorum per mensem et ultra; tamen Placentini de vasto non curarunt, et solita constantia ad fidelitatem ecclesie permanserunt. 1245.

Congregato apud Lugdunum concilio prelatorum principum et magnatum, citatus et ammonitus[a] fuit per nuncios solempnes et litteras apostolicas domnus Fredericus imperator, ut veniret ad mandatum ecclesie, uno et pluribus terminis ei datis, et ut pacem daret Deo et mondo. Ipse vero spretis mandatis apostolicis[b], ad ullum non comparuit terminorum, set quosdam de sua curia mandavit ad papam frivolas excusationes interponentes pro eo. Rexit itaque concilium domnus papa Innocentius die Lune 17. mensis Iulii in ecclesia Iul. 17. Lugdunensi, et ibidem presentibus cardinalibus, clero, prelatis et baronibus atque principibus ecclesie multis, pronuntiavit domnum Fredericum quondam imperatorem, indignum imperio et regno, et abiectum a Deo a potestate imperandi et regnandi, et ipsum eis per sententiam latam privavit, principibus ad quos ius eligendi spectat imperatorem, concedens licentiam eligendi alium imperio successorem; sibi vero et fratribus potestate servata providendi regno de rege, et absolvens omnes a iuramento fidelitatis et confederationis qua ei fuerant astricti, excommunicationis sententiam ferendo in eos qui ei consilium vel favorem impenderent. Quibus peractis, presentialiter in eodem concilio candelis accensis dictum domnum Fredericum excommunicavit dicens: *Excommunicamus Fredericum quondam Romanorum imperatorem, et omnes qui prebuerint ei consilium auxilium vel favorem.* Fingens autem se domnus Fredericus velle ad concilium properare, secessit de Verona et venit Papiam, deinde Alexandriam. Cui Alexandrini, dum ad invicem milites et pedites male starent, obviam venerunt, et claves portarum civitatis totamque civitatem et omnia castra tradiderunt. Deinde venit Terdonam. Et continuo de militibus Ianue magnatibus et balistariis atque hominibus potestatiarum pro custodia castrorum Gavii, Palodii, Vultabii et aliorum locorum ultra iugum de Ianua missi sunt. Et iacuit domnus Fredericus in Terdona nocte una, et ivit in Ast, deinde Taurinum, ibique moram faciens, expectans responsionem suorum nunciorum quos mandaverat ad papam. Occurrerunt ei marchio Montisferrati, marchiones de Ceva, et Manfredus de Carreto, qui obliti pacis federa et iuramenta que de novo comuni Ianue fecerant, et osculum fidei quod marchio Montisferrati domno pape dederat, pro quibus magnam quantitatem pecunie a comuni Ianue receperant; et quia eorum interest pocius rapere pecuniam quam fidem servare, statim infideles et rebelles domno pape et comuni Ianue facti sunt. Nunciato ipsi domno Frederico quod per domnum papam et concilium sententia depositionis et excommunicationis lata fuerat contra ipsum, separavit se de Taurino et ivit Cremonam; et cum intellexisset ibi, quod homines civitatis Parme contra ipsum rebelles fiebant, et parti ecclesie adherere volebant, festinanter ivit illuc et intravit civitatem Parme. Bernardus vero Ugonis Rubei qui capud erat partis ecclesie, statim cum pluribus de sua parte in magna quantitate militum exivit de Parma. Ipso anno dum Manuel de Guasco Naulensis quandam suam navem Lombardam nomine naulizasset quibusdam Sarracenis et iret de Yspania apud Tunexim, quedam navis Pisanorum armata in Calaro ipsam navem et Manuelem et eius nepotem ceperunt et duxerunt in Calarum, deinde apud Pisas. Accidit autem quod ex marinariis Ianuensibus quatuor captis in ea, dum in barca canterii descenderent eos Pisani octo qui in eadem erant, occiderunt quatuor ex ipsis Pisanis et reliquos quatuor ligaverunt, et fugierunt cum ipsis et barca canterii Ianuam venientes. Guillielmus Adalardus et Iohannes de Nigro cum aliis Ianuensibus quandam navem Paonus nomine contra Pisanos armaverunt in cursum, et ceperunt navem unam Pisanorum honustam multis mercimoniis et in ea Pisanos 32, quos Ianuam mandaverunt. Item cum Pisani bubanciis pleni navem Lombardam quam ceperant et aliam navem cum quatuor galeis armassent in cursum, ut caravane Ianuensium venture de ultra mari

a) amonitus 1. b) appostolicis 1.

1245. dampnum inferrent, si possent, statim de voluntate consilii Ianue ad rumorem fuerunt armate potentissime due naves, videlicet Paradisus et Ferraria, que tunc appellata fuit Coronata, et galee 4, in quibus duo milites et socii potestatis, videlicet Leonardus et Matheus, constituti sunt et positi admirati, et ipsorum consiliarii viri nobiles Nicola Mallonus iunior, Burgarinus de Burgaro, Detesalve de Detesalvis et Lanfrancus de Antiochia. Et
Iul. 10. ad inquirendas naves et galeas Pisanorum moverunt feliciter de portu Ianue die Lune 10. Iulii. Et cum intellexissent, quod naves et galee cursus Pisanorum[a] metu nostrarum reduxerant se in Trapena, statim illuc perrexerunt; et non inventis ipsis, invenerunt in ipso portu naves 5 Pisanorum, et alia plura ligna, quas igne comburserunt. Quamdam aliam navem, Florinam nomine, honustam multis mercimoniis Pisanorum de ipso portu traxerunt; et procedentes versus Panormum, ubi audiverant naves cursus Pisanorum et galeas esse, invenerunt naves caravane Ianue venientes de ultra mari, et sociaverunt eas usque Bonifacium; et facto campo ibi de rebus quas ceperant in nave Florina, conservarunt pro parte comunis occasione expensarum factarum in armamento de ipsis rebus captis valens librarum duodecim milium. Reliqua diviserunt inter se, de quibus tam potestas quam ipsius milites et eorum[b] consiliarii, sicut fertur, bonam partem habuerunt. Postmodum ad inveniendas naves et galeas cursus inimicorum processerunt et sociata est eis navis Paonus nomine quam invenerunt ibi, et iverunt Buzeam, ubi navem unam Pisanorum nomine Sponsaellam honustam mercimoniis invenerunt et eam ceperunt, et plura alia ligna Pisanorum comburserunt in ipso portu; et reverse sunt Ianuam die 17. Novembris, conducentes partem comunis de rebus captis, et aliam navem nomine Sponsaellam

Item ipso anno vir nobilis domnus Guillielmus de Mari contra inimicos quandam navem armavit, et cepit navem unam honustam multis divitiis Saracenorum de Alexandria. Item navis Cigalorum in portu Acconensi quatuor naves combursit; et dum rediret Ianuam, invenit in partibus Provincie quandam navem rebellium Saonensium et eam cepit, et dum applicuisset Massilie cum nave illa, Massilienses qui nunquam animo civitatem Ianue dilexerunt, sub fidantia data illis de navi Cigalorum impediverunt ipsos, et Sagonenses fecerunt dimitti.

Aug. Item ipso anno mense Augusti, sicut Deo placuit, domnus Raymundus Berengarius comes et marchio Provincie et comes Fulcalcherii diem clausit extremum, et heredem sibi instituit filiam suam[c] domnam Beatricem et terram suam totam subditam, et sub protectione Romane ecclesie esse debere precepit domnum Romeum de Villanova baiulum totius terre sue, et filie dimisit quousque maritaretur; quam postmodum domnus Karolus illustris Francorum regis frater assumpsit in uxorem. De morte cuius domni comitis tota civitas Ianue turbata fuit, dolentes ceteri de morte sua a minimo usque ad maximum, eo quod ipse civitatem Ianue et Ianuenses pre aliis honorabat, et in presenti guerra in quantum potuit substinuit, et se et terram suam comuni Ianue exposuit[1] ad omnia sibi grata: cuius anima requiescat in pace. Ipso quidem anno Andriolus filius Ansaldi de Mari dum ivisset Yspaniam cum decem galeis domni Frederici armatis in regno, et portasset quendam nuncium Miramolini, rediit cum galeis de versus Provinciam, ut si quos Ianuenses inveniret
Sept. 5. offenderet; et venit Saonam die 5. Septembris; et cum nulle galee tunc in Ianua forent armate, venit ipse Andriolus supra portum Ianue cum galeis, et intravit ad bucam portus cum una galea, et continuo recessit et ivit Pisis cum galeis. Ipso mense Andriolus[d] filius Ansaldi de Mari venit Pisas cum decem galeis, et pater eius Ansaldus de Mari cum duodecim[e], et festinanter ivit per terram domnus Ansaldus ad domnum Fredericum qui erat in Parma, nunciando ei sicut ipse et filius eius cum galeis 22 erant Pisis, et imperaret eis quid essent facturi. Quo audito domnus potestas de voluntate consilii iussit fieri armamentum galearum, et continuo parate fuerunt in portu Ianue galee omnes, et electi in ipsis supersalientes et voguerii quicumque deberent ascendere in ipsis. Et reversus Ansaldus de Mari Pisis, ivit in Sardineam et Corsicam cum galeis 5; et Andriolus redivit Saonam cum galeis 20 die penultima Septembris, et continuo ivit cum ipsis in Provinciam, ut suaderet et laboraret si posset, quod domna Beatrix olim filia domni comitis Provintie traderetur

a) pissanorum 1. b) *manu alia additum* 1. c) *in marg. a. m.* 1. d) Rubeus *corr.* Andriolus 1. e) *ita correxi;* duabus 1.

1) Ex foedere d. 22. m. Iulii a. 1241 cum Ianuensibus inito. Lib. iur. I, 1000 sq. W.

in uxorem domino Conrado regi filio domni Frederici; et nichil facere potuit, et rediit 1245. Saonam die 12. Octubris, intendens cotidie super minorantia et offensionibus comuni Ianue Oct. 12. faciendis. Et die una sciens quod homines Ianue non ascenderant in galeis que parate erunt, intravit cum galeis portum Ianue versus burgum sancti Thome, et traxit lapides cum prederia posita in una ex galeis per civitatem ubi poterat, et continuo rediit Saonam modica mora facta.

Item ipso anno domnus Fredericus cum potenti exercitu ivit super terram Mediolani die 4. Octubris; cui providi Mediolanenses obviam potentissime exiverunt, longe a civitate Oct. 4. miliariis 14 usque ad fossata que fecerant per alveum Ticinelli, defendentes et prohibentes viriliter, ut non intraret vel transiret domnus Fredericus cum exercitu ullo modo. In subsidium quorum Mediolanensium ad eorum exercitum missi fuerunt pro comuni Ianue balistarii quingenti, qui ad defensionem exercitus Mediolani et offensionem exercitus domni Frederici se mirabiliter habuerunt. Cumque inter alios reputarentur meliores ab omnibus bellatores, positi fuerunt per comune Mediolani tanquam signum ad sagitam in quodam loco capitis fossati, de quo magis dubium videbatur. Ad quem locum una mane ante lucem rex Encius filius naturalis domni Frederici cum potenti militia ivit, et transivit fossatum; et cum non possent ibi locum balistarii retinere, reduxerunt se ad quoddam reductum ibi prope; et occurrentes illuc viri providi Mediolanenses de exercitu retinuerunt regem Encium; et plures de militibus Mediolani fuerunt capti, et de balistariis Ianue similiter. Milites vero Mediolani capti in scontrum regis Encii liberati sunt, balistarii vero Ianue qui capti sunt, in enormem iniuriam et vituperium comunis Ianue fuerunt manu et oculo mutilati; qui postmodum dum venissent Ianuam, provisum fuit eis a comuni Ianue ut quolibet anno in officiis civitatis essent certo salario constituti. Domnus Fredericus videns quod super terram Mediolani nichil proficeret, separavit exercitum die 12. mensis Novembris et Nov. 12. ivit Grossetum. Die vero sabbati 16. mensis Decembris circa mediam noctem validissima Dec. 16. fortuna maris et temporis fuit in portu Ianue, ita quod multe naves iverunt ad terram, alie in portu Ianue afondate, galee multe tam comunis quam civium, et alia multa ligna in mari et terra destructa, et deterius accidit lignis que erant in terra quam illis de mari. Modulus fractus fuit, et numquam per aliquos viventes visa fuit tanta malicia maris et temporis tempestatis. Que postquam beatissimum corpus sancti Iohannis et crux vera beati Laurentii cum aliis reliquiis fuerunt per civitatem ad partes moduli et ripe per religiosos deportata, sedata fuit, et requievit maris et temporis fortitudo et tempestas. Ipse vero domnus Phylippus Guiringuellus finem sui regiminis feliciter terminavit[a].

Anno dominice nativitatis 1246, indictione 3. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis 1246. domnus Albertus de Mandello, civis Mediolani, et cum eo iudices duo, domnus Iacobus de Canturo qui stetit iuxta eum, et domnus Lanfrancus Raufus qui deputatus fuit ad causas maleficiorum et post recessum dicti domni Iacobi de Canturo stetit iuxta potestatem. Milites eius domni Oliverius de Solario, Gilius de Casali et Guillielmus de Gaidella. Octo nobiles sive clavigeri comunis Guillielmus Mallonus Grassus, Otto Ventus, Ugo Fornarius, Lanfrancus Malocellus, Ugo Lercarius, Obertus Purpus, Lanfrancus de Grimaldis et Lanfrancus de Guisulfo. Consules de iustitia in palatio civitatis Boscus Pavarus Mediolanensis; in palatio de medio Rogierius Caponus; in palatio foritanorum Iacobinus de Bonicetis; in palatio de versus burgum Nicola Tricia. Scribe comunis hii qui in preterito extiterunt.

Ipso quidem anno domnus potestas in principio regiminis sui dum ex valida precedente maris tempestate galee comunis et civium in portu essent destructe, et diceretur quod estate proxime futura exercitus magnus marinus et terrestris venturus erat super civitatem Ianue, et quod ad hec domnus Fredericus et Pisani totis conactibus intendebant: voluit de consilio civitatis, ut omnes galee reficerentur et aptarentur continuo, et factum fuit; precipiens et bannum ponens, ut omnes milites et pedites tam intus civitatem quam extra parati essent in armis et equis et nullus se absentaret extra districtum, set equos inpositos haberet quilibet et super confusione inimicorum quilibet esset intentus, negociationibus et aliis pretermissis. Viri namque providi Ianuenses, licet undique pararentur magni exercitus contra ipsos, non solum ad defensionem verum etiam ad confusionem inimicorum plus

a) *dimidia columna vacat* 1.

1246. solito surrexerunt. Missi fuerunt tunc duo ambaxatores ad dominum papam apud Lugdunum, videlicet domni Obertus Passius et Picamilius, ut de succursu provideret Lombardis fidelibus suis et civitati Ianue; et ad illustrem regem Francorum pro facto passagii, pro quo nunçios suos mandaverat Ianuam domnus rex, et etiam apud Massiliam occasione navis Cigalle quam impediverant Massilienses. Nunciis vero domni regis Francie, qui pro facto passagii Ianuam venerant, ob reverentiam domni regis fuit responsum, faciendi quicquid placeret domno regi tam super navibus quam galeis et gentibus non obstante guerra presenti; et ipsi nuncii sumpto comeatu iverunt Pisas. Quos Pisani detinuerunt et mandaverunt eos ad domnum Fredericum apud Grossetum, qui eos male recepit eo quod prius venerant ad Ianuenses quam ad ipsum. Accidit autem, quod stante in Grosseto domno Frederico, et mandasset Lombardis fidelibus suis omnibus, et Pisanis atque Saonensibus, Albinganensibus et Iacobo de Carreto aliisque marchionibus et circonstantibus universis, ut potentem exercitum mari et terra contra Ianuenses pararent et ad hec Ianuenses mascarati qui extra civitatem erant, darent operam iuxta posse, et ne quis blavam seu victualia presumeret in pena capitis civitatem[a] vel districtum Ianue aportare: nobiles viri baroni de regno suo Thebaldus Franciscus et alii plures qui in curia eius erant, tractaverunt eum occidere. Comes vero de Casertis fecit hec scire domno Frederico; et sic Thebaldus Franciscus et alii culpabiles fugierunt, alii apud Romam, alii in maritimam, et alii ad loca quibus recursum habere melius potuerunt. Thebaldus quidem Franciscus in castro roche Capalbi se reduxit. Domnus quidem Fridericus ad capiendos eos et inveniendos personaliter in regnum perrexit, quia timuit, ne fierent ei rebelles illi de regno; et obsedit castrum roche Capalbi, et ipsum cepit et Thebaldum Franciscum vastari fecit et destrui.

Ipso quidem anno venit Ianuam mense Augusti quidam nuncius Theotonicus illustris domini Enrici langravii[b] Turingie regis Romanorum electi, qui litteras valde bene compositas ex parte ipsius regis potestati et comuni Ianue presentavit, de promotione sua continentes, et quod civitatem Ianue et cives inter alias civitates Italie proposuerat honorare, et quod duas batalias post suam promotionem devicit, quas habuit cum domino Conrado filio domini Frederici. Item ipso mense Augusti nuncii solempnes illustris domini Francorum regis venerunt Ianuam pro conducendis navibus ad passagium domini regis contra paganos in partibus ultramarinis, et fuerunt nuncii illi domnus Iohannes de Garlac miles domni regis, domnus Iohannes de Parisio clericus regis, magister mansionum Templi, et magister mansionum Hospitalis Ierusalem in Lombardia. Qui habentes tractatum cum comuni Ianue, de voluntate ipsius et tocius consilii Ianue missus fuit cum eis ex parte comunis Ianue ad domnum regem Wilielmus de Varagine cancellarius et scriba comunis Ianue ad conducendas naves ipsi domno regi, et galeas ad suum passagium. Qui Guillielmus diligenter complevit quicquid ei fuit impositum a comuni, et naves 16 novas ipsi domno regi certo naulo conduxit. Et quia de Ianuensibus pre aliis nationibus confidit domnus rex in facto passagii, elegit admiratos suos de Ianua nobiles viros dominos Ugonem Lercarium et Iacobum de Levanto, quibus litteras suas mandavit, ut irent ad ipsum, et fecerunt. Ipso anno vir nobilis Fulco Guercius quandam navem Navarram nomine armavit in Ianua in cursum cum duabus galeis contra inimicos, habitis proinde a comuni libris mille Ianuinorum mutuo sub certa forma. Item nobiles viri domni Opizo et Conradus marchiones Malaspine qui tunc favebant dicto Frederico, reversi sunt parti ecclesie cum Mediolanensibus et Placentinis fidelibus ecclesie, set post modicum tempus ipso anno, sicut consuetudo est marchionum, domnus Conradus voltam fecit in contrarium et adhesit parti domni Frederici. Ipso quidem anno dum civitas Viterbii faveret parti et fidelitati ecclesie, conversa est parti domni Frederici. Item cum longo tempore haberentur consules exterius in palatiis placitorum, decrevit consilium ipso anno, quod pro anno futuro intus civitatem consules haberentur de civibus Ianue et legistis. Et cum domnus Fredericus non confidens de suis ad multa esset intentus, tum etiam quia tam super defensione quam super offendendis inimicis magnus in civitate Ianue factus fuerat apparatus, requievit Dei gratia civitas Ianue ipso anno in pace, et ipse dominus Albertus de Mandello finem sui regiminis feliciter terminavit[c].

1247 Anno Domini 1247, indictione 4. fuit in regimine civitatis Ianue vir nobilis dominus Ber-

a) *vox iam abscisa*; c. v. d. I. a. *m. alia in marg.* 1. b) l. l. *alia m. in marg.* 1. c) *dimidia columna vacat* 1.

nardus de Castronovo, civis Placentinus, et cum eo iudices duo, dominus Iacobus de Altacima 1247. qui stetit cum eo, dominus Obertus Lecacorvus qui fuit deputatus ad officium maleficiorum. Milites eius dominus Enricus de Monte-Donnico et dominus Burgarinus. Consules de iustitia fuerunt de civitate Ianue, in palatio civitatis Bonusvassallus de Sauro, Symon Silvagnus; in palatio de medio Ugo de Flisco, Andreas Gatelusius; in palatio foritanorum Guillielmus de Quinto, Lanfrancus Mallonus; in palatio de versus burgum Nicolosius de Murtedo, Symon Lomellinus. Octo nobiles sive clavigeri comunis Phylippus Embriacus, Lanfranchus Albericus, Ottobonus de Cruce, Guillielmus de Mari, Andriolus de Nigro. Bonusvassallus Sardena, Iohannes de Turca, Becus Rubeus Vicecomes. Scribe comunis hii qui in anno preterito extiterunt.

Ipso quidem anno domno Innocentio papa stante in Lugduno, et cum esset domnus Fredericus dictus imperator in partibus Ampulie, vigili cura intendebat domnus papa, qualiter posset melius succursum militum Lombardis fidelibus suis prestare; et ipse domnus Fredericus intendebat totis viribus, ut terras ecclesie usurparet; perseverantibus etiam Saonensibus, Albinganensibus, Iacobo marchione de Carreto et aliis pluribus de riperia et mascaratis Ianue in rebellione concepta; voluit ipse domnus potestas in principio sui regiminis intendere ad confusionem rebellium Saonensium, pro quibus tota guerra vigilabat; et de voluntate tocius generalis consilii movit feliciter cum exercitu ad depopulationem dictorum rebellium Saonensium die 11. mensis Maii, et quecumque extra muros civitatis Mai. 11. eiusdem invenit, radicitus vastitavit. Ipso anno domnus Enricus langravius Thuringie rex Romanorum electus, sicut Deo placuit, diem clausit extremum, de morte cuius dom- Febr. 17. nus papa turbatus fuit, et litteras comuni Ianue et ceteris fidelibus suis mandavit, ut nullus expavesceret de morte sua, set essent constantes contra Fredericum olim imperatorem, ad libertatem tuendam. Cum audiret domnus Fredericus de morte dicti regis, vehementer complacuit ei et putavit qualiter posset Lombardos decipere et concordari cum ecclesia, ut relevaretur ab interdicto. Et movit de Ampulia mansuetus in modum agni ut melius decipere posset, et intravit Lombardiam dicens, se ex toto velle parere mandatis domni pape et ecclesie, et pacem dare mondo. Et ivit Taurinum festinans, ut iret Lugdunum ad dominum papam; dicebatur tamen quod ad instantiam faciebat domni regis Francorum, ut non impediretur propter discordiam passagium ipsius regis quod statuerat fieri contra paganos. Tamen domnus comes Sabaudie prohibuit transitum ipsi domno Frederico, nisi castrum de Rivolis, quod muniri fecerat, prius restitueret ipsi comiti, quod statim fecit ei restitui[2]. Et dum se pararet ad motum, audivit quod civitas Parme facta fuerat ei rebellis, Mai. 8. et quod Bernardus Rubeus et alii milites Parme qui foris erant, pro parte ecclesie intra- Iun. 16. verant Parmam, et devicerant Bertholum Tabernerium et alios de parte sua qui fovebant partem domni Frederici. Statim ipse domnus Fredericus videns et cognoscens quod si civitatem Parme amitteret, extra Lombardiam esset ex toto, et nichil proficeret cum domno papa, rediit continuo versus Parmam, veniens cum furore; et venit Papiam, deinde Cremonam. Et tunc pro comuni missi fuerunt balistarii 150 in subsidium Parmensium ad requisitionem Placentinorum.

Encius tamen filius[a] domni Frederici dum esset tunc cum exercitu Cremonensium et aliis mascaratis de civitate Brixie eiectis, et obsederent quoddam[b] castrum Brixiensium Quinzanum nomine, statim eo relicto dimissis machinis et hedificiis que construxerant ibi, equitaverunt super territorium Parme, et ibi hostiliter castra fixerunt, et mandarunt pro Aug. 2. domno Frederico ut personaliter veniret ad ipsos; et continuo ivit, dicens[3] se magis non movere de loco donec civitatem illam Parme destrueret et haberet. Cumque providi Parmenses super eorum defensione viriliter intenderent, ad servicium sancte matris ecclesie mandaverunt undique pro succursu. Et illico domnus legatus, qui erat in civitate Mediolani, cum honorabili militum comitiva illuc ivit. Placentini similiter honorabilem militum quantitatem mandarunt, et pro comuni Ianue missi fuerunt in subsidium Parmensium balistarii 300. Nobiles viri de Flisco comites Lavanie alios 300 balistarios mandaverunt. Dominus Innocentius papa fecit soldeari in Lugduno milites 1500, quos in subsidium Parmensium

a) naturalis *m. alia in marg.* 1. b) quodam c.

2) Böhmer Reg. Frid. n. 1129 d. 8. m. Mai. 1247. 3) i. e. continuo dixit.

1247. et aliorum Lombardorum destinabat; quibus comes Sabaudie transitum prohibuit, seductus a domino Frederico, et opportuit eos reverti[4]. Tunc misit unum ex cardinalibus domnum Ottonem Avianum aput Mediolanum cum magna quantitate pecunie, et soldeavit milites 1500 et exercitum magnum sicut potuit congregavit, et venit hostiliter in partibus Bersellis supra Taliatam, ubi domnus Fredericus castra metatus est, et stetit ibi pluribus diebus. Et cum speraretur de prelio inter utrumque[a] exercitum, tandem domnus cardinalis exercitum separavit; domnus Fredericus appropinquavit cum exercitu civitati Parme, et ibi aliam civitatem composuit, que appellata fuit Victoria.

Homines de Lunexana et Grafagnana, qui tunc favebant domno Frederico, facti sunt rebelles contra ipsum, et ceperunt vicarium suum quem constituerat eis, et captum posuerunt in carcere in castro Gropi sancti Petri. Et tunc vir nobilis domnus Opizo marchio Malaspina recuperavit totam terram suam de Lunexana, quam amiserat. Servientes vero qui erant in castro Zolaschi pro domno Frederico, et quos vicarius eius ibi constituerat, tractaverunt cum quodam nomine Cavacia, ut ipsum castrum pro pecunia redderent comuni Ianue; et sumpta pecunia, ivit Cavacia cum hominibus Levanti ad ipsum castrum Zolaschi, et capientes ipsum pro comuni Ianue, munierunt. Tunc homines de Corvaria, Lacu, Cazana, Ripalta, Rotondo, Casali, Bozolo, Carpena, Cornilia, et alii omnes de partibus Varesii, qui rebelles comuni Ianue facti erant, ad fidelitatem comunis Ianue sunt reversi, contra quos domnus potestas Ianue equitaverat, et omnes venerunt ad pedes eius. Ipso quidem anno galee 20 domni Frederici, que erant Pisis, venerunt in portum Ianue; quibus Andriolus filius Ansaldi de Mari preherat admiratus; et stantes in portu modica hora, continuo iverunt Saonam. Et dum galee due Massiliensium honerate torsellis[5] pannorum Francie hominum Ianue et Placentie venirent Ianuam, invenerunt eas supra Arenzanum, et ceperunt eas, et euntes versus Provinciam et per mare illud; et[b] cum non essent aliqui previsi de ipsis galeis, multum malum fecerunt, ceperunt quoque duas taridas Turtufinorum honeratas blava et alia plura ligna. Tunc iussit potestas de voluntate tocius consilii armamen-
Iul. 27. tum galearum fieri contra ipsas; et dum armarentur nec essent adhuc parate, venit Andriolus de Mari cum dictis galeis supra portum Ianue, et tulit bricolam unam in quadam tarida, et plures lapides ad dedecus comunis Ianue per civitatem trahi fecit; et hoc fuit una die sabbati 27. mensis Iulii. Quadrellos etiam multos cum balistis de turno trahi fecit per civitatem, ut gentes interficeret. Et cum armarentur contra ipsum galee in Ianua, et ascenderent in ipsis omnes ad rumorem, quam cito perpendit hoc Andriolus, cui signa et inditia semper fiebant de Ianua per aliquos proditores, statim recessit cum omnibus galeis et tarida et ivit Saonam. Tunc fuerunt armate galee 25, et ascendit in eis domnus potestas, et ivit querere[c] inimicorum galeas. Et cum iactasset Andriolus de Mari prelium dare nostris, fecit licias in portu Saone, et reduxit galeas in portum Saone aduratas in terra; et steterunt galee nostre supra portum Saone tota die; et nocte illa ivit Naulum, ubi duas galeas Ianue que fuerant armate in guardia invenit, et cum ipsis rediit die crastina supra portum Saone, ut videret, si[d] Andriolus de Mari, qui iactaverat cum Saonensibus exire et prelium dare nostris, hoc facere attemptaret[e]. Et non presumpsit exire. Et cum armasset Andriolus ad studium galeam unam ex suis, quam mandabat obviam uni ex suis galeis quam venturam de Pisis expectabat, ut previsa esset de galeis nostris, et in ipsa galea constituisset comitum Thomam Mortuum Sitis Ianuensem, quam cito viderunt eam galee nostre, insecute fuerunt eam; et cum fugere non posset, appropinquaverunt ei sagitea hominum Portus Veneris et galea armata hominum Avenzani, et ferivit illa galea ad terram in ripa Varaginis, et omnes descenderunt de ea fugientes per montaneas et abscondentes se; et capta illa galea, insecuti fuerunt homines de galeis nostris illos de galea illa qui aufugerant, et multos ceperunt et multos occiderunt; Thomam vero Mortuum Sitis comitum non[f] invenerunt. Et reverse sunt nostre galee versus Naulum et versus Provinciam, ut conducerent Ianuam caravanam lignorum que in partibus illis[g] erant. Et reversus est domnus potestas cum galeis et caravana et cum galea et hominibus captis die 23. mensis

a) *alia m. in lacuna* 1. b) et c. n. e. *alia manu in loco raso* 1. c) quere 1. d) *m. alia* 1. e) atemptaret 1. f) *m. alia* 1. g) *m. alia* 1.

4) Petri de Vinea epist. II, 49. 5) fasciculis.

Augusti Ianuam cum honore, et licentiavit homines de galeis, eo quod ad rumorem 1247. armate fuerant, volens intendere super alio armamento faciendo.

Tunc Andriolus de Mari cum galeis ivit in Provintiam, et invenit in portu de Olivoli quandam navem Ianuensium nomine Paonus qui ibi erat ad fidantiam domni comitis Provincie, in qua nulle erant mercandie, et cepit eam et cum duabus galeis mandavit eam Pisas, et cum reliquis galeis ivit versus Provinciam si posset offendere aliquos venientes Ianuam tam amicos quam inimicos. Et invenit galeam unam torseleriam Provincialium honustam torsellis et pannis Francie, venientem a Monte Pesulano valde divitem, et cepit eam et reversus est Saonam, et noluit ibi facere campum de rebus captis, set ut melius sicut ferebatur posset sibi attrahere utilitatem, ivit cum galeis et rebus captis in Corsicam, ut ibi divideret spolia, et dimisit in Saona galeas 5. Et mortuo viro nobile Lanfranco Advocato qui erat in Corsica, quoddam ex castris Corsice, quod muniverat[a] Antonius Advocatus filius Lanfranci, cepit ipse Andriolus. Et cum diceretur ipsum Andriolum velle redire Saonam cum galeis, armate fuerunt in Ianua galee 24, ex quibus decem iverunt in Provinciam pro conducenda Ianuam caravana, et alie remanserunt supra portum Saone. Mense autem Septembris die 2. homines Portus Veneris, qui cum una galea iverant in cursum, ceperunt galeam unam domni Frederici, que vehementer armata fuerat ad studium in regno, et erat in ea comitus sive capitaneus Alexander de Ienario Neapolitanus de maioribus, in qua galea domnus Fredericus faciebat ad se venire prexonerios tres de maioribus Mediolani qui erant in regno, videlicet domnum Guiscardum de Petra sancta filium domni Pagani, domnos Guidonem et Gabrielem de Petra sancta fratres domni Pagani, quos dare volebat in scontrum sive cambium quorumdam virorum nobilium de Pergamo qui capti erant a Mediolanensibus. Et ipsam galeam duxerunt homines Portus Veneris qui eam ceperant Ianuam, et letanter fuerunt recepti. Omnes captos tradiderunt comuni, inter quos erat Robaconte de Pergamo qui unus de maioribus civitatis illius est, et qui iverat pro dictis prexoneriis ducendis, et Alexander de Ienario et unus eius filius et unus nepos eius, et homines 200 boni de Neapoli, qui omnes in carceribus positi sunt. Domini Guiscardus Guido et Gabriel de Petra-sancta honorati fuerunt in civitate Ianue, et comune Ianue fecit eis dare expensas et conduci ad civitatem Mediolani. Ipso anno dum quidam parentes Luxiardi pro vindicta suorum, quos occiderat Guirardinus de Carpena, ipsum Guirardinum occidissent in loco qui dicitur Pexina, et ipsum locum munissent, nobiles viri domini Albertus Iacobus et Nicolaus de Flisco comites Lavanie pro vindicta inde facienda convocaverunt amicos suos de Ianua, et fecerunt exercitum ad ipsum locum de Pexina, et per bataliam ceperunt eum, et omnes occiderunt qui in ipso castro erant. Nobiles viri domni Enricus et Fredericus marchiones de Gavio, qui tunc erant pro comuni Ianue forestati, restituti fuerunt ipso anno sub certis conventionibus, ut castrum Roce Urbis ponerent in forciam comunis Ianue, si placeret comuni. Et venerabilis pater dommus patriarca Antiochenus venit Ianuam, et letanter ac honorifice fuit receptus. Item vir nobilis Iacobus marchio de Carreto qui comuni Ianue rebellis erat et inobediens, assumpsit in uxorem quandam filiam naturalem domni Frederici. Item ipso anno electus fuit in regem Alamanie vir nobilis Oct. 3, domnus Guillielmus Os laudi[6] per barones et magnates Alamanie quibus spectabat electio, et ipse litteras de promotione sua comuni Ianue mandavit, et quod civitatem et cives Ianue volebat inter alias civitates Ytalie honorare. Item ipso anno mense Octubris una die Oct. 12. Iovis duodecima ipsius mensis mane, visum fuit mirabile signum in celo, quia devenit celum mirabiliter rubeum et obscurum; et subsequenter mense Decembris die Veneris tercia decima ipsius mensis in sero dum esset tempus clarissimum et luna clare luceret, facta fuit tota nigra: super quibus signis non solum tota civitas, immo totus orbis moti fuerunt ut plurimum ad timorem. Andriolus de Mari cum galeis recessit in regnum, et voluit dimittere per totam yemem 5 galeas in Saona; set omnes galioti fugierunt, et opportuit illas recedere. Item ipso anno proditor Bernardus Liberellus tractavit cum Alexandrinis prodere et furari castrum et locum de Capriata munitum pro comuni Ianue, ubi erat Martinus Marabotus; et nocte una venit illuc cum Alexandrinis dictus proditor, et furatus est castrum et locum Capriate. Et ipse dominus Bernardus potestas finem sui regiminis feliciter terminavit.

a) minuenerat 1. *ex correctura.* 6) i. e. Hollandie.

1248. Anno[a] Domini 1248, indictione 5.[b] fuit in reginnine civitatis Ianue vir nobilis domnus Rambertinus de Bovarello, civis Bononie, et cum eo iudices duo, videlicet Guillielmus de Rombovino doctor legum qui stetit iuxta eum, et Benvenutus quondam Zanci qui fuit ad malefitia deputatus. Milites eius Guido de Savignano[c], Azolinus Alexii, Bonifacius de Lafratra. Octo nobiles sive clavigeri comunis Enricus filius quondam Ottoboni Malloni, Guillielmus de Burgaro, Ginata Cavarruncus, Marinus de Marino, Lanfrancus Ususmaris, Lanfranchus Gateluxius, Lanfranchinus Pignolus, Iacobus Anioinus. Consules de iusticia in palacio civitatis Ansaldus de Ast et Baldoinus Scotus; in palatio de medio Nicolosus de Vultabio et castellanus de Savignono; in palatio foritanorum Bartholomeus Ferrarius et Guarnerius Iudex; in palatio de versus burgum Lanfrancus Cigala et Nicolosus Lucensis. Scribe comunis hii qui in anno preterito extiterunt.

Ipso anno, dum intenderet potestas inter cetera ad expeditionem navium que fiebant in Sancto Petro Arene pro passagio domni Ludoici illustris Francorum regis, domnus Fredericus dictus imperator dum esset in obsidione civitatis Parme valde timebat de ipso passagio, maxime propter apparatum tam magnum navium et galearum et bellatorum Ianuensium, qui in ipsis ituri erant, ne descenderent in insula Sicilie, et totam ipsam insulam subiugarent; et mandavit undique subditis et fautoribus suis, ut contra Ianuenses pararent exercitus mari et terra, et ipse in persona sua venire promiserat. Venerunt itaque galee 25 de regno armate aput Saonam. Obertus Pelavicinus cum Pisanis et aliis multis de Tuscia Lunexana et Grafagnana exercitum contra comune Ianue paraverunt. Mascarati Ianuenses qui foris erant, intendebant ut per Lombardos fieret exercitus contra comune Ianue; et Iacobus marchio de Carreto, qui se vicarium domni Frederici a civitate Astensi superius asserebat, similiter parabat exercitum iuxta posse. Tunc generali consilio Ianue convocato, surrexit domnus potestas, et mirabiliter adlocutus est omnes de consilio animando, ut quilibet esset intentus ad libertatem et patriam suam tuendam, quia omnia hec fiebant ut inpediretur domno regi passagium. Viri namque providi Ianuenses unanimiter alta voce corde leonino per totam civitatem dicebant, ut quilibet esset intentus ad arma, et multo forcius naves et galee que fiebant, supplerentur pro passagio domni regis. Et de voluntate consilii missi fuerunt duo ambaxatores apud Placentiam, videlicet domni Amicus Streiaporcus et Iohannes de Turca, ut milites 400 ad soldos comunis Ianue soldearent; et in civitate Ianue fuerunt impositi equi 300 et ultra Iugum equi 100, et in omnibus castris et locis riperie ex parte orientis et occidentis et ultra Iugum missa fuit bona custodia servientum, balistariorum et victualium. Et armate fuerunt continuo galee 32, quatuor videlicet in qualibet compagna; et missum fuit ex parte comunis Ianue domno regi Francie de his que faciebat domnus Fredericus, ut suum passagium impediret, et quod de hoc nullatenus dubitaret, quia sicut comune Ianue promiserat, habebit naves et galeas ad suum passagium de omnibus premunitas.

His autem taliter manentibus, sicut Deo placuit, providi viri de civitate Parme quasi desperati, eo quod taliter erant astricti quod evadere non poterant, extra civitatem exive-
Febr. 18. runt ad bellum cum domno Frederico et suis, qui erant in obsidione Parme, in civitate quam ibi construxerat, que Victoria dicebatur; et cepto prelio, divino miraculo conversus fuit in fugam domnus Fredericus, et Encius filius eius qui erat ibi, et intraverunt Parmenses civitatem Victorie; et cum essent ibi Cremonenses cum carocio, statim devicti fuerunt et conversi in fugam. Multi tamen de Cremonensibus et aliis capti fuerunt, et multi mortui. Et cum pervenissent Parmenses ad cameram domni Frederici in Victoria, invenerunt

a) *folium 159 principio sistit magistratus anni* 1248 *paullo aliter quam antea leguntur, adiecta in margine manu posteriore nota:* Vacat. *Hoc modo:* Anno dominice nativitatis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, indictione quinta, potestas civitatis Ianue fuit dominus Rambertinus de Bovarello, civis honorabilis Bononiensis. Qui secum iudices duos habuit, unum videlicet Guillielmum Rumbum vini doctorem legum pro assessore suo, et alium Benevenutum quondam Zancii deputatum ad causas et questiones malefitiorum audiendas et diffiniendas. Item tres milites, Guidonem de Montevetulo, Azolinum de Alexio et Bonifacium de Sancto Laurentio. Octo discreti fuerunt Enricus Mallonus, Guillielmus de Bulgaro, Ginata Cavarruncus, Marinus de Marino, Lanfrancus Ususmaris, Lanfrancus Gatiluxius, Lanfrancus Pignolus, et Iacobus Anioinus. Scribe vero comunis fuerunt Guillielmus de Varagine, Enricus de Bisanne, Petracius de Musso, Obertus de Langasco, Vassallus Gallus et Iacobus Papia. Consules autem placitorum: In palacio civitatis fuerunt Ansaldus de Ast iudex et Balduinus Scotus; scribe Philippus Cintracus et Obertus de Marzano. In palatio de medio Nicolaus de Vultabio et Castellanus de Savignono; scribe Obertus de Cerredo et Andreas de Fraxancto. In palatio de versus burgum Lanfrancus Cigala et Nicolaus Lucensis; scribe Ricobonus Coxanus et Iacobus Ysembardi. In palatio foritanorum Bartholomeus Ferrarius et Guarnerius iudex; scribe Gandulfus de Sexto et Nicolaus de Clavaro. *Tum anni* 1249 *historia subicitur.* b) *alio atramento* 1. c) savignono *corr.* savignano 1.

magnum thesaurum, lapides preciosos et cetera ornamenta domni Frederici. Iudicem Thadeum occiderunt, qui cameram custodiebat, et civitatem illam Victorie destruxerunt. In ipso prelio dum essent ibi balistarii de Ianua numero 600, mirabiliter se habuerunt, et quasi primi fuerunt qui Victoriam intraverunt; ipsi namque et alii omnes qui in prelio erant cum Parmensibus multa lucrati sunt, et quasi divites omnes facti; set plus lucrati sunt illi qui emerunt ab eis, quia lapides preciosos ornamenta et perlas dabant pro medietate precii et minori, non cognoscentes ea ac si essent silique[a] inter porcos. Domnus Fredericus cum suis dolore et angustiis perfusus, in civitatem Cremone se reduxit; et ab ipso die in antea acciderunt ei quasi omnia in sinistrum. Divulgato itaque quod Victoria capta erat et confrictus domnus Fredericus, omnes quicumque contra comune Ianue parabant exercitus, cornua retraxerunt. Obertus Pelavicinus cum Pisanis venit in Lunexanam, et ceperunt tunc castrum Aiguinolfi et alia plura castra; set ad terram comunis Ianue minime appropinquavit. Et intendens domnus potestas super expeditione navium et galearum passagii, elegit in potestatem ipsius navigii super omnes Ianuenses nobilem virum domnum Rubeum de Turca, qui potestatiam gratulanter suscepit. Set quia in factis civitatis et guerre pre aliis civibus comunitati Ianue utilis videbatur, et diceretur quod domnus Fredericus adhuc cum magno exercitu maris et terre contra comune Ianue esset venturus, consultum fuit et provisum, ut remaneret in civitate domnus Rubeus de Turca, et non iret ultra mare; et cum potestati et comuni suo esset semper obediens et fidelis, adimplevit voluntatem domni potestatis et comunis; et de salario ei constituto per consilium fuit ei honorifice provisum. Domnus Innocentius papa dum esset in Lugduno, audivit quod mascarati et cives Ianue qui foris erant, non cessabant contra comune Ianue mala tractare in favorem domni Frederici; mandavit litteras comuni Ianue in hac forma: 1248.

*Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestati consilio et comuni Ianue, salutem et apostolicam benedictionem. Cum diligenter attendimus et sollicite meditamur, quot et quales vobis paret insidias Fredericus quondam imperator ecclesie persecutor, quibusve ingeniis sive modo fallaciis et dolositatibus fideles ecclesie trahere ad se velit, ut eos morsu mordeat amarissimo et impie tradat morti, expediens immo propter instantis malitiam temporis necessarium arbitramur, ut illorum temeritatis presumptio qui in ipsius, vestrum sanguinem siccientes, auxilium privatim vel publice se convertunt, digno castigentur verbere ac pena debita feriantur. Cum igitur circa statum vestrum et omnium aliorum ecclesie devotorum in prospera dirigendum, sicut nos[b] duxistis aliquando requirendos, hactenus intenderimus toto posse totoque ingenio insistamus, cum nil amplius cupiamus ad presens quam negocio comuni quod agitur, profectus accedant prosperi et felices succedant eventus, ac id nequaquam valeat provenire sitque labor noster inutilis, si contingat vos[c] in contrarium laborare: volumus et per apostolica scripta vobis precipiendo mandamus, quatinus submoto cuiuslibet dilacionis et difficultatis dispendio statuatis et irritetis deinceps a vobis irrefragabiliter[d] observari, ut illorum omnium qui inventi fuerint aliquid tractare vel etiam tractavisse in favorem Frederici predicti et detrimentum civitatis vestre, vel societatis dispendium Lombardie, a tempore quo depositionis tulimus sententiam in eundem, bona quelibet publicentur vestris comunibus usibus applicanda[e], eis tam de vestra quam de omnibus aliis civitatibus societatis predicte perpetuo forbannitis, quorum filii et nepotes ad nulla penitus officia vel potestatias in vestra vel aliqua societatis eiusdem civitate de cetero assumantur. Illi vero qui tales in officiales sue civitatis presumpserint assumere vel etiam potestates, se noverint excommunicationis sententia innodatos et terras eorum supponendas ecclesiastico interdicto. Dat. Lugduni 6. Kalendas Maii, pontificatus nostri anno quinto.* Apr. 26.

Ipso anno[f] domnus Fredericus venit in Ast et ad partes illas, nuncios suos mandavit ad illustrem Francie regem, exponens se et terram et homines suos ad passagium suum contra paganos, sicut publice dicebatur, et ut ipse domnus rex cum domno papa sic faceret, quod relevaretur a sententia excommunicationis et depositionis, quam tulit in eundem; set nichil facere potuit. Stetitque per totam yemem in Lombardia ipse domnus Fredericus, et cessavit ipso tempore non offendere hostiliter terram comunis Ianue vel cruce signatos ad passagium. Et ipse domnus potestas finem sui regiminis feliciter terminavit[g].

a) *alia manu in lacuna* 1. b) uos 1. c) nos 1. d) refragabiliter 1. e) aplicanda 1. f) I. a. *alia manu addita* 1. g) *in imo margine alia manu saec. XIII. legitur:* Hoc anno lodouicus rex françorum tranfrectauit et peruenit in egypto. Hic debet poni de exercitu regis francorum. quando partuit (partivit). et quod ligna et milites habuit. et quo iuit. et alia accidentia illo anno. *Tum duo folia vacant; alia manu pergitur* 1.

# VII.

# ANNALES IANUENSES

## A. 1249—1264.

1249. Anno 1249. potestas civitatis Ianue fuit dominus Albertus de Malavolta, nobilis civis Bononiensis, qui secum duxit iudices duos, videlicet Thomaxium domni Alberti de Ugeto legum doctorem pro assessore suo, et alium Iohannem domni Guiscardi deputatum ad causas et questiones malefitiorum audiendas et diffiniendas. Item milites tres Andream de Cantagallo, Raynerium de Ceula et Zanganellum de Panigali. Octo discreti Guillielmus de Castro, Thedisius de Flisco, Obertus de Cruce, Guillielmus Guercius, Iohannes canzellerius, Bonifacius de Tiba, Lanfrancus de Grimaldo, Ansaldus Fallamonica. Scribe comunis fuerunt Guillielmus de Varagine, Enricus de Bisanne, Petracius de Musso, Obertus de Langasco; Vassallus Gallus, Iacobus Papia. Consules autem placitorum fuerunt: in consulatu civitatis Beltramus Bacigia, Iacobus Zurlus, et eorum scribe Philippus Cintracus, Obertus de Marzano; in consulatu de medio magister Aymericus et Baalardus de Pallo, qui ambo in ipso consulatu decesserunt, et subrogati fuerunt loco eorum Napuleonus de Vultabio et Obertus Galleta, et eorum scribe fuerunt Obertus de Cerredo et Andreas de Fraxeneto; in consulatu de versus burgum Nicolaus Mignardus et Bonusvassallus Sardena, et eorum scribe Ricobonus Coxanus et Iacobus Isembardi; in consulatu foritanorum Homobonus de Baxanno et Guarnerius Iudex, et eorum scribe Gandulfus de Sexto et Nicolaus de Clavaro. In nomine Domini amen. Tempore Alberti Malavolte, in ipso anno cum inclitus et illustris rex Ferdinandus[a] Castelle et[b] Legionis, civitatem Yspalensem de manu Sarracenorum liberasset, et eam suo imperio adiunxisset, que quidem civitas caput ab antiquo consuevit esse tocius Yspanie, utpote quia a nomine ipsius dicta est Yspania — nam Yspania dicitur ab Yspali civitate, que civitas vulgari sermone Sybilia appellatur —, placuit tunc sapientibus Ianue, ut ad ipsum regem legati mitterentur causa componendi cum eo, qualiter negociatores Ianue illuc et ad alias terras regni sui quas habebat et in posterum haberet accedere deberent et quod et quantum ro drictu et exaccionibus solvere deberent, et postularent a rege contratam sive locum in psa civitate, in quam haberent negociatores Ianue fondicum, domos, ecclesiam et furnum, sicut in pluribus civitatibus habent et habere consueverunt; et consules ex se ipsis, qui de questionibus vertentibus inter Ianuenses cognoscerent et diffinirent, exceptis dumtaxat causis penam sanguinis irrogantibus. Ad ipsam enim civitatem negociatores Ianue, tempore quo erat Saracenorum, frequentem usum et accessum habebant, et maxime gracia mercis olearie. Habundat enim provincia dicte civitatis oleo ultra alias provincias huius mundi. Et ut repeterent sive requirerent a rege quandam raubariam que facta fuerat de quadam nave Ianuensium per quendam Rodericum Garsiam hominem dicti regis et quosdam complices eius. Fueruntque missi in ipsa legatione viri nobiles Guillielmus Bolletus et Ugo de Flisco iudex, et cum eis scribe Enricus Guilielmi iudicis de Sygestro, qui cum tractatu eis dato a sapientibus Ianue proficiscerunt usque Sybiliam ubi dictus rex tunc morabatur. Ibique ab ipso rege honorifice et letanter recepti fuerunt. Mox quam primum potuerunt, seriem eorum legationis coram rege exposuerunt, petitiones suas eidem porrigentes in scriptis. Dicti vero legati post multos tractatus habitos cum ipso rege super postulationibus ipsorum, tandem quia[c] ex mandato eis iniuncto conventionem inhire non poterant, nisi rex pro drictu et dacitis a Ianuensibus medietatem acciperet illius dricti et dacite quam prestare solebant tempore quo erat terra Sarracenorum, et ab aliis essent immunes, ipse autem certum quid super hoc statuere nollet, set illam immunitatem Ianuensibus concedere volebat quam ceteri homines sui regni et aliarum partium in ipsa terra haberent, ita quod a Ianuensibus non exigeret ultra quam ab hominibus sui regni et aliarum partium exigeretur; que quidem res erat incerta; et quia consulatum liberum non concedebat, set volebat quod Ianuenses qui se gravatos dicerent, per consules ad ipsum appellare possent, et ipse de appellatione cognoscere vel cognosci facere secundum statuta et consuetudines civitatis Ianue, consilio bonorum hominum dicte civitatis et sui regni: negotio imperfecto Ianuam reddierunt, apportantes litteras patentes dicti regis ad potestatem et consilium civitatis Ianue, compositionem quam facere volebat et terminum imponendo

a) F. 1. b) *deest* 1. c) qui 1.

predictis usque ad festum sancti Iohannis de Iunio proxime venturum, si dictam compositionem 1249. affectabant, quod ipsorum nuncium usque ad dictum tempus transmitterent, et interim omnes Ianuenses in suo regno et per omnes sui partes regni essent salvi atque securi; que quidem conventio postea completa fuit[13] per virum nobilem Nicolaum Calvum, qui ad ipsum regem pro ipso facto fuit in legatione transmissus. In ipso eciam anno cum Bononienses exercitu congregato venissent ad depopulationem civitatis Mutine, Mutinenses invocato auxilio regis Encii, qui erat ipso tempore in partibus Cremone, idem rex cum milicia sua et Cremonensium omnibus pretermissis celeri festinatione ad civitatem Mutinensem pervenit. Ibique cum audiret quod Bononienses terram Mutinensium devastarent, subito nulla mora facta exivit de civitate cum hiis qui ipsum consequi poterant. Et cum reperit Bononienses, certamen inhiit cum eis. In quo certamine captus fuit, et Mai. 26. cum captio sua Mutinensibus et suis atque inimicis nota fuisset, conversi fuerunt in fugam Mutinenses cum eorum sequacibus, et Bononienses eos fugarunt capiendo et interficiendo usque ad suburbia civitatis. Et captis ipso rege et multis militibus et peditibus Mutinensibus et Cremonensibus, Bononienses cum victoria et trihumpho Bononiam feliciter redierunt. Ipsum autem regem in quadam aula palacii Bononiensis carceri et magne custodie manciparunt; omnes enim fenestras ferro clauserunt, et in medio aule cameram lignis et ferro firmatam et suspensam a solo aule fecerunt, in qua camera in qualibet nocte includitur, custodiis undique circumpositis. In die vero cum magna custodia in ipsa aula palacii commoratur. In ipso anno illustris rex Francorum, de quo supra mentio facta est, cum fratribus comitativa[a] et exercitu suo de insula Cipri iter arripuit dirigendo gressus suos versus terram Sarracenorum, et navigando pervenit ad litora Damiate, quam civitatem Sarraceni tenebant. Et cum ibi applicuisset, erat in arena ante ipsam civitatem quedam quantitas militum Sarracenorum; milites tamen regis non dimiserunt pro eis quin de navibus descenderent, nec exercitus regis. Videntes autem Sarraceni quod pro eis non dimittebant quin descenderent, recesserunt de litore, et in Damiatam se contulerunt; et sic exercitus totus descendit de navibus et castra posuit in arena prope iam dictam civitatem. Et cum rex cum exercitu suo se pararet ad civitatem predictam obsidendam, et nemo per muros civitatis appareret, putantes quod hoc ex sagacia Sarracenorum procederet, miserunt exploratores ad ipsam civitatem. Qui euntes invenerunt portas civitatis apertas, et neminem in ipsis preter quosdam captivos christianos. Timuerunt enim Sarraceni, ne obsidione conclusi perirent in ea, sicut longis temporibus acciderat eis, et sic omnes de ipsa civitate fugierunt[b]. Habuit ergo rex civitatem Damiate plenam victualibus et guarnimentis multis. Stetit rex et regis exercitus in partibus Damiate per totam ipsam estatem. Sarraceni autem amissa Damiata fecerunt inter ipsam civitatem et Babiloniam in quodam traiectu fluminis quandam fortiliciam longe a Babilonia per viginti quinque miliaria, quam Mansurram appellabant. Estate recedente in ipsa yeme rex movit exercitum suum dirigendo gressus suos versus Babiloniam eundo per terram, et eciam galeas et ligna per fluvium ducendo; perveneruntque ad dictam Mansurram, et ipsam ceperunt, et ea capta tamquam victores indiscrete per loca vagari ceperunt. Sarraceni autem hec videntes ceperunt reverti, et recuperata Mansurra interfecerunt dictum R. comitem Atrabantem et multos alios, et subsequenter contra regem et eius exercitus acies[c] suas direxerunt, et adeo exercitum coartarunt, quod oportuit eos retro redire. Et cum reddirent versus Damiatam, antequam ad eam applicarent, captus fuit rex cum fratribus et cum toto pene exercitu suo terrestri. Quo capto soldanus vel ante per paucos dies obiit, relicto filio in adolescentia constituto; et tractata concordia inter regem et Sarracenos, restituta Damiata Sarracenis, et eis solutis centum milia marcarum argenti, rex cum suis dimissus fuit. Stetit autem in potestate Sarracenorum per dies 19. Eo dimisso venit ad litora Damiate, ubique levatus fuit a navibus Ianuensium, et aportatus ad civitatem Acconis. In ea autem civitate stetit per duos annos vel circa, faciendo aptari et rehedificari terras christianorum, et precipue Ioppem optime reffici et fabricari fecit, et alia multa bona ubique fecit, multumque thesaurum de suo herrario expendit, et recuperata a Sarracenis Damiata, quia bis ipsam amiserant, ipsam fonditus dirruerunt et habitationem eius deseruerunt omnino[d].

a) scilicet Anfuxo comite Pictaviensi, R. comite Atrabatensi, Karolo comite Provincie et qui postea fuit rex Scicilie. *addit in margine posterior manus* 1. *quae verba in textum recepit* 2. b) fugarunt 1. c) accies 1. d) *columna una vacat* 1.

13) D. 22. m. Maii a. 1251. Libr. iur. I, 1060. W.

1250. Anno 1250. potestas Ianue fuit dominus Gerardus de Corrigia[a].

In ipso vero anno cum adhuc illi qui dicebantur mascarati, exiliati extra urbem morarentur, licet in civitate parentes et propinquos atque amicos multos haberent, qui in re publica parum aut nichil potestatis habebant, comites Lavanie, videlicet illi qui dicuntur de Flisco, nepotes domni Innocencii tunc summi pontificis, in re publica vires habere ceperunt. Hii autem ex parentellis et affinitatibus et longa amicicia mascaratos interius et exterius diligebant, et ad eorum reformationem et statum totis viribus intendebant. Et eapropter ipsis operam dantibus, et precipue vir nobilis Iacobus de Flisco, extitit factum, quod quoddam compromissum per nobiles civitatis Ianue factum fuit in dictum domnum papam de stando et obediendo omnibus preceptis eius et nunciorum eius, super pace et parentelis inter partes componenda et firmanda, et tractandis[b]; et ex hoc facta fuerunt publica instrumenta. Occasione cuius compromissi ipso anno compositum fuit per conditores capitulorum capitulum infrascriptum, quod sibi locum vendicavit in anno sequenti[c].

In ipso eciam anno dictus potestas cum universali et ingenti exercitu intendit ad depopulationem civitatis Saone, et devastatis omnibus extra civitatem, reddiit in locum qui dicitur Septem Montes, ibique castra metatus, de placito consilii Ianue ad arcius opprimendam civitatem iam dictam construcxit duo lignea valde bene furnita et fabricata, que bastie vulgali sermone appellabantur: et ipsis bastiis munitis balistariis sagittariis et viris bellicosis munitis et ornatis, Ianuam feliciter reddiit. Illis vero diebus stella que dicitur cometa cum claritate coruscanti omnibus quadam nocte patenter apparuit.

Dec. 13. In ipso autem anno Fredericus II. olim Romanorum imperator, Ierusalem et Sicilie rex, in festivitate beate Lucie diem clausit extremum, superatus a divina potentia, quem gentes humane non poterant superare[d]. Obiit autem in partibus Ampulie, in civitate que Florencia dicitur. Dictus autem imperator tempore sui obitus reliquit liberos infrascriptos: videlicet Corradum regem, quem genuit ex filia Iohannis regis Ierosolimitani, Enricum quem genuit ex sorore regis Anglie, Fredericum olim filium Enrici filii domni imperatoris, atque Manfredum quem genuit ex filia domne Blanche filie quondam marchionis Lancie, quam tempore obitus ipsius domine idem imperator, ut filium ex ea genitum legittimum faceret, dicitur legitime desponsasse. Et quia tempore obitus dicti imperatoris Conradus eius filius erat in partibus Alamanie, dicitur ipsum imperatorem in sua ultima voluntate statuisse, quod dictus Manfredus eius filius usque ad adventum regis Conradi regnum Sicilie custodiret, et eidem Manfredo reliquid principatum Taranti et honorem Montis sancti Angeli. Ipso autem imperatore sepulto, idem Manfredus regnum gessit et administravit in partibus Ampulie et Principatus; in Siciliam vero Enricus iam dictus profectus est ad civitatem Messane, et ibi existendo cum Petro Ruffo de Calabria, qui erat eius consiliarius et custos, insulam Sicilie tenuit et deffendit; et hec omnia fecerunt usque ad adventum iam dicti regis Conradi, de quo inferius dicetur.

Dictus autem Gerardus ipsius regimen laudabiliter terminavit[e].

1251. Anno 1251. potestas Ianue fuit dominus Menabos[f]. Frederico quondam imperatore viam universe carnis ingresso, ipsius fideles et sequaces fuerunt vehementer exterriti et turbati; et precipue homines civitatum et locorum riperie in ipso confidentes. Civitates vero et homines ecclesie adherentes, et precipue nostre civitatis, vires cum audatia plus solito assumpserunt. Eapropter idem Menabos auctoritate consilii generalis in introitu sui regiminis generalem exercitum indixit, congregatis omnibus subditis et amicis, intendens procedere contra civitatem Saone et alias civitates et loca riperie et marchiones, que et qui durante guerra civitatis Ianue rebelles extiterant. Cumque cum ingenti exercitu contra civitates et loca predictas dirigeret gressus suos, in quo exercitu eciam vir nobilis Gerardus predecessor ipsius cum sua societate ad expensas comunis fuit, et cum pervenisset ad locum Varaginis, vir nobilis Iacobus de Carreto marchio, Saonenses, Albinganenses[g] et alii plures eorum nuncios et sindicos ac procuratores sufficienter instructos ad potestatis presentiam transmiserunt, querentes atque petentes ea que pacis erant. Potestas vero et comune Ianue non attendentes improbitatem et nequitiam predictorum hominum, set

a) civis Parmensis *manu posteriore addit* 1. *Magna pars columnae vacat magistratibus inscribendis* 1. b) *refertur ad* parentelis. c) *reliqua columnae pars vacat* 1. d) seperare 1. e) *columna vacat* 1. f) de Turexella civis Ferrariensis *alia manu in marg. addita* 1. *Dimidia columna magistratibus inserendis vacat.* g) Vintimilienses qui erant in Porciiola *addit manus posterior in margine* 1.

misericordiam pre occulis habendo, offensionibus omnibus dimissis conventiones et pacta 1251. cum predictis omnibus auctoritate consilii generalis inhierunt. Quas convenciones non expedit enarrare, quoniam instrumenta ipsarum extant scripta in archivo comunis[14]. Hiis autem peractis reddiit potestas ad civitatem Ianue cum toto exercitu illariter et iocunde; et facta fuerunt in pace et quiete omnia loca riperie, et sub iurisdictione comunis Ianue a civitate Ianue usque Monachum. Eodem etiam tempore quidam frater Albertus ordinis fratrum Predicatorum ad civitatem Ianue latenter accessit, dicendo quod quedam secreta habebat que potestati et quibusdam sapientibus revellaret[a]; et assignatis ei quatuor nobilibus viris, dixit idem frater, quod de voluntate Pisanorum erat habere pacem et concordiam cum Ianuensibus, ita ut Pisani[b] Ianuam et Ianuenses Pisas secure ire possent, et ubique in simul secure uti. Cui responsum fuit, quod licet Deus civitatem nostram exaltasset utpote quia totam riperiam subegerat et in pace quiete posuerat, tamen non respuebant pacem cum ipsis nec cum aliqua alia persona, dum tamen castrum Illicis, quod Pisani iniuste tenebant, comuni Ianue restitueretur. Qui respondit, quod Pisani vellocius darent Guinegam, que est pars civitatis Pisane, quam castrum Illicis; et sic spe sua fraudatus recessit.

Eodem anno viri nobiles Petrus Gradonicus, Iacobus de Doro, ambaxatores et syndici ducis et comunis Veneciarum, venerunt Lucam causa reformandi conventionem que esse consueverat inter Venetos et Ianuenses, que lapsu temporis finem acceperat; et ad predicta peragenda cum eis ex parte comunis Ianue destinati fuerunt viri nobiles Guido Spinula, Ugo de Flisco; et convenerunt se in castro Veragule de Bosis in terra marchionis Malaspine; et facto colloquio inter ipsos, propter quedam fuit negotium dillatatum usque pascha, ita ut elapso festo convenirent apud Portum Venerem; quod factum extitit. Et quia ambaxatores Venetum ad terram Ianue veniebant, expensis comunis fuit quedam sagitea armata, que ipsos Portum Venerem aportavit. Ibique conventio tractata fuit, que postea Venetiis per ducem et consiliarios fuit finita et confirmata[c], sicut in libro comunis continetur[15].

In ipso anno santissimus[d] pater Innocencius papa quartus, qui propter potencias imperatoris ad civitatem Lugdunum accesserat, volens suos Ytalicos paterno affectu consolari, cum cardinalibus et tota curia de Lugduno exivit versus Ytaliam dirigendo gressus suos. Venit autem per civitatem Massilie, in qua honorifice sicut sanctus pater ab omnibus fuit receptus, honorifice illariter et cum magna pompa; deinde continuans iter suum per partes Provincie et riperie nostre, ad civitatem Ianue sanus et incollumis cum omnibus cardinalibus pervenit. In quam civitatem intravit die[e] 18. Madii, ibique stetit per dies 35. Mai. 18.
Cives autem Ianue auditis rumoribus de adventu ipsius, ad recipiendum ipsum se preparaverunt in hac forma. Videlicet quia in continenti armaverunt quatuor galeas, quas cum pluribus viris nobilibus eidem summo pontifici obviam miserunt, ut si fatigatus esset itinere, in eis prout sibi liberet ascendere posset. Fecerunt eciam civitatem ornari, et vias et vicos per quas transitum habere debebat, sericis cohopertis. Subsequenter potestas cum tota milicia et habentibus equos eidem obviam exierunt; et ad finem populus et universus magni et parvuli; mares et femine, cupientes ipsum videre, in ipsius obviam exierunt. Fuerunt enim electi nobiles viri et discreti in magna quantitate qui[f] pannum sericum supra caput ipsius portarent, et qui ipsum adestrarent, et qui ei viam apperirent; et fuit ab omnibus cum tanta pompa et leticia receptus, quod scriptu[g] esset difficile explicare. Ipse autem summus pontifex stetit in civitate Ianue a die qua intravit civitatem usque diem 21. mensis Iunii[h], de qua ipse recessit[16]. Ipso autem existente in dicta civitate, potestates, ambaxatores, legati, nobiles terrarum et locorum qui in devotione ecclesie persisterant, ad eum de partibus Italie undique confluxerunt; ipse eos et quenlibet eorum benigne et illariter recepit, et predictis omnibus diem statuit audiencie generalis in aula palacii archiepiscopi Ianuensis; ibique ab ipsis multa varia et diversa fuere proposita, que per ordinem

a) revellare 1. 2. b) pissani *nonnunquam* 1. c) usque ad annos octo *alia manu addita in margine* 1. d) *ita* 1. e) XVIII—XXXV. *alia manu loco vacuo inscripta* 1. f) per 1. 2. g) scripta 1. 2. h) XXI. m. 1. *alia manu in loco vacuo relicto* 1.

14) Pactum Albinganensium in Libr. iur. I. p. 1039, Saonensium ibid. 1044, Iacobi marchionis de Carreto ibid. 1054. d. 18. et 19. m. Febr., Ventimiliensium d. 8. m. Iunii a. 1251. ibid. 1078. W. 15) Lib. iur. I. p. 1090. 1099. W. 16) Complures libertates et in regno Hierosolymitano et in regno Siciliae aliisque in partibus Innocentium IV. d. 22. m. Maii et mensis Iunii diebus 5. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 27. Ianuensibus contulisse constat diplomatibus Libr. iur. I. p. 1064—1077. p. 1088—1090. p. 1098. W.

1251. non expedit enarrare. Verum intentio maior cuiuslibet ipsorum erat, ut civitates ipsorum reddeundo Romam personaliter visitare deberet, et quod iter suum faceret per partes Lombardie, videlicet per Mediolanum, Brixiam, Mantuam et Bononiam. Colloquio separato, habito consilio fratrum suorum cardinalium, ad consolationem ipsorum ire statuit per partes Iun. 21. predictas; et associatus per potestatem et militiam Ianue, ivit per Gavium et alias terras civitatis Ianue usque in partibus Capriate. Ibi autem milites Mediolani et illarum partium associaverunt ipsum ac duxerunt usque ad civitatem Mediolani. In qua civitate Iul. stetit menses quam plures.

Oct. Ibi autem stando, civitatem Laudensem, que adhuc pro parte imperiali tenebatur, et in qua idem imperator castrum vallidissimum construxerat, quod etiam ex conventionibus Cremonensibus[a] et aliis partibus imperialibus munitum erat, relicta parte predicta ad gremium ecclesie reddiit. Fuit tamen in ipsa civitate seditio, occasione cuius seditionis Mediolanenses cum exercitu volentes adiuvare. Papienses et Cremonenses cum exercitibus partem contrariam cupientes favere, ad eandem civitatem convenerunt. Verumtamen Cremonenses et Papienses videntes se nil facere posse, quia Mediolanenses iam pro maiori parte civitatem intraverant, civitate amissa absque bello campestre[b] recesserunt contristati plurimum et dolentes. In captione tamen civitatis infra civitatem fuit acriter preliatum, et precipue inter illos de Summa Ripa qui partem ecclesie favebant, et magnates cives Laudenses, qui partem contrariam totis viribus tanquam rem propriam adiuvabant.

Papa exiens de Mediolano, iter faciens per Lombardiam atque Romagnolam, Anagniam est profectus causa morandi ibi.

In ipso eciam anno rex Conradus qui tempore obitus patris erat in Alamania, ad Ytaliam per partes Verone et Marchie venit, et ut consolaretur suos venit Cremonam[17], ibi paucis diebus moram trahens. Volens ad regnum proficisci, transiens per Marcham pervenit in partibus Ystrie vel Sclavonie. Ibique 16 galeas regni, que serio parate erant, ipsum regem cum sua commitiva levaverunt, ac ipsum in Appuliam transduxerunt; ipsoque applicante ad regnum, Manfredus frater eius et alii barones ad ipsum accesserunt et eum honorifice susceperunt. Deinde omnes baroni regni et civitates[c] ipsius fidelitatem iuraverunt, preter Neapolim, que in libertate morari affectabat. Verum ipsa postea per eundem diu obsessa, expugnata fuit et devicta. Idem vero Conradus fratrem suum Enricum de insula Sicilie advocavit; diciturque quod eo habente regnum in pace, Fredericum ipsius nepotem veneno interimi[d] fecit, Enricum vero eius fratrem strangulari; quia cum nichil bibere vel comedere vellet absque credentia, dicitur quod Iohannes Morus ex mandato ipsius regis ipsum strangulavit; et sic omnes liberi legittimi imperatoris preter[e] ipsum regem habuerunt finem.

Eodem anno magister Martinus prepositus Parmensis a domno papa delegatus venit ad civitatem Ianue, et auctoritate domni pape sententiam tulit in consilio de mascaratis bannitis restituendis; et in eodem consilio iuxta sententiam suam in consilio eodem per potestatem fuerunt ab omnibus bannis et forestationibus integrum restituti, ut speciali capitulo facere tenebatur. Subsequenter idem summus pontifex volens de cordibus mascaratorum omnem odii fomitem extirpare, predictis de peccunia comunis Ianue pro emendatione dampnorum et guastorum eis tempore forestationis factorum, dari fecit decem milia librarum Ianuensium, quam peccuniam inter sese diviserunt arbitrio quorundam ex eis, quos ad dictam divisionem faciendam elegerunt quidam nobiles.

In ipso anno conventio atque confederatio in civitate Ianue extitit celebrata per syndicos Florentie, Luce, et potestatem supradictum ad guerram faciendam Pisanis, que conventio scripta est in libro conventionum comunis[18].

Dictus M. regimen suum feliciter terminavit, et eius tempore civitati cuncta prospera processerunt[f].

1252. Anno 1252. fuit potestas civitatis Ianue dominus Guiscardus[g].

In ipso anno cum Thebaldinus de Cagna quasdam offensiones fecisset quibusdam civibus Ianue, nec ex hoc vellet parere mandatis potestatis, idem potestas misit illuc unum ex

a) Cremonenbus 1. b) campestro 1. c) civitatis 1. 2. d) interrimi 1. 2. e) *vocem supplevi.* f) *reliqua columnae pars et altera tota vacant* 1. g) de Petrasancta civis Mediolanensis *manu posteriore in m.; 2/3 columna vacat* 1.

17) Conradum usque ad castrum Goiti districtus Mantuae profectum, legimus in chronico Veronensi a. 1278 conscripto apud Murat. VIII, 635. 18) D. 20. m. Oct. a. 1251. Lib. iur. I, 1115. W.

militibus cum certa quantitate militum et peditum, et cum hominibus vallis Scrivie terre 1252. Spinulorum. Et cum predicti ascenderent montem Cagne causa debellandi quandam fortaritiam, quam dictus Thebaldinus habet in cacumine dicti montis, incepto prelio inter ipsos et ipsum Thebaldinum et homines suos, propter asperitatem loci conflicti fuerunt ascendentes in montem, et ex eis fuerunt capti quam plurimi, inter quos fuerunt viri nobiles Manuel Aurie, Nicolosius de Grimaldo, Nicolosius de Camilla. Hiis peractis, potestas Ianue cum exercitu generali paravit se ad eundum ad locum predictum. Et cum potestas Buzallam accessisset cum quadam quantitate militum et peditum, et prepararet[a] se ad eundum cum exercitu generali, dictus Thebaldinus restitutis captis venit ad mandata potestatis, et ductus est in Ianuam. Et propterea nullum fuit eidem gravamen illatum, sed quibusdam promissionibus[b] factis ab eo, fuit ex toto dimissus, et ad propria incolumis remeavit.

In ipso anno Opizo de Petra cepit viros nobiles Obertum de Cruce, Fulchonem Zachariam, et eos captos duxit in arce que dicitur Petra. Et ibi in continenti exercitu misso, capto Opizone de Petra, liberati fuerunt, et Ianuam reddierunt. Idem eciam Guiscardus suo tempore nomine et vice comunis Ianue castrum Andole cum eius territorio et iurisdictione a marchionibus Cravexane precio octo milia librarum comparavit, de qua emptione instrumentum scriptum est in libro comunis[19]. Eodem anno nummus aureus Ianue fabricatus. Eodem anno domnus Iohannes archiepiscopus Ianue obiit[c].

Anno 1253. potestas Ianue fuit dominus Enricus[d]. 1253.

Eodem anno in Lunexana facta fuerunt infrascripta. Nam marchiones Malaspine Conradus et Opizo, Bernaldus et Fredericus[e], filii predictorum, dimicaverunt contra Pontremolenses, et ex eis tantos et tales ceperunt quod Pontremulenses castrum Pontremuli predictis marchionibus tradiderunt, et eis[f] usque ad certum tempus se subiecerunt in omnibus. Sed quia expense custodie castri et loci in tantum ipsos marchiones gravabant, quod eas non poterant substinere, facta quadam compositione cum viro nobili Oberto marchione Pilavicino, castrum iam dictum eidem tradiderunt. In ipso anno magister Lucas per fratres Predicatores de heresi condempnatus, de civitate aufugit, et bona ipsius iuxta formam constitutionum confiscata fuerunt et destructa. In ipso anno muri civitatis Saone destructi fuerunt, quia finem acceperat conventio murorum destruendorum[g].

Anno 1254. potestas civitatis Ianue fuit dominus Rodulfus[h]. 1254.

In ipso anno Pisani habentes guerram cum hac civitate et Florentinis et Lucensibus duo bella gesserunt in Tuscia, unum cum Lucensibus in quo Lucenssibus conflictis et fugatis et multis captis ex eis militibus cum peditibus victores extiterunt; aliud infra paucos dies cum Florentinis in quo fugatis et multis captis atque amissis de suis militibus atque peditibus victi fuerunt, et Pisas cum dolore et festinatione reddierunt. Florentini vero victis Pisanis, exercitum eorum dirigerunt versus Pisas ad devastationem et populationem terrarum Pisanorum viriliter intendentes; et devastando atque destruendo Pisanorum terras, transierunt flumen Here[20], et ibi posuerunt castra sua. Cumque ibi sederet Florentinorum exercitus cuncta circumquaque igne et ferro vastantes, Pisani legationem quam plurium nobilium ad exercitum Florentinorum miserunt, tractantes cum eisdem de quiete et pace. Et pacificatis hiis de quibus erat contentio inter eos, in dampnum et dedecus Pisanorum, se obligaverunt, quod de questionibus et discordiis quas cum nostra civitate et Lucana habebant, compromitterent in eosdem, et se de omnibus predictis iurisdictioni atque potestati comunis Florentie submitterent, et de hiis attendendis ultra penas peccuniarum promissas quinquaginta obsides de melioribus civitatis Pisane, quos comune Florencie eligere maluit, tradiderunt. Quibus peractis exercitus Florentinus ad civitatem Florentie rediit cum victoria

a) pperaret 1. b) promisionibus 1. c) et domnus papa contulit illum domno Gualterio de Vezano capellano suo *manu posteriori in margine addita* 1. $1^{1}/_{3}$ *columna vacant.* d) Confalonerius nobilis civis Brixiensis *add. m. posteriori in marg.* 1. *Dimidia columna vacat.* e) C. O. B. F. 1. *alia manu terminationes additae.* f) eos 1. g) Hic debet poni causa quod fuerant dirupti *in margine postera manu* 1; *reliqua columnae pars vacat et paullo infra* Hoc etiam anno Iohannes archiepiscopus Ianue obiit, et domnus papa contulit archipiscopatum domno Gualterio de Vezano capellano suo *ut supra a.* 1252. h) de Graidono civis Bononiensis *addit* 2; *columna dimidia vacat* 1.

19) Documenta huius tractationis exstant in Libr. iur. I, 1153 — 1169. W. 20) Era, Arnum a meridie influens.

1254. et triumpho. Destinavit autem comune Florentie ipsis diebus ad civitatem Ianue legatos suos, nominantes comuni Ianue que gesta fuerant cum Pisanis, et amicabiliter requirentes, quod comune Ianue acceptatis que gesta fuerant cum Pisanis, ad civitatem Florentie suos mitteret ambaxatores et syndicos pro compromisso conficiendo, quoniam sperare poterant et debebant in Florentinis velut de se ipsis. Et sic destinati fuerunt ad postulationem predictorum ambaxatorum apud Lucham et Florentiam pro comuni Ianue viri nobiles Lanfrancus Malocellus et Ugo de Flisco, et cum eis Enricus de Bissanne notarius atque syndicus comunis Balduinus Salvi de Rapallo. Qui ad civitatem Lucanam et Florentiam accesserunt; et constituti in civitate Florentie, cum potestate et ambaxatoribus Luce atque ambaxatoribus et syndicis Pisarum compromissum post multa et varia certamina, que in talibus intervenire solent, a syndicis ipsarum civitatum in comune Florentie plenum et solempne factum fuit, et pax ibidem inter ipsos syndicos nomine comunium extitit celebrata. Quibus perfectis ambaxatores cum nuncio speciali comunis Florentie Pisas pervenerunt, et ibidem in consilio generali Pisanorum omnia gesta approbata fuerunt et iurata[21]; et sic Ianuam reddierunt.

Mai. 20. Dum hec agerentur in partibus istis, rex Conradus mortuus est, et obiit in Appulia in nocte ascensionis[a] Domini. Quo mortuo sanctissimus pater dominus Innocentius papa quartus, natione Ianuensis, interpellatus a multis, ad regnum habendum intendit; et sic exercitu facto regnum totum infra paucos dies pocius voluntate hominum quam cohactione subegit, ipsum dominio et dicioni ecclesie Romane, ad quam de iure dinoscitur pertinere, adiecit, et adeo voluntas omnium dedit[b], quod nedum alii de regno sed eciam vir nobilis
Oct. 11. Manfredus olim filius imperatoris princeps Tarantinus in ingressu regni ex equo descendens, pedester dictum papam adestravit usque ad beneplacitum ipsius. Legatus generalis exercitus pape et regni fuit constitutus venerabilis pater Guillielmus Sancti Eustachii diaconus cardinalis, et capitaneus generalis[c] vir nobilis Albertus de Flisco comes Lavanie, iamdicti pape nepotes. Verum infra paucos dies cum papa esset in civitate Tyani, orta
Oct. 18. est quedam discordia, quoniam dictus princeps per se vel suos virum nobilem Borrellum de Agnono qui ad sociandum papam venerat interfecit; qua de causa princeps festinanter a papa et ipsius exercitu discessit et se contulit ad civitatem Sarracenorum que Luceria nuncupatur. Illa eciam de causa quia princeps mandata legati indistincte facere recusabat occasione dicte necis, legatus et capitaneus exercitus pape cum quadam quantitate militum et nobilium ad Troiam et Fogiam accesserunt; et cum in ipsis civitatibus starent, vir nobilis Enricus comes Sparoarie qui dicto principi adherebat[d], quadam die manu armata cum aliquibus militibus exivit de Luceria versus Fogiam veniendo, et subsequenter omnes de Luceria christiani et Sarraceni cum armis et equis illud idem fecerunt; quibus visis illi qui erant in Fogia ex parte pape, armati extra Fogiam contra illos exierunt; et sic commisso bello marchio Framburgensis[22] cum fratre et militibus suis quos ad expensas
Dec. 2. pape tenebat, excogitata proditione aliis derelictis aufugit. In eo bello fuerunt mortui de exercitu pape et capti quam plures, et specialiter Guillielmus de Burgaro huius civitatis civis. Reliqui vero reduxerunt se in Fogiam et infra palatium Fogie; et cum nox appropinquaret, princeps cum suo exercitu Luceriam[e] remeavit. Hiis cognitis a legato et capitaneo et hiis qui erant in Troia, ipsa nocte turpiter recesserunt, et adveniente die illi qui erant in[f] ipsa Fogia de omni subsidio diffisi, similiter omnibus dimissis preter arma que gestabant et equos quos equitabant, de Fogia pavidi et timidi fugerunt, et omnes se contulerunt in civitate Ariani; in qua existentes receperunt nuncium de infirmitate pape, sicque antequam omnes Neapolim advenirent, ubi papa erat, idem sanctissimus pater diem clausit extremum; vir summe sanctitatis et benignitatis, eminentis[g] scientie, illaris, largus et
Dec. 7. benignus ad omnes, defenssor et auctor ecclesie libertatis, adeo talis et tantus fuit, quod mortem eius clerus et populus velud propria deplorabant, et de eo dictum est et dici potuit, ut de quibusdam in cronicis reperitur dictum fuisse: *aut non nasceretur, aut non moriretur talis homo!*

a) assensionis 1. b) deit 1. c) nepos dicti pape *alia manu lineae superscriptum* 1. d) aderebat 1. e) *ita emendavi*; biteriam 1. *manu posteriori eius loco in margine* nuceriam *scriptum est.* f) in troia ipsa fogie 1. g) eminenti 1.

21) Huius compromissionis die 4. m. Aug. initae documenta requiras in Libr. iur. I. p. 1186–1198. W.
22) i. e. Hohenburgensis.

Infra ipsa tempora in civitate Ianue legatio solempnis ordinata erat causa eundi ad domnum papam. Fuerunt enim in ipsa legatione electi dictus Rodulfus potestas relicto filio suo Zacharia vicario in regimine civitatis, et cum eo viri nobiles Ianue quam plures[a]. Cumque proficiscerentur ad papam, in Urbe constituti de morte pape nova certa habuerunt. Nichilominus tamen cum minori tamen fiducia obtinendi quod optabant Neapolim accesserunt. Mortuo enim papa cardinales elegerunt venerabilem patrem Reginaldum[b] episcopum Ostiensem cardinalem, papam, cuius nomen[c] dictum fuit Alexander[d] papa quartus; et facientes quicquid boni potuerunt in curia papali, ad propria remearunt. Electo ipso papa, domnus Guillielmus cardinalis legationem predictam resignavit, et ipsius loco subrogatus fuit venerabilis vir Octavianus[e] Sante Marie in Via lata diaconus cardinalis, qui denuo congregato exercitu copioso et magno contra principem[23] equitavit, et in loco qui appellatur Gardia Lombardorum exercitus legati et principis non longe unus ab alio una die fuerunt, et dicitur quod tanta erat potentia exercitus legati, quod si voluisset, vincere[f] potuisset. Set tamen petitionibus quibusdam acceptis principem abire permisit, et ipse exercitu suo licentiato Anagniam ubi papa iam advenerat remeavit, et sic paccionibus pretermissis, princeps tanquam vicarius regis Conradi secundi infra breve tempus ecclesiam de regno spoliavit et ipsum sue dictioni subiecit. Vocabat enim se hoc modo: Manfredus Frederici divi imperatoris filius princeps Taranti, honoris sancti Angeli, domini Conradi secundi Sicilie regis vicarius generalis etc. Et isto nomine regnum totum occupavit, adiuvantibus ipsum Sarracenis de Luceria et aliis. 1254.

Ipso eciam anno sententiam ex compromisso, de quo supra mentio facta est, inter Pisanos Lucenses et Ianuenses, tullerunt potestas capitaneus et anciani Florentie nomine et vice comunis Florentie; et per ipsam sententiam condempnaverunt Pisanos ad restituendum Lucensibus castrum Motroni, et episcopo Lucensi Montem Tepulum et aliam terram quam Pisani de terra ecclesie Lucane ultra Arlum[g] tenebant, et ut dimitterent castra Corvarie et Masse que durante guerra occupaverant. Comuni vero Ianue restituerent castra Ylicis[24] et Trebiani. Insuper quod ipsis Florentinis traderent in potestatem castrum Ripe fracte tenendum et custodiendum ab eis ad expensas Pisanorum, quousque omnia debita que Pisani Florentinis debebant, essent integraliter persoluta; et ut ad castrum, quod Pisani muris turribus et vallis construxerant prope pontem Here, penitus destruerent, nec ibi imposterum aliud facere attemptarent. Ad ipsam sententiam audiendam pro comuni Ianue fuit Guillielmus de Varagine notarius et syndicus. Quam sententiam Pisani propter eorum infortunium quod eis subsequenter contingit observare noluerunt, immo flivolas[25] appellationes ad senatorem Rome interiacerunt, de quibus ad presens dicere non curamus[h].

Anno 1255. potestas civitatis Ianue fuit dominus Martinus de Summaripa[i]. 1255.

In ipso anno in introitu sui regiminis cum Pisani adhuc in eorum pertinatia permanerent[26] nec sententiam latam per Florentinos adimplerent, electi fuerunt ambaxatores viri nobiles Percival Aurie et Nicolaus de Grimaldo, qui delegati fuerunt Lucam et Florentiam, ad ipsas civitates inducendas et rogandas, ut contra Pisanos exercitibus generalibus extenderent vires suas, et eos ad executionem sententie saltim per vim compellerent; et ambaxata eorum facta, responsis convenientibus habitis, Ianuam reddierunt.

In ipso anno vir nobilis Guiscardus de Petra sancta potestas civitatis Luce cum pluribus dicte civitatis Ianuam venit, dicendo quod comunia Florentie et Luce exercitum facere volebant contra Pisanos, et quod Ianuenses similiter se pararent ad exercitum faciendum. Et sic Ianuenses hoc facere affectantes, vexillum sancti Georgii, quo comune Ianue in exercitibus utitur, in publica concione omnibus volentibus dicto Guiscardo traditum est, atque ei et illis qui cum eo erant ita fuit liberaliter responssum: *Ecce vexillum nostrum; parati sumus et erimus totis viribus cum ingenti exercitu maris et terre ire contra inimicos, quandocumque placuerit Florentinis et Lucensibus.* Et ita vexillum exportantes, Lucam cum gaudio

a) scilicet XII. *in marg. alia m.* 1. b) R. 1. c) nomem 1. d) IIII *alia m.* 1. e) O. 1. f) *ita correxi*, uenire 1. g) arnum *ed.* h) *reliqua columnae pars vacat* 1. i) civis Laudensis *addit posterior manus in marg.* 1, *tum maior columnae pars vacat.*

23) Tarenti Manfredum. 24) Libr. iur. I. p. 1201. cf. p. 1210—1215. W. 25) i. e. frivolas. 26) Lib. iur. I. p. 1225. 1228. W.

1255. sunt reversi. Eodem anno dictus potestas contra Guillielmum comitem de Vintimilio et filios eius in concione publica sententiam tullit in hac forma:

*Nos dominus Martinus de Summariva, Ianue civitatis potestas. Cum comes Guillielmus de Vintimilio et filii eius extiterunt infideles et rebelles comuni Ianue et inobedientes et multas fellonias commiserint contra comune Ianue, dicimus et pronunciamus conventionem quam habebant cum comuni Ianue factam tempore domni Alberti de Malavolta tunc potestatis Ianue, manu Guillielmi Cavagni notarii, irritam et cassam et nullius momenti esse, et eam cassamus vacuamus et irritamus, et feudum sive benefitium quod in ea conventione continebatur eos amisisse, et de cetero illud a comuni Ianue habere non debere; et hoc dicimus decreto consilii facti hoc anno, die 29. Octubris, et eciam consilio multorum sapientum iuris peritorum, et consuluerunt dictam conventionem non tenere nec valere, nec ipsos comites aliquid habere a comuni Ianue de dicto feudo; et precipimus de predictis fieri publicum instrumentum quod poni debeat in sacristiam et exemplari in registro comunis Ianue et scribi. Actum Ianue in palatio foritanorum*[a]*, anno dominice nativitatis 1256, indictione 13, die 13 Ianuarii, in consilio campane more solito congregato, in quo consilio vocati erant sex per compagnam electi ad brevia secundum formam capituli*[b].

1256. Anno 1256. potestas civitatis Ianue fuit dominus Philippus de la Turre[c].

In ipso anno Pisanis nolentibus parere sententie contra eos late per comune Florentie, sunt exercitus preparati per Florentinos Lucenses et Ianuenses contra civitatem Pisanam et in ipsius destructionem. Nam exercitibus preparatis cum Pisani scirent, quod Florentini et Lucenses per partes vallis Sergii eorum terram intrare debebant, cum eorum peditibus[d] militibus et populo universo exiverunt civitatem suam eorum malo homine, et venerunt in campum ultra Sercium per frontem castri Ripe fracte, ibique fixerunt castra sua, facientes undique foveas plenas aqua, et exercitum munientes spaldo[e] et aliis munitionibus[f] fortissimis valde. Exercitus vero Florentinorum et Lucensium in eodem campo subtus castrum Castellionis prope albergarias Pisanorum per iactum baliste imposuerunt castra sua. Exercitus autem Ianuensium ad obsidionem et captionem castri Ylicis gressus suos direxit cum copiosa peditum et militum multitudine, et cum galeis armatis preter alia minora ligna octuaginta; que galee obtime armate erant causa reprimendi Pisanos et portum ipsius invadendi. Cum res ita se haberet, accidit una die, quod Pisani videntes quod exercitus Luce, qui erat eis vicinior, non erat bene custoditus, manu armata viriliter ipsum exercitum insultarunt, et ex eis multos ceperunt et in fugam miserunt. Florentini vero videntes et audientes predicta, cum festinacione et fortitudine vehementi in Pisanos irruerunt, et eos terga vertere compulerunt; et cum se in castris recolligerent, Florentini versus Pisas tendentes et flumen transeuntes, Pisani timidi et confusi ne eis adictum[g] ad civitatem clauderent reddeundi, relictis albergariis cum temptoriis[h] et omnibus guarnimentis versus Pisam tendentes, fuerunt in fugam conversi; et venientes ad pontem quem fecerant super Sarcium, tanta in eo multitudo fugientium adscendit, quod pons fractus fuit. Fracturam autem posteriores ygnorantes[i], et anteriores non valentes reddire nec substinere post se venientes, in flumen armati cadebant. Et in ipso conflictu de Pisanis capti et mortui fuerunt in tanta quantitate, quod tanquam victi et superati, in omnibus oportuit eos preceptis Florentinorum obedire[27]. Et fuerunt fugati usque ad civitatem ipsorum, et adeo eorum vires extenuate fuerunt, quod sicud tunc dictum publice fuit, si Alamanus de Turre qui tunc erat potestas Florentie voluisset, civitatem Pisanam perdere potuisset; et illa de causa, sicut dicebatur, anno sequenti a Pisanis in potestatem habitus fuit. Victis Pisanis exercitus Florentinus cum multitudine captivorum Florentiam reddiit cum victoria et triumpho. Lucenses autem miserunt litteras exercitui Ianue, quod Florentini victis hostibus recesserant et quod cum eorum machinis de loco in quo erant sapienter recedere deberent et ad eorum propriam terram reverti. Quibus auditis exercitus Ianuensis ascendit in montem qui est ante castrum Ylicis, et magis ad obsidionem se appropinquavit, dicendo quod inde

a) fornariorum 1. 2. b) *reliqua columnae pars vacat* 1. c) *maior columnae pars vacat* 1. honorabilis civis Mediolanensis *addit ed.* d) pedibus 1. e) spado 1. f) monitionibus 1. g) adictum 1. *i. q.* aditum. h) temptoribus 1. i) *i. q.* ignorantes.

27) Tunc castella Ilicis et Trebiani a Pisanis reddita sunt. Lib. iur. I. p. 1240 sq. W.

non recederent nisi castro[a] devicto et capto. Erat autem castrum munitum per Pisanos. 1256. Fecerunt etiam prope ipsum castrum iuxta portam burgum unum, in quo multi habitantes illarum partium ad habitandum confluxerant. Burgum foveis et muro circuierunt, et in introitu burgi a parte superiori portam cum duabus turribus construxerant quarum una iam erat competentis altitudinis. Infra ipsas turres erat quidam lapis, in quo erat sculptum torsellum ad formam pannorum qui deferuntur de Francia, et erat suprascriptio ipsius lapidis:

STOPA BOCA AL ZENOESE:
CLEPA COR ALO PORTONARESE;
STREPA TORSSELLO ALO LUCHESE[28].

Qui lapis burgo dirruto delatus fuit in Ianuam. Ipsum autem burgum exercitus Ianuensis festinanter cepit et delevit, et ad expugnationem castri intendit, quod subsequenter per vim expugnavit atque cepit. Castellanis et servientibus qui in ipso erant solis personis affidatis, capto ipso castro et murato per Ianuenses, exercitus reddiit cum gloria et triumpho. In ipso anno magnam copiam frumenti ordei et aliarum victualium navigium Ianuense de partibus Provincie ad Lucenses transportavit in plazia que apellatur Pissana, ad hoc ut exercitus Florentinus et Lucensium victualibus habundaret. In ipso quoque anno habundantia fuit victualium exercitu reverso, quoniam mina frumenti vendebatur solidis 9, et ordei solidis 3, et alia victualia per eandem rationem.

Eodem anno vir nobilis Chianus marchio Calaritanus castrum quod appellatur Castellum de Castro, situm in Sardinea in iudicatu Calari, comuni Ianue donavit, et confederationem cum comuni Ianue fecit[29], in qua actum fuit quod uxorem de Ianua habere debebat. Et iam per suos nuncios sponssalia contraxerat cum quadam domina Malocellorum. Ad dictum castellum accipiendum et muniendum fuerunt misse galee due cum potestate sive castellanis et servientibus illius loci; et fuerunt potestates sive castellani electi viri nobiles Ogerius Scotus et Iohanes Panzanus. Pervenientes ad ipsum locum, ex voluntate dicti marchionis illi acceperunt et munierunt, Pisanis omnibus eiectis de eodem, et galee Ianue perfecto negotio reddierunt.

Ea de causa in ipso anno orta est guerra[b] in Sardinea inter ipsum marchionem et Ianuenses ex una parte, et Pisanos qui erant in Sardinea, eis auxilium prebente[c] iudice Arboree ex altera. Erant autem Pisanorum in Sardinea capitanei et maiores comites quorum parentella appellabatur Girasdescorum, qui tenebant prope dictum castrum per miliaria quinque quandam villam munitam que Parma vocatur, in qua se contraferebant. In quorum subsidio Pisani octo galeas cum armis militibus et ornamentis ipso anno miserunt. Et cum Ianue notum esset, quod octo galee Pisanorum armate in Sardineam navigassent, in Ianua in continenti 12 galee armate fuerunt, quarum fuit dux miles potestatis predicte, et ipsius consiliarii Peschetus Mallonus, Deustesalve de Detesalve et Petrus advocatus, que in Sardineam sunt transmisse, et invenientibus in Sardineam ad salinas ipsas octo galeas Pisanorum, per vim eas ceperunt, et eas Ianuam duxerunt non obstantibus militibus multis et peditibus qui ipsas galeas deffendere conabantur cum essent in terra adurate; et sic confortatis suis Ianuam reddierunt. Antequam dicte galee ad propria remeassent, sunt armate 24 galee, quarum fuerunt armiragii Symon Guercius et Nicolaus Cigalla; qui cum ipso stolio galearum navigantes, portum Pisanorum invaserunt, et in eo tres naves ceperunt, una quarum Rochafortis vocabatur, et cetera ligna et naves incendio concremarunt. Deinde Sardineam ad Calarum sunt profecti, et cum fuerunt ad portum Callari applicati, dictus Chianus marchio ab inimicis illis diebus captus fuit et interfectus. Set cum ipsius successor esse diceretur Guillielmus Cepulla eius avunculus[d], confirmatis cum eo conventionibus, que facte fuerant cum ipso marchione, ipsum Ianuam adduxerunt, ibique infra paucos dies decessit[e].

In ipso anno frater Anselmus ordinis fratrum Predicatorum a sede apostolica in Ytalia deputatus ad hereticos sequendos, in potestatem consiliarios excomunicationis in civitatem et suburbia auctoritate qua fongebatur interdicti[f] sententiam promulgavit, eo quod ad ipsius

a) *glossa m. post.* scilicet Ylicis 1. b) *deest* 1. c) prebentes 1. scilicet *m. p. adiectum* 1. d) consanguineus *manu posteriori corrigitur in* 1. e) *alia manu in margine partim abscisa* 1; 2 *et ed. integra reddunt:* et comune Ianue heredem instituit, ut continetur in eius testamento, quod est in sacristia privilegiorum[30] in armario ubi facta sunt Sardinee. f) *vox deest* 1.

28) i. e. occlude os Ianuensi; tege cor portonario, eripe fascem Lucensi. 29) Lib. iur. I. p. 1236 sq. et p. 1263. W. 30) d. 20. m. April. a. 1256. Lib. iur. I. p. 1231 sq. W.

1256. mandata constitutiones edite contra hereticos in statutariis comunis Ianue prout volebat non ponebantur; fueruntque missi ambaxatores Lanfrancus Ususmaris, Ugo de Flisco, Martinus de Maraboto ad civitates Luce et Florentie et ad sedem apostolicam; videlicet ad ipsas civitates, ut ex parte comunis Ianue ab ipsis civitatibus requirerent, quod Pisani, qui lassatis viribus guerram ulterius non poterant substinere, non reciperentur ad pacem, nisi marchio Callari esset in ea, sine quo Ianuenses pacem facere non poterant nec valebant. Hii tamen precibus obauditis ipsis diebus Pisanos ad pacem receperunt, eis observantibus sententiam. Ianuenses vero propter confederationem marchionis remanserunt in guerra. Pisani cum dolore restituerunt ex forma sententie Lucensibus castrum Motroni, quod optime munierunt; castra Corvarie et Masse[a] dimiserunt. Lucani castrum Corvarie funditus dirruerunt; castrum Masse Bonifatio de Massa eorum fideli restituerunt, castrumque quod construxerant prope pontem Here funditus dirruerunt: ut breviter dixerim totam sententiam Pisani observaverunt inviti. Ambaxatores supradicti inde ad Romanam curiam sunt profecti; ibique obtinuerunt a sede apostolica quod sententia lata per ipsum fratrem usque ad festum pasche suspenderetur sub hac condicione, ut si infra illud tempus constitutiones in capitulis Ianue ponerentur, viribus sententia carere[b] deberet; et si non paterentur, deberet suas vires habere; et positis infra dictum tempus constitutionibus in libro capitulorum Ianue, sententia ex precepto papali viribus caruit et effectu.

Regimen[c] suum finivit, et licet de puritate non fuerit laudatus, omnia tamen prospera suo tempore civitati Ianue contigerunt[d].

1257. Anno 1257. potestas civitatis Ianue fuit dominus[e] Albertus de Malavolta civis Bononiensis.

In ipso vero anno in introitu potestatie dicti Alberti orta fuit sedicio inter homines Ianue, recedente Philippo[f] de la Turre de civitate, quadam die dominica post dies 15 per quos in civitate Ianue morari debebat post exitum regiminis sui occasione sue syndicationis, cum recedere vellet cum tota sua familia, asociatus militibus potestatis, clamor insonuit in vico sive carrubio panicogolarum per quem idem Philippus transitum faciebat: *Moriatur! moriatur.* Et sic fuerunt lapides proiecti contra ipsum. Et cum processissent ad voltam sancti Petri, et tumultus semper maior fieret in populo, opportuit eum redire ad domum potestatis. Et ea de causa hii qui actores fuerunt in sedicionibus, inter quos erant de potencioribus civitatis, clamaverunt: *Ad arma, ad arma fiat populus!* innuentes et dicentes, quod volebant habere capitaneum populi; quod quidem popularibus placuit. Et in eo tumultu convenerunt ad ecclesiam sancti Syri; ibique sine discretione sed cum tumultu et vociferatione elegerunt Guillielmum Buccanigram popularibus Ianue in capitaneum populi Ianuensis, ipsumque duxerunt impellendo et portando cum tumultu et pompa et clamoribus ad ecclesiam beati Syri, ipsumque ibi tanquam capitaneum sedere fecerunt; et fecerunt omnes eidem iuramenta tanquam capitaneo populi. Sequenti vero die congregatus fuit populus in ecclesia maiori Ianue, ibique vocaverunt supradictum dominum Albertum, et eo presente iuratum fuit ipso capitaneo qui aderat de habendo ipsum pro capitaneo, et de mandatis ipsius attendendis et observandis. Sequenti[g] vero die more aliorum capitaneorum fuerunt electi de populo anciani 32, videlicet quatuor per quanlibet compagnam, ut quicquid cum eis seu eorum consilio faceret, disponeret vel ordinaret vel cum maiore parte ipsorum, ratum esset possetque capitula cum eorum consilio condere et contradicta corrigere et emendare et mutare. Hiis ita peractis cum predictus capitaneus sine discreto iudicio ab initio adsumptus[h] fuisset, sicut superius est tactum, elapsis diebus aliquibus et eo mutato de domo in qua habitabat ad domum sive palacium illorum de Richeriis, quem gracia sedis sue tenende conduxit ex publico, convocatis ancianis et consilio sicco[i] quod decreverat et ellegerat ex omnibus Ianue, expositum fuit ipsi consilio, eo de consilio recedente, quanto tempore volebant ipsius officium durare debere, qualem eciam societatem secum tenere deberet, et quid pro sallario suo ex re publica recipere deberet; et tandem diversi in eodem consilio dicentes et allegantes varia et diversa, — nam quidam dicebant quod volebant quod esset capitaneus in vita sua, alii usque ad quinquennium, alii usque ad

a) massa 1. b) patere 1. 2. c) *scilicet* potestas Ianue. d) *reliqua columnae pars vacat* 1. e) A. de M. c. B. *desunt* 1. *tum maior columnae pars vacat.* f) philipo 1. *hic.* g) et eciam *(postea deleta)* sequenti v. d. 1. h) absumptus 1. i) *ita* 1. *an* suo?

decennium — tandem convenerunt quasi omnes quod predictus Guillielmus esset capitaneus populi Ianuensis usque ad annos decem; et si infra illud tempus obiret, quod unus ex fratribus eius deberet ei succedere ac subrogari in ipso offitio. Fuitque in ipso consilio decretum, quod ipse haberet secum unum militem in sua societate, et pro se et societate sua deberet omni anno habere pro sallario libras mille Ianuensium; item fuit ibi decretum, quod haberet secum unum iudicem et duos scribas ad salarium comunis, et guardatores sive executores duodecim, et servientes sive crientulos[a] cum armis, qui ipsum et eius palacium die noctuque custodirent 50. Rebus sic gestis, in tantum animus eius crevit[b] quantum auctoritas potestatis, et sic quod predictus, qui se ad civitatem Ianue solus rector accessisse credebat, indignatus non potuit pati cum eo, quoniam nedum parem[c] in ipso regimine set eciam superiorem habere verebatur, et sic ad ultimum reddeundi ad propria licentiam postulavit. Et facta sibi solucione tocius sallarii quod in toto anno recipere debebat, licentiatus recessit[31], et vacavit tunc civitas Ianue regimine potestatis per dies . . . . quibus recta fuit per capitaneum et ancianos. Et fuerunt per ipsum capitaneum et ancianos electi in curia potestatis ad causas audiendas Guillielmus de Quinto qui sedebat pro tribunali loco ubi iudex potestatis stare consueverat, et Nicolaus de Murtedo iudex ad maleficiorum questiones audiendas. Fuitque in ipso anno primus iudex capitanei Symon Tartaro, et eius miles sive sotius quidam Musa nomine de Saona. Rebus sic se habentibus, per capitaneum et ancianos electus fuit in potestatem Ianue pro tempore quo idem Albertus in regimine stare debebat vir nobilis Raynerius Rubeus civis Lucane civitatis, et venit ad ipsum regimen mense . . . . . et cum eo venerunt . . . . Idem vero Raynerius rexit regimen potestatie per totum dictum tempus.

Eodem anno sedata guerra Pisanorum in Tuscia, dicti Pisani ad reparandas vires suorum in Sardineam 7 galeas miserunt, quarum fuit dux Oddo[d] Gualducius, de quo populus Pisanus plurimum confidebat. Quibus apud Calarum applicatis, ad obsidionem totis eorum viribus castri intenderunt, congregatis undique Pisanis in tota Sardinea commorantibus, et invocato auxilio iudicis Arboree; et ad hoc ut castrum per mare succurri non posset — sciebant enim se in mari cum Ianuensibus pares non esse — construxerunt in loco qui dicitur Lapola turrim quandam, et ipsam turrim cum ponte quodam, qui a turre usque terram tendebatur, munierunt machinis et viris bellicosis, et castrum predictum obsidendo per mare et terram circuierunt[e]. Et dum hec[f] in Sardinea geruntur, in civitate Ianue per capitaneum et ancianos 16 galee armate fuerunt, quarum fuerunt armiragii viri nobiles Ugo Ventus et Iacobus de Nigro, qui Sardineam accesserunt et voluerunt expugnare galeas Pisanorum. Verum ipse galee taliter erant sub turre predicta ex spaldis[g] machinis et omnibus composite, quod cum eis preliari non potuerunt.

Fuit eciam ipso tempore datum in mandatis caravane navium et lignorum que ad partes orientales proficisci debebant, ut in portum Calari applicare deberent, et quod cum galeis transmissis et aliis Ianuensibus ibidem existentibus laborarent, ut in castro victualia ponerent. Quibus applicatis ad locum iam dictum, per vim in litore ipsius castri descenderunt; tamen quia non se munierant, militibus contrariis qui erant ultra 1500 resistere non potuerunt; immo ipsos opportuit ad naves reddire; in quo reddilu quedam barcha pre multitudine ascendentium in ea submerssa fuit, et quam plures neccati fuerunt. Naves vero videntes quod castro subsidium ferre non poterant, recesserunt quo ire debebant; et galee Ianuam redierunt.

In ipso anno castellani et servientes castri iam dicti fame compulsi, et ipsis in personis et rebus affidatis, in potestate iudicis[h] Arboree se tradiderunt. Tanta enim fuit penuria in loco, quod comedebant in ipso carnes asininas equinas atque caninas et coria madefacta. Hii autem qui erant in ipso castro, in civitate Sancte Gilie quam Ianuenses tenebant se contulerunt. In eodem anno venit ad hanc civitatem frater Sardus quondam patruus dicti marchionis, qui tenebat castrum Aque Frigide, dicendo quod per Sanctam Giliam poterat recuperari castrum supradictum et alie terre Sardinee, set oportebat quod haberet milites. Quare armate fuerunt milites centum quinquaginta, et ordinatus fuit postea in

a) *i. e.* clientulos. b) creavit 1. c) *ita correxi* pacem 1. 2. d) Oddo *alia m. additum* 1. e) circuerunt 1. f) hoc 1. g) paldis 1. h) *alia manu nomen* G. *additur* 1.

31) Qui spondet, se Ianuenses de captivatione sua minime requisiturum, d. 2. Mart. a. 1257. Lib. iur. I, p. 1253. W.

1257. Sancta Gilia Iachinus Calderarius. Dicte naves et ligna cum militibus ad Sanctam Giliam navigarunt, et milites in ea posuerunt, quarum navium fuit armiragius Philipus Calderarius; qui in itinere cepit quandam navem Pisanorum, in ea[a] eciam argentum captum fuit magne quantitatis. Existentibus militibus in Sancta Gilia, quidam cives huius civitatis volentes eam prodere Pisanis, fuerunt combusti, et non pepercerunt etati vel sexui[b].

1258. Anno 1258. potestas civitatis Ianue fuit dominus Raynerius Rubeus[c].

In ipso anno summus pontifex dominus Alexander papa IV. interpellatus a principibus ultramarinis clericis et laicis, quod propter guerram quam Ianuenses Veneti et Pisani in ipsis partibus habebant, et precipue in civitate Acconis, terra christianorum erat in periculo amittendi, suis litteris destinavit ad hanc civitatem et alias, ut die certa per legittimos syndicos sufficienter instructos ante ipsius presentiam termino prefixo comparere deberent; alioquin contra contumaces procederet et invocato brachio secularium potestatum, et precipue illorum ultramaris, tam religiosorum quam aliorum. Fuerunt ergo missi iuxta mandatum ipsius ad eius curiam ex parte nostre civitatis viri nobiles Percival Aurie, Lucus de Grimaldo, Obertus Paxius et Ugo de Flisco; ex parte Venetorum Iohannes de Canali, Philippus Sturbatus et Andreas Zeno; ex parte Pisarum Raynerius Marzupus iudex. Qui omnes in curia constituti, post multos et varios tractatus in dictum summum pontiphicem de omnibus discordiis que inter ipsas civitates vertebantur et verti poterant, plenum et perfectum compromissum fecerunt[32].

Ut autem causa et origo, ex qua discordia orta fuit inter Ianuenses Venetos et Pisanos in partibus ultramarinis, plenius cognoscatur, ideo, licet diversis temporibus acciderit, id explicare prout brevius potero proposui. Sciendum est enim, quod Veneti et Ianuenses longis temporibus in pace steterant et quiete[d]. Et eciam tempore Menabovis, de quo mentio est supra facta, pacis federa composuerunt. Existentibus tamen in Accone consulibus viris nobilibus Symone Malocello ..............[e], quidam Ianuensis percussus fuit a quodam Veneto; quo percusso Ianuenses omnes arma sumpserunt, et coadunata turba cum tumultu iverunt usque ad palacium Venetorum, cunctos Venetos per viam fugantes, et eciam aliquos vulnerantes. Veneti vero ex hac causa multum turbati fuerunt, et ea omnia ad animum revocarunt, licet Ianuenses multas exinde excusationes fecerint dicentes quod predicta ex improviso et non deliberato consilio processerunt. Et hec causa inter nos et ipsos odii fomitem ministravit. Nam ab eo tempore citra semper omnia quecumque eis fiebant a Ianuensibus, eciam levia, ad animum revocabant. Temporis in processu[f] quedam navis Venetorum fuit a quibusdam capta, quam quidam Ianuensis Barocius Mallonus nomine comparavit; et cum eam duxisset in portu Acconis, Veneti non reccurrentes ad ius ordinarium set ad vim, ipsam in portu Acconis violenter acceperunt. Qua de causa Ianuenses arma sumentes, portum Acconis invaserunt, et recuperata nave predicta, naves omnes Venetorum ceperunt, in captione quarum Venetis dampnum datum fuit. Quibus peractis tractatus compositionis hinc inde habiti fuerunt; quia super emendatione dampnorum nequierunt esse concordes, res in eo statu permansit. Ex[g] qua causa Veneti ad ducem Veneciarum et Venecias nuncios transmiserunt, querellas multas de Ianuensibus transmittentes. Dux autem Veneciarum ex causa iamdicta ad hanc civitatem plures litteras destinavit plenas querelis et offenssionibus quas a Ianuenssibus suis in partibus ultramarinis illatas dicebat; et fuit in civitate Ianue ordinata legatio, que cum legatis Veneciarum Bononie convenire debebat. Fuit tamen adeo dillatata, quod Veneti animum eorum ostenderunt ad Ianuensses offendendos; sicque ipso anno cum eorum caravana quatuordecim inter[h] taridas et galeas transmiserunt armatas[i], que portum Acconis applicantes omnia ligna Ianuensium acceperunt et combuxerunt. Ceperunt eciam domum sancti Sabae[k] que per Ianuenses tenebatur et ipsam in incendio concremarunt, et eciam multas domos in ipsa civitate. Ianuenses autem videntes predicta, arma ceperunt, et orto bello cum Pisanis et Venetis, multe strages[l]

a) *post. manu additum* 1. b) *dimidia columna vacat* 1. c) civis Lucanus *post. m. additum* 1. *tum magna columnae pars vacat.* d) et homines Ianue portabant in omnibus lignis suis in banda sinistra vexillum sancti Marchi, et Veneti portabant in banda sua sinistra vexillum nostrum cruce signatum *alia manu in margine sup. adiectum, quorum verba* et homines — sua *iam abscisa sunt* 1. *in textu leguntur* 2. e) *lacuna relicta est* 1. f) processu 1. g) Et 1. 2. h) i. t. et *postea deleta* 1. i) de quibus fuit amiratus Laurentius Tepulus *postera m. in marg. addita* 1. k) sabbi c. l) straies et celles 1.

32) d. 3. m. Iulii a. 1258. Libr. iur. I. p. 1275. W.

et cedes fuerunt et domus multas extra rugam ipsorum incendio concremarunt. Sic ergo partes hinc inde se paraverunt ad bella, facientes munitiones machinas et alia ad bellandum utilia et neccessaria. Erant autem in ipsa civitate inter bricolas et trabuchos et manganos ultra numerum quinquaginta, que die noctuque sibi ad invicem lapides prohiciebant. Ipsis eciam temporibus Ianuenses per vim turrim veterem Pisanorum, eis non valentibus ipsam defendere, fonditus dirruerunt. Eis[a] autem acciderunt infrascripta[b]. Erat enim aliquando ante tempus predictum quod Pisani et Ianuenses erant federe et amicicia copulati adeo et tanta, quod si Ianuenses Venetos de civitate Acconis expellere voluissent, hoc facere potuissent de levi; et tantum fuerunt de[c] Ianuensibus choartati, quod Veneti in eorum palacium vexillum patriarche imposuerunt, invocando auxilium ecclesiasticum ab eodem. Ianuenses vero misericordia moti, quod eis postea cessit in malum, ipsos dimiserunt. Pisani vero interpellati ab illis de Pisa occasione castri de Calaro quod Ianuenses tenebant, et guerre quam cum Pisanis citra mare habebant[d], deseruerunt Ianuenses et se cumiuraverunt cum Venetis contra eos[e]. Coniurati sunt eciam contra Ianuenses, Massilienses et Provinciales. Fuit aliquando quod[f] segnoria erat ex federatione et colligatione cum Ianuensibus, et ipso tempore in civitate Acconis potestatem habebant facere que volebant, set que facere debuerant et potuerant non fecerunt. 1258.

Cum ergo cuncta cessissent ut supra, scientes Ianuenses quod Veneti cum caravana miserant galeas et taridas[g], de quibus superius est narratum, misse fuerunt de hac civitate cum caravana Ianue decem galee, quarum quatuor sevicia temporis a navibus se separarunt, et quedam ex eis Ianuam reddierunt, alie sex cum navibus Tyrum applicuerunt fractis tamen remigiis et aliis propter temporis seviciam. Cum autem Veneti qui erant Accone, intellexissent quod caravana Ianuensium Tyrum applicuerat cum quibusdam galeis, in quo portu erant eciam quam plures galee et sagitee Ianuensium congregate, armaverunt 19 galeas, et cum ipsis venerunt supra portum Tyri. Ianuenses vero videntes Venetorum galeas, clamaverunt *Ad arma! ad arma! Ad ipsos! ad ipsos!* et ascendentes eorum galeas et ligna tumultuose et absque ordinato consilio, exiverunt obviam eis, non catervatim sive coniunctim, set unus post alium sicut melius ire poterat; et sic tres galee et una sagitea, que aliis velociores erant, putantes ut omnes alie sequerentur in eorum subsidium, in inimicos ferierunt, et bello commisso antequam ab aliis succurrerentur, a Venetis capte fuerunt, et apud Acconem transmisse. Ipso autem anno Veneti ad reparandas vires suorum in partibus ultramarinis galeas et taridas quam plures miserunt[h]. Ianuenses vero hoc scientes armaverunt naves 4 et galeas 25[i], et earum constitutus fuit vir nobilis Rubeus de Turcha[k] armiragius atque dux. Set quia notum erat, quod Veneti plures numero galeas in partibus ultramarinis transmiserunt, statutum fuit quod adderentur illis 25 galeis 8 galee sine munitione perfecta, quoniam in partibus ultramarinis pocius videbatur eis deficere posse galeas quam homines, et sic dictus exercitus cum navibus et galeis iam dictis de portu Ianue movit, et ad civitatem Tyri applicuit. Exercitu vero predicto existente in portu Tyri per dies aliquos[l], tandem[m] in vigilia sancti Iohannis de dicto portu movit[n], et venit super portum Acconis, ibique ancoris proiectis steterunt. Mane autem facto, Veneti, Pisani, Provinciales et omnes Pollini terre et quos undecunque ad soldos congregare potuerunt, galeas et taridas[o] ipsorum ascenderunt, et venerunt contra nostros[p], et bello

a) Nota quod processus factus in Acon non est bene ordinatus, quia a principio Ianuenses et Pisani et segnoria Aconis erant in simul sociati et iurati, et postea Pisani contra fidem et iuramentum venientes, se sociaverunt cum Venetis contra Ianuenses. Insuper princes Tripolim duxit sororem suam in Acon que fuerat uxor regis Ierusalem et erat mater regis Ierusalem qui adhuc erat valde puer, et precepit omnibus[q] de Acone quod se[r] deberent partire a societate quam habebant cum hominibus Ianue, et esse cum Venetis et Pisanis contra homines Ianue, quare hec in continenti fecerunt. *Haec manu posteriori scripta sunt in margine inferiori* 1. b) *haec alia manus ita correxit:* hec et infrascripta hac de causa. Nam anno precedenti in partibus ultramarinis 1. c) *alia manu* a 1. d) *manu alia additur:* contra iuramentum et fidem venientes, ut soliti sunt facere 1. e) Ianuenses *a. m.* 1. f) *alia m.* Anno etiam precedenti 1. g) et t. *post deleta* 1. h) *alia m. addit* 1: videlicet in una vice 13 cum Andrea Zen, et postea 10. i) ad soldos de Lombardis et extraneis quasi omnes *alia m. addita, iam abscisa in* 1. *adsunt* 2. k) *alia m. addit:* qui secum duxit Mirialdum filium suum, virum strenuum ac probum, cui etiam plus quam patri fides adhibebatur propter patris senectutem 1. l) *alia m. additur in marg.* filius eius predictus decessit morte comuni 1. m) *alia m. addit* mense Iunii 1 n) cum galeis 48 et navibus magnis quatuor de morte filii turbatus et tristis *alia m. addita in margine* 2. o) XXXX. *alia m.* 1. p) *alia m. in marg.* set propter ventum eis contrarium divise, 13 ex eis in una parte iverunt, alie vero 27 in aliam partem, sic quod une non poterant aliis prebere auxilium nec succursum. Amiratus autem Ianuensium quasi demens maxime de morte filii cepit prandere, et sic stetit usque inter nonam et vesperas. Veneti vero considerantes processum Ianuensium, et credentes et non absque causa ipsos timere de eis, audaciam et vires assumentes, facta tranquilitate maris et venti galeas omnes suas in simul coniunxerunt 1. q) *vox dubia* 1. r) ise 1.

1258. commisso conflicti fuerunt nostri, et in ipso conflictu amiserunt galeas 25[a]. Alie vero[b] cum navibus se Tyrum contulerunt. Veneti vero cum gaudio et trihumpho Acconem redierunt. Nostri vero qui erant in Accone, et qui viriliter semper fuerant preliati et multas victorias fecerant in eadem, videntes predicta, diffissi de omnibus terram dimiserunt cum turre et domibus in potestate inimicorum, prestito iuramento quod ad ipsam usque ad tres annos reddire non debebant. Inimici autem turrem et omnes domos Ianuensium fonditus dirruerunt, et ex lapidibus turris cum galeis captis et hominibus quos ceperant Venecias transmiserunt. Sciendum est enim quod tempore dicti confrictus et ante per annum vel circa omnes infrascripti coniurati contra Ianuenses certabant. Inprimis segnoria dicte civitatis cum omnibus militibus vel baronis preter dominum Tyroni[c], princeps Anthiochie qui eciam ad civitatem Acconis in subsidium inimicorum accesserat cum militibus sagittariis et balistariis quos undecunque poterat convenire, et duxit secum reginam sororem suam et filium eius qui regnum Ierosolimitanum tenebant; Provinciales omnes Eufrarie[33] de terra, Templerii et Hospitalarierii Alamanorum, ut breviter dicam omnes erant contra Ianuam preter hospitale sancti Iohannis et preter Anconitanos et Cataranos. Illi autem pavidi pre multitudine inimicorum parum subsidii conferebant, set ab offensionibus se abstinebant, et de prosperitate nostra congratulabantur et de adversis plurimum condolebant.

Dum autem hec in partibus ultramarinis agerentur, in partibus cismarinis in curia summi pontificis compromisso facto in summo pontifice, pax inter ipsas civitates facta erat coram summo pontifice et cardinalibus; et in uno mense, quod est mirabile et eciam una die pax citra mare facta fuit, et bellum quod amisimus ultra mare inceptum. Fueruntque misse ad partes ultramaris per quendam Bucucium de Ascaris litteras summi pontificis et comunis Ianue exprimentes et declarantes que facta fuerunt citra mare. Veneti autem non attendentes quod Ianuenses non longe ab illo tempore eos de civitate Acconis expellere potuissent, nec eciam ad litteras domni pape[d], turrim Ianuensium et rugam ipsorum fonditus dirruerunt; et adeo fondamentum turris foderunt, quod in ipso fondamento aqua crescente barchas posuisse dicuntur, dicentes: *Turris Ianuensium navigat!* et pompas et alias facientes. Nam carceratos Venecias duxerunt, licet Ianuenses visis litteris papalibus suos a carcere relaxassent; de lapidibus turris et portas turris Venecias adduxerunt. Tamen post aliqua tempora multis ex carceratis defunctis, reliquos timore compositionis dimiserunt. Et ita ipso anno multa infortunia civitati Ianue accesserunt. Eodem anno prima septimana Septembris sub predicta potestatia quatuor ambaxatores Luce de maioribus ipsius civitatis detullerunt et dederunt comuni Ianue duo millia marcharum argenti ad subsidium expensarum factarum in exercitu transmarino et Sardinee; quorum munus comune Ianue benigne recepit et generarunt[e], metuens ne Lucenses dedignarentur si Ianuenses eorum exenia[f] recusassent; scilicet in crastinum sunt omnes restitute, quia capitaneus consilio civitatis et ancianorum dixit eis: *Domini, nos recepimus*[g] *vestra exenia sicut dominorum et amicorum et fratrum. Verum enimvero*[h] *vestrum comune et omnes Lucanos habemus non solo pro fratribus sed eciam pro dominis et amicis. Set*[i] *quod donastis, ad presens non expedit, recomendamus ipsum domum vobis in comunibus Lucensibus convertendum usque a tempore in quo requiremus*[k] *illud; cum indigebimus eo*[l], *secure requiremus ipsum.* Et ita Lucenses recesserunt de Ianua cum gaudio et amicicie firmitate.

Eodem anno nocte 12. Novembris luna existens 16, cum iam hora esset ..., ex toto disparuit; quod qui non viderunt eam, credebant ipsam nondum[m] ortam, nec credebant illis, qui viderunt eam, cum nullum[n] vestigium appareret ubi fuisset vel esse deberet, quamvis tempus esset serenissimum, et cimerium[34] lune[o] deberet esse in loco, in quo est sol in estate quando est hora plus quam tercia, cepit ibi apparere subtillissima, sicut subtilior fuit unquam, et paulatim crescens ad statum consuctum devenit. Unde versus:

Undecies quinque iunctis numeris cum mille ducentis
Et tribus annexis duodecima nocte Novembris,
Cum sine nube fuit celum nituitque[p] serenum,

a) *ita* 1. *legisse videtur*, *ut ed.*; *iam manu posteriori* XXII. *legitur.* b) XXVIII. *corr.* XXVI. *addit m. posterior* 1. c) *m. posteriori additur in marg.* et regem Ermenie 1. d) papa 1. 2. e) *ita* 1. 2. f) exonia 1. g) *hic dimidia linea vacat* 1. h) *ita emendavi;* enim pro vestro comuni 1. i) scilicet et quia 1. *aperte corruptum.* k) requiremur 1. l) eos 1. m) nundum 1. n) nullam vestigiam 1. o) *ita lacunam explevi.* et luna *ed.* p) nituatque 1.

33) Euphratesiae, partis Syriae ad Euphratem sitae. 34) i. q. cima, summitas.

Luna diu latitans, cum debuit esse rotunda, 1258.
Visibus humanis se totam[a] . . . . . .
Post moram suam longa denua cornua pandens
Paulatim crevit et perdita[b] lumina sumpsit.

Eodem anno et mense Astenses ceperunt Albam una parte tradente aliam, et ceperunt destruere ipsi Astenses Albam, dicendo parti que intromiserat eos et que instabat[c] ne destruerent Albam: *Omnes estis mortui, quia ita faciemus de vobis quomodo facimus de inimicis vestris quos tradidistis, cum essent propinqui et vicini vestri.* Unde sequutum est, quod Albenses civitatis[d] reddiderunt se[e] comiti Provincie in extate[f] proxime tunc ventura, et sic evaserunt, quod Astenses non destruxerunt totam Albam quam ceperant[g].

Anno 1259. Ianue civitatis fuit potestas dominus . . . . . .[h].

Ipso anno dum capitaneus insolencius agere cepisset, ac potestatem sibi concessam nimium prorogaret, omnemque potestatem ad se demumque traxisset[i], honores civitatis per se concederet, legatos mitteret, ipsiusque solius potestatem consules et ceteros magistratus compelleret obedire mandatis, decretaque consilii inania forent, totumque adsolitum statum rei publice evertisset, ex nobilibus plurimis, inter quos pauci[k] fuerunt ex senioribus, vallida contra eum indiscreta tamen coniuratio facta est, quorum tractatum[l], cum iam pluribus innotesceret, fuit qui ex eis detegeret. Igitur capitaneus diem a coniuratis statutam venit, pridieque Kalendarum Marcii huiusscemodi rei[m] inquisitione[n] facta, plurimi ex eis, quibus a capitaneo submisse persone quo magis civitatem exirent severitatem in eos futuram minantur, extra civitatem abierunt, ac die sequenti banniti sunt, quorumdamque domus dirupte sunt, nonnulli securitate data prestiterunt[o], sicque sagacitate capitanei fuga ipsorum eciam structa est, non tam eorum resistentie quam in alicuius ipsorum capud animadversationis metu[p]. Ex hoc ergo sumptis viribus magis confortatum est dominium eius, et ad palacium domni Opizonis de Flisco in platea sancti Laurentii habitationem suam transtullit, ac de peccunia communis libras 500 muneri[q] accepit, annuoque sallario suo libre 500 addite sunt, propter quod magis odiosus civibus factus est. Ipso anno venit in Ianuam venerabilis pater domnus Ottobonus cardinalis causa proficiscendi ad civitatem Astensem et ad partes comitis Sabaldie pro deliberatione nepotum ipsius filiorum quondam domni Thome[r] comitis Sabaldie, qui in civitate Astensi obsides tenebantur. Et peciit a comuni causa sue societatis et pro ipso negocio complendo ambaxatores; et fuerunt destinati cum eodem Ottobonus de Camilla, Iacobus Malocellus, Guido Spinula, Ugo de Flisco. In cuius reversione tumultus fuit in civitate, et turbati fuerunt capitaneus et populus, timentes quod idem cardinalis de depositione[s] dicti capitanei in civitate Ianue cum nobilibus tractatum habuisset, adeo quod nolebant quod permitteretur reddire. Tamen eo reverso tumultus sedatus fuit. Ipso anno Albenses, homines Cunii, Montis-Vici, Plani, Caraschi, propter potenciam vicinorum, et quia erant in malo statu, se tradiderunt[t] comiti Provincie, et se subiecerunt eidem[u].

Anno 1260. potestas civitatis Ianue fuit dominus Martinus de Fano[v]. In ipso anno 1260. quasi in tota Italia quoddam miraculum fuit, quod ex divina provisione dicitur processisse. Nam in civitate Perusii ceperunt homines ire per civitatem nudi verberando se cum flagellis[w] a maximo usque ad parvum, et clamando: *Domina sancta Maria, recipite peccatores, et rogetis Iesum Christum ut nobis parcere debeat.* Et dicitur quod hec verberatio inicium habuit a quodam puerulo parvo, qui adhuc iacebat in cunabulis; alii dicunt a quodam heremita qui artam vitam in illis partibus in quadam spelunca ducebat, quem fertur dixisse, se angelica voce[x] audisse, quod nisi homines Perusii[y] penitentiam agerent, quod eorum civitas subrueretur[z]. Dicta autem verberatio per civitates illarum parcium transitum fecit usque ad urbem Romanam, deinde per civitates Tuxie, subsequenter pervenit usque ad

a) subtrahit atra? b) prodicta 1. c) instabant 1. d) cificatis 1. e) *posteriori manu in margine additur:* Karolo fratri regis Francie 1. f) *i. q.* estate. g) *maior columnae pars vacat* 1. h) Ruffinus Cavalacius honorabilis civis Novarie *recentiori manu in margine suppleta* 1. *Maior pars columnae vacat* 1. i) *ita corrigo*; denuamque transisset 1. 2. k) *ita correxi*; pauidi *corr.* paudi 1. l) est *addit* 1. 2. m) rea 1. 2. n) inquisione 1. o) *scil.* sacramenta; remanserunt *ed.* p) meri 1. 2. q) muniri 1. r) T. 1. 2. s) dispos. 1. t) supradicto *in m. manu post.* 1. u) *reliqua columnae pars vacat* 1. v) doctor legum *alia m. in marg.* 1. *magna columnae pars vacat.* w) fragellis 1. 2. x) *vox deest* 1. y) parusii *c. a. de q.* 1. z) subueretur 1.

1260. civitatem Terdone et Papie; de civitate autem Terdone exivit Sygembaldus de Opizonis qui erat de fratribus penitencie, et qui fuit rector populi Terdone; et venit ad civitatem Ianue[a] cum maxima cohorte[b] eorum qui se verberabant; et depositis pannis ad domum fratrum Minorum per civitatem Ianue nudi ire ceperunt verberando se et clamando alta voce: *Domina sancta Maria,* ut supra dictum est, et proicientes se in terram unanimiter clamabant: *Misericordia! Misericordia!* Et subsequenter clamabant: *Pax! Pax!* Defferebant enim quam plures ex eis arma ligata ad collum cum quibus offenderant. Videntes autem hec cives Ianue, mirabantur quid hoc esset. Alii dicebant: *Bonum signum est!* alii aliter. Item alii dicebant: *Numquam verberabo me, et verberent se quantum volent!* alii aliter. Et sic iverunt per tres dies per civitatem, ita quod pauci aut nulli Ianuensium eos sequerentur. Tandem adeo commoti sunt omnes cives Ianue, quod quilibet sese recolligebant in eorum ecclesiis, et ibi deponebant vestimenta, et acceptis crucibus ibant per civitatem nudi verberando se et visitando omnes ecclesias civitatis Ianue et suburbium[c], et ita fecerunt per tres dies continuos. Hoc eciam factum fuit per totum districtum Ianue usque in Provinciam. Multe discordie pacificate fuerunt ipsis temporibus, et multa bona ex illa verberatione orta fuerunt. Fuit eciam a capitaneo ipso tempore petitum, ut omnes exiliatos restitueret; et annuens[d] petitioni ipsorum, una cum potestate Ianue restituit in integrum omnes forefactos Ianue et districtus ab omnibus forestationibus et bannis, dum tamen si aliquis esset forestatus pro offenssa quam alicui fecisset, quod primo se concordaret cum offenso. Item in eodem anno cum Florentini et Lucenses exercitibus copiosis undique congregatis et paratis multis rebus et alimentis et aliis pertinentibus ad munitionem et guarnimentum castri Montis Arcini[36], ad ipsum castrum muniendum dirigerent gressus suos, atque pervenissent prope civitatem Sene per 5 miliaria vel circa, Senenses cum comite Iordano, quem domnus Manfredus filius olim domni Frederici secundi imperatoris cum quadam quantitate militum Theothonicorum ad subsidium dicte civitatis transmiserat, contra ipsos processerunt, et certamine commisso cum eisdem, victi fuerunt et fugati Florentini et Lucenses. In quo conflictu omnia guarnimenta amiserunt, et ex eis tot fuerunt capti et mortui, quod civitas Florentina mandata dicti domni Iordani totaliter adimplevit, et eiectis Guelfis[d*] de Florentia, qui de conflictu evaserant cum parte ipsorum, Gibellini qui partem dicti Manfredi favebant in civitate fuerunt restituti.

1261. Anno 1261. potestas civitatis Ianuae fuit dominus[e] . . . .

In ipso anno Ianuenses memores iniuriarum eis factarum a Venetis et eorum complicibus in partibus ultramarinis, animum eorum intenderunt ad eos affligendos modis omnibus quibus possent. Et ita deliberato consilio legatio solempnis fuit ordinata causa mittendi[f] ad serenissimum dominum Paleologum imperatorem Grecorum, qui cum Venetis guerram habebat, ad confederationem faciendam cum eo contra Venetos. Fueruntque missi ad predicta gerenda viri nobiles Guillielmus Vicecomes et Guarnerius[g], habentes plenam potestatem componendi et confederationem faciendi ex parte comunis Ianue contra Venetos antedictos. Predicti autem abeuntes ad imperatorem iam dictum, qui ipsos honorifice recepit, et eis honores multos impensit, et acceptans negocium pro quo iverant, utpote quia Venetos intimo cordis exosos habebat, confederationem et pacta iniit cum predictis, in qua predictis[h] nomine comunis Ianue immunitatibus[i] multis concessis, civitatem Smirnarum[k] liberaliter tradidit et donavit; in qua civitate Ianuenses ad partes Romanie navigantes, tanquam ad eorum propriam terram portum facerent et accessum haberent[35]. In ipso anno vel sequenti legati qui destinati fuerunt ad imperatorem Grecorum, perfectis illis de quibus supra mentio facta est, Ianuam reddierunt, cum quibus idem imperator suos nuncios solempnes et magnos[l] ad hanc civitatem transmisit, causa corroborandi ea que facta fuerant cum legatis; et factis quibusdam mutationibus et promissionibus ab ipsis nunciis imperatoris, confederatio predicta in civitate Ianue fuit firmata[m] et iurata. Quo facto unus ex nunciis dicti imperatoris qui eciam ipsius propinquus esse dicebatur,

a) circa festum natalis Domini *additur in marg. manu posteriori* 1. b) cohorthe 1. c) non dimittentes metu pluvie frigoris seu nivis *in marg. manu post.* 1. d) anuens 1. d*) gulfis 1. e) Iordanus de Raaluengo ciuis Astensis *manu post. in marg. superiori scripta iam abscisa sunt in* 1. *habentur in* 2. *dein lacuna magna.* f) mitandi 1. g) Iudex *alia m. additur* 1. h) quā predicti 1. i) imminentibus 1. k) smirrarum 1. l) scilicet Murzufo *in marg. manu posteriori* 1. m) firma 1.

35) Pactum d. 13. m. Mart. a. 1261. initum Michael imp. d. 28. m. Aprilis (Lib. iur. I, 1345), Ianuae commune d. 10. m. Iulii (ibid. p. 1350) ratum habuerunt. W. 36) Montealcino.

nomine Mursuffus obiit et apud ecclesiam beati Laurencii honorifice sepultus fuit. Cumque 1261 supradicta peracta fuissent, ad postulationem dictorum nunciorum imperatoris armate fuerunt in civitate Ianue naves sex cum galeis decem, que misse fuerunt ad Romaniam[a] in subsidium dicti imperatoris contra Venetos supradictos; et earum fuit capitaneus sive armiragius Marinus Buccanigra frater capitanei. In ipsis autem navibus et galeis reliqui nuncii imperatoris ad propria reddierunt illariter et iocunde. Nam in civitate Ianue honorifice recepti fuerant, et expensas de publico amplas et largas quousque Ianue steterunt habuerunt. Ipso anno marchio Pillavicinus recuperavit Placentiam, quam Albertus de Fontana et sui sequaces abstulerant ei proditorie, ut fauctores marchionis dicebant, et pepercit vel alio quocumque modo remisit Placentiam omnia debita que sibi debebant, et sententias et alia instrumenta, que habuerat ut dicebatur illicite contra eos, in publica concione incidit, promitens se recturum equaliter et pacifice terram ipsam, et restituit omnes forestatos ad certa confinia constitutos. Eodem anno vero exeunte Madio domnus Alexander papa IV. obiit in Viterbio, et congregatis ibi cardinalibus omnibus qui erant octo tantum, tandem quia in electione summi pontificis oportet quod due partes cardinalium consenciant in eodem, non convenerunt in ellectione summi pontificis, et vacavit ecclesia Romana pastore usque ad decollationem sancti Iohannis. Et tunc patriarcha Ierosolimitanus fuit electus in papam, et fuit nomen eius Urbanus papa IV. Qui primo anno sui pontificatus excommunicavit Ianuenses, pro eo quod contra Venetos fecerant convencionem cum Paleologo. Ipso[b] anno ex quo domnus Urbanus papa dignitatem pontificalem adeptus fuit, litteras papales per quosdam fratres ordinis sancte Tecle ad potestatem capitaneum et consiliarios ac commune huius civitatis dirrexit, continentes, quod intellexerat, quod comune Ianue quosdam nuncios sive cursores ecclesiae Romanae ceperant, et eis iniuriis affectis in carceribus detinebant, atque[c] cum Paleologo quem ab ecclesia Romana divisum appellabat colligationem fecerant et confederationes inierant[d] in preiudicium christianitatis et ecclesie Romane; et eapropter mandabat predictis ut infra mensem a die representacionis dictarum litterarum per nuncios solempnes, habentes plenum mandatum de attendendis super promissis mandatum ipsius, destinare deberent: alioquin si hoc non servarent, elapso mense potestas capitaneus et consiliarii excommunicationis sententiam, et commune interdicti incurrerent. Fuerunt missi pro hac causa ad summum pontificem viri nobiles Lanfrancus de Carmadino, Ugo de Flisco, qui in curia constituti et defenssionibus comunis propositis et allegatis, excusatione cursorum admissa, quia mandata ecclesie iurare noluerunt super facto colligationis dicti imperatoris, utpote quia nec de hoc mandatum habebant, Ianuam reddierunt, non obtinentes super relaxatione excommunicationis et interdicti quod petebant.

Anno 1262, potestas[e] civitatis Ianue fuit domnus Iordanus predictus[f]. 1262

Die quinta Madii de Romania applicuit quedam navis Ansaldi Aurie, in qua detullit quendam nuncium dicti imperatoris natione Florentinum; et in qua nave nova venerunt, quod dictus imperator civitatem Constantinopolitanam a Venetis et Latinis abstulerat et ipsam suo imperio adiecerat, et quod idem imperator palacium latum et amplum ad formam castri, quod Veneti in dicta civitate obtinebant, Ianuensibus qui ibi aderant pro comuni Ianue donavit. Ianuenses vero cum tubis bucinis et chordibus[g] cadunatis dictum palacium fonditus diruerunt; et ex lapidibus ipsius palatii[h] ad hanc civitatem in ipsa nave transmisserunt, quorum quidam adhuc extant in domo comunis hedifficati ad Clapam Olei et ab eo tempore citra idem imperator se appellavit in suis litteris et appellatus fuit aliis novus Constantinus[i]. Eodem anno dum capitaneus sibi tocius rei publice curam et dominium subiecisset, potestati consulibus ceterisque magistratibus iam velut tyrannus preesset, honores per[k] se daret, spretisque decretis consilii federa cum quibus vellet componeret, ordinatas causas litigancium everteret, omne fas atque infas misceret, operaque pene tyrannica[l] foveret, omniaque agi oporteret sue voluntatis arbitrio, nobilibus ac senioribus civitatis ab honoribus et rei publice cura penitus exclusis, odiosus factus est nimis nobilibus ac senioribus et divitibus plebis ac potestati, dominiumque suum penes aborruerunt omnes,

a) a romania 1. b) Ipso — petebant *in codice* 1. *statim post* Ianue steterunt habuerunt *et ante* Ipso anno marchio Pillavicinus *scripta habentur, sed nota manus posterioris recte ad hunc locum ablegantur.* c) atque colligationem 1. d) inhibuerant 1. e) *haec verba vix legi poterant* 1. f) de Reluengo nobilis civis Astensis *addit editio.* g) cordibus 1. h) *ita ed.*; civitatis 1. i) et annis xxiiij imperavit *addit posterior manus* 1. *Michael a.* 1259—1282 *regnavit.* k) pre *corr. alia m.* per 1. l) tyranica 1.

1262. cuiuslibetque nobilium dissensionibus sublatis convenerunt adversus eum qui maiores ex nobilibus videbantur. Et ex tunc capitaneus timere cepit et solicitus esse, ac precipue domum Grimaldorum suspectam habere. Cumque crescente iugiter odio alter in[a] alterum ad invicem excitarentur, que gerebantur hinc inde non deerant qui refferrent; dumque in proximo futurum diceretur ut in ipsum nobiles potenter insurgerent, cogitavit eorum propositum prevenire nocte, et ex eis capere quosdam. Quod nec nobiles latuit, ante noctem potentes civitatis pervenire festinaverunt, ac post die Nonas Madii sabato circa horam none, ante diem scilicet statutum ab eis, cum iam nimium urgerentur et iam homines potestaciarum mandato capitanei Ianuam properarent, nobiles ac potentes civitatis videntes quia pro anima res est illis, se periculo exponentes potenter continuo in arma furentes surrexerunt. Ac rumore facto dum vox ad ipsum pervenit, existens in domo, ad fenestras cum hiis qui erant cum eo, vociferavit ad arma, et continuo portici ipsius domus clause sunt ianue, ac mox[b] per cornu et campanam homines provocantur ad arma. Cumque preco eundo clamaret, lapide percussus in brevi vitam finivit. Armateque[c] sunt omnes porte armatorum nobilium, et qui cum eis erant multitudo in Fossatello convenit contra Lanfrancum Buccanigram ipsius capitanei fratrem. Capitaneus autem in platea exivit, ubique collectis armatis circiter[d] 800 concionem fecit. Qui continuo post factam concionem versus domos Grimaldorum ire disponens incepit, nec tamen nundum de platea egressus continuo reddiit, ac demum armatorum cohortes[e], que ad ipsum convenerant, minui ceperunt. Interim ex parte nobilium per Cannetum transire volentibus, quidam ex populo occurerunt, ac non magno certamine facto, ipsis victoribus patuit via, sicque ad Fossatellum cum aliis convenerunt. Ibique Lanfrancus capitanei frater, dum cum potentibus ac nobilibus civitatis contenderet, vulneratus gladio corruit. Ut autem audivit capitaneus, quia Lanfrancus mortuus est, vires amisit, pavidusque factus contremuit. Ergo audito pene ab hominibus derelictus est solus. Archiepiscopo autem et quibusdam mediantibus, dum hec geruntur, securitas data fuit; et circa vesperas armis depositis, ac capitaneo deposito, sedata sunt omnia, et capitaneus cum familia in domo Petri Aurie se nocte collegit. Mane autem facto, in ecclesia sancti Laurencii concio facta est, electique sunt rectores civitatis, videlicet Nicola[f] ..................................................................

atque eodem die consiliatores elegerunt, ac duos iudices assessores suos, videlicet Raymundum de Casali ut iudicet[g] eis et Bonifacium de Volta, ut predictum currit maleficium. Sequenti vero die consilio celebrato, potestatem elegerunt, non ad brevia sed de comuni omnium voluntate, domnum Martinum de Fano legum doctorem, ut cum Palmerio eius filio veniret, ut si stare vellet, staret ad regimen civitatis Ianue; sin autem, deberet remanere dictus Palmerius. Qui rectores rexerunt usque ad Kalendas Iunii, quo die idem dominus Martinus advenit, et iuravit idem Palmerius regimen civitatis Ianue. Eodem anno quedam navis Venetorum plena multis negociatoribus mercationibus et mercatoribus cum tribus galeis exibat de mari maiore, volendo reddire ad patriam cum omnibus mercatoribus Venetorum, qui tempore captionis Constantinopolis erant in ipso mari maiore. Et cum navis predicta cum dictis galeis transiret per mare de civitate Constantinopolis, exiverunt contra ipsam quam plures galee Grecorum et due Ianuensium causa debellandi ipsas navem et galeas. Tamen licet acriter fuerit preliatum cum ipsis, eas capere non potuerunt; et cum recederent et recesserunt ad civitatem Constantinopolis, Otto Ventus[h] armiragius decem galearum de quibus facta est supra mentio, rediens ad ipsam civitatem Constantinopolis ipsas navem et galeas invenit[i], et eas expugnando per vim cepit. Et quia multitudo mercium erat in ipsa navi, tot ea capta ascenderunt in ipsam Latinorum et Grecorum, quod dicta navis subversa[k] fuit, et in ipsa multi ex Venetis et Grecis suffocati fuerunt. Pervenientes autem ad civitatem predictam, captos qui evaserant imperatori quasi omnes tradiderunt. Imperator autem ad dedecus Venetorum omnibus nasum abscidi et occulos erui fecit, preter quibusdam, qui precibus Ianuensium dictam penam evaserunt[l].

a) alter in alterum ad inuitione mancentur 1. *unde veram lectionem enucleare tentavi.* b) mos 1. c) armatique 1. d) ciciter 1. e) cortes 1 f) *duodecim lineae vacant* 1. g) *vox incerta.* h) *postera m. additur in marg.* transmissus de Ianua in locum Marini predicti et constitutus 1. i) in bucha Avei *in marg. m. postera* 1. k) euersa subuersa 1. l) *infra in margine alia manu habentur hae lineae, iam fere deletae:* pone hic de armamento quod ivit ad ...., quibus prefuit Lanfrancus Dugo Spinula .... cum galeis 32 et Petrus avocatus et Otto ...... cum galeis 10 que fuerant Marini Burgar ....

Anno 1263. potestas civitatis Ianue fuit dominus Leazarius[a]. 1263.

Tempore Gucii filii et vicarii domini Leazarii de Leazariis potestatis Ianue, misit comune Ianue contra Venetos in Romaniam galeas 25, sagiteam unam et barcas 5, que moverunt de Ianua die Lune 28. Madii circa ..... [a*], quarum iverunt armiragii Petrinus de Grimaldo, Pescetus Mallonus[b], qui mutuaverunt comuni pro ipso armamento 36 milia librarum Ianuensium, et quodlibet armamentum quod misit dictum comune, fuit solutum de mensibus quatuor ante quam se moveret ad armamentum[c]. Item pro comuni Ianue eodem anno iverunt ad domnum papam Urbanum apud Romam sive apud Orbiveti, ubi erat domnus papa, ambaxatores tres, et unus scriba cum illis occasione excomunicationis facte per papam et cardinales in hominem civitatis Ianue ad peticionem ambaxatorum Veneciarum et imperatoris Balduini, olim imperatoris Constantinopoli. Nomina ambaxatorum sunt hec: Guido Spinula, Symon Streiaporcus filius Amici Streiaporci, et Napuleonus de Vultabio iudex, et scriba fuit cum illis Obertus Barberius de Rapallo. Qui ambaxatores cum stetissent in curia domni pape per multum tempus dicta occasione et pluribus aliis de causis, et multis factis comunis Ianue, nichil facere potuerunt, excepto quod relatum fuit publice per civitatem Ianue, quod dicti ambaxatores prorogaverunt, quod legatus qui debebat venire ex parte domini pape Ianuam pro excommunicando et pro prohibendo divina et beneficia ecclesiastica civitatis Ianue hominibus et districtus, et prohibendo quod commune Ianue non deberet mittere armamentum quod mittere debebat dictum comune Ianuae Romaniam in servitium et subsidium sanctissimi imperatoris Paleologi non veniret[d], donec dictum armamentum iverit in Romaniam. Et tandem de mense Iunii circa exitum dicti mensis venerunt dicti ambaxatores Ianuam, et duxerunt secum legatum unum domni papae, videlicet archiepiscopum de Sassari, qui legatus Ianue stetit per multos dies, et exposuit in consilio civitatis Ianue ambaxariam suam ex parte domni pape, et sunt tales ambaxarie sue[e] .....

Item eodem anno cum exercitus galearum nostrarum, que erant numero 38, navigarent ad Malvaxiam ex precepto imperatoris, causa portandi ad ipsum locum qui per imperatorem tenetur quedam guarnimenta, et applicuissent ad insulam quandam que appellatur Septem puteos; et galee Venetorum intenderent navigare ad civitatem Nigripontis in subsidium dicte terre, et notum esset tam ab illis ante exitus quam Venetorum, quod galee in dictis locis erant, ordinatum fuit per nostros de insultando galeas Venetorum et preliando cum eis, que erant numero 32[f], et sic die ..... bello commisso inter illos exercitus, ex galeis nostris non fuerunt preliate nisi usque in galeas 14, inter quas fuit galea[g] Petri Advocati armiragii, qui viriliter expugnando inimicos cum illis qui ipsum sequebantur ad prelium, tantum expaverat inimicos, quod alta voce faciendo cruces misericordiam postulabant, sicut hec omnia apud amicos et inimicos nota fuerunt. Verum quia alii armiragii in bello non perseveraverunt set discesserunt, dicti Veneti quatuor galeas ex nostris retinuerunt. Et in ipso conflictu dictus Petrus extitit interfectus, qui eciam pro gloria rei publice vivere est censendus[h]. Hiis ita peractis Veneti de morte ad spem vite restitutis unt, aliqua fugaciter[i] facta ad Nigrumpontem navigaverunt. Nostre autem galee cum pudore et verecundia et specialiter cum non vincerant quos vincere poterant, Malvaxiam venerunt. Et ut autem sciatur vera esse que scribuntur, noverint presentes et futuri, quod ille pauce galee ex nostris que ad prelium iverant, iam plures ex galeis inimicorum ceperant et ex eis plures captos, ex vi necis a prelio descendentes, Ianuam adduxerunt; qui eciam captivi omnia supradicta fuisse vera testabantur. Rebus ita peractis cum dicte galee starent in portu Malvaxie, quatuor taride Venetorum grandis magnitudinis honerate pane victualibus et aliis neccessariis ad exercitum suum et in quibus erant mercatores et merces multe, intendentes navigare ad eorum exercitum, per iam dictas galeas nostras capte fuerunt cum omnibus rebus et hominibus qui in eis erant. Eodem anno galee 25 que armate fuerant tempore domini Gucii, applicuerunt Romaniam, et cum tam alie quam iste essent in ipsis

a) *vox iam erasa* 1; de Leazariis civis Bononiensis *addit ed.* a*) vesperum? b) et Symonum de Claritea *addit m. post. in marg.* 1. c) *infra in margine* 1. *alia manu quaedam iam fere erasa habentur:* Hic deficit de illis galeis quarum[k] fuit anno[k] isto[k] Lanfrancus Dugo Spinula amiratus cum[k] Ottone[k] electus[k], vel ponatur in anno illo ubi debet poni quando fuit Lanfrancus reversus. d) n. v. *flagitat sententia, desunt* 1. 2. e) *lacuna; desunt tamen* 1. f) XXX::: *recentiore manu* II *inserto* 1. g) Lanfranci Dughi Spinule armiragii et galea *m. rec. inserta* 1. h) *alia m. postea adiecta sunt:* et galea dicti Lanfranci capta, ipse tamen evasit et se recolegit in aliis qui evaserunt 1. i) fugar 1.

k) *vox incerta.*

1263. partibus Romanie, propter multitudinem armiragiorum et propter alia inconvenientia que gerebant, idem impera or post multos et varios tractatus habitos cum eisdem, nec cum eo poterant vel ipse cum eis concordari: idem imperator exercitum predictum galearum, que erant numero 60 vel circa, licenciavit eas, et ad propria reddire precepit, et reddierunt ipse galee in portu Ianue anno preterito et sequenti[a]. Et accepit potestas secures securitates magne quantitatis ab omnibus armiragiis, comitis, naucleriis et consiliariis. Ipso anno, quia armiragii supradicti comiti nauclerii et consiliarii propter eorum malefacta apud comune Ianue diffamati erant multifarie multisque modis ad hoc ut arcius contra ipsos procederetur, extitit decretum auctoritate consilii generalis et hominum sex per compagnam, et quod decretum vallatum fuit per promissiones et convencionem prout melius firmari potuit, quo ordinatum fuit quod eligerentur viri tres de melioribus et maioribus civitatis Ianue, qui deberent inquirere omnia malefacta ablata et detenta subtracta seu indebite sive illicite habita vel retenta a predictis omnibus in partibus Romanie ex quacunque re et ex quacunque causa; et fuerunt ad ipsum officium electi et compulsi viri nobiles Obertus Cigala, Ido Lercarius et Ansaldus Aurie, et eis secundum formam dicti decreti index ad exigenda que dicerentur exigenda electus et datus fuit Albertus . . . . .[b] civis Pergamensis, et de ipso decreto extiterunt publice scripture in arcivo publico[c].

1264. Anno 1264. potestas civitatis Ianue fuit dominus Guillielmus Scarampus civis Astensis[d].

In ipso anno predicti tres ex forma decreti predicti electi et constituti ad inquirenda et facienda ea que in ipso decreto continentur, de quo superius fecimus mentionem, eorum offitium fideliter exequendo et cum deliberatione diligenti eorum inquisitionem et condempnationem exigerunt, et exactum fuit ab Ottone Vento sive ab intercessoribus ipsius
36 perparos[36] auri . . . . a Symone de Iaritea perparos . . . . a Ianella Advocato qui successerat Petro Advocato in armiragia perparos . . . . Ipso anno dictus potestas condempnavit in publica concione dictos Ottonem et Symonem quemlibet ipsorum in libris mille pro suis excessibus, et quemlibet ex comitis ipsarum galearum in libris 100, et quemlibet naucleriurn in libris 300, et quemlibet consiliatorum ipsorum, excepto Nicolao de Sancto Donato qui viriliter in ipso prelio pugnavit.

In ipso eodem anno fuerunt electi secundum formam capituli ad sindicandum potestatem anni precedentis et ipsius familiam viri nobiles Ottobonus de Cruce, Pascalis de Mari, Nicolaus de Porta, Andreas Gatiluxius[e], iuris periti Petrus de Nigro, Marchisinus de Cassino, Obertus Paxius et Symon Tartaro. Predicti autem sindicatores condempnaverunt dictum Gucium et Tadeum ipsius assessorem, et quosdam alios de ipsius familia, pro serviciis illicite acceptis et capitulis non servatis in libris 700, de qua condempnatione extat instrumentum factum manu Guillielmi Vegii notarii.

In ipso anno ad inimicos Venetos opprimendos et ad confovendos et deffendendos Ianuensium navigantes per diversas mundi partes fuerunt armate in civitate Ianue ad expensas comunis naves due excelse magnitudinis et que de peccunia comunis dicta de causa fuerant fabricate, et galee 20 in quibus fuerunt homines bellicosi peroptime armati usque in tria milia quingenti. Et moverunt de portu Ianue de mense Iunii die . . . . . Quarum fuit armiragius et dux vir nobilis Symon Grillus, ipsius consiliarii Rogerius de Anchona, Ogerius Scotus, Petrus de Camilla et Amicetus Grillus. Capitanei navium Petrus Embriacus et Symon Guercius. Quia idem Symon Grillus propter offitium armiragie insolempnius procederet, et homines eciam populares ad ipsum confluerent, extimatum fuit, et precipue per viros nobiles domus Grimaldorum, quod idem populum facere vellet, et quod populus ipsum in capitaneum prefingere vellent; et ea de causa munitiones servientium et aliorum copiose in civitate facte fuerunt, adeo quia cum milites potestatis ad domum dicti Symonis accessissent, quidam lapides proiecti fuerunt, et campane Sancte Marie de Vineis fuerunt ad stremitam[37] fortiter pulsate. Eapropter potestas cum omnibus quasi nobilibus civitatis Ianue, et precipue illorum de Flisco, arma sumpserunt contra dictum Symonem volendo dirigere gressus suos. Idem autem Symon, antequam potestas ad domum suam accederet,

a) sed in itinere redeundo obiit dictus Lanfrancus Dugo Spinula morte comuni in insula *alia manu adiecta* 1. b) *lacuna* 1. c) *reliqua columnae pars vacat* 1. d) *maior pars columnae vacat* 1. e) *ita distinguit* 1.

36) moneta Byzantinorum. 37) conclamatio ad arma.

cum amicis suis ad palacium ad potestatem venit, paratus ipsius obedire mandatis, et stetit 1264. in ipso palacio duobus diebus; tercia die recepta magna securitate et ab Ancellino eius nepote, ipsos abire iussit apud Portum Venerem, et ibi steterunt quousque ascendit in navibus quarum erat armiragius. Rumor autem die, qua inceptus fuit, sedatus fuit.

Dictus autem exercitus ipso anno et die movit de portu Ianue, et ceperunt navigare versus orientem, et infra paucos dies applicuerunt ad insulam Malte, ibique steterunt per plures dies, et tandem exinde iter arripuerunt causa eundi ad partes ultramarinas. Cumque proficiscerentur et ivissent in ipso itinere per miliaria centum vel circa, invenerunt quandam navem burgensium Messane, quam ceperunt causa exquirendi nova parcium ultramaris. Et scitis ipsius terre ultramaris rumoribus, et specialiter de civitate Acconis, cum intelligerent, quod si ad partes ultramarinas accederent, nichil proficere possent de hiis que ad comodum et honorem civitati Ianue redundarent, proviso consilio miserunt naves cum 3 galeis versus alias partes[a]. Armiragius autem cum quibusdam ex consiliariis suis, acceptis 17 ex dictis galeis direxit gressus suos versus partes gulfi Veneciarum. Et missa una ex dictis galeis ad imperatorem Grecorum, cum reliquis 16 galeis pervenit in mare Duracii. Et cumque ib iesset in vigilia assumptionis beate Marie, caravana Venetorum, que cum mercationibus navigare intendebat ultra mare et Alexandriam, apparuit eis. Videntes autem dictam caravanam gavisi sunt gaudio magno valde, et viriliter et festinanter pervenerunt ad ipsam. Homines autem caravane videntes dictas galeas, coniunxerunt se omnes in unum. Erant autem naves tres, una quarum maior erat aliis, et taride magne cum[38] gabiis 13, panzonus[39] unus, galee due, et sagitea una. Et fecerunt quasi castrum sive 38 carrocium de nave maiori, irridentes nostros et proicientes gallinas in mari clamantes: *Cum istis preliate!* Nostri autem aggressi sunt prelium agre nimis. Erat autem hora cepti prelii circa vesperas, et tandem circa mediam noctem debellaverunt predictas naves et taridas, ita quod Veneti compulsi fugientes sese recollegerunt in nave maiori dimissis omnibus aliis navibus et lignis. Nostri autem ceperunt taridas naves et galeas; et ex eis una navis submersa[b] fuit et una tarida combusta. Sequenti die insecuti fuerunt navem in qua se recolligerant homines caravane; tamen fortuna ventorum impediente ipsam preliari non potuerunt, set sola de ipso conflictu cum hominibus dicte caravane evasit et Veneciam rediit. Exercitus autem Ianuensis cum nave una Venetorum et taridis 13 et galeis duabus et sagitea una cum mercationibus que erant in eis, Ianuam letanter remeavit, et fuit receptus cum gaudio et trihumpho. Dampnificati autem in ipsa captione[c] Veneti fuerunt, sicut publice ferebatur, ultra libras centum milia Ianuinorum. Set comune Ianue ex rebus venditis de preda predicta habuit in erario[d] suo ultra libras triginta milia Ianuinorum. Veneti vero scito quod Ianuenses faciebant armamentum navium et galearum, de quo supra facta est mentio, armaverunt inter taridas et galeas et alia ligna 52 causa aggrediendi exercitum nostrum[e]. Verum spe sua fuerunt decepti; quoniam cum ipsis temporibus applicuissent ad partes Sicilie[f], auditis rumoribus quod exercitus noster ad partes ultramarinas navigabat, ad ipsas partes eorum navigium direxerunt, et pervenerunt ad civitatem Tyri extimantes exercitum nostrum fore ibidem. Verum in portu Tyri non invenerunt nisi unam navem Ianuensium que dicebatur Oliva, et in qua erat quedam quantitas bumbecii honerata. Et cum Ianuenses se pararent ad ipsam deffendendam, domino Tyri non placuit, sed illud prohibuit omnino, dicendo quod Veneti non offenderent aliquos in portu suo; et pro uno denario quem Ianuenses amitterent in suo portu, eis de bonis Venetorum restitueret duplum. Veneti autem pro dicto domino non dimiserunt quin navem ipsam caperent et eciam civitatem Tyri cum scalis et pontibus de mari preliati fuerunt, in quo prelio multi ceciderunt ex eis. Cumque una die supra portum Tyri starent, venit ad eos quedam barcha armata de Accone, que retulit eis de captione caravane ipsorum. Quibus auditis, in continenti se moverunt de loco, et ad Acconensem civitatem pervenerunt, ibique navem iam dictam Ianuensium cum mercibus in ea positis vendiderunt precio bisanciorum undecim milium. Dominus autem Tyri de rebus Venetorum in Tyro inventis et de camera sua dampnum quod Ianuenses substinuerunt in amissione dicte navis, sicut promiserat, totaliter emendavit. Cum autem exercitus

a) scilicet versus Sichos Barbarie ne de ipsis essent nova alicubi *addita manu postera in marg.* 1. b) sumersa 1. c) cautione 1. d) errario 1. e) de quibus fuit admiratus Andreas Barotius *addita alia post manu* 1. f) et Malte *addita post alia manu* 1.

38) gabia i. q. carchesium, Maſtkorb. 39) navis oneraria.

1264. Venetorum[a] per aliquot dies ad partes illas stetisset, ad propria remeavit et applicuit apud Venecias circa exitum mensis Novembris. In ipso anno[b] stella que dicitur cometa cum maxima coma et corruscatione mirabili per multos dies omnibus patenter apparuit[c]. In eodem anno
Oct. 2. Urbanus papa IV. mense . . . . obiit morte communi et sepultus fuit apud Perusium. Ipso eciam anno Anglici rebellantes contra eorum regem, existente ipsorum capud Symone comite Montisfortis, ceperunt ipsum regem et filium eius primogenitum Alduardum, et comitem Ricardum dicti regis fratrem, et filium ipsius comitis, et ipsos omnes carceri et custodie manciparunt. Ipso eciam anno Ordelaimar rex Granate, qui consueverat esse fidelis et tributarius regis Castelle, cui singulis diebus pro tributo prestabat bisancios mille argenteos, contra ipsum regem cum omnibus Sarracenis Yspanie rebellavit; et coepta est guerra inter regem Castelle et gentem suam et Sarracenos Yspanie, auxiliantibus Sarracenos Barbaris et aliis Sarracenis de Garbo et Barbaria, et multa prelia ipso anno in ipsis partibus firmiter fuerunt inter christianos regis Castelle et Sarracenos iam dictos, in quibus preliis magna multitudo Sarracenorum gladio periit, et eciam quam plures christiani fuerunt occisi[d].

---

VIII.

# LANFRANCI PIGNOLLI, GUILIELMI DE MURTEDO, MARINI USUSMARIS, ET HENRICI MARCHIONIS DE GAVIO ANNALES.

A. 1264. 1265.

## LIBER SEPTIMUS.

*Cum autem per quosdam viros sapientes que supra scripta sunt seriatim sicut facta contigerunt sint plenius declarata, et postea quedam recitatione digna acciderunt, placuit potestati viros quatuor nobiles et sapientes eligere, duo quorum fuerunt iuris periti, scilicet Lanfrancus Pignollus et Guillielmus de Murtedo, et alii duo laici fide digni, scilicet Marinus Ususmaris et Henricus marchio de Gavio, qui super hoc opere previderent, scribentes solummodo veritatem de hiis que comuni Ianue acciderunt, tam de prospere gestis quam etiam de adversis.*

In ipso ergo eodem anno cum per bonos et antiquos homines Ianue timeretur ne venirent scandala, et hodia crescerent inter quosdam nobiles Ianue, cum iam quasi principia viderentur, ob hoc videlicet quia illi de progenie Grimaldorum dicebantur habere de amicis suis in decurionum sive consiliariorum ordine ultra satis quam ipsos habere debere ceteris Ianue nobilibus videretur, et specialiter illis de parte illorum de Auria, et de Spinollis, et eciam illorum de Flisco; et sic dictum fuit in civitate Ianue, quod Obertus Spinulla venisse debuit quadam nocte usque fere ad civitatem cum cohorte maxima suorum hominum, et etiam Lombardorum, unus quorum etiam nomine . . . . . civitatem intravit. Quibus auditis

a) qui erat galearum 44 *addita postea* 1. b) die prima Augusti *alia m. post inserta* 1. c) per dies 40 continue *alia m. post addita* 1. d) *alia manu in columna sequenti usque ad a.* 1269 *pergitur* 1.

a nobilibus et senioribus Ianue, custodiam ipsa nocte per civitatem fecerunt; adveniente 1264. vero die multi et multi ad potestatem habuerunt accessum, rogantes ipsum, quod super predictis et custodia civitatis previdere deberet; et sic per ipsum potestatem et per octo nobiles qui iuxta ipsum erant, fuerunt de qualibet compagna viri 50 electi, qui iuraverunt semper de die et de nocte esse parati cum armis et sine armis ad mandatum ipsius potestatis et ipsum defendere toto posse. Fuerunt autem predicti 50 per quamlibet compagnam in summa 400, et quodam die de mense .... fuerunt in palatio potestatis omnes predicti 400, et preelegerunt de se ipsis quatuor viros de qualibet compagna, videlicet quelibet compagna per se seriatim ab altera suos quatuor; quibus omnibus quatuor, scilicet 32, tam per ipsos 50 de qualibet compagna, quam etiam per consilium civitatis, fuit data plena potestas et baylia, quod ipsi eligerunt in consiliarios et octo nobiles pro anno futuro quos vellent ad meliorem statum et maiorem comodum civitatis, promittentes omnes, quos elegerint, habere tam pro consiliariis quam octo nobilibus omni modo, et hoc tam pactis quam promissionibus conventione vallatis fuit per universum consilium roboratum. Qui 32 omnes simul elegerunt octo nobiles, scilicet Guillielmum de Castro, Lanfranchinum Ventum, Enricum Drogum, Lanfranchinum Mallocellum, Uguetum Lomellinum, Iacobinum de Mari, Ansaldum Luxium et Matherinum de Guizulfo; duo quorum octo fuerunt electi de parte illorum de Grimaldo et aliorum nobilium de sua parte, et alii duo de parte illorum de Flisco et aliorum nobilium de parte sua, et alii duo de parte illorum de Auria et de Spinollis et aliorum nobilium de parte sua, alii vero duo fuerunt electi pro comunalibus non de parte, et eodem modo electi fuerunt consiliarii. Hoc autem facto contentus quilibet de peractis, omnis rumor paccatus est, et hodia[38] que crescebat debita oblivioni fuerunt. 38

In ipso vero et eodem anno fuerunt omnes Ianuenses et ceteri Latini licenciati per Palialogum imperatorem Grecorum et nuncios suos de imperiali civitate Constantinopolis. Fuitque opportunum ipsos a dicta civitate secedere, concessitque ipse imperator tunc Ianuensibus pro sua habitatione locum quendam habitatum nomine Recrea[39], qui a Constantinopoli civitate distat per miliaria 60. Causa vero predictorum hec fuit. Quoniam cum Guillielmus Guercius quondam Iohannis, in Constantinopoli et in partibus Romanie super Ianuenses foret pro potestate a comuni Ianue constitutus, accusatus fuit ipsi imperatori quod civitatem Constantinopolim traditurus erat in manibus Latinorum, et quod habuerat de hoc tractatum cum nunciis domni Manfredi regis Sicilie; propter quod dictus Guillielmus vocatus coram imperatoria maiestate, in presencia multorum Ianuensium et aliorum assistencium fuit propria lingua confessus. De cuius confessione ibidem fuit publicum instrumentum conscriptum, quod per specialem legatum fuit comuni nostro a dicto imperatore transmissum, quod fecit dictus imperator volens comunis Ianue amiciciam retinere, quasi dictos Ianuenses de dicta civitate merito expullisset. Cum autem hec audissent viri nobiles de progenie Guerciorum, accesserunt in pleno consilio Ianuensi petentes ex gratia speciali, quod comune Ianue dictum Guillelmum Ianuam pedibus et manibus ligatis faceret apportari, et quod ipsum eundem eisdem concederet iudicandum. Tandem cum persona ipsius haberi non potuit per comune, ipsum Guillielmum potestas bannivit et forestavit, de quo banno et forestatione exire non posset nisi comuni Ianue non solveret libras 10,000 Ianuinorum. Set quia ex tenore conventionis inite inter dictum imperatorem et comune Ianue, dictus imperator debet Ianuenses tenere in dicta civitate, et comuni Ianue concessit ampla et magna edifficia, et quod ibi per ipsum comune Ianue constitueretur potestas qui ibi regeret Ianuenses, armata quadam diligenter galea et preparato legato, nomine Egidius de Nigro ex[a] nobilibus hominibus Ianue, ad ipsum imperatorem fuit transmissus; cui fuit commissum quod ab ipso imperatore omnino impetrare curaret quod Ianuenses in Constantinopoli habitarent, vel saltim in quodam loco nomine Peyra[40]: qui ivit et reddiit, 40 nichil tamen de commissis perfecit. Et eodem anno duo alii legati, videlicet Benedictus Zacharia et Symonetus de Camilla eadem de causa ad ipsum eundem imperatorem iverunt, qui sine aliqua super ipsis novatione facta Ianuam reddierunt.

In ipso vero et eodem anno civitas et homines Mediolani, qui quandam confederationem et societatem fecerant cum domno Uberto Pilavicino marchione et cum hominibus Cremone, dimissis ipsa confederatione et societate, ad statum antiquum reddiit partem ecclesiasticam omnino fovendo. Et ipso tempore facta est pax et firmata inter comune

a) de ernobilibus 1.

38) i. e. odia. 39) Erekli. 40) Pera.

1264. Mediolani et comune Pergami domno Philipo de la Turre, nobili civi et capitaneo Mediolani, usque ad annos decem in[a] potestatem electo. Qui Philipus ad dictam civitatem Pergami vicarium delegavit.

In ipso vero et eodem anno domnus G. marchio Montisferrati[b] cepit civitatem Aquensem, quam tunc tenebat domnus Manfredus marchio de Carreto. In ipso vero et eodem anno dictus domnus marchio Montisferrati cepit castrum et burgum Novarum, que tunc tenebantur per comune Terdone, et Terdona per domnum Ubertum Pillavicinum marchionem. Nam simul habebant guerram et dissensionem magnas ad invicem, licet filius[c] dicti domni Uberti habere debeat quandam filiam dicti marchionis in uxorem, et que iam est in domo dicti domni Uberti, licet sint annorum solummodo . . . . .

1265. Anno 1265. fuit potestas Ianue domnus Albertus de Rivola civis Pergami, qui secum habuit tres iudices, unum videlicet nomine Guizardum pro assessore suo, alium vero nomine Lombardus pro causis civilibus, alium vero nomine Ianebonum de Amicis deputatum ad causas et questiones maleficiorum audiendas et diffiniendas. Item tres milites, licet non deberet habere secundum quod ordinatum fuerat nisi duos, unum videlicet nomine Albertum qui comunis debita luebat, alium vero nomine Albertum[d], et alium nomine Iacobum qui secum in sua societate stabant. Scribe palacii et comunis magister Albertus de Casali, Ianuinus Osbergerius et Baldoinus de Salvo. Scribe maleficiorum Guillielmus Vegius et Manuel de Albara. Octo nobiles fuerunt predicti quos elegerunt illi triginta duo, de quibus facta est mentio supra in proximo anno. Consules de placitis fuerunt isto anno in palatio civitatis domnus . . . . . Pallidus civis Astensis, scribe Obertus Osbergerius et Belmustus de Pelio; in palatio de medio domnus Aymelinus de Graciadeis civis Reginus, scribe Leo de Sexto et Iacobinus Fontana; in palatio de versus burgum Guillielmus de Monticello civis Bobiensis, scribe Enricus de Braya et Henricus Dardella; in palatio foritanorum domnus Iordanus de Baioaria civis Mutinensis, scribe Iohannes de Premontorio[e] et Iohannes de Bonohomine.

In ipso vero anno armate fuerunt contra Venetos pro comuni Ianue ad soldos galee 10; ivit in ipsis admiratus vir nobilis Symon Guercius et eius consiliarii vir nobilis Ianue Ottobonus de Cruce et Iohannes Dondedei civis Naulensis. Fuitque per comune Ianue ordinatum, quod illi qui in ipso armamento ituri erant, partem dimidiam eius quod de bonis Venetorum acquirerent, exceptis lignis et terris, ultra soldos habere deberent, statutis sive ordinatis partibus cuiuscumque. Que galee de portu Ianue die ascensionis[f] Domini exierunt. Et euntes per partes regni Sicilie, multas naves ultra 30 in ipso regno, que Venetorum erant, invenerunt, nullam eisdem iniuriam sive dampnum ob amorem regis Sicilie facientes. Gulfum etiam Venetorum intraverunt, set quia Veneti pre timore eorum a navigationibus se cavebant, eis non fecerunt magnum dampnum. Et quia iam eorum caravana et magna cum galeis 16, quas pro ipsa in transmarinis partibus armaverant conducenda, recesserat tota simul, mare autem totum circa Siciliam et per illas partes custodierunt, ita quod per Dei gratiam Veneti nullum dampnum alicui ipsa estate intulerunt Ianuensi, reddierunt autem Ianuam de mense Novembri et habuerunt captivos usque in 32, dampnificaverunt Venetos rebus ultra libras 5000, et de eo quod in comuni pervenit medietas, prout ordinatum fuerat, divisa fuit inter homines qui in ipso iverant armamento. Galee vero Venetorum que cum sua caravana iverunt, cum fuissent in partibus ultramaris in Accone, et quedam navis Ianuensis esset in portu Tyri, accesserunt ad ipsam cum duabus navibus quas emerunt, nichilque cum ea bello incepto proficere potuerunt. Sicque cogitarunt in nocte igne ipsam penitus comburentes. Unde in nocte misso igne in sua propria navi, ipsam impelluerunt supra nostram. Set quia et Ianuenses eorum maliciam previderant, duas habentes barbotas eorum malo velle dictam navem accensam alio adverterunt; sicque consumpta fuit non inferendo dampnum in aliquo navi nostre. Videntes quod dicte navi nichil nocere possent, cum dampno et dedecore reddierunt; et applicuerunt Venetias de mense Novembri, et unum Ianuensem captivum adduxerunt[g], licet 6 cepissent, quorum tres aufugerunt de galeis, et duo dies suos finierunt, quibus requiem requiem[h] per suam misericordiam Deus donet.

a) i. p. e. *alia m. suppleta in m.* 1. b) ferrati *alia m. suppletum* 1. c) nepos 1. *alia m. corr.* filius. d) *postea lacuna unius vocis* 1. e) p̄m̄torio 1. f) assensionis 1. g) aduxerunt 1. h) ita 1. *pro utroque scilicet defuncto.*

1265. In ipso anno missus fuit legatus nomine Lanfranchus de Carmadino per comune Ianue ultra mare scilicet domino Thyri et aliis baronibus pro factis comunis Ianue faciendis in malum et detrimentum hominum Venetiarum et comunis eiusdem, et armata per comune Ianue optime quadam galea, de portu Ianue exivit die 9. mense Madii in nomine Iesu Christi. Qui per partes Colenexi transitum faciendo, cuidam galee obviaverunt Venetorum, ipsamque bello inito quam cito et breviter capierunt. Ipsaque galea capta, post aliquos dies quandam magnam taridam hominum Venetiarum que veniebat de Alexandria in mare castri Rogi invenerunt; belloque incepto, in quo fuit ipsius taride nauclerius de quodam querello de turnio[41] in ipsius belli inicio percussus mortifere, et sic ipso percusso alii stupefacti vilius depugnaverunt, ipsam viriliter devicerunt. Ivit cum gaudio antea[a], et suam legationem explevit. Et Ianuam reddeundo cum transitum faceret per partes Mutoni, quendam panzonum magnum et grano valde honeratum invenerunt, in quo erant muniti usque in homines 45. Qui cum predicti de galea se prepararent ad bellum, ipsos quam plurimum deridebant dicentes: *Venintis huc cito, et vires temptabitis Venetorum!* Obmissis vero preparationibus dicti belli, ipsa galea dictum panzonum investivit, belloque inito inter ipsos ceperunt eosdem quam pluribus interfectis. Reddiitque dictus legatus de dicta legatione de mense Septembris, et adduxit usque in captivis 72. Permisit enim[b] abire homines usque in 20, qui dicebantur non esse Veneti, quos dimisit in partibus Malvaxie. Dampnificavit Venetos in rebus in quadam non modica quantitate, de quibus in comuni pro parte sua pervenit usque in libras 2000 Ianuinorum[c]. Habuerunt homines qui cum ipso legato erant medietatem totius eius quod ceperunt ultra ea que in captione lignorum que non pauca fuerunt de alieno capiens quilibet suum fecit, sicut consuevit in talibus moris esse.

In ipso anno Obertus Spinulla tam cum hominibus quam amicis suis moto exercitu Montem Cagne obsedit, in quo exercitu multi ex popularibus Ianue extiterunt, et multi ex parte Garibaldorum de Lavania ad ipsum exercitum similiter abierunt. Cumque ibi per plures dies cum ipso exercitu moram fecisset, ipsum castrum devicit, et Ianuam post aliquot dies venit. Et sic cum diceretur, Grimaldos eidem cum esset in ipso exercitu, et ne posset devincere[d] dictum castrum, nocuisse, privatim dicebatur etiam, ipsos populares Ianue qui illuc iverant, eidem Oberto iurasse de populo Ianue faciendo. Et licet hoc palam ab hominibus nesciretur, tamen propterea crevit odium inter ipsum Obertum et progeniem Grimaldorum. Verum interponentibus se quibusdam nobilibus, inter ipsos compositio facta fuit, et in consilio generali se ad invicem pacis obsculum reddiderunt, iuramento hinc inde prestito, quod in Ianua non consentirent vel facerent aliquam novitatem. Ipsosque potestas et multos alios secum ad prandium invitavit, et comederunt cum eo, excepto Oberto Spinulla, qui in die convivii habuit in capite quamdam plagam. In ipso vero anno nocte media inter diem Iovis que fuit prima Octubris, et diem Veneris que fuit secunda, circa Oct. 1. primum sompnium Obertus Spinulla cum Thoma fratre suo et quibusdam Ianuensibus de albergo suo, et cum Guillielmo de Petra, qui secum habebat usque in hominibus 40 de valle Scrivie, et cum Iohanne Ravasclerio et Guillielmo Botino cum quibusdam de parte Garibaldorum usque in 32, et cum quibusdam popularibus Ianue non divitibus vel bonis hominibus, set pauperibus et rixosis, voluit audacci spiritu se dominum et capitaneum facere Ianuensis civitatis. Unde dicta nocte, cum sciret omnes nobiles Ianuenses, ut moris est, in villis moram trahere ipso tempore, accessit cum predictis ad palatium potestatis, ipsumque potestatem cum sua familia personaliter capientes, transduxerunt eosdem ad domum dicti Oberti ad Lucholium, ubi tunc temporis habitabat; ibique ipsos custodie committentes, civitatem ceperunt circuire una nocte clamantes: *Vivat, vivat dominus Obertus Spinulla, dominus et capitaneus Ianue.* Fecerunt ipsa nocte claudi omnes portas civitatis, ne nobilibus, qui erant in villis, ingressus civitatis pateret; omnique ipsa nocte ita circueundo civitatem iverunt, et multi ipsum Obertum ex vili populo sequebantur dicentes et clamantes ubique: *Surgatis, et veniatis ad dominum Obertum Spinullam, dominum et capitaneum Ianue.*

Cumque dies oriretur, timentes populares, ne cognoscerentur, et quia multi ex nobilibus iam intraverant civitatem, voluit ipse Obertus quae inceperat ad finem perducere, et se in parlamento in capitaneum eligi facere et firmari. Fecit parlamentum apud ecclesiam

a) aña 1. b) *haec obscura sunt in* 1. c) Ian. 1. d) *ita legendum, at legi videtur* deinde 1.

41) i. q. turnus, ballista, machina iaculatoria.

1265. beati Laurencii sonari. Cumque ad ipsum parlamentum veniret a palacio potestatis, in quo erat, nolentes illi de progenie Guerciorum ipsum ante domos suas transitum facere, cum ipso preliari coeperunt. Et quia non erat cum Guerciis sufficiens[a] hominum multitudo, non potuerunt durare cum eo; et cepit domos et turres Guerciorum, et illorum de insulis, et ipsas bonis omnibus spoliarunt. Fuitque in ipso prelio quedam puella filia quondam Fulchonis Guercii de quodam quarello cum lapides de turri proiceret, ad mamillam percussa et in continenti vitam finivit, et sepulta fuit apud Sanctum Laurentium. Dimissisque in domibus Guerciorum quibusdam hominibus, ire cepit per civitatem. Licet fere omnes nobiles et specialiter qui prope civitatem erant, iam intrassent civitatem, tractantes quidam ex eis, qualiter factum posset sedari ad statum melius civitatis, licet Grimaldi gressus suos tenderent versus Stelle castrum — nam audiverant Pilavicinum civitatem intrasse, et ipsius fortiam habuisse. Fuitque tunc per seniores et nobiles Ianue ordinatum, ipso Oberto volente et consenciente, quod viri nobiles Ianue Guido Spinulla et Nicolaus Aurie ab ipsa die usque ad purificationem beate Marie, cum tunc novum regimen incipere consuevit, deberent regere civitatem, et potestates ambo esse usque ad dictum tempus; et quod dictus Obertus, vel aliquis qui cum ipso fuissent in predictis, in nichilum puniretur, et quod potestas deberet ad domum suam reverti, et desineret esse potestas. Sicque factum fuit ipsa die Veneris, licet postea dictus potestas in civitate Ianue pluribus diebus stetisset; cui omne dampnum, quod ipsa nocte substinuit dictus potestas et omnes de familia sua, fuit usque ad quadrantem ultimum emendatum et ascendit in summa librarum 1200 Ianuinorum. Licet unus ex iudicibus nomine Ianebonus de Amizis qui super maleficiis erat iudex, volens se emittere per balchonem, cum predicti dicta nocte palacium intraverunt, de alto cecidit, ut quia cum pinguis esset non potuerunt brachia honera corporis substinere. Qua de causa post aliquos dies in Domino obdormivit, et corpus eius fuit apud Sanctum Franciscum perpetuo collocatum. Fuitque dicto potestati integrum salarium tocius anni datum; et fecit ipse potestas et iudices et milites omnes de sua familia finem, remissionem et pactum de ulterius aliquid non petendo a comuni Ianue, et quod nullam laudem ob predicta consequerentur contra comune Ianue, et illud instrumentum factum fuit manu ........ ..... millesimo predicto, et mense, die ipsius mensis. Quibus peractis de civitate recessit. In ipso vero anno et tempore quia cum dicto potestati concessi fuissent duo ex octo nobilibus, videlicet Matherinus de Guisulfo et Lanfrancus Mallocellus, per comune Ianue, qui ipsum potestatem in suo recessu usque Astensem civitatem sociare deberent, ivit cum ipso similiter vir nobilis Fulcho Zacharie non percipiens stipendia a comuni set ob amorem quem habebant erga potestatem predictum; quibus revertentibus cum iam ipsum usque ad dictum locum conduxissent, captus fuit dictus Fulcho per Guillielmum de Quiliano et in carceribus detentus, et se daturum eidem Guillielmo promisit dictus Fulcho ob redemptionem suam libras 5000 Ianuinorum.

In ipso anno die ascensionis Domini in mane fecit transitum per mare Ianue domnus Karolus, filius Ludovici quondam regis Francie et comes Provincie, cum galeis 27 et cum aliis lignis minutis usque in 13, eundo Romam, cum per summum appostolicum eidem fuisset regnum Sicilie attributum, transducens secum usque in quantitatem militum quingentorum et balistariorum mille. In ipso anno cum dictus domnus Karolus dictum transitum fecisset et galee ipsius esisterent in fuce Rome, accesserunt ibidem galee 60 domni Manfredi regis Sicilie, et infinxerunt ante fucem multos palos et etiam duo ligna honerata lapidibus ante ipsam similiter affundarunt; quibus actis 40 ex ipsis de mense Iunii fecerunt transitum per mare Ianuam et Provinciam accesserunt, et ceperunt quandam navem Provincialium, et facientes ibi moram per mensem, in fine reddierunt cum dicta nave; et cum reddeundo fuissent in partibus Sancti Romuli, invenerunt ibidem 12 galeas ex predictis galeis domni Karoli regis que reddibant Provinciam de partibus Rome; ceperuntque de ipsis duas et unam combuxerunt, et una alia remansit fracta in terra, cetereque octo fuga arrepta evaserunt ab ipsis; non tamen aliquem hominum ex ipsis galeis ceperunt, nam omnes in Sancto Romulo evaserunt.
Nov. In ipso anno de mense Novembris Lombardiam intravit vir nobilis comes Frandare[42] cum quibusdam aliis comitibus et baronibus de ultramontibus, habentibus secum usque in quantitatem sex milium virorum equestrium optime paratorum ad bellum, et usque in sexcentum balistariorum equestrium, et peditum usque

a) sufficientes 1.

42) i. e. Flandriae.

in quantitatem viginti milium, quorum medietas esse balistarii[43] dicebatur. Qui omnes 1265. transitum fecerunt per Lombardiam, non obstantibus Pillavicini minis et posse, qui cum suo exercitu et magno exivit in servicio regis Manfredi Sicilie obviam supradictis. Licet cum transeuntes appropinquarentur eidem, timens incertum prelii eventum noluit cum ipsis habere conflictum[a]; iveruntque ad partes Rome in servicio dicti domni Karoli regis et offensione domni Manfredi regis Sicilie supradicti. In illo anno civitas Vercellensis ad partem Mediolani et ecclesie reddiit, cum antea in contrarium niteretur, fovens Pillavicini partem. In ipso anno domnus Aldoardus filius regis Anglie, qui cum dicto rege patre suo et comite Ricardo patruo suo et filio ipsius comitis in carceribus detinebatur per Symonem comitem Montisfortis, Deo dante de ipsis carceribus, cum fingeret currere quendam equum, extitit liberatus; et coadunato[b] exercitu, conflictum habuit cum ipso Simone et sequacibus eius, et tandem habuit victoriam et triumphum; captoque ipso Simone ipsum et filios eius ferro interimi fecit, et patrem et patruum et consanguineum a dictis carceribus liberavit. Sicque dictus rex dominari incepit. In ipso anno venerabilis pater dominus Ottobonus cardinalis de proienie illorum de Flisco, missus legatus per summum pontificem ad partes Anglie, per Ianuam transmeavit, fuitque in suo adventu tam per clerum quam per laycos maxime honoratus. In ipso anno transmeavit cum 4 galeis de galeis de Provincia apud Romam domna Beatrix[c] uxor dicti domni Karoli regis Sicilie, nolens quod est individuum separare. In ipso etiam anno accessit Ianuam episcopus de Vignono[44], vir eloquens et discretus, qui ex parte domni Karoli dicti regis Sicilie exposuit in consilio Ianue, quod cum domnus rex Karolus, rex Sicilie, audivisset civitatem Ianue in quodam motu fuisse, quod ipse episcopus ex parte ipsius Ianuam veni et, et si ipsam civitatem in bono statu inveniret, bene quidem; et si ipsam inveniret in non bono esse, quod ex parte dicti domini deberet circa reformationem ipsius comunis intendere iuxta posse. Item quod si comune Ianue vellet aliquid addere vel aliquid declarare in conventione quam comune Ianue cum dicto domno Karolo habet, quod dictus domnus rex hoc comuni Ianue faceret quecumque placerent et congrua viderentur. Item quod dictus domnus rex requirebat consilium a comuni Ianue super factis suis, que habebat facere cum dicto domno rege Manfredo, rege Sicilie, non tamen dicebat in suis verbis nisi *cum Manfredo qui se dicit regem Sicilie*; et si comuni Ianue placeret habere partem in conquisto, et ipsi auxilium dare, quod eidem domno regi Karulo ultra modum placeret. Fuitque eidem per comune Ianue responsum, videlicet quod comune Ianue grates de predictis omnibus dicto domno regi Karullo referebat[d].

a) factoque transitu per partes Brixie, quam Pallavicinus tenebat, deinde Ferrarie *manu alia post in margine addita et iam partim abscisa* 1. b) cohaunato 1. c) *spatium vacat* 1, *manu recenti vox inserta est quam retinui; cf. a.* 1245 d) *pars columnae vacat* 1. 43) nostris Armbruſtſchützen. 44) Avignon.

## IX.

# MARINETI DE MARINO, GUILLIELMI DE MURTEDO IURIS PERITORUM, MARINI USUSMARIS ET IOHANNIS SUZOBONI LAICORUM ANNALES

## A. 1265. 1266.

1265. *Quoniam vero currente* 1265. *per quatuor viros sapientes digne que suprascripta sunt per ordinem secundum quod facta contingerunt, sint plenius declarata et scripta ad memoriam hominum et civium Ianue civitatis, et postmodum multa et plura facta contingerunt, que memorie hominum tam nobilium quam aliorum civitatis Ianue digna recitatione conscribi debuerint, placuit potestati, prout capitulo speciali tenetur, alios quatuor nobiles et sapientes eligere, duo quorum fuerunt iuris periti, videlicet Marinetus de Marino et Guillielmus de Murtedo, alii vero duo fuerunt laici fide digni, videlicet Marinus Ususmaris et Iohannes Suzobonus, qui in hoc digno opere discrete previderunt scribere ad memoriam et declarare veritatem de his que comuni Ianue acciderint tam de prospere gestis quam etiam de adversis, et etiam de aliis magnis et arduis negotiis et factis que a predicto tempore citra acciderunt tam in Lombardia quam in regno Sicilie et aliis partibus Italie*[a].

Quoniam consentaneum est et iuri et rationi congruum, quemlibet de suis bonis factis moribus et regimine cumdigno commendari, de contrario vero reprehendi: idcirco circa personas virorum nobilium Nicolai Aurie et Guidonis Spinule, qui in anno predicto[b] capto potestate ut predictum est certo tempore extiterunt potestates Ianue civitatis, ascribitur et ascribi potest condigne de ipsorum operis et regimine laus cum effectu. Ipsi vero civitatem predictam eorum tempore, homines et gentes districtus eiusdem urbis rexerunt in pace atque gubernarunt, se in eorum regimine taliter se habentes quod[c] ipsorum officio finito, de palacio, quo habitabant, ubi curia regebatur, ad suas proprias domos comuni omnium voluntate abierunt, nullo eis opposito ipsorum officii causa, licet quilibet potestas per civitatem Ianue certo tempore stare debeat, responsurus cuique opponere volenti eidem aliquid quod fecisset contra formam statutorum civitatis Ianue. Set tanta fuit ipsorum bonitas, quod ob causam ipsorum sindicatores creari non oportebat per decuriones civitatis Ianue. Set ipsi et iudices ipsorum et eorum familia propter ipsorum condignum regimen et opera que fecerant, recesserunt ad propria cum laude gloria et honore condigno. Licet propter viros predictos syndicatores creari non oportebat, facti tamen fuerunt et creati, ut observarentur capitula civitatis; et propter consules et octo nobiles, et alios officiarios qui per ipsos examinari debent secundum tenorem et formam capituli civitatis Ianue. Verum quia nobiles octo, scribe et alia societas predictorum virorum nobilium, sequentes vestigia in suis officiis predictorum virorum nobilium, taliter se habuerunt, quod nemo fuit qui contra ipsos vel aliquem ipsorum aliquid opponere seu dicere vellet: cum igitur predicti et quilibet ipsorum forent sine macula, et ex toto mundi et puri in ipsorum officiis comprobati propter ipsorum opera, tanquam aurum in fornace abierunt, et fecerunt cum laude gloria et honore.

Consules vero placitorum videlicet Iordanus de Baiuaria consul foritanorum, Raimundus de Casali consul medii, Guillielmus de Monticello consul burgi, quia gentes de ipsorum regimine confiderunt, et nomen et fama ipsorum in bonis operis et factis laborabat, eorum officio cum iusticia peracto, abierunt nichil eis vel alicui eorum opposito cum laude gloria et honore. Drogus vero consul civitatis, Astensis vero civis, a tramite vero iusticie devians, a vestigiis sociorum declinans, ad illicita et inhonesta tendens in tantum se habendo in inhonestis quod eius fama notoria in tantum contra ipsum laboravit, quod oblatis eidem multis libellis stetit et ipsum stare oportuit defensurum se a predictis. Et quia contra ipsum probatum fuit illicitum[d] et inhonestum, id circo in pleno consilio civitatis Ianue per sindicatores sindicatus fuit et condempnatus. Et sic laude et gloria perdita, abiit cum obprobrio ad propria remeando.

a) *ita corrigo;* Sicilie 1. 2. b) de consensu Oberti Spinule tunc Ianue capitanei *alia m. postea addita fuisse videntur in marg. superiori* 1. *extant in textu* 2. c) laudem plurimam meriti fuerunt *inserit* 2. d) ilicitum 1.

In anno currente 1266. fuit potestas civitatis Ianue domnus Iacobus de Palude[a]. Socii 1266. et milites eiusdem fuerunt domnus Iohannes de Valatis, domnus Bernardus Rubeus, qui prefuit in capitulo super debitis comunis Ianue, mutuis et collectis exigendis, et quando dictus domnus Iohannes[b] ........ Scriba eius fuit Guillielmus de Guilia. Iudices vero eiusdem potestatis fuerunt domnus Egidius de Gadinis, qui prefuit appellationibus terminandis et consiliis regendis t aliis tractandis circa potestatem predictam, domnus Guiraldus Gatus, qui prefuit civilibus causis et questionibus audiendis; domnus Symon de Vitalibus, qui prefuit criminalibus questionibus audiendis. Scribe dicte potestatis ad discum[42] suum fuerunt magister Albertus de Casali, Ianuinus Osbergerius, Baldoinus Riozo; et ad discum maleficiorum Guillielmus Vegius, Manuel de Albara. Octo nobiles vero fuerunt Nicolosius de Merlo, Guillielmus Barcha, Bonifacius de Nigro, Pascalis de Mari, Petrus de Camilla, Amicetus Grillus, Ianella Advocatus, Lanfrancus Ricius. Scribe octo nobilium fuerunt David Grillacius et Opizo de Clavaro. In ipso vero anno fuerunt consules de iusticia distincti per palacia et consulatus civitatis Ianuę; videlicet in consulatu foritanorum Normandinus de Bernarduciis civis Lucensis. Scribe eius fuerunt Guillielmus Mafonus, Guillielmus de Stephano de Suxilia. In consulatu civitatis Cavalcabos de Medicis civis Papiensis. Scribe fuerunt Ogerius Osbergerius, David de Sancto Ambrosio. In consulatu medii Scurionus de Belexiis civis Aquensis. Scribe fuerunt Enricus de Braia, Iacobinus Barberius. In consulatu burgi Iohannes de Garganis civis Pergamensis. Scribe fuerunt Enricus Dardella, Iacobus de Platealonga.

In ipso vero anno mense[c] Ianuario .. fuit Carlus comes Provincie coronatus in regem Ian. 6. Sicilie per ecclesiam Romanam; qui corona recepta, exercitu suo congregato ducibus baronibus militibus et aliis gentibus immenso[d] suos paravit gressus versus domnum Manfredum regem Sicilie, volens predictum Manfredum deponere et expellere[e] de sede ipsius regni, barones et comites, terras et loca, castra et civitates predicti regni sibi acquirere et subiugare et ea habere, secundum quod eidem domno regi concessum erat et datum per domnum papam et fratres nomině Romane ecclesie et pro ipsa. Ipso preparato exercitu abiit de Roma et accessit[f] ad locum nomine Ceparanum. Qui passus tenebatur per predictum domnum Manfredum, de quo passu etiam timebatur, cum fortis sit et periculosus ad transeundum. Verum tamen quem Deus conducit, sine periculo ubique transit. Quare cum dictus rex Karolus et in Christi nomine ambulabat pro ecclesia Dei preliando, et uti terram dicte ecclesie redimeret, dictum passum cum eius exercitu transivit nullo obstaculo sibi opposito. Quo transitu facto multi milites et gentes qui predicto domno Manfredo obediebant, ad mandata domni regis Karoli devenerunt. Paulatim vero dictus domnus Karolus ultra tendens secundum multitudinem quam secum habebat, et cum discretione et sapiencia applicuit[g] cum exercitu suo ad locum nomine Sanctus Germanus, qui locus pro dicto domno Manfredo tenebatur munitus. In ipso vero anno et ad munitionem ipsius erant milites Teotonici numero multi, Sarraceni et alie gentes cum hominibus et gentibus dicti loci; est enim ipse locus arduus fortissimus et passus crudelis. Erat enim talis de quo etiam nimis timebatur, cum diceretur publice quod ipse locus vix a toto mondo capi posset. Videns rex Karolus quod sibi et gentibus suis laboriosum erat et quasi impossibile[h] dictum regnum conquirere nisi primo predictum locum in sua optineret virtute, presidio[i] Christi invocato predictum locum cepit facere expugnari. Quare divina gratia favente, prelio inito dictum locum devicit absque labore gravi, Saracenos ibi inventos universaliter incidentes. Predicto vero loco devicto, multe terre et loca quam plura quas dictus domnus Manfredus tenebat, ad mandata domni regis Karoli devenerunt. His igitur passibus[k] et locis devictis et in virtute domni regis Karoli, cum exercitu suo cum sensu maximo et discretione digna processit domnus rex Karolus versus Capuam, ubi domnus Manfredus erat cum maxima multitudine militum cum multis comitibus et baronibus et alia gente infinita, paratus denuo regi Karulo et eius exercitui oviare. Cum igitur dicti exercitus appropinquassent unus versus alium, domnus rex Manfredus dimissa civitate cum suo exercitu venit ad campum[43]. Et tandem ordinatis cohortibus seu societatibus militum, prelio incepto inter dictos Febr. 26.

a) civis Parmanus *addit m. posterior* 1. b) *lacuna relicta* 1. c) *hic lacuna, cui sanguinea Karoli facies inscripta est* 1. d) *vocis initium obscurum* 1. e) expelere 1. f) accesit 1. g) aplicuit 1. h) imposibile 1. i) presiduo 1. k) pasibus 1.

42) i. e. Tiſch, mensa potestatis. 43) Rex Capua Beneventum fugit, ibique in campo occubuit; cf. Ann. Cavenses, Placentinos, Ricordanum, S. Malaspinam.

1266. exercitus fortiter et viriliter expugnarunt; multe gentes in ipso prelio ex utraque parte interfecte fuerunt. Tandem facto çonfrictu rex Karolus dictum dominum Manfredum et eius exercitum devicit. In eo vero exercitu mortuus fuit dictus domnus Manfredus, capti fuerunt multi comites et baroni, et quam plures ad mandatum domni regis Karoli devenerunt. Mandato domni regis Karoli perscrutato per campum ubi iacebant corpora mortuorum, inventus fuit mortuus dictus domnus Manfredus. Quo invento iussit rex Karolus ipsum lavari cruore sanguinis madefactum[a]; quo lavato iussit ipsum indui vestimento panni deaurati, et facto monumento novo predictum domnum Manfredum sepeliri fecit cum maximo honore et prout tanto homini condecebat. His peractis indefinite magnates terre et loca et civitates regni Sicilie domno regi Karolo laudem levaverunt, et universaliter sine prelio et labore aliquo ad eius mandata devenerunt. Hoc acto domnus rex Karolus constituit suum vicarium in Sicilia domnum Phylipum de Monforte filium domni Philipi de Monfort domini Tyri. Qui cum accesserit prope Mesanam ad locum nomine Regium, paratis galeis duabus, una per Ianuenses et alia per Pisanos, accesserunt ad locum, ubi erat vicarius predictus. Qui vicarius visis dictis galeis et gentibus earum, galeam Ianuensium recepit[b] animo diligenti, et eam elegit, ut[c] cum ipsa[d] insulam ascenderet Sicilie. Quo in prenominata galea recepto, cum ipsa et cum Ianuensibus Mesanam intravit, gentem Ianuensium inter ceteras honorando.

In ipso vero anno comune Ianue de mense Aprilis nobiles viros legatos suos, videlicet quatuor laycos et duos iudices, scilicet Bovarellum de Grimaldis, Tedixium de Flisco, Enricum Spinullam, Luchetum Gatuluxium, Nicolaum Guercium, Marchyxinum de Cassino ad curiam Romanam et ad ipsum serenissimum regem honorifice delegavit. Qui vero legati tam in curia Romana quam etiam in curia serenissimi regis Karoli visi fuerunt honorifice atque recepti. In curia vero Romana parvo tempore commorantes, in illa vero regis Karoli honorifice duorum mensium vel circa residentium[d*] fecerunt, incessanter[e] ipsum regem videntes et sequentes, et in locis habitantes et stantes in quibus habitabat ipse rex sumptibus et expensis magnis quas predicti legati faciebant, secundum quod commune civitatis Ianue et tantos homines condecebat. Dicti vero ambaxatores de mense Iulii Ianuam redierunt factis magnis expensis de peccunia comunis civitatis Ianue, a domno papa et domno rege Karolo verbis pulcris receptis, nichil tamen adimpleto seu facto, occasione cuius dicta legatio fuerat missa seu ad predictos domnum papam et domnum regem destinata.

In ipso vero anno armavit comune Ianue decem et octo galeas et navem unam magnam comunis contra Venetos inimicos comunis Ianue. Quarum vero admiratus fuit Lanfrancus Borboninus, et eius consiliarii fuerunt Balduinus Detesalve, Raynaldus Ceba, Bonavia comes de Naulo, et capitaneus dicte navis Conradus Ventus. Quod storium[44] galearum et navis de portu Ianue exivit de mense Aprilis; in quo vero mense dictum comune armavit alias novem galeas, intellecto quod inimici Venetici erant in magna quantitate. Que de portu Ianue exiverunt de mense Madii ordinate et supposite iurisdicioni et dominationi admirati predicti. Que quidem galee novem dictum admiratum cum aliis in portu Bonifacii invenerunt. Quibus inventis dictus admiratus cum his et aliis quas habebat, nave dimissa et de ipsa acceptis hominibus quos voluit, munitis dictis galeis, egregie cum triumpho magno de dicto portu dictus admiratus cum dictis viginti septem galeis mirabiliter armatis recessit[f], inimicos querendo, qui dicebatur per illas partes fore cum galeis quam pluribus. In ipso vero anno antequam dicte 27 galee exirent de portu Bonifacii, Venetici cum galeis 10 armatis de[g] quibus erat admiratus Iacobus Dandalo iverunt ad portum Tunexim, et in dicto portu repertis quibusdam navibus Sarracenorum et christianorum, inter quos erat quedam navis Ianuensium, videlicet Iohannis Rochataliate et consortum, eandem navem ceperunt cum quibusdam mercaturis et cum decem vel duodecim hominibus parve condicionis. De qua dictis rebus acceptis et dictis hominibus captis dictam navem cremaverunt. Et hoc fuit de nocte. Die vero veniente dictum portum Tunexis intravit quedam navicula Saonensium ignorans predicta honerata vino et cum hominibus tredecim, quam cum honere suo et dictis hominibus ceperunt dicti Venetici, et sic in dicto portu Ianuenses et amicos dampnificaverunt omnibus computatis in libras 6000 vel circa Ianuinorum. Quibus peractis ceperunt reddire versus Mesanam. Et cum applicuerunt ad quemdam locum, qui Borchanum[h]

a) madefact⁰ 1. b) reccepit 1. c) et 1. d) ipso 1. d*) *ila* 1. e) incenssanter 1. f) reccesit 1. g) de — Dandalo *alia m. in marg.* 1. h) Vulcanum *ed.*

44) i. q. stolium.

vocatur, obviaverunt duabus galeis cum una sagitea armatis ad cursum faciendum per homines Portus Veneris; de quibus una cum dicta sagitea evasit, alteram vero cum maiori parte hominum casu fortuito ceperunt, et cum dicta preda usque Mesanam iverunt. Borboninus vero sive Lanfrancus Borboninus admiratus predictus habens nova et rumores de predictis, de portu Bonifacii cum 27 galeis quarum erat admiratus exivit, licet nova et rumores haberet, quod dicti inimici haberent galeas armatas 30 vel ultra, et ivit versus partes illas dictos inimicos quaerendo. Predicti vero inimici invenerant 14 galeas armatas de suis et duas sagiteas[a]; et sic fuerunt numero 24 galee et sagitee due. Nostri vero Ianuenses erant ut dictum est 27; et sic una pars alteram querebat. Tandem cum quadam die mensis Iunii dictus Lanfrancus cum suis galeis esset in Trapena, certos habuit rumores de galeis inimicorum, que erant in Marzara ibi prope per 18 miliaria vel citra. Certus factus fuit, quod dicti inimici non habebant nisi tantum galeas 24 et sagiteas duas. Quibus auditis et scitis, vocatis consiliariis et comitis eius stolii, habuit consilium dictus Lanfrancus admiratus, quid faciendum foret. Et cum sanius et maius consilium foret intrare mare et se parare ad bellum contra inimicos, et esse in tali loco quod sua gens non prohiceret se in mari nisi vellet mori, tamen dictus admiratus stupefactus et vilitate perditus, de nocte eius mutavit consilium, et adhesit vilibus consiliatoribus, consulentibus quod se poneret ad terram et galeas faceret ligari catenis. Quo facto mane veniente in vigilia sancti Iohannis[b] inimici supervenerunt locum; videntes dicti Veneti dictas galeas ligatas et catenatas, sperantes Ianuenses fore invagatos et perterritos[c] arguo timore clamantes, viriliter contra ipsos Ianuenses venire ceperunt, tanquam contra gentem perditam vel exvagatam. Quibus Ianuensibus videntibus inimicos super se venientes, et caput suum perditum viribus consilio et mente, se continuo in mari proiecerunt, relictis galeis, que quidem capte fuerunt universaliter nullo prelio facto et cum defensione remissa. Et sic inimici propter negligentiam et miserum et malum consilium et vilitatem dicti admirati et eius gentis predictas galeas 27 ceperunt, et 24 ex ipsis retinuerunt, tribus crematis, et cum dicta vitoria recesserunt, retentis etiam et captis certis hominibus ex his qui fugere nesciverunt. Quia vero dictus admiratus, eius consiliarii et comiti dicti stolii exceptis quinque in predictis male se habuerunt, adeo quod presumptum fuit eos fore proditores[d] dictarum galearum seu predicti stolii, condempnatus fuit et in banno positus, de quo exire non possit nisi solveret comuni Ianue libras decem milia Ianuinorum, et in dissipatione[e] et publicatione omnium bonorum ipsius. Quilibet eius consiliarius dicta de causa positus est in banno librarum 2000 et condempnatus in dissipatione[e] et publicatione bonorum. Quilibet ex dictis comitis positus est in banno librarum 1000 et dissipatione[e] et publicatione bonorum; et multe terre et domus fuerunt dicta de causa destructe. Nomina eorum condempnatorum sunt hec: Lanfrancus Burboninus[f].

In ipso vero anno de mense Augusti exiverunt de portu Ianue 25 galee armate per comune Ianue. Quarum admiratus fuit Obertinus Aurie civis Ianuensis, homo valde famosus. Que quidem iverunt versus partes inimicorum propter ipsorum mortem destructionem et offensionem. Et cum dicti inimici sibi precaverent[g], diu stetit dictus admiratus cum dictis galeis prope gulfum, inimicorum querendo portus et insulas per partes illas, si de navibus lignis vel galeis inimicorum reperire posset. Et cum de predictis non posset reperire in ea quantitate que sibi placeret, captis forte triginta vel quadraginta de inimicis et quibusdam lignis crematis, accessit ad quandam terram inimicorum nomine Canea; et habito suo consilio se paravit ad dictam terram preliandum, in cuius defensione erant milites 120, sine peditibus qui erant in magna quantitate inter archatores balistarios et alios armatos. Quibus non obstantibus, dictus admiratus cum sua gente viriliter in terram descendit, et fractis militibus et fugam arripientibus, dictam terram seu civitatem, que fortis erat muro et gentibus, expugnavit et ipsam cepit, captis omnibus qui in ipsa remanserant et qui non aufugerant. Set quia quasi omnes fugerunt, cepit in ipsa homines 280 vel circa; et captis omnibus rebus de dicta civitate que aportari poterant ad galeas, palatium dicte civitatis dirruit, et de turre aliquantulum, et igne apposito ipsam totam tunc cremavit; et sic dictus admiratus inimicos dampnificavit in libris quadraginta milibus et ultra. Cum vero dictus

a) apud Galipolim in Calabria, de quibus Marcus Gradenigo erat amiratus *manu paulo posteriori in margine addita* 1. b) baptiste *in marg. alia m.* 1. c) pteritos 1. d) productores 1. e) disipatione 1. f) *spatium vacat reliquis nominibus inserendis* 1. g) percaverent 1.

1266. admiratus dicta terra destructa ab ea discesit cum eius storio, uno tantum homine perdito de suis ad predictum prelium, venire cepit querendo rumores de inimicis. Et cum quadam die in mane appropinquaverit ad Motonum[a], ibi invenit caravanam Veneticorum, in qua caravana erant galee 32 armate, et naves et ligna cum gabiis circa 28, et barche circa 26. Quibus visis a dicto admirato, se cum suis galeis in scheria[45] recolegit. Videns et discohoperiens inimicos, qui quidem armata manu versus ipsum in quantum poterant veniebant; et cum prope fuissent, cognito a dicto admirato, quod non erant pro eis, sapienter et discrete inimicis dimisis fecit suam viam, et se et suos recolegit. Quo acto videns et cognoscens dictus admiratus, quod admodo inimicos offendere non poterat, cepit venire versus domum seu Ianuam civitatem. Et cum applicuerit Mesanam, fecit ibi campum fieri de rebus captis in prenominata civitate quam ceperat et destrui fecerat. Quo campo facto, partem galeotis assignavit, et aliis de galeis eis contingentem, et partem retinuit comunis Ianuae civitatis. Quo facto Ianuam sanus cum eius societate et cum suis galeis die ultimo Octubris sive prima die Novembris reddiit cum sua vitoria, et 350 numero comuni Ianue conssignavit captivos; in signum cuius vitorie apportavit dictus admiratus campanam unam, que in sui honorem posita fuit apud Sanctum Matheum[b], ubi nobiles de Auria commorantur. Dictus vero admiratus multa alia loca castra et casalia dictorum inimicorum concremavit, et ipsos inimicos in magna quantitate dampnificavit ultra dampna predicte civitatis. In ipso vero anno Pescetus Mallonus, qui cum quibusdam eius sociis cursum intraverat contra inimicos Venetos cum duabus galeis, in partibus Citri[c] invenit quamdam galeam de Portu Veneris cum quadam sagitea, que in cursum erant contra inimicos predictos; et facta conserva[46] et dicto Pesceto admirato ordinato dictarum trium galearum et dicte sagitee, quadam die de mense Octubris invenerunt[d] quamdam navem Venetorum magnam et divitem ultra modum, in qua quidem erant circa homines 150, et in qua erant 45 vel ultra de bonis et magnis hominibus Venetiarum. Quam navem prelio incepto viriliter expugnarunt et ipsam devicerunt, in qua centum octo retinuerunt captivos, in his computatis 42 de melioribus Venetiarum, residuo vero dictorum hominum Venetorum mortuo ad prelium in expugnatione dicte navis. Cum qua nave de mense Novembris ad Portum Veneris accesserunt; et ibi nave dimissa, cum mercaturis et galeis et captivis de mense Novembri Ianuam venerunt cum vitoria predicta. Qui Pescetus cum eius societate receptus fuit cum gaudio et triumpho, et comuni 130 captivos numero consignavit. In captione dicte navis dampnificavit inimicos sive Venetos, non computato dampno personarum captivorum in libris 40,000 Ianuinorum et ultra[e].

a) montonum 1. b) que campana fuit postea comuni data et vocabatur Anciana *addita alia manu in m.* 1. c) Cypri *ed.* d) apud insulam de Citri in portu qui dicitur Dragonare *in marg. alia manu postera addita* 1. e) *alia manu pergitur* 1.

45) i. e. in acie; scheria i. q. schera, scara esse videtur. 46) gall. *conserve*, confoederatio navium.

X.

# NICOLAI GUERCII ET GUILLIELMI DE MURTEDO ICTORUM, ENRICI DROCI ET BONIVASSALLI USUSMARIS LAICORUM ANNALES A. 1267—1269.

## LIBER OCTAVUS.

*Cum vero per quosdam viros sapientes que supra scripta sunt in* 1266. *seriatim, sicut facta contingerint, sint plenius declarata, et aliqua postmodum*[a] *et plura acciderint digna recitacione, placuit potestati viros quatuor nobiles et sapientes eligere, quorum duo fuerunt iuris periti, scilicet Nicolaus Guercius et Guillielmus de Murtedo, et alii duo layci fide digni, scilicet Enricus Drocus et Bonusvassallus Ususmaris, qui super hoc opere providerent, scribentes ad memoriam de his que comuni Ianue acciderint, tam de prosperis quam contrariis, et de his que acciderint tam in Lombardia quam in Tuscia et aliis diversis mundi partibus*[b].

In anno currente 1267. fuit potestas Ianue vir nobilis domnus Guidotus de Rodobio[c], 1267.
qui secum habuit in sua societate duos milites, videlicet virum nobilem dominum Iacobum de Rodobio, et alium virum nobilem dominum Iacobum, quorum unus deputatus fuit super debitis comunis Ianue, mutuis et collectis exigendis, presidens super predictis in capitulo Ianue civitatis. Habuit etiam secum et in sua societate tres iudices viros discretos, videlicet dominum Guillielmum Vuguetum qui prefuit super appellationibus et consiliis regendis et aliis tractandis circa potestatem et negotia comunis Ianue; et virum discretum dominum Enricum de Daina qui prefuit civilibus causis et questionibus audiendis, et virum discretum dominum Iulianum de Cremona qui prefuit criminalibus questionibus audiendis. Habuit eciam dictus dominus potestas in sua societate tam pro consiliis quam etiam pro aliis factis comunis Ianue, viros octo nobiles[d] nuncupatos, quorum nomina sunt hec: Conradus Embriacus de Castro, Nicolaus Albericus, Albertus Castanea, Iacobus Squarzaficus, Enricus Aurie, Rubeus de Orto, Gabriel de Grimaldis et Matheus Ceba. In officio vero scribanie pertinentis ad officium palacii potestatis habuit dictus dominus potestas secum viros fide dignos et coram eo, videlicet magistrum Albertum de Casali, Ianuinum Osbergerium et Baldoinum de Iozo. Et coram domino Iuliano Guillielmum Vegium et Manuelem de Albara. Scriba eius militis fuit Guillielmus Giulia. Scribe vero octo nobilium fuerunt Opizo de Clavaro et David Grillacius. In ipso vero anno fuerunt consules quatuor in civitate Ianue pro civilibus questionibus audiendis et terminandis, que agitantur et agitari debent extra curiam potestatis secundum morem et statuta Ianue civitatis; videlicet in palacio seu consulato foritanorum Enricus Brocus de Cumis, qui secum habuit in dicto consulatu scribas duos, videlicet Davidem de Sancto Ambrosio et Bartholomeum de Brolio. In consulatu vero civitatis fuit consul Manuel Muriculla civis Novarie, qui secum in dicto consulatu habuit duos scribas, videlicet Maffonum et Obertum Osbergerium. In consulatu medii fuit consul Baxannus de Villanova de Laude, et eius scribe fuerunt Guillielmus Maffonus et Enricus de Braia. In consulatu vero burgi fuit consul Pelegius de Mediollanno, et eius scribe fuerunt Iacobinus Fontana et Enricus Dardella.

In ipso anno intravit Lombardiam legatus domini pape, proponendo nomine ecclesie Romane: cum civitates que actenus esse consueverunt dicte ecclesie et Christo inobedientes, faventes parti domini Frederici olim imperatoris Romanorum, et que stabant subdite domino Oberto Pellavicino, qui dictis civitatibus dominabatur, videlicet Cremone, Brixie, Placentie, quasi Papie, Alexandrie et Terdone: ex his vero civitatibus multi nobiles exules erant et expulsi, quoniam ille perfidus et Christi et eius vicarii[e] inimicus, qui fidem Christi tollere credebat, perire faciebat vel perpetuis carceribus deputabat, excepto de Papia se in totum marchioni non dederat, licet in aliis contra partem ecclesie eidem faveret. In qua legatione residente dicto legato, dicte civitates venerunt ad mandatum ecclesie Romane precepta Dei et ecclesie

a) pusmodum 1. b) *quae sequuntur alio atramento scripta sunt* 1. c) .ivis Vercellensis *ed.* d) *quae mox sequuntur vix legi possunt in* 1. e) *quae sequuntur partim deleta sunt* 1.

1267. iurantes, excepto Papia; et sic gracia divina qui exules erant, ad propria remearunt, deposita potestate dicti domini Oberti, quam[a] iniuste et nullo iure usurpaverat iam diu. Dictus vero marchio, licet fringerat precepta ecclesie, iurare volens retinere que sua non erant, moto contra[b] eum bello per Parmenses partis ecclesie fideles, multa castra perdidit, et multam gentem perdidit hoc anno presenti superius nominato. Et expulsus de regimine et dominio dictarum civitatum, se reduxit cum aliis partis ecclesie inimicis.

In ipso tempore eggregius rex Karulus curiam visitavit Romanam, et cum in ipsa curia resideret, cognoscens papa cum cardinalibus, ipsum esse virum potentem, et per quem ecclesia a suis rebelibus deffendi potest, eundem constituit in Tussia vicharium imperii Romanorum. In ipso anno comune Ianue cum esset interdictum, et divina omnibus in civitate Ianue non cellebrarentur, misit quatuor viros nobiles legatos tam ad curiam Romanam quam ad curiam excellentissimi regis Karuli, tractantes de predictis cum domino papa et aliis negociis comunis Ianue cum domino rege. Fuerunt enim dicti legati viri nobiles Nicola Cicada, vir nobilis Ansaldus de Mari, vir nobilis et iuris professor Lanfranchus Gatiluxius, et nobilis vir Willielmus Cibo. Quibus in dicta legacione residentibus relaxatum est dictum interdictum; et qui excommunicati erant, absoluti sunt, et divina per universam urbem cellebrantur. Sequentes vero dicti legati dictum dominum regem et cum ipso egregie utentes et tractantes de negociis comunis, aliqua fecerunt, et bonam recipientes responsionem a dicto domino rege et promissionem, licet non compleverint ea pro quibus specialiter missi fuerant, ad propria reddierunt, comuni nostro dantes spem, quod dominus rex comune Ianue et homines dicte civitatis amat inter[c] ceteros et honorat.

In ipso anno venit Ianuam dominus Philippus de Monforte filius[d] domini Phylipi domini Thyri, qui per potestatem et comune Ianue receptus fuit honorifice, prout decuit tantum hominem honorari. Nam ipse est qui comune Ianue inter ceteros baronos amat diligit et honorat. Et aliquibus diebus cum suis karissimis amicis moram fecit; et honore recepto secundum qualitatem sue excelssitudinis, paravit gressus suos versus Franciam quam[e] propriis factis adgressurus erat, offerens se comuni Ianue ad sua omnia beneplacita, et maxime contra inimicos Ianue civitatis.

In ipso anno venerunt Ianuam legati summi pontificis et virorum exellentissimorum regum, videlicet excellentissimi regis Francie et eggregii regis Scicilie, rogantes ex parte predictorum potestatem conscilium et comune Ianue, quod pacem seu treguas cum Venetis facerent pro Christi nomine et subsidio sancte terre, ad quam recuperandam rex Francorum parat passagium. Et quia talis legatio seu preces dictorum potentum gravissime comuni Ianue videbantur, facta pulcra responsione ex parte comunis Ianue dictis legatis, recesserunt ad sua propria remeantes, et post eorum recessum comune Ianue dicta de causa suos legatos misit ad regem Francorum, videlicet virum nobilem Simonem[f] Mallonum et virum nobilem Petrinum de Camilla, et sindicum unum ad curiam Romanam, videlicet virum nobilem iurisperitum Marinetum de Marino, unum nuncium cum litteris ad nostros legatos superius nominatos qui erant in curia honorabilis regis Karuli, qui receptis et habitis dignis responsionibus a predictis potentibus Ianuam redierunt. In ipso anno comune Ianue armavit viginti quinque galeas contra inimicos, quarum admiratus fuit vir nobilis Luchetus de Grimaldis, et eius consiliarii viri nobiles Peschetus Mallonus et Ottolinus de Nigro et eius portentinus[47] Papanus Mallonus. Socii vero eius Ursus de Castellano[g] et Simoninus Cavallerius de Portu Veneris. Qui admiratus cum dictis galeis tendens ultra mare, cepit duas galeas et unam sagiteam armatas inimicorum et aliquos inimicos de quadam navi ceperunt; et cum applicuerit in portum Aconis, ceperunt turrim Muscarum, et obsiderunt portum. Et tamdem dictus admiratus de conscilio eius consciliariorum ivit Tyrum cum aliquibus galeis ad tractandum cum domino Tyri de offensione inimicorum facienda; et dimisit in dicto portu Peschetum cum Ottolino et Papono, cum galeis 15 armatis pro deffendendo, ne aliquis inimicorum dictam civitatem intrarent vel ex ea exiret. Quibus ibi residentibus, supervenerunt galee 26 innimicorum; et nostri indiscrete sciverunt se a dicto portu separare; et sic tam propter infortunium temporis contrarii quam propter impericiam gubernatorum ex dictis galeis 15 perdite fuerunt quinque, scilicet tres cum armamento et due sine armamento, et decem libere evaserunt. Et cum applicuerint Tyrum ubi erat dictus

a) quem 1. 2. b) Tc 1. c) *aliqua deleta* 1. d) filium 1. e) quem 1. f) *hic prima fere vice in codice* 1. simon *nec* symon *scribitur*. g) de Clavaro *addit editio*.

47) est nuncius vices gerens admirati.

admiratus cum aliis 10 galeis, auditis hiis que intervenerant, recepto consilio et habita deliberacione, missa fuit una galea pro recuperandis hominibus qui evaserant ex duabus galeis predictis; quibus recuperatis se separavit de Tyro dictus admiratus cum galeis 20, et veniens cum dicto stolio versus Ianuam habuit nova, quod in quodam portu, scilicet[a] de Curcho, erat quedam navis ditissima inimicorum Ad quem portum veniens cum dictis galeis, dictam navim invenit. Inimici vero de ea descenderant[b], nave cum rebus relictis. Ex ipsa vero nave acceptis hiis que inimicorum erant, ipsam cum aliis rebus dimisit, tractantes et facientes quod in potestatem principis Tripuli devenit, cum diceretur res quas non accepit, fore hominum dicti principis; et in ipsa die qua dicta navis capta fuit, dampnificati inimici dicuntur fuisse ultra libras 50,000 Ianuinorum. Cum vero cum dicto stolio rediens applicuerit Messanam, et quasi tota riperia seu terre domini regis Karuli Scicilie que infra mare sunt, vellent concordari cum inimicis domini regis, et se contra dictum regem exponere, dictus admiratus cum dictis galeis accessit ad eas in honorem dicti domini regis et propter eius reverenciam deffendens quod dicte terre rebelles facte non fuerunt; set divina gratia faciente, et opere et facto dicti admirati et gencium que cum eo erant, remanserunt predicte terre domino obedientes liberate a manibus inimicorum. Cum vero redierit in Messana, moto rumore quorundam, surrescerunt homines ad arma, in quo rumore Peschetus Mallonus qui dividens no mala acciderent in dicta terra casu et per infortunium periit vulneratus incognitus. Tres vero ex dictis galeis cursum[c] intraverunt, volentes ledere et dampnare inimicos; cum aliis vero dictus admiratus Ianuam rediit, offerens comuni que in prenominata nave capta fuerunt, et circa 300 captivos[d] de inimicis ceperat adduxit[e].

1267.

In ipso anno misit dominus Karulus certos milites suos cum Florentinis ad destructionem et depopulationem Senensis civitatis[f]; et cum essent in terra Senensi propter predicta, quidam milites Theotonici et de parte Guibellinorum et Pisani aliquos ex militibus domini regis derobarunt. Quo et viso milites domini regis ceperunt istos robatores sequi et fugare; et quia aliter evadere non poterant, intraverunt quamdam terram nomine Podium Bonici, que terra fortis est locus et tenebatur pro Pisanis. Qui Pisani dictos milites miserant eorum expensis pro subsidio Senensium, credentes eos posse dictam intrare civitatem. Circa quem locum marischalchus domini regis, qui preerat exercitui domini regis, fecit tendi tentoria[g], et dictum locum obsedit; ad quem locum capiendum dictus dominus rex cum masima quantitate militum personaliter accessit. In ipso anno dictus dominus rex suos legatos ad potestatem conscilium et comune Ianue delegavit, volens componere cum civitate Ianue et bellum indicere civitati Pisanorum, et societatem facere cum civitate Ianue contra predictos Pisanos, et magna facere cum Ianuensi civitate, secundum ea que dicti sui legati preponebant. Super quibus habitis pluribus consiliis, responsum fuit ex parte comunis Ianue dictis legatis secundum quod decuit[h]: qua responsione recepta ad dominum regem redierunt. In ipso anno Bosus de Doaria exivit de Cremona et ascendit quandam suam rocham parans se ad guerram faciendam Cremonensibus et aliis amicis partis ecclesie. Tuncque contra[i] Bosum et terram ipsius tam Cremonenses quam Mediolanenses et alii de parte ecclesie exercitum fecerunt, et in eius[k] dampno et offensione pluribus mensibus steterunt, et eum non in modicum offenderunt.

In ipso anno dictus Conradinus, filius[l] quondam regis Conradi, venit Veronam[48] secundum quod fertur et dicitur cum multis militibus Theotonicis, volens obviare domino regi Karulo et parti ecclesie et regnum Sicilie sibi aqquirere et habere ipsum a dicto domino rege Karulo abstulendo. Hec de ipso dicuntur et feruntur, licet in ipso anno citra Veronam nichil aqquisierit, et quod appareret vel dicitur. In ipso anno Terdona facta est ex parte marchionis Montisferrati, et ipsum in eorum dominum creaverunt partem et fidem ecclesie sequentes, et contrarios dicte fidei de dicta civitate expullerunt. In ipso anno dominus rex Karolus dictum Podium Bonici quod[m] est in Tuscia, habuit et cepit ad eius voluntatem et mandatum, personis affidatis eorum equitum qui dictum locum intraverant, quam

a) s. d. C. *eadem manu in marg.* 1. b) *eadem manu in margine scribitur:* Non erant in ea inimici, set erant musolini et homines regis Armenie et principis Antiochie et regis Ierusalem; quare etiam Ianuenses omnia postea restituerunt 1. c) *nonnulla ex sequentibus laesa sunt* 1. d) cacinuuos 1. e) addusit 1. f) civitas 1. g) tindi tintoria 1. h) detur *c.* i) *deest in c.* k) *in sequentibus nonnulla deleta* 1. l) f. q. r. C. *alio atramento addita* 1. m) q. e. i. T. *alio atramento addita* 1.

48) d. 20. m. Oct. a. 1267. Chron. di Bol. Muratori SS. XVIII, 279. W.

1267. fidanciam eisdem prestitit intuitu divine et misericordie, inclinatus eciam precibus fratrum Minorum et Predicatorum qui de predictis instabant dicto domino regi umiliter supplicantes, ut eorum digneretur misereri; quorum equitum personis absentatis, dictam terram destruxit[a] cum aliis gentibus retineret ad eius pacem et graciam et mandatum. In ipso anno capto dicto loco, dictus dominus rex multa castra cum eius exercitu Florentinis et Lucensibus et terras Pisanorum cepit, et destrusit villas castra et burgos terras et possessiones dicte civitatis Pisarum depopulantes et viriliter destruendo. In ipso anno comune Ianue ad dictum domnum regem existentem[b] in obsidione per terram in portu Pisano misit tres viros nobiles legatos et ambaxatores occasione eorum, pro quibus legati dicti domini regis Ianuam venerunt, secundum responsionem factam ex parte comunis Ianue prenominatis legatis domini regis, et super multis articulis contentis in tractatu dictorum legatorum assignato et dato eisdem ex parte comunis Ianue, quorum legatorum nomina sunt hec, vir nobilis Lamfranchus Mallocellus, vir nobilis Dabadinus de Nigro et nobilis vir iuris peritus Ugo de Flisco, qui[c] tamen per verba pulcra detenti nichil fecerunt. In ipso anno vir illustrissimus imperator Grecorum ad comune conscilium et potestatem Ianue civitatis quendam suum virum nobilem noncium et ambaxatorem delegavit, volens certiorari de bono statu civitatis et pro quibusdam aliis arduis negotiis secundum ea que per dictum noncium seu ambaxatorem proponebantur ex parte dicti domini sui. In ipso anno comune Ianue misit virum nobilem Franceschinum de Camilla suum noncium et legatum ad virum illustrissimum dominum Grecorum imperatorem pro factis et negociis tractandis cum ipso pro comuni Ianue secundum ea que continentur in tractatu dicti legati et occasione eorum pro quibus dictus domnus imperator legatum suum Ianue delegavit. In ipso anno cum Montaninus Guercius esset in Tyro pro suis propriis factis gerendis, et vellet ad propria remeare, armavit quandam galeam et sagiteam causa Ianuam veniendi. Et cum accesserit ad portum Parorum vel circa sive prope gulfum Venetorum, invenit quandam taridam ditissimam Venetorum in qua erant circa homines 100, et ipsam cepit gratia favente cum rebus que in ea erant, exceptis personis que evaserunt, cum esset dicta tarida prope terram. Valebant enim res inimicorum quas in dicta tarida cepit, ultra libras triginta milia Ianuinorum vel circa.

1268. 1268. fuit potestas Guido de Corrigia, civis Parmensis.

Eodem anno Conradinus, regis Conradi filius, qui de Alamania cum multis millitibus Veronam venerat, volens Lombardiam intrare adversus regem Karulum pugnaturus, clam Ian. 19. a Verona Papiam venit cum millitibus supradictis. Ibique diebus aliquibus moram fecit. Ipso quoque Conradino Papiam existente, a civitate Pisarum Ianuam sunt missi legati, ut aliqua composicio fieret per comune Ianue cum eisdem, offerentes et dicentes legati se omnia facturos que comune Ianue vellet. Non autem visum fuit comuni Ianue predicto, quod conscilium daretur eisdem, sicque dixerunt eis conscilio denegato. Dum vero dicti legati Pisarum recessissent, et adhuc esset ignotus locus per quem transiturus erat Conradinus predictus, legati domini pape regis Francie et regis Scicilie ad civitatem Ianue pervenerunt, ut civitatem Ianue inducerent regi Karulo adherere adversum Conradinum predictum eiusque sequaces. Cumque multa verba multaque conscilia proinde fierent, alii composicionem cum rege Karulo contra Conradinum atque Pisanos volebant extimantes bonum rei publice si cum rege Karulo convencio fieret, alii Conradino faventes[d] in contrarium senciebant. Sicque non consencientibus civibus in unum, tempus prolatando, dictus Conradinus ad portum Vadi per terram Mamfredi de Carreto cum dictis militibus pervenit; quem decem galee Pisanorum suscipientes cum militibus circa 100 adversitate temporis ad portum Dalfinum delatus, paucis diebus ibi vento flante contrario subsistens, inde Apr. 4. Pisas profectus, ubi Pisani ipsum honorifice receperunt. Filius vero ducis Austrie, qui cum eo ad portum Vadi venerat, Papiam rediens, cum ceteris militibus inde per montana[e] atque Varixium ac Lurexanam transiens, Pisanisque eis usque ad Montronum obviam occurrentibus, civitatem Pisarum intrarunt; et interim rebus infectis discesserunt[f] legati predicti. Cumque[g] dictus Conradinus in civitate Pisarum suum exercitum congregasset, cum

a) *al. atr. insertum* 1. b) e. i. o. p. t. i. p. P. *eadem manu in margine addita* 1. c) qui — fuerunt *eadem manu postea addita* 1. d) faventibus 1. e) moncata 1. f) disceserunt 1. g) Conque 1.

ipso exercitu atque Pisanis ad districtum civitatis Lucane, que regi Karulo adherebat, accessit, 1268. et in ipso districtu per dies decem cum dicto exercitu atque Pisanis moram faciens, terras et possessiones Lucensium quas potuit devastavit. Quo vasto facto, Pisas reddiit cum exercitu supradicto, ibi moram faciens circa mensem. Dum vero ibi dictus Conradinus cum ipsis suis militibus moram faceret, Pisani ipsis militibus soldos dederunt, quibus soldis solutis exivit ipse Conradinus cum suo exercitu civitatem Pisanam, iter arripiens versus civitatem Senensem; in quo itinere dum esset inter Arecium et Feginum ad pontem invenit[a] Iun. 25. tunc mareschalcum[b] in partibus Tuscie dicti regis Karoli cum magna millitum quantitate, qui ad ipsum regem Karulum accedere intendebant; ipsumque mareschalcum[b] cepit, et centum quinquaginta millites vel circa qui cum ipso mareschalco[b] erant. Quo capto ad Senensem civitatem dictus Conradinus cum suo exercitu accessit, ipsumque mareschalcum[b] in carcerem detrusit. In civitate vero Senensi dicto Conradino cum suo exercitu per aliquot Iul. dies moram facientes, eidem Senenses dederunt magnam peccunie quantitatem. Deinde vero cum dicto suo exercitu dictus Conradinus ad civitatem Romanam accessit. In qua per[c] donum[d] Enricum regis Castelle fratrem et tunc ipsius civitatis senatorem atque per alios Romanos qui ipsi Conradino adherebant, honorifice est receptus. Ipso namque Conradino moram faciente in ipsa civitate Romana, 28 galee et quatuor sagitee Pisanorum, quas ipsi Pisani armaverant, fucem Romanam intrarunt, de quibus erat admiratus Guido Bocia pro Pisanis, et comes Fredericus Lancia vicarius pro Conradino predicto. Et in ipsa fuce per quam plures dies steterunt. Dum vero dictus Conradinus in civitate Romana per dies quam plures stetisset, cum dono Enrico et magna parte Romanorum et exercitu supradicto civitatem Romanam exiens[e], iter arripuit versus regem Karulum supradictum, cum Aug. 10. ipso rege Karulo pugnandus[f]. Dicte vero galee et sagitee Pisanorum interim dum dictus Conradinus versus regem Karulum iter arripuisset, et in itinere esset, de dicta fuce exierunt, et Siciliam accesserunt. Rex[g] autem Karolus audiens dictum Conradinum cum dicto dono Enrico, Romanis predictis, duce Austeriche et exercitu supradicto adversus ipsum regem venturum, Vezanum ad Maxilacum[52] accessit. Ibidem suum exercitum ipse rex Karulus congregans, dictum Conradinum, donum Enricum, ducem predictum, dictos Romanos et eiusdem Conradini exercitum expectavit; quo loco preliatus fuit dictus rex Karolus eiusque exercitus Aug. 23. cum Conradino predicto sequacibusque suis. In quo prelio Dei omnipotentis auxilio dictus rex Karolus victor[i] extitit ac etiam triumphator. Conradinus autem predictus, dux Austrie, comes Galvagnus et alii quam plures millites cum ipsis fugam accipientes, de ipso prelio evaserunt et Romam reversi fuerunt. Donus autem Enricus predictus de dicto prelio evasit, et ad quoddam monasterium quod in illis partibus erat accessit, cuius monasterii abbas ipsum donum Enricum tradidit in virtutem regis Karuli supradicti. Qui rex Karolus ipsum donum Enricum in continenti fecit vinctum carceribus detrudi. De dicta namque civitate Romana dicti Conradinus, dux Austrie, comes Galvagnus et eiusdem comitis filius clam exeuntes, Sturiam[53] accesserunt, Pisas reddire volentes. Dominus quidem Sturie ipsum Conradinum, ducem Austrie, comitem Galvagnum et eius comitis filium detinuit, ipsos non permittens abire. Et interim dum predicta fierent, galee et sagithee predicte dictorum Pisanorum cum essent in Siciliam, Melacium[54] ceperunt, ibidemque comes Enricus atque comes Fredericus Lancia descenderunt. Versus autem ipsas galeas et sagiteas Pisanorum 18 galee dicti regis Karuli que in Messana erant, cum quibusdam galeis Messane hominum exiverunt; que galee dicti regis Karuli et hominum Messane cum dictis galeis et sagiteis Pisanorum, que in numero erant plures, preliari timentes fugam ceperunt; et ad terram que ibi prope erat galee hominum Messane euntes, ibi ipsarum galearum homines descenderunt, ipsasque hominum Messane galeas que in mari sine hominibus remanserant, dicte galee Pisanorum ceperunt. Dicte galee vero 18 dicti regis Karuli Sturiam venerunt, ibique invenerunt dictum Conradinum, ducem Austrie, comitem Galvagnum et eius comitis filium, qui detinebantur per dominum Sturie supradictum. Qui dominus Sturie ipsos Conradinum, ducem Austrie, comitem Galvagnum et eius filium tradidit Roberto de Laveno, qui capitaneus erat in ipsis galeis pro rege Karulo supradicto. Ipsosque Conradinum, ducem Austrie, comitem Gualvagnum et eius filium dictus Robertus

a) *spatium unius vocis vacat* 1. b) maneschalc. 1. c) *deest* 1. d) *i. e.* domnum, don *Hispanis et Neapolitanis.* e) esiens 1. f) *ita c.* g) Res *c.* h) *deest in c.* i) *deest* 1. 2., *supplendum esse videtur.*

52) Avezzano ad Fucinum lacum. 53) Astura. 54) Melazzo.

1268. ad Karulum regem perduxit. Qui rex Karolus sibi dicto comite Gualvagno et eius comitis filio presentatis, in continenti ipsi comiti et eius comitis filio fecit capud abscidi. Conradinum autem et ducem Austrie interim in Roma fecit tradi custodie carcerali. Deinde dictus rex Karulus civitatem Neapolitanam accedens, dictos Conradinum et ducem Austrie ad ipsam civitatem Neapolitanam iussit perduci, ibidemque eos[a] ........... dictos Conradinum, ducem Austrie, Scarphum dicti Conradini marescalchum, et comitem Guirardinum de Pisis condempnavit ad mortem, ipsisque condempnatis cuilibet eorum fecit capud ab-
Oct. 29. scidi, in arena que est iusta civitatem Neapolitanam predictam.

Dicte galee Pisanorum audientes dictum Conradinum subcubuisse in prelio predicto, Pisas reddire curarunt. Illi vero de Scicilia qui favebant Conradino predicto, audientes dictum regem Karolum in bello obtinuisse predicto, in dominum et capitaneum suum comitem Fredericum Lanceam ellegerunt[b].

1269. Anno dominice nativitatis 1269. fuit nostre civitatis potestas vir nobilis Bonifacius de Canorsa civis Reginus, et eius societate milites[c] ..........

In ipso anno illustris Lodisius[d] rex Francorum ad hanc civitatem direxit nuncios et legatos occasione passagii[e], et ad curiam eius de hac civitate fuerunt similiter destinati nuncii et legati; et tandem idem rex quia crucem[f] levaverat cum multis nobilibus baronibus
55 de regno suo in subsidium Terre sancte, naves plures et alia ligna, videlicet saramdrios[55] conduxit tam[g] a comune Ianue quam etiam a singularibus personis pro pasagio predicto[h]. Misit etiam idem rex Francorum ad civitatem Ianue et Venetiarum, quatenus ad curiam suam legatos et solennes[i] nuncios mittere[k] deberent, volendo tractare pacem sive treguam inter ipsas civitates, cum guerra que vigebat inter ipsas civitates, nocere posset passagio[l] suo, et pax seu tregua inter ipsas civitates facta utilissima foret passagio[l] memorato; et fuerunt missi legati et ambaxatores solennes per civitates predictas ad curiam dicti regis; qui redierunt negociis inperfectis; habito mandato a rege, ut ad ipsum nuncii mitterentur solennes[m] qui haberent plenam potestatem faciendi pacem seu treguam ad voluntatem dicti regis; ita quod nuncii predicti in octava pasce resurrectionis apud Bellicandum coram ipso comparerent. Item in ipso eodem anno idem rex Sicilie venit ad obsidionem Lucerie de Ampulia, quam civitatem Fredericus secundus fecerat de Sarracenis qui habitabant in Sicilia et quos illuc transtulit. Et fecit predictus rex Karolus prope ipsam civitatem, ut ipsam strictius[n] opprimeret et obsideret, quoddam castrum valde munitum et circundatum vallis et machinis atque fortenciis. Cum autem in obsidione dicte civitatis stetisset per multos menses, et eos multum artasset, et predicti Sarraceni propter penuriam victualium
Aug. 27. et diversis generibus prehorum[o] gravari, die 27. Augusti anni presentis se cum civitate ipsorum dicto regi reddiderunt. Capta vero dicta civitate Lucerie, idem rex foveas et munitiones dicte civitatis funditus destruxit, et castrum quod erat in ipsa civitate retinuit, ac illud suis munivit[p], christianos quos cepit in ipsa civitate cum Sarracenis maioribus[q] pre timore ipsorum Sarracenorum qui actores fuerunt rebellationis ipsius civitatis gladio interemit[r].

Ipso etiam anno venerunt ad civitatem istam legati soldani Babilonie et nuncii Tartarorum et imperatoris Grecorum causa loquendi cum summo pontifice et cum regibus Francorum et Sicilie, et in hac[s] civitate steterunt per multos dies, et postea discesserunt ad partes sicut creditur ad quas missi fuerant; quid autem fecerint vel[t] quid proposuerint, notum non fuit omnibus.

Item in eodem anno ad illustrem regem Karulum Sicilie missi fuerunt ex parte comunis Ianue legati pro conventione communicanda inter ipsum regem et comune Ianue; et post[u] eadem de causa idem rex suos legatos ad civitatem Ianue transmisit; cum quibus comune Ianue conventionem fecit atque firmavit, que conventio scripta est in codicibus publicis

a) e *tum lacuna* 1; *fortasse* eos in carcere detrudi; deinde vero dictos. b) *hinc alia manus multo maiori littera* 1. c) *sex lineae vacant* 1. d) L. 1. 2. e) parsagii 1. f) cruce *c.* g) eam ad 1. h) predicto. Infra ubi est signum. LXXX. que est pro mittit hic. 1 *Non igitur quae statim in codice sequuntur* Ipso etiam anno venerunt *sed indicata hic inserui, ut et* 2. i) solennis 1. k) mitere 1. l) pasagio 1. m) solennos *c.* n) strisnus 1. o) *supplendum* cepissent *vel tale quid.* p) muniverit 1. q) p. t. m. 1. r) *iam sequuntur quae supra praetermisimus.* s) hāc 1. t) vero 1. u) pro 1.

55) i. q. salandrios, chelandria.

comunis Ianue, ubi scribuntur conventiones, et ideo ea que in ipsa continentur hic non 1269. expedit per ordinem ennarrare.

In ipso etiam eodem anno insula Sicilie gravata est diversis generibus angustiarum. Nam cum Conradinus de quo supra tactum est transiret ad partes regni, quidam ipsius sequaces ascenderunt in insulam Sicilie, quorum erant maiores Fredericus filius quondam regis Castelle, Conradus Cacapiz, Corardus Trenche, comes Enricetus de Vintimilio, Fredericus Lancea; et predicti occupaverunt cum eorum[a] sequacibus civitatem Agrigentinam[56], Xacham, Augustariam, Centurbum, castrum Lentini et etiam alia loca predicte insule. Ad quos debellandos idem rex misit in insulam predictam milites mille septingentos vel circa Francorum et Provincialium. Qui ascendentes in ipsam insulam, direxerunt gressus suos ad prosequendos predictos. Predicti tamen noluerunt eos timentes habere bellum cum eis[b], set contulerunt se ad municiones locorum videlicet ad Agrigentum[c], Lentinum, Augustariam et Centurbum; et predicti milites Franchorum habuerunt Xacham et terram ipsius comitis Enriceti, et fuerunt ad obsidionem ipsius civitatis[57] per multos dies, tandem 57 propter infirmitatem vehementem discesserunt ab ea. Et in predicta insula, que consuevit ex fertilitate sua omnibus vicinis et etiam longinquis victualia ministrare, fuit penuria maxima victualium. Unam salmam frumenti valuit in ea, in aliquibus locis ipsius insule, racione[d] centum et ultra, et ubi minus valuit, valuit tarenos 40; cum in ipsa insula communiter salma frumenti valere consueverit tarenos tribus usque in sex. Item exercitus dicti regis obsedit terram in dicta insula que dicitur Augustaria, et ipsam cepit ex prodicione[e] quorundam qui erant in ipsa civitate. Cuius captione multi homines et mulieres[f] ex illis qui actores prodicionis[g] fuerant gladio perierunt. Civitas[h] Agrigentina affidatis[i] omnibus qui erant in ipsa civitate, et data quadam peccunie[i*] quantitate sicut dicitur Frederico filio quondam regis Castelle, cuius consilio regebatur, ad mandata regis[k] reversa est. Preterea in eodem anno provincia Tuscia[l] variis de causis extitit turbata propter discenssiones ipsorum; et ad adiuvandum partem suam de Tuscia idem dominus rex Karolus[m] misit milites de Francia circa septingentos, qui steterunt in Tuscia faciendo guerram omnibus de parte contraria, videlicet Pisanis, Senenssibus et Gibellinis, et depopulaverunt Podium bonizum. Et cum Senensses vellent reddere vicem inimicis de predictis, et venissent ad depopulationem castri Colli, predicti milites regis cum Florentinis hoc audito et cognito, opposuerunt se dictis Senenssibus et irruerunt in eos, et ipsos terga vertere coegerunt et fuerunt ex Senenssibus inter mortuos et captos ultra mille quingentos. Fecerunt etiam ipso anno predicti milites regis, Lucani, Florentini, Pistorienses[n] et alii eiusdem partis[o] exercitum contra Pisanos, et ceperunt castrum Assani, et depopulaverunt terram Pisanorum prope civitatem per miliarium, vel circa, et capti fuerunt ex Pisanis atque mortui per ipsum exercitum ultra mille. Lucani castrum Marse[58] marchionum de Massa diu per eos obsessum ceperunt, et turres et castrum Harce dicti loci atque menia eiusdem funditus[p] dirruerunt. Item in eodem anno vir nobilis Isnardus marchio Malaspine ad requisicionem quorundam virorum nobilium de Corsica in ipsam insulam ascendit cum honorabili societate militum et peditum, qui fuerunt numero sexcenti vel circa[q]. Item in dicto anno in civitate Ancone et Humane terre motus validus fuit, per quem multa moenia dictarum civitatum adirruerunt et a summo usque deorsum scissa fuerunt. Item in ipso anno quidam potens[r] qui vocatur Conrardus de Valosta cepit personaliter episcopum[s] Cunrainum qui erat de familia illorum de la Turre de Mediolano, eo quod N. frater dicti episcopi quosdam propinquos dicti Conrardi[t] ceperat; et dictum episcopum carceri mancipavit, postmodum liberatis suis et recepta quadam peccunie quantitate dictum episcopum dimisit. In ipso anno Lunbardi tamquam homines qui sunt sine domino, multas discordias et discenssiones habuerunt. Nam eiectis de civitatibus Cremone, Placentie et Parme illis qui adherere consueverant parti imperiali, civitates predicte contra predictos multa fecerunt. Nam Parmenses destruxerunt omnia castra marchionum Pelavicinorum et eorum de Scipiono, et burgum sancti Donini preter ecclesiam, eo quod parti marchionum

a) carum 1. b) eos 1. c) argentam 1. d) rac 1. e) ferodicione 1. f) m. ierunt 1. g) prodictiones 1. h) *quaedam verba in sequentibus perierunt* 1. i) assidatis 1. i*) precium *add.* 2. k) r. castelle *deletum* 1. l) Ruscia *hic et saepius* 1. m) B *saepius* 1. n) Pistouenses 1. o) partes in e. 1. p) fondicus 1. q) *quae sequuntur usque* scissa fuerunt *fere omnia deleta sunt* 1. r) petens 1. s) ipsum 1. t) C. 1.

56) Girgenti, Sciacca, Augusta, Centorbio, Lentini. 57) Vintimiglii. 58) an Massa?

1269. adheserat, et etiam maiorem partem ipsorum in banno posuerunt. Placentini illud idem fecerunt et venerunt ad obsidionem roche Bardi, quam Obertinus de Lando munitam tenebat, et ipsam per multos labores et longa obsidione habuerunt, quoniam affidatis hominibus qui erant in ipsa, ipsam rocham in potestate Placentinorum tradiderunt. Cremonenses ceperunt ipso anno castrum roche quod erat Bosi de Dovaria eiecti de ipsa civitate propter partem predictam, et quod ipse Bosus munierat et munitum tenebat. Ipso etiam eodem anno civitas Laude reversa est ad partem eorum qui erant ex parte imperiali. Nam eiectis illis de Summaripa, qui partem ecclesie tenebant, Ouregnachos recepit, qui de ipsa civitate eiecti fuerant anno quo papa Innocentius quartus erat Mediolani, et ab ipso anno Ouregnaci usque ad istum annum de ipsa civitate Laude exules steterunt. Item eodem anno rex Karolus misit nuncios suos ad civitatem Brixie causa concordandi cives dicte civitatis, qui erant in maxima discordia, eiecta parte illorum de Manervio de ipsa civitate et 59 captis ex eis quam pluribus qui in civitatibus Pullorum[a].[59] carcerati tenebantur. Qui carcerati pro obsidibus nuntio regis Karuli deliberati fuerunt. Rex[b] aliis pro obsidibus dati fuerunt eidem usque in quinquaginta, quos omnes duci[c] fecit apud Albam ubi morari debebat[d] ad hoc ut factiones[e] Brixie per regem facilius ad concordiam duci[c] possint. Verum cum ducerentur[f] predicti obsides qui capti erant in Brixia Cremonam, et adsociarentur per quam plures milites de Brisia, Talionus de Manervio, Bosus de Doaria cum manu armata militum aggressuram fecit in eos, et ipsis[g] positis in fugam, ex eis cepit circa centum equites. In ipso etiam anno cardinalibus existentibus in urbe Viterbii, in qua decessit Clemens papa felicis recordationis, et discencientibus nec valentibus seu volentibus consentire in idem, vacavit sedes apostolica pastore. In civitate Ianue a mense Octubris versus finem anni precium victualium[h] rerum excrevit: nam mina frumenti Lonbardi comuniter vendita fuit decem et octo usque in 24, et alie blave pro eadem racione. In ipso etiam eodem[i] illustris rex Iacobus Aragonum cum militibus circa mille et aliis viris bellicosis cum classe et navigio magno in quo fuerunt ligna navigabilia inter naves et alia ligna cooperta tot[k], in subsidium terre sancte ad partes ultramarinas recepto signo crucis cum transfretaret[l], maris sevicia idem rex cum nave sua tantum reddiit ad partes Provincie; reliquus autem exercitus transfretavit ad partes ultramarinas; cuius fuerunt duces duo filii ipsius[m].

a) ciuił pltoꝝ 1. b) *corrige* regi — eidem. c) duti 1. d) debeat 1. e) *ita correxi*; faciat 1. 2. f) diuerentur 1. g) ipsos 1. h) p̄cū uictualii 1. i) *scilicet* anno. k) *an* CCC? *aut numerus scribae incognitus erat.* l) transfectaret 1. m) *reliqua pagina vacat.*

59) i. e. Apulorum, Apuliae; cf. Ann. Placentinos h. a.

# XI.

# OBERTI STANCONI, IACOBI AURIE, MARCHISINI DE CASSINO ET BERTOLINI BONIFATII ANNALES

## A. 1270—1279.

*Historiographus*[a] *noster Capharus opus cepit laudabile. Priorum enim patrum secutus vestigia, que suis temporibus evenerunt, ad generationis venture memoriam denotavit. Qua de causa etsi eius est laudanda memoria, sunt eciam et sapientes laudandi, qui in bene cepto opere processerunt. Nam et ipsi que singulis temporibus acciderunt, curarunt stillo describere. Sicque factum est, ut nova proles sciat et audiat que non vidit, et per ea que gesta sunt antiquitus, instruatur. Sane quia a millesimo ducentesimo septuagesimo citra non est in opere iam dicto processum, licet plura et varia evenerint que comendanda memorie digna creduntur, idcirco nobiles viri domini Obertus Spinula et Obertus Aurie honorabiles capitanei comunis et populi Ianuensis, et qui totius civitatis et districtus regimini president, de consensu et voluntate ancianorum mandaverunt sapientibus in scriptis, nomina quorum sunt hec: Obertus Stanconus, Iacobus Aurie quondam Petri, Marchisinus de Cassino, Bertolinus Bonifatii, iuris periti*[b]*; ut que a dicto millesimo citra occurrerant, curarent in scriptis redigere. Qui iniuncta fideliter exequentes, reiecta falsitate et mera veritate amplexa, opus elimatum fecere, sub*[c] *quo annos decem continuos posuerunt, sicut ex inferioribus legentibus poterit esse notum.*

Currente namque 1270. fuit in regimine civitatis potestas Rolandus Putagius civis Par- 1270.
mensis. Ipso quidem anno Lodisius[d] illustris rex Francie ad exaltationem nominis Iesu Christi intendens debellare Agarenos emulos fidei christiane, erectis regalibus insigniis et in illius cuius opus agebatur nomine, assumpto crucis signaculo, cum tribus filiis, scilicet Philippo Petro et Tristano, et cum fratre ipsius regis Anfusso comite Pictavie et Telose et genero suo rege Navarre, et quam pluribus aliis baronibus et prelatis et multitudine hominum copiosa, apud Aquas-Mortuas iam diu parato antea navigio ascendit, et cum predictis et societate decenti ac magno exercitu die[e] Iulii separans se de Aquis-Mortuis, erectis velis infra diem quintam portum intravit Calari, quid facturus esset et quo progrederetur, barones prelatos et alios suos consciliarios requisivit. Cumque in dicto portu biduanam[f] traxisset moram, secuto suorum consilio exiens portum Calari, plenis velis et ventis faventibus infra dies duos Tunexim pervenit navigio, et se ante Quartanam reducens, collocato ordinatim navigio ac ficxis anchoris, ceperunt omnes de dicto exercitu se parare. Erant autem in ipso exercitu Ianuenses numerum decem milium excedentes, qui naves et ligna de duobus cohopertis 55[g] habebant, et alia in magna quantitate ligna navigabilia et parata ad pugnam. Ianuensibus eciam armate erant naves regie et galee. Quia vero tam magna multitudo Ianuensium in dicto erat exercitu, elegerunt consules de se ipsis nobiles viros Ansaldum Aurie et Philipum Cavarunchum[h], qui tamdiu ipsis presiderent et iusticia gubernarent, quamdiu provideretur eis per comune Ianue de rectore. Hoc enim semper habuerunt proprium Ianuenses, ut in quibuscumque locis existant, habeant de se ipsis consulem vel rectorem. Die vero qua Tunexim pervenit iam dictus exercitus, regis Tunesis iussione[i] capti sunt et detenti Ianuenses mercatores, qui antea Tunexim cum eorum mercationibus properarant et existebant ibidem, venturum exercitum ingnorantes. Quibus captis et detemptis ex mandato regio positi sunt et reservati in quodam pulcro palatio, ne posset eis ab aliquibus offensio irrogari. Erat enim regis intentio ipsos mercatores Ianuenses qui antea erant Tunexim non propterea offendere set salvare, credens et existimans quod non Ianuensium set aliorum conscilio Tunexim iam dictus divertisset exercitus. Postquam autem Francorum rex ante Quartanam cum suo exercitu se redduxit, factum est quod circa decendium[60] descendens in terram ipse et barones sui et alii castra metati sunt. Una autem 60

a) *littera initialis duabus avibus colore pictis insignitur, et litterae minio et coloribus decorantur passim* 1. b) iuris periti *pertinet ad duos posteriores.* c) sub — sicut ex *eadem manu in loco raso* 1. d) *corr. postea* Lodoisius 1. e) *locus vacat* 1. f) biduariam 1. g) *in loco raso* 1. h) cauaruchum 1. i) iusione 1.

60) spatium decem dierum.

1270. illucescente die Ianuenses qui nondum descenderant, asumptis armis et comunis Ianue vexillis erectis, de navibus descenderunt, ac ad debellationem castri Quartane continuato cum descensu itinere[a] properarunt. Erant autem in dicto castro et pro deffensione ipsius Sarraceni non in modica quantitate bellicosi, armis et omnibus necessariis muniti ad pugnam. Ianuenses vero soli postquam venerunt ad locum, ceperunt castrum ipsum viriliter expugnare. Cathalani vero et Provinciales qui adhuc erant in navibus hoc videntes, festino descensu castrum advenere predictum. Ante vero adventum ipsorum Ianuenses ipsum ceperant et debellaverant castrum; in tantum enim cum balistris et lanceis artaverant Sarracenos, quod resistere non valentes in fugam dorsa converterant, et ipsum castrum et muros Ianuenses ascenderant, ac in ipsis castro et muris imposuerant Ianuenses comunis insignia et vexilla. In obsessione vero Tunexim regio Francorum exercitu permanente, ac resistente Agarenorum regis exercitu, insultus et offensiones inferebantur hinc inde. Ligna autem navigalia defferentia victualia arma et alia necessaria exercitui undique discurrebant, qua ex causa omnibus patuit predictum exercitum ad partes Tunexim declinasse, quod quidem postquam fuit in Ianua nunciatum, doluit Ianuensis civitas vehementer, ac admiratione commoti sunt universi. Erat enim omnium sapientum comunis intentio, quod regis Francorum et cruce signatorum exercitus transfretare[b] deberent pro subsidio[c] terre sancte ac recuperatione dominice sepulture, quam in christianorum obprobrium, ad quos hereditario iure spectat, irreverenter detinent Sarraceni. Et hec fuit causa doloris, quia nedum sapientibus sed quasi omnibus poterat esse notum, quod in partibus Tunexim nichil vel quasi nichil proficere poterat iam dictus exercitus, nec eciam laudabilem sortiri effectum, sicut eciam postea aparuit ex eventu. Sane comune Ianue cognoscens quod in ipso erat exercitu copiosa Ianuensium multitudo, nolens suorum curam deserere, elegit virum nobilem Franceschinum de Camila, ac ipsum apud Tunexim in ligno armato propterea destinavit presidem omnium Ianuensium qui in ipso erant exercitu, ut omnibus preesset

Sept. 7. et ipsos in iusticia gubernaret. Qui septima Septembris ad locum destinatum pervenit. Sic autem se rebus habentibus, accidit quod Tristanus regis Francorum filius, cum gravi infirmitate corporis laboraret, ingnorante rege diem clausit extremum. Idem autem rex eciam infirmitate non levi similiter detinebatur. Cumque de infirmitate[d] filii, quem ingnorabat defunctum, sepe quereret circumstantes, sequutus post paucos dies defunctum filium, viam est universe carnis ingressus; cuius exequiis celebratis electus est in regem Philipus eius filius et ei successit in regno. Karolus vero rex Scicilie, frater defuncti regis, secunda die post obitum dicti regis cum quantitate magna galearum navium ac multitudine hominum copiosa Tunexim pervenit navigio, ac cum exercitu suo descendens in terra, castra metatus est; et celebrato dolore fratris premortui fidelitatem fecit Philipo, qui in locum patris rex substitutus extiterat. Quo quidem peracto pluries cum exercitu suo agressus est Sarracenos faciendo in ipsos varios impetus et insultus. Sarraceni vero vicem reddentes eidem, resistebant pro posse; sicque inferebantur offensiones hinc inde. Dum autem talia inter utrumque exercitum agerentur, quorumdam opere ex tractatu inter partes treuge facte sunt, et firmatum concordium pactionibus in scriptis; nam christianis regibus uncie 105,000 auri per regem Tunexim solvi promisse sunt, quarum medietas presencialiter soluta extitit, alterius vero medietatis solutio ad annorum duorum spacium quolibet quipe pro rata debuit celebrari. Promisitque Sarracenorum rex regi Karolo tributum, quod impe-

61 ratori[61] et eciam ipsi dare consueverat, solvere duplicatum. Ianuensibus vero illas, quas eisdem debebat, peccunie quantitates ad certum terminum se soluturum spopondit. Predicto namque sic firmato concordio, christianorum reges cum eorum navigio ac universo exercitu recesserunt, non reddituros usque ad certum terminum offensionis causa ad locum ipsum solempniter promittentes. Ante vero quam de loco ipso discederet iam dictus exercitus, firmato tamen concordio supradicto, ecce dominus Odoardus primevus regis Anglie filius cum magno galearum et navium tam[e] Ianuensium quam Provintialium ac virorum advenit exercitu. Erantque cum eo et in comitiva ipsius dominus Aymonus frater eius, dominus Enricus de Alamania proprius ipsius sobrinus ac filius Ricardi comitis tunc in regem Romanorum electi, et quam plures alii baroni de Anglia et prelati. Cumque

a) intinere 2. b) transfectare 1. c) suscidio 1. d) infirmati 1. e) t I. q. P. *alio atramento in marg.* 1.

61) Friderico II. regi Siciliae.

advenisset ad locum, doluit audiens sic firmatum concordium, pecunie eciam Agarene sibi porcione[a] oblata aborruit esse participem. Igitur separaverunt se 28. Novembris omnes de loco, reges, barones, prelati, et exercitus universus, plenisque velis versus Sciciliam navigantes, ultimo dicti mensis Trapanam navigio pervenerunt. Mora quoque facta in portu Trapane unius diei et noctis, orta est valida in mari tempestas, procellisque[b] invalescentibus, naves galee et ligna cetera non valentes crebrescentibus ictibus obviare, naufragium passe sunt et ad terram deiecte, in quibus naufragantibus perierunt homines infiniti. A predicto namque naufragio evasit dominus Odoardus; ipsum quippe cum toto suo exercitu et navigio ac rebus et hominibus universis Dominus liberavit, ita quod ex ipsa tempestate salvatus maritima, omnem evasit iacturam, quod quidem credi potest divino accidisse miraculo, eo quod Agareni regis peccunie oblatam sibi recipere porcionem aborruit. Porro rex Karolus naufragiis afflictis[c] afflictionem accumulans, extorsit ab omnibus quicquid ex dicto extitit naufragio recuperatum post triduum, dicens quod ex regis Guliermi constitutione et longa consuetudine hoc debebat suis scrineis applicare[d], defensiones Ianuensium allegancium convencionem cum ipso initam, per quam sanni[e] et naufragii in personis et rebus et securi in toto ipsius regno haberi debebant, penitus non admittens, et sic contra conventionem Ianuensium pro ratione voluntatem elegit avaram. Sane rex Navarre predictus adhuc existens in Trapana, corporis infirmitate invasus, paucis elapsis diebus diem clausit extremum. Dominus vero Odoardus et dominus Aymonus frater eius in Scicilia yemaverunt. Ceteri vero barones scilicet Philipus Francorum rex qui patri in regno successerat, Karolus rex Scicilie, Enricus de Alemania et comes Pictaviensis et alii barones et adherentes eisdem, cum spacio dierum 15 in Trapana traxissent moram ac de transfretando[f] ad certum tempus in terre sancte subsidio iuramento firmassent, exeuntes Trapanam venerunt Messanam, et transeuntes Farum versus Romam itinerare ceperunt. Cumque transirent flumen Coxencie[62], regina Francie, regis Philipi uxor ac regis Aragonum filia, cum in flumine cecidisset de equo, ex ipso semiviva extracta paucis elapsis diebus obdormivit in Domino. Rex vero Philipus et ceteri post regine obitum exeuntes Coxenciam, Romam perrexerunt[g]. Deinde venerunt Viterbium, inveneruntque cardinales congregatos pro electione summi facienda pontificis; etenim sedes apostolica per mortem pape Clementis recordationis felicis vacaverat annis[h] 2, mensibus 9, diebus 10. Eodem quippe anno quidem magnus clericus Placentinus Thealdus nomine de progenie Vicecomitum archidiaconus Libiensis[63] assumpto crucis signaculo navem ascendens, de Bronducio transfretavit et in Acconis partibus hyemavit[i].

1270. Nov. 62

Eodem quippe anno Ianuensis civitas cum toto districtu suo in amaritudine morabatur. Regnabat enim inter cives et districtuales divisio, que adeo subcreverat, quod invalescentibus voluntatibus parcium venenatis, per villas[k] et loca comunis Ianue cedes homicidia indifferenter committebantur[l] et prelia, qua ex causa ex utraque parte banniti[m] sunt infiniti. Qui irruentes in stratas publicas insultabant homines, homicidia committebant[n], spoliantes nedum inimicos, set eciam quoslibet transeuntes. Unde factum est, quod eciam usque Rappallum iter non patebat[o] securum; et hec per districtuales fiebant, eisdem favore civium assistente[p]. Defendebat enim quilibet partem suam; et ita exulantibus pace et concordia, obtinuit discordia pacis emula, et civitatem intravit. In illo autem tempore super habenda potestatia Vintimilii suscitata fuit contemptio inter quosdam, ac de potestatia ipsa coram Rolando Putagio cive Parmensi, qui tunc pro potestate regimini civitatis Ianue presidebat, questio facta fuit. Tandem Luchetus de Grimaldo iuste vel iniuste potestatiam ipsam obtinuit; cumque ad ipsius civitatis Vintimilii potestaciam ab altera ipsius civitatis parte in potestatem receptus est, altera vero pars Curlorum nomine, que contradicebat eidem, nolens eidem Lucheto esse obediens nec ipsum pro potestate habere, cum nequiret resistere, ipsam civitatem exivit. Quo audito quidam nobiles Ianue, Curlorum faventes partem, dicto Lucheto contrarii, et qui se eidem coram potestate Ianue opposuerant, ne potestatiam obtineret iam dictam, et quorum nomina sunt hec: Ansaldus Balbus de Castro, Ugetus Aurie cum quibusdam amicis et eorum sequacibus, videlicet Guillielmo de Turri et aliis quam pluribus circa 70 numero de Clavaro et Rapallo, comunicato consilio, manu

a) porcionem *corr.* porcione 1. b) procelisq. 1. c) afl. afl: 1. d) apl. 1. e) *i. q.* sani. f) transfectando 1. g) perex. 1. h) annis — X *post inserta eadem manu* 1. i) hymavit 1. k) uilas 1. l) commitebantur 1. m) baniti 1. n) comitebant 1. o) petebat 1. p) asistente 1. 62) i. e. Cosentiae. 63) i. e. Leodiensis.

1270. armata civitatem Vintimilii properarunt, intendentes partem Curlorum que exiverat civitatem reducere, et ipsum Luchetum si possent expellere de potestatia predicta. Dictus namque Luchetus adventum audiens predictorum, cum intrinsecis eidem adherentibus volens obviare predictis et ipsos debellare intendens, manu armata egressus est civitatem. Predictis autem appropinquantibus, dicti Ansaldus Ugo et Guillielmus et alii comitantes eosdem, pre multitudine Lucheti iam dicti sequacium non valentes eidem resistere, terga dederunt et ad quendam montem, Roazius nomine, habuerunt recursum. Dictus vero Luchetus ipsos insecutus est ad dictum montem, et ipsos aggressus[a] preliando ac obsedendo eosdem. Cumque predicti in dicto existentes monte se pro posse per biduum defendissent, cum amplius non possent, recedendi sani et salvi et securi in personis et rebus cum dicto Lucheto inita pactione descenderunt de monte. Promissis vero non servatis et pactione non obstante predicta, Lucheti predicti iussione omnes capti sunt et detempti et in civitatem deducti Vintimilii. Ibique duobus scilicet Ansaldo et Ugone solummodo rellaxatis, carceri mancipati sunt et inclusi, quibus in ipso existentibus carcere, plura et dura sunt irrogata gravamina; intendebatur quidem ab eis pecunia extorqueri. Reddeuntibus autem Ianuam Ansaldo et Ugone predictis, amicis et eorum maioribus que acciderant nunciarunt. Qui audientes predictos contra promissam fidem vinculis ferreis detineri, tacti dolore cordis intrinsecus, ad animum illatam revocarunt iniuriam ac furore nimio sunt succensi[b]. Habitoque simul et cum amicis et sequacibus consilio requisiverunt amicos Lucheti et maiores de ipsius progenie, quod carceratos predictos a iam dictis facerent carceribus relaxari; qui blando respondentes sermone, quod petebatur se facere promiserunt. Quippe cum non observarentur promissa et predictorum carceratorum liberacio[c] tardaretur, nobiles de progenie illorum de Auria et de Spinulis, amicis tam nobilibus quam popularibus convocatis comunicato conscilio creare in civitate Ianue populum ordinarunt, sicque factum
Oct. 28. est quod receptis quam plurium tam nobilium quam popularium iuramentis, 28. Octubris prosilierunt ad arma. Cumque partes dimicarent ad invicem, factum est quod illi de Auria et de Spinolis ceperunt palacium potestatis. Nam Rolandus Putagius tunc potestas derelicto palatio ad domos illorum de Flisco scilicet in platea sancti Laurencii se reddukit; et habens secum multitudinem non modicam hominum tam nobilium quam popularium munitorum et paratorum ad pugnam, se contra illos de Auria et de Spinulis et sequaces defendens resistebat pro posse. Tandem illi de Auria et de Spinulis cum aliis sequacibus nobilibus et popularibus et amicis victores facti, ceperunt potestatem predictum, et domos illorum de Flisco et sequaces viriliter expugnarunt. Ipsaque die honorabiles viri Obertus Spinula et Obertus Aurie capitanei creati sunt, sicut per amicos et sequaces eorum antea extiterat ordinatum, eisque a populo in civitate et toto districtu cum mero et mixto imperio omnis est attributa[d] potestas. Qui capitanei dominandi recepto imperio, capitaniam ac regimen civitatis et districtus tocius absolute et libere iuraverunt. Non enim lege aliqua vel statuto astricti fuere. Ex quorum iussione preceptum est et per totam civitatem et burgos voce iniunctum preconia, quod presencialiter, armis depositis[e] omnes ab offensionibus abstinerent sub penis magnis et bannis in contra facientibus comminatis[f]. Ipsisque pro tribunali sedentibus, cives populares et nobiles, amici et emuli obedire et eorum parere mandatis, sacris scripturis tactis, corporaliter iuravere. Denique per civitates et villas[g], castra et loca cetera Ianuensis districtus per literas cursores et nuncios, que acciderant extitit nunciatum, ac iniunctum omnibus penis in contrafacientibus comminatis[h], quod se precaveret ab offensione qualibet omnis homo. Dictus vero Luchetus de carceratorum liberatione et presentatione sui admonitus, recepto mandato carceratos omnes velocius relaxavit, factaque sui representatione die assignata[i] eidem, servare dictorum capitaneorum mandata et eisdem esse obediens, subiit iuramentum. Ipsisque capitaneis sic presidentibus, civitatem rexere; ac Rolando Putagio, qui potestas fuerat, recedendi libere licenciam concessere[k], eidem tocius anni sue potestatie salario integre persoluto.

Capitaneis namque predictis regentibus civitatem, que divisionibus ac civium discordiis regnantibus diu turbata extiterat, factum est, ut super tranquillitate[l] districtualium et civium providerent; invocatoque auxilio Dei, ac Gualterii Ianuensis archiepiscopi, et proborum religiosorum virorum, nec non tam popularium quam nobilium amicorum

a) agressus 1. b) successi 1. c) *vox in marg. addita* 1. d) atrib. 1. e) depossitis 1. f) cominatis 1. g) uila 1. h) comunicatis 1. i) asignata 1. k) cocesere 1. l) tranquilitate 1.

collecto[a] presidio, inter omnes tam districtuales quam cives quibuscumque potuerunt modis 1270 laboraverunt querere viam pacis; sicque finaliter actum est, quod divina largiente clemencia parentelis de novo et matrimoniis intervenientibus, tam districtuales quam cives pacis federa inierunt. Qua ex causa iam dicti capitanei cum toto districtu pacatam et quietam civitatem rexerunt. Verum cum quidam Vintimilienses velle viderentur in civitate illa discordias suscitare, predicti capitanei ad occidentalem riperiam nobilem virum Balianum Aurie decenti comitiva militum sociatum eorum transmisere vicarium; qui civitatem ipsam adveniens, pacificavit cives ac statui pacifico civitatis illius et tranquillo providit. Factum est autem, dum reddiret, quod ad partes Alme secessit[b] intendens expellere inde latrones et homines perversos, quos ibi inhabitare audierat; accedensque ad locum, fugatis inhabitantibus, castrum ipsum et villam[c] Alme fecit devastari et dirrui.

Anno quippe Domini nostri 1271. dicti capitanei populi[d] voluntate ordinavere ad re- 1271 gimen civitatis eligere potestatem. Factumque est quod electo Acurso Lanzavegia Alexandrino cive, de mense Aprilis venit ad regimen civitatis, recturus tamquam potestas, capitulis civitatis Ianue et Romanis legibus observatis, salvis tamen dictorum capitaneorum mandatis, que omnibus statutis et legibus tenebatur preferre, et ipsa, non obstantibus legibus aliquibus vel statutis, precise[e] observare iuravit, stetitque in iam dicto regimine per sex menses. Sane cum non esset populo favorabilis, et sinistra haberetur de eo suspicio, accidit quod Bononienses ipsum in capitaneum eligerunt; qui inpetrata licencia recedendi properavit Bononiam. Dicti vero capitanei civitatem rexerunt. Eodemque anno domnus Odoardus qui in Scicilia yemaverat, se movit de mense Aprilis cum societate sua et toto exercitu, et ad partes Acconis mense Madii tunc sequenti pervenit navigio. Soldanus vero Babilonie nomine Bedegondar partes Sirie cum magno invasit exercitu ac castrum quoddam Alamanorum nomine, quod a civitate Acconis trium leucarum spacio distare dicitur, undique circumvallans, finaliter ipsum cepit viriliter expugnando. Abinde vero in antea recusavit resistere et eciam obviare ipsi soldano domnus Odoardus, traxit tamen moram in Acconis partibus illo anno. Eodem eciam anno quadragesimali tempore Philipo Francorum rege et Karolo rege Scicilie in Viterbio moram trahentibus, et cum eis Enrico de Alamania comitis Ricardi in regem Romanorum electi filio, et aliis baronibus quam pluribus, ad cardinales congregatos pro summi electione facienda pontificis habuerunt accessum[f], ipsosque instanter rogarunt, quod de tali Christi vicario et Petri successore[g] sacrosancte ecclesie Romane providere curarent, et qui Deo esset acceptabilis, et Christi ecclesie ac christiano populo fructuosus, et quod ipsam electionem facere non differrent, cum indecens et periculosum esset tanto tempore apostolicam vacare sedem Quibus peractis turpe emanavit flagitium[h]. Quadam autem die cum dictus Enricus de Alamania quandam intrasset ecclesiam orandi causa et pro audiendis solempnibus et missa qui celebrabatur in ea, Guido de Monteforte pro rege Karolo in Tuscia vicarius generalis, in cuius comitiva erant milites stipendiarii[i] 300 numero vel circa qui sequebantur eundem, cum armatis quam pluribus videlicet comite Rubeo de Maritima socero suo et aliis quam pluribus, dictam intravit ecclesiam, et ipsum in conspectu altaris orantem interfecit, corpore quoque ipsius per ecclesiam tracto et extra ecclesiam[k] in plateam deiecto, plura intulit vituperia. Quo facto ascendens equum, cum comitiva et stipendiariis militibus exiens Viterbii civitatem, ad quoddam castrum soceri se reduxit[l], dicta Viterbii civitate ob dictum facinus in magno scandalo et turbatione remanente non modica. Sane cum cardinales electionem summi pontificis morarentur, videntes reges et barones se nichil proficere, reversi sunt in regiones eorum. Karolus vero rex Apuliam, et Philipus Francorum rex cum baronibus ceteris per Tusciam et Lombardiam itinerans, vias suas Franciam sunt ingressi. Eodem eciam anno domnus Anfussus comes Pictavie et Telose ac regis Francorum frater, cum esset Neapolim repatriare intendens, ascendit una cum uxore sua, que fuerat filia comitis Telose et heres, galeas, ac per mare nostrum transiens, nolens Ianuensem civitatem intrare, in Sancti Petri de Arena plazia[m, 64] declinavit, ibique aliquantulum more trahens 64 navigavit Saonam, ibique infirmitate oppressus diem clausit extremum; cuius milites,

a) colecto 1. b) seccesit 1. c) uilam 1. d) proprii 1. e) pciase 1. f) accesum 1. g) succesore 1. h) flagium 1. i) stipediarii 1. k) ecclexiam 1. l) redduxit 1. m) plāzia 1.

64) i. e. plagia, aestuarium.

1271. carne cum interioribus in cathedrali[a] sepultis ecclesia, ipsiusque solempniter celebratis exequiis, Franciam deportavere ossa. Uxor autem ipsius sequenti die morte subitanea decessit, ita quod plerique dicant, ipsam veneno perisse. Eodem eciam currente anno predicto domino Thealdo archidiacono Bebiensis[b], origine Placentino, quem cruce signatum supra memoravimus transfretasse[c], existente in partibus transmarinis in summum est electus pontificem, et[d] vocatus est Gregorius X. Quod quidem cum esset regi Karolo nunciatum, quatuór fecit in Apulia armari galeas, quibus peractis perrexerunt Acconem; quas idem electus cum familia et comitiva sua ascendens, navigio provenit Apuliam; ibique descendens ac eques itinerans, Romam profectus est, consecracionem suam et pallium recepturus. Ad[e] quem visitandum comune Ianue misit[f] quinque ambaxatores. Eodem quoque anno plures de progenie Grimaldorum, et alii nobiles plures eisdem adherentes Grimaldis, transmissi[g] sunt in confinibus ad regiones diversas, in quibus mensibus quam pluribus permanserunt.

1272. Anno Domini 1272. plura nota digna et varia evenerunt. Domino enim Odoardo in transmarinis existente partibus, ac moram in Accone trahente, accidit quod soldanus Babilonie ipsum interimi voluit ministerio assasini[h]. Cumque assasinus a soldano missus in dicti domini Odoardi conversaretur curia, ipsiusque fuisset noticiam et familiaritatem adeptus, tamquam explorator de soldano et exercitu suo nova reportabat eidem; cuius cum[i] consequeretur fidem, in tantam ipsius familiaritatem devenit, quod ingressus et egressus eidem patebat ad libitum. Oportuna autem cum advenisset dies, accidit quod domnus Odoardus sumpta cena[k] quiescendi causa intravit cubiculum. Assasinus vero pulsans ad camere[l] hostium, dixit quod eidem nova venerat relaturus. Qui cum intrasset ad eum, locutus est se velle narrare secreta. Licenciatis igitur omnibus cum solus remansisset cum solo, arrepto[m] gladio percussit[n] et vulneravit dictum domnum Odoardum. Qui erigens se, pugillo eundem percutiens uno ictu interemit ac familiam acclamavit[o]. Sui quoque milites et familia currerunt audito clamore ad locum, et videntes que evenerant, ad curam et medelam eorum domini intendere. Factumque est quod divino favente munere salvus factus est, et a dictis sanatus vulneribus medicorum ministerio assistente. In illo anno Romana curia existente in Urbe, cum ibi esset dominus Ottobonus tituli[p] Sancti Adriani diaconus cardinalis, Albertus de Flisco frater eius et alii quam plures, capitaneorum Ianue et partis adherentis eisdem emuli, miserunt confiniatis, scilicet Grimaldis et aliis, quod egressis confinibus Romanam curiam properarent; sicque factum est, quod confiniati exivere confines, ac curiam quidam ex eis transmisere nuncios, quidam vero personaliter accessere[q]. Cumque ibi esset rex Karolus, in tantum ipsum exortationibus et pollicitationibus[r] animarunt[s], tam cardinalis quam alii, quod pacta et confederationem firmavit cum eis. Cum enim Ianuensis civitas semper ab ipsius iniciis mera decorata fuerit libertate, nec sub alicuius regis vel principis astricta imperio, inducentes regem Karolum ut Ianuensibus guerram indiceret, si ipsius favore et auxilio civitatem ipsam violenter intrare possent et ipsius dominium obtinere, eidem pactis intervenientibus polliciti[t] sunt plura et talia se facturos, que in ipsius civitatis redundabant perniciem, et per que amissa pristina libertate adstringebatur ad tempus dominio dicti regis. Hec autem acta fuerunt in Romana curia, comunis Ianue ambaxatoribus in dicta et dicti regis existentibus curia et ingnorantibus penitus que fiebant. Mercatores quoque Ianuenses infiniti in ipsius regis districtu et per totam Sciciliam constituti cum magnis summis peccunie[u] mercabantur. Ingnorabant enim que fiebant, ac propter conventionem inter regem ipsum ex una parte et comune Ianue ex altera dudum firmatam et initam, sperabant plena securitate frui. Eodem vero anno mense Agusti Grimaldi cum quibusdam eis adherentibus duo occupavere castra, unum nomine Stella, quod
Aug. ipsorum est Grimaldorum, aliud vero Dalfinum nomine, quod comunis est proprium. Quo audito missus est vir nobilis Nicolaus Aurie quondam Manuelis cum societate decenti, et homines potestatiarum partis occidentalis a Naulo citra, ad dicta debellanda castra et ad dominium reducenda[v] comunis. Qui cum ad dicta castra cum suo accessisset[w] exercitu,

a) cathedali 1. b) *scil.* ecclesie; *i. e.* Leodiensis. c) transfectasse 1. d) et v. e. G. X. *in marg.* 1. e) Ad — ambaxatores *in marg. alia manu* 1. f) mixit 1. g) transmixi 1. h) assasinus *et* asasinus *vox scribitur* 1. i) *deest* 1. 2. k) *vox lacunae post inscripta* 1. l) camare 1. m) arepto 1. n) percusit 1. o) aclamauit 1. p) tunc s. Andriani duc 1. q) accesere 1. r) policit. 1. s) a. quod t. 1. t) policiti 1. u) peccuniis 1. v) redducenda 1. w) accesisset 1.

cepit castrum Stelle viriliter expugnare. Grimaldi vero et sequaces non valentes substinere impetus, castra cum sequacibus relinquere predicta: quod quidem fuit 11. dicti mensis. Recuperatis vero castris predictis, castrum Stelle dirui fecit. Sane ibi captus fuit quidam de Portu Mauricio Sifredus nomine, qui sequebatur Grimaldos; qui pacta que facta fuerant inter regem Karolum ex una parte et dominum Ottobonum tunc cardinalem et fratres et Grimaldos et ceteros adherentes eisdem ex altera, capitaneis et aliis Ianuensibus revelavit; et scripta fuit eius confessio[a] in cartulariis comunis coram iudice ad maleficia constituto. 1272.

Eodem quoque anno et tempore Albertus de Flisco dicti cardinalis frater, et quidam nomine Manuel dicti Alberti filius, obedire dictis capitaneis et comuni Ianue recusabant. Cumque tenerent castrum Goani, Castrum novum et Caranciam, districtualibus comunis et maxime habitantibus in Sigestro et circunstanciis, tamquam rebelles et inimici, offensiones quasi cotidie inferebant. Unde factum est, quod nobilis vir dominus Obertus Aurie, capitaneus populi et comunis, movens cum quibusdam ex compagnis et Ianuensi milicia, mense Septembris ad Castrum novum accessit[b]. Cumque vallasset castrum et se ad expugnationem ipsius pararet, homines dicti castri pugnam expectare timentes, nocte illa succenso[c] castro dorsa verterunt in fugam, et sese ad castrum reduxere Goani. Mane vero facto capitaneus castrum succensum aspiciens, ad ignis extinctionem intendit; quo extincto castrum munivit predictum, et in continenti Gropum et Caranciam nuncios destinavit. Ipsorum vero locorum homines ea die ad ipsius capitanei mandata venere; quibus peractis capitaneus cum suo exercitu Ianuam die tercia triumphans intravit. Sept. In dicto quippe anno de mense Decembris quidam nobilis, Ianella Advocatus nomine[e], qui partem Grimaldorum fovebat, associatis[d] sibi quibusdam districtualibus et comunis Ianue rebellibus parti adherentibus Grimaldorum, et quibus cognomen adscribitur de Brunengis, villam et castrum Apricalis intravit, et hoc proditorie tractantibus et facientibus quibusdam ex habitatoribus dicti castri. Qua ex causa Ianuenses capitanei comunicato consilio amicorum, duos creavere vicarios, videlicet viros nobiles Ansaldum Balbum, quem ad partes orientales, et Obertum Sardenam, quem ad partes occidentales misere vicarios. Rebus autem sic se habentibus predictus dominus Ottobonus tunc cardinalis, et alii de cognatione sua Grimaldi et alii adherentes predictis, et qui tamquam rebelles Ianuensem civitatem exiverant, offensionem Ianuensium procurabant: existentibus quoque comunis Ianue ambasatoribus in regis Karuli curia, ac ingnorantibus Ianuensibus tractatum et pacta que cum ipso rege habuerant et firmaverant, apud Adversam[e] [64] in ipsius regis districtu et toto regno Scicilie cum eorum mercationibus vertebantur[f]. Una autem die nulla diffidatione[g] premissa, ex mandato regio Ianuenses omnes qui in illis erant partibus, in personis et rebus capti sunt et detempti, et ut per totum ipsius regnum similiter caperentur, regis iussio emanavit nulla interveniente causa, nec eciam quare hoc fieret allegata, nec etiam convencione obstante, que inter Ianuenses et regem ipsum antea diu inita fuerat et firmata ac eciam hinc inde intervenientibus iuramentis vallata[h], ex tenore cuius Ianuenses omnes in personis et rebus in toto posse ipsius et regno debebant securitate frui. Comune tamen Ianue super hoc, cum potuerit, vicem tamen reddere non curavit. Set fide et iuramento servatis, preco ex capitaneorum mandato circuiens civitatem per plateas clamitavit et vicos, quod districtuales et homines dicti regis pro hiis que acciderant non timerent, set usque 40 dies possent cum personis et rebus civitatem et districtum exire secure, sicque eisdem 40 dierum concessis induciis, civitatem et districtum cum personis et eorum mercationibus exivere. Accidit autem tunc, quod due naves Ianuensium, in quibus mercationes erant preciose et magni valoris et in maxima quantitate, et mercatores[i] quam plures et inter ceteros Nicolaus Aurie qui potestate Ianuensium in ultramarinis partibus mittebatur, et quidam frater eius Micheletus, ac Thomas Squarzaficus et quam plures alii mercatores, declinarant ad portum Malte ibidem proposito[k] yemandi; quod cum fuisset vicario Scicilie nunciatum, armato propterea ligno, castellano[l] Malte cum litteris nuncium destinavit, iniungendo eidem, quod qualitercumque posset ad naves cum hominibus capiendas modis omnibus daret curam. Die vero natalis Domini predicto adveniente cum litteris nuncio, castellanus caliditate proditoria naves cogitavit habere iam dictas, ac misit ad naves nuncios, qui ex parte castellani ipsius Nicolaum Aurie tamquam maiorem et ceteros salutarunt, ac ipsos invitarunt ad festum. Dec.

a) confesio 1. b) accesit 1. c) sucenso 1. d) asociatis 1. e) ad *alia manu add.* 1. f) utebatur 1. g) difficatione 1. h) valata 1. i) mercationes 1. k) propossito 1. l) *ita correxi* castello 1. (64) Aversa.

1272. ipsos rogaminibus inducendo, ut cum ipso castellano in crastino prandere deberent. Ianuenses vero timuerunt dubitantes cuiusmodi nova lignum adduxisset predictum, ac, habito simul consilio, castellani predicti festum et prandium recusarunt, excusantes se et gratias nunciis referentes. Cui castellano relatione[a] facta, iterato[b] redierunt ad naves, invitando cum ceteris Nicolaum predictum, ac eisdem ex parte castellani iam dicti fiduciam pollicendo; qui predictis institerunt in tantum, quod votis acquieverunt eorum. Cumque in crastino idem Nicolinus cum fratre et Thoma Squarzafico et quibusdam aliis naves descendissent, et gaudendi causa ac prandendi cum castellano castrum accederent, factum est quod post introitum Nicolini et fratris ac Thome predicti, et aliis de comitiva adhuc extra existentibus, porte castri clause sunt et firmate. Ceteri vero dictis Nicolino et fratre ac Thoma Squarzafico exceptis[c] aufugerunt, et redierunt[d] ad naves, que erant ad castrum[e] in portu, ipsasque se iuvantes viriliter extraxere de portu, non obstante dicti castellani prohibitione; qui cum lignis armatis hominibus et trabuchis vetare dictarum navium exitum est conatus. Ipsis autem navibus extra portum iam dictum in recedendi existentibus libertate, erectis velis et ventis faventibus, dimissis predictis in dicto castro captis, divina favente misericordia ad partes Syrie pervenerunt in paucis diebus. Cum autem in partibus Scicilie mercandi causa quam plures existerent Ianuenses, qui per ipsum regnum cum ipsorum lignis navigabilibus et eorum mercationibus undique discurrebant, idem vicarius Ianuenses omnes mercesque eorum res et bona ac ligna omnia que potuit capi fecit: que quidem omnia adhuc homines et comune Ianue ignorabant.

Anno eciam currente iam dicto Manfredus marchio de Bosco vassallus comunis cum hominibus de Taiolis cogitaverunt offendere Ianuenses, ac hominibus de ultra iugum, Vulturis et Pulcifere, insultus quam plures et offensiones fecere. Erant enim ibi castra duo, que Ianuensium offensionibus intendebant. Qua ex causa ad illorum expugnationem castrorum vir nobilis Conradus Spinula capitanei Spinule filius missus extitit; qui cum hominibus et militibus de ultra iugum festinavit ad locum, ac castra ipsa viriliter debellavit[f] die ........, quibus captis, diruptis funditus et distructis, cum triumphali gaudio repatriare curavit. Eodem quippe anno frumentum in Ianua carum fuit; valuit enim a solidis 25 usque in solidos 28, et tantum mine singule vendebantur.

1273. Anno quoque Domini 1273. varia, prout annotata sunt inferius, evenere. Dicto namque currente[g] millesimo non fuit potestas in Ianua. Iam dicti enim nobiles Obertus Spinula et Obertus Aurie capitanei comunis et populi civitatis regimen assumpsere.

Anno enim instante iam dicto Karolo rege Tuscie vicariam pro Romana obtinente ecclesia, idem rex, et ad ipsius mandatum Salutiarum marchio, Alexandrini ac marchiones de Carreto ad offensionem Ianuensium intendere tam in orientali quam occidentali riperia, ac eciam ultra iugum, incursiones et insultus plures faciendo. Secunda enim die mensis Ianuarii dicti anni comunis Ianue ambaxatoribus adhuc in dicti regis curia moram trahentibus, relatione veridica[h] certificata est civitas Ianuensis, Ianuenses in personis et rebus in toto Scicilie regno et Provincia captos fore, nulla diffidatione premissa, nec concessa licencia recedendi. Quod quidem quamquam per dictum regem contra conventionem et pacis federa factum foret, comune Ianue tamen tante iniquitati noluit respondere; set sicut supra stilo[i] descripsimus, Provincialibus et hominibus ac districtualibus omnibus dicti regis in rebus et personis libero recessu[k] concesso, quadraginta dierum concessit inducias, voce tamen preconia nonciante, quod ab inde in antea in personis et rebus tamquam inimici Ianuensium caperentur. Districtuales quoque et homines omnes et subditi, amici eciam dicti regis, guerram ex ipsius regis mandato Ianuensibus indixere[l], Placentinis exceptis, qui ad hoc induci nullo modo potuerunt; quod quidem dignum est memorie Ianuensium adnotari.

Eodem autem anno mense Ianuarii quidam nobilis Ianue Guillielmus Ventus nomine, tunc comuni non obediens set rebellis, cum haberet castrum Mentonum nomine, tradidit eum Provincie seneschalco, intendens contra comune Ianue regi deservire iam dicto: qua ex causa per comune Ianue forestatus extitit et bannitus.

Eodem quoque anno et mense Archerius Vacha, capitanei Spinule socius, in riperia

a) rellatione I. b) itterato I. c) *in marg. alia manu* I. d) reddierunt I. e) ad *deest* I. f) debelavit I. g) curente I. h) veredicta I. i) stillo I. k) recesu ... concesit I. l) indicere I.

occidentali transmissus, castra quinque comitis Enriceti de Vintimilio et fratrum in valle 1273. Unelie posita, et quibus nomen adscribit ut audivimus ........., et quibus rex Karolus dictos comites spoliatos tenebat, recuperavit et habuit, ac de ipsius regis posse violenter extorsit. Dicto quoque labente[65] anno die 5. Februarii miles quidam, quem iam dictus rex loco sui in Tuscia vicarium ordinaverat, cum quingentis stipendiariis militibus per terras cuiusdam ex forensicis, Nicolai de Flisco comitis Lavanie nomine, patente transitu terram comunis Ianue de versus orientem intravit, incendendo villas[b] burgos, et usque castrum Ylicis devastando, iugulando eciam quos habere potuit homines, non parcendo senibus nec eciam pueris quorum facies nondum noverat pubertatem. Dictus autem Nicolaus plura tenebat castra. Habebat enim in posse suo Vezanum, Tivegnam, Spezam, Insulam, Carpanam, Manaroliam et Vesignam, et alia loca et castra quam plura. Cumque esset iam dicti cardinalis frater, dicto regi cum fratribus ceteris et aliis forensicis adherebat. Dicti namque regis vicarius ad flumen Vaire cum suo accedens exercitu, castrum quoddam comunis Ianue Bozoli nomine violenter accepit, ac Bruniatensem ingressus est civitatem. Quidam vero nobilis Ianue, Ansaldus Balbus de Castro nomine, ad partes orientales vicarius destinatus, dicto regio vicario intendens resistere ac eidem et suo exercitui obviare, ad quedam castra comunis, Rivalta, Cazana et Lacum nomine, cum hominibus habitantibus orientales partes accessit[c], ac regio vicario se opponens, ne ultra super Ianuensem terram progrederetur inhibuit. Dictus vero regius vicarius ultra non valens procedere, paucis elapsis diebus Sarcanam reversus est.

Rebus sic se habentibus, placuit Ianuensi populo et comuni, quod capitaneus Aurie cum decenti exercitu versus orientalem riperiam contra regium vicharium properaret; factumque est, quod idem capitaneus cum certa quantitate peditum et milicia Ianuensi 8. Februarii dicti anni vexillis[d] erectis Ianuensem exiens civitatem, Sygestrum perrexit. Febr. 8. Ibique expectans stipendiarios milites Papienses ac pedites de ultra iugum cum longis lanceis, pro quibus omnibus antea missum extiterat ut venirent, diebus aliquantulis traxit moram. Tunc eciam galee numero 14 armate fuere, quarum admiragius extitit quidam nobilis nomine Iacobus Squarzaficus; qui cum dictarum galearum stolio portum exiens Ianuensem, Portum Venerem pervenit navigio; ibique dum moram traheret, expectando iam dicti capitanei iussionem, de quibusdam galeis per mare illud transitum facientibus insonuere rumores. Erant enim galee octo Provincialium, et de Provincia venientes, Lucensium et aliorum de Tuscia honerate torsellis. Quo audito admiratus iam dictus cum galeis suis Portum Venerem exiens, velociter fuit galeas Provincialium insecutus; que remis ac velis auxiliantibus fugientes, portum intravere Pisanum, ibique manus Ianuensium evaserunt, una tamen excepta, quam de portu Pisano extrahens expugnavit et cepit; quam cum Ianuam transmisisset, sibi restitui requisivere Pisani, eo quod in eorum portu capta fuerat. Ianuenses vero super hoc veritate cognita, ipsis Pisanis galeam restituere predictam. Dictus vero admiratus cum redisset Portum Venerem, ac ibi cum iam dicto galearum stolio moraretur, tres galeas armatas ad quoddam castrum iam dicti nobilis Nicolai de Flisco, Manarolia noncupatum, expugnandum transmisit. Que cum perrexissent[e] ad locum ac descendissent galeas, ipsum debellavere castrum, ac ceperunt et viriliter expugnarunt. Hiis ita peractis, iam dictus Aurie capitaneus advenientibus stipendiariis militibus de Papia, et peditibus de ultra iugum cum longis lanceis, diebus pluribus expectatis, movens cum toto exercitu de Sigestro, pervenit Corvariam, ibique diei noctisque spacio mora tracta, vexillis[f] erectis castrum Specie appetivit; quod cum suo invadens exercitu, 24. Marcii dicti anni Mart. 24. expugnando viriliter debellavit et cepit, ac ipsum captum fecit dirrui et igne succendi. Sequenti vero die dum cum suo exercitu castrum properaret Vezani, castri ipsius homines in continenti ad ipsius capitanei mandata venere; cumque de ipso capitaneo[g] et exercitu suo in partibus illis insonuissent rumores, castra quam plura, scilicet castrum Insule, castrum Vesigne, castrum Pulverarie, castrum Beverimni, et alia quam plura loca et castra ea die iam dictus capitaneus sub Ianuensi iurisdicione redegit. Quorum locorum et castrorum homines ad mandata dicti capitanei dum venissent, ac ipsius Ianuensis comunis et populi iurassent observare precepta, idem capitaneus cum suo movens exercitu, iusta flumen Vaire equitans Bruniatensem civitatem pervenit; homines enim civitatis ipsius antea ad

a) *locus erasus* 1. b) vilas 1. c) accesit 1. *ita saepius.* d) vexilis 1. e) perexissent 1. f) vexilis 1. g) de ipsius capitanei 1.

65) i. e. progrediente.

1273. ipsius capitanei mandata devenerant. Ipso autem capitaneo in dictis partibus cum suo exercitu existente, castrum Bozoli, quod ab inimicis captum fuerat, recuperavit et habuit, ac ipsum fecit dirrui et vastari. Quibus peractis, stipendiariis militibus in castro Vezani cum certa peditum quantitate dimissis, idem capitaneus triumphans repatriare curavit, ac ante ramis palmarum festum honore debito ac omnibus simul congaudentibus receptus extitit, Ianuensem ingrediens civitatem.

Existente autem in orientali riperia dicto nobile Ansaldo Balbo nomine, capitaneorum comunis et populi Ianuensis vicario, ac cum ipso quam pluribus de ipsius vicaria hominibus, necnon stipendiariis militibus et peditibus quos iam dictus capitaneus apud Vezanum dimiserat, regius vicarius cum suo exercitu in Tebriani planicie se reduxit[a], ibique castra metatus, per binos menses, Aprilis videlicet et Madii, traxit moram. Ipso autem regio vicario cum suo exercitu sic manente, ac in offensionem Ianuensium territorii et districtualium totis viribus intendente, exercitus Ianuensis vicarius non dormiens, vicem regio vicario et suo exercitui reddere procuravit pro posse. Sicque factum est, quod sese offendebant ad invicem, simul quasi cottidie preliantes. In exercitu enim regii vicarii erant Lucenses et alii de Tuscia non in modica quantitate et alii de diversis civitatibus locis et partibus qui ad instanciam cardinalis iam dicti in dictum exercitum regium venerant, una cum rebellibus qui banniti erant et civitatem exiverant Ianuensem. Cumque dictorum exercituum homines inimicorum more inter sese ad invicem quasi cotidie offensiones inferrent, et hinc inde eciam comitterentur prelia et insultus fierent omni die, regius vicarius amplius substinere non valens, derelicto loco in quo castra metatus extiterat, cum suo exercitu se Sarzanam reduxit[b], omnesque de ipso se separantes exercitu, quilibet suam repeciit regionem, sicque factum est quod universus regii vicarii exercitus extitit divisione dispersus. Videntes autem homines civitatis Lucane, quod facta regis iam dicti non ita procedebant prospere, ut credebant, de adventu quem cum exercitu regii vicarii fecerant doluerunt, timentes ne cum eorum mercationibus possent, sicut consueverant, in Ianua conversari. Qua ex causa quam plures ambaxatores solempnes ad civitatem Ianuensem miserunt, qui excusationes de adventu quem cum regio vicario fecerant pretendentes, inter cetera in Ianuensi consilio allegarunt, quod dolentes de hiis que acciderant, adventus ipsorum voluntarius non fuerat set coactus, et quod quamquam in dicto essent exercitu, sibi omnino ab offensionibus Ianuensium precavebant, ac postulantes veniam, se ulterius non attentare similia pollicere. Capitanei vero comunis et populi Ianuensis, ac ipse populus et comune, licet excusaciones Lucensium frivolas reputarent, tamen dissimulantes offensas, ipsos recepere benigne, et volentes que Lucenses ipsi male egerant scrineis memorie reservari, postulantibus veniam tribuerunt utendi cum eorum mercationibus in civitate et districtu Ianuensi, sicut actenus consueverant licencia et securitate concessa. Simili modo ex aliis diversis Tuscie partibus ad civitatem Ianuam ambaxatores venere excusationes similes et eciam alias, eo quod in exercitu regii vicarii contra Ianuenses venerant, pretendentes; quos similiter comune recepit benigne, ac offensas dissimulans, ut dictum est de Lucensibus, eisdem veniam postulatam concessit. Qui ambaxatores omnes recedentes de Ianua, ad eorum patrias devenerunt. Sic autem rebus existentibus ambaxatores quam plures ex diversis locis et civitatibus regionis Tuscorum, et specialiter Luce et Florencie et aliorum diversorum locorum ad civitatem Ianue accessere, dicentes et in congregato ad eorum requisitionem conscilio proponentes, se et illos a quibus missi fuerant, condolere de eo quod inter Karolum regem Scicilie, dictum Ottobonum tunc cardinalem et alios qui Ianuensem civitatem exiverant ex parte una, et comune Ianue ex altera guerra et discordia statuerant sibi sedem, et ut ad compositionem et pacem tractandam intenderent missi erant. Capitanei vero populus et comune attendentes fieri calliditate[c] subdola que fiebant, ipsorum peticionibus[d] acquiescere noluerunt; set nichil reportantes, sicut venerant recesserunt. Dicto quoque anno mense Marcii cum Obertus Sardena orientalis riperie vicariam gereret, Ianuam rediit[e], pro potestate super Ianuensibus iturus in inperio Romanie, cui Obertus Spinula, capitanei sobrinus proprius, in iam dicta vicaria successit. Eodem eciam anno mense Marcii dominus Odoardus qui patri noviter in Anglorum successerat regno, cum de partibus transmarinis rediret[f] repatriare intendens, una cum regina uxore sua, sorore Anfussi regis Castelle, ad partes secessit Scicilie regni, ac per ipsum regnum a Karolo Scicilie rege ipse et uxor

a) redduxit I. b) redduxit I. c) caliditate I. d) petticionibus I. e) reddiit I. f) reddiret I.

eius regina recepti sunt cum honore. Nam idem rex Karolus ipsos reginam et regem multipliciter honoravit. Verum cum regina eadem supplicaret regi Karolo, ac ipsum instanter et cum devocione requireret, ut domnum Enricum regis Castelle ac ipsius regine fratrem dignaretur a, quibus ipsum tenebat inclusum, carceribus relaxare, rex ipse acquiescere regine precibus recusavit, nolens ipsum domnum Enricum a dictis liberare carceribus. Rex quoque Odoardus iam dictus suum prosequens iter cum regina uxore sua et alia comitativa Romam perrexit. Quorum adventum summus pontifex et cardinales multifarie honorarunt. Sane cum eidem Odoardo regi cruenta mors iam dicti Enrici de Alamania nunciata fuisset, dolor vehemens occupavit eundem, et habens ad summum pontificem et cardinales accessum, de tam enormi et gravi flagitio[a] deposuit lamentabili voce querelam. Videns autem quod nichil proficere poterat, ad iter suum rediens[b], ac per partes Lombardie equitans, cum regina et comitativa sua ingressus est regnum suum. 1273.

Eodem quippe anno instante mense Madii seneschalcus Provincie de versus occidentem intravit riperiam Ianuensem ex vi, et cum Rocabrune castrum circumdedisset vallo[c], castellanus, cui fuerat dicti castri commissa custodia per comune, et qui G. Bava vocabatur, sui proditor et comunis, in ipsius seneschalchi[d] manibus proditorie tradidit dictum castrum: qua ex causa per iam dictum vicarium morti traditus, capitalem reportavit sentenciam. Dictus vero seneschalchus ultra procedens, cum castrum Penne Vintimilii obsedisset, homines dicti castri per se resistere non valentes, in dicti seneschalchi posse castrum predictum, cum nullam de succursu spem gererent, reddidere.

Eodem eciam anno currente Lanfrancus Malocellus iunior, qui tamquam rebellis cum aliis Ianuensem exiverat civitatem, in tantum institit senescalcho in Lombardia pro rege Karolo constituto, quod idem senescalcus cum 300 militibus intravit territorium Sagonense, ante ipsam cum suis militibus veniens civitatem; ex policitatione enim Lanfranchini iam dicti ipsam sperabat illico civitatem ingredi, se nemine in contrarium opponente[e]. Saonenses tamen sese viriliter opponentes, se et civitatem defenderunt[f] predictam. Quare senescalcus iam dictus agnoscens se dicti Lanfranchini vana pollicitatione delusum, unde venerat rediens[g] cum suo exercitu exivit Sagonensem districtum. Sane cum iam dicti seneschalchi adventus nonciatus fuisset in Ianua, eodem die post nonam capitaneis comuni et populo Ianuensi confestim celebrato propterea conscilio, extitit ordinatum, quod duarum compagnarum homines, videlicet castri et burgi, et Iacobus Aurie capitanei frater, ac potestas Vulturis cum quingentis sue potestatie bellicosis hominibus Sagonam celeriter properarent, ibidem pro ipsius civitatis defensione[h] mansuri, quamdiu iam dictus senescalcus in illis partibus moraretur. Qui omnes exequentes quod iniunctum fuerat, perrexerunt Saonam. Quidam ex eis tamen, videlicet potestas Vulturis cum sue potestacie hominibus, circa mediam noctem Saonam pervenit navigio, alii vero ante terciam accessere[i] ad locum, ita quod ante terciam tria milia hominum Ianuensium inventi sunt in Saona pro defensione[h] civitatis eiusdem. Qua ex causa Saonenses de tam festino succursu stupefacti, admirati sunt vehementer. Predicti autem cum ibidem moram triduanam traxissent, et nova undique de inimicis concurrerent, omnes Ianuam reversi sunt, centum de dicioribus et melioribus exceptatis, qui ibidem per mensem pro dicte civitatis custodia remansere.

Eodemque anno mense Madii Obertus Aurie capitaneus cum parato exercitu et instrumentis necessariis pro debellatione quorumdam castrorum versus orientales partes equitans, ad obsessionem castri Carpane properavit, ipsumque vallo[k] circumdatum trabucari precepit. Quo quidem pluribus observato diebus, homines dicti castri cum a regio vicario et Nicolao de Flisco Lavanie comite, qui cum magna quantitate militum morabantur Sarzane, nequirent quem[l] sperabant habere succursum, iam dictum castrum in posse dicti capitanei tradidere; quo habito et munito, illari reditu civitatem Ianuensem intravit.

Dicto quoque anno mense Iunii occidentalis riperie vicarius, Obertus Spinula nomine, sobrinus proprius capitanei Ianuensis, ad castri Apricalis debellationem cum magno, quem propterea paraverat, devenit exercitu, ipsumque sic obsessum in tantum artavit castrum, quod ipsius hominibus pro capescenda aqua non patebat accessus; quare nulla spe habita de succursu, se et castrum ipsum in dicti vicarii manibus reddidere. Sane cum dicti castri obsessio senescalchi in Lombardia pro rege Karolo constituti pervenisset ad aures, con-

a) flagio 1. b) reddiens 1. c) valo 1. d) seneschachi 1. e) apponente 1. f) deffenderunt 1. g) reddiens 1. h) deffensione 1. i) accesere 1. k) valo 1. l) quam 1.

1273. festim magnum militum ac peditum paravit exercitum, habens etiam secum marchiones Ceve et de Carreto, Manfredo excepto, et ad partes secedens Sagone, ante ipsam castra metatus est civitatem; credebat enim castri Apricalis obsessionem propterea removere. Verumtamen nichil ei profuit quod sperabat; dictus enim vicarius, nonciis capitaneorum monitus et litteris, habuit in mandatis, ne dicti senescalchi timore se separaret a dicti obsessione castri, quia de festino et celeri eidem provideretur succursu; et ita se non movit ab obsessione predicta, set habuit, ut diximus, dictum castrum. Verum confestim cum senescalcus iam dictus ante civitatem Sagone advenit, plena fuit inde auditionibus civitas Ianuensis. Quare capitaneus eiusdem populi et comunis in continenti ex reformatione conscilii quod propterea congregari fecere, nobilem virum Babilanum Aurie nomine Sagonam transmisere vicarium. Qui cum quibusdam ex compagnis Ianue et tota Ianuensi milicia equitans, Arenzanum pervenit, ibique pernoctans, illucescente die festinavit Sagonam. Quam cum appropinquasset per miliare vel circa, plurium relatione[a] cognovit, senescalcum predictum die eadem de dictis partibus cum suo exercitu recessisse. Dictus vero vicarius gradiens velocius, intravit Sagonam, et post dictum senescalcum equitans, ipsum usque ad montes fuit cum Ianuensi milicia insecutus. Sane senescalcus ipse cum suo exercitu iam montes ascenderat itinerans vias suas. Quare iam dictus vicarius Sagonam rediens[b], paucis elapsis diebus, cum suo exercitu repatriare curavit.

Predicto eciam anno milites et pedites stipendiarii, qui apud Vezanum pro comuni Ianue tam pro inimicorum offensione quam eciam pro dicti castri custodia morabantur, audientes multitudinem militum et peditum de diversis partibus Tuscie, specialiter de Luche, Florencie, Pistoie et Aricii civitatibus, Sarzanam cum regio vicario advenisse, trepidaverunt timore, et adeo[c], quod quidam ex ipsis derelicto loco usque Clavarum devenerunt. Quo audito Obertus Spinula capitaneus comunis et populi Ianuensis, cum quibusdam hominibus de compagnis et Ianuensi milicia festino et celeri gradu equitans, peciit partes illas, et divertens Corvariam, ibidem diebus permansit aliquibus; habitoque inibi conscilio, quantitatem militum balistariorum et peditum ad expugnandum castrum Goani et ipsius debellationem transmisit. Dictum enim castrum pro quodam nobile, Alberto de Flisco comite Lavanie nomine, qui cum aliis extrinsecis Ianuensem exiverat civitatem regi Karolo adherendo, tenebatur munitum. Dicti namque milites balistarii ac pedites accedentes ad locum, castrum ipsum ceperunt viriliter expugnare. Dicti vero castri homines resistere non valentes, 19. Augusti se ipsos et castrum reddidere predictum, eisdem tamen securitate concessa; quo habito per homines Ianue et munito, regius vicarius, qui apud Sarzanam cum suo morabatur exercitu, videns quod nichil proficere poterat, set pocius sumptibus infructuosis ac laboriosis sudoribus se et suum vexabatur exercitum, Sarzanam exiens, Tusciam[d] cum suo devenit exercitu. Dictus vero capitaneus Ianuensis gradu rediens[b] illari, omnes de ipsius prosperis successibus exultarunt.

Eodem quippe anno castra quedam in dictis partibus posita, videlicet Beverini, Pulverarie et Vesigne, que Obertus Aurie Ianuensis capitaneus ceperat, capitaneorum mandato dirrupta fonditus et evulsa fuere. In dicto namque anno Conradus de Bosco intendens offendere Ianuenses, castrum Taioli ultra iugum positum, in alio quam esset a principio loco constructum mutari fecit et construi. Ipse namque et Ricardus et Leo marchiones de Bosco cum essent vasalli comunis ac eidem fidelitatem iurassent, fide rupta et fidelitate obmissa regi Karolo adheserunt, ac ipsius novum vasalaticum subeuntes, contra comune Ianue eidem fidelitatem iurarunt de terris quas a comuni Ianue tenebant in feudum; et sic eas amiserunt de iure. Dictus igitur Conradus de Bosco cum Alexandrinis et marchionibus ceteris ac eorum hominibus, Ianuenses offendebant pro posse. In homines enim de ultra iugum et potestaciarum Vulturis et Pulcifere semper cum locus aderat[e] irruebant, faciendo in ipsos quasi cotidie impetus et insultus. Qua ex causa capitanei comunis et populi Ianue virum nobilem Egidium de Nigro nomine ultra iugum eorum vicarium transmisere. Quo facto mense instante Septembris accidit, quod dum stipendiarii milites de orientali riperia redirent[f] ad propria, secreto fuit cum eorum capitaneis ordinatum, quod diebus aliquantulis in Gavio et locis circumstantibus morarentur, ac dictum vicarium sequerentur ac eiusdem in omnibus obedirent mandatis. Fuit eciam et tunc dicto mense videlicet 21.[g] preceptum Iacobo Aurie Vulturis potestati, ut cum sue potestacie et e iam potestatie Pulcifere homi-

a) rellatione I. b) reddiens I c) adheo I. d) Tusiam I. e) adherat I. f) reddirent I. g) XXI. *postea addito* I. I.

nibus pergeret apud castrum[a] Elme, ibique cum iam dicto vicario et peditibus de ultra 1273. iugum ac stipendiariis militibus conveniret, iturus[b] cum eis ad debellationem castri Taioli et dispersionem iam dictorum marchionum de Bosco; missique fuerunt cum ipso 100 balisterii de potestatia Bissanis. Qui potestas Vulturis[66] cum dicto movens exercitu per Cerexolum grediens, die eadem in solis occasu ad dictum castrum Elme[c] pervenit; inventisque ibi iam dicto vicario, castellanis Gavii et Palodii, militibusque stipendiariis, et aliis de ultra iugum peditibus, omnes predicti saniori conscilio firmaverunt, quod sequenti illucescente die ad debellationem et expugnationem castri Taioli iam dictus vicarius cum toto predicto festinaret exercitu. Factumque est, quod dum essent in via, dictumque per miliare vel circa appropinquarent castrum, ecce noncius[d] Thome marchionis Malaspine deferens ipsius marchionis sigillum occurrit eisdem, referens ex parte marchionis iam dicti, quod celeri gradu ad Wadam capiendam accederent. Erat enim Wada pro dimidia dicti[e] marchionis, eique ex successione matris pervenerat. Dictus vero vicarius de noncii relatione[f] gaudens, habito conscilio suum ordinavit exercitum. Erat quippe ille magnus exercitus; erant enim in ipso homines numero 2300 et plus ex potestatiis iam dictis, et de ultra iugum cum longis lanceis sexcentorum numerum excedebant. Erantque stipendiarii milites 350 numero et 100 balistarii de potestatia Bissanis. Dictus igitur vicarius animose vexillis[g] erectis equitans, ante portam Wade, que est subtus castrum posita, cum toto pervenit exercitu. Erat quidem dictum castrum dicti Thome, et per ipsum tenebatur munitum. Dictus vero Thomas dicti vicarii adventum intelligens, protinus extra portam occurrit eidem, ipsoque adloquuto, portam aperiri iussit[h], ut ipsi vicario et suo exercitui pateret ingressus; qua aperta iam dictus vicarius cum toto exercitu in manu forti die 23. dicti mensis intravit Wadam. Quo facto Ricardus et Leo marchiones de Bosco hoc videntes, per aliam portam de versus mercatum dorsa in fugam verterunt; quos fugientes milites stipendiarii insequentes ceperunt, ipsosque in forciam comunis Ianue consignarunt. Cumque Ianuam ducti essent et carceribus mancipati, iam dictus Ricardus extremum in ipsis carceribus clausit diem. Leo vero in ipsis permansit inclusus carceribus usque ad illam diem qua inter regem Karolum et comune Ianue pax extitit confirmata. Dicta vero adveniente pace, dictus Leo de fidelitate quam regi Karolo fecerat docens ac documenta hostendens, fuit a iam dicto carcere liberatus. Capta vero Wada, Conradus predictus in castro se reducens[i] Taioli, iam dictum vicarium cum suo prestolabatur exercitu; et[k] sic ex predictis de causis comune Ianue terram, quam in feudum pro comuni tenebant, sibi vendicavit. Eadem autem die Thomas iam dictus cum quantitate quadam balistariorum et militum ad castrum Mirobelli, quod suum erat pro dimidia, equitans, castrum ipsum et ipsius loci homines sub iurisdictione comunis Ianue et ad ipsius mandata reduxit[l]. Sequenti vero adveniente die, homines dicti loci et de Molariis Wadam venere, ibique comunis Ianue mandata iurarunt. Tercia vero die homines de Campis de Rusiliono et Maxono Wadam similiter perrexerunt, ac inibi mandata comunis Ianue iuravere. Tribus denique diebus elapsis cum homines de Taiolo et Usecio rebelles existerent et in sua pertinacia morarentur, ad expugnationem et debellationem castri iam dictus festinavit exercitus, ac ipsum oppressit preliis tota ipsa die usque vesperas, insultus plurimos faciendo in ipsum, ac ipsum continue preliando. Sero autem adveniente separavit se iam dictus exercitus et venit Wadam. Homines vero de potestaciis iam dictis, offensi pluries ab hominibus dicti castri, et eciam si sic remaneret adhuc expectantes offendi, ipsius castri captionem ac debellationem animose curabant; quare factum est quod per totam noctem ad lumen candelarum tractantes capturam, adveniente die edificiis ac machinis ad dicti castri debellationem constructis, die 29. dicti mensis ad expugnandum castrum ipsum iam dictus redivit[m] exercitus. Conradus vero marchio pro succursu Alexandriam properaverat. Castellanus vero, qui pro dicto Conrado ac ipsius castri custodia in ipso remanserat castro, videns redientem exercitum et machinas ad expugnandum paratas, timore perterritus[n], inpetrata securitate personarum et rerum, in manibus dicti Iacobi Aurie potestatis Vulturis reddidit dictum castrum. Dictus vero Iacobus dictum munivit castrum, ac iussit pro comuni Ianue custodiri. Quo facto dictus vicarius cum toto suo exercitu vexillis erectis versus castrum Uxecii equitavit. Homines vero dicti castri dictum

a) *alio tempore in marg. add.* 1. b) icturus 1. c) ad d. c. e. *in marg. post add.* 1. d) nocius T. 1. e) *post add.* 1. f) rellatione 1. g) vexilis 1. h) iubsit 1. i) redducens 1. k) et — vendicavit *postea in marg. addita* 1. l) redduxit 1. m) reddivit 1. n) pterritus 1.

66) facile auctor noster Iacobus.

1273. videntes exercitum ac timentes, in continenti se et dictum castrum in manibus dicti vicarii reddidere[a]. Quo habito ipse vicarius et exercitus universus rediere Wadam. Sequenti vero adveniente die redierunt Ianuam cum gaudio triumphantes.

Iam dicto eciam instante anno mense Decembris cum iam dictus Obertus Spinula vicarius esset occidentalis riperie et in capitaneum civitatis Astensium extitisset electus, Ansaldus Balbus, qui Ianuam redierat[b] de partibus orientalibus quarum administraverat vichariam, iterato loco dicti Oberti in occidentali riperia vicarius fuit missus. Qui tempus non expectans estivum, set ipso yemali tempore magnum parans exercitum, ad terras regis Karuli cum parato festinavit exercitu ad terras de Ulmea, et de Cupe, et de Pronasi, que terre omnes pro rege Karulo tenebantur, expugnans, licet laboriose propter temporis yemalis duritiem. Tamen sub comunis Ianue dominio et iurisdictione redegit: quorum locorum homines[c] mandata comunis Ianue iuravere. Munitis autem locis ipsis per iam dictum vicharium ac ipsorum pro comuni Ianue constituta custodia, idem vicharius gaudens Ianuam rediit et triumphans. Electus enim in Papiensem potestatem, iturus erat in proximo ad ipsius regimen civitatis.

1274. Currentibus quoque annis domini nostri Iesu Christi 1274. successerunt inferius annotata.

Eo quippe anno quidam civis Anconitanus, Symon Bonoardi nomine, qui antea capitaneorum iudex extiterat, ipsorum capitaneorum consensu et populi opere civitatis Ianue potestatiam gessit. In dicto autem anno mense Martii existente, Astensium milites ad cuiusdam castri debellationem Coxani nomine equitaverunt. Erat enim castrum illud latronum spelunca ac receptaculum perversorum offendentium transeuntes. Cumque castrum appropinquassent predictum, senescalchus regis Karoli antea paratis insidiis, sic ipsos circumdedit, quod ex ipsis nullus evasit militibus. Ipsi autem non credebant hoc evenire posse nec etiam debere per dictum senescalchum offendi propter instantes treugas, quarum nondum tempus effluxerat inter Karolum regem et comune Astense dudum antea initas et firmatas. Dictus vero senescalcus dictis treuguis non obstantibus ipsos omnes cepit ac carceri mancipavit. Cumque ex regio mandato pro dictorum relaxatione militum pacta nedum dura, set durissima, idem requireret senescalcus, elegerunt potius in ipsis subire mortem carceribus, quam ipsius senescalci petitionibus consentire.

Eodem anno cum G. marchio Montisferati regi Karolo contrarius, civitatum et locorum Lombardie ac ipsorum Lombardorum regi Karolo adherentium offensionem curaret, accidit quod rex Castelle pro dicti marchionis generi sui subsidio magnam ad partes Lonbardie militum quantitatem transmisit. Qui in Ianuensibus adducti navibus, Ianuam declinarunt, ibique cum honore recepti, per quam plures moram traxere dies, deinde dicti marchionis mandato Lonbardiam intraverunt. Eodem etiam anno mense, existentibus marchione Montisferati, ambaxatoribus comunis Ianue et comunis Astensis in civitate Papie, inter ipsum marchionem et ambaxatores dictarum civitatum nomine dictorum comunium et Papiensium civitatem contra regem Karolum et sequaces tractata fuit sotietas certis pactionibus intervenientibus et firmata, in quibus comune Ianue precipuum in fatienda pace ad libitum, sine aliis, et etiam in quibusdam aliis habuit, que hic enarrare obmisimus, quia de ipsis superius commemoratio facta fuit. Iam dicto etiam currente anno castrum quoddam, castrum Lombardum nomine, in Corsica loco ubi dicitur Aiactio, constructum a Ianuensibus et munitum, per galeas mandato regis Karoli armatas in Marsilia et Provintia captum fuit. Quo audito comune Ianue galeas 22 armari fecit pro iam dictis galeis Provintialium persequendis. In galeis autem Ianuensium constitutus fuit quidam civis, Lafranchus Pignatarius nomine, admiratus; qui cum dictis movens galeis pervenit Corsicam, galeas Provintialium persequendo. Cumque ipsas per diversa quesivisset loca, certioratus quod Provintiam redierant atque deposuerant armamenta, versus Sciciliam vexillis eiectis cum suo properavit stolio galearum; et portum intrans Trapane, ligna et omnia que in ipso erant portu, igne succendi iussit, ac ipsi civitati Trapane inferendo[d] dampna plurima, ipsam per mare undique expugnavit. Exinde autem ad insulam Malte properans, Gaudium depopulavit ipsius, circuiens[e] deinde Sciciliam, Messanam devenit, ibique plura cepit ligna; tenendo autem sic illius regni mare infestum, non audebant aliqua ipsius regis ligna apparere in mari quin

a) reddiere I. b) reddierat I. c) *hic lacuna dimidiae lineae relicta est* I. d) inferrendo I. e) circuens I.

continuo capta essent. Properans autem Neapolim, ubi ipse rex Karolus morabatur, galeis insimul omnibus in mari ipso existentibus ac appropinquantibus prope terram in conspectu dicti regis, voce alta ipsarum galearum homines insimul acclamantes, laudem comunis Ianue elevarunt. Neapolitani vero prope ripam existebant armati, timentes ne homines galearum in terram descenderent et dampna inferrent eisdem. Cum autem dictarum galearum homines plurium orarum diei spatio laudem comunis Ianue altis et elevatis vocibus acclamassent, iussit admiratus galeas omnes per ipsum mare seriatim, unam[a] post aliam, remigari; cuius observato mandato, ipsarum galearum homines insignia regia et vexilla submergebant in mari, ac in ipsius regis contemptum et ipsius et suorum conspectu per mare post galeas vexilla ipsa regia ligata funibus detrahebant. Quo quidem magno temporis spatio observato, separans se cum galeis omnibus, versus Ianuam gressus suos direxit. Cum autem versus Ianuam properaret, ligna quam plura hominum regni ipsius regis Karoli cepit; et portum intrans Ianue cum galeis omnibus, ligna et bona quam plura hominum dicti regni et quam plures ipsius regis homines captivos adduxit, quibus presentatis, elapso triduo capitaneorum mandato ac voluntate comunis Ianue et populi libere sunt permissi abire. In predicto etiam anno voluntate cardinalium summo consentiente pontifice ad regis Romanorum electionem Alamanie principes ad quorum[b] spectat electio processerunt, ac oculos in Rodulfum comitem unanimiter direxere. Cuius electione per iam dictos principes et confirmatione summi pontificis solempniter celebratis, coronationis sue munus optatum tam per solempnes nuntios quam litteras pluries requisivit, neque tamen ad ipsum pervenire potest[c]. Eodem vero anno quidam nobilis[d], Ansaldus Luxius nomine, missus vicharius pro comuni Ianue in riperia occidentis, magnum inibi congregavit exercitum, cum quo mense Madii dicti anni versus castra comitis Guillielmi de Vintimilio accedens, ipsa debellavit et vicit, ac totam ipsius recuperavit terram. Tenebantur enim pro rege Karolo, qui ipsa a dicti comitis consortibus titulo emptionis habuerat, et pro ipso tenebantur munita. Quibus recuperatis et habitis, extiterunt dicto comiti et fratribus restituta. Quibus peractis cum dicto se movens exercitu, ad castrum pervenit Mentoni. Erat autem castrum illud Guiliermi Venti, qui bannitus cum aliis extrinsecis civitatem exiens regi Karolo adherebat, in cuius posse dictum tradiderat castrum. Cumque ad castrum ipsum dictus vicharius cum dicto accessisset exercitu, ipsum cum hedifitiis trabuchis et machinis factis propterea viriliter expugnare cepit. Quo audito die .... Iulii senescalcus Provintiae festino gradu cum magna quantitate militum et peditum pro dicti castri subsidio equitavit. Cumque pervenisset ad locum, iam dictus vicharius cum suo exercitu dorsa vertens declinavit de bello; in quorum vicharii et exercitus fuga quam plures ex Ianuensium exercitu tam calore quam fatigatione fuge periere. Cumque capitaneis comunis Ianue et Ianuensis populi forent que evenerant nuntiata, Nicolaum Aurie capitanei fratrem pro tanti reparatione conflictus et riperie subsidio in ipsam transmiserunt[e] occidentalem riperiam. Galee etiam .... numero in Ianuam armate fuere, quas Obertus Aurie capitaneus ascendens, partes visitavit easdem. Deinde cum dictarum galearum stolio pro inimicorum offensione intravit Provintiam. Denique cum ad insulas Arearum habuisset accessum, in barcha quadam armata propterea nuntium recepit et litteras ut Ianuam celerime faceret reditum continentes ac nuntiantes eidem armamentum 40 galearum regis Karoli in regno venientium Ianuam factum fore. Qui capitaneus cum suo galearum stolio dictis auditis rumoribus Ianuam repatriavit. Post reditum autem iam dicti capitanei diebus elapsis aliquibus, 40 dicti regis Karoli galearum stolium ante portum Ianue accessere; in quibus Franciscinus de Grimaldo existebat, et etiam quam plures alii Ianuenses. Capitanei quidem Ianue in continenti armari fecerunt omnes quas potuerunt habere galeas, et que potuerunt in Ianua reperiri que quidem fuerunt numero ...., quas quidem iam dictus Obertus Aurie capitaneus festinanter ascendens, ac cum ipso copiosa hominum multitudo, contra galeas regias obviam exiens stetit in ipsius portus introitu ante ipsas. Advesperascente autem et declinata die ipse regie galee erectis velis versus Provintiam perrexerunt. Diebus autem elapsis aliquibus versus regnum per pelagus redeuntes, apud Portum Venerem diverterunt,

a) una 1. b) *supple* munus, ius, officium. c) nunquam t. a. i. p. potuit toto tempore vite sue. *ita alio atramento correcta* 1. *igitur non ante annum* 1291; potest *in primo textu divinari tantum potest.* d) de Spinolis *in marg. addita posteriori manu* 1. e) transmisserunt 1.

1274. insulamque in mari positam ante portum ipsum incendio concremarunt, ibique moram diei unius trahentes, ac de ipsis partibus recedentes, redierunt in regno.

Predicto etiam currente anno mense Aprilis 300 Aragonenses milites, quos rex Castelle in Lombardiam mittebat[a], in Ianuensium adducti navibus Ianuam applicarunt. Deinde versus Lombardiam euntes, ad marchionem Montisferati habuerunt accessum.

Eodem quippe anno milites armis decorati ac equis muniti etiam 900 numerum excedentes, a rege Castelle versus Lombardiam transmissi et in Ianuensium adducti navibus, mense instante Novembri Ianuam applicarunt, deinde Lombardiam ad quam missi fuerant perrexerunt[b].

Dicto etiam instante anno 26. Septembris felicis memorie Gualterius archiepiscopus Ianue, genere nobilis, ornatus moribus, vite sinceritate laudandus, Deo etiam et hominibus cordis puritate amabilis, soluto carnis debito migravit ad Dominum, ac liber celum petiit terrenis exutus. Eodem denique anno Gregorius papa X, origine Placentinus et de quo superius commemoratio facta est, movens de Viterbio cetu cardinalium et aliorum prelatorum quam plurium sotiatus, ac per Placentiam Mediolanum, ac etiam per ceteras Lonbardie partes equitans, Lusanam civitatem et Lugdunum devenit; ibique congregata multitudine prelatorum celebratoque concilio quam plures promulgavit constitutiones et edidit. In dicto anno idem papa Gregorius X. civitatem Ianue ecclesiastico supposuit interdicto, hoc procurante domno Ottobono cardinali, dicente, comune Ianue ipsius Ottoboni possessiones quasdam occupatas tenere.

Eodem etiam anno ambaxatores Palialogi imperatoris Grecorum dicto interfuere concilio, ibique obedientiam summi pontificis et Romane ecclesie ac ipsorum perpetuo stare mandatis iuramentis intervenientibus promisere; antea enim longo tempore inter Grecos et Romanam ecclesiam super quibusdam fidei articulis scisma[c] extiterat.

Nuntii etiam Rodulfi in regem Romanorum electi in ipso interfuere concilio, ad quorum instantiam electionem de dicto Rodulfo factam per Alamanie principes, qui ipsum in regem Romanorum elegerant, summus pontifex confirmavit. Ad ipsum etiam concilium comune Ianue solempnes ambaxatores transmisit, qui in ipso interfuerunt concilio.

1275. Labentibus vero annis Domini 1275. existentibus capitaneis comunis et populi Ianue viris honorabilibus Oberto Spinula et Oberto Aurie, Symon de Ancona civitatis Ianue potestatiam conscendit.

In eodem etiam anno rex Castelle audiens papam Gregorium apud Lugdunum et Lusanam moram traxisse, et ibi celebrasse concilium, et quod in ipso nuntii dicti Rodulfi regis extiterant, movens se de partibus suis et regnum suum exiens, versus partes illas personaliter equitans properavit, atque ad partes Belicardi secessit. Causa vero sui adventus ea fuisse dicitur. Videlicet quia et ipse de Romano imperio contendebat, asserens se iam diu in Romanorum regem electum, et quod ad ipsum iura imperii pertinebant. Dictus vero papa Gregorius audiens de adventu regis Castelle, separato et licentiato concilio, versus Belicardum ubi rex Castelle venerat, suos direxit gressus, ibique cum dicto rege Castelle convenit, cum ipso ineundo plura secreta colloquia. Cumque capitanei comunis et Ianue populi intellexissent regis Castelle adventum, volentes ipsum honorare regem, ipsum per ambaxatores solempnes visitare curarunt; quibus apud Belicardum existentibus, dicti papa et rex secreto pluries simul alloquuti fuerunt. Quid autem simul ordinaverint vel utrum concordes extiterint, pro certo sciri non potuit. Elapsis tamen diebus aliquibus dictus rex repatriare intendens, dimisso inibi summo pontifice, ac loca illa egressus, in suam rediit regionem. Ferebatur verumtamen comuniter inter omnes, iam dictum regem concorditer a summo pontifice discessisse, et quod idem rex Romano abrenuntiavit imperio. Utrum
67 tamen talis fuerit falsa vel vera relatio, ignoratur[67]. Nam idem rex semper postea et usque ad hec tempora[68] in privilegiis et litteris que de sua manabant curia, rex Romanorum se[d] scribi faciebat. Eodem anno cum Terdonenses essent in obsessione Serravallis, per marchionem Montisferati et Astensem militiam[e].

a) mitebat 1. b) perexerunt 1. c) sisma 1. d) describi 1. 2. e) *dimidia columna vacat* 1.

67) cf. Raynaldi Annales h. a. 13—15. 68) obiit a. 1284.

Currentibus quoque annis Domini 1276. evenerunt inferius annotata. Dicto quippe 1276. anno iam dicti capitanei civitatem rexerunt. Symon vero de Ancona nominatus superius regimen potestatie exercuit.

Eodem anno cum papa Gregorius X. exisset Lugdunum et Lusanam, in quibus concilium celebraverat, ac partes Belicardi ubi cum rege Castelle convenerat reliquisset, Romam repetens, Aretii civitatem divertit, ibique infirmitate oppressus migravit ad Dominum. Cui successit in sede quidam cardinalis de ordine Predicatorum[a], et Burgundiensis origine, qui in summum electus pontificem, Innocentius V. voluit nominari. Hic dilexit capitaneos comune et populum Ianue; quam primum enim sua fuit electio celebrata, confestim civitatem Ianuensem suis litteris visitavit, et fuerunt secunde que post eius electionem de ipsius curia emanarunt. Sic enim veloces ipse fuerunt littere et sic festinanter transmisse, quod bulla ipsius pontificis nomine carebat, eo quod nundum condita erat bulla continens nomen eius. Dictis namque litteris capitaneos comune et populum requisivit de celeri solempnium ambaxatorum missiva; toto enim corde et animo agitabat regem Karolum et dictum Ottobonum cardinalem et alios qui Ianuensem exiverant civitatem ex parte una, et comune Ianue ex altera, ad pacem vel saltem ut treuguas subirent si posset adducere. Capitanei vero populus et comune votis summi pontificis annuentes, solempnes ambaxatores miserunt[b], videlicet Guidonem Spinulam, Babilanum Aurie, Lafrancum Pignatarium et Iohannem de Hugolino iuris peritum. Qui papalem devenientes curiam, recepti sunt honore eisdem attributo non modico. Ipsis namque ambaxatoribus ac rege Karolo, Ottobono cardinale, et aliis qui civitatem exiverant, in ipsa papali existentibus curia, idem summus pontifex, habitis cum utraque parte colloquiis pluribus, ad componendum inter partes ipsas multipliciter laboravit. Finaliter tamen divina eidem favente gratia, predictos omnes reduxit ad pacem. Idem vero papa Innocentius cum infirmus iaceret in lecto, et gravi morbo languesceret, audiens firmatam fore pacem quam inter iam dictas partes diu tractaverat, se inde repletum gaudio et vehementer letari, inditiis demonstravit et signis. In auditu enim pacis iam dicte, que ipsius fuit auribus nuntiata, in lecto se erigens, quo cubabat, resedit, et sursum manibus elevatis agens gratias Dominum benedixit. Postea vero de ore eius verbum non prodiit, et transiens occubuit ac obdormivit in Domino. Cumque sedes vacaret apostolica, iam dictus Ottobonus cardinalis, qui de Ianuensi civitate originem ex illis de Flisco traxerat, cuius pater Thedisius de Flisco comes Lavanie vocabatur, qui Thedisius frater pape Innocentii IV. extiterat, in summum fuit electus pontificem, cuius 11. mensis Iulii dicti anni fuit electio celebrata, cuius nomen Iul. 11. vocatum est papa Adrianus. Ipse quoque in continenti post electionem ipsius civitatem Ianue, quam papa Gregorius in 1274. ad ipsius tempore sui cardinalatus requisitionem supposuerat interdicto, absolvit ac idem relaxans interdictam civitatem ipsam ad divina restituit[69]. Idem denique Adrianus papa dignitatem sacerdotii non attingit, set trigesima 69 quinta die post electionem ipsius, et antequam sacerdotii consecrationem reciperet, obdormiens in Domino viam est universe carnis ingressus.

In iam dicto anno victualium magna fuit penuries nedum in Ianua et districtu, set etiam in Lonbardia, Tuscia, Provintia et Francia, et quasi in Ytalia tota. In Ianua enim et districtu usque in solidos 40 frumenti mine singule vendebantur; quod autem durius est audire, nedum frumentum set nec etiam granum poterat reperiri. Qui enim granum habebant, illud ad libitum vendere potuissent, quantumcunque voluissent inde habere pretium; nisi iussio emanasset qua fuit cunctis inhibitum, ne ultra certam summam frumentum vel granum aliquatenus venderetur. Tanta autem victualium inedia[c] nedum per totum illum annum set etiam quasi per totum sequentem regnavit, quod homines fame peribant. Qua ex causa urgente fame et fructuum paupertate, magna mulierum et hominum multitudo cum eorum familiis etiam parvulis quos in cunabulis deferebant, fines Lonbardie, Tuscie, Provintie et totius Ytalie famem fugientes est egressa. Ex diversis quidem civitatibus locis et villis et quasi ex totius Lonbardie et Ytalie finibus homines mulieres magni et parvuli undique concurrebant, qui quasi fame consumpti velud mortui apparebant. Qui omnes habuerunt ad civitatem Ianuensem recursum, et quamquam Ianuensis civitas magna victualium laboraret inopia, tamen ad se fugientes non repulit; set ipsis miseris et oppressis fame

a) frater Petrus de Tarentaxio *addit* 2. b) misserunt 1. c) *ita* 1. 2. inopia *ed.*

69) Idem papa Adrianus V. pacem inter Carolum regem et Ianuenses, mediante praedecessore suo Innocentio V. factam die 10. Kal. Aug. confirmavit. Lib. iur. I, p. 1428. W.

1276. compatiens manum aperuit, et panem suum et omnia neccessaria eisdem esurientibus ministravit. Illo quippe anno et quasi toto sequenti aer infectus et pestilens celum fuit, et ad hec in omnibus iam dictis partibus morbus invaluit, quod infinitos homines et mulieres magnos et parvos fere in omnibus Ytalie partibus mors invasit.

Eodem quoque anno cum per mortem pape Adriani felicis memorie sedes vacaret apostolica, quidam cardinalis Petrus de Tolleta nomine Yspanus natione Portugalensis in summum fuit electus pontificem, ac Iohannes XXI. vocatum est nomen eius. Eodem anno 29. mensis Iulii occaso sole terra tremuit, et terremotus magnus invaluit.

In ipso siquidem anno cum per mortem Gualterii Ianuensis archiepiscopi felicis memorie pastore Ianuensis vacaret ecclesia, quidam clericus Bernardus nomine natione Parmensis, in Romana qua morabatur curia ad archiepiscopatum Ianuensem promotus, Ianuam veniens 6. Septembris, quodam die dominico dicti anni dyademato capite et paramentis circumdatus, equitans civitatem intravit; cui honor tantus est attributus, quod omnes layci et clerici in ipsius civitatis introitu occurrerunt eidem, religiosi et monaci quilibet in sue professionis habitu, clerici vero seculares paramentis ornati, bini ante ipsum psallentes divina cantica et pedibus ambulantes preibant. Ipse autem corona et paramentis ornatus per duos nobiles precedentes pedestres[a], qui frenum in quo sedebat equi tenebant, manibus ducebatur. Comitabantur vero ipsum Ianuenses nobiles universi, qui sedentes in equis bini sequebantur eundem. Sic autem honoratus incedens, Ianuensem est ingressus ecclesiam; quam oratione completa exiens, archiepiscopale intravit palatium. Ipse vero archiepiscopus nec comuni fuit nec populo gratiosus.

Eodem vero anno cum interveniente pace superius memorata, et illis de Flisco et Grimaldis ac ceteris eisdem adherentibus civitatis pateret ingressus, reconciliati ac civitati proprie restituti repatriare curarunt. Factumque est, quod eodem anno quidam ex eis, Nicolaus de Flisco nomine, Lavanie et palatinus comes, comuni Ianue vendidit Vezanum, Carpenam, Insulam et Vesignam, Manarolam, Speciam et Civegnam, et alia castra iura et loca quam plura, librarum 25 milium pretio. ‹ Quod per comune Ianue et de ipsius peccunia eidem Nicolao fuit integre, certis assignatis terminis, persolutum, sicut ex instrumentorum tenore de solutionibus ipsius et dicta venditione factorum apertius continetur. Que quidem instrumenta omnia Domini nostri 1276. labentibus annis, ac 27. die Novembris instante, Benedictus de Fontanegio notarius annotavit et propria manu conscripsit. Que 70 etiam instrumenta capitaneorum mandato registrata dicuntur[70]. Eodem quoque anno apud modulum in loco qui dicitur Fontanella, darsana incepta fuit hedificari et construi.

1277. In[b] tempore dicte potestatis 1277. die 21. Ianuarii cum archiepiscopus Mediolanensis de progenie Vicecomitum et multi alii eiusdem civitatis nobiles exularent[c], et Napuleonus ac Franciscus de Turri et alii de ipsorum progenie amicis eisdem faventibus civitatem ipsam ac districtum sub eorum tenerent dominio, accidit quod utraque pars se paravit ad prelium. Cumque idem archiepiscopus cum aliis qui civitatem exiverant et cum amicis et omnibus quos in suo potuerat congregare subsidio, versus Mediolanum manu armata equitans properaret, dicti Napuleonus et Franciscus de Turri et alii amici et sequaces eorum obviam occurrerunt eidem; factumque est quod apud quendam burgum qui nominatur Dexe uterque pervenit exercitus, ibique se ad invicem invadentes, fortiter et acriter dimicarunt, ac magnum et durum extitit prelium inter eos. In quo quidem prelio pars illorum de Turri subcubuit. Ex utraque tamen parte strages magna hominum data fuit, ibique Franciscus de Turri peremptus gladio et occisus, Napuleonus vero et quidam alii de ipsius progenie, ac ipsius Neapuleoni filius Musca nomine et quam plures ipsorum amici qui adherentes eisdem partem ipsorum favebant, capti fuerunt personaliter et detenti. Archiepiscopus namque iam dictus et alii qui exulantes exiverant cum sequacibus et amicis tanta illuminati victoria, equitantes celeriter Mediolanum intrarunt, ac ipsum devictis hostibus sub eorum redigerunt dominio. Napuleonem vero de Turri et ceteros captos duro carceri manciparunt.

Predictis explicitis aperiamus que 1277. evenerunt.

Isto quoque anno quidam Parmensis legista, nomine Rogerius de Guidisbobus, regimen potestatie Ianuensis civitatis exercuit. Super ipsum autem et ceteros magistratus ac cives

a) *ita ed.*; pedester 1; pedestri 2. b) *quae sequuntur in libro superiora post* gratiosus *excipiunt, et hic sistenda esse indicatur in margine* 1. c) In — exularent *in loco raso alia manu* 1. 70) Lib. iur. I, p. 1436—1449. W.

et districtuales omnes iam dicti capitanei presiderunt[a]. Eodem vero anno quodam die 20. Madii in vigilia ascensionis Domini in nocte Iohannes XXI. papa quem supra memoravimus cum in sua resideret camera, ipsius camere sive domus ruina hedifitium dissolutum ruens illum summum oppressit pontificem, et infra triduum migravit ad Dominum, et vacavit ecclesia mensibus 6 et diebus 7. Anno currente eodem quam plures nobiles Ianue illorum de Flisco et Grimaldorum progenie, et qui alias superveniente pace memorata superius restituti extiterant, et quidam alii nobiles civitatem egressi, banno fuerunt adscripti perpetuo. Inculpati enim de capitaneorum turbatione et populi, ad quam intendere dicebantur, non ad sui licet citati purgationem venire, sed omissa[b] defensione qualibet abiere. Quidam vero alii, qui suspecti et tanti criminis participes credebantur, confinati fuerunt, quos longo tempore obedientes observarunt confines. Tandem ab ipsis soluti[c] confinibus, amicorum rogaminum interventu repatriandi licentiam impetrarunt. 1277.

Dicto instante anno Thomas marchio Malaspina partem suam, videlicet dimidiam, quam in Ovadam habebat, et plura alia loca et castra comuni vendidit librarum decem milium pretio, quod idem marchio a comuni et de comunis peccunia certis et statutis terminis habuit et recepit. De ipsa etiam venditione dicto millesimo, 16. Aprilis, Lafrancus de Valerio notarius publicum composuit instrumentum[71].

Eodem quoque anno Thomas marchio de Ponzono vendidit comuni et tradidit librarum 1500 pretio partem quam in Varagine habebat et possidebat pro sua, videlicet sex decenas. Ipsius autem venditionis instrumenti fuit compositor Benedictus de Fontanegio notarius, qui illud dicto millesimo, die 15. Iunii, manu propria annotavit[72]; quod quidem 72 instrumentum dicitur registratum. In dicto anno Guido de Vezano et Guilielmus frater eius et duo eorum consanguinei iura quedam que in Vezano habebant, vendiderunt comuni[73].

Ipso etiam anno cum due galee Pisanorum ivissent armate Constantinopolim, et ibidem moram traherent, aliqui ex illis galeis fecerunt insultum in duos Ianuenses, qui intus Constantinopolim erant. Ianuenses vero qui erant in Peyra, hiis auditis, illuc cucurrere[d] velociter, et aliquos ex Pisanis contumeliis afflixerunt; quare ipsi Pisani de dictis duabus galeis unam fatientes, cogitaverunt intrare in mare maius et in Ianuenses, qui ibi erant in magna quantitate, offensiones inferre; et intrantes pervenerunt Sinopi[e], expectantes tempus et locum offendendi. Ianuenses vero qui erant ibi in Peyra, in continenti paraverunt armare unam galeam, que iret post ipsam Pisanorum galeam. Set interim galea Bancheriorum honerata mercationibus de Ianua applicavit in Peyra; et auditis predictis, in continenti insequi cepit predictam Pisanorum galeam, et ventis prosperis in Soldaiam pervenit. Dumque ibidem moraretur, ecce quod supervenit predicta Pisanorum galea in vigilia beate Marie de mense Augusti. Nostra vero exiens eidem obviam, prelium inter ipsas est commissum durissimum in conspectu hominum Soldaie. Nam cum prope terram per miliare unum esset prelium incoatum, omnes exiverunt videre; sicque Domino concedente nostra galea inde victoriam reportavit; et acceptis mercatoribus Pisanis, qui supervixerant ex ipso prelio, et positis in terra cum eorum mercibus, galeam Pisanorum in conspectu omnium combuxerunt.

Anno currente 1278. plura et varia evenerunt, que ad memoriam stilo[f] describi digna creduntur. 1278.

In dicto anno Rogerius de Guidobobus, quem superius memoravimus, continuavit precedentem honorem. In dicto enim anno civitatis Ianue potestatiam obtinuit, presidentibus tamen super ipso et omnibus capitaneis antedictis. Eodem quoque anno Murruel Malaspina et fratres, filii quondam Conradi marchionis Malaspine, comunis Ianue feudatarii et vassalli, acceptorum benefitiorum et iuramenti fidelitatis, quibus comuni tenebantur, immemores, cum aliquibus de Flisco, scilicet Alberto filio quondam Thedisii, et filiis suis Manuele et Egidio, et Frederico fratre eius, Grimaldis et aliis qui civitatem exiverant, confederationem contra comune Ianue firmavere. Dictus igitur Murruel et fratres cum aliis qui civitatem

a) psiderent 1. b) ommissa deffensione 1. c) solutis 1. d) cucurere 1. e) siropi 1. f) stillo 1.

71) Lib. iur. I, p. 1457. W. 72) sed d. 15. m. Ianuarii in diplomate ipso, cf. Lib. iur. I, 1449. W. 73) ibid. p. 1460 sq. W.

1278. exiverant, et cum quibus confederationem inierant, congregato exercitu cum 1200 peditibus et militibus 300 ad ducatum dictorum bannitorum, qui civitatem exiverant, quadam die 26. mensis Martii dicti anni post vesperas manu armata burgum Clavari intravere, ac burgum ipsum in eorum habentes posse, in ipso biduanam moram cum dicto traxere exercitu, inibi dampna inferendo quam plura, tam in vini effusione[a] et olei, quam etiam incendiis, violentiis, spoliationibus et rapinis. Quo audito mirati sunt universi. Confestim tamen omni precisa mora Obertus Aurie capitaneus comunis et populi cum societate decenti ac magna militum et peditum quantitate, armata manu et vexillis erectis civitatem egrediens, ac versus Clavarum equitans, Rechum pervenit, ibi suum expectans quem prestolabatur exercitum. Quatuor etiam galee confestim armate propterea Clavarum pervenere; remigio quippe terram descendere nequiverunt, ipsum tamen mare sic tenuere obsessum, quod per mare burgum ipsum nemo intrare poterat vel exire. Transmissi etiam fuerunt viri quam[b] per villas et loca, per que predicti venerant et per que posse viderentur redire, ut stratas et vias sic destruerent et loca et passus sic munirent et villas, quod eis non pateret recessus. Nempe dicto capitaneo in Recho cum suo existente exercitu, ac se parante versus Clavarum equitare, dictus Murruel et alii banniti qui civitatem exiverant, timentes iam dicti capitanei eisdem nominatum[c] adventum, 28. dicti mensis burgum Clavari relinquentes, ac per viam inopinatam et quam nemo cogitare poterat recedentes, in vallem Trebiam devenerunt, ibique disperso exercitu ivit quilibet vias suas. Capitaneus vero iam dictum burgum Clavari cum suo intravit exercitu, ibique diebus aliquantulis traxit moram. Deinde ultra progrediens cum suo exercitu versus castrum Erchole dicti Murruelis et fratrum, melius et carius quod haberent, equitans properavit, et castrum ipsum ac circumstantia loca considerans, eidem parare obsessionem putavit, ac ad ipsius debellationem et expugnationem intendere. Cumque inibi diebus aliquantulis permansisset, et in partib s illis quemdam nobilem Manuelem de Nigro nomine constituisset vicharium, repatriare curavit; quem civitatem intrantem omnes cum honore receperunt et gaudio.

Quibus peractis capitanei et populus universus cogitarunt inimicos offendere; et consilio habito Papiam pro stipendiariis militibus transmisere, qui Ianuam venientes, ad dictum transmissi vicharium perrexerunt. Dictus quoque vicharius cum suo exercitu et militibus supradictis ad dicti Murruelis et fratris offensionem intendens, castri Hercule territorium cum suo intravit exercitu, ipsum totaliter devastando. Alias etiam terras villas et loca dicti Murruelis et fratrum ultra Macram[d] posita, dictus vicharius cum iam dictis militibus et suo exercitu pluries requisivit, invadendo ea et excurrendo et offensiones inferendo quam plurimum.

Dum autem per dictum vicharium talia agerentur, Albertus Malaspina et Franciscus, quos dictus Murruel et fratres violenter bonis propriis spoliatos tenebant, Ianuam accedentes, cum capitaneis et comuni super offensione dictorum Murruelis et fratrum pactis certis intervenientibus convenerunt. Sicque factum est quod eisdem Alberto et Francischo concessi sunt milites, et pro habendis stipendiariis militibus ministrata peccunia; quibus habitis guerram dicto Murrueli fecerunt et fratribus, ac in valle Trebia et valle Borberie plures intulere offensiones eisdem. Cum autem dicti Murruel et fratres per comune Ianue sic procurarentur offendi, ac per dictos vicharium et ipsius exercitum et alios stipendiarios milites Astenses et Papienses, necnon et alios, marchiones Albertum scilicet et Francischum, guerra continua gravarentur, nolentes nec valentes guerram substinere, comunis de concordio cogitarunt. Intervenientibus itaque dictorum marchionum amicis, ad ipsorum requisitionem et instantiam capitanei consuluerunt amicos, et consensu super hoc requisiti consilii Manfredo Malaspine dicti Murruelis fratri[e] ad civitatem Ianue securum concessere accessum. Qui veniens capitaneos et amicos ac ipsorum consilium de concordio requisivit, et ad concordium obtinendum instanter intendens, pluries per se et alios fuit capitaneos adlocutus. Finaliter tamen deliberato consilio et populi voluntate firmatum fuit tale con-
74 cordium inter partes[74]. Videlicet quod hinc inde preteritis relaxatis offensis, de non inferendis[f] futuris firmavere pacta et promissiones omnes sollempnes. Promisit etiam dictus Manfredus suo et fratrum suorum nomine bannitos comunis non receptare ulterius, nec

a) effussione 1. b) *excidit fortasse* plures. c) *ita* 1. *fortasse* nuntiatum. d) matram 1. e) fratris 1. f) inferrendis 1.

74) Instrumentum inde confectum v. in Libro iurium I, p. 1466 sqq.

pati ipsos in eorum receptari districtu. Et quod Alberto et Francisco marchionibus Mala- 1278.
spina castra ville burgi et loca omnia quibus per dictum Murruelem et fratres tenebantur nudati, in eo statu in quo erant, restituerentur eisdem. Comune tamen pro dictorum recuperatione castrorum solvit dictis Manfredo et Murrueli fratribus libras mille, de quibus libris mille comune Ianue dictis Alberto et Francisco gratis et liberaliter remissionem fecere. Dicti etiam fratres Murruel scilicet et Manfredus aliique consortes castrum Arcule, burgum territorium iura omnia atque villam pretio librarum septem milium concesserunt comuni. Propterea receperunt et ex pacto vendiderunt et tradiderunt comuni[75]; quod quidem 75
amarum fuit et triste Murrueli predicto. De dicta autem venditione Lanfrancus de Valerio notarius die 25. Iunii dicti anni instrumentum publicum annotavit, quod quidem instrumentum extitit registratum. Predicta autem quod attenderentur, et specialiter de restitutione facienda Alberto et Francisco de eorum terris castris et villis iuravit in anima sua et Murruelis iam dicti Manfredus predictus in congregato propterea consilio generali. Dictus vero Murruel in attendendis promissis sicut ex eventu apparuit fraudem excogitavit mirabiliter. Facta enim iam dictis Alberto et Francisco dictorum restitutione locorum, antequam per ipsos muniri possent, idem Manfredus post triduum ipsa omnia castra villas et loca iterato invasit, ac ipsos Albertum et Franciscum ipsis omnibus spoliavit.

Anno quoque iam dicto 15. mensis Septembris Karolo, Taranti[a] principis ac Karoli regis filio, cum uxore filiis et sotietate decenti et sex armatis galeis portum Ianuensem intrante, fuit honor per capitaneos comune et populum attributus non modicus. Receptus enim fuit in palatio in ripa iuxta Clapam constructo, in quod prandendi et quiescendi causa cum uxore et filiis et magna sotietate descendit; quam plura quoque donaria, panem videlicet, vinum, boves et arietes, ova, fructus, caseum atque pullos, ac necessaria omnia ipsi et omnibus galeis, et qui comitabantur[b] eundem, dicti capitanei comune et populus transmisere[c]. Supradicto vero prandio aliquantulum requievit, deinde cum uxore et filiis et aliis qui cum eo descenderunt, iam dictas reascendit galeas, et tunc iterato panni serici eidem et alia donaria transmissa fuere. Exiens vero portum, navigio intravit Provintiam. Die nempe 8. mensis Octubris anni iam dicti a mane usque fere meridiem de celo pluvie facta sunt, que quidem invaluerunt in tantum, quod inauditum diluvium induxerunt; numquam enim nostris temporibus similis aquarum inundatio visa fuit. In contrata enim campsorum decem palmis altior fuit aqua, in contrata etiam fontismarosi adeo inundavit, quod portam muri civitatis tunc clausam fregit et stravit per terram. In contrata vero porte vacharum in tantum crevit et valida fuit aqua, quod fere civitatis muri porta que cognominatur vacharum et turres ibi posite dirruerunt; terram enim ipsarum turrium sic undique elimavit et fodit, quod fundamenta ipsarum omnia apparebant. Ex ipsius etiam vi aque muri domus et hedifitia dirruere quam plura.

Eodem quoque anno 7. Decembris quedam navis Malonum honerata grano, circa vesperas Ianuensem intravit portum. Occidente vero sole et succedente nocte, in ipso portu periit dicta navis et naufragium passa est; fuit autem in totum et cum toto honere perdita dicta navis, quam plures etiam ex illis qui in ipsa navigaverant homines, et etiam quam plures alii qui ad ipsam succurrendam accesserant periere[d].

Currentibus vero annis Domini nostri 1279. quidam civis Astensis Guillielmus Brunus 1279.
nomine, iuris peritus, fuit in regimine civitatis constitutus potestas, qui regimen suum ad finem perduxit laudabilem.

Die siquidem 26. Madii dicti anni Astenses, qui per regem Karolum in Provintia inclusi tenebantur carceribus, et quos supra apud castrum Coxani annis Domini 1274. currentibus 24. Martii memoravimus captos fore, libertatem pristinam pretio librarum triginta quinque milium redimentes, carcerem exivere predictum. Verum quia redemptionis eorum presentialiter pretium non habebant, oportuit eos, antequam dictum exirent carcerem, de dicto pretio per certos terminos persolvendo fideiussores prestare. Factumque est, quod quidam nobiles Ianue, Symon Grillus nomine, Guillelmus de Savignono et quidam alii,

a) talarti 1. b) comittabantur 1. c) transmissere 1. d) *columna una et semis vacant. In margine inferiori manu posteriori haec scripta erant, quorum nonnisi prior pars extat, posterior ope codicis 2. suppletur:* Hoc anno mense Novembris dominus Iohannes Gaietanus cardinalis de domo Ursinorum in papam eligitur et vocatur Nicolaus IIII.

75) Chartae ad idem negotium pertinentes habentur Libro iurium I, p. 1469 sqq.

1279. comunis Ianue precibus et mandato, versus regem Karolum sive ipsius nuntios pro iam dictis fideiussere Astensibus de iam dicta suis terminis persolvenda peccunia, per comune tamen prius eisdem de indempnitate prestita cautione. Comune quidem ad predicta amore civitatis et comunis Astensium se astrinxit. Quia vero Astenses iam dicti Ianuam venire convenerant et civitatem ipsam non egredi nisi prius persoluta integre iam dicte peccunie summa, dicti fideiussores duas propterea armatas ascendentes galeas, ad iam dictorum Astensium carcerem devenere, ibique memorata superius fideiussione completa, Astenses ipsos carceris solutis vinculis in iam dictas recepere galeas, ac cum ipsis Ianuam navigio pervenere. Post quorum adventum librarum 15 milia Turonensium ex dicto debito confestim Astenses persolvere predicti. Solutionem vero reliquam mora interveniente non modica protelarunt, tamen temporis quondam effluxo spatio satisfecerunt de toto[a].

Hiis[b] narratis de dictis decem annis elapsis, ad presens sufficiat, et que de cetero emerserint, per alios redigentur in scriptis, qui huic operi preponentur[c].

---

## XII.

# IACOBI AURIE ANNALES IANUENSES

## A. 1280—1294.

*Quoniam[d] multa et magna utilitas est preterita et presentia scribere, ne in futuris temporibus non solum oblivioni tradantur[e], set etiam per preterita cognoscantur futura; ideo[f] ego Iacobus Aurie, quondam Petri, quondam Oberti, que a temporibus de* 1280. *usque per totum annum de* 1293 *per comune Ianue acta sunt, et que civitati et civibus Ianue evenerunt, tamquam qui omnia vidi et interfui, vel a videntibus veraciter didici, in scriptis redigam, veritatem secutus in omnibus, ut quilibet Ianue ex probissimis actibus ipsius comunis et antecessorum suorum hec legendo plenius informetur, et per eorum exempla et grata premia de laboribus que digne fuerunt consecuti, ad tractandum et manu tenendum honorem et comodum iam dicte comunis debeat et possit ferventius animari. Verum quia infra dicta tempora multa notanda in diversis mundi partibus evenerunt, ideo quedam ex ipsis breviter licet non ad plenum describam. Sed antequam ad propositam accedam materiam, redigam in scriptis quedam que inveni de civitate Ianue in quibusdam ystoriis et legendis antiquis, et postea ad meam materiam redire curabo.*

*Nam cum non invenirem aliquid scriptum ante tempus Caphari nobilis civis Ianue, qui opus presentis cronice incepit anno Domini* 1097, *prout in principio huius cronice invenitur, nec constructionem huius civitatis in libris aliquibus reperirem, cum tamen de multis aliis civitatibus Ytalie et aliarum partium mundi per Ysidorum et Solinum et alios ystoriographos edificatores[g] ipsarum scriptum inveniatur, admiratione motus cepi tacita ac vigili mente pensare, qualiter ab antiquo tempore possem aliquid invenire; set constructorem ipsius in libris aliquibus autenticis non potui usque nunc invenire, forte propter antiquitatem ipsius. Set vulgaris tenet*

a) *reliqua columnae pars vacat* 1. b) *quae sequuntur alia manu, quae et supra a.* 1277. *initio scripsit, exarata sunt* 1. c) *reliqua columnae pars vacat* 1. d) *littera* Q *picta est* 1. e) tradatur 1. f) Ideo — digne fuerunt *in loco raso* 1. g) edifficatores 1.

*opinio*[a] *in civitate Ianue, quod post destructionem urbis Troiane quidam nobilis Troianus* 1280. *nomine Ianus applicuit ad has partes, et in loco ubi nunc dicitur Sarzanum, id est saltus Iani, descendit, castrumque in loco ubi nunc Castellum dicitur, ubi est domus archiepiscopalis modo, hedificavit, et civitatem Ianue a suo nomine scilicet Iano denominavit. Verum quia in libro Titi*[b] *Livii, qui fuit magnus ystoriographus urbis Rome, quedam de civitate nostra inveni, que antiquitatem ipsius in parte demonstrant, ideo verba ipsius de verbo ad verbum in presenti opere scribam, et postmodum similiter que inveni in aliis antiquis scripturis.*

*Igitur in Tito*[b] *Livio in secunda parte, ubi agitur de secundo bello Punico*[c] *inter Romanos* cf. Liv. XXI, 32. *et Cartaginenses, in primo libro*[d] *anno ab Urbe condita* 534.[e] *qui est ante nativitatem Christi per annos* 218. *reperitur ut infra:* Publius Cornelius Scipio existens in Marsilia cum navibus, audito quod Hanibal pergebat ad Ytaliam, misit fratrem suum cum Scipione in Hyspaniam adversus Hasdrubalem cum magna parte copiarum. Ipse vero naves ascendens, pervenit Genuam cum eximiis copiis, ut esset in occursum Hanibali, quando Alpes transgrederetur *et cetera. Item in eodem, libro* 8. *circa finem, anno ab Urbe condita ......... qui est ante* Liv. XXVIII, 46. *nativitatem Christi per annos ......... reperitur ut infra:* Eadem estate Mago Hamilcaris filius ex Minore Balearum insula, ubi hibernaverat, iuventute lecta[f] in classem imposita, in Ytaliam 30 ferme rostratis navibus et multis honerariis 12 milia peditum, 2 milia fere equitum traiecit, Genuamque nullis presidiis maritimam oram tuentibus[g] repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum *etc. Item in libro* 9. *circa tertiam partem invenitur ut infra:* Liv. XXIX, 5 Eisdem ferme diebus naves que a Cartagine ad Magonem misse erant, inter Albinosganos Ligures Genuamque accesserunt[h]. In hiis locis tunc forte Mago tenebat classem. *Item in eodem, libro* 10. *circa principium, anno ab Urbe condita* 545. *qui est ante nativitatem Christi* cf. Liv. XXX, 1 *per annum* 207. *reperitur ut infra:* Existente consule Cornelio Servilio, anno 16. Punici belli, Lucretio est prorogatum imperium, ut Genuam opidum a Magone[i] pene dirruptum rehedificaret.

*Invenitur etiam in legenda beatorum martirum Nazarii et Celsi, qui fuerunt martirio coronati tempore Neronis*[k] *imperatoris, qui quidem imperabat anno nativitatis Domini* 58, *ut infra:* Et deposuerunt sanctum Nazarium in loco a Ianuensi urbe passus fere 600, ubi ipsorum meritis orationes et vota solvuntur, et vocatur locus ille Ad sanctos Peregrinos. Deinde ingressus est in civitatem Ianue, et perrexit[l] inde Mediolanum *etc. In legenda beatorum martirum Fructuosi et sotiorum, qui et fuerunt martirio coronati tempore Galieni imperatoris ab Emiliano preside, qui imperabat anno Domini* 256, *invenitur ut infra:* Est enim in partibus Ytalie in finibus Ianuensis urbis eremus iuxta mare, ubi[m] Capud-montis dicitur, ibique meas reliquias afferte. *Item in hystoria Longobarda in libro* 2. *invenitur ut infra:* Alboinus igitur Liguriam intrans, qui preerat anno Domini 568. *etc.* Dehinc universas Ligurie civitates preter has que in litore maris a Lunis usque in Galias sunt cepit. Honoratus vero archiepiscopus Mediolanum deserens, ad Genuam urbem confugit, ibique securus permansit. *Item in dyalogo sancti Gregorii pape, qui preerat anno Domini* 600, *invenitur ut infra*[n] ........ *Item in gestis Karoli magni invenitur ut infra:* Anno Domini 770. Karolus magnus synodum tenuit in civitate Ianue[76], in quo conventu exercitum divisit in duas partes, partem unam retinens ut per[77] Ianue montes transiret, partem vero reliquam, cui prefecit Bernardum avunculum suum, per Iovis montem intrare precepit, et Desiderium regem Longobardorum fugavit et intra Papiam reclusit *etc. Item in cronica Philiberti invenitur ut infra:* Anno Domini 933. in Ianuensi urbe fons sanguinis largissime fluxit, protendens fortem ipsius ruinam. Nam eodem anno ab Affricanis ibidem venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis et mulieribus, captis et occisis, et thesauris suis spoliata est *etc. Fons autem sanguinis predictus emanavit in loco qui hodie dicitur Fontanella, supra locum ubi modo darsena superior de modulo est constituta. Et est vulgaris opinio*[o] *inter Ianuenses, quod tunc temporis Ianuenses quasi omnes erant*[p] *extra civitatem in quodam exercitu per mare; cumque rediissent et civitatem taliter desolatam invenissent, statim insequuti sunt Affricanos, qui eos in insula*

a) oppinio 1. b) titu 1. c) quod duravit per annos 17. *inserit ed. et olim codici* 1. *in marg. adscripta fuisse videntur, iam abscisa.* d) circa medietatem libri *in marg. addita alia manu* 1. e) *aut huic loco aut alii addita sunt in margine inferiori codicis* 1: Nota quod ab orbe condito usque ad Urbem conditam sunt anni MMMM. CCCCLXXXIIII. f) leta in clasem 1 g) scilicet romanis *alia manu superscripta* 1. h) accessit 1. i) a M. *in marg. eadem manu* 1. k) nerronis 1. l) perexit 1. m) ubit 1. n) *dehinc lacuna quinque linearum* 1. o) oppinio 1. p) *in marg. in loco raso* 1.

76) immo Ienuae seu Genuae, i. e. Genf. 77) per montem Cenisium.

1280. *de Buxinariis, que Iscla-Mortor dicitur, inventos, insultum fecerunt in eos, et omnes gladio trucidarunt, quorum usque hodie multitudo ossium occisorum factum demonstrat. Descenderant enim Affricani in terram, ut predam captam dividerent. Ianuenses vero recuperatis pueris et mulieribus ac tota preda, Ianuam redierunt.*

*Quamvis autem in pluribus aliis scripturis invenerim de Ianua civitate fieri mentionem, tamen brevitatis causa hec dixisse suffitiant. Sed quia in quibusdam hystoriis et legendis Genua, et in quibusdam Ianua scribitur nostra civitas, ideo ethymologiam utriusque vocabuli hic scribam. Genua sunt commissiones femorum et crurium, sic dicta, quia sunt in utero genibus opposita; ibi enim coherent sibi, quia infans in utero capud tenet inclinatum inter genua; et hinc est quod cum homines ad genua se prosternunt, statim lacrimantur. Voluit enim natura eos uterum maternum memorare, ubi quasi in tenebris considerabant, antequam venirent ad lucem; nam secundum philosophos genua sunt consecrata misericordie. Vere igitur Genua fuit denominata, tamquam que misericors super alias civitates existit*[a]*, ut experimentis multis cognoscitur; et sicut infans in utero matris tenet fatiem inter genua, sic quasi omnes civitates Lombardie tenent capita sua inter genua Genue. Nam ubi declinat, neccesse habent alie declinare, ut per tempora retroacta manifeste videtur. Ianua a Iano dicitur. Hec Ianua, id est porta, primus ingressus, primus introitus, quia Ianus est deus principiorum, cui antiqui omnem exitum et introitum consecraverunt. Unde sicut porta est introitus et exitus cuiuslibet domus, ita civitas nostra est introitus et exitus totius Lonbardie. Vel dicitur Ianua a Iano deo principiorum, qui pingitur habere duas faties, scilicet ante et retro, sic civitas Ianue prospicit ante mare, et retro terram; et dicitur habere duas faculas, id est duas portas, oriens et occidens, sic civitas Ianue habet duas portas, videlicet portam maris, et portam terre. Hiis narratis ad premissam redibo materiam.*

Igitur anno Domini 1280. domnus Cavalcabos de Medicis civis Papiensis iuris peritus regimen civitatis Ianue exercuit, predictis capitaneis cum eodem regentibus.

In dicto quidem anno galee tres Ianuensium[a] mercationibus honerate, quarum summa librarum centum milia excedebat, in Ianua sunt[b] armate causa eundi in Romaniam. Cum-
Apr. 15. que fuissent die lune post ramos palmarum in partibus Zufalonie eundo versus Clarentiam, apparuerunt galee tres Venetorum de versus Iazanto venientes. Habebant enim tunc temporis Veneti guerram cum Anconitanis, et ideo galeas predictas habebant in guardia in partibus illis, quamvis et per diversas partes alias quam plures haberent galeas armatas, tum causa custodie, tum etiam causa offendendi Anconitanos inimicos eorum. Dicte autem galee Venetorum versus nostras galeas nequiter venientes, quamvis vexilla Ianue agnoscerent, irruerunt in nostras. Ianuenses autem cognoscentes et videntes Venetorum superbiam, viriliter impulerunt in eas, et prelio ab utraque parte prope Clarentiam per miliaria tria commisso, Ianuensibus extitit victoria, sic quod capte sunt de Venetorum galeis due, et tertia per remos evasit. In ipso quidem prelio Veneti pro maiori parte tum in mari submersi, tum gladio perierunt. Ianuenses autem attendentes, quod dominus noster Iesus Christus tantam victoriam eis prestaverat, redarguentes Venetos, quos vivos habuerant, ac de fide rupta et periurio reprehensis, ipsos cum galeis et rebus suis omnibus permiserunt abire. Ianuenses vero ad partes Romanie cum gaudio perrexerunt. Dicto etiam anno galee quatuor mercatorum armate fuerant in Ianua, que erant ditissime. Ordinatum quoque fuit, quod in ipsis iret missaticus pro comuni Ianue vir nobilis Manuel de Nigro ad
Apr. 22. imperatorem Palealogum, et qui predictis galeis preesse debebat. Cumque die lune post festum resurrectionis Domini fuisset in mari Pananue per miliaria circa 60, alie galee tres Venetorum, que erant similiter in custodia pro guerra quam habebant cum Anconitanis, ut predictum est, apparuerunt. Cumque appropinquassent Ianuenses, cognoscentes esse Venetorum, galee arma sumere non curarunt. Erat enim treugua inter Ianuenses et Venetos. Ipsi autem Veneti furiosi irruentes in nostros, et super eosdem iniuriose clamantes, quod se precipitarent in mari, ne ipsorum gladia expectarent, Ianuenses valde admirari ceperunt, et in uno instanti[c] concurrentes ad arma, quasi semiarmati, viriliter in Venetorum galeas celeriter ascendentes, quasi omnes gladio occiderunt. Qui autem gladia Ianuensium evaserunt, perrexerunt in mare; reliquos, qui mortem evaserunt, cum galeis eorum apud Pananuam duxerunt, et eos de fide rupta et periurio redarguentes, libere ipsos abire

a) *in marg. alio atramento* 1. b) *in marg. suppletum* 1. c) *in marg. suppletum* 1.

permiserunt, omnibus bonis eorum sibi restitutis. Admiragium vero eorum et comites ac nauclerios secum apud Messanam duxerunt, et eos Venetorum baiulo in Messana moranti consignaverunt, denuntiantes eidem quod eos duci eorum transmitteret, qui vindictam sumeret de excessibus per eos commissis; deinde in itinere prospero in Romaniam celeriter pervenerunt. 1280.

Ipso quoque anno domnus papa Nicolaus apud castrum Soriani quod per violentiam dominis eorum abstulerat residens sanus et incolumis, die 22. Augusti supra cathedram sedens, subito catharus in gula eius descendit, et continuo decessit, ita quod verbum aliquod non emisit, et usque ad dies 20. Februarii anni sequentis Romana vacavit ecclesia.

In eodem anno dictus potestas sapienter et cum magna industria adinvenit quoddam malefitium nequiter perpetratum per quendam civem Ianue nomine Traverinum Traverium. Qui quidem natus erat de bonis hominibus de populo, convenienter dives, et cui fides ab hominibus prebebatur, et ob hoc quidam nomine Oliverius de Border recommendavit eidem quendam iuvenem, scilicet Guillielmum Alnardum consanguineum germanum suum, cum iaris[78] olei 2200, quem secum de Sibilia apud Tunitium ducere deberet. Ipse autem Traverinus Tunitium cum dicto Guillielmo proficiscens, et oleum vendens, habuit de eo dublas[79] 1300, et cum dicto Guillielmo et peccunia Ianuam pervenit, ipsumque secum in domo sua tenebat. Quadam autem nocte dyabolico instinctu permotus ipsum dormientem cum una sapa[80] eum in capite percutiens interfecit, et in uno sacco super equum ponens, eum sepeliendum apud Cassam Mavari in villa sua transmisit per quendam fratrem colactaneum suum huius facti conscium; et hoc quidem fuit anno Domini 1278. die 8. Octubris, illa videlicet nocte qua dictum est in dicto millesimo supra fuisse tam magnam inundationem aquarum. Dixit autem dictus Traverinus per civitatem comuniter, quod dictum Guillielmum remiserat ad dictum Oliverium. Ipse autem Traverinus apud Maioricam navigavit. Dictus autem Oliverius cum non posset dictum Guillielmum consanguineum suum invenire, nec de eo nova aliqua habere, misit quendam alium suum consanguineum in Ianua, quem loco sui constituit procuratorem. Qui procurator coram dicto potestate sapienter exposuit et petiit dictum Guillielmum et peccuniam eidem commissam sibi restitui. Cumque dictus Traverinus esset apud Maioricam, potestas transmisit eidem per suas litteras, quod certo termino coram eo in Ianua comparere deberet, responsurus predicto procuratori tam de morte quam de peccunia dicti Guillielmi. Ipse autem Traverinus nichil dubitans, eo quod magnis parentibus et amicis in Ianua cingebatur, et eo quod dictus procurator esset extraneus, Ianuam properavit termino statuto venire. Cumque ante potestatem comparuisset semel et pluries, tandem ipse potestas sagaciter et diligenter factum perquirens, cum quasi iam esset absolvendus, malefitium invenit, et mittens apud Cassa Mavarum, eum extra sepulturam extrahi fecit, atque dictum Traverinum die 14. Iulii morte condempnavit, ea videlicet[81] qua occiderat dictum Guillielmum, et peccuniam restitui condempnavit, ut in actis curie plenius continetur. Unde rex Castelle et dictus Oliverius et omnes qui dictam iustitiam audierunt gavisi, comune et iustitiam Ianue mirabiliter comendarunt. Et quia Dominus ait: *Michi vindictam, et ego retribuam*, multa bona et victorias mirabiles postea Dominus noster contulit comuni et hominibus Ianue, ut in sequentibus Deo propitio denotabitur[a].

1281. per dominos Obertum Spinulam et Obertum Aurie fuit civitas Ianue gubernata, et per domnum Michaelem de Salvaticis de Valentia iuris peritum, qui extitit dicto anno potestas. 1281.

Ipso quidem anno die 20. Februarii fuit electus in summum pontificem dominus Symon de Tors, cardinalis Sancte Cecilie, et fuit Martinus IV. appellatus, qui comune Ianue puro corde dilexit; ad quem visitandum et honorandum missi fuerunt per comune Ianue tres ambaxatores, videlicet Symon Aurie, Percivallus de Baldizone iuris peritus, et Guillielmus de Pezagno.

Hoc etiam anno fuit inventum quoddam privillegium, per quod civitas Ianue non potest interdicto supponi. Nam anno Domini 1278. fuerat querela exposita coram domno Nicolao papa III. per quosdam nostros bannitos, videlicet quod conventio eis facta tempore

a) *maior columnae pars vacat* 1.

78) iarra est vas. 79) moneta aurea. 80) Hacke theodisce. 81) morte, scilicet capitis abscisione.

1281. domni Innocentii V. non esset observata; quare dictus papa eodem anno ad eorum instantiam misit episcopum Forliviensem, qui cognosceret de querela delata. Dictus autem episcopus Placentiam pergens, comune Ianue illuc citare curavit. Ianuenses autem habentes privillegium domni pape Alexandri IV, in quo continetur expresse, quod extra districtum Ianue comune Ianuense nec aliqua singularis persona Ianue trahi non potest[83], miserunt procuratorem ad eum, qui privillegium allegavit. Dictus autem episcopus, favorabilis nostris existens banni s, excusationem admittere recusavit, et comune Ianue supposuit interdicto dicto anno mense Novembris, potestatem vero, capitaneos, antianos et consules Ianue excommunicationis vinculo innodavit. Quo interdicto per duos annos et amplius observato per homines Ianue, tamquam qui obedientes esse volunt semper sancte Romane ecclesie, inventum fuit in sacristia per me Iacobum superius denotatum die Martis sancto 2. Aprilis quoddam privillegium domni Innocentii IV. pape, in quo quidem plenius continetur, quod civitas Ianue non possit interdicto supponi per aliquem delegatum seu subdelegatum, nisi de expressa licentia domni pape[84]. Quare die Mercurii sequenti convocatis omni clero civitatis Ianue et conventibus fratrum Predicatorum et Minorum et collegio iudicum et quam pluribus sapientibus, et duobus diebus invicem conferentibus, deliberato consilio consuluerunt, dictum episcopum contra formam dicti privillegii processisse, et ob hoc dictum interdictum[a] observandum non esse. Unde post dictum conscilium prestitum fuit divinum officium a toto clero, celebratum publice ubicumque in civitate Ianue et diocesi eiusdem.

Eodem quoque anno Guillielmus marchio Montisferati de Hyspania magnam quantitatem militum misit in navibus Ianue, quos rex Castelle eius socer consignavit eidem. Misit autem nuntios suos et litteras quarum tenor inferius continetur in Ianuam, rogans et requirens comune Ianue, ut eum adduci faceret de Barcelona ubi erat Pro quo adducendo armate sunt per comune Ianue ad expensas comunis galee due, in quibus pro honore ipsius iverunt ambaxatores quatuor pro comuni, videlicet Obertatius Spinula, Nicolaus Babilani Aurie, Egidius de Vogerik et Iohannes de Cisterna. Veniens autem Ianuam, fuit receptus honorifice et cum gaudio, stetitque in Ianua per dies plures, et de peccunia comunis fuit ei exhibita pro suis expensis summa[b] librarum 500 Ianuinorum. Ipse autem postmodum ad partes suas perrexit, et congregato exercitu contra inimicos suos perrexit. Quo qualiter cum eis fecerit, non est mea intentio ad presens narrare. Verumtamen ipse, ut consuetudo est marchionum, non bene tenuit memorie predicta servitia et alia plura tempore guerre regis Karoli per comune Ianue eidem collata, ut inferius suo loco notabitur[c].

*Viris nobilibus et discretis, dominis potestati, capitaneis, antianis, consilio, comuni et hominibus Ianue civitatis, karissimis amicis suis, Guillielmus marchio Montisferati, salutem cum augmento prosperitatis gaudii et honoris. Pro certo habentes quod de nobis et processibus nostris sicut veri et antiqui amici nuntiari vobis cupitis, nova prospera et iocunda[d] probitati vestre ad gaudium nuntiamus, quod cum tota sotietate nostra corporea sospitate gaudentes, et in omnibus iuxta vota per Dei gratiam feliciter nos habentes, sic cum karissimo domino et patre nostro serenissimo rege Castelle fecimus magnifice et complevimus facta nostra, quod sumus ad reditum nostrum parati, licentia et comeato ab ipso domno rege cum sua bona voluntate et gratia iam habitis et perceptis, adeo quod cum potenti et honorabili militum et balistariorum equitum et peditum comitiva statim versus Lombardiam dirigimus signa nostra ad honorem gaudium et exaltationem vestram et nostram et aliorum nostrorum et partis imperii communium amicorum, et inimicorum exteritum annuente Domino et ruinam. Cum igitur apud civitatem vestram, tanquam in illam quam brachiis non qualis qualis sed intime dilectionis amplectimur, et honorare ac exaltare proponimus toto posse, cum gentibus et militia nostra descendere, et portum salutare accipere[e] concedente Domino proponamus, nobilitatem et amicitiam vestram, de qua gerimus fidutiam plene certam, requirendam duximus fiducialiter et rogandam, quatenus in adventu nostro nos et gentem nostram et milites cum tanta voluntate et gaudio honore debito circumfulsis[f] velitis recipere et videre, quod nove et antique dilectionis constantiam que dudum inter vos et vestros predecessores et nos et nostros viguit incorrupta,*

a) privillegium *alia m. corr.* interdictum 1. b) *deest* 1. 2. c) *litterae locis vacuis relictis paulo alio atramento inscriptae sunt, fol.* 48 *col.* 2 *infra, fol.* 49 *col.* 1. *supra et col.* 2. *infra.* d) et i. *bis scripta* 1. e) a. ac. a. 1. 2. f) circumfusis 2.

83) Privilegium Alexandri IV. datum d. 3. Nonas Martii a. 1255 requiras in Libr. iur. I. p. 1222. W.
84) Privilegium Innocentii IV. datum Nonis Novembr. a. 1248. ibid. p. 1034. W.

*per huiusmodi honorem et gaudium de bono in melius denuo reformetur, et in propinquis ac* 1281. *remotis partibus iocundo relationis offitio divulgetur. Rogamus et petimus insuper pro dono et gratia spetiali, quatenus in signum vere dilectionis et fulgoris gratie ac honoris duas de vestris galeis decenter paratas et munitas ad nos in terram domni regis Aragonie ad locum quem dicent vobis latores presentium, scilicet Percivallus de Trucho et Antonius de Padisio, vel alter ipsorum, nuntii nostri et vestri cives, in continenti destinare velitis, super quas cum sotiis et familia nostra domestica precedendo aliam gentem nostram, ad vos citius et velotius pervenire possimus, tractaturi et loquuturi vobiscum ea que honoris et magnificentie atque boni status et glorie nostri et vestrum ac omnium amicorum ubique respitiant incrementa, et inimicorum ac rebellium partis vestre et nostre et imperii confusionem*[a] *ultimam et iacturam. Preterea super predictis et aliis omnibus que dicti nuntii nostri pro parte nostra vobis retulerint, indubie velitis credere tamquam nobis, in quorum ore et cuiuslibet ipsorum posuimus*[b] *plenius et efficatius verba nostra. Data Burgi die primo mensis Martii*[c].

Hoc[d] etiam anno Karolus rex Sicilie fecit fieri maximum apparatum galearum et usceriorum[85] et aliarum rerum necessariarum[e] causa eundi contra Palealogum imperatorem Grecorum. Fedus etiam inivit cum Venetis contra dictum imperatorem. Insuper dictus papa Martinus, favorabilis dicto regi mirabiliter existens, dictum Palealogum et omnes Grecos tamquam scismaticos[f] excommunicavit et omnes eisdem participes in die Iovis sancto, quamvis tempore Gregorii X. pape fidem catholicam et Romane ecclesie in concilio Lugduni iurassent per suos ambaxatores. Qua de causa dictus Palealogus, decedens anno Domini 1282[g], non fuit traditus sepulture, immo in anno de 1300[h] nondum erat sepultus, nec[g] eius filius quamvis eidem in imperio succederet, ausus est usque in diem illam adhuc eum facere sepelliri. Dicunt enim Greci, ipsum fuisse hereticum, eo quod fidem Romane ecclesie iuravisset. Invitavit etiam dictus rex comune Ianue per suos nuntios, quod si volebant habere partem in conquisto quod super Grecos ad presens facere intendebat, quod eidem darent[i] succursum et auxilium galearum. Ianuenses vero responderunt, quod aliis factis occupati erant, et propter hoc hiis intendere non poterant nec volebant. Unde in continenti per comune Ianue fuit armata galea una in Ianua per comune, et missa ad dictum imperatorem, significando eidem omnia supradicta. Dictus autem imperator gratum hoc a comuni valde accepit, ac tamen terram suam et civitates constanter fecit omnibus necessariis[e] optime premuniri[k].

1282. per predictos potestatem et capitaneos civitas Ianue extitit etiam dicto anno feli- 1282. citer gubernata.

In isto quidem anno incepta fuit guerra durissima inter comune Ianue et Pisanos. Quid autem infra dictum tempus dicte guerre evenerit, et causa quare incepta fuit, inferius per ordinem et veraciter prout memorie michi occurrerit in scriptis redigam, ut sit posteris memorie et in bonum exemplum. Sed quia mentionem feci superius apparatu facto per regem Karolum contra imperatorem Grecorum, ideo aliqua hic breviter inseram, que non, ut oppinor, oblivioni tradenda, tamquam que mirabilia videbuntur legentibus in futurum.

Igitur dicto anno mense Iunii domnus Petrus rex Aragonum paravit galeas 19, naves 4, et taridas 8, posuitque in eis milites cum equis 350 et pedites 10 mille, ivitque cum eis ad partes Barbarie. Nam miserat ei quidam Sarracenus qui Constantinam civitatem tenebat, quod si illuc iret, daret ei Constantinam et Bonam. Applicuit autem cum dicto exercitu in Ancolo in[l] vigilia beati Petri, et in terram descendens multa prelia cum Sarracenis habuit; sed a Sarraceno ipso delusus nichil facere potuit, misitque[m] nuntios suos ad papam predictum et cardinales, ut eidem subvenire deberent, quatenus Sarracenos ipsos valeret opprimere. Cumque ab eis nichil auxilii habere valeret, et usque ad dies Augusti expectasset, ecce tota Scicilia, que se rebellaverat contra dictum regem Karolum, misit nuntios suos ad dictum regem Aragonum, quatenus veniret ad accipiendam Sciciliam totam, et eidem tamquam vero domino obedirent. Habebat enim in uxorem filiam quondam domni

a) confussionem 1. b) possuimus 1. c) *reliqua columnae pars vacat* 1. d) *haec fol.* 49. *col.* 1. *infra et col.* 2. *supra scripta sunt* 1. e) neccessar. 1. f) sismaticos 1. g) LXXXII. *usque* nec *in loco raso alia manu* 1. h) *primo* MCCLXXXV. *vel* MCCLXXXVII. *scriptum fuisse videtur. Locum igitur primum anno* 1285 *vel* 1287 *deinde anno* 1300 *retractatum fuisse patet.* i) daret 1. k) p̄munivit 1. l) in v. b. p. *in marg. post addita* 1. m) missitque 1.

85) naves equis transvehendis instructae.

1282. Manfredi regis Scicilie. Ipse autem cum militibus et gente sua tota naves et galeas et alia ligna ascendens, Trapenam perrexit, ibique applicuit die ultima Augusti.

Quia vero de rebellione Scicilie, quod miraculosum fuit, feci hic mentionem, ideo causam hic breviter in scriptis edam. Nam cum Francigene in tota Scicilia graviter opprime- Mart. 31. rent habitatores totius insule Scicilie, accidit quod die Martis post pasca[a], cum multe mulieres de Panormo ivissent extra civitatem ad quoddam festum, quidam Francigene inferebant iniurias et gravamina mulieribus illuc pergentibus, eas inhoneste alloquentes ac tangentes. Sicque subito tumultus surrexit in populo, et omnes Francigenas quos in Panormo invenerunt crudeliter occiderunt, in tantum quod sanguis plurium per plures de populo fuit bibitus, ut veraciter est relatum. Hec dicta sunt in Messana, Trapena et tota alia Scicilia; unde omnes alie civitates et loca illud idem facere minime tardaverunt, quilibet in patria sua, et missis sibi invicem nunciis coniuraverunt sibi ad invicem. Dictus autem rex Karolus hec audiens, et inde graviter perturbatus et motus, dimisso proposito Aug. 3. quod erat contra Grecos in eadem estate proficisci, omnino cum toto dicto apparatu ad obsidionem Messane celeriter properavit. Habuit autem, ut comuniter fertur ab omnibus, galeas et uscerios 90, milites et homines cum equis 22,000 et pedites 60,000. Descendit autem apud Sanctam Mariam de Rocha maiori cum toto suo exercitu die 3. Augusti, stetitque ibi usque[b] ad finem mensis Septembris.

Namque domnus Petrus rex Aragonum predictus a Sciculis invitatus ut predictum, dum Trapenam pervenisset, galeas suas 22[c] misit Messanam, que[d] ibi applicuerunt die 9. mensis Septembris[e]. Premisit etiam duos suos milites ad regem Karolum, ei nuntians quod venerat ad regnum suum Sicilie, et quod infra dies decem ipse rex Karolus de eodem descendere deberet, et ab inde in antea diffidabat eundem, et quod in continenti Messanam veniebat per terram cum toto suo exfortio. Rex autem Karolus hiis auditis habito secreto- Sept. 26. rum suorum conscilio, infra dies quatuor ab obsidione Messane discessit die 26. Septembris[f], et apud Regium remeavit. Ipse[g] autem rex Petrus intravit civitatem Messane die secunda Octubris. Cumque propter hyemem galeas suas licentiasset[86], et una pars versus Apuliam, et alia scilicet galee 46 rediret in Principatu, Cathelani qui erant in Messana hec videntes, ascenderunt in galeis 14 suis, et irruentes in Faro in eas que versum Principatum redibant, 19[h] ex eis ceperunt, alie vero apud Licatonam ferierunt in terram, et hoc fuit die 16. Octubris. Dum autem galea una Guillielmi de Mari de castro Ianue fuisset in servitio dicti regis Karoli in obsidione Messane et cum ea rediret cum hominibus 18, due barche Pisanorum de parascalmis[87] que erant apud Baias iverunt obviam ei, et interrogantes de novis, dictam galeam ascenderunt et eam ceperunt; dictum vero Guillielmum cum dicta galea et hominibus Pisas transmiserunt. Adhuc enim ignorabatur, quod guerra esset inter nos et Pisanos. Curia vero regis Karoli nullum processum contra Pisanos propter hoc fecit, quamvis dictus Guilielmus amicissimus et fidelis esset dicti regis, et de eius servitio veniret, et etiam in partibus suis captus et ductus fuerit, et de portu ipsius exiverit qui eundem accepit. Quia vero dictus rex Aragonum ascendit in insulam Scicilie, que per regem Karolum tenebatur in feudum a domno papa, et etiam quia dictus papa Martinus favorabilis erat ultra modum dicto regi Karolo, ideo dictus papa durissimam sententiam protulit contra eum et contra Siculos et eorum fauctores. Dictum etiam regem Aragonum regno Aragonie privavit, et eum contulit Karulo fratri regis Frantie, et propter hoc misit ad partes Frantie unum cardinalem legatum, qui contra eundem crucem predicaret.

Ipso insuper anno cum quidam nobilis de Corsica nomine iudex Cinarche, vassallus[88] quidem tam ipse quam sui antecessores comunis Ianue, et etiam factus miles per dominum Guillielmum Buchanigram olim capitaneum comunis et populi Ianuensis, et ad bona sua per comune Ianue olim restitutus, quando fuit a suis inimicis de Corsica expulsus, immemor factus tantorum benefitiorum eidem sepe et sepius collatorum, cepit multipliciter homines Bonifatii aggravare, Pisanos etiam, Provintiales et alias nationes in Corsica appli-

a) ultimo die Marcii *manu posteriori in margine superiori addita* 1. b) *alia m. additum* 1. c) *alia m. post additum* 1. d) que — Octubris *in marg. addita* 1. e) *ita corrig.* Octubris 1. f) d. XXVI. Sept. *in marg. addita* 1. g) Ipse —, Octubris *in marg. inferiori addita* 1. h) XVII. *alia m. corr.* XXVIIII.

86) scilicet rex Karolus. 87) instructio quaedam navium remis vel remigibus protegendis esse videtur. 88) cf. homagium a. 1278 civitati praestitum, Libr. iur. 1478. W.

cantes derobabat et graviter affligebat, et de hiis multotiens per predictos fuerunt comuni 1282. Ianue querele delate. Qui cum per comune Ianue super predictis et aliis esset multotiens per litteras et etiam ambaxatores commonitus, et nollet non solum dampna emendare, verum etiam in maiorem elatus superbiam deteriora cottidie faceret, homines Ianue cum non possent ulterius tollerare tam querelas conquerentium quam dampna hominum Bonifacii, paraverunt galeas 4 ad solidos armatas, miseruntque in eis ad eius perfidiam perurgendam milites 200, pedites cum lanceis longis 300, et balisterios 200. Quibus galeis et toto exercitui prefuerunt Franciscus de Camilla et Nicolinus de Petratio. Moventes igitur de portu Dalfini die 19. Madii, applicuerunt[a] in Bonifatio die 26. mensis eiusdem. Die vero prima Mai. 19. Iunii de Bonifatio separantes, per mare et per terram iverunt ad Castrum novum, quod dictus iudex tenebat et de novo construxerat in territorio Bonifatii, et invento in plano ibidem dicto iudice cum militibus 300 et peditibus 1500, dictum castrum preliarunt, et eumdem[89] violenter ceperunt; eoque capto dictus iudex fugam arripuit, posuitque se cum toto suo exercitu supra quemdam montem. Exercitus autem Ianue castra sua finxit in plano, stetitque sic per dies duos. Die vero tertia dicti mensis noster exercitus venit ad portum Iun. 3. Figari pro accipiendo victualia et alia exercitui necessaria[b], que in galeis et barchis portabantur. Dictus vero iudex exercitum Ianue insequebatur paulatim. Ianuensis vero exercitus se retro super exercitum iudicis volvens, dictus iudex cum gente sua se vertit in fugam. Mortui autem fuerunt tunc de eius exercitu homines 26 ad equos, et dictus iudex de equo proiectus fuit; et quia cognitus non fuit a nostris, evasit. Acceptis igitur victualibus et aliis necessariis[b] de galeis, exercitus noster ivit ad castrum de Taulis. Corsi autem interius permanentes et nostrum exercitum cognoscentes, ignem posuerunt de nocte in castro, atque inde velociter affugierunt. Nostri autem die crastina extincxerunt ignem, et dictum castrum munierunt. Deinde noster exercitus ad castrum Ystrie perrexit, et Ornanni, Roche de Valle et Contendole. Corsi vero dictis castris relictis evaserunt per fugam, nostri vero ea munierunt. Acta quidem sunt omnia supradicta in diebus 38. Dictus vero iudex ad Leriam fugiens et barcham unam ascendens, Pisas perrexit, ibique procuravit precibus ac pretio succursum habere a comuni Pisarum, fecitque se vassallum dicti comunis, spreto vassallatico per quem comuni Ianue tenebatur.

Ianuenses vero audientes quod comune Pisarum privatim milites preparabat pro succursu dicto iudici exhibendo, de hiis non modicum admirantes, miserunt ad comune Pisarum ambaxatorem[c] domnum Palmerium Mignardum iuris peritum, qui prudenter narraret dicti iudicis iniquitatem ac iura comunis Ianue, et quemadmodum idem iudex vassallus comunis Ianue offendebat quaslibet nationes et sic querelas sepe et sepius tam ab eis quam ab aliis civitatibus incessanter habueramus, et volentes complacere eisdem et dicti iudicis nequitiam ac malitiam punire, sumptus magnos fecimus et castra per eum detenta cepimus, eumque extra insulam Corsice fugavimus, quare comuni Pisarum placeret de factis[d] dicti iudicis vassalli nostri se intromittere non debere, cum ipse homo falsus et periurus esset et rebellis comuni Ianue domino suo. Cui per comune Pisarum responsum extitit, quod super predictis per suos ambaxatores in Ianua facerent responsivam.

Redeunte igitur dicto Palmerio in Ianua, et responsione in conscilio facta, homines Ianue perpenderunt comune Pisarum hoc callide[e] respondisse, ut moris est eorum, maxime cum milites et pedites semper acciperentur in Pisis ad solidos per comune Pisarum. Quare comune Ianue fecit galeas similiter preparare, quamvis tunc temporis in comuni galee 12 tantum essent.

Interim ambaxatores Pisarum venerunt in Ianua, scilicet Raynerius de Bucari miles, et Oddo de Pace, qui verius de guerra poterat appellari, homo quidem popularis erat, et qui tunc temporis locum magnum habebat in civitate Pisana. Cumque essent in conscilio Ianue iuxta proverbium: *Occasionem invenit qui vult discedere ab amico*, et multas et varias petitiones[f] et querelas de quam pluribus Ianuensibus exposuerunt, et addiderunt in fine, predictum iudicem esse vassallum comunis Pisarum et bonum amicum, et quod comune Pisarum non posset eundem derelinquere ullo modo. Revertentes autem Pisas, tamquam homines qui guerram[g] potius desiderabant quam pacem, dixerunt se multa obprobria et villanias[h] a Ianuensibus recepisse. Pisani igitur milites preparaverunt et pedites pro

a) aplicuerunt 1. b) neccessar. 1. c) ambaxatores 1. d) defectus 1. e) calide 1. f) petiones 1. g) gueram 1. h) vilanias 1. 89) castrum.

1282. dicto iudice prestandos[a]; unde comune Ianue armavit galeas 23 et panfilos 12 ad apodisias[b] [90] de civitate et potestatiis, de quibus vir nobilis Nicolinus Spinula extitit admiratus. Ivit in eis domnus Obertus Aurie, qui capitaneus erat comunis et populi Ianuensis, hac motus intentione, ut si conditio eveniret de concordio pertractando, quod illud posset de levi complere. Homines enim, in quantum poterant, vitabant guerram, sic quod propter hoc in civitate Pisana currebat quoddam vulgare, quia appellabant Ianuenses Bramapaxe[91]. Aug. 10. Discessit autem dictus admiratus cum predicto stolio de Ianua die 10. Augusti. Cum autem fuisset per miliaria circa duo intra Veronicam, que est ante portum Pisanum, galee Pisanorum 32 cum magna quantitate barcharum nostris obviam exeuntes, nostre se retraxerunt in mare, et ancoras posuerunt ante dictam Veronicam. Pisanorum autem galee non processerunt ulterius. Nostri autem videntes quod non procedebant ulterius et quod nox superveniebat, apud Portum Venerem redierunt. Et quia instabat tempus recolligendi ficus et vinum et alios fructus, Ianuam redierunt, et homines licentiarunt; adhuc enim Ianue sperabant de pace. Quamvis autem tunc temporis utraque civitas per partem Gibelinam regeretur, tamen omnes Ianuenses semper et continue unanimes extiterunt in detrimentum et dampnum civitatis Pisane, et e converso. Pisani vero habentes milites 70 et pedites 200 paratos dicto iudici pro prestare succursum, eos posuerunt in barchis, ivitque cum eis iudex predictus; cumque apud Leriam pervenissent, die 24. Augusti descenderunt in terram.

Exercitus autem Ianuensis qui erat in Corsica, cum iam esset ad finem de suis solidis, castris munitis de ipsis Corsis, se de Corsica separavit, applicuitque in Ianua die octava Sept. 8. Septembris. Dictus autem iudex videns nostrum exercitum discessisse, perrexit et cepit ac recuperavit totam terram et castra predicta. Pisani autem sibi ad animum revocantes et vehementer dolentes, quod stolium Ianue fuisset apud portum Pisanum tam prope, et scientes quod nostre galee fuerant disarmate, cum predictis 32 galeis de quibus domnus Ginicellus de Sismundis admiratus extabat, vir quidem valde potens in civitate Pisana et qui dicte guerre iniende precipuus extitit incitator, die... Augusti apud Portum Venerem pervenerunt; ac insulam Portus Veneris et ecclesiam beati Iohannis, que est in dicta insula, devastarunt, ct campanam dicte ecclesie asportarunt. Ianuenses hoc audito preparaverunt galeas et ligna in magna frequentia; cumque ad Pisanorum audientiam pervenisset, in tanta frequentia recesserunt; et cum super partes Motroni fuissent, fortuna temporis 17 eis cum maiori parte hominum perierunt in terra.

Ex tunc igitur ex dicta causa[c] inter dicta comunia, que potentissima erant in terra et mari, cepit guerra durissima, que quidem duravit continue usque in annum de 1287. die 15. Aprilis. Tunc enim fuit pax firmata et iurata inter dicta comunia, que per menses circa 27 tantum duravit, et tunc pax Pisanorum post dictum tempus rupta fuit, ut suo loco plene narrabitur Domino concedente Quantam autem gratiam dominus noster Iesus Christus tempore utriusque guerre suis Ianuensibus largitus fuerit, et econtra quot incommoda Pisani ipso permittente substinuerint, quasi nullus credere posset in futurum qui ea oculis propriis non vidisset, quia hec absque Dei miraculo fieri impossibile crederetur, quin immo ipsis videntibus et expugnantibus quasi sompnium videbatur. Verumtamen quicquid boni et mali tempore prime guerre et secunde acciderit utrique comuni, veraciter in scriptis Domino permittente et prout memorie michi occurrerit, in scriptis ponere procurabo[c].

Primo quidem prenotandum existit, quod creatum fuit de novo in Ianua quoddam parvum[d] consilium de hominibus 16, quod Credentia vocabatur. Cui cum dictis capitaneis data est in omnibus potestas armandi et peccuniam expendendi et fatiendi omnia que essent necessaria circa guerram predictam. Fuit etiam factum generale devetum[92], ne quis navigaret usque ad Kalendas Augusti proxime venientes, ad hoc ut guerra taliter incepta, posset cum honore comunis Ianue ad finem laudabilem et bonum perduci. Insuper facta fuit cernea[93] de galeis 120, que divise fuerunt per sapientes Ianue in civitate Ianue et per loca districtus armande, quotiens sapientibus videretur, vel pro rata armamenti, quod fieri mandaretur[e]. Ordinatum etiam fuit per sapientes credentie antedicte, quod de cetero aliquis non vocaretur admiragius, nisi haberet sub se galeas decem ad minus, set capitaneus potius diceretur. Insuper quod stantarium beati Georgii de cetero non portaretur per

a) p̄stand'. 1. b) podisias 1. c) *quae sequuntur usque* ponere procurabo *alio atramento in loco raso scripta sunt* 1. d) *ita emendo* per unum 1. e) *hinc dimidia columna vacat* 1.

90) i. e. impensas. 91) i. e. amatores pacis. 92) nobis Verbot. 93) selectio, conscriptio.

mare alicubi ullo modo, nisi essent galee 10 ad minus, quamvis missati comunis Ianue 1282. euntes per mare illud consueti essent portare. Armata etiam fuit ad presens galea una in Ianua pro guardia fatienda, cui prefuit Matheus Canis, qui partes Corsice et Sardinie circuivit, et Ianuensibus, quos ubique invenit, notum fecit guerram esse inceptam.

In ipso etiam anno cum comune Ianue non haberet nisi galeas 12 tantum, quamvis alii cives Ianue haberent quam plures, ordinatum fuit, quod per comune Ianue fierent galee 50 in Sancto Petro de Arena, missique fuerunt boscatores in castellania Pereti ad boscum montis Ursalis, quod pro medietate est comunis Ianue. Cumque iam satis esset de lignamine incisum, Thomas marchio de Ponzono fecit illud incidi ac devastari, nec permisit[a] postea ibidem nostros boscatores boscare; quod quidem non est oblivioni tradendum ut arbitror, maxime cum illud facere possemus de iure, et in emptione castri Pereti plenarie reperitur, et etiam in conventione inita inter comune Ianue et dictum Thomam scripta manu[95] ..... 1262 die .. plenius continetur. Quare missi fuerunt boscatores quam plures 95 in riperia occidentis apud boscum Baiardi, quod est de emptione Turrie, et inde extractum fuit totum lignamen necessarium pro fatiendis galeis comunis, quod quidem fuit pulcerrimum. Dum autem dicte galee fabricarentur per comune in Sancto Petro de Arena, et Pisani similiter facerent fabricari alias 50 galeas, in tantum dicta comunia contendebant de pari, quod comune Pisarum habebat unum scribam affidatum in Ianua qui ibat ubilibet per Ianuam et districtum, et qui publice notificabat comuni Pisarum per nuntios et litteras ea que fiebant per comune Ianue; et e converso comune Ianue habebat similiter unum scribam in Pisis qui similia fatiebat. Erant etiam ex utraque parte spie quatuor assidue, per quas cottidie utrumque comune de factis alterius poterat informari, et hec duravere per menses. In fine vero Pisani hec tollerare minime voluerunt, immo nostrum scribam licentiaverunt omnino, quare Ianuenses similiter licentiaverunt scribam Pisarum. Insuper ipso anno mense .... armate sunt galee 4 ad solidos, de quibus Guill lmus Ferrarius de Castro extitit capitaneus, et hoc causa portandi apud Bonifatium balistarios et servientes. Pisani armaverunt galeas 7, de quibus extitit admiratus ......, iverunt post nostras; cumque fuissent in Corsicam, castrum Calvi expugnaverunt, sed nichil ibi facere potuerunt. Cum autem dictus Guillelmus per partes Calvi rediret, et esset quasi in introitu portus[b] castri predicti, galee predicte Pisanorum nostras posuerunt in fugam, que per remorum fortiam evaserunt. Galee vero Pisanorum volentes redire Pisas, quatuor ex eis in gulfo Nebii perierunt in terra, nichil mali per Dei gratiam Ianuensibus alicubi inferentes. Supradicto itaque anno armate fuerunt in summa diversis diebus per comune Ianue galee 39, ut seriatim superius denotavi; de aliis vero galeis que armate dicto anno fuerunt et que de cetero armabuntur per mercatores euntes in Romaniam et Provintiam et alibi per diversas mundi partes, non fatiam hic mentionem, quia fuerunt tot numero et tam sepe, quod esset difficillimum omnia per ordinem in scriptis redigere, et forte legentibus tedium generaret. Dicto etiam anno circa principium unam sagiteam homines de Portu Venere armaverunt, que nominabatur Verdeta[c], et euntes apud Arnum invenerunt ibi barcham unam in qua erant grani mine 300, et unam platam honeratam de pipere et cotono que exhoneraverat de nave una que illis diebus de ultramare venerat ad portum Pisanum, easque cepit, et apud Portum Venerem secum duxit; valuerunt autem circa libras 2000 Ianuinorum. Alia etiam sagitea in Bonifatio armata in cursum, dum ad insulam Pontie pervenisset, invenit ibidem in portu navem unam Pisanorum de duabus cohopertis de Alexandria venientem. Cumque eam habere non posset, incidit eius oreas[d, 96], ita quod ivit ad terram, sic 96 quod fracta fuit et merces devastate que erant in ea. Unde vero sagiteam predictam de dictis mercibus honerarunt ad eorum propriam voluntatem. Ipsis vero temporibus navis quedam Pisanorum de Tunexim vadens Pisas dum esset supra Resagibel, quamdam navem Cagnoli Ianuensis et burgensis Maiorice invenit, eamque cepit, et secum apud Pisas duxit. Ipso etiam anno armate sunt in Calaro per Pisanos galee due et unus galionus in cursum, iveruntque apud Tunexim; inventamque ibi quamdam taridam Ianuensem, Rubei scilicet de Carlo, ceperunt, quam rex Tunexis postea emendavit, eo quod in portu suo

a) permissit 1. b) *in marg. suppletum* 1. c) Vendetta *ed.* d) *ita* 1. orreas 2.

95) manu Ade de Monte notarii a. 1261. d. 2. Septembris, quod vide in Libro iurium Ianuae I, 1395.
96) frena, i. e. retinacula navis.

1282. capta extiterat. Heedem etiam galee in instanti in dicto portu Tunitii debellaverunt quandam naviculam Rati de Finario, eamque habere minime potuerunt, immo dampnum magnum ipsi Pisani in eius debellatione receperunt per nostros.

Eodem quoque anno domnus Karolus princeps Salernitanus, maior filius Karoli regis Scicilie, mense Iulii discessit de Provincia pro eundo in Ampuliam, et per Ianuam transitum fecit cum hominibus 600 ad arma.

Eodem quoque anno don Sanctus, maior filius Anfosi regis Castelle, inventa occasione quod pater eius bona dissiparet regni Castelle, et ea conferret Ytalicis, induxit quasi omnes barones Yspanie ut cum eodem contra patrem rebellarent, sicque factum est quod privatus 97 est regno quasi toto et datum dum[97] Sancto predicto. Que cum Beneusef soldanus Murochi audisset, misit ei dublerios auri 200,000, ac personaliter cum magna quantitate militum venit in subsidium dicti regis Anfosii, qui eidem antea inimicus extabat, dicens ei: *Quia inconveniens est et enorme ut filius patrem expellat a regno, ideo in auxilium tuum veni; et cum optinueris contra filium, pro certo cognoscas, quod ita ero tuus inimicus ut prius eram* [a].

Hoc etiam anno Michael Palealogus imperator Grecorum obiit mense Decembris [b], et Andronicus eius filius primogenitus fuit imperator post patrem. Quia [c] vero dictus Palialogus imperator per suos ambaxatores iuravit mandata ecclesie in concilio Lugdunensi tempore Gregorii pape X, Greci noluerunt eum [d] tradere sepulture, asserentes ipsum fuisse hereticum pro predictis; nec filius eius hoc facere potuit subsequenter timore ipsorum, immo [e] in uno tumulo est positus super terram [f].

1283. Anno Domini 1283. Isto quidem anno fuit potestas Ianue prenominatus domnus Michael de Salvaticis, predictis capitaneis civitatem Ianue regentibus cum eodem. In quo quidem anno quot galee per comune Ianue armate fuerunt, et quedam que per ipsum comune acta sunt, inferius breviter prout potero denotabo. Non enim bene memorie comendari nec etiam de facili posset credi, quot honores et quot lucra hominibus Ianue pervenerunt, et e contra quot dampna et quot detrimenta personarum et rerum ac terrarum evenerunt hominibus et comuni Pisarum.

Isto anno mense Februarii armate fuerunt in Ianua galee 3 ad solidos, de quibus Guillielmus Ficusmatarius fuit capitaneus constitutus. Cumque esset in partibus insule Elbe, et quandam navem Pisanorum videlicet Iovi Mosce venientem de Calaro invenisset, et se prepararet ad expugnandam eandem; ecce quedam galea Paganini de Marino de Romania cum mercatoribus veniens apparuit simul cum ea; ad expugnationem dicte navis unanimiter processerunt, sic Deo propitio viriliter expugnantes ascenderunt in eam, captamque duxerunt in Ianuam cum hominibus 113. Erat enim honerata grano carne et caseo; ac etiam bona quantitas argenti erat in ea, sic quod valuit libras 15 milia Ianuinorum. Ceperat etiam dictus Guillielmus antea navem unam Pisanorum importu Sancti Stephani Montis Argentarie, et alias plures barchas, quas secum in Ianua ducebat, et omnes incendio concremavit, dum obviavit navi predicte, quam pre aliis cupiebat habere. Pisani autem videntes et vehementer dolentes, galeas 16 armaverunt, de quibus Rubeus Busacharinus extitit admiratus, que apud Saxarum[98] milites 150 portabant. Verumtamen apud San tam Amantiam primitus accedentes, et ibidem descendentes in terram, ad devastationem vinearum et arborum Bonifatii perrexerunt cum iudice Cinarche predicto, quia illuc in eorum auxilium venerant. Deinde ascendentes in eis et in Sardinia [g] accedentes, milites apud portum Turris [h] posuerunt, et Sardiniam et Corsicam pervagantes, nichil dampni amplius Ianuensibus inferentes, apud Pisas sunt reverse. Circa principium etiam dicti anni armate fuerunt in Pisis galee 9 et barche 9 pro portandis in Corsica militibus ac peditibus in offensione Ianuensium qui terras in Caput Corsi tenebant. Cum autem Ianuenses hec cognovissent per spias, armaverunt privatim galeas 9, de quibus Idetus Mallonus et

a) *in imo margine manu postera legitur:* Mixit etiam litteras summo pontifici inter alia continentes, quod vehementer soldanus mirabatur, quod cum ipse erat pater christianorum qualiter ..... *reliqua abscisa.* b) al. setembr. *in marg.* 1. *alia manu.* c) *quae sequuntur, alio atramento in loco raso scripta sunt* 1. d) *in marg. additum* 1. e) i. i. u. *alia manu deletis prioribus scripta* 1. f) *reliqua columnae pars vacat* 1. *In ima paginae ora scribitur alia manu minuta:* Misit etiam litteras summo pontifici inter alia continentes, quod vehementer admirabatur, quod cum ipse esset Palialogus christianus, qualiter vetaret .. *reliqua abscisa* 1. g) sar 1. h) turis 1.

97) i. q. supra lin. 6. *Don,* Hispanis et Italis usitatum. 98) Sassari in Sardinia.

Montanarius Squarzaficus capitanei extiterunt, quibus tractatus datus fuit sigillatus. Datumque fuit in mandatum eisdem, quod illum minime aperirent donec apud insulam Caprarie pervenissent. Cum autem die .......... circa vesperas ad dictam insulam pervenissent, guardiam posuerunt in terram, que statim nunciavit eisdem se velas 18 videre, quas galeas esse putabat. Nostri autem non aperto tractatu, imo credentes sibi positas fuisse insidias, versus Bonifatium fugierunt. Cumque illuc pervenissent atque tractatum aperuissent, cognoverunt dicta vela fuisse galee 9, et dolore ac verecundia moti versus Palamisiam fuere reversi, ac descendentes in terram, arbores et ea que erant extra terram Palamisie devastarunt, deinde Ianuam cum verecundia magna fuerunt reversi[a]. Quia vero in precedenti anno fecimus mentionem de rege Karolo et de rege Petro Aragonum, ideo hic aliqua de eis breviter narrabuntur, quoniam miraculosa videbuntur legentibus in futurum. Nam dictus rex Karolus reversus de obsidione Messane, et apud Regium in Calabria moram trahens, circa festum nativitatis Domini verba delata sunt per utramque partem taliter, quod uterque rex promisit personaliter preliari cum armis propriis, et ab utraque parte esse debebant milites 100 ipsis regibus non computatis, et esse debebant in terra regis Anglie in Guascogna in loco qui dicitur Bordel[99] die prima Iunii, et dictus rex Anglie campum custodire debebat ne ultra promissa per violentiam per aliquam partium aliquid ageretur. Ita rex Karolus mense Februario discessit de Regio et usque Motronum in Tuscia venit per terram, ibique mense Martii galeas ascendens, in Provintiam properavit, et equi et gens sua transierunt per Ianuam dicto mense euntes in Provintiam, deinde ad regem Frantie. Dictus autem Karolus princeps Salerni eius filius apud Regium perrexit, set parvam ibi trahens moram, apud Seminariam se retraxit, deinde apud[b] Montem Leonis. Dictus vero rex Petrus Farum[c] transiens cum gente sua, Regium cepit die[d] 22. Februarii, deinde Seminariam. Revertens autem Messanam, versus Trapenam equitavit, ibique mare intrans[e], die 6. Madii cum duabus navibus et una galea in Cataloniam navigavit, et assotiatis sibi duobus militibus tantum apud Bordellum privatim ire festinavit, ibique fuit ante festum beati Iohannis baptiste per dies 8. Cumque privatim a nuntio regis Anglie didicisset, regem Francie velle dicto prelio interesse, et quod iam personaliter in dicto loco venisset, et quod legatus domni pape preceperat dicto regi quod dictum prelium ullo modo facere non deberet, et etiam regi Anglie sub excommunicationis pena in mandatis dedisset ne in aliqua terrarum suarum huiusmodi prelium ullo modo fieri pateretur, videns predicta et non sine causa dubitans, in Aragoniam est reversus. Dictus vero rex Karolus per universas nationes litteras intimavit, sicut ipse die statuta fuerat in Bordello, rex vero Aragonum minime voluerit interesse. Insuper mense Iulii armate sunt in Marsilia galee 18 et una sagitea, portantes servientes et victualia apud Maltam, que pro dicto rege Karolo se tenebat. Illi de Sicilia hoc scientes, festinanter in Messana armaverunt galeas 22, et illuc euntes, in portu Malte preliaverunt ad invicem die[f] 6. Iulii, et[g] de Marsiliensibus galeis 9 captis, alie in Marsiliam redierunt. Hiis narratis ad nostram materiam redire intendo.

Ipso quidem anno dum comune Ianue audivisset predictas 16 galeas Pisanorum arbores et vineas Bonifatii devastasse, armari fecit galeas 6 ad solidos, de quibus Guillielmus Ficusmatarius fuit capitaneus constitutus, et 28 et unam sagiteam ad apodisias, et super omnes predictas vir nobilis Thomas Spinula fuit admiragius constitutus. Fuerunt autem armate peroptime, quoniam iverunt in eis magna quantitas nobilium tam de civitate quam de potestatiis, nec ullus se poterat nec volebat occasione aliqua excusare nisi esset infirmitate vel senectute gravatus. Igitur dictus admiragius cum suo felici stolio discessit de Ianua die ultimo Aprilis, et apud Portum Venerem celeriter properavit, ibique impeditus fortuna maris et venti, per dies 17 continue moram traxit. Galee autem 16 Pisanorum predicte interim redierant apud Pisas. Quare dicti Pisani audientes quod predicte nostre galee parabantur in Ianua, paraverunt galeas 54, de quibus vir nobilis ac potens in civitate Pisana, scilicet domnus Andriotus Sarracenus civis Pisanus, et qui socer erat domni Mariani iudicis Arboree, admiragius extitit ordinatus. Eratque similiter in eisdem magna quantitas nobilium et aliorum hominum de Pisis. Et moram fatientes apud portum Pisa-

a) *superiora inde a* Circa principium *nonnisi ope codicis* 2. *legi possunt, et plurimis locis deleta sunt* 1. b) *quae sequuntur in* 1. *deleta subsidio codicis* 2. *sistuntur.* c) farrum 1. d) d. XXII. F. *in marg. addita* 1. e) i. d. VI. m. c. d. n. et u. g. *in marg. addita* 1. f) d. VI. I. *in marg.* 1. g) *quae sequuntur melius leguntur in* 1.

99) Bordeaux.

1283. num, expectabant quid nostre galee facerent, de quibus omni die per suas spias certa nova habebant; et cottidie apud Portum Venerem venire de facili poterant, cum cottidie esset ventus ad levantem vel de syroco. Nostre vero versus levantem ire non poterant ullo modo.

Die autem 17. Madii facto tempore tranquillo et bono noster admiragius cum toto suo felici exstolio de Portu Venere discessit, et altum mare tenens, die Mercurii 19. Madii ad insulam pervenit Planusie. Erat quippe inhabitata hominibus pessimis et crudelibus. Et burgum ipsius statim cepit; deinde turres, quibus captis, omnes dirrui ac comburi mandavit ac etiam unum galionum et plures barchas eorum ibidem inventas. Captique fuerunt in terra iam dicta homines 150. Die vero sequenti cum nostrum exstolium sic staret, et consilium fieret inter nostros, quid esset agendum, ecce quedam barcha Pisanorum que de Kalaro veniebat ibidem applicuit, ignorans nostras adesse galeas; quam nostri videntes, ad eandem unam nostram sagiteam miserunt, eamque ceperunt. Erat quippe in ea magna quantitas litterarum, per quas cognoverunt aperte et etiam per homines in ea captos, quod naves 5 de tribus cohopertis et una tarida et galee 5 et unus galionus erant parate in Calaro ad veniendum Pisas, honerate grano, carne, caseo et assungia, eratque in eis magna quantitas argenti, et multi mercatores et etiam milites de Kalaro et alia Sardinia descendentes, et movere omnino[a] debebant die 24. Madii. Unde mittebant comuni Pisarum, quod haberent eis obviam comitivam suffitientem galearum in partibus Montis Christi, ut Pisas secure valerent accedere. Habitoque statim cum sapientibus nostrarum galearum consilio, cum panatica pro omnibus nostris galeis ad sufficientiam non adesset, elegerunt pro meliori Ianuam remittere galeas 13 cum carceratis Pisanis et cum Ianuensibus vulneratis in debellatione Planusie, et panaticam non acceperunt de eis nisi quantum sufficere posset in diebus 4, quod poterant esse in Ianua. Prefeceruntque quoque eisdem virum nobilem Henricum Squarzaficum, qui cum eis de Planusia movens die 21. Madii, Ianuam applicuit die 24. mensis eiusdem. Dictus autem Thomas admiragius nostri felicis extolii cum galeis 21 et una sagitea de Planusia velificans die 22. Madii, cepit versus Sardiniam navigare, per eam videlicet viam, per quam credebat naves et galeas Pisanorum predictas posse melius invenire. Die vero 23. Madii galee 54 Pisanorum, de quibus supra dictum est, applicuerunt Planusiam in mane, inventaque ea destructa, non modicum condolentes versus Sardiniam navigare ceperunt; et cogitantes de destructione loci predicti sumere vindictam, ad Sanctam Amantiam perrexerunt, et descendentes[b] ibidem per terram versus Bonifatium perrexerunt, et omnia que extra muros erant devastaverunt, tamen multos homines perdiderunt ibidem, quoniam quam plures eorum fuerunt vulnerati et mortui. Postea vero ad obsidionem Allegerii in Sardinia perrexerunt, quod per quosdam nobiles de Ianua tenebatur; miseruntque iudici Arboree predicto, quatenus cum suo exfortio ad obsidionem dicti Allegerii accederet festinanter. Cumque in obsidione dicti castri stetissent continue per terram et per mare per dies 18, nec illum vincere potuissent, in fine illi qui in dicto loco aderant, sub certis pactis et conditionibus se reddiderunt in manibus dicti iudicis et admirati Pisanorum, videlicet quod inde possent extrahere usque ad dies 3 totum ad eorum voluntatem, et quod dictus locus dirrui non deberet; et hec quidem dicti iudex admiragius et multi nobiles Pisanorum qui ibi aderant iuraverunt; que quidem non fuerunt in aliquo observata; immo in continenti dictum locum funditus dirruerunt et homines bonis omnibus spoliarunt. Unde postea quando comune Pisarum venit cum comuni Ianue ad pacem, oportuit inde facere mendam, eo quod hec fecissent contra fidem promissam, prout in pace facta plenius continetur.

Dum hec per Pisanos taliter agerentur, dictus admiragius Ianuensis in Sardinia in mari de Kira applicuit die sabbati 29. Madii circa vesperas. Et ecce in mari per miliaria circa 15 dicta ligna Pisanorum apparuerunt, circa horam vero complectorii intravit ventus ad Provintiam qui dominus est ventorum aliorum cum tanta fortuna maris et venti, quod impossibile videbatur Pisanis, ut postea retulerunt, quod alique galee essent ause morari in mari, sic etiam quod per hoc ipsi Pisani nostrorum probitatem et audatiam plus dubitare ceperunt. Duravit autem dicta tempestas continue usque ad diem lune proxime venientem, qui fuit dies ultima dicti mensis. Naves vero Pisanorum nostras recognoscentes galeas, altum mare cum galeis tribus tenere ceperunt; alie vero due galee et galionus se strinxerunt ad terram. Galee autem Ianuenses continue de die et nocte cum finariis[1] dictas

a) omni anno I. b) discedentes I.

1) i. q. funalibus facibus, luminibus.

naves insequebantur. Tres autem de nostris galeis dictas duas galeas et galionum insecute fuerunt, de quibus Iaffetus de Arenzano vir magne probitatis, comitus unius de nostris galeis, in tantum unam ex Pisanorum galeis insecutus fuit, quod prope Agoyastrum ferivit in terram. Ipse vero descendens in terram, et homines persequendo, cum eos non posset habere, galeam de terra extraxit, et eam duxit apud Bonifatium. Alia vero galea et galeonus nocte superveniente evasit. Alie vero duo galee Ianuensium invenerunt prope terram quandam taritham[2] Pisanorum que erat in societate predictarum, honeratam grano et caseo, eamque ceperunt et Bonifatium deduxerunt. Dicta autem die ultima Madii facta maxima tranquillitate maris et venti, naves Pisanorum et galee tres eorundem se strinxerunt et ligaverunt ad invicem. Galee autem Ianuensium ceperunt se parare ad bellum, et facto insultu in eos per nostras galeas, et prelio hinc inde maximo commisso, ad ultimum dicte naves in ore gladii per nostros capte fuerunt; Ianuenses vero easdem ascendentes viriliter et potenter armantes, et aliam sartiam dictarum navium inciderunt Cumque esset in mari in tantum quod etiam terram alicubi videre non possent, et naves propter incisam sartiam ducere non possent, accepto argento quod erat in eis in maxima quantitate et rebus subtilibus atque Pisanis qui erant in eis, igne concremarunt easdem et versus Bonifatium procuraverunt venire. Cum autem in partibus Piccarie pervenissent, obviaverunt predictis tribus nostris galeis, que narraverunt eisdem quemadmodum predictam caracham et unam galeam ceperant Pisanorum, et quemadmodum stolium Pisanorum et iudex Arboree erant in obsidione Alegerii. Dictus noster admiragius habito sapientum qui cum eo erant consilio, Ianuam redire curavit. Applicuit igitur Ianuam die 22. Iunii sanus et incolumis cum toto exstolio eidem commisso, receptusque est ab omnibus cum maximo gaudio et triumpho, ac in carceribus comunis Ianue 930 consignavit homines carceratos preter illos qui perierunt in bello, et marchas argenti valentes libras 28 milia Ianuinorum in dictis navibus captis, ex quibus 10 milia Ianuinorum operi darsane que est extra portam Vacharum consignate[a] fuerunt. Dimisit autem apud Portum Venerem Guillielmum Ficum vicarium cum galeis 4 de predictis, que in offensione Pisanorum erant armate ad solidos, qui cum duabus ex eis cum Pisanorum vexillis ad portum Pisanum perrexit; et cum crederentur Pisanorum esse galee, duo antiani civitatis Pisane, qui ibant in una vacheta[3] armata cum hominibus 18 causa muniendi portum Pisanum, iverunt ad nostros, quos cepit et Ianuam duxit.

Dum supradicta taliter agerentur per utrumque exstolium, armata fuit optime una galea in Ianua, cui prefuit Henricus de Merlo de Castro, ut iret versus dictum Thomam Spinulam admiragium galearum nostrarum, et eidem notum faceret, quemadmodum predictus admiragius Pisanorum cum galeis 54 discesserat de portu Pisano, et quando; sed dictus Henricus nostrum admiragium non invenit. Interim admiragius Pisanorum, audito de captione suarum navium ac etiam galearum, versus Pisas festinavit redire cum tristitia et dolore; set fortuna temporis 15[b] ex eorum stolio discesserunt, et apud Calarum pervenerunt. Relique vero cum suo admiragio se in portum Faresie recluserunt, ut inferius describetur. Ianuenses vero audientes quod galee predicte 54 erant armate in Pisis, et timentes de nostro exstolio cui preerat dictus Thomas, paraverunt galeas 54 et unam sagiteam, ex quibus quatuor ex eis erant armate ad solidos pro guardia fatienda. Relique 50 armate fuerunt optime ad apodisias[c] tam de nobilibus civitatis et popularibus, quam de potestatiis et tota riperia. De quibus domnus Conradus Aurie, filius domni Oberti capitanei comunis et populi Ianue, fuit admiragius constitutus. Eratque in eis mirabilis iuventus vestita diversis cognoscentiis de cendatis, drapis deauratis et aliis pulcerrimis drapis de seta. Discessit autem de Ianua die dominico 27. Iunii, ut posset predictas galeas 54 Pisanorum invenire extra portum Pisanum. Et die sequenti in mane in vigilia beati Petri apostoli applicuit apud portum Pisanum; in quo quidem die Pisani fatiunt festum maximum. Positisque galeis 4 pro guardia extra Veronicam, ibique stetit nostrum stolium prope turres portus Pisani per unam balistatam tota die ipsa et nocte sequenti et in die Martis usque ad tertiam, levando laudem comunis Ianue, et illis qui erant in turribus balistando, turrim[d] etiam Veronice dirruentes. Cum autem nullus exiret extra palos portus Pisani, noster admiragius volens invenire Pisanorum galeas iam dictas, quas audierat adhuc in obsidione Alegerii permanere, fecit viam de versus Plumbinum cum toto suo exstolio, et sagiteam unam misit

a) *scil.* libre. b) *scil.* galeae. c) podisias 1. 2. d) turim 1. 2) i. q. taridam. 3) navis minor.

1283. de versus Elbam, dans in mandatis eidem, ut faceret[a] viam inter Elbam et Caprariam, et inde versus Alegerium navigare festinaret; et si nova aliqua de predicto stolio Pisanorum haberet, rediret ad eum, qui faceret viam de Plumbino et inde inter Gigi et Montem Christi. Galee vero Pisanorum iam erant in plagia de Castagneto; et audientes, quod galee nostre erant apud portum Pisanum, retro redeuntes se inter palos portus Farexie recluserunt, optime se necessariis ad defensionem eorum munientes, ligna in hostio portus plena lapidibus affondantes. Nostri vero hec ignorantes, versus Plumbinum die ac nocte navigantes, die Mercurii ultima Iunii in mane pervenerunt super terram Plumbini, et premittentes galeas duas ad discohoperiendum portum Farexie, cognoverunt ibi adesse stolium Pisanorum, et cum gaudio maximo revertentes, predicto nostro admiragio narraverunt.

Nostri autem hec audientes, illares et iocundi se credentes cum inimicis preliari pro certo, arma sumentes perrexerunt versus Farexiam, modo et forma quo convenit preliari; set Pisani ad prelium exire minime voluerunt. Nostri autem hec perpendentes et cogitantes qualiter inimicos possent melius debellare et eos inde extrahere, paraverunt barlotas[4], et de scalis nostris galearum iunctis insimul fecerunt pontes in mari, ut eis melius appropinquare valerent. Erat enim parvus fundus de passibus duobus usque in tribus, preter in uno canali, per quod ligna intrant ibidem, in quo ipsi Pisani iam affondaverant barchas quam plures lapidibus plenas. Ingnorabatur autem in nostro exercitu de illis galeis 15 Pisanorum, que propter fortunam temporis ut dictum est apud Kalarum iverant. Tamen semper de die et nocte galee quatuor per nostros in guardia tenebantur longe per miliaria circa sex apud insulam que Cervi dicitur, que est inter Plumbinum et Elbam, que omnia ligna ibidem transitum fatientia, et de Kalaro Principatu et aliunde venientia, ad armiragium apud Farexiam transmittebant, cuiuscumque nationis extarent; qui inimicos retinens, ab amicis obsides accipiens Ianuam transmittebat, sicque quod de eis misit ligna quam plura honerata grano carne et caseo. Cumque sic die ac nocte permanerent, cogitando semper inimicos offendere, ecce quod die dominico 4. Iulii in ortu solis galee nostre de guardia intersignia fecerunt[b], per que cognovimus, eas videre ligna quam plura. Erat quippe[c] hora illa maxima tranquillitas maris ac venti. Admiragius hec videns, precepit galeas 22 de nostris, quod ad custodiam portus Farexie taliter permanerent, ne inde possent inimici recedere ullo modo, si contingeret nos ligna, que videbamus, longo debere sequi itinere. Admiragius iter arripiens cum galeis 32 versus ligna que iam apparebant, cognovit eas esse Pisanorum galeas. Cumque essemus cum dictis nostris galeis prope dictam insulam Cervi per miliare circa unum, ventus cepit esse fortis mirabiliter ad sirocho. Pisani autem discohoperientes nostras esse Ianuensium galeas, quamvis a principio esse crederent Pisanorum, scilicet comitivam eorum, ultimam spem habentes in vento quod optimum erat pro eis, in vie etiam brevitate, velis plenis per nostras galeas transitum fatientes, ad plagiam Plumbini ferierunt in terram, ut vitam possent evadere; sic quod de eis habere nisi quatuor minime potuimus, ex quibus una fuit submersa, quamvis per nostras multe ex eis fuerint investite, ita quod etiam sepius una de nostris impediebat alias nostras propter nimiam voluntatem, velud lepus que a pluribus canibus insequitur deviando aufugit. In galea autem predicta Pisanorum que ex percussione nostrarum submersa fuit, erat quidam nobilis civis Pisanus nomine Tambaia de domo Sismundorum, qui redibat de Saxaro ubi extiterat potestas pro comuni Pisarum, et dictarum galearum 15 fuit admiragius constitutus; qui licet vivus captus fuerit, tamen infra modicum tempus decessit; percussus enim erat mortaliter de uno quarello in cerebro. Invenerunt autem sibi Pisani minus, ut fratres in dicto loco nobis postea retulerunt, homines inter captos et vivos circa 1000, preter vulneratos qui fuerunt in maxima quantitate in illis galeis que evaserunt ad terram. Cum autem haberemus in nostris galeis de Pisanis captis circa 600, inter quos 150 et plus erant graviter vulnerati, ordinatum fuit inter nos quod veniremus ad portum Pisanum et aquam levaremus in Arno, carcerati vero Pisani mitterentur in Ianua in duabus galeis, et postea rediremus apud Farexiam in obsidione predicta, sicque die 5. Iulii circa tertiam admiragius cum toto suo exstolio de Farexia discessit. Cumque essemus circa vesperas, tanta vis venti ad sirochum invaluit et que tota nocte sequenti duravit, quod apud Portum Venerem currere nos oportuit; quedam etiam de nostris galeis venerunt in Portum Dalfini et quedam in Ianua. Dictus autem ventus per dies quatuor continuos sic contrarius et fortis

a) facerit 1. b) *deest* 1. 2. c) quidpe 1.

4) naves leves; v. supra a. 1265.

duravit, quod versus portum Pisanum redire minime potuimus. Pisani vero ventum 1283.
habentes ad libitum, ad portum Pisanum cum omnibus galeis suis que eis remanserant pervenerunt, et se intra cathenam posuerunt portus Pisani. Nos vero hec audientes et moram apud Portum Venerem fatientes per dies 12, cum Pisani nichil facerent, Ianuam redivimus sani et yllares die 19. Iulii, et in carceribus comunis Ianue consignavit noster admiragius homines 584 preter illos qui medio tempore decesserunt.

Eodem anno cum dictum esset in Ianua, quod quidam civis Pisanus nomine Bindo Bufaro armaverat in Kalaro galeas duas et unam navem, et quod intraverat Hyspaniam, et iam navem Hugolini Baioni Spinule ceperat honeratam mercibus burgensium Maiorice, armate sunt per comune Ianue galee 5 et unus galionus ad solidos et ad quatuor menses, de quibus vir nobilis Philipus Cavaronch fuit capitaneus constitutus. Qui pergens in Hyspaniam, inimicos invenire non potuit. Dum autem rediret per garbum et pervenisset Buzeam, ibidem nova certa habuit, quod navis una honerabat in Zizari de lana et mercibus Pisanorum, et illuc velociter proficiscens eam invenit et cepit, ac Ianuam transmisit, que valuit libras 5221. Dictus autem Bindo cum suo armamento et nave facta[a] predicta apud Kalarum est reversus. Pisani autem sibi ad animum revocantes, quod nostre galee in suis partibus traxerant tantam moram, armaverunt galeas 64, de quibus Rubeus Busacharinus nobilis civis Pisanus de domo Busismundorum fuit admiragius ordinatus. Et fatientes magna verba per civitatem Pisanam et etiam per totam Tusciam, iniuncxit illi qui preerat spiis eorum, quatenus litteras transmitteret illis de Ianua qui preerant per comune Ianue spiis nostris de hac materia, videlicet quod comune Pisarum paraverat galeas 64 et platas[5] et trabuchos, et lapides faxiatos[6] de scarleto rubeo, et quod venirent tam prope Ianuam, quod lapides iam dictos in modulo proicerent. Quod cum capitaneis per Ianuenses nostros fuisset narratum, capitaneus Aurie eis iniuncxit quod taliter responderent: *Miramur quod tales litteras non estis consueti nobis rescribere, set domnus Obertus Aurie noster capitaneus sic dicit: Audivit aliquando dicere, quod trabuci sunt ingenie que multum a longe proitiunt; set si ipsi Pisani intrabunt in mare, ipse in tantum appropinquabit eisdem quod inter eum et vos non erunt necessarii trabuci nec baliste, nec alique ingenie que a longe proitiant.* Dictus autem admiragius Pisanorum die .... Septembris apud Portum Venerem cum dictis galeis accessit, cumque descendissent in terram cum hominibus galearum in loco qui dicitur Capud Castaneae, pro vineis et arboribus hominum Portus Veneris devastandis, homines illarum partium undique concurrentes ibidem irruerunt in eos, et vertentes eosdem in fugam, plus quam trecenti ex eis in mari et in ore gladii perierunt. Cum autem de Pisanorum adventu ad notitiam hominum Ianue pervenisset, infra dies tres paraverunt 70 galeas peroptime preparatas, de quibus domnus Obertus Aurie capitaneus comunis et populi Ianuensis admiragius extitit ordinatus. Qui cum dicto extolio versus Portum Venerem velociter properans, Pisani habentes suas galeas in guardia, dum vidissent velas nostrarum galearum, que iam super Capud Montis pervenerant, quam citius etiam cum turpi et periculoso tempore recedere curaverunt. Nostri autem apud Portum Venerem accedentes, et invenientes Pisanorum stolium recessisse, Ianuam redierunt, maxime propter tempora vindemiarum et hyemis que instabant. Tunc temporis post reversionem galearum nostrarum data est licentia omnibus Ianuensibus navigandi, et apertum devetum quod usque ad illud tempus duraverat. Cumque post hec quam plures naves de Ianua discessissent, navis Thome Spinule et Andrioli de Volta que ibat cum mercatoribus in Romania dum essent in Sardinia in mari supra Capud Corvivi, obviavit navi cuiusdam Pisani qui nominatur Guelfus Pandulfi, honerata grano et aliis mercibus et argento de Kalaro venientem, quam in continenti ceperunt; cumque arborem fractam haberet, accepto argento et hominibus navem posuerunt in fundo[b].

Eodem etiam tempore quidam Sardus de Saxaro nomine Petrus Remenarius episcopus Iusarcensis, diocesanus Turritani archiepiscopi, venit in Ianua, asserens se et suos potestatem habere de Saxaro, et velle quod comune Ianue illum habere deberet. Set quam cito pars eius contraria de Saxaro hoc audivit, fratrem eius in continenti cepit atque in carcerem detrusit, alios vero amicos ipsius ac fautores aliquos interfecit, aliquos extra

a) capta *ed.* b) *posteriori manu in margine addita in* 1: Eodem quoque anno mense Septembri Michael Paleologus imperator Grecorum obiit anno imperii sui 24, et Andronicus Paleologus eius filius post ipsum imperat annis. *Et alia manu* ........ per ........ unde quere veritatem. 5) naves planae. 6) i. e. fasciatos.

1283. Sasarum expulit. Ipse vero cum comuni Ianue certa pacta inivit, que scripta sunt manu 7 Benedicti de Fontanegio notarii die 30. Augusti[7]. Qua de re comune Ianue factis Sardorum intendere volens, armari fecit ad apodisias[a] galeas tres et taridas 5 pro militibus et peditibus in offensionem Pisanorum et hominum de Saxaro in Sardinia deportandis, de quibus domnus Henricus de Mari miles fuit admiragius constitutus. Receptus est tunc temporis ad gratiam comunis Ianue etiam domnus Muruel marchio Malaspina, cum antea ab hominibus Ianue valde odio haberetur, pro eo quod currente anno Domini 1278. burgum Clavari manu armata intravit, ut superius dicto millesimo est narratum; et ob hoc comuni Ianue promisit ascendere infra certum tempus in Sardinia personaliter cum hominibus 50 ad solidos comunis, et comune Ianue cum toto suo exfortio quod ibidem habebat in Sardinia adiuvare promisit, ut in conventione scripta manu Gabrielis Capriate dicto millesimo plenius continetur. Fuit autem capitaneus et dominus dictorum militum et peditum constitutus domnus Cazanimicus de Volta iuris peritus; qui tamen tunc temporis cum ipsis non ivit, set dicto domno Henrico de Mari fuit eorum commissa custodia, ipse vero cum certa quantitate militum ac peditum postea in aliis galeis que armate fuerunt, et de quibus Petrus Archantus fuit admiragius, ascendit in Sardiniam ut in suo loco dicitur. Milites igitur et pedites ascendentes in dictis galeis in portu Dalfini die .. Decembris ...., applicuerunt in Sardinia apud castrum Ianuense in vigilia nativitatis Domini, eosque in dicto loco deposuit et cum eis ibidem per dies octo moram traxit; postea dimissis ibidem militibus ac peditibus, cum galeis apud Bonifatium est reversus. Cumque in illis galeis essent quam plures homines de nostris montagnis qui ignorabant vogare, velut homines qui nunquam mare intraverunt, ac etiam plures infirmi, in Bonifatio dimisit eosdem et tres taridas cum eis, ipse vero cum aliis in gulfum Kalari navigavit, ibique per dies 21 moram traxit, habens in proposito in suo reditu in Bonifatio secum in Ianua transducere.

Eodem anno Pelegrinus Panzanus de Alexandria in Constantinopolim navigans, quandam navem Pisanorum in partibus Cypri invenit; eam captam et mercantia in navi sua posita, combussit.

Eodem quoque anno armate sunt galee 3 in cursum per Manuelem Curlaspitum de Saona et per Loarengum et Bonummeliorem de Arenzano, et a comuni Ianue panaticam habuerunt, pro qua Pisanos quos caperent ei dare promiserunt, et etiam panaticam reddere si eam lucrarentur. Que Trapanam navigantes et navem unam Pisanorum ibidem invenientes, eam ceperunt. Dictus autem Bonusmelior cum una galea in Syria proficiscens, navem unam Pisanorum ibidem inventam et plura ligna munita combussit, ac etiam plura dampna eisdem contulit. Galea vero Loarengi predicti versus Terram novam pergens, ibidem quandam navem Pisanorum invenit; que cum de dicta galea nova habuisset, 40 balistarios Cathalanos ad solidos acceperunt et posuerunt in ea; dictus Loarengus minus caute in navem insultum fatiens, Pisani cum hominibus in ea existentibus retinuerunt eandem. Ipso etiam anno armata fuit galea una in Ianua causa persequendi cursales, de qua Iaferus de Arenzano fuit comitus constitutus, qui die 2. post captionem predicte galee in dictam navem insultum fatiens, de uno quadrelo fuit vulneratus et mortuus, et dicta galea inimicis nil mali intulit.

Eodem quoque anno cum Marinus Furnus de Portu Venere apud insulam Gigi cum una sagitea de remis 48 extaret, ecce quedam navis Pisanorum vino honerata de Neapoli veniebat. Cumque in pelago ibidem se ponere vellet, dictus Marinus exiens cum clamore maximo, tamquam ibi adesset stolium galearum, et laudem comunis clamando, navis timens velis plenis ferivit ad terram, sicque fracta fuit, et homines evaserunt. Miroaldus etiam de Nigro cum[b] in Sciciliam cum una sua navi pergeret, in Panormo quandam navem Pisanorum invenit eamque cepit, et in Constantinopolim secum duxit. Mussus insuper Cibo armavit unam galeam causa eundi ad regem Tunexis, de qua Rolandus Ascerius extitit comitus, et panaticam habuit a comuni, pro quibus Pisanos quos caperet eidem dare promisit, et etiam panaticam si lucrarentur eandem. Pisani hec audientes fecerunt unam aliam galeam armari in Kalaro; que cum se prope Zemulum in gulfo Tunexis invenissent, preliaverunt ad invicem, et per Dei gratiam nostris cessit victoria, sicque galeam Tunexis transduxit et eam regi donavit. Homines vero in ea captos in diversis navibus comuni transmisit, et in carcere regis Tunexis plures remanserunt.

a) podisias 1. b) *deest* 1.

7) Lib. iur. II, p. 54. W.

In tempore dicte potestatie, 1284. mense Ianuarii armate sunt in Ianua galee 12 ad 1284. apodisias [a], de quibus Petrus Archantus fuit armiragius constitutus, in quibus dictus Cachenimicus de Volta predictus et domnus Muruel Malaspina cum suis 50 militibus et dictus episcopus Iusarclensis iverunt, atque die 2. Februarii in portu Turris alacriter pervenerunt. Depositis vero ibidem militibus, dictus armiragius versus Kalarim in offensionem inimicorum perrexit. Cumque ad capud terre pervenisset, ibique quandam barcham Pisanorum invenit et cepit, per quam didicit 8 ligna Pisanorum in Kalaro esse armata et versus Barbariam navigasse; sic in continenti eadem insequens dum pervenisset Buzeam, ibidem didicit Pisanorum ligna navem Nicole Matalafi burgensis Maiorice ibidem preliasse, et eandem versus Maioricam insequentes, sicque postea versus Maioricam navigavit. Cumque eam [b] invenire non posset, ob defectum panatice rediit in Ianua. Dicta autem ligna Pisanorum navem predictam habere minime potuerunt. In reditu vero quem in Sardinia fatiebant invenerunt quandam taridam Petri Bertosi burgensis Maiorice que de Ianua veniebat, quam ceperunt et secum Kalarum deduxerunt. Supradicto igitur anno armate fuerunt in Ianua per comune galee 199, ut seriatim superius denotavi.

Hoc anno fuit potestas Ianue dictus domnus Michael de Salvaticis, predictis capitaneis cum eodem civitatem regentibus.

Eodem quoque anno circa ramos palmarum Anfossus nobilis et largus rex Castelle a filio suo dun Sancto iniuste regno privatus, dolore potius quam infirmitate detentus obiit; cui dictus dun Sanctus [c] eius filius eidem successit in regno.

Eodem anno armate sunt in Pisis per Zonum Scornesanum galee 2; que versus Principatum navigantes, de portu Neapolis, videlicet extra palos, quandam navetam Iohannini de Coronato cum hominibus 12 extraserunt, deinde in Sciciliam perrexerunt; que dicto anno capta fuerunt per nostras galeas mercatorum euntes in Romaniam, ut dicetur inferius.

Ipso etiam anno Matheus Pazus frater Tambaie, de quo supra fecimus mentionem, in vindictam fratris sui apud Farexiam in prelio interfecti, in Pisis galeas 2 et unum galionum armavit, que vocabantur galee de Vengnanza [8]. Cum autem in mare de Sanguenaria pervenissent, obviaverunt duabus de nostris taridis, que ut supra diximus in Bonifatio remanserant; nam cum ipsi per menses circa duos ibidem moram traxissent, nec ultra haberent quid comederent vel expenderent, proposuerunt se periculo maris et gentium se exponere. Cum autem dicte Pisanorum galee cum tubis et clamoribus maximis in dictis taridis fecissent insultum, homines nostri se viriliter defenderunt, in tantum quod si fuissent bene muniti et maris exercitati, cepissent easdem. Nam acceperunt ligones et sapas quas secum habebant, et pupim unius galee Pisanorum frangere ceperunt, et ignem imponentes in ea, ac pupim ascendentes, vexilla deposuerunt de ea. Pisani satis leti quando a nostris separati fuerunt, versus Barbariam navigarunt, taride vero due nostre predicte Ianuam pervenerunt sane et incolumes. Licet enim dicantur taride, erant tamen in modum galearum habentes remos 120 pro qualibet. Comune autem Ianue attendens probitatem eorum, et ut alii forcius animarentur et inde exemplum bonum caperent, absolvit eos toto dicto anno ab omnibus personalibus avariis.

Hoc quoque anno Pisani dederunt omnem potestatem et bailiam comiti Hugolino et domno Andrioto Saraceno iam dicto, ut iuxta eorum arbitrium in offensionibus comunis Ianue providerent; qui cum comune Ianue mitteret quandam sagiteam de Portu Venere de remis 56 nomine Verdetam [d] ad dictum Cazanimicum de Volta, comune Pisarum habentes nova de ea per spias, miserunt apud Gorgonam quendam de Plumbino nomine Durolinum cum uno ligno armato de remis 72, qui ibi dictam expectans sagiteam cepit et Pisas deduxit, de qua fuit in Pisis festum maximum celebratum. Ipse autem Durolinus dum iret postea in cursum cum dicto ligno et cum uno alio nomine Rosignolo, Venciguerra Zacharias de Tunexim veniens cum ligno uno qui Tartarinus vocabatur, eis obviavit in Capite Corso, et dictum lignum cepit et Ianuam secum duxit, aliud vero lignum auffugit. Fuerunt etiam in Pisis armate galee 14 per predictos rectores pro insequendo galeas predictas Petri Archanti, de quibus Iohannes Cavarcha de domo Gaytanorum fuit armiragius constitutus. Qui cum ad insulam Sancti Petri in Sardinia pervenisset, et nova habuisset pro certo, quod dictus Petrus versus Hyspaniam navigasset, versus castrum Calvi redire curavit; et castrum predictum expugnans, dampnum recepit potius quam intulit, et sic Pisas

a) podisias 1. b) ea 1. c) Santus 1. d) ita 1.

8) i. e. de vindicta.

1284. fuit reversus, qui statim a predictis rectoribus Pisarum in mandatis recepit, quod homines de dictis galeis descendere[a] nullo modo permitteret. Intendebant enim obviare galeis quinque mercatorum, que parabantur in Ianua pro eundo in Romania de presenti cum magna quantitate argenti et mercium[b], et nobilium et aliorum mercatorum Ianuensium, ex quibus una erat Lambe Aurie de qua erat comitus Rolandus Ascherius, alia Benedicti Iacharie et fratris, tertia Montani de Marino, quarta Antonii Ususmaris, quinta Andrioli Falamonice et sotiorum. Addiderunt etiam ipsi Pisani alias galeas 20. Ianuenses vero licet quantitatem ignorarent que armabantur in Pisis, tamen sibi precaventes fecerunt armare ad solidos in Ianua galeas 11 et duos galionos, de quibus domnus Henricus de Mari predictus fuit admiragius constitutus pro assotiando dictas 5 galeas. Addiderunt etiam alias 4 galeas que erant armate in cursum pro eundo ultra mare ad solidos comunis.
Apr. Moveruntque de portu Ianue die 22. Aprilis, et[c] iverunt per viam Plumbini, ibique plures barchas Pisanorum combusserunt. Ceperunt etiam in partibus illis unam navetam de Malfitanis, que de portu Pisano die precedenti discesserat, didiceruntque per eam, galeas 34 armatas esse in portu Pisano pro assotiando duas naves que ibant in Sardinia cum militibus, de quibus comes Fatius erat capitaneus, armiragius vero dictarum galearum erat Petrus Vertius civis Pisanus. Cumque nostre fuissent supra Tolarium in mari per miliaria circa viginti, invenerunt quamdam navem Venetorum honeratam pannis et aliis mercantiis Pisanorum, eratque in ea comes Fatius supradictus cum 70 equis et militibus ...., qui ibat in Sardinia in offensione Ianuensium, qui terras et castra habebant in iudicatu Turritano, eam-
Mai. que die 1. Madii acceperunt. Dum autem in dicta navi taliter permanerent, ecce 24 Pisanorum galee apparere ceperunt. Audiverant enim Pisani, quod nostre galee erant 22 tantum, et propter hoc de 34 quas paraverant elegerunt meliores et 24 armaverunt, quas post nostras mittere ordinarunt. Nostri autem videntes dictas 24 galeas, et cognoscentes eas esse Pisanorum, et credentes eas esse 34 ut a navi predicta audierant, dictum comitem Fatium et alios Pisanos per nostras diviserunt galeas, et ignem imponentes navi, versus inimicos navigare ceperunt prout decebat parati ad prelium. Prelio autem hinc inde commisso durissimo usque vesperas, nostris Deo favente cessit victoria; ac de ipsis Pisanis in continenti 8 ex suis galeis per nostros capte fuerunt, et una submersa. Nam quelibet ex galeis nostrorum mercatorum cepit unam. Relique vero Pisanorum galee cum in una se parte traxissent[d], et missum esset eisdem per nostros quod se redderent si vitam cupiebant evadere, responsum dederunt, se paratos mandata nostrorum facere, tamen quia iam nox instabat, timebant de morte propter galeatorum tumultum, set in mane se redderent in voluntate nostrorum. Cumque nox appropinquasset obscura, remis acceptis ceperunt aufugere. Lamba autem predictus hec perpendens, dimissa galea una quam ceperat, alias est insecutus, ex quibus unam aliam retinuit, et Antonius predictus aliam; et tres de galeis per comune Ianue armatis retinuerunt tres alias, sic quod computata una submersa, 14 ex Pisanorum galeis tunc per nostros capte fuerunt. Relique 10 evaserunt, nocte superveniente obscura. Galee autem nostre cum 13 Pisanorum captis apud Bonifatium redierunt, ubi per dies .... moram trahentes, se reparantes et necessaria capientes, dictus armiragius redivit in Ianua die .... cum magna victoria et triumpho cum dictis Pisanorum galeis et cum galeis tribus que ire debebant ultra mare in cursum, atque in carceribus comunis Ianue .... homines consignavit, preter illos qui in prelio et medio tempore perierunt. Galee vero predicte 5 mercatorum versus Romaniam navigare ceperunt. Cumque in partibus de Gergenti pervenissent, obviaverunt duabus Pisanorum galeis de quibus superius fecimus mentionem per Zonum Scornexanum armatis, et eas insequentes ferierunt ad terram, ceperuntque in eis homines circa 30 atque recuperaverunt Ianuenses quam plures qui capti fuerant ab eisdem; acceptisque galeis duabus predictis, unam combusserunt ex eis ante Licatam et aliam in Saragosia[9] civitate, cridam mittentes, ut quis vellet emere Pisanos pro cepis, veniret et acciperet pro qualibet unum Pisanum, sicque omnes taliter vendiderunt, deinde cum gaudio et triumpho Constantinopolim perrexerunt. Comune autem Ianue in remuneratione bonorum actuum[e] que predicte galee fecerant mercatorum ut dictum est, absolvit omnes existentes in eis ab omnibus avariis personalibus et realibus toto anno durante. Predicti autem Pisanorum rectores dolore et timore moti, potestatie et dominio

a) *in marg. additum* 1. b) mertium 1. c) et — pisanus *in marg. inferiori eadem manu addita* 1. d) trasissent 1. e) *in marg. suppletum* 1. 9) i. e. Syracusis.

eis collato renuntiare curarunt. Pisani autem astuti, dolis ac fallaciis pleni, elegerunt in rectorem et potestatem Pisarum virum nobilem et magni cordis Albertinum Moresinum Venetum, propinquum et amicissimum sui ducis, credentes propter hec ducem et Venetos sibi provocare favorabiles et etiam adiutores; tamen ipsi Veneti toto tempore quod dicta guerra duravit, satis curialiter se gesserunt. Nam intelligentes de navi eorum predicta per Ianuenses conbusta, ordinaverunt quod aliquis Venetus cum mercibus alicuius extranei a Civita Vegia usque Niciam minime navigaret. Quod quamvis aliqui aliquando contrafecerint, tamen satis bene fuit convenienter observatum per eos. Dictus autem Albertinus ad regimen civitatis Pisane statim veniens, in continenti imponi fecit 20 galeas grossissimas, atque ipsi in terra et mari per comune Pisanum omnis est attributa potestas. 1284.

Eodem anno armate fuerunt ad apodisias in Ianua et per riperiam galee 30, de quibus vir nobilis Benedictus Iacharia fuit armiragius constitutus, cum quibus discessit de Ianua die Mercurii sancto, et in offensionem inimicorum perrexit, ac in die pasce Domini fuit in portu Pisano, ibique per plures dies permansit, et inde recedens cum in mare Lerie pervenisset, navem unam Venetorum de Buzea venientem lana honeratam cepit que Pisas ibat. Veneti autem ambaxatores suos Ianuam transmiserunt, asserentes navem et honus esse Venetorum; sicque eis reddita fuit. Cepit etiam in gulfo Kalari unam aliam navem Venetorum honeratam de hominibus Pisarum de Neapoli venientem, eamque misit in Bonifatio, deinde in Ianua et comune de ea habuit libras 4366. Cepit[a] eciam aliam navem Catalanorum venientem ..... que valuit ad utilitatem comunis Ianue libras 4960.

Eodem quoque anno Pisani videntes, quod comune Ianue habebat extra Ianuam predictas 30 galeas, et quod mercatores in magna quantitate navigaverant, eo quod in precedenti anno propter devetum per comune Ianue factum navigare minime potuerunt, sub spetie armandi galeas 10, quas ex forma conventionis regi Karulo tenebantur prestare, et ad hoc etiam ut homines de Tuscia melius possent habere ad solidos, iam enim dubitabant cum nostris venire ad pugnam propter victorias a celesti Rege nobis collatas, armaverunt 72 galeas et duas platas honeratas trabucis et lapidibus scarleto fassiatis[b], se vana gloriando ad ultimum, quod prope portum Ianue venirent in tantum, quod supra modulum prohicerent lapides taliter fassiatos.

Mense quidem Iulii circa medium cum homines Ianue intellexissent, quod Pisani parati erant exire, quamvis hoc non bene crederetur, cum sepe et sepius verba fecissent similia, tamen miserunt unum lignum armatum cum litteris ad domnum Benedictum Iachariam inquirendum, significans eidem totum Pisanorum processum, et quod, visis litteris, Ianuam festinaret venire. Quod versus Corsicam et Sardiniam navigans, eundem in Corsica in portu Tizani invenit, paraverat enim ibi se pro ire cum suo extolio ad expugnationem terre de Saxaro cum nostris militibus qui in partibus illis erant. Dictus autem Benedictus litteris predictis receptis versus Ianuam curavit celeriter navigare, ac in portu Ianue applicuit die .... in vesperis sanus et yllaris cum toto suo exstolio. Miserunt etiam ad civitates et loca riperie orientis et etiam occidentis, ut omnes venirent in Ianua pro ascendere in galeis contra inimicos Pisanos. Pisani vero parato eorum stolio et platis et trabucis, ut superius est narratum, cum suo potestate predicto venerunt ad partes riperie in partibus occidentis, videlicet Albingane, et universa nobilitas civitatis Pisane et popularis multitudo intra civitatem et extra, ac etiam collegium iudicum in eis ascenderat, sicut etiam comes Lotho filius predicti comitis Hugolini et comes Anselmus ascenderunt in eis, credebant enim obviare galeis Benedicti predicti, quas credebant venire de versus Provintiam. Ianuenses vero intelligentes Pisanorum stolium in partibus riperie occidentis pervenisse et iam supra Varaginem eas esse cernentes, cucurrerunt omnes ad arma; et illi qui iam de riperia in Ianuam venerant, similiter. Et in die illa 58 galeas et 8 pamfilos armaverunt a tertia usque vesperas, in quibus domnus Obertus Aurie capitaneus comunis et populi Ianue cum duobus suis filiis ac quasi cum omnibus aliis de domo sua ascendit celeriter. Die eadem dictus Benedictus circa vesperas ad Capud Montis applicuit, vidensque predictas Pisanorum galeas, Ianue portum in continenti intravit, et nemine descendente de eis. Fuerunt autem galee 88, et panfili 8, in quibus erant de locis civitatis et riperie infrascripte quantitates[c] Iul.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

a) Cepit — 4960 *in marg. superiori addita alio atramento* I. b) *i. q.* fasciatis I. c) *hic tota fere columna vacat* I. *in margine alia manu, littera parva legitur:* Pone hic quot galee erant de qaolibet loco riperie.

1284. Dominus autem Obertus Aurie predictus, capitaneus comunis et populi Ianue, est super omnes ab omnibus cum magno animo admiragius acclamatus, et cum toto suo exstolio circa sero supra plagiam Sturle se posuit ordinatim. Credebatur enim ab omnibus Ianuensibus, Pisanos nocte illa premittere ligna sua currentia ad discohoperiendum portum, et cum cognoscerent in portu Ianue aliqua ligna non esse armata, in mane secure accederent ad eundem, maxime cum hoc publice ubique misissent. Ipse vero de Ianuensi stolio de pelago superveniens taliter eos includerat, quod ipsis evadendi esset omnis via sublata.

Pisani autem ad portum Ianue timentes accedere, eadem nocte retro navigare ceperunt. Mane autem facto cum inimicorum galee versus ponentem[10] apparerent in extremis, noster armiragius intendens eorum impedire recessum, versus Capud Montis accessit, deinde altum mare cum suo exstolio ingrediens, per diversas partes maris multas galeas currentes transmisit, ut de ipsis certam posset habere notitiam. Cumque in partibus portus Mauritii in mari per miliaria circa . . perrexisset, didicit Pisanos versus Corsicam cum suo exstolio navigasse. Hec autem audiens, versus Capud Corsum perrexit velociter, credens ibidem obviam eis esse, et cum ad Capud Corsum die sabbati 5 Augusti circa vesperas pervenisset, missit de nostris galeis duas ad terram, per quas didicit manifeste, Pisanorum stolium die altera in sero ibidem fuisse et aquam levasse atque inde versus portum Pisanum perrexisse. Nostri vero timentes ne possent pervenire ad optatum desiderium dimicandi, non modicum doluerunt; et quamvis aqua modica in nostris extaret galeis, tamen absque aliqua mora versus portum Pisanum audacter processerunt. Armiragius quidem prima atie 63 galeas, et 8 panfilis conputatis que armate illo die in Ianua fuerant quo Pisanorum galee de summitatibus montium Ianue apparuerunt; 30 vero alias de quibus iam dictus Benedictus iverat armiragius, secunda atie tamquam prime subsidium collocavit. Ipse quidem in prima atie ante modicum procedebat, habens in capite de versus dextram partem compagnam Castri, subsequenter Plateam Longam, deinde Machagnanam et postea Sanctum Laurentium; et iuxta ipsum galea in qua erat domnus Conradus Spinula, filius domni Oberti Spinule capitanei comunis et populi Ianue, cum multis de domo ipsius. A parte vero sinistra eidem erat coniuncta galea Sancti Mathei in qua erant illi de Auria, deinde compagna Porte, postea Suxilia, subsequenter Porta Nova, ultimo compagna Burgi, et inter omnes iam dictas compagnas erant interposite galee de riperia orientis et occidentis etiam. In secunda atie dictus Benedictus cum suo stolio veniebat, ita quod ab inimicis barche esse crederentur; tamen erat nostris tam prope, quod presto erat eis prebere succursum. Constituit etiam octo protentires[11], videlicet unum pro qualibet compagna, ut melius et citius possent precepta fieri et executioni mandari. Cum autem nostrum exstolium die dominico 6 Augusti in festo beati Systi martiris inter nonam et vesperas ante Veronicam portus Pisani per tria miliaria pervenisset, in duabus atiebus[a] ut dictum est ordinatis, Pisani vero ordinatis eorum galeis que erant iuxta turres portus Pisani, in una tamen atie per directum, de castellis et machinis de prima atie Ianue tantummodo perpendentes, a primordio magno animo contra Ianuenses cum eorum exstolio optime preparato videbantur venire; set cum de secunda atie Ianue perpenderunt, corda eorum debilitata fuerunt, set eis fugiendi iam non extabat facultas. Commissum est prelium ab utraque parte terribile et acerbum; tot generibus telorum, calcina[12], sapone[13], machinis et tormentis usi fuerunt in pugna undique bellatores, quod apparebat quod quasi ibidem nullus adesset[14], quamvis tunc temporis esset tempus tranquillissimum et serenum. In ipso prelio galea potestatis Pisarum venit ad pugnam cum galea dicti domni Oberti Aurie comunis Ianue armirati, et galea dicti Benedicti viriliter ac celeriter circa predictam potestatis Pisarum galeam de longo se ponens, ceperunt eandem prelio longo tempore perdurante. Pisanus enim potestas similiter iuvabatur a suis. Galea vero ubi erat stantarium comunis Pisarum, venit ad pugnam cum galea Sancti Mathei ubi erant illi de Auria, se investientes de longe, atque in eius succursu galea de Finario accessit, et post diuturnum et periculosum prelium captum fuit stantarium Pisanorum quod et a suis galeis similiter iuvabatur. Quamvis enim cendatum stantarii esset per nostros dillaniatum totum, tamen pertica ipsius stantarii ad terram proici non poterat nec incidi, eo

a) atiis 1.

10) i. e. occidentem. 11) praefectus compagnae esse videtur, cf. procentinus. 12) i. e. calce. 13) nitro? 14) i. e. nemo videri poterat. Hic fortasse prima indicatio usus pulveris igniti et tormentorum.

quod circumdata esset ferro durissimo atque grosso. Cum autem dicta pertica incisa fuisset 1284.
per nostros, Pisani hoc videntes, se verterunt in fugam, sicque nostris cessit victoria Domino annuente cum nostrorum modico detrimento. De Pisanis vero facta extitit tanta strages, quod mare rubeum undique apparebat tantis scutis remis[a] cohopertum et cadaveribus mortuorum. Capte fuerunt tunc de Pisanorum galeis 29 et ut dicitur 7 submerse. Relique vero Pisanorum galee versus portum Pisanum fugere curaverunt, se intra cathenam reponentes, quamvis nostre eas per miliarium et ultra fuerint insecute, set nocte superveniente eas minime potuerunt habere. Fuerunt autem mortui in dicto prelio, ut comuniter ab hominibus dicebatur, homines 5000 et amplius; facta inquisitione de captis, inventi tunc fuerunt in carceribus comunis Ianue computatis illis qui antea capti erant, homines 9272. Stantarium vero comunis Pisarum captum per galeam illorum de Auria, fuit in ecclesia beati Mathei per ipsos deportatum, pendetque in ecclesia antedicta. Fuit autem ibidem captus potestas Pisanorum iamdictus in vultu turpiter vulneratus, cum sigillo comunis Pisarum habens impressam formam aquile, et scriptio dicti sigilli talis erat: „Sigillum Alberti Maurecini de Venetiis potestatis et domini generalis guerre maris et terre Pisani comunis.“ Quod sigillum in ecclesia beati Mathei in Ianua circa stantarium antedictum dependet. Captum etiam fuit ibidem quoddam cartularium cancellarie Pisane potestatis, in quibus erat exemplum plurium litterarum quas per diversas mundi partes mittebant, false significantes quod in portu Ianue per plures dies steterant, nec eis obviam erat aliquis ausus exire ad prelium; quod cartularium repositum est in secrestia ubi sunt privillegia comunis Ianue. Captus etiam fuit ibidem dictus comes Lotho filius comitis Hugolini, et tota nobilitas civitatis Pisarum, ac iudices numero 17, ita ut qui Pisas vellet querere vel videre, eam inveniret in Ianua et non in civitate Pisana, sicut ob omnibus de Tuscia et etiam ab aliis comuniter dicebatur.

Prelio predicto ut superius dictum est terminato, nostrum stolium in nocte intravit portum Pisanum. Quedam vero de nostris galeis dicta nocte apud Portum Venerem perrexerunt; nam vox quedam per exercitum ivit, quod armiragius recedebat. Videntes autem unam recedere aliam, et credentes armiragium recedere, recedebant. Et ipse mane facto armiragius videns de nostris galeis recessisse circa 30, et turres portus munitas prospitiens etiam vidit dictas duas platas ingeniis honeratas positas in fondo, misit illuc duas galeas ac ingenia existentia in eis incidi fecit, et inter primam et tertiam de portu Pisano discedens, circa complectorium in Portu Venere devenit sanus et incolumis cum reliquis galeis. Vixque ancoras infixerat, quod tempestas Lebetii[15] tam valida supervenit, quod vix in portu tam optimo potuimus evadere, que per dies duos duravit continue. Rediitque in Ianua admiragius et exercitus Ianuensis cum tam nobili triumpho in vigilia beati Laurentii, receptusque est cum magna letitia et honore, et omnia acta altissimo Creatori potius quam probitatibus hominum attribuentes, quasi nil pompe factum fuit in Ianua. Armate autem sunt in Ianua per comune in dicto anno in summa galee 119.

Tunc quidem quando nostrum stolium discessit de Ianua, et etiam quando rediit, erant in civitate nostra ambaxatores tres comunis et ducis Venetiarum, qui predictam armatam tam celeriter esse factam videntes, valde mirari ceperunt; petebant enim navem Venetorum per armiragium domnum Henricum de Mari combustam, ut superius dictum est, emendari.

Ipso etiam anno filius ducis Venetiarum cum duobus aliis nobilibus civitatis eiusdem honorifice venit ad civitatem Ianue, petens ex gratia dictum domnum Albertinum Moresinum sibi restitui, quod quidem eis curialiter est factum, qui promisit amplius non redire ad regimen civitatis Pisane. Cum autem factum esset per homines Ianue tam nobile et magnum triumphum, cogitaverunt Lucani, Florentini et alii homines de Tuscia civitatem Pisanam ad partem Guelfam reducere, cum sola civitas Pisana in Tuscia per partem regeretur Gibelinam; sicque fraudulenter, ut postea per rei eventum apparuit, miserunt nuntios et ambaxatores in Ianua, asserentes sese velle Pisanam funditus dirruere civitatem. Quapropter volebant nobiscum iurare in mortem perpetuam ad destructionem eiusdem, et quod ipsi per terram, nos vero per mare generalem exercitum faceremus per dies 40 ad minus duraturum, in quo quidem ad minus 50 haberemus galeas. Sic inde facta est sotietas per annos 30 duratura; ad quam quidem sotietatem in continenti venerunt Senenses,

a) ita 2. renis 1.

15) videtur esse Libs, Africus.

1284. Oct. Pistorienses, et alia loca Tuscie, ut in cartis factis manu Iacobi de Bovensia notarii 1284 die 13. Octubris plenius continetur[16]; quam quidem sotietatem si illi de Tuscia observassent, pro certo fuisset in proximo civitatis Pisane destructio et ruina. Pisani autem qui apud Pisas remanserant, hanc sotietatem per Lucenses et alios de Tuscia sentientes perquiri, miserunt duos fratres Predicatores in Ianua, asserentes se facere totum quod comuni Ianue placeret. Ianuenses autem de Florentinis et Lucensibus confidentes, et verba Pisanorum falsa esse credentes, extimantes Pisanos verba talia proferre, ut dictam sotietatem impedire valerent, verba Pisanorum admittere noluerunt, sed ad dictam sotietatem iniendam quatuor miserunt ambaxatores, et eam ut dictum est firmaverunt; et sic omnes de sotietate Pisanam civitatem et omnes Pisanos publice diffidarunt in personis et rebus, hostes adiudicantes eosdem.

Igitur Pisani cognoscentes se non posse resistere sotietati predicte, volentes sue civitatis ruinam defendere, de consilio et voluntate carceratorum ~~qui erant in Ianua~~, quam secrete miserunt in Pisis, data est potestas et plenum dominium usque ad decem annos civitatis Pisane et districtus ipsius predicto comiti Hugolino ad suam solummodo voluntatem, qui quidem erat de parte Guelforum, quamvis de eis paucissimi tunc temporis reperirentur in civitate Pisana, extimantes, Lucenses, Florentinos et alios homines de Tuscia versus eundem esse favorabiles ac etiam defensores. Et sic in veritate accidit, ut inferius denotabitur. Et Pisana civitas regi cepit per partem Guelforum. Lucenses vero, Florentini et alii de Tuscia, qui Pisanos diffidaverant, secure Pisas ire ceperunt, et e converso.

Eodem quoque anno Karolus rex Scicilie paravit exercitum in Provintia pro eundo contra Siculos eidem rebelles. Armavit enim galeas 34, et alia ligna duo de duabus teriis, ascenditque in Marsilia in eisdem. Fecerat etiam preparari in Principatu et in Apulia galeas 32, que se ad invicem in Neapoli coniuncxerunt. Illi vero de Scicilia armaverunt galeas 29, de quibus Rogerius de Lorea pro ipsis extitit armiratus, et ante Neapolim accesserunt. Princeps autem qui Neapoli residebat hec videns, et ad vituperium sibi imputans, in suis galeis personaliter ascendit cum multis baronibus et militibus quos ibidem habebat. Prelioque ibidem incepto, captus fuit dictus princeps cum galeis 10 et cum multis baronibus et Iun. 5. militibus, et hoc fuit die 5. Iunii. Alie[a] vero per fugam evaserunt in terram. Elapsis vero diebus tribus rex Karolus ibi applicuit cum galeis de Provintia supradictis, invenitque filium captum, de quo non est querendum si doluit. Descendensque in terram ivit in obsidionem Regii, quod[b] est ante Messanam, cum magna quantitate militum et peditum. Galeas autem supradictas et quam plures alias de Apulia et Principatu illuc venire fecit, et ad ultimum parum ibi profecit.

Dictus vero princeps ductus est Messanam, et postmodum in galeis quatuor deportatus est apud Barchelonam in Cathalonia et inde in Saragotiam, ubi sic in carceribus stetit usque in annum de 1289, prout inferius dante Domino describemus.

Oct. Eodem quoque anno mense Octubris Rogerius de Lorea armiratus Siculorum armavit ad expensas suas proprias galeas 20, et impositis militibus in eisdem, ad insulam Zerbi[17] que pro rege Tunexis tenebatur accessit, ac ipsum cepit, et depopulavit thesauris et omnibus rebus eorum, et adduxit in Sciciliam homines et feminas circa ....., et eas ibidem pro maiori parte vendidit, et per alias diversas partes mundi vendi mandavit. Igitur dicto anno armate sunt in Ianua pro comuni galee 113, ut superius per ordinem denotavi.

1285. Currente anno Domini 1285. Hoc anno fuit potestas Ianue domnus Henricus Petia iuris peritus civis Astensis, et dicti capitanei gubernabant civitatem Ianue cum eodem.

Isto quidem anno armate fuerunt in Ianua per comune ad solidos galee 3, de quibus Guilielmus Ficusmatarius fuit capitaneus constitutus; qui quidem circuens partes et riperiam Pisanorum, portum Farexie uno mane intravit, ibique invenit unum galionum de novo constructum pro intrare in cursum, quem Capodore vocabant; eumque cepit atque Ianuam deduxit; plures etiam barchas, quas ibidem invenit, incendio concremavit. Armate sunt etiam in Ianua ad expensas comunis eodem anno galee tres, que portaverunt domnam[c] Violantem, filiam Guilielmi marchionis Montisferrati in Romaniam ad Andronicum Palea-

a) Alie v. p. f. e i. t. *in marg. addita* 1. b) qui 1. c) d. V. f. G. m. M. *alio atramento textui inserta* 1.

16) Foederis contra Pisanos m. Oct. initi instrumenta v. in Libr. iur. II, p. 60—75. W. 17) hodie Zerbi, Dsierbi, aliter Gerbes, Djerbe nominata, quam Fridericus II. Sarracenis a. 1223. ademerat. W.

logum imperatorem Grecorum, cuius uxor esse debebat. In ipsis etiam pro honore dicti domni imperatoris comune Ianue duos ambaxatores in eiusdem sotietate transmisit. Due etiam galee mense Martii armate fuerunt in Ianua ad solidos per comune, de quibus Iohannes Adalardus fuit capitaneus constitutus; que in partibus Buxanarie ceperunt quandam sagiteam iudicis Arboree, que portaverat in Sardinia domnum Andriotum socerum suum. Una similiter galea armata fuit per comune, que portavit Fredericum Spinulam in Scicilia pro ambaxatore pro robaria facta in quosdam nostros Ianuenses. Dicto etiam anno die 25. Aprilis armate sunt in Ianua ad solidos comunis galee 5 et una sagitea de remis 52, de quibus Enricus Spinula fuit capitaneus constitutus, qui cepit unam navem que exiverat de portu Pisano, et eam cum quibusdam lignis et carceratis Ianuam misit. Secutus etiam fuit quamdam navem usque in gulfum Kalari, quam Pisani apud Kalarum cum servientibus 400 transmittebant, et per fortunam temporis ab eius manibus evasit. Veniendo de versus Kalarum, cum fuit inter Caprariam et insulam Corsice, invenit quamdam navem Cathalanorum venientem de Tunexim, honustam lana et aliis mercibus Barbarie, et que ibat ad portum Pisanum, quam quidem cepit, licet esset[a] bene armis munita[b], et Ianuam transmisit. Invenit etiam ibidem quandam navem hominum de Palermo, que honerata fuerat in Palermo carne et caseo hominum Pisanorum et ibat apud portum Pisanum, quam similiter cepit et Ianuam transmisit.

1285.
Mart.
Apr.

Ipso etiam anno circa principium Lucenses petierunt a Pisanis sibi dari castra plura, videlicet Ripam fractam, Viaretium, quod per eos fuit totaliter impletum. Cum autem contracta esset anno precedenti sotietas inter comune Ianue et civitates Tuscie, ut superius est narratum, et ordinatum esset de comuni voluntate totius sotietatis mense Iulii per terram et per mare venire ad Pisam delendam, armate sunt in Ianua galee 65 et[c] unus galionus, de quibus domnus Obertus Spinula capitaneus comunis et populi Ianue fuit armiragius ordinatus; ascenditque in eis quasi tota nobilitas ac bonitas Ianue. Fuerunt etiam in dictis galeis de locis riperie orientis et occidentis et ultra Iugum quantitates hominum infrascripte.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| De potestatia Bissannis . . . | naucleri | 28 | et vogherii | 900 | | | | |
| De potestatia Rechi . . . . . | " | 8 | " | 300 | | | | |
| De potestatia Rapalli . . . . | " | 16 | " | 600 | | | | |
| De potestatia Clavari . . . . | " | 28 | " | 1000 | supersalientes | | et balistarios | 150 |
| De potestatia Sigestri . . . | " | 20 | " | 700 | " | | " | — |
| De potestatia Levanti . . . | " | 4 | " | 120 | " | | " | 80 |
| De potestatia Corvarie . . . | " | 24 | " | 900 | " | | " | — |
| De potestatia Carpene . . . | " | 16 | " | 600 | " | | " | — |
| De potestatia Vezani et Arcole | " | 4 | " | 120 | " | | " | 60 |
| De Ylice et Trebaino[d] . . . | " | 4 | " | 120 | " | | " | — |
| De potestatia Portus Veneris | " | 4 | " | 120 | " | 80 | " | — |
| De potestatia Lagneti et Paxani . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | | | | | | | balistarii | 35 |
| De Carosano subterano et superano et Matalana . . . . . . . | | | | | supersalientes | | et balistarii | 25 |
| De burgo Predis . . . . . . | naucleri | 4 | et vogherii | 120 | supersalientes | | et balistarios | 80 |
| De potestatia Pulcifere . . . | " | 16 | " | 600 | " | | " | — |
| De potestatia Vulturis . . . | " | 24 | " | 800 | " | | " | — |
| De Varagine et Cellis . . . . | " | 6 | " | 81 | " | | " | 85 |
| De Arbizola exceptatis hominibus Saone . . . . . . | " | 1 | " | 20 | " | | " | — |
| De Saona[e] . . . . . . . . . . | " | 8 | " | 230 | " | | " | 120 |
| De Naulo . . . . . . . . . . . | " | 4 | " | 100 | " | | " | 40 |
| De terra episcopi Nauli . . . | " | — | " | 20 | " | | " | — |
| De Finario . . . . . . . . . . | " | 4 | " | 120 | " | | " | 80 |
| De Albingana . . . . . . . . . | " | 8 | " | 240 | " | | " | 120 |
| De terris episcopi Albingane | " | 8 | " | 220 | " | | " | 120 |
| De Andoria . . . . . . . . . . | " | 6 | " | 180 | " | | " | 80 |

a) esse 1. b) *hoc loco editio nonnulla sistit ad annum* 1287. *pertinentia, ubi ea in fine infra reperies.* c) et u. g. *alia m. in marg.* 1. d) trebiano 2. e) *hic et in aliis nonnullis locis supersalientes et balistarii vogherios praecedunt* 1.

1285

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| De Cervo [a] | nauclerii | 2 | et vogherii | 60 | supersalientes et balistarios | 20 |
| De Diano | „ | 4 | „ | 120 | „ „ | 80 |
| De Portu Mauricio | „ | 8 | „ | 220 | „ „ | 120 |
| De Petra lata subterana | „ | 1 | „ | 20 | „ „ | — |
| De Linguilia et Castellario | „ | 2 | „ | 60 | „ „ | — |
| De Sancto Stephano | „ | 1 | „ | 20 | „ „ | — |
| De Tabia | „ | 4 | „ | 120 | „ „ | 60 |
| De Sancto Romulo et terris archiepiscopatus | „ | 6 | „ | 180 | „ „ | 120 |
| De Vintimilio | „ | 6 | „ | 180 | „ „ | 120 |
| De Quiliano | | | | | | 40 |
| De terris domni Manuelis et Cravexana | | | | | balistarii | 200 |
| De terris comitis Henrici et fratrum | | | | | „ | 150 |
| De Podio Raynaldi | | | | | „ | 10 |
| De Triora | | | | | „ | 200 |

Rocha Bruna [b] adhuc detinebatur per regem Karolum.

Item cum lanceis longis ut infra:

| | | | |
|---|---|---|---|
| De Stella | 25 | De Gavio | 25 |
| De Pereto | 50 | De Montaldo | 20 |
| De Vuada | 50 | De Flacono | 20 |
| De Taiolo | 10 | De Nusum et Campi | 10 |
| De Palodio | 40 | De Rosigono [c] | 10 [d]. |
| De Vultabio | 80 | | |

Parate sunt etiam cum eisdem galeis due barche et platee tres, et una navis de tribus copertis honerata trabuchis lapidibus et aliis ad demolitionem portus Pisani et turrium necessariis. Igitur dictus armiragius cum dicto exercitu discessit de Ianua die Iovis ultimo Iunii, et portum Pisanum applicuit die ......, statimque edificari fecit ibidem domum unam de lignamine super palos constructam, tam longe a turribus quod trabuci ad eam prohicere non valerent, et morabatur in ea dictus armiragius de die ac nocte ac consilia et que exercitui utilia videbantur, agebantur in ea. Erectis itaque trabucis et versus turres prohicientibus, cum illi de sotietate tardarent venire ad devastationem terrarum civitatis Pisane ut fuerat ordinatum, missi fuerunt ambaxatores per comune Ianue ad civitatem Luce et Florentie, notificantes eisdem quod in portu Pisano erant cum ingeniis et trabucis die noctuque inimicos offendentes pro posse; quare placeret eis illuc celeriter accedere per terram, quoniam absque dubio portus caperetur et turres ipsius. Lucenses vero ac Florentini iam suam habentes intentionem tam de castris superius nominatis quam quia per partem Guelfam civitas regebatur Pisana, cotidie verba pulcra mittebant. Tandem in fine fuit ordinatum per eos, quod domnus papa misit eisdem unum legatum, eisdem precipiens quod sub pena excomunicationis super terram Pisanorum accedere non deberent; quare Florentini finaliter responderunt, quod contra precepta domni pape aliquid facere non volebant. Lucenses vero cupientes adhuc quedam castra Pisanorum habere, venerunt ad obsidionem castri Cosse et pontem Sergii fraudulenter. Nam ibique tantum fuerunt, quantum stolium comunis Ianue apud portum Pisanum permansit, ut occasionem haberent non veniendi ad portum, ipsa enim [e] semper a dicto comite habuissent pro eorum velle, ut habuerunt alia supradicta. Nostro autem stolio de portu Pisano perterriti, ipsa dicta castra habuerunt, et Luce sunt reversi. Cum autem homines Ianue iam per 20 dies et amplius sic stetissent, sperantes semper ipsos de sotietate venire ut fuerat ordinatum, in fine videntes se esse delusos, attentius in offensionem inimicorum laborare ceperunt. Igitur Benedictus Iacharias habebat in dicto exercitu unam suam galeam que Divitia vocabatur; erat quidem longa .... alta plus ... apparebat, habens arbores 3 et remos 140, mirabiliter inpernata [18] et fortis, eamque cohoperavit de restis [19], atque ad demollitionem turris fanarii accessit,

a) servo 2. b) Rocha buna 1. c) rosignono 2. d) *manu saeculi XVIII. additur in* 1: Summa 12,149. *Summa vere est:* nauclerii 279, vogherii 9191, supersalientes et balistarii 1600, supersalientes 80, balistarii 595, cum lanceis longis 340. e) scilicet castra *glossa in* 1.

18) Pernae sunt conchae marinae, in quibus perlae reperiuntur, inpernata galea igitur fortasse est pernis ornata. 19) restum est fasciculus.

atque homines taliter ipsi supposuit quod intus murum dirruentes intraverant: cumque 1285.
existentes in ea hoc defendere non valerent, se reddiderunt salvatis personis, et hoc[a] fuit die . . . . . . Ipsa quidem turris erat per quadrum quodlibet plus . . . . . alta . . . . . et plena tota lapidibus et cemento usque in . . . . . . . posita in una sicca[20] prope ligurnam modico spatio; 20
erantque in ea homines bellatores munitos omnibus necessariis. Stetitque exercitus Ianue supradictus totus in portu Pisano per dies 40 ut fuerat ordinatum, deinde rediit in Ianua die 5. mensis Augusti. Medio autem tempore legatus predictus domni pape qui venerat Florentiam ac Lucam, venit similiter ad civitatem Ianue, precipiens similiter quod comune Ianue suum exercitum revocaret sub excomunicationis pena. quod quidem comune facere non curavit, suas excusationes allegans.

Pisani autem de cetero armamentis nollentes attendere, nec etiam palam navigare volentes, illi de Plumbino cursariam exercere ceperunt, ac unum lignum veniens in partibus riperie barchas plures accepit; quare armatum fuit unum lignum de remis 100 quod vocabatur Capodoro et fuerat Pisanorum pro guardia riperie fatienda, cui prefuit Petrutius de Sancto Georgio; sic quod interim in riperia non attemptaverunt venire. Cum autem Ianuenses homines perpenderent, Pisanos nolle amplius cum Ianuensibus venire ad prelium, set potius ut publice ferebatur insistere cursarie, et per extraneos suas mercationes transmittere, fecerunt fieri ligna duo pro custodia riperie, unum de remis 100 quod vocabatur Griffus, aliud de remis 88 quod vocabatur Falconus, que erant velocissima. Ordinaverunt etiam continue tenere in mare hyeme ac estate galeas 10 armatas que per avarias armarentur, sicque essent in anno 120, quas sic diviserunt per Ianuam et districtum; per ipsas enim intendebant taliter distringere portum Pisanum et alios eius portus, quod non possent in suis lignis vel aliis navigare, nec etiam de Sardinia vel aliunde victualia vel merces aliquas per ipsos vel alios in portu eius deferri. Ordinatum est etiam quod quilibet homo de Ianua et districtu unam quolibet anno faceret avariam, et quod quelibet avaria valeret a libra una usque in libras 15, ita ut qui nollet solvere avariam, deberet per mensem unum in galeis personaliter deservire.

Ipso quippe anno armate sunt per comune Ianue galee 4 de peccunia pro dictis avariis collecta, de quibus Rolandus Ascherius fuit capitaneus constitutus, discessitque de Ianua die 27. Iulii. Audientes autem quod in Kalaro armate erant galee 4 et unus galionus, et Iul. 27.
quod ad partes Barbarie perrexerant, festinato itinere cepit versus Tunexim navigare. Cumque applicuisset ibidem, invenit in portu Tunexis ligna 5 predicta et unam navem magnam de tribus copertis que nominabatur Flos, que de portu Pisano discesserat pro eundo in Kalaro cum hominibus . . . . . optime munitis existentibus in eadem. sed fortuna temporis apud . . . . . . . deviaverunt, ibique invenerunt quandam navem de Principatu, de qua Ianuenses . . . . . . existentes in ea traxerant; que omnia cum vidisset, cepit viriliter procedere contra ea. Ligna vero predicta ad suam navem stringere se ceperunt. Igitur dictus Rolandus insultum faciens in easdem, statim cepit de eis galeis tres, navis vero timens secundum insultum, continuo fecit velum cum reliquis duabus galeis ad ipsam ligatis, et cum ventus esset ad Provintiam in maxima quantitate, altum mare tenentes, manus evaserunt ipsius. Rolandus vero predictus cum preda predicta Ianuam est reversus.

Eodem quoque anno armate sunt in Portu Venere de hominibus illarum partium qui suas debebant facere avarias, galee 5, de quibus Henricus Spinula fuit capitaneus constitutus, et discessit de Portu Venere die . . . . . Novembris, et stetit in portu Pisano et circa partes illas per mensem unum; et stando supra Plumbinum, supervenerunt naves due portum Pisanum ire volentes, una quarum erat hominum de Malfi honusta vino Greco, et alia Venetorum honusta carne et caseo veniens de Sardinia, quas quidem cepit et Ianuam misit. In ipsis quidem erat bona quantitas hominum Pisanorum. Invenitque navem unam supra portum Pisanum hominum de Scicilia honustam grano de Scicilia venientem et portum Pisanum euntem, quam cepit et Ianuam misit. Deinde versus Sardiniam navigans, duas galeas in insula Asinarie naufragio amisit de nocte, imperitia naucleriorum cum esset bonatia[21]. In Ianua etiam armate sunt de eadem peccunia illo eodem tempore galee 5, 21
de quibus Gregorius[b] Aurie fuit capitaneus ordinatus, qui discessit de Ianua die 27. Septembris rediitque die 8.

a) hec 1. b) *in loco raso alia manu* 1. 20) sicca est vadum; v. infra p. 316, l. 46. 50. 21) i. q. malacia.

1285. In eodem anno cum Bonifatius Bissa Spinula ivisset Tunexim cum una sua galea, invenit ibidem quendam galionum Pisanorum de remis 80 armatum in cursum, quem ponens in fugam ferire fecit ad terram, quare homines evaserunt; lignum vero combussit. Pisani etiam cum mitterent de Kalaro unam navem et duas taridas de hominibus Principatus apud Pisas honeratas grano carne et caseo, per fortunam temporis Portum Vegium intraverunt; quod cum homines Bonifatii hoc scivissent, festinanter galeam unam et duo alia ligna ascendentes et illuc pergentes, ceperunt easdem et apud Bonifatium deduxerunt.

Hoc etiam anno die dominico 5. Ianuarii rex Karolus apud Fogiam[a] in Apulia moram trahens de hoc seculo transmigravit, terram vero dimisit in custodia domni Gerardi Parmensis cardinalis episcopi[b] Sabinensis domni pape legati qui erat in Apulia. Comitem etiam Atrabatensem qui illic erat, similiter baiulum constituit Carolo Martello nepoti suo, filio predicti principis filii sui. Hoc etiam anno die 28. Martii qui fuit dies 3. post pasca
22 Domini[22] obiit papa Martinus et die 4. sequenti domnus Iacobus de Savello cardinalis natione Romanus fuit electus in summum pontificem, et vocatus fuit Honorius IV.

Philippus etiam rex Frantie mense Madii intravit terram regis Aragonum cum filio suo Karolo, cui papa Martinus ipsum contulerat, cum mirabili exercitu. Habuit quidem in dicto exercitu homines ad osbergos 20,000 quilibet habens equos 4, et galeas 100 et infinitum numerum peditum. Posuitque se in obsidione civitatis Gironde, ibique stetit usque ad medium Augustum. Tandem illi de Gironda cum non haberent quid amplius comederent, se regi Frantie reddiderunt. Verumtamen interim galee 10 armate in Barcelonia venerunt versus Rosum, ubi erant galee regis Frantie predicte, inveneruntque caravanam que portabat victualia exercitui regis Frantie assotiatam galeis 25, de qua plura ligna ceperunt. Alie galee dicti regis Frantie que morabantur ad terram, hoc videntes insecute sunt eas, et sic ligna eorum capta per Cathalanos recuperarunt. Set de galeis eorum nullam capere potuerunt. In eodem exercitu fuit fames et mortalitas mirabilis, et quod mirabile est audire, supervenerunt musce invise in tanta quantitate et tam nequissime, quod quasi omnes equos occiderunt.

Interim autem eodem anno armate fuerant in Scicilia galee 35, Catarum[c] [23] civitatem ceperunt. In reditu vero earum versus Cathaloniam navigarunt[c], et mense Septembris apud Barceloniam pervenerunt, acceptisque in eorum sotietate galee 18 Cathalanorum versus Rosum ire festinarunt, eratque earum armiragius predictus Rogerius de Lorea. Iam autem rex Frantie de dictis suis galeis 100 fecerat 30 solummodo, quas ex predictis armavit. Predictus autem Rogerius armiragius Siculorum nocte cum galeis regis Frantie se invenit, credens eas esse 100, ut a principio fuerant, et in qualibet de suis galeis luminibus pluribus erectis contra eas invasit, sicque de eis retinuit galeas[d] 22. Rex vero Frantie graviter infirmatus, in Gironda obiit mense Octubris. Barones Frantie civitatem bene munitam dimiserunt victualibus et militibus, et in Frantiam redierunt cum corpore dicti regis et cum illis qui supervixerant de dicto exercitu. Dictus vero rex Aragonum infra breve tempus dictam civitatem Gironde recuperavit. Predictus etiam Petrus rex Aragonum cum galeis supradictis ascendere proponens insulam Maiorice, ut eam regi Iacobo fratri suo qui cum rege Frantie se tenebat auferret, obiit die decima Decembris. Anfossus autem maior filius eius, dum pater adhuc infirmaretur, eius mandato dictam insulam ascendit, et eam sibi tanquam propriam vendicavit.

Dictus autem Rogerius dum in Scicilia rediisset, armavit galeas suis expensis propriis ....., ac militibus in eis positis perrexit ad insulam de Chercenis[24] que pro rege Tunexis tenebatur, eamque cepit et depopulavit, et homines et feminas in Scicilia vendidit et per diversas mundi partes vendi mandavit[e]. Dicto Petro successit in regno Aragonum Anfossus primogenitus suus, in regno vero Scicilie successit filius eius secundus nomine Iacobus. Habuit etiam dictus Petrus alios duos filios scilicet Fredericum et Petrum.

Ipso quidem anno domnus Obertus Aurie supradictus, capitaneus comunis et populi Ianue, cum filiis suis apud Rappallum seccessit in villam suam, et mense Septembris mandavit comuni et hominibus Ianue se nolle esse amplius capitaneus Ianue, quamvis adhuc

a) f. i. a. *alia manu in lacuna* 1. b) e. S. *alia manu in m.* 1. c) C. c. c. I. r. v. e. v. C. n. *in margine* 1. *eadem manu.* d) galee 1. e) *quae sequuntur alio atramento addita sunt* 1.

22) recte, a. 1285. 23) an Cattaro in Dalmatia? 24) hodie Karkenah seu Ramlah, Gherbae vicina.

superessent anni tres de illo tempore ad quod erat electus. Unde homines Ianue fuerunt 1285 in magna discordia. Tandem convenerunt in domnum Conradum Aurie filium dicti Oberti, et eum in capitaneum elegerunt[a] loco patris usque ad annos tres ad quos pater eius erat electus; et mittentes Rappallum, eum duxerunt in Ianua ac ipsum capitaniam comunis et populi Ianue iurare[b] fecerunt usque dictum tempus cum domno Oberto Spinula capitaneo supradicto. Armate sunt itaque in Ianua per comune galeae 95, ut seriatim superius denotavi[b].

1286. Hoc etiam anno fuit potestas Ianue predictus domnus Henricus Petia civis 1286. Astensis, predictis capitaneis scilicet[c] domnis Oberto Spinula et Conrado Aurie cum eodem regentibus Ianuam et districtum. Ipso quidem anno armate sunt in Ianua per comune galee 4 de eadem peccunia, de quibus dictus Rollandus Ascherius fuit capitaneus constitutus, qui discessit de Ianua die . . . . . ., vadensque versus Sardiniam quamdam navem Venetorum honeratam mercibus Pisanorum, et de Principatu Kalari proficiscens cepit, que ad utilitatem comunis valuit libras 15 milia. In mare etiam Planosie aliam navem Venetorum honeratam grano Pisanorum de Karalo Pisas navigans cepit, que comuni valuit libras 4 milia. Dicto etiam anno armate sunt per comune de eadem peccunia galee 10 et galionus unus ad menses sex, de quibus Benedictus Iacharias predictus fuit armiragius constitutus, et cum eisdem portum Pisanum perrexit, ibique aliquibus diebus permansit. Deinde cum quinque ex eis versus Barbariam perrexit pro inquirendis cursalibus, quos intellexerat illuc perrexisse: alias vero quinque galeas Nicolino Iacharie fratri suo naturali, et Nicolao de Petratio commisit, ut cum eis irent ad partes Sardinie in offensionem inimicorum. Dictus igitur Benedictus in gulfo Tunexim applicans, invenit ibi sagiteam unam nomine Leopardum, quam in fugam ponens fecit ferire ad terram. Homines existentes in ea fuerunt per Sarracenos capti et in carceribus positi, sagiteam vero habuit dictus Benedictus. Cogitans vero offendere inimicis, versus Sciciliam navigavit, et exinde in Principatu redivit. Cumque apud Neapolim pervenisset, invenit quod cursales Pisani ceperant quamdam navetam Ianue in portu Neapolis existentem, in qua erant homines circa . . . ., et eam duxerunt apud Isclam, et sartia in terra posita eam vendiderant quibusdam Venetis cum hominibus captis in ea pro 500[d] . . . .; quam in continenti cum hominibus habuit, et quia sartiam non habebat, igne in ea apposito combussit eandem, et locum Iscle obsidendo petebat lignum Pisanorum et homines, tamquam predam suam, sibi restitui. In fine tamen cum eis paciscitur, quod lignum cursalium conburerent, quod fecerunt. Dicti vero Nicolinus cum aliis 5 galeis versus Sardiniam navigantes ceperunt duas naves Gaytanorum de gulfo Kalari exeuntes, grano carne et caseo honeratas, quas Ianuam transmiserunt, merces vero et res existentes in eis erat pro maiori parte Pisanorum, que in erario comunis Ianue remanserunt. Hiis peractis et inimicis undique perquisitis, se invenerunt predicte 10 galee in partibus Plumbini, seque ad invicem cognoscentes, insimul cum magno gaudio apud Portum Venerem perrexerunt. Dictus vero Benedictus suis variis et arduis negotiis impeditus, predictas omnes galeas dictis Nicolinis commisit, ipse vero Ianuam redire curavit. Ipsi vero in mane apud Faresiam redeuntes, portum intraverunt, ibique duas naves inventas et in terram adductas incendio concremarunt. Barchas autem 5 inde extraxerunt, quas[e] ante Plumbinum per eos conductas igne apposito comburserunt. Deinde versus Sardiniam procedentes, quamdam navem honeratam vino Pisanorum ceperunt, eamque apud Bonifatium transmiserunt, que valuit ad utilitatem comunis libras 700. Et procedentes ulterius versus Tunexim navigarunt, ibique regi Tunexis nuntios transmiserunt, quod Pisanos captos in terram sibi restitui tamquam predam suam faceret; qui eis reddere noluit, dicens quod hoc esset contra Sarracenorum legem, set eos in carcere tenere promisit, quousque guerra inter Ianuenses et Pisanos duraret, quod quidem inviolabiliter observavit. Postmodum versus Buzeam navigare ceperunt, querentes semper offendere inimicos; et revertentes per Sardiniam et Corsicam, et de versus portum Pisanum, Ianuam redierunt cum gaudio et honore.

Ipso etiam anno dum Leonus Cigala quamdam galeam armasset, et pro suis negotiis apud Tunesim transmisisset, dum mense Martii rediret et esset in partibus Carbonarie, invenit plura ligna Pisanorum honerata grano carne et caseo, de Sardinia venientia, ex

a) *in marg.* I. b) iurare — denotavi *in marg. inferiori addita* I. c) s. d. O. S. et C. A. *in marg.* I. d) VC . . . I. e) qñ I.

1286. quibus cepit unam taridam, que valuit libras 5 milia Ianuinorum. Eodem insuper anno mense Augusti galee 5 mercatorum ibant in Romaniam, in quibus Lamba Aurie capitaneus existens et potestas, dum esset in partibus Sturie, quamdam sagiteam Pisanorum invenerunt, eamque in fugam positam, in terram ferivit. Unde ad terram accedentes et sagiteam petentes, et homines cum eam restituere recusarent, nostri se paraverunt ad preliandum eandem. Tandem pactis intervenientibus, dictam sagiteam reddiderunt potestati iam dicte, quam incendio concremavit, ne posset alicui inferre dampnum de cetero.

Dicto etiam anno armate sunt per comune Ianue ad solidos trium mensium pro guardia riperie fatienda duo galioni velocissimi, de quibus Gregorius Aurie fuit capitaneus constitutus, et recessit de Ianua die Mercurii 10. Iulii, qui taliter riperiam custodivit[a], quod in suo tempore Pisani dampnum aliquod in riperia facere minime potuerunt. Insuper dicto anno unus galionus cursalium Pisanorum de remis ... accedens Neapolim, quandam naviculam Ottonis Venti ibidem invenit, in qua erant homines ..... solummodo Ianuenses; dictum galionum videntes, statim velificare ceperunt. Cursales autem accepta una tarida Venetorum, que erat ibidem, post dictam naviculam cum dicta tarida et galiono festinanter perrexerunt. Cumque adhuc esset in gulfo Neapolis prope terram, cursales cum dictis tarida et galiono in naviculam insultum fecerunt; illi de navicula viriliter resistentes, super galionum tanquam leones mirabiliter saltaverunt, ac ipsum in ore gladii ceperunt, in quo homines vivi capti fuerunt ....... Reliqui vero vel mortui gladio periere, vel se prohitientes in mare, ad iam dictam taridam[b] habuerunt refugium. Et hec quidem facta sunt in conspectu hominum de Neapoli, qui hoc pro maximo reputarunt. Illi de navicula cum galiono capto et carceratis Pisanis apud Panormum, suo destinato itinere, cum magno gaudio accesserunt. Armate etiam sunt iterum mense .... die ... predicta ligna duo pro guardia riperie fatienda; de quibus etiam dictus Gregorius fuit capitaneus ordinatus. Cum autem Pisani in suis navibus navigare non possent, ceperunt operam dare ut res suas possent per extraneos destinare, atque de partibus Principatus vinum et fructus ad partes Sardinie et etiam Barbarie sepius transmittebant. Sicque armate sunt in Ianua per comune de peccunia pro avariis collecta galee 6 et tres galioni, de quibus Rolandus Ascherius fuit capitaneus ordinatus et se movit de Ianua die ...... mensis ... et ad partes accedens Sardinie, ad Carbonariam se posuit, ligna venientia[c] de Principatu expectans ibi. Cumque ibidem per dies aliquos moram fecisset, ecce de Principatu naves circa 9 ad partes illas applicuerunt, que erant Venetorum et aliorum hominum de Principatu, honerate rebus tam eorum quam etiam Pisanorum, quibus exivit obviam velociter et eas fecit calare, atque acceptis obsidibus in quolibet dictorum lignorum posuit homines Ianuenses[d] duos, mittens eos Ianuam vel Bonifatium. Et veniendo cum[e] essent super Agoiastrum in Sardinia, habuerunt fortunam venti ad Grecum, et sunt reversi versus gulfum Kalari, et intrando dictum gulfum, pervenerunt ad portum Bagnarie[f], et intra palos intraverunt cum hominibus Ianue qui tum erant in eis. Cum autem predictus Rolandus vidisset navem et ligna revertentia, insecutus fuit ea usque ad palos portus predicti, set non potuit recuperare propter fortunam maris et venti, et amisit homines Ianue qui erant in lignis predictis. Obsides vero adduxit secum Ianuam, qui erant Veneti et de Principatu, et fuerunt relaxati per comune eo quod erant sine culpa[g]. Itaque armate sunt in Ianua per comune galee 26, ut superius est seriatim narratum. Quoniam[h] multotiens prosperis subsequuntur adversa, contigit dicto anno mense Madii quod navis una Benedicti Iacharie honerata alumine eiusdem quod apud Fogiam in Romaniam idem fieri fecerat, dum esset prope insulam Piccarie in Corsica, et nimis prope terram velam portaret, imperitia naucleriorum de die ferivit in sicca quadam que est ibi, sicque navis continuo est confracta et cum[i] toto onere est amissa, homines vero evaserunt in barcha. Mensi vero Novembris navis una Henrici Salvatici de Scicilia veniens honerata grano, dum esset super capud ......... in Corsica, imperitia naucleri nimis prope terram navigans ferivit[k] in sicca que ibidem existit, sicque navis cum toto honere est amissa et homines evaserunt in barcha. Navis etiam una Cathalanorum honerata alumine dicti Benedicti de Fogia veniebat atque mense Novembris per fortunam temporis ivit apud portum Pisanum. Pisani autem galeas tres illico ascendentes eam salvis

a) c. — potuerunt *in marg. alio atramento* 1. b) *deest* 1. c) *in marg.* 1. d) *in marg.* 1. e) c. e. s. *in loco raso* 1. f) *littera* b *alia manu* 1. et — eis *in marg.* g) *hinc aliud atramentum* 1. h) *iterum prior manus* 1. i) *vox desideratur; maius spatium patet* 1. k) ferriuit 1.

personis habuerunt ad pactum. Navis etiam una Spinolini de Spinolis et sotiorum, de ultra- 1286.
mare veniens honerata mercimoniis et dives valde, dum aquam nimiam faceret, fortuna temporis Alexandriam divertit, quam soldanus continuo capi faciens, homines custodiri precepit ac navem exhonerari totam; in fine vero extorsit a mercatoribus dicte navis bizantios 12000 vegios, et sic navem et homines abire permisit.

1287. Hoc anno fuit potestas Ianue domnus Henricus Brusamantica iuris peritus civis 1287.
Papiensis, dictis capitaneis cum eodem civitatem regentibus.

Hoc quidem anno dum ad audientiam hominum civitatis Ianue pervenisset de nave supradicta quam soldanus Egypti detinuerat, miserunt ad eam deliberandam ac homines qui erant in ea virum nobilem Thomam Spinulam in una galea valde bene armata. Ex alia vero parte comune Ianue armari fecit de peccunia pro avariis collecta galeas 5 et unum galionum, de quibus supradictus Rolandus Ascherius fuit capitaneus ordinatus, atque ut ad partes ultramarinas navigare deberet, habuit in mandatis, ut inimicis Pisanis offenderet, et etiam soldano Egypti, si restitutionem de ablatis non faceret antedicto Thome. Dictus igitur Rolandus recessit de Ianua die Mercurii 24. Martii, ad portum Aconis festinanter perrexit. Pisani autem venientes ad arma et requirentes Venetos, ut eisdem adiutorium prestare deberent secundum quod inter eos[a] continebatur ex conventione antiqua. Igitur Pisani et Veneti galeas 5 et taridas 3 et alia plura ligna munita illico armaverunt. Magistri autem Templi et Hospitalis miserunt pro dicto Rolando Ascherio, ut iret apud Casalemberti[b, 23] ad loquendum cum eis. Dum autem ibidem ivisset, et esset in terra ad colloquium 23
cum eis, vidit supradictas galeas et taridas armatas versus se venientes; quare ipse statim suam galeam ascendens, versus inimicos cum festinantia remigavit. Inimici hec videntes statim terga verterunt, atque in portu Aconis in tuto loco se posuerunt. Dictus autem Rolandus eos viriliter usque ad turres est insecutus, atque ante ipsos se ponens, petebat predam tamquam suam sibi dari ab hominibus dicti loci, asserens se numquam inde discessurum et quoscumque illuc venientes capturum, nisi adimpleretur eidem sua petitio. Milites autem Templarii et Hospitalarii et alie mansiones hec que viderant maximum reputantes, et de soldano Egypti timentes, requisierunt pro dono dicto Rolando, quod a petitis amore eorum desisteret, atque ab obsidione Aconis desisteret, sic quod victualia undique possent ibidem venire. Sicque precibus eorum condescendens, versus Tyrum navigavit, atque exinde in Cyprum, ibique invenit dictum Thomam Spinulam, qui venerat de Egypto, et qui cum soldano dicti loci compleverat que sibi per comune Ianue commissa fuerant. Exinde autem navigantes tam dictus Thomas quam dictus Rolandus, cum omnibus suis galeis apud Clarentiam pervenerunt, ibique dictus Rolandus gravi infirmitate detentus, diem clausit extremum, atque ibidem in domo fratrum Minorum fuit honorabiliter sepellitus; de cuius morte homines Ianue mirabiliter doluerunt; et merito, cum esset probissimus, et facta comunis eidem mirabiliter strenue et cum magno honore comunis et suo semper adimplebat.

Ipso etiam anno armate sunt per comune Ianue de peccunia pro avariis collecta galee 4 et unus galionus, de quibus Nicolinus de Petratio fuit capitaneus ordinatus, qui recessit de Ianua die 24. Aprilis in festo beati Georgii, atque ad portum Pisanum accessit, et in partibus illis diebus 56 continue moram traxit. Ordinaverat enim secrete cum Benedicto Iacharia predicto, quod portum Pisanum possent intrare et frangere. Igitur dictus Benedictus paravit unam suam galeam de qua supra fecimus mentionem que vocabatur Divitia sub spetie eundi in Romaniam, atque die dominico 6. Iulii summo mane dictus Benedictus cum dicta Divitia se posuit in medio duarum turrium, ubi est portus galearum et parvorum lignorum, et ibi magnum sustinens laborem turres transire non potuit, sed fuit vulneratus in gamba, de qua magno tempore iacuit infirmus quasi ad mortem. Dictus vero Nicolinus cum sua galea et una alia ad cathenam turrium, ubi est portus navium, accedens, per violentiam fregit eam, atque portum intrans, incendio concremavit omnia que erant ibidem, scilicet naves tres et taridas quatuor, de quibus una erat honerata carne caseo atque lana. Conburserunt etiam beltrescas[24] 9 et trabuchos duos magnos, que facte erant ibidem pro fortia et custodia dicti portus. Sic et taliter steterunt ibi usque ad medium diem; atque accipientes ferra de trabucis et de chatena, et homines sex quos ibi invenit, et in galeis

a) *vox deest* 1. b) *in loco raso* 1. 23) Casale Huberti Ritter XVI, 1, 782. 24) castella lignea.

1287. ponentes in signum victorie, in ecclesia beati Laurentii postea collocare fecerunt. Dictus igitur Nicolaus ad Portum Venerem accedens, et hominibus vulneratis in terra positis, apud portum Pisanum redire curavit cum suis galeis, atque diebus septem continuis in dicto portu permansit. Quibus completis cum terminus suorum solidorum esset completus, Ianuam redivit cum honore et gratia. Dictus vero Benedictus dictam suam galeam nominatam Divitia misit ad partes Romanie pro suis peragendis negotiis. Armate sunt etiam pro custodia riperie per comune Ianue una galea et unus galionus, de quibus Franceschinus Porcellus fuit capitaneus constitutus; et recessit de Ianua die 9. Iulii, et navigans versus Provintiam pervenit ad portum Sancte Margarite, et ibi intellexit esse unum lignum Pisanorum in gulfo Frezurii, et statim perrexit ad locum illum, et vidit predictum lignum Pisanorum fugare quoddam lignum Provintialium, et erat de remis 72. Predictus vero capitaneus cepit persequi dictum lignum Pisanorum usque sero. Dictum vero lignum Pisanorum ferivit ad terram, et homines evaserunt per fugam. Mane vero facto dictus capitaneus[a] dictum lignum Pisanorum conbussit, et fuit hoc apud Canevam.

Item cum supradicto ligno Pisanorum erant duo alia ligna et una barcha Cathalanorum de remis 18. Barcha vero capta fuit cum hominibus, alia duo ligna evaserunt, eo quod capitaneus predictus non vidit ea, et reversus est Ianuam et deposuit barcham. Deinde ivit in riperia levantis usque Plumbinum, et invenit barchas Plumbinensium quam plures cum mercimoniis et eas cepit et eas combussit, et stetit in custodia usque ad complementum trium mensium, et postea Ianuam rediit cum honore.

Eodem etiam anno armate sunt in Ianua per comune de peccunia pro avariis collecta galee 5 et unus galionus, de quibus Henricus Spinula fuit capitaneus ordinatus; qui cum eis discessit de Ianua die 6. Septembris. Cum autem esset die 20. dicti mensis in Sardinia in portu Arestani, cepit unam navim Gaytanorum caseo et pellamina honeratam, cum obsidibus de ea in galeis suis acceptis, navem misit in Ianua. Deinde die 27. dicti mensis cepit supra capud terre quandam navem Venetorum de Ancolo venientem et euntem apud Kala-
25 rum, in qua quidem cepit Pisanos 4, et faxios 12 bodronorum[25] et duos saccos lane, qui erant dictorum Pisanorum, que omnia misit in Ianua in quadam nave Ianuensium quam invenit. Postmodum vero die 19. Octubris violenter intravit portum Farexie rupta chatena portus eiusdem, et inde extraxit lignum unum de remis 60 sale honustum, quod misit in Ianua, et barchas 4 quas supra portum Pisanum adducens igne apposito fecit incendio concremari. Deinde 20. Octubris supra Motronum galionum Paoni de Plumbino de remis 64 invenit quod erat armatum pro eundo in cursum, tamen ita fuit coartatum per nostras galeas quod ferivit ad terram; et homines evaserunt, lignum vero predictum cepit et ipsum transmisit in Ianua. Subsequenter vero die ultima dicti mensis invenit in mari Dolarie navem unam Venetorum honustam caseo et tunina de Scicilia venientem et apud portum Pisanum euntem, quam quidem cepit et in Ianua transmisit. Hiis etiam temporibus armatum est unum lignum pro custodia riperie fatienda, de qua dictus Francischinus fuit iterum capitaneus constitutus, qui recessit de Ianua die .... et fuit lignum Grifi, quod fuit armatum per tres menses ad solidos comunis; et custodivit tam bene et diligenter riperiam, quod toto tempore nullum ab inimicis dampnum fuit illatum. In fine vero termini suorum solidorum rediit ad civitatem Ianue letus cum gaudio et honore[a]. Armate[b] sunt itaque in Ianua per comune dicto anno galee 20, ut superius seriatim est narratum[c].

Eodem quoque anno comes Atrabatensis, baiulus in Apulia[d] pro Carolo Martello, et[e] cardinalis legatus sedis apostolice galeas 60 in Principatu et Apulia preparari fecerunt ac milites imposuerunt in eis; quos in Augusta in Sicilia posuerunt in terra, atque pro aliis adducendis Neapolim sunt reversi. Illi vero de Sicilia continuo armaverunt 42 galeas, de quibus predictus Rogerius de Lorea fuit capitaneus constitutus, et apud Neapolim accesserunt; miseruntque suos nuncios comiti et cardinali iam dictis, quod non oportebat eos in Siciliam accedere, quoniam parati erant eos ibidem expectare ad bellum, nec inde recederent donec preliarentur ad invicem; et diebus 7 illi de Sicilia in illis partibus expectantes, multi milites et barones illarum partium et etiam Francie ascenderunt in suis galeis; sicque

a) *quae usque* cum gaudio et honore *sequuntur, in editione perperam in fine anni* 1285. *habentur.* b) A. — narratum *alio atramento* 1. c) *reliqua columnae pars vacat; in imo margine custos* eodem quoque *hodie reliqua usque ad annum* 1294. *excidisse persuadet; textum igitur hic ope codicis* 2. *sistimus.* d) ampulia 2. *hic.* e) *deest c.*

25) i. e. fasces vellerum.

in vigilia beati Iohannis baptiste mense Iunii prelium est ab utraque parte in partibus de 1287
Castello ad mare et Surrenti[26] commissum durissimum, in quo capte sunt de galeis Principatus et Apulie ...., admiragius etiam earundem, et comes Brene, et multi alii barones capti fuerunt in eis; qui in Siciliam pro maiori parte se postea redimerunt magna quantitate pecunie.

Dictus vero Rogerius, admiragius galearum Sicilie, cum suis galeis et preda facta per ipsum in partibus illis per dies 21 moram traxit, et insulas Capri et Procitam cepit, deinde in terram firmam descendens cum hominibus galearum suarum, devastavit Surrenti et Castrum ad mare. Dicti vero comes et legatus, dubitantes Neapolim et etiam totam aliam terram amittere, inierunt treuguas cum admiragio antedicto a sancto Michaele usque ad annum proximum duraturas, et pro pignore earum servandarum dederunt eidem in pignore castrum et terram Gironi situm in[a] insula Iscla, qui illud[a] de Catalanis ad suum velle munivit.

Eodem etiam anno Anfossus rex Aragonum, filius dicti Petri et successor eiusdem in regno Aragonie, paratis navibus et galeis in insulam Maiorice que per Sarracenos tenebatur ascendit, et quamvis eidem essent tributarii, nichilominus eos cepit, qui fuerunt capita ........ et quos per diversas mundi partes venales transmisit. Hoc[b] etiam anno circa principium Honorius papa IV. obiit, et vacavit ecclesia propter dissensionem cardinalium anno uno mense uno diebus ....

1288. Isto quidem anno supradictus domnus Enricus Bruxamantica fuit in potestate 1288
Ianue confirmatus; et cum esset sapiens et discretus, et malefactores sagaciter inquireret et puniret, data est ei potestas omnis et bailia super maleficiis et iustitia facienda, sic quod dicti capitanei de predictis se intromittere non valerent. Qui quidem officium suum bene et sapienter exercuit, et multos malefactores suo tempore punivit, et ultimo damnavit supplicio plus quam factum fuerat in annis decem elapsis, ita quod malefactores suo tempore cogitaverunt civitatem relinquere. Hoc etiam anno armate sunt per commune Ianue de pecunia pro avariis collecta galee 4, de quibus fuit Leonellus Advocatus capitaneus constitutus, que de Ianua discesserunt die sabbati sancto, habentes solidos ad tres menses. Dicto etiam anno in die Iovis sancto die 25. Martii frater Ieronimus cardinalis episcopus Sabinensis de ordine fratrum Minorum, natus de marchia Anconitana loco qui dicitur Ascoli, patre scriba, electus est in papam, et vocatus est Nicolaus V, qui prefuit in papatu annis 4 et diebus 10. Cum appropinquasset autem tempus regiminis, ad quod erant electi capitanei, cogitavit populus et amici ipsius de habendis capitaneis; tandem post multos et varios tractatus convenerunt mense Martii in palatio potestatis, et elegerunt sibi in capitaneos comunis et populi Ianue predictos dominum Obertum Spinulam et Conradum Aurie usque ad annos quinque proxime venturos in festo apostolorum Simonis et Iude incipiendos. Qui ducti in parlamento, dictum regimen noluerunt iurare, nisi usque ad annos tres proximos venturos. Hoc etiam anno die 15. Aprilis firmata fuit et iurata pax inter comune Ianue et comune Pisarum in civitate Ianue per sindicos utriusque comunis[27]. Nam carcerati Pisani qui erant in Ianua, ante per menses tredecim et amplius eam cum hominibus Ianue tractaverunt, promittentes eam per commune Pisarum facere observari sub certis penis, et pecunia magna deposita, et obsidibus ob hoc datis. Unde homines Ianue dubitantes, ne dicte quatuor galee, quibus dictus Leonellus Advocatus preerat, ulterius offenderent, revocaverunt eas die pentecostes, quamvis adhuc per dies triginta sex servire deberent. Comes autem Ugolinus, et iudex Galuri, potestates et domini civitatis Pisane de dicta pace dolebant; sed propter timorem populi palam contradicere non audebant, sed miserunt in Sardiniam cursalibus, prout fertur, quod armarent in cursum, et caperent Ianuenses quoscumque possent habere. Cursales vero hec scientes, armaverunt in Arestano et in Calaro, ubi comes Guelfus filius dicti comitis Ugolini dominium tenebat, galeas 2 et unum galionum, et euntes apud Alegherium uno mane navem Gilini de Finario, que ibidem onerabat carnem et caseum, et que propter pacem iuratam secure manebat, ceperunt, et eamdem combusserunt; homines vero existentes in ea apud Arestanum portantes, eos in duris carceribus posuerunt, et hec quidem fuerunt die .... Madii.

a) *deest* 2. b) *haec etiam editio anno* 1285 *perperam adsignat.*

26) Castellamare et Sorrento. 27) Lib. iur. II, p. 114—183. W.

1288. Interim predicti cursales cum dictis lignis quamdam taridam Danielis Reste apud Penas sancti Thelanii contra pacem iuratam ceperunt, et eam et homines apud Arestanum similiter deduxerunt. Cum vero eis dicebatur de pace inter dicta comunia firmata iam esse, respondebant se non curare de pace et tempus modo advenerat se de Ianuensibus vendicandi. Dicti etiam cursales dicta ligna et in eodem loco iterum intra mare ceperunt, et de Arestano die .... Iulii recesserunt versus Buzeam, et inde in Ispaniam navigantes, cumque invenissent quamdam navetam Guilierni Bocarii in partibus de ... oneratam sale, quam occasione pacis iuratae non bene armaverat, eam debellantes ceperunt; et ipsum et quasi omnes alios existentes in ea occiderunt; lignum vero combusserunt. Ceperunt etiam navetam Nicolai Matalafi burgensis Maiorice, et ut de alia sic et de ista fecerunt. Homines Ianue hec audientes, et non immerito admirantes, miserunt Nicolinum de Petratio mense Iunii apud Pisas, petentes damnum emendari et delinquentes a talibus de cetero abstinere secundum formam pacis de novo inite et iurate. Pisani vero ostendentes se de talibus plurimum condolere, ut moris est eorum, qui unum dicunt et aliud faciunt, responderunt se misisse et adhuc esse missuros pro eis, et eos punirent iuxta criminis qualitatem; et si eos habere non possent, filios et uxores eorum caperent et carceribus mancip rent, ipsos vero exilio perpetuo condemnarent. Interim vero homines Ianue attendentes, quod Pisani maius damnum hominibus Ianue intulissent tempore istius pacis, quam tempore guerre durante, festinaverunt armare galeas 4 et unum galionum, quibus solidos per tres menses dederunt de pecunia pro avariis collecta, et in eis Petrus Embronus fuit capitaneus constitutus, qui de portu Ianue die 8. Iulii recesserunt ad custodiam Ianuensium navigantium euntes, solummodo ad persequendos supradictos cursales. Habuerunt siquidem in mandatis expresse aliquibus aliis Pisanis non offendere ullo modo; quamvis enim predicta iam damna Ianuensibus intulissent, et etiam tempus in quo debebant deponere libras 50,000 Ianuinorum pro securitate hominum Ianue, prout pace iam dicta plenius continetur, iam per dies 40 et amplius esset elapsum, nihilominus Ianuenses nolebant eos impedire nec capere nisi termino dato et diffidatione premissa. Et quia verba pulcerrima et mirabilia cottidie per suos ambaxatores in Ianua frequentantes mittebant, tardabant diffidationem transmittere, expectantes de die in diem eos facere que in pace promiserant, et etiam iuraverant in concione civitatis Pisane. Dicto vero Nicolino de Petratio dicta de causa permanente in ipsis, archiepiscopus Pisanus et domnus Bacheremeus de Gualadis nobilis civis Pisanus et plures alii magnates ac populares dicte civitatis de parte que Gibelina dicebatur, petierunt ab eo sacramentum credentie, quo eisdem prestito, ceperunt eidem dicere et narrare, qualiter iudex Galuris et comes Ugolinus, qui dictam civitatem regebant per partem Guelforum, doluerunt de pace iam dicta, et contra eorum voluntatem eidem consenserunt, quia non fuerant ausi contradicere populo et aliis qui eam volebant omnino: credebant enim pro certo, quod si comes Facius et alii nobiles et de populo Gibellini qui detinebantur in carceribus comunis Ianue in maxima quantitate Pisas redirent, quod eisdem auferrent in brevi dominium civitatis Pisane, et pro velle ipsorum ipsi in carceribus vitam finirent, et sic semper haberent dominium civitatis Pisane; quare cottidie nitebantur eandem infringere, et facere Ianuenses capi ut moverentur ad furorem et iram et Pisanos ubique caperent et tenerent. Et revelaverunt eidem sub magna credentia, quod si ipse certo tempore cum galeis quattuor usque in quinque veniret ad fucem Pisarum, ipsi eandem civitatem omnino concitarent ad arma, quoniam per hoc favorem comunis Ianue in populo pretenderent, et acquirerent ex hoc voluntates eiusdem. Et si possent capere dictos iudicem et comitem Ugolinum et eius filios et nepotes, eos ponerent et traderent in virtute et potestate ipsius nomine comunis Ianue, ac sub protectione comunis Ianue se ponerent, et claves dicte civitatis de argento fabricatas eisdem transmitterent, et potestatem de civitate Ianue acciperent usque ad annos 10 continuos, cui pro eius salario annuatim florenos auri duo milia assignarent, ac carceratos Ianue qui detinebantur in Pisis libere relaxarent; et ut certum esset comune Ianue quod pacem quam iurabant inviolabiliter observare volebant, darent in pignus comuni Ianue insulas[a] Elbe et Gorgone et turres omnes portus Pisani per ipsum muniendas et custodiendas ad expensas omnes comunis Pisarum.

Qui Nicolinus respondit eisdem, se predicta capitaneis Ianue et eorum consilio sub credentia similiter revelare. Acceptis litteris igitur de credentia venientes ad dictos capitaneos

a) *vox deest.*

Ianue et ad dictum comitem Facium et ad quosdam alios carceratos Pisanos ex parte dicto- 1288.
rum archiepiscopi et suorum sequacium, redivit in Ianua, ac in palatio archiepiscopi Ianue dicti capitanei Ianue ad eorum consilium circa 12 secretarios suos et dictum comitem Facium ac quosdam alios carceratos Pisanos convenire fecerunt; et sacramento credentie ab omnibus prestito, dictus Nicolinus presentatis litteris per eum delatis omnia eis commissa per dictum archiepiscopum et Pisanos per ordinem et plenarie recitavit. Capitanei iamdicti et eius consilium nolentes aliquid facere, per quod dici posset comune Ianue contra promissa et in pace iurata venisse in aliquo, taliter responderunt dicto comiti Facio et aliis carceratis: *Dicti iudex et comes Ugolinus modo tenent et regunt civitatem Pisanam, et nos cum eis de novo pacem iuravimus tanquam cum rectoribus civitatis Pisane et nomine ~~ipsius comunis~~, nec contra dictam pacem ullo modo aliquid faceremus. Sed si comune Pisarum vult rectores aliquos removere ac alios de novo creare, de hoc nos non intromitteremus in aliquo ullo modo. Sed si conditio eveniret, quod aliquis qui regeret civitatem Pisanam vellet nobis dare predictos tanquam cives suos, seu aliquid aliud pro nostra securitate, parati erimus semper accipere. Verum his diebus paravimus galeas 4 et unum galionum pro custodia hominum Ianue, quia ut scitis cursales Pisani noviter homines Ianue graviter offenderunt; ascendat igitur dictus Nicolinus in eis et vadat ad portum Pisarum. Et si illi qui tenebunt dominium civitatis predicte, voluerint ei dare aliquid nomine comunis Pisarum, placet nobis quod illud accipiat. Vos autem sicut sapientes scribite per vestras litteras, sicut vobis videtur, archiepiscopo antedicto et aliis vestris amicis in Pisis.*

Dictus vero comes Facius litteras responsionis transmisit per dictum Nicolinum dicto archiepiscopo et eius sequacibus, continentes ut que cogitaverant facere, studerent ad effectum perducere festinanter.

Ascendit igitur dictus Nicolinus in dictis galeis et ad fucem civitatis Pisane pervenit; ibique pro certo didicit quod archiepiscopus Pisanus et alii Gibellini de Pisis eorum tractatum ad finem perduxerant; ceperant enim dictum comitem Ugolinum et eius uxorem et omnes eius filios et nepotes qui erant in Pisis. Dictus vero iudex Galuris cum illis de domo sua aufugit in Tuscia. Sicque archiepiscopus antedictus et Gibellini sine aliquo obstaculo habuerunt dominium civitatis Pisane. Dictus quidem Nicolinus festinanter cum galiono uno per flumen Arni ascendit ad civitatem Pisanam, ac coram dicto archiepiscopo et antianis perrexit quam citius, et litteris dicti comitis[28] presentatis eisdem, petiit ab eis dictum comitem Ugolinum et alia per eos eidem promissa debere attendi. Cumque per dies . . . ibidem moram traxisset, Pisani pulcra verba semper dantes pro factis, nichil facere voluerunt. Immo finaliter responderunt, quod non tenebantur de aliquo, quoniam iam factum erat completum antequam dictus Nicolinus applicuisset ad fucem predictam. Qui licet responderet, tempore per eos stabilito venisse, nichil in fine aliud facere voluerunt, nisi quod homines 173 qui erant in eorum carceribus relaxarunt et eidem assignare fecerunt, quos secum conduxit in Ianua die . . . Iulii, et eos comuni Ianue in consilio presentavit. Quare comune Ianue ex carceratis Pisanis 200 similiter relaxavit pro contracambio predictorum, ne ipsi magis liberales seu misericordes quam homines Ianue possent ab aliquibus reputari.

Pisani quidem dictum comitem Ugolinum et filios et nepotes in carceribus posuerunt in una turri, quos fame et penuria compulerunt solvere in pluribus vicibus florenos auri . . . . . Demum cum ab eis plus extorquere non valerent, eosdem in modicum tempus crudeliter fame perire fecerunt, sic quod unusquisque sibi manus et brachia comederunt. Et post mortem ipsorum eorum corpora sic dimiserunt per triduum in ipsis carceribus permanere, sic quod mures nasum et alia plura membra comederent ipsorum. Cumque Pisani in tanta calamitate et turbatione manerent, miserunt pro comite Guidone de Montefeltro, qui apud civitatem Astensem in confiniis pro Romana ecclesia morabatur, et eum elegerunt in potestatem et rectorem civitatis Pisane, eidemque omnem postestatiam et bailiam in omnibus tribuerunt. Ipse vero erat mirabiliter providus et fortunatus in preliis, et relictis confiniis apud Finarium, galeam unam ibidem armatam ascendit ac in civitate Pisana pervenit. Cumque in parlamento iurare deberet, asseruit se regimen illius civitatis minime accepturum, nec captum tenere, nisi Pisani in omnibus observarent que comuni Ianue in pace promiserant, et cum ab hominibus civitatis Pisarum responsum fuisset in omnibus

28) Facii.

1288. iuxta verba per eum proposita, se velle pacem iuratam in omnibus observare, cogitaverunt homines Ianue ipsum comitem illuc pro nostra utilitate ivisse, quod quidem in contrarium redundavit. Nam infra modicum tempus civitatem taliter gubernavit et rexit, quod non solum non[a] timere de Guelfis Tuscie sed eis minas inferre ceperunt, et dominium in dicta civitate totaliter accepit, ita quod nullus arma aliqua portaret, nec offensionem facere audebat; quod quidem inauditum fuerat ab antiquis in civitate Pisana.

Illi vero de Calaro his auditis procurabant capere dictum comitem Guelfum, filium condam dicti comitis Ugolini, qui dominium illius loci habebat. Ipse vero perpendens predicta, sagaciter de dicto loco causa venandi secessit, atque ad castrum Aque frigide quod suum erat perrexit. Illi vero de Calaro quendam burgensem dicti loci capitaneum constituerunt et se ceperunt regere per se ipsos. Dictus vero comes Guelfus de morte patris et fratrum et etiam filii sui dolens ut debuit, obsedit castrum Ioiose guardie in Sardinia quod est comitis Facii qui erat suus contrarius, atque penuria illud cepit; Gibellinos etiam Pisanos quoscumque habere poterat, capiebat et crudeliter occidebat.

Hoc etiam anno domnus Bartholomeus de Gibelleto, factus capitaneus de Tripoli post mortem principis Antiochie domini dicti loci, misit magistrum Petrum de Pergamo suum ambaxatorem ad comune Ianue petens ab eo auxilium et succursum, et eidem offerens terciam partem Tripolis, quam ab antiquo ibidem comune habebat. Quare in continenti armate sunt galee due in Ianua ad sex menses, de quibus Benedictus Iacharias fuit dominus constitutus, cui super predictis et etiam in omnibus que comune habebat facere ultra mare fuit attributa potestas plenaria sine ullo tractatu; quod postea in detrimentum comunis atque verecundiam non modicam redundavit. Discessit igitur de Ianua cum dictis duobus galeis armatis optime die 10. Iunii, versus partes orientales dirigens gressus suos. Cumque in partibus Clarentie pervenisset, pro certo didicit domnam Lucianam, sororem principis premortui, uxorem domni Narionis ........ cum 5 galeis in Ampulia armatis versus partes Tripoli navigasse, que ex successione fratris sui premortui principatum Tripolitanum tamquam proximior de iure habere debebat. Sicque dictus Benedictus versus Fogiam Romanie celeriter navigavit, ac infra dies 8 unam suam galeam nomine Divitiam, de qua supra in 1285. fecimus mentionem, fecit preparari et armari peroptime, et etiam infra dictum tempus due alie galee mercatorum Ianue venientes de mari maiori illuc applicuerunt intendentes ire Tripolim cum mercibus ad vendendum. Dictus vero Benedictus cum dictis 5 galeis inde navigans, coram civitate Tripoli in breve tempus pervenit. Dicta vero domna Luciana erat cum galeis 4 ad terram extra civitatem, videlicet cum magistro Templi et magistro Hospitalis, quorum quilibet ibidem habebat unam galeam armatam, Veneti etiam et Pisani insimul unam, et domnus Iohannes de Greheli dominus pro rege Francie in partibus ultramarinis unam; qui omnes procurabant concordare homines Tripolis cum dicta domna Luciana. Quod quidem absque dubio completum fuisset, si dictus Benedictus per duos dies iter suum tardasset. Predictus autem Benedictus cum hec vidit, viriliter se cum suis galeis preparavit ad pugnam, et sic paratus portum Tripolis intravit cum magno vigore, receptusque est ab omnibus Tripolis ilariter et iocunde. Qui habito colloquio cum hominibus dicti loci, sequenti die mandavit domne Luciane predicte et illis de supradictis galeis, ut se de illis partibus separarent. Qui se separantes, versus Accon omnes cum dicta domna Luciana navigare ceperunt. Dictus vero Benedictus conventionem firmavit cum dicto domno Bartholomeo de Gibelleto et cum hominibus dicti loci, qui quidem quantum ad tempus quod tunc currebat parvi erat valoris, nec ambaxate misse in Ianua per dictum Petrum de Pergamo in aliquo concordabat. Rebus autem per eum in illis partibus dispositis, dimissa etiam ibidem dicta galea Divitia, versus Ciprum perrexit cum aliis, cum rege dicti loci locuturus; cum quo quandam conventionem firmavit, que pluribus de causis comuni et hominibus Ianue valde displicuit, et maxime quia in dicta conventione exceptati non erant reges et principes, cum quibus conventiones antea habebamus, et quia erat cum magnis expensis et detrimento comunis Ianue, et ideo comune Ianue eam ratificare[b] noluit ad requisitionem fratris Mathei de ordine fratrum Minorum, qui episcopus erat Famagosie et qui pro parte dicti regis ad partes Ianue pro dicta rectificatione accessit; et ex hoc dictus rex postea Ianuenses male tenuit et minus honoravit.

Isto etiam anno comunia Ianue Mediolani Papie Placentie Cremone et Brixie confede-

a) *deest* 2. b) rectificare 2.

rationem fecerunt ad invicem contra Guilielmum marchionem Montisferrati usque ad annos 1288. decem duraturam. Nam dictus marchio immemor beneficiorum receptorum tempore guerre regis Karoli a civitatibus Ianue Papie et Aste, cepit occasiones invenire et se coniunxit cum illis qui tempore dicte guerre sui extiterant inimici nequissimi; que confederatio firmata fuit et iurata Papie mense Iunii dicti anni; ad quam quidem societatem postea venerunt Astenses et plures alie civitates.

In tempore etiam dicte potestatie 1289. die prima Ianuarii inter vesperas et completo- 1289. rium quidam nobiles cives Ianue coniurationem factam antea per 6 menses contra capita- Ian. 1. neos et populum Ianue cogitaverunt ducere ad effectum. Nam tunc surrexerunt ad arma, quamvis dicta coniuratio dictis capitaneis et populo Ianue penitus esset incognita. In ipsa quidem coniuratione fuerunt Grimaldi omnes, insuper illi de Flisco, de Nigro, illi de Castro Malloni, et Salvatici, Embriaci, de Marino, Mallocelli, Fallamonice, Piccamilii, Guisulfi et Cibo fuerunt pro maiori parte in dicta coniuratione, et multi nobiles huius civitatis. Predicti igitur et eorum comitiva armati tam equester quam pedester ad Sanctum Laurentium subito pergentes, ecclesiam et turres sancti Laurentii muniverunt, ac ad domum abbatis populi Ianue fecerunt insultum, credentes etiam capere ipsos capitaneos subito, qui consilium privatum tenebant in domo quondam Abbati de Flisco super his que de dicta coniuratione illo die primitus audierant. Abbas vero populi cum paucis de populo eisdem resistens, ad palatium potestatis et capitaneorum accedere minime potuerunt; immo ipsos in fugam vertit, equis quam pluribus occisis et letaliter vulneratis. Populus autem interim armatus ad palatium abbatis sui et palatia potestatis et capitaneorum perrexit viriliter. Interfuerunt etiam in auxilio populi domni capitanei, qui sibi arma ad domibus suis illuc deferre fecerunt festinanter cum aliqui de domo sua, et Philippus de Volta qui fracto hostio loci qui dicitur domus, ubi certa quantitas dictorum coniuratorum se recollegerant, eos vertérunt in fugam, quam pluribus de eis et eorum sequacibus mortuis vulneratis et captis; qui vero evaserunt, se cum aliis coniuratis inter ecclesiam beati Laurentii reduxerunt. Alii vero amici populi Ianue ad domos suas armati expectabant diei adventum. Dum autem dicti coniurati inter ecclesiam beati Laurentii taliter reclusi extarent, et ignis esset positus in portis ecclesie, ut facilius posset fieri insultus in eis, quidam se posuerunt mediatores, et iuraverunt mandata dominorum potestatis et capitaneorum, et essent affidati ipsi et eorum adiutores in personis et rebus. Capitanei autem et abbas populi habito consilio amicorum suorum, videntes quod si tot nobiles perirent, civitas Ianue inde detrimentum maximum incurreret, secuti illud euangelium quod dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat*, eosdem affidaverunt ut supra, et sic circa mediam noctem ad domos proprias fecerunt eos conduci. Mane autem facto, ut civitas esset magna tranquilla, posuerunt circa 40 in confiniis extra districtum Ianue, ubi vellent, quos post paucos dies permiserunt ad domos suas redire.

Fuerunt itaque armate in Ianua per comune galee 11, ut superius est seriatim narratum.

1289. fuit potestas Ianue vir nobilis domnus Bertramus de Carcano civis Mediolanensis, cui super maleficiis et tota ratione reddenda cuilibet plena est attributa potestas. In ipso anno die 4. Martii comune Ianue emit medietatem castri Quiliani et quedam alia iura et Mart. 4. possessiones ibidem, prout continetur in instrumento scripto manu Gulliermi de Caponibus notarii, dicto anno et die[29]. Ipso etiam anno Benedictus Iacharias, perpendens homines Tripolis velle recedere a promissionibus eidem pro comune Ianue factis, ut dixit postea in Ianua, cum dicta domna Luciana ipse sibi previdens, ivit ad castrum Nephini, ubi dicta domna Luciana cum magistro Hospitalis venerat, perrexit cum una galea, cum qua fedus et pactiones inivit que scripte fuerunt per manum . . . . . . . . de Portu Venere notarium 1289. Dum autem hec taliter agerentur, soldanus Egypti potentissimus, nomine Melich Elmaraf, qui et alio nomine Elfil nominatur, attendens civitatem Tripolis in tanta turbatione et permutatione manere, accessit ad obsidionem ipsius cum infinito exercitu militum et peditum, et die 10. Martii circa eam est castra metatus cum trabucis et aliis ingeniis, quam per dies 47 obsidens, eam in ore gladii cepit die 27. Aprilis. Ad quam defendendam rex Cipri misit Apr. 27. fratrem suum cum certa quantitate militum ac peditum, Templarii etiam et Hospitalarii et alie mansiones et milites et pedites de Siria, Veneti etiam et Pisani illic convenerunt in

29) Lib. iur. II. p. 191 sq. W.

1289. maxima quantitate pro defensione ipsius, illuc etiam accessit celeriter supradictus Benedictus. Tandem omnes non potuerunt resistere, quamvis civitas esset fortissima et bene gentibus bonis munita, ac fossis et muris mirabiliter circumdata. Dictus vero Benedictus recollectis hominibus ac feminis, parvis et magnis, quos potuit, eos posuit in supradictis galeis, et in una sua nave, quam ibidem habebat, et in insulam Cipri deportavit eosdem ut ibidem permanerent securi. Fuerunt autem mortui ac capti tunc in dicta civitate per dictum soldanum masculis et feminis computatis ultra . . . . . et maxima multitudo thesauri inde per eundem asportata. Dictus vero soldanus dictam civitatem Tripolis dirrui fecit et dictum castrum Nefini, et inde ad suas partes rediit. Benedictus vero predictus, depositis hominibus in Cipro et Tiro, et Acconem perrexit, ut confortaret homines dictorum locorum. Tamdem in Armeniam rediit, et colloquio habito cum rege Antonio filio regis Leonis[30] qui nuper decesserat, impetravit ab eo pro comuni Ianue quemdam fondicum, qui fuerat uxoris quondam Guiliermi Streiaporci sive Salvatici. Impetravit etiam, quod homines Ianue possent ascendere in Turchia cum suis ballis et mercibus pro satis minori pretio quam solvere soliti erant, ut in eius litteris manu eiusdem signatis plenius continetur.

Interim cum Polinus Aurie esset consul Ianuensium in Caffa, audito de obsidione Tripolis supradicti, hoc exposuit coram mercatoribus et burgensibus dieti loci, qui statim ordinaverunt illuc transmittere subsidium galearum; ibique erant galee tres armate Ianuensium, que de Ianua illuc mercatores in illis diebus portaverant, quas conduxerunt cum eorum armamentis certo pretio eisdem solvendis de suo proprio, si comune Ianue illud pretium solvere recusaret, et collectis asperis[31] 6 milibus, et balistariis in eis impositis, dictum Polinum preposuerunt eisdem. Qui versus partes orientales navigans, in Cipro audivit de civitatis Tripolis captione, et de dicto Benedicto in Armenia ivisse. Illuc igitur properans dictus Polinus cum dictis galeis, et dicto Benedicto invento, versus partes occidentales redire ceperunt. Cumque fuissent in partibus Candelor in Turchia, invenerunt in mari per miliaria circa decem navem unam Sarracenorum de Alexandria venientem et apud dictum Candelor euntem, eamque per vim prelii ceperunt, ac homines gladio trucidarunt et in Ianua vivos cum eorum mercibus in potestate comunis Ianue consignarunt. De quo homines Ianue unanimiter doluerunt, quoniam homines Ianue habebant pacem cum dicto soldano, et etiam multi Ianuenses et naves erant tunc temporis in terra Egipti, et etiam medio tempore illuc perrexerunt. Soldanus vero predictus his auditis, omnes Ianuenses quos in terra Egipti invenit, fecit detineri in personis et rebus, in sui defensionem allegans quod galee comunis hominibus suis offenderant, et sic hominibus comunis volebat offendere, quod quidem non faceret, si ei esset facta offensio per cursales vel homines singulares. Qua de causa mense Decembris fuit armata in Ianua galea una, in qua ivit missaticus pro comuni Albertus Spinula, que constitit ad armandum cum solidis dicti missatici libras . . ., atque in eadem portavit dictos Sarracenos qui evaserant de dicta navi cum omnibus mercibus suis; et qui peteret a soldano iam dicto Ianuenses per eum detentos relaxari, qui etiam narraret eidem qualiter sapientes Ianue de captione dicte navis universaliter doluerunt. Qui pergens ad dictum Soldanum, relaxationem nostrorum plenarie impetravit. Comune autem Ianue solvit galeis, que dictum Polinum portaverant, quicquid constiterant ad armandum, ut alii caperent bonum exemplum subveniendi comuni, quandocumque expediret. Constitit autem factum illud de Tripoli comuni Ianue facta ratione per duos de ratione et tribus aliis viris prudentibus eisdem adiunctis libras 32,857, non computata galea predicti missatici.

Hoc etiam anno milites Papie pro maiori parte coniuraverunt contra suam civitatem cum supradicto marchione Montisferrati, populo ipsius civitatis inscio. Intraverunt quidam ex eis in quodam castro civitatis Papie quod Bassignana vocatur. Populus hec audiens, perrexit cum militibus iam coniuratis ad recuperationem ipsius. Cumque fuisset iam dictus populus ad burgum qui dicitur Gaia, ecce marchio predictus eidem obvius extitit, et tunc milites coniurati ceperunt suam ostendere voluntatem. Populus vero de suis potius quam de extraneis timens, civitatem Papie posuit in manus dicti marchionis et omnia castra ipsius, et dictum marchionem et eius heredes eorum dominum perpetuum ordinarunt. His peractis ambaxatores de societate predicta preter Papiam convenerunt insimul apud Cremonam de

30) qui rex Leo II. anno praeterito d. 23. m. Dec. Ianuensibus multa mercaturae privilegia contulerat. Libr. iur. II, 183. W. 31) Idem qui supra a. 1285 „osbergi“ nominabantur, i. e. bene loricati. W.

1289.

mense Septembris, ibique statuerunt certam quantitatem militum continue tenendam pro qualibet civitate, et quod permanerent in loco de quo hominibus dicte societatis videretur pro meliori. Dictus autem marchio ex acquisitione Papie in maiorem elapsus superbiam, cepit civitatem Astensem facere molestari; sicque dicta civitas de eo dubitans, eandem societatem intravit Novembri, usque ad annos 5 duraturam, et imposuit equos sibi 800 cohopertos, et societas tota promisit tenere continue in civitate ipsa ultra suos milites 400, et civitas Ianue balistarios 100 per tres menses.

Ipso etiam anno domnus Carolus secundus obsidibus regi Aragonum datis duobus filiis suis et aliis pluribus baronibus de Provintia, a carceribus relaxatus ivit ad regem Francie locuturus cum eo; deinde de Francia rediens scripsit litteras suas potestati et capitaneis Ianue quod[a] per civitatem Ianue transitum facere intendebat, et sic civitatem Ianue intravit die 23. Aprilis, ubi fuit receptus ab omnibus ilariter et iocunde, ac in ecclesia sancti Siri hospitatus; et consilium civitatis Ianue die sequenti habere voluit in ecclesia supradicta; ibique existens, quidem iudex eius pro eo propositis pulcris verbis et amicabilibus, castrum Rocabrune quod pater ipsius tempore guerre que inter ipsum et comune Ianue vigebat occupaverat[32], restituit cum omnibus iuribus que habebat in eo, ut in litteris sigillatis sigillo cereo eiusdem pendenti plenius continetur[33]. Tercia vero die versus Romanam curiam gressus suos direxit, coronam regni Sicilie a summo pontifice recepturus. Ipso igitur coronato, versus Ampuliam ire cepit velociter. Nam dum Iame[34] filius olim domni Petri regis Aragonum, qui tunc temporis insulam Sicilie possidebat, et in Calabria similiter plura loca, galeas 40 in Sicilia armari fecerat, ac in eisdem milites et pedites imposuerat, et apud Gaietam civitatem in terram descenderat, murumque ex opposito se fecerat, ne quis posset subito currere super ipsius exercitum, eamque cepit obsidere per terram et per mare. Dictus autem rex Carolus cum uno cardinali legato Romane curie illuc accedens et cum magna quantitate peditum, eidem nocere non poterat; sicque cum .... diebus in dicta obsidione permansisset, mediatoribus hinc inde intervenientibus facta est inter eos treugua ac iurata usque ad annos ... duratura. Ipse vero rex Carolus rebus illarum partium dispositis redire festinavit in Franciam, ac per Ianuam die 9. mensis Octubris transivit.

Eodem quoque anno cum comune Pisarum ex forma pacis facte anno precedenti dedisset comuni Ianue libras 9000 Ianuinorum pro recuperanda Corsica, quam ipsi Ianuensibus abstulerant anno Domini 1282, prout superius est scriptum, constitutus fuit vicharius pro comuni Ianue ad factum illud exequendum vir nobilis Luchetus Aurie, habuitque in sua societate milites 200 cohopertos computatis Sardis 25 quos de Sardinia cum virgis et equis fecit venire, balistarios 200, lanceas longas 200, et alios pedites 300, et galeas 4 et unum galionum armatas, quibus prefuit Michael Aurie. Habuerunt autem omnes supradicti solidos ad menses quatuor et fuerunt taride[b] 7 et galee 3, et barche 5, que discesserunt de portu Dalfini cum dictis militibus et equis trabucis et aliis necessariis. Partivit igitur dictus exercitus feliciter de portu Dalfino die lune 10. Madii, et in Corsicam loco qui dicitur Proprianum die 16. dicti mensis applicuit, descenditque in terra totus exercitus in planitie Barexe, ibique tribus diebus permansit, equos restaurans et alia necessaria preparans. Iudex vero Cinarche ea die ex opposito se posuit in montanis cum suis militibus et peditibus licet paucis. Vicarius autem predictus expectans milites Sardos 25 cum virgis qui de Alegherio Sardinie venire debebant, interim que poterat devastabat. Milites quidem Sardi die 29. dicti mensis applicuerunt ibidem, ac sine mora descendentes in terram, die sequenti cum toto exercitu ascendit versus

7, et galee tres et barche 5, que discesserunt de Ianua cum dictis militibus et equis et aliis necessariis.

Partivit igitur dictus exercitus feliciter die 6. Madii de portu Ianue, et in Corsica loco qui dicitur Proprianum applicuit, die 16. eiusdem mensis ibi descendit in terra, ubi stetit diebus tribus restaurans equos et preparans alia necessaria. Iudex vero Cinerche ea die ex opposito[c] se posuit in[d] mon

a) q. p. c. I. *desunt c.* b) *hinc inde duplicem Iacobi Aurie narrationem habemus, quarum brevior alteram in codice* 2. *excipit post voces* „comune Ianue" *lacuna relicta; nos eam ad latus amplioris exprimi curavimus.* c) poito 2. d) et 2.

32) De iure castri Rocchabrunae, quod ad cives Ianuenses spectabat, cf. diplomata a. 1262. facta in Libr. iur. I. p. 1402 sq. W. 33) d. 24. m. Apr. a. 1289. Libr. iur. II. p. 196; cf. p. 201—207. W. 34) i. e. domnus Iacobus.

1289. castrum Roche de Valle contra iudicem supradictum, ipsumque et ipsius comitivam usque ad summitatem montium effugavit; et cum ipsum capere non posset rediens, cepit villam Ulmeti, et in continenti ad obsidionem castri iam dicti se posuit, et velociter unum trabucum contra illud erigi fecit, qui cum diebus duobus traxisset, continue qui intus erant, timore moti, castrum iam dictum in forciam dicti vicarii die 8. Iunii tradiderunt. Illi vero qui erant in castro Istrie pro dicto iudice, hec scientes, igne de nocte in eo imposito recesserunt. Die vero 10. dicti mensis illi etiam qui erant in castro Ornanni, eo derelicto fugierunt, et dictus vicarius illud pro comuni munivit. Iudex autem predictus videns se non posse alia sua castra et loca defendere, conbuxit castrum Contondole et de Tare[35]. Vicarius vero castrum Tare dirrui fecit et Contondolam in continenti reparari precepit et illud pro comuni munivit de Corsis, stetitque per plures dies cum toto suo exercitu prope castrum de Tare iam dictum, et interim quam plures villas iudicis conburi fecit et devastari. Deinde versus Bonifacium rediit cum toto suo exercitu, ad hoc ut aliquibus diebus refectionem acciperet et se de necessariis prepararet. Ipso tamen tempore fuerant armate pro comuni Ianue in Ianua galee 3 ad menses 6, de quibus Franceschinus Suppa fuerat capitaneus constitutus, ut portarent nobilem virum Cacenimicum de Volta ad civitatem Tripolitanam Sirie, ubi ex forma conventionis potestas pro comuni Ianue esse debebat; sed auditis rumoribus de captione civitatis predicte deputate fuerunt ad custodiam maris contra cursales Pisanos et etiam ut defenderent quod homines et ligna Ianuensium apud Pisas non navigarent, que de Ianua partiverunt die

Ipse quoque vicarius cum toto suo exercitu partivit de Bonifacio die primo Iulii, ac per suas iornatas perrexit versus Leriam. Episcopus autem dicti loci cum duobus nepotibus scilicet Opizino et Pernecho, qui sunt de Curtengis, obviam venit eidem, et eum die 4. dicti mensis in mane introduxit in Leriam cum toto suo exercitu, ac homines dicti loci mandata comunis Ianue iurare fecit. Dicti etiam nepotes per se et homines suos mandata comunis Ianue iuraverunt, que bene quidem de cetero observaverunt, stetitque dictus vicarius in loco predicto per dies quatuor.

Deinde partivit de loco iam dicto cum toto suo exercitu, ac in terram Ugonis Curtengi pervenit, ac castrum ipsius nomine Agotho quod est prope Leriam die 8. dicti mensis conburi fecit. Die vero 11. dicti mensis in terram dicti Ugonis de Petra de Larata intravit, et die sequenti habuit castrum Petre Rezani et castrum Alciani dicti Ugonis.

Die vero 17. dicti mensis Guliermus predicti Ugonis venit ad mandata vicharii ac insignia comunis Ianue in castro Petre de Larata posuit, et unum suum filium obsidem dicto vichario consignavit, quem transmisit in Ianua[36]; et vicarius his peractis redivit in Leriam. Ipse vero Ugo numquam se voluit ponere in forciam dicti vicharii nec castrum iam dictum, immo post discessionem dicti vicarii de partibus illis, dictum iudicem in dicto castro receptavit tanis cum equitibus et peditibus paucis. Dictus vero vicarius die tercia cum suo exercitu perrexit versus Rocham de Valle. Cumque esset in dicta planitie, ecce dictus iudex ibidem accessit cum toto suo exforcio militum et peditum. Dictus vero vicarius preparavit pedites et balistarios ad expugnandum castrum quod dicitur Ulmetum, sed in continenti ad mandatum ipsius vicarii venit; quo viso iudex predictus cum tota sua gente recessit. Trabuchum vero et bricolas contra Rocham de Valle elevari fecit dictus vicarius, et per dies circa 15 dictum locum obsidens, et trabuco et ingeniis illud percuciens, venerunt ad ipsius mandata.

Iudex de captione Roche audiens, ignem posuit in Contondola Taule et Ornanum. Rainerius vero et Arigucius de Cinarcha, qui erant a dicto iudice expulsi et cum comuni tenebant, iverunt ad castrum Cinarche, et illud et alia castra eidem adiacentia recuperaverunt ad mandata comunis. Castrum etiam Istrie venit ad mandata predicti vicarii, et illud consignavit Nicolino de Petracio, eo quod comune Ianue illud eidem in feudum donaverat.

Rebus autem in illis partibus sic dispositis, versus partes Bonifacii redivit dictus vicarius cum toto suo exercitu, et in Sancta Amantia est castra metatus, deinde per suas iornatas versus Leriam perrexit. Episcopus autem dicti loci cum duobus nepotibus suis, scilicet Pernocho et Opicino qui sunt de Curtenzis, obviam venit eidem, et eum in Leriam introduxit, atque mandata comunis Ianue iurare homines dicti loci fecit. Dictus etiam Pernocho qui semper mirabiliter fuit fide-

35) Taule infra vocatur. 36) Libr. iur. II. p. 211. W.

ad voluntatem ipsius. Nam eius filius in uxorem habebat filiam iudicis antedicti.

Die autem 30. dicti mensis dictus vicarius partivit iterum de Leria causa eundi versus terras et castra dominorum de Bagnara. Die vero prima Augusti habuit castrum Sancti Iacobi Curtengorum de Lumeto. Et eodem die castrum Belfloriti episcopi de Marrana venit ad mandata ipsius[37]. Die vero 4. dicti mensis habuit castrum quod dicitur Belgoder dominorum de Bagnara, qui venerunt ad mandata ipsius. Die autem lune 6. dicti mensis castrum Begugia dictorum dominorum obsidere cepit, ac ipsum die 10. dicti mensis cum hominibus trium galearum quibus preerat Franceschinus Suppa fortiter debellavit, taliter quod in ipso prelio fuerunt de Ianuensibus quam plures vulnerati et mortui, tamen die sequenti venit ad mandata comunis et fuit pro comuni munitum. Domini quidem de Bagnara et marchio de Verde dederunt obsides dicto vicario, quos transmisit in Ianua, ac de ipsis dominis aliqui venerunt in Ianua et certa pacta cum comuni Ianue inierunt, que scripta sunt manu . . . . . Iohanninellus de Loreta iuravit mandata dicti vicharii, que bene suo tempore observavit[38]. Die vero 13. dicti mensis Robertus marchio Masse ivit ad mandata antedicti vicharii[39]. Et die 15. dicti mensis fecit munire castrum Sancti Columbani marchionis de Massa. Castrum vero Rostini quod erat ipsorum fecit comburi. Die autem 19. mensis predicti Iohanninellus de Loreta mandato dicti vicharii posuit se ad obsidionem castri quod Caspigra dicitur dictorum dominorum quod est fortissimum, faciens contra illud trabucum erigere; qui intus erant timore moti, illud nomine comunis Ianue reddiderunt in potestate ipsius. Tunc autem temporis castrum et loca alia de Capite Corso tenebantur per Advocatos et per illos de Mari qui erant habitatores Ianue, et ideo ad partes illas non ivit.

Die vero 23. dicti mensis dictus vicarius est reversus in Leriam, et rebus ibidem dispositis dimisso ibidem pro custodia illarum partium marchione Calaritano cum militibus 25 et balistariis et peditibus, die 24. dicti mensis partivit de Leria et illa die fuit hospitatus apud Concham cum toto suo exercitu. Deinde die 26. Augusti pervenit Bonifacium ante nonam, ibique stetit usque ad diem 2. Octubris ut equi et totus exercitus aliquam refectionem reciperet. Die autem 11. Septembris taride predicte 7 et milites omnes preter centum quos vicharius secum retinuit, recesserunt de Bonifacio causa redeundi Ianuam, sicut dictus vicharius habuerat in mandatis.

Dictus autem iudex audiens quod predicti milites erant licentiati, venit ad partes Contondole que erat munita de Corsis, et eam habuit absque mora, et Letare similiter. Vicarius autem hec audiens die 2. Octubris partivit de Bonifacio, et illuc cum suo exercitu equitavit velociter, et die sequenti pervenit ad villam Leretiam et ad castrum Besogini quod est de Iancoratus, et illud ipsa die cepit, ibique duobus diebus permansit. Die vero 5. dicti mensis ivit ad

lis et favorabilis nostro comuni, 1289
et frater eius Opicinus iuraverunt mandata comunis et dicti vicharii per se et homines suos. Ipse autem vicarius ivit postmodum ad obsidionem Petre de Larata, que est Ugonis Curtengi, cuius filius habebat in uxorem filiam iudicis antedicti; tandem ipse iuravit et permisit tenere terram pro comuni Ianue, et insignia comunis Ianue posuit in castro predicto, atque unum filium suum obsidem consignavit dicto vicario, quod quidem male observavit. Nam post discessum vicarii de dictis partibus dictum iudicem semper receptavit ad voluntatem ipsius. Insuper domini de Bagnaria et marchio de Verde venerunt ad mandata comunis, et obsides consignaverunt predicto vicario. Iohannellus etiam de Loreto venit postmodum et iuravit mandata comunis et episcopus Marante, et de predictis omnibus sunt instrumenta scripta manu Iacobi Sementii de Albingana notarii. Dictus quoque vicarius rediens Leriam mense Augusti munivit[a] eandem; nam dimissis ibidem militibus 25 et balistariis et peditibus, Bonifacium redivit cum toto alio suo exercitu.

De mandato autem comunis licentiavit omnes milites et pedites et balistarios preter centum milites et pedites et balistarios quos retinuit pro factis illis.

Mense vero Septembris circa finem antedictus iudex audiens quod predicti milites et pedites erant licentiati, venit ad partes Contondole quam Rainerius rehedificaverat et muniverat, et eam cepit et Taule similiter. Vicharius vero hec audiens, illuc pergit velociter. Iudex videns ipsius adventum fugam

a) minivit c.

37) Libr. iur. II. p. 215 sq. W. 38) ibid. p. 218 sq. W. 39) ibid. 223. W.

1289. villam Curtanum et eam combuxit. Et eadem die accessit ad villam Loretam et eam combussit. Die autem 6. dicti mensis ad villam Agulinam accessit quam etiam comburi fecit, ibique die una tantum permansit. Die siquidem 8. mensis predicti accessit ad castrum predictum Contondole, et illud tam fortiter et viriliter expugnavit, quod in ore gladii cepit eum, et homines 19 qui per dictum iudicem ibidem extabant, fuerunt gladiis detruncati. Illi autem qui erant et pro dicto iudice in castro de Letare, hec audientes castro dimisso fugierunt. Die vero 9. et 10. dicti mensis fecit dirrui castrum iam dictum, et terras et villas infrascriptas conburi et devastari: villam Serre, Guisenam, Novam, Nexenum, Navum, Cerubiam, Agulinum, Corsanum, Contondolam. Die vero 11. dicti mensis Octubris de Agulino partivit, et in Tarano ad plebem intravit, et die 13. dicti mensis ivit Ornarum ibique diebus 5 permanxit. Deinde ivit ad partes dominorum de Cinarcha, ibique inter Enrigucium et Rainerium fratres et vassallos comunis Ianue divisionem fecit, ac die 22. dicti mensis pervenit ad villam Muchetum, que erat dicti Ugonis Curtengi, et eam comburi mandavit. Nam dictum iudicem contra sacramentum prestitum receptare non cessabat, et habuit rocham Nuceti, quod custodes moti timore relinquerant, licet esset fortissima, et vicarius eam munivit de Corsis, ibique diebus tribus permansit, quoniam asserebatur eidem, quod dictus Ugo volebat venire ad mandata ipsius. Die autem 25. mensis predicti ad castrum Reventose quod erat dicti Ugonis perrexit, quod custodes derelinquerunt, et sic illud mandavit comburi. Deinde ivit ad villam Demagrantie, quam combuxit. Et ipsa die ivit ad castrum Tosavi quod etiam custodes derelinquerant, et illud dirrui fecit; erat quidem in eo turris pulcerrima, adeo quod in tota Corsica non inveniretur tam pulcra. Die autem 26. dicti mensis comburi fecit castrum Reium cum villa, quod erat dicti Ugonis, et castrum Albaiorii. Die vero 27. mensis predicti pervenit Leriam, ibique permansit usque ad diem 4. mensis Novembris preparando trabucum et alia necessaria pro eundo ad obsidionem castri Petre de Larata dicti Ugonis, positoque circa illud exercitu et trabuco antea parato stetit ad obsidionem ipsius usque ad festum sancti Martini. Ipso quidem die Guliermus filius antedicti Ugonis iterum venit ad mandata ipsius vicarii et ipsius precepta iuravit attendere, obligans se et sua, si ullo tempore inveniretur in offensione comunis; et instrumento inde composito [40], cum dictum castrum nisi per famem non posset haberi, nec tempus instaret ad hoc oportunum, sic re composita cum suo exercitu redivit in Leriam die 12. mensis Novembris, ibique diebus 4 permanxit; et rebus ibidem iterum dispositis, die 17. Novembris partivit de Leria, et ipsa die pervenit Concham, et sequenti die intravit in Bonifacio.

Dicto autem vicario in Bonifacio permanente, antedictus iudex Cinarche mandavit eidem, quod libenter veniret ad mandata comunis Ianue, et unam suam filiam maritaret in Ianua ad voluntatem comunis, et quod cum eo super

arripuit, et vicarius ad expugnationem castri Contondole viriliter progrediens eam in ore gladii cepit et dirruit funditus. Illi de castro Taule hoc intelligentes, castro dimisso fugierunt, quod Rainerius predictus cepit et munivit.

Predicti Ugonis Curtengi, qui dictum iudicem contra promissionem et sacramentum receptabat cottidie, et terram ipsius devastavit et incendio concremavit, ac Leriam pergens et parans trabucum ad destructionem castri Petre de Larata que erat predicti Ugonis Curtengi, dum per dies circa 15 in obsidione dicti loci stetisset, Guliermus filius antedicti Ugonis accepit insignia comunis et ea in castro predicto posuit, obligans se et sua si in aliquo tempore inveniretur in offensa comunis; et instrumentis per dictum notarium compositis, cum castrum capi nullo modo posset nisi per famiam, redivit Leriam, et inde apud Bonifacium cum toto suo exercitu, et hec mense Decembris.

Hoc etiam mense iudex misit vicario quod libenter veniret ad mandata comunis, et filiam unam suam maritaret in Ianua, et quod eidem loqueretur libenter. Dictus vicarius in una sagittea ascendens ivit apud Faonum ubi erat iudex, et colloquio habito insimul, treuguas inierunt usque ad carnis privium duraturas. Iudex misit suum nuncium in Ianua cum

40) Libr. iur. II. p. 227. W.

predictis loqueretur libenter. Unde per ambas partes extitit ordinatum, quod dictus iudex veniret ad locum qui dicitur Faon, et dictus vicarius illuc iret in uno ligno armato. Dumque ibi datis ex utraque parte fiduciis colloquium habuissent ad invicem, tribus ex utraque parte tantum astantibus, dictus iudex mandata comunis intravit sub certis pactionibus[41] que scripta sunt manu Iacobi Semencie de Albingana notarii in dicto millesimo, et treuguas ad invicem statuerunt usque ad carnis privium duraturas.

Iudex vero predictus suum procuratorem transmisit in Ianua cum certis pactionibus; que cum hominibus Ianue non placerent, redivit negotio incompleto ad iudicem antedictum. Dictus autem iudex cum se separavit a dicto vicario dixit ei, quod non deberet nimium confidere in Corsis, quia dicitur quoddam proverbium inter eos quod est tale: *Qui se fia in Corso, porta la testa in scoso.* Reverso in Bonifacio a colloquio cum iudice habito vichario antedicto, partivit iterum die 12. Decembris et terram dicti iudicis que iterum rebellaverat devastavit, et hoc fecit de dicti iudicis voluntate, et die 18. dicti mensis villam Falcani comburi fecit, ac totum bestiame[42] cepit. et die 23. dicti mensis redivit in Bonifacio.

Die 2. Ianuarii misit fratrem suum Inghetum Aurie ad partes Ornani et Istrie cum toto suo exercitu ut partes illas a latronibus et malis hominibus custodiret, ibique usque ad carnis privium permansit, et tunc villam Sancte Lucie combuxit, que erat marchionis de Petra Polla et loca .... per Corsicam redivit et deinde 29. die dicti mensis redivit in Bonifacio ..........., invenitque dictum vicarium fratrem suum graviter febricitantem, qui tandem liberatus a febre, cepit de idropisi graviter infirmari; unde nuncios transmisit in Ianua, quod comune deberet loco eius alium vicarium constituere et in Corsicam demandare, quoniam ipse propter infirmitatem iam dictam volebat redire in Ianua. Cum autem comune Ianue nimis tardaret vicarium alium illuc transmittere, ipse die 20. Madii cum duobus de familia tantum, galeam unam ascendens, dimisso ibidem loco sui cum toto suo exercitu Ingheto Aurie fratre suo, infra triduum pervenit in Ianua, ibique de idropisi et febre detento graviter, epilensia eidem subito superveniente, infra mensem sui adventus diem clausit extremum.

Constitit autem comuni Ianue dictus exercitus tempore vicarie dicti Lucheti equorum mendis computatis, et galeis quibus prefuit Michael Aurie, et aliis omnibus avariis libras 25,000 Ianuinorum, sicut reperitur scriptum per ordinem in cartulariis comunis Ianue, qui sunt penes duos de ratione.

Quamvis autem comune Ianue tunc et in aliis diversis temporibus expenderit maximam quantitatem pecunie, que reperitur scripta in cronica comunis Ianue et in aliis diversis scripturis, tamen nullam ex hoc fuit consecutus utilitatem, immo Corsi semper nichilominus privatim receptabant dictum iudicem, sicut homines qui sunt instabiles et super alios proditores.

certis pactis; que cum hominibus Ianue non placerent, redivit ad iudicem. Vicharius autem misit fratrem suum Inghetum Aurie ad partes Ornanis et Istrie cum toto exercitu post festum natalis ut illas a latronibus et malis hominibus custodirent, ibique stetit usque ad carnis privium. 1289.

41

Cumque rediisset exercitus in Bonifacium, invenit dictum vicarium febricitantem graviter, qui tandem liberatus a febre cepit de idropisi graviter infirmari, sicque in Ianua transmisit ut illuc alium destinarent vicarium, quoniam ipse propter infirmitatem Ianuam venire volebat. Cumque comune Ianue nimis tardaret vicarium illuc transmittere, ipse mense Iunii cum duobus de sua familia tantum galea una de Finario ascendens pervenit in Ianua, dimisso ibi loco sui cum toto exercitu Ingheto Aurie fratre suo, atque in Ianua de idropisi et febre detentus graviter, epilensia eidem subito superveniente infra mensem sui adventus decessit. Constitit autem comuni Ianue dictus exercitus tempore vicarie dicti Lucheti computatis mendeis equorum et galeis quibus prefuit Michael Aurie, et omnibus aliis libras 25,000, sicut scriptum est per ordinem in cartulariis comunis Ianue, qui sunt pene duos de ratione. Quamvis autem constiterit comuni Ianue tunc et aliis vicibus retroscriptis supradictam quantitatem pecunie, tamen comune Ianue nullam ex hoc fuit consecutus utilitatem, nam Corsi nichilominus receptabant dictum iudicem cottidie et eidem necessaria ministrabant, sicut homines qui sunt super alios proditores et dicunt unum proverbium quod est verum: *Qui se fia in Corso, la testa porta in scoso.*

41) Lib. iur. II. p. 228. 42) omnia animalia, vaccas, oves et equos.

1289. Verum Opizinus et Pernocho fratres, de quibus superius fecimus mentionem, non tanquam Corsi sed tanquam fidelissimi homines se semper habuerunt versus vicarium et omnes alios homines Ianuenses, quod scribere videtur mihi fore conveniens.

Notum sit etiam posteris supradicta legentibus, quod de omnibus fidelitatibus et promissionibus factis per Corsos dicto vicario, facta sunt instrumenta manu Iacobi Sementie notarii de Albingana in dictis temporibus, qui semper fuit et ubique cum dicto vicario. Hec autem omnia didici ab eodem qui semper ea redigebat in scriptis. Sic etiam per ordinem omnia supradicta descripsi ad plenum de Corsis et Corsica, ut hec legentes in posterum ab eorum fallatiis et instabilitatibus se valeant precavere. Vidi quippe meo tempore ipsam Corsicam pluries et a pluribus subiugatam; nam comune Pisarum pluries subegit eandem, marchiones etiam Malaspine cum militibus et peditibus ascendentes in eam in eorum dominium redigerunt. Comune etiam Ianue duabus similiter vicibus meo tempore suo subiugavit dominio, et tamen semper post discessum omnium predictorum infra breve tempus ab eorum dominio et obedientia Corsi recesserunt proditores, latrocinia et homicidia more solito exercentes.

Cum vero elapsus esset terminus unius anni infra quem comune Pisarum castrum Calari comuni Ianue tradere et consignare debebat, miserunt homines Ianue ambaxatores ad civitatem Pisanam, significantes eisdem, quod Pisanos ubique caperent eo quod non observassent promissa in pace, et quod hoc facere poterant ex forma pacis iam dicte. Qui suos ambaxatores transmiserunt in Ianua, qui dixerunt et obtulerunt ut infra: Videlicet quod castrum Calari non habebant in suo exforcio ut dicebant, unde petebant eisdem terminum prorogari unius videlicet anni, et pro securitate comunis Ianue, et ut cognosceret comune Ianue quod Pisani promissa vellent observare pro certo[a], volebat antedictus comes de Montefeltro, qui erat potestas et dominus civitatis Pisane, dare obsidem filium suum proprium, qui erat annorum 20 et ultra, et castrum Elbe et castrum Gorgone ut turres portus Pisani, et ipsum portum, ut in eis posset comune Ianue ponere palos et removere ad voluntatem comunis, et depositum in pace promissa de libris 25,000 complere[c]. Insuper obsides 50, quod dictum portum nec loca predicta comuni Ianue minime auferrent. Et si infra dictum annum castrum Calari non traderent in virtute et fortia comunis Ianue, quod licitum esset comuni Ianue de dictis castris et turribus et portu facere velle suum, obsidibus predictis restitutis eiusdem. Cumque hec verba proposita essent in consilio generali, ubi interfuerunt multi nobiles et de populo, pro maiori parte optinuit, quod eorum petitio minime impleretur, nisi[d] darent[e] ultra predicta obsides 200 de melioribus civitatis illius, qui remanerent in Ianua carcerati, si castrum Calari infra tempus promissum non traderent. Et hec fuit sententia viri nobilis domni Simonis Grilli, cum quo homines concordarunt in omnibus.

Ego vero huius operis compillator, attendens quod illud quod differtur non aufertur, et quod honor erat perpetuus turres portus Pisani et portum habuisse in forcia et virtute comunis nostri, et quia non videbam quod per forciam dictum castrum Calari nec portum habere possemus, fui in sententia, quod comune Ianue acciperet quod offerebatur ex parte comunis Pisarum, et habui in mea[f] sententia homines.

Verumtamen predicti Pernocho et frater eius Opicinus non tamquam[b] Corsi, sed tamquam fidelissimi homines habuerunt versus vicarium et omnes homines Ianuenses, quod non est oblivioni tradendum.

Cum vero elapsus esset terminus unius anni infra quem comune Pisarum castrum Calari comuni Ianue tradere et consignare deberet, miserunt homines Ianue ambaxatores illuc significantes eidem quod Pisanos ubique caperent, eo quod non observassent promissa in pace, et quod hoc facere poterant ex forma dicte pacis. Qui suos ambaxatores in Ianua transmiserunt, et qui obtulerunt ut infra: Videlicet quod castrum Calari non habebant in suo exforcio ut dicebant, et quod volebant eisdem terminum prorogari dandi illud ad annum unum, et pro securitate comunis Ianue volebat dictus comes de Montefeltro dare obsidem filium suum proprium et castrum Elbe et castrum Gorgone, et turres portus Pisani et ipsum portum, ut in eis posset comune Ianue

a) cero 2. b) tamen 2. c) completo 2. d) *ita emendavi*; nec 2. e) daret 2. f) man 2.

1289. Cumque ordinatum esset postea, quod comune Ianue guerram vivam faceret comuni Pisarum, hoc facere minime poterant adimplere velud homines incantati. Nam dictus comes Guido fecit per civitatem Pisanam cridari, quod nullus auderet modo aliquo capere Ianuenses seu eis in aliquo offendere; immo quando aliqui[a] illuc ibant, eos honorabat super ipsos cives Pisanos, in tantum quod arma vetuta portare et omnia in Pisis audebant facere iuxta votum, etsi aliqui Ianuenses capiebant Pisanos aliquos Ianue; sicque ceperunt facere Ianuenses, velud populi qui currunt ad granum, ubicumque vident illud, non cogitantes quod ibi melius capi possunt. Illud idem facere ceperunt in Sassaro et Arestano, sicque illud sapientes Ianue defendere minime poterant; de quo plurimum condolebant, cogitantes periculum quod propter poterat hominibus Ianue evenire. Et hoc optinuit multis diebus, videlicet usque ad mensem Iulii de 1290, quo insula Elbe fuit capta, prout infra[b] plenius notabitur Domino annuente.

Eodem quoque anno homines Ianue attendentes quod marchio Montisferrati litigabat libenter cum eis de Wada et partibus de ultra Iugum, emerunt a domno Leone marchione de Ponzono procuratore nomine domne Guerrere uxoris sue, filie et heredis quondam Henringacii marchionis de Bosco, partem illam quam in Wada et in partibus illis ex successione patris habebat pro libris 2000 Ianuinorum, prout continetur in charta scripta manu Lanfranchi de Vallario notarii die 7. Iulii[43], quamvis de iure amisisset eamdem, eo quod pater eius comunis Ianue feudatarius, tempore guerre regis Karoli guerram fecisset comuni Ianue pro supradicto rege, et eidem fidelitatem de feudo comunis iurasset. Dicta vero Guerrera[c] ratificavit postmodum quod per predictum Leonem factum erat, prout continetur in carta scripta manu Ugolini Scarpe notarii die . . .[44].

Hoc quoque anno mense Septembris Alfir soldanus Egypti a suis plus amicissimis et privatis toxicatus obiit. Et filius eius Elmelich eidem in soldania et dominio[d] Egypti successit, qui postquam pedem firmavit in dominio, toxicatores patris variis penis afflixit.

Sic armate sunt in Ianua per comune dicto anno galee 12, ut seriatim superius est narratum.

1290. Anno Domini 1290. fuit potestas Ianue vir nobilis domnus Iohannes de Luano civis Cumanus, cui ad modum precedentis potestatis fuit super tota ratione reddenda cuilibet plena attributa potestas. Hic quidem fuit vir sapiens et discretus, et multos malefactores tempore suae potestatiae punivit. Mart. Hoc etiam anno mense Martii supradictus marchio Montisferrati preparato exercitu et in Alexandria congregato, ivit versus civitatem Astensem, usque ad locum Sancti Lazarii prope civitatem Astensem per miliare circa unum. Homines vero Astenses quamvis illud sibi reputarent ad magnum vituperium, tamen eidem exire noluerunt, dubitantes de his que Papiensibus anno preterito acciderant, et etiam quia alie civitates de civitate eidem mandaverant, quod se nullo modo ad rixicum ponerent cum eodem, quia sic stando vincerent, et preliando posset periculum imminere. Isto etiam anno et mense fuit Ianue consilium celebratum, qualiter posset hominibus Ianue prohiberi ne accederent ad civitatem Pisarum, et qualiter eis posset melius fieri guerra viva. In quo ordinata est credentia de novo, in qua homines 34 tantum erant, quibus circa predicta data est in omnibus potestas plenaria et de tribus in tribus mensibus mutaretur, ad quam etiam nullus modo aliquo accedere valeret nisi esset per maiorem partem eorum vocatus, nec in ea nisi unus scriba interesse posset. Quae credentia statim armare fecit ad mensem unum ad solidos unum galionum, cui prefuit prepositus Gulliermus de Montaldo, ut caperet omnes euntes Pisas, tam Ianuenses quam alios. Dicti etiam sapientes providerunt, quod comune Ianue armare poterat galeas 120. Unde statuerunt, quod ad presens armarentur galee 10 pro mensibus 4, et fecerunt divisionem de hominibus riperie pro armamento eorum, accipientes a quolibet loco pro ipsis decem galeis ut infra; et si contingeret de cetero fieri armamentum maius vel minus, quod acciperentur homines de locis riperie pro eadem ratione. Infrascripta sunt loca et quantitas hominum riperie: Roccabruna 2, Mentonum 3, Vintimilium 50, Podium Rainaldum 3, Sanctus Romulus et Celiana 60, Tabia 25, Portus Mauritius 50, Sanctus Stephanus 5, Petra lata suprana et subtana 10, comites

a) aliqui 2. b) ipsi 2. c) guerra 1. Guerreriam *chartae scribunt.* d) dominio — dominio *desunt* 1.

43) Lib. iur. II. p. 207. W. 44) scil. d. 23. m. Iulii; ibid. p. 213. W.

1290. Enricus, Philippus et Obertus de Vintimilio 33, Lenguilia et Castellarium 15, potestatia Triorie 50, Dianum 40, Servum 15, Andoria 30, Albingana 62, episcopatus Albingane 45, domnus Manuel marchio Cravexane 40, Coxe et Pornaxium 8, Finarium 62, Naulum 25, episcopatus Nauli 3, Quilianum 10, Saona 62, Albizoila 15, Varaginis et Celle sine hominibus Saone 50, Vulturum 100, Pulcifera 75, Bissanne 100, Rechum 20, Rappallum 30, Clavarum 100, Sigestrum 75, Levantum 20, Paxanum et Lagnetum 3, Matalana, Corrodanum supranum et Corrodanum subtanum 5, Corvaria 100, Carpena 75, Portus Veneris 25, Vezanum 18, Arcula 10, Tribianum 3, Ylex 20, qui[a] sunt in totum homines 1543. Insuper hec credentia taliter ordinata sapienter ordinavit cum comune Luchano, ut ipsi cum comune Ianue facerent guerram Pisanis. Et sic armate sunt in Ianua galee 6 et unus galionus ad solidos ad sex menses, de quibus domnus Enricus de Mari fuit admiragius constitutus. Et de solidis datis in predictis galeis armandis comune Luche solvit medietatem, et habere debebat ex pacto tertiam partem totius mobilis quod lucraretur et medietatem carceratorum. Discessit autem dictus admiragius de Ianua die 17. Iunii, et statim versus portum Pisanum perrexit, et premittens ante se galionum suum, cepit in buca Arni platas tres oneratas de grano, in quibus erant grani mine circa . . . et homines . . . ., quos apud Portum Venerem destinavit. Deinde apud portum Pisanum perrexit, et in ipso itinere cepit quamdam barcam, ubi erant duo fratres Predicatores, qui veniebant ad comune Ianue ex parte comunis Pisarum cum carta de sindicatu et cum quodam tractatu; que omnia dictus admiragius cepit, et in Ianua comuni transmisit. Dictus autem tractatus fuit lectus in consilio maiori pluribus per compagnam vocatis, et continebatur in eo, quod volebant dare Calarum usque ad annum, et de omnibus aliis que continebantur in pace facta et iurata, volebant a comune Ianue quietari[b]. Quare his auditis homines Ianue fuerunt vehementius animati facere vivam guerram, cum ipsi non essent melioris conditionis, nec homines Ianue deterioris hoc tempore, quam tempore pacis predicte iurate.

Iun.

Itaque cum Luchetus Aurie in Corsica vicarius ivisset et descendisset de ea et propter infirmitatem corporis et in Ianua venisset, et de novo mitteretur in eam unus alius vicarius pro comuni videlicet Nicolaus Buccanigra cum militibus 100 et balistariis 100 habentes per menses 4 solidos in duabus taridis et pluribus barchis, ordinatum fuit per sapientes credentie, quod iustrarent se cum dicto domno Enrico de Mari, et quod descenderent in insulam Elbe et eam devastarent et depopularent omnino, eo quod erat comunis Pisarum, et quod dictum comune habebat de ea quolibet anno magnam quantitatem pecunie. Dictus igitur Nicolaus recessit de Ianua die 5. Iulii, et applicuit in dicta Elba die eiusdem mensis . . . ., atque in terram descendens dicta die, burgenses[c] eos preliando, intra burgum dicti loci reduxit. Cumque sero iam esset, et Ianuenses cessarent a prelio usque mane, illi de burgo se reduxerunt in castro; cumque diu castrum preliassent, tamdem venerunt ad mandata comunis Ianue, et obsides quadraginta de melioribus illius insule dederunt, et vicarius promisit eis tenere eosdem sicut illos de Bonifacio.

Iul.

Cumque hec agerentur, ecce dictus domnus Enricus de Mari[d] cum suis galeis ibidem applicuit. Dictus vero Nicolaus in lignis suis cum gente sua ascendens, cepit versus Corsicam navigare. Dictus vero domnus Enricus de Mari, positis obsidibus in suis galeis, venit in portu Pisano, ibique permanens obsides transmisit ad Portum Veneris in suo galiono. Credentia vero diebus tribus elapsis post recessum dicti Nicolai sciens que fieri debebant per ipsum de captione insule Elbe, et obviare volentes ne Pisani possent eidem dare succursum, fecerunt preparari omnes galeas que invente fuerunt in portu Ianue tam burgensium quam etiam mercatorum, qui ire debebant ad presens in Romania[e], et factus fuit admiragius earum domnus Conradus Aurie capitaneus comunis et populi Ianuensis, ascendensque in continenti in eis, et omnes homines Ianue ab annis 20 usque in 50 cum eo, et in ipsis iverunt potestatia Bissannis Vulturis et Pulcifere, et fuerunt inter omnes galee 14 mercatorum qui ibant in Romania. Discesserunt igitur de Ianua die 12. Iulii, et apud Portum Venerem perrexerunt. Pisani autem de obsidione castri Elbe intelligentes, se preparabant eidem dare succursum; sed audientes de galeis que preparabant in Ianua et iam apud Portum Venerem applicuerant pro insequendo eosdem, ab inceptis destiterunt omnino. Galee autem Ianuensium cum dicto domno Conrado Aurie admiragio earum apud

a) qui — 1543. *desunt c.* b) quietati 2. c) *deest c.* d) qui de sua infirmitate sanaverat, et de novo posuerat in mari *addit ed.* e) et fuerunt inter omnes galeae 18 et galeoni 4 *addit hic ed.*

Elbam subsequenter navigare ceperunt, et munito castro ac recepta fidelitate hominum dicti loci, rebus dispositis Ianuam redierunt cum gaudio et triumpho die ......, atque redditus dicte insule ad calegam posuit, habuitque pro anno uno libras 8000 denariorum Ianuinorum. 1290.

Dictus quidem Nicolaus Buchanigra pervenit Bonifacium cum suo exercitu, ac ibidem per dies circa 10 permansit. Deinde equitavit versus partes Ornani et Istrie ut eisdem preberet confortium ac in planitie Tarani et illarum partium per ebdomadas tres vel circa permansit. Ibique ipse et quasi totus exercitus cepit graviter infirmari, quare dictus vicharius cum suo exercitu versus Bonifacium cepit redire. Iudex vero iam dictus ei fuit obviam circa .... passus, qui eidem nocere non potuit, sed potius in gente sua damnum recepit. Cumque in Bonifacio pervenisset, et ibidem diebus pluribus permansisset, et dictus iudex infestaret partes Ornani et Istrie, et etiam compleret tempus ad quod habuerat solidos a comuni, equitavit versus partes iam dictas cum illis qui eidem sani remanserant, ac in equis infirmorum aliquos de Bonifacio fecit ascendere, et pedites etiam dicti loci secum duxit. Cumque ibidem pervenit, dicta castra et quedam alia consignavit Enrigutio et Rainerio de Cinarcha fratribus munienda et custodienda pro comuni; deinde cum versus Bonifacium per aliam viam et per devia montium incaute rediret, et esset inter Beseginum et Bonifacium inter strictos passus inclusus, fuit per dictum iudicem insultatus et in fugam positus cum toto suo exercitu, ac de suis 80 et plures fuerunt tunc capti tum mortui, et equi 30 et plures. Dictus vero vicarius cum residuo sui exercitus taliter apud Bonifacium pervenit, deinde in galeis ascendens cum suo residuo et equis infra breve tempus pervenit Ianuam.

Dictus vero iudex dicta castra et etiam omnia alia que prius habuerat, infra breve tempus rehabuit. Et semper postea usque nunc obedivit comuni Pisarum. His de Corsis et Corsica per me scriptis finem impono, sicque de eis amplius scribere non intendo.

Eodem quoque mense nuncius et sindicus comunis Lucani venit Ianuam, offerens dictum comune venire velle apud portum Pisanum per terram, si comune Ianue illuc vellet Aug.
ire cum galeis et aliis necessariis pro dicto portu demoliendo. Quod quidem hominibus Ianue valde fuit acceptum. Sicque factus est admiragius dictus domnus Conradus Aurie galearum 20, et paratis trabucis et platis cum barbotis et aliis necessariis pro turribus dicti portus capiendis et dirruendis et cum victualibus necessariis tam hominibus Luce quam Ianuensibus, discessit autem de Ianua die 23. Augusti, et in dicto portu applicuit die dicti mensis .... Lucenses vero adhuc non venerant ad dictum locum. Die autem sequenti dmiragius Ianue paratis platis, et eis imbarbotatis, misit eas ad turrim que est de versus ponentem, que quidem optime erat per Pisanos furnita omnibus necessariis ad proelium et vianda. Erant etiam in eadem homines 35 de civitate Pisana, qui filios et uxores obligaverant comuni Pisarum pro ea defendenda, nec aliqua occasione reddenda. Homines igitur in barbotis existentes ceperunt fodere dictam turrim. Cumque eam infra diem ... fodissent, et eam in pontellis posuissent, cum illi de turri nullo modo se reddere vellent, igne imposito in pontellis dirruit tota in terra die Veneris 8. mensis Septembris in nativitate beate Sept.
Marie virginis, de qua quidem evaserunt Pisani vivi 14, qui per barcas Ianue capti fuerunt et carceribus Ianue mancipati. Alii vero perierunt sub turri iam dicta. Dum autem ignis esset impositus in pontellis, ut supra dictum est, ecce potestas Luchana cum toto comuni civitatis ipsius portum Pisanum applicuit; et videns ignem in dicta turri appositum ceperunt valde mirari, sicque illis prospicientibus ante ipsorum castrametationem turris tota dirruit, ut dictum est. Ipsi vero subsequenter iuxta Lugurnam[45] et illas partes sunt castra metati.

Sequenti die dicti Lucenses perrexerunt ad debellationem Lugurne, quam iam homines illius loci derelinquerant, et Pisas perrexerant, eamque totaliter preter ecclesiam posuerunt in terram. Ianuenses vero miserunt barbotas predictas ad tres alias turres dicti portus demoliendas. Homines vero qui erant in eis, attendentes quod alia turris que maior et fortior erat omnibus aliis non potuerat se tenere, salvis personis turres omnes reddiderunt in manus Ianuensis comunis. Et quia ipsi se reddiderunt, filii et uxores eorum capti fuerunt et in perpetuis carceribus deputati. Aliqui vero ex eis qui Pisas iverunt, privatim capti fuerunt et ultimo supplicio crudeliter condemnati, non attendentes quod se defendere non valebant nec ab eis habere succursum. Insuper omnes turres predictas dirruerunt homines

45) Livorno?

1290. Ianuenses funditus atque trabucos et pontem et pallos et omnia fortilicia dicti portus combusserunt et destruxerunt omnino, bucas etiam canalium dicti portus de lapidibus et cemento dictarum turrium impleverunt, galeam unam de matonibus plenam et muratam in Ianua illuc deduxerunt, atque in bucha canalis maioris dicti portus posuerunt in fundo. Erant autem in dicto exercitu comunis Luchani iudex de Galurio qui expulsus erat de Pisis, et multi alii nobiles civitatis Pisane, videlicet de Vescontis et Opicengis et pluribus aliis qui cum eodem iudice erant expulsi de Pisis ex eo quod partem Guelfam fovebant; qui licet dolerent de his que inferebantur sue civitati per homines Ianuenses, tamen propter Lucenses, qui eos manutenebant, omnia dissimulabant omnino. Permansit igitur exercitus per mare et per terram circa portum Pisanum usque ad dies .... mensis Septembris, domos et vineas pulcerrimas et arbores devastantes. Nam homines Ianue cum barchis et aliis lignis victualia ministrabant Luchano exercitui, atque descendentes in terram, vineas et alia devastabant ad libitum. His peractis, Lucenses per terram et Ianuenses per mare versus Vadam cum totis exercitibus perrexerunt. Sed Ianuenses propter siccum ad terram ire minime potuerunt ad debellandam Vadam. Lucenses vero loca circumquaque adiacentia devastarunt; atque licentia a Ianuensibus accepta, uterque exercitus rediit ad propria. Sicque dictus admiragius redivit in Ianua triumphaliter cum toto suo felici exstolio die 20. Septembris in vigilia beati Mathei apostoli, ubi cum honore et gaudio est receptus.

Eodem quoque anno amici capitaneorum cum illis de domo ipsorum, videntes quod non placebat maiori parti hominum Ianue, quod domnus Obertus Spinula et domnus Conradus Aurie essent capitanei comunis et populi Ianue, finito tempore ad quod electi erant et iuraverant, qui erat 1291. in festo beatorum apostolorum Simonis et Iude, sed volebant potius habere capitaneum de extra Ianuam civitatem, rogaverunt eosdem quod eis placeret condescendere voluntati hominum de domo sua et aliorum amicorum suorum. Qui eorum precibus annuentes, elegerunt quatuor viros prudentes, videlicet Guidonem Spinulam, Obertum Aurie, patrem dicti domni Conradi Aurie, ......., qui capitula et ordinamenta componerent, sicut hoc melius fieri posset, ad salvamentum populi Ianuensis et amicorum suorum et illorum de domibus ipsorum. Qui sepe convenientes in unum, inter alia ordinaverunt, quod capitaneus esset perpetuo in Ianua de extra civitatem Ianue et districtus et non ullo modo de Ianua nec de districtu; et quod consiliarii et antiani et alia omnia officia darentur medietas illis de populo, et alia medietas nobilibus; et alia plura que scripta sunt et posita in capitulis comunis Ianue, et que nimis longum esset hic ponere. Quae quidem omnia dicti capitanei et populus et nobiles Ianue iuraverunt observare in totum. Eodem quoque anno comune Ianue emit ab heredibus quondam Lanfranchi Marocelli maioris quartam partem et decimam sextam unius quarterii Varaginis, et quartam partem de Cellis, et in Albizola similiter pro libris ........, prout continetur in carta facta manu Iacobi
46 de Benensia notarii die ..... [46].

Eodem quoque anno mense Septembris die Veneris 8. mensis eiusdem in nativitate beate virginis Marie Alexandrini ceperunt predictum marchionem Montisferrati, cui se et civitatem suam et castra totaliter tradiderant, et eum in custodia posuerunt, ac postmodum in vinculis positum, gabiam [47] de ligno fecerunt, facientes eum optime custodire, in qua postmodum vitam finivit. Modus autem et causa captionis ipsius fuit talis. Nam Astenses diu antea longum habuerant tractatum cum pluribus magnatibus et popularibus Alexandrie, quibus promiserant dare libras 80 Astensium si dicto marchioni rebellarent. Et Alexandrini hoc facere promiserunt. Dictus autem marchio iverat contra Mediolanenses cum illis de Turri bannitis dicti loci, cupiens illos sibi subicere sicut fecerat Papiam et alias civitates; sed audiens de dicto tractatu per Alexandrinos facto, versus Alexandriam celeriter equitavit cum magna quantitate militum et peditum. Alexandrini perpendentes causam adventus ipsius, cum pulcris verbis fecerunt ei licentiare milites, deinde pedites, ac deinde ipsum, ut dictum est, personaliter acceperunt. Dicto vero marchione capto, Papienses suos extrinsecos infra paucos dies in civitatem reduxerunt, et ad societatem prius initam redierunt. Vercellenses, Novarienses et Terdonenses partem dicti marchionis derelinquentes, ad societatem similiter pervenerunt et intraverunt in ea.

Eodem insuper anno Thomas, Manfredinus et Enricetus marchiones [a] de Bosco fecerunt donationem comuni Ianue de Ponsono et Spigno et aliis villis, prout continetur in carta

a) marchio 2. 46) scil. d. 10. m. Febr. Lib. iur. II. p. 229. W. 47) caveam, Käfig.

facta manu Lanfranchi de Vallario notarii die 21. Novembris, et in continenti comune dictam 1290.
donationem dedit eis in feudum[48].

Armate sunt itaque in Ianua per comune galee 41, ut superius est narratum per ordinem.

In anno currente 1291. fuit potestas Ianue domnus Guliermus Brunus civis Astensis 1291.
iuris peritus, qui in 1280. fuit similiter pro potestate in Ianua. Hoc quidem anno mense Martii rex Karolus venit in Ianua cum duobus cardinalibus, qui de Francia et Aragone veniebant. et diebus ... cum ipsis stetit in civitate alliciendo verbis pulcris et suavibus multos magnates et de populo insimul et divisim, ut eidem essent favorabiles in habendo comune Ianue in suum auxilium ad recuperandum regnum Sicilie. Illos quidem, a quibus responsionem eidem placabilem habuit, in scriptis suis poni fecit. Deinde cardinales versus Romam et ipse rex versus Provinciam eorum itinera direxerunt. Hoc etiam anno mense Madii cum Mai.
predicti capitanei, scilicet domni Obertus Spinula et Conradus Aurie, iurassent non esse capitanei de cetero, elapso festo beatorum apostolorum Simonis et Iude de 1291. ad quod antea electi fuerant, ut superius est narratum, et tempus instaret eligendi capitaneum de extra civitatem Ianue et districtum, ut fuerat similiter ordinatum, electus fuit in capitaneum Ianuensis populi nobilis vir domnus Lanfrancus de Suardis miles civis Pergamensis, qui venit Ianuam tempore ordinato, et cepit officium sive capitaniam sapienter et strenue gubernare.

Eodem quippe anno[a] Thedisius Aurie, Ugolinus de Vivaldo, et eius frater cum quibusdam aliis civibus Ianue ceperunt facere quoddam viagium, quod aliquis usque nunc facere minime attemptavit. Nam armaverunt optime duas galeas, et victualibus aqua et aliis necessariis infra eis impositis, miserunt eas de mense Madii de versus strictum Septe, ut per mare occeanum irent ad partes Indie mercimonia utilia inde deferentes. In quibus iverunt dicti duo fratres de Vivaldo personaliter, et duo fratres Minores; quod quidem mirabile fuit non solum videntibus sed etiam audientibus. Et postquam locum qui dicitur Gozora[49] transierunt, aliqua certa nova non habuerunt de eis. Dominus autem eos custodiat, et sanos et incolumes reducat ad propria.

Hoc quidem anno armate sunt in Ianua ad solidos comunis ad menses tres galee 6 et unus galionus, de quibus Franceschinus Porcellus fuit capitaneus constitutus; recessit igitur de Ianua die 24. Februarii. Fuerunt etiam armate alie 7 galee et duo galioni ad menses tres ad solidos comunis, de quibus fuit Nicolinus de Petracio capitaneus ordinatus, qui recessit de Ianua die 28. Martii.

In isto anno fuit preparata in Calaro per Pisanos quedam navis magna Venetorum et viris optime munita, armis et coriis et aliis necessariis preparata, et una alia navicula Catalanorum de duobus cohopertis, que honeraverunt in Calaro grano carne et caseo et aliis mercibus causa veniendi Pisas si possent, dicentes palam, quod de galeis aliquibus non timebant. Cum eis etiam veniebant galee 6 armate et mercibus onerate. Sed galee Pisanorum dimissa nave Venetorum cum nave Catalanorum in mare de Monte Christi, ad portum Plumbini nocte una venerunt, atque ibidem exonerate fuerunt; navicula etiam Catalanorum apud Plumbinum furtive applicuit et ibidem fuit exonerata similiter. Navis vero predicta Venetorum cum esset in partibus Montis nigri qui est prope portum Pisanum, Franceschinus Porcellus obviavit eidem, ac ipsam sine prelio habuit et in Ianua transmisit eandem.

Eodem etiam anno cum Fredericus Aurie emisset in callega[50] a comuni Ianue men- 50
nam[51] ferri de insula Elbe pro uno anno pro libris 8500 Ianuinorum, quia tunc temporis comune Ianue eam tenebat et possidebat, et misisset idem Fridericus quam sepius plures

a) *locus hic in reliquis omnibus Cafari codicibus desideratur. Codices viri ill. domini Thomae Philipps baroneti in bibliotheca manuscriptorum ditissima Mediomontana saeculo XVII scripti et numeris* 5882 *ac* 15720 *insigniti haec inde excerpta praebent:* Eodem anno Theodosius (Teodosius 5882) Aurie et Ugolinus de Vivaldo ac frater armarunt galeam unam optime de victualibus aqua et aliis necessariis, et navigantes per mare oceanum ad partes Indiae defferentes (deferentes 5882) utilia mercimonia, et postquam transisset locum Gozore nullum novum habitum fuit.

48) Lib. iur. II. p. 250—265. W.

49) Hodie Cap luby in terra Guzula, 9. latit. bor. De hac expeditione egi in commentatione d. 28. Martii a. 1859. edita: „Der älteste Versuch zur Entdeckung des Seeweges nach Ostindien.“

50) in venditione publica.

51) fodina, mina et quae inde effodiuntur.

1291. naves et ligna hominum Ianue pro eadem ad certa loca deferenda, tandem misit ibidem unam suam navem propriam, que cum quasi de dicta mena esset onerata, galee sex predicte que de Calaro apud Plumbinum exonerate fuerunt, scientes dictam navem esse ibidem, illuc uno mane applicuerunt, et eam invenientes ad ancoras, preliaverunt. Illi qui in navi erant diutius preliantes, cum amplius substinere non possent, per vim prelii capti fuerunt, atque mortui fuerunt in ea homines ...... Dictam vero navem apud Plombinum duxerunt, et mena in terra deposita, dictam navem Catalanis quibusdam qui ibi in alia sua 52 navicula de Calaro venerant ut dictum est, et quam illi de Plumbino pro aspaltando[52] navem captam et alia eorum ligna diruperant, in solatium pro sua dederunt navicula. Ipsi vero Catalani ipsam accipientes et optime munientes balistariis et aliis necessariis, versus Siciliam uno mane navigare ceperunt. Galee vero Ianuensium que erant apud insulam Elbe videntes ea, versus eandem celeriter navigarunt, atque ipsam in partibus prope locum qui dicitur Troia qui est ultra Plumbinum per miliaria circa 10 invenientes insultum fecerunt in ea, et durissime preliando per vim ceperunt eandem, ac de eis homines circa .... in prelio ceciderunt; navem vero dicto Frederico tanquam suam propriam reddiderunt. Cum autem nova pervenissent in Ianua, quod Pisani cum quibusdam Catalanis armabant in Calaro navem quamdam magnam et eam balistariis et aliis omnibus necessariis peroptime muniebant pro onerando ibidem de carne et caseo et aliis mercibus occasione deferendi ad Pisas, publice se etiam iactantes non timere galeas aliquas qualitercunque armatas, ideo homines Ianue armaverunt de mense ...... navem unam Ansaldi de Savignono ad menses tres, cui galeas duas de capitania Nicolini de Petracio assignarunt pro dicta navi capienda, si veniret ad partes Pisanas, et etiam prohibendo ne de Sardinia vel Sicilia nec etiam aliunde aliqua victualia apud Pisas portarentur. Nam tunc temporis erat in Pisis victualium magna caristia, et homines Florentie, Luche et quasi totius Tuscie asserebant, se in mense Iunii supra eandem venire, ac eandem circumquaque vastare; quod quidem minime fecerunt, pretendentes more solito vanas occasiones. Cum autem dicta navis Catalanorum esset in partibus insule Zigi, una ex galeis que erat cum dicta navi Ansaldi predicti versus eam celeriter remigavit, et illis de nave dixit ex parte capitanei navis et galearum hominum Ianue calare deberet; quod quidem facere contempserunt. Interim dicta navis Ianuensium cum alia galea et cum tubis et bucinis et cognoscentiis et cum magno tumultu super ipsam pervenit, ac in continenti eandem investivit antequam potuissent calare, et sic illi de nave et galeis ascenderunt in eam armati tam leviter sicut essent inermes. Verum tanta fuerunt abstinentia quod aliquis non fuit in persona dampnificatus nisi unus Pisanus et scriba dicte navis, qui ibidem fuerunt mortui; ipsa capta miserunt eam in Ianua, que valuit ad utilitatem comunis libras 4600.

Eodem etiam tempore mense .... navis dicti Ansaldi cepit in mare de Zigi navem unam magnam nomine Aquilam venientem de Gergenti oneratam grano, et quod pro parte maiori erat hominum de Pisis, et in ea erant quatuor mercatores Pisani, navis vero erat illius domini qui se regem Sicilie appellabat; et Ianuam eam transmisit, que valuit etiam ad utilitatem comunis libras 7350. Et in supradictis tribus navibus captis Lucenses habuerunt de omnibus terciam partem, quia solverunt armamentum dictarum galearum de omnibus pro dimidia.

Notum sit etiam omnibus presentibus et futuris, quod cum comune Ianue non haberet domum propriam ubi convenienter posset capitaneus populi habitare, nec etiam posset ad pensionem aliquam decentem domum habere, emit ab Acellino Aurie et consortibus domus que sunt iuxta domum heredum quondam Alberti de Flisco, quibus coheret a tribus partibus via, retro domus dictorum heredum, mediante trexenda[53] comunis pro libris 2500, prout in carta scripta manu Benedicti de Fontanegio notarii die 26. Aprilis plenius continetur; que quidem in perpetuum per comune alienari non possunt in homines de parentella Aurie vel in aliquem ipsorum, prout in carta facta manu dicti notarii plenius similiter continetur.

Hoc quoque anno cum Manuel Iacharias ivisset in riperia occidentis cum duabus suis galeis pro accipere homines ad solidos quos in eis ponere volebat, quas quidem Benedictus Iacharias eius frater in servitium don Sancti regis Castelle in Ispaniam contra Sarracenos ducere debebat, intelligens in partibus insule Sancte Margarite esse galeam unam cum uno galiono Pisanorum in Plumbino armatas super Ianuenses in cursum, illuc ire properavit

52) lorica munire. 53) Videtur esse id quod taxanda, aestimatio.

cum dictis suis galeis et uno galiono pro comuni armato pro custodia riperie occidentis, 1291. quem in partibus illis[a] invenit, ac ipsum ad locum ubi erant dicta ligna Pisanorum ante se direxit, ac ordinavit cum eo ut se Pisanis ostenderet, et deinde versus unum pontem, ubi dictus Manuel cum suis galeis se private posuerat, se timere et fugere pro viribus fingeret. Quo facto, dicta Pisanorum ligna ceperunt prosequi galionum. Cum esset prope punctum ubi erat dictus Manuel cum suis galeis, retro se volvens, et Manuel predictus cum suis ligna Pisanorum insequebantur viriliter. Galea vero Pisanorum considerans non posse fugere galiono pro comuni armato, ivit ad terram in Provincia loco ubi dicitur . . . . ., et dictus Manuel cum suis galeis ipsam insecutus cepit. Fuerat quidem armata optime in Plumbino et remos 160 remigabat. Fecit autem homines galearum in terram descendere; qui plures ex Pisanis fugientes ceperunt longe a mare per miliare etiam circa 10. Galionus vero Pisanorum intravit in mare, et cum non posset fugere galiono pro comuni armato qui mirabiliter insequebatur eundem, vidit duas naves Ianue de Maiorica venientes, et sagaciter cum insignia comunis Ianue iuxta unam ex eis transivit, fingens se esse Ianuensium cupiens manus Pisanorum evadere. Illi de nave sic videntes, crediderunt galionum fugientem esse Ianuensem, et sequentem Pisanorum esse, et sic in eo cum balistis plures et quarellos proiecerunt ac vulneraverunt quam plures; sic quod remos necesse habuerunt dimittere. Galionus vero Pisanorum hec videns, leto animo altam viam pelagi tenens, apud Plumbinum stupefactus redivit. Dictus vero Manuel conduxit in Ianua Pisanos quos carceribus Ianue presentavit, ipse vero galeam pro sua parte habuit. Benedictus vero Iacharias partivit de Ianua cum galeis 7 armatis die 19. Martii, ac in Ispaniam in servitium dicti regis perrexit.

Dicto etiam anno cum esset pro comuni armatus unus galionus pro custodia hominum riperie in lignis parvis navigantes, cui preerat Michael Aurie, et esset in Monacho, audivit esse in portu Olivoli quandam galeam armatam Provincialium, in qua torselli quam plures Pisanorum erant. Unde in continenti unam barcham de remis . . . . que erat in Monacho armari fecit, et cum ea versus Olivolim remigans, dictam galeam Provincialium de portu predicto extraxit, ac torsellos 17 qui erant Pisanorum de ea acceptis et in suo galiono positis, Ianuam deportavit, que valuerunt ad utilitatem comunis libras . . .

Eodem quoque anno cum Polinus Aurie naulizasset unam suam galeam armatam quibusdam mercatoribus Tunexim eam mittentibus, cui preposuit Philippinum Cintracum, et rediens onerata boldronibus[53] et lana, cum esset in partibus de Galatha de mense Madii, obviavit cuidam taride Venetorum de Bona veniente; ac ipsam perquirens, invenit in ea unum mercatorem Pisanum, qui habebat in ea ceram et lanam valentem circa libras mille Ianuinorum, sicque dictam taridam in Sardiniam ad locum Alegherii ducens, mercibus dicti Pisani in una navi Ianuensium que venire debebat in Ianua positis, ac mercatore Pisano in galea posito, celeriter venit in Ianua, ac ipsum mercatorem Pisanum Polino Aurie consignavit in Ianua; qui etiam in adventu navis ubi merces fuerunt apud Alegherium onerate, similiter in virtute sua accepit, et sic inter ipsum et mercatores cui naulizaverat et galiotes fuit placitum diutius ventilatum.

Isto quoque anno Emelich Alaraf, filius Alphir olim soldani Egipti, partivit de Babilonia cum infinito exercitu militum et peditum et in obsidione civitatis Acconis die 5. Aprilis se posuit, quam per dies 44 machinis et sagittis die noctuque incessanter impugnando, in ore gladii violenter cepit die 18. Madii, quod quidem impossibile ab illis que eam viderant credebatur. Nam erat ipsa civitas muris turribus et fossis mirabilibus circumdata, homines etiam ad arma, et pellegrini[b, 54] ultra 30,000, milites boni 1200, et rex Cipri, et ultra mulieres 54 et parvuli 40,000; et tamen per violentiam capta fuit. De quo papa et cardinales et omnes reges ac barones de versus ponentem fuerunt mirabiliter contristati. Mortui igitur fuerunt in captione dicte civitatis hominum et mulierum maxima multitudo, omnes etiam Templarii; femine vero et iuvenes et pueri asportati. Due vero galee armate Ianuensium, videlicet Andrioli Pellati que illuc cum mercibus de novo applicuerant, recollegerunt magnam quantitatem hominum et mulierum, et in navibus ibidem existentibus etiam contra voluntatem dominorum dictarum navium posuerunt. Rex vero Cipri se recollegit in navibus, et cum aliis qui evaserunt in eis apud insulam Cipri se reduxit. Illi vero qui erant in Tiro Saito et aliis terris christianorum, omnibus relictis fugierunt in Cipro, et sic tota terra christianorum ex tunc preter Ermeniam fuit amissa. Soldanus vero predictus dictas civitates Aconis, Tiri,

a) illius 2. b) pellegini 2.

53) merx ignota. 54) i. q. peregrini.

1291. Saiati[a], et omnia alia loca iuxta mare sita funditus dirrui mandavit; quod quidem fuit celeriter adimpletum.

Anno quoque iam dicto Rodulfus rex Romanorum qui fuerat in imperatorem electus ut superius est narratum, obiit mense . . .; ac electores convenientes in unum, in regem Alamannie elegerunt quendam militem nomine Albertum[55].

Anfosus etiam rex Aragonum obiit mense Iunii in vigilia beati Iohannis baptiste ex uno carbunculo in partibus renum ei nato; et cum non haberet uxorem nec filios, regnum in terram dimisit Iacobo fratri suo, qui se regem Sicilie nominabat, sicque in continenti in Barcellonia fuit una galea armata que in paucis diebus perrexit Messanam, ac dicto Iacobo et matri eius que erat ibidem, nunciata morte regis predicti, et luctu prout decuit celebrato, rebus Sicilie et illarum partium dispositis ac fratre suo domno Frederico vicario Sicilie et illarum partium constituto, infra dies 6 galeas 4 ascendens, versus Aragoniam navigavit, ubi receptus fuit prout decuit, et mutato sigillo in suis litteris vocari se fecit regem Aragonum, Sicilie, Valentie et Maiorice ac comitem Barcellonie; et post breve tempus filiam don Sancti regis Castelle, que eidem in quarto gradu consanguinitatis attinebat, in uxorem accepit, dispensatione aliqua non petita. Dictus quidem Nicolinus de Petracio cum suis galeis cepit duas naves Catalanorum prope portum Pisanum venientes de Sicilia oneratas grano eorum, ac ipsas transmisit in Ianua, et etiam plures barcas. Cum autem navis dicta Ansaldi de Savignono complevisset tempus, ad quod armata fuerat per comune, homines Ianue cupidi Pisanos distringere, armaverunt navem quamdam Nicole Aurie ad menses tres, in qua fuit capitaneus constitutus Gregorius Aurie, que recessit de Ianua die . . . . . ., cui etiam assignate fuerunt due galee ex dictis galeis Nicolini de Petratio. Cum vero menses tres complevisset, fuit ad menses tres alios confirmatus.

Hoc quidem anno Raffus de Gualterio ad animum revocans, quod elapsis iam annis duobus fuerat per quosdam Catalanos turpiter vulneratus in vultu, quamvis hoc quidem eidem propter suam culpam maximam accidisset, fingens se velle mercatores apud Motronum portare, armavit unam galeam et unam sagitteam in cursu; unde fuit bannitus per comune Ianue, et homines existentes in eis, et regi Aragonum et in Sicilia per nuntios destinatus fuit totus processus, ut sibi posset precavere ab eis et capere, et captos tenere ad eorum voluntatem. Dictus itaque Raffus cum dictis lignis in portu Tunexis applicuit, ac ibidem invenit unam galeam per regem Sicilie tam de Catalanis quam de hominibus Sicilie armatam, que ibidem quendam missaticum dicti regis portaverat, pro petendo tributo eidem a rege Tunexis promisso; et in continenti mora qualibet pretermissa insultum fecit in eam. Illi de Catalania et Sicilia viriliter ceperunt eisdem resistere. Illi vero qui in sagittea erant, hec videntes fugam arripuerunt, et sic dicta Raffi galea capta fuit in brevi. Ipse vero Raffus in sequenti die inventus fuit letaliter vulneratus in mari et mortuus. Hoc quidem fuit mense Iunii. Illi vero de galea Catalanorum et Sicilie galeam taliter captam in Sicilia deduxerunt cum magno gaudio et triumpho, dicentes ubique, se taliter Ianuensium galeas capere. Sciens expediebit.

Insuper cum una galea Manuelis Lercharii et sociorum ivisset armata apud Alexandriam pro mercibus deferendis, quidam Catalani armaverunt in Messana unam galeam et unum galionum pro ipsa in partibus de Cufalina[56] expectanda, fingentes se[b] contra suos inimicos armare. Cumque galea predicta Ianuensium rediens esset in partibus insule de Tano de mense Augusti, dicta galea et galionus Catalanorum eam videntes, ceperunt cum festinantia magna retro eam venire, quamvis eam et comunis Ianue insignia bene cognoscerent. Galea quidem Ianuensis viam veniendi versus Ianua faciebat, et videns quod per remos se partire non poterat, vertit se contra ipsos, ac tanto impetu galeam Catalanorum percussit in zovo, quod ipsum cum latis totaliter fregit, ita quod aquam ceperit facere in maxima quantitate. Catalani hec videntes, dixerunt se esse amicos. Ianuenses hec videntes ac eos de superbia eis facta improperantes, eos permiserunt abire. Ipsa quidem galea Ianuensium cum venit in Ianua, et dictus Manuel quia iverat indevetum factum per comune Ianue apud Alexandriam et etiam contra mandatum domni pape, fuit in libras 1000 Ianuinorum condempnatus.

Tempore autem parvo elapso galionus dictorum Catalanorum fuit captus per homines de Moreis; galea vero iterum expectabat, si posset aliquid capere quod placeret eidem.

a) *ita* 2. b) se contra se contra suos 2. 55) Adolfum. 56) Cefalonia esse videtur.

Dum autem moram traheret in partibus de Culfo[54], ecce due galee mercatorum Ianue armate de Romania venientes, quarum una erat Surleonis Aurie et alia Gazelle Advocati, que quidem intellexerunt sicut dicti Catalani facere voluerant galee Manuelis supradicti, et sibi ad animum revocantes, invenerunt eam de nocte, ac inter galeas Ianue habito consilio, deliberaverunt eandem capere in vindicta quod supradicte galee dicti Manuelis facere voluerat Galea quidem dicti Surleonis[a] primitus in eam insultum faciens, ipsam investire nescivit. Catalani vero quamvis ventus esset parum, tamen semper velum tenentes, illi de alia galea voluerunt investire eandem. Catalani vero ipsos in tantum oppresserunt balistis, quod galioti ceperunt fugere ab alia parte galee, ac totam bandam[56] ipsam posuerunt in mari, ut possent melius a balistis evadere. Multi etiam ex galiotis se precipitaverunt in mare, et si Catalani bene recordati fuissent, eam cepissent de levi. Alia vero galea dicti Surleonis volvens se retro cepit eandem persequi, quam etiam multum cum balistis oppressit. Cum autem in galeis Ianuensium essent multi vulnerati et etiam dictus Gazella et plures alii mercatores mortui, destiterunt eam persequi. Unde ipsi Catalani per ea que eis acciderunt in superbiam elati et venientes Messanam, ceperunt ufanias[55] multas dicere, et velle unam de suis galeis pugnare de cetero contra duas galeas hominum Ianue. Homines Ianue in adventu dictarum duarum galearum intelligentes que eis acciderunt, et videntes hec eisdem evenisse, quia non ibant nec redibant ita bene armate ut conveniebat, et etiam quod nimis ibant onerate, ordinaverunt sub certis bannis et penis, quod de cetero aliqua galea ultra Portum Venerem cum mercibus navigare non posset, nisi haberet ad minus balistarios 20 ad soldos ultra mercatores et servientes eorum, et non portaret ultra ballas 180 vel cantaros 750. Quod quidem fuit postea libenter et inviolabiliter observatum, quoniam mercatores et domini galearum ceperunt cognoscere periculum in quo ibant. 1291.

Cum autem galee quibus preerat Nicolinus de Petratio complevissent tempus ad quod fuerant armate, et redirent in Ianua, in ipso instanti Pisani, qui iam privatim in Plumbino paraverant barchas plures, milites 150 et pedites 600 posuerunt in eis, et apud Longonum in insula Elbe applicantes, et barchas addurantes in terram, ac in continenti totam insulam sine contradictione aliqua habuerunt. Deinde castrum in ea positum et per comune Ianue guarnitum fortiter expugnare ceperunt. Die vero sequenti Gregorius Aurie qui partivit de Ianua die 12. Ianuarii cum tribus galeis et uno galiono et una barcha per comune Ianue armatis ad menses tres, quibus capitaneus constitutus erat, in dictam insulam applicuit: quem cum capitaneus dictorum militum vidisset, et dubitans ne castrum guarnitum per comune Ianue habere posset, valde timuit, et voluit dare dicto Gregorio dictarum galearum capitaneo equos tres meliores de exercitu, quos vellet eligere, et florenos auri 600, ut ipse permitteret ipsum cum eius comitiva de dicta insula descendere et apud Plumbinum redire. Dictus vero Gregorius cognoscens eos victualia non habere, et sperans homines castri comuni Ianue fore fideles, maxime cum obsides 80 de melioribus dicte insule haberent in Ianua, sperans etiam ipsos qui ascenderant, in carceribus comunis Ianue pervenire, hec facere recusavit. Interim vero quidam dicte insule habitator Thedis[illegible]s nomine, qui sepe magnum honorem in Ianua a comuni acceperat, et quidam alii proditores dicti loci, qui ordinaverant[b] Pisanos in dictam insulam ascendere, et qui erant de maio[illegible]ibus dicti loci, locuti fuerunt illis qui erant in dicto castro, qui esse favorabiles comuni Ianue videbantur; et eos in tantum precibus et pretio seduxerunt, promit[illegible]entes etiam dare eisdem omnes carceratos Ianue quos in Plumbino detinebant pro suorum obsidum recuperatione; quod concorditer dixerunt marchioni Calaritano qui ibi pro comuni Ianue [illegible]m servientibus castellanus extabat, quod ipse cum suis servientibus extra cas[illegible]rum exi[illegible], et esset affidatus cum eis in personis et rebus, et etiam dimitterent omnes alios Ianuenses [illegible]s ceperunt in insula Elbe quando ascenderunt in eam. Nam ibidem erant multi Lombardi pro comuni Ianue occasione cavendi menam ferri. Dictus castellanus cognoscens non posse resistere hominibus dicti loci, qui etiam erant et habitabant semper cum eo in casoro[57] dicti castri, ipsum[c] Pisanis reddidit, et ad marinam cum suis servientibus et cum aliis Ianuensibus qui in dicta insula capti erant venit, et galeas dicti Gregorii ascendit, ac deinde venit in Ianua. Homines vero Ianue videntes proditionem hominum dicti loci, obsides eorum in darsena cum aliis carceratis Pisanis poni fecerunt. Eodem quoque anno finito termino trium mensium ad quem galee dicti Gregorii armate fuerant, armate sunt ad quatuor menses due galee pro

a) surleoni 2. b) ordinaverat 2. c) ipis 2.

54) Corfu. 55) contumelias. 56) costam, latus navis. 57) cassarum, cassaro, est arx castri; Citadella.

1291. guardia riperie, in quibus dictus Gregorius fuit capitaneus constitutus. Qui quidem recessit de Ianua die ... Aprilis, ac supra via Retium cepit unum lignum de Plumbino armatum in cursum de remis 56, de quo Iacharias unus ex proditoribus dicte insule erat comitus, cui in continenti fecit oculos erui. Cepit etiam lignum Simoneti de Romaneto de Portu Venere de remis 80, qui de Portu Venere per comune Ianue bannitus erat, et omnes quos poterat capiebat. Dicto quoque anno cum dicti domni Obertus Spinula et Conradus Aurie essent prope finem sui regiminis, ad quod electi fuerant, per consilium maius extitit ordinatum, quod quilibet eorum de pecunia comunis Ianue libras 3000 Ianuinorum habere deberet. Ipsi vero in festo beatorum apostolorum Simonis et Iude ad domos proprias perrexerunt et sicut alii cives Ianue vivere et stare ceperunt. Domnus autem Lanfranchus de Suardis miles civis nobilis Pergamensis cepit illo die capitanie populi Ianuensis officium exercere, quod bene et strenue exercuit ad complementum unius anni. Eodem quoque anno Bon Iachob miramolinus Murrochi transivit in Ispaniam super dum Sanctum regem Çastelle et regem[a] Granate qui favebat dicto regi Castelle cum zavetis[56] et hominibus ad equos ..., ac in Garbo galeas 20 et alia ligna 8 de remis paraverat pro mare securando et victualia et alia necessaria in Ispaniam deportare. Benedictus vero Iacharias, qui in servitium dicti regis Castelle armaverat in Ianua galeas 7 et in partibus Sibilie habuerat a dicto rege alias 5 galeas armatas de suis hominibus de Sibilia, adivit[b] galeas et ligna dicti Bon Iacob mense Augusti in festo sancti Sisti, ac in loco qui dicitur Marzamosa prelium incipiens contra eas, cepit ex ipsis galeis 12, et alie per fugam evaserunt in terram.

Erant itaque armate per comune in iam dicto anno galee 18 et galioni 5, ut superius est narratum per ordinem.

1292. Anno quidem currente 1292. fuit potestas Ianue domnus Guliermus Gardinus nobilis civis Astensis, qui omnimodam bailiam habuit in iustitia facienda secundum capitula civitatis Ianue, et ubi capitula non loquerentur secundum iura Romana. Eodem quoque anno die 4. Aprilis die Veneris sancto Nicolaus papa V. de hoc seculo transmigravit, et vacavit ecclesia annis duobus, mensibus tribus et diebus .... propter dissensionem cardinalium, qui erant tantum 12 numero. Iste apostolicus per paucos dies antea confirmaverat quedam privilegia comunis Ianue, videlicet quod nullus delegatus vel subdelegatus, aut merus executor posset in comune Ianue sententiam excomunicationis vel interdicti proferre. Item quod aliquis Ianuensis vel de districtu non posset citari extra districtum Ianue[57]

Eodem etiam anno Guiliermus marchio Montisferrati in Alexandria Lombardie captus ut dictum est, et vinculis cathenatus, angustia et dolore infirmatus, ibidem diem clausit extremum die ... Februarii, ac in platea dicti loci in lectu positus, sic tota illa die permansit, ad hoc ut quilibet certus esse posset de morte ipsius. Deinde portatus fuit ad monasterium de Lozeza in Canavese, ubi cum suis antecessoribus est sepultus; et filius eius unicus nomine Iohannes eidem successit. Isto etiam anno armate sunt in Ianua una galea et unus galionus ad quatuor menses pro custodia riperie, quibus prefuit Lanfrancus Guercius. Armate etiam sunt tunc temporis per comune Ianue galee 6 et duo galioni ad menses sex, de quibus Gregorius Aurie fuit capitaneus constitutus. Qui recessit de Ianua die 28. Martii. Pervenit autem certissime ad aures hominum Ianue, quod Pisani cum quibusdam Catalanis armabant super Ianuenses in cursum in Calaro quamdam navem quam emerant a quibusdam Venetis, et unam galeam et unum galionum cum ea, et eam balistariis et aliis necessariis optime premuniebant, et circa Kalendas Aprilis recedere debebant omnino. Unde homines Ianue conduxerunt navem Nicole Aurie ad duos menses, et duas galeas Thedisii Aurie optime preparatas cum ea pro insequendo eandem, quibus nobilem virum Raffum Embriacum capitaneum ordinarunt, habens in mandatis, ut eandem versus Sardiniam et Siciliam perquirere non cessaret. Datum etiam fuit in mandatis dicto Gregorio Aurie, ut versus Sardiniam se transferret, et si haberet aliqua certa nova de eis, contra ipsos procederet; si vero de eis nova aliqua non haberet, transferret se versus Buceam et deinde versus Ispaniam. Recesserunt igitur de Ianua dicte due galee die prima Aprilis, et apud Portum Dalfinum, ubi navis dicti Nicole Aurie hiemaverat, dicta die pervenerunt. Dictus vero Raffus cum dicta nave et galeis recessit de Portu Dalfino die 4. Aprilis, et versus Sardiniam et Siciliam navigans, et duobus mensibus eam perquirens, de inimicis nova aliqua

a) rege 2. b) et ivit 2. 56) zabatus est vir galeatus. 57) d. 23. m. Ian. a. 1292. Lib. iur. II, 273. W.

non habuit; sicque tempore eius completo Ianuam redivit, nullum damnum inferens inimicis. 1292. Unum quidem quod medio tempore accidit non omitto narrare Nam dum morabatur a insula Faugnane Sicilie navis nostra cum suis galeis, expectantes galeam quandam Pisanorum de qua nova habebant quod ad partes illas venire debebat, ecce die 22. Maii galea una Catalanorum armata in Barcellonia, veniebat cum uno missatico regis Aragonum ad homines Sicilie, et una ex galeis iam dictis de qua comitus erat Franceschinus Caravellus credens Pisanorum esse eandem, cepit retro ipsam cum festinantia remigare insignia comunis Ianue semper portando. Catalani vero viam Trapani tenentes et fortiter remigantes, cum super Columbariam pervenerunt, habentes despectum quod fugerent, retro ceperunt se volvere et contra voluntatem missatici quem portabant, et prelio hinc inde commisso, homines Ianue in brevi ascenderunt in eam. Fuerunt autem ex Catalanis mortui homines 23 et circa 40 graviter vulnerati, tum ex balistis de quibus multe erant in eis, tum in ascensu quem fecerunt in eam; ac eosdem de his que fecerant redarguentes, eos permiserunt abire, rebus suis omnibus integraliter restitutis eisdem. Quod quidem hominibus Ianue valde fuit acceptum, quoniam Catalani in tantam erant elati superbiam, quod cottidie in Sicilia et ubique improperabant homines Ianue, se cum una ex suis galeis velle duas galeas Ianuensium expugnare, recolentes cottidie quod in precedenti anno una ex suis galeis in portu Tunexis fecit Raffo de Gualterio, qui ibi erat cum una galea et una sagittea armatis, et etiam quod una alia ex suis galeis fecit duabus galeis mercatorum Ianue venientibus de Romania, ut superius in precedenti anno plenarie est narratum. Insuper dicte due galee Thedisii Aurie, cum iam essent quasi duo menses completi, petierunt licentiam a dicto Raffo veniendi in Sardiniam pro onerando de carne et caseo apud Solsum, apud Motronum deferendis. Qui eis licentiam in hunc modum concessit, videlicet quod intrarent gulfum Calari, et inimicis offenderent, si aliquos invenirent ibidem. Qui ad portum Calari accedentes descenderunt in terram, ut quam plures montes grani et ordei ibidem consignatos pro onerare in lignis et navibus conbusserunt, malo velle hominum 50 ad equos et quam plurium peditum qui ibidem celeriter concurrerunt pro supradicta defendere, de quibus etiam per balistas galearum fuerunt vulnerati quam plures. Deinde apud insulam Rubeam, que est prope gulfum, iverunt, ut aquam levarent eis necessariam; ibique morantes viderunt quamdam navem magnam de tribus coopertis, cui obviam remigantes, cognoverunt pro certo eam esse Pisanorum. Que quidem de Alexandria onerata mercibus veniebat valentibus libras 110,000 Ianuinorum et plus, ac duobus diebus insequentes eandem eo quod ventus erat in maxima quantitate, facta temporis tranquillitate eam viriliter insultantes, et e converso illi de nave se fortiter defendentes, in ipso prelio eam habere minime potuerunt. Verum galioti fortius animati insultum iterum in eandem fecerunt terribilem, ita quod per violentiam ascenderunt in eam, multos mercatores et marinarios occidentes. Hoc quidem fuit die 2. mensis Iunii. Erant autem in ea homines ad arma 85, ex quibus vivi evaserunt solummodo circa 40. Erant autem in ipsa nave similiter plures mercatores Pisani, qui de captione civitatis Aconis evaserunt, et multi etiam mercatores de Marsilia et de Nerbona et etiam aliunde; qui omnes Ianuam ambaxatores mittentes, petebant magnam quantitatem mercium eisdem restitui. Verum cum de iure amisissent omnia per sententiam domni pape, qui sententiam durissimam anno precedenti protulerat in quoslibet et quoscunque euntes et redeuntes ad terram et de terra aliqua soldani Egipti, qui etiam statuit quod quilibet posset eos capere in personis et rebus et bona eorum tenere tamquam propria et personas vendere velud sclavos, tamen Ianue homines omnibus amicis fecerunt bona eorum restitui. Galeatoribus eciam tercia pars que inventa fuit esse inimicorum data fuit, sicut eisdem per comites galearum impugnatione quam de dicta nave fecerunt fuerat[a] promissum. Lite vero orta inter comune Ianue et dictum Thedisium cuius deberent esse res Pisanorum que in dicta nave capte fuerant, cum utraque pars suo tempore[b] captam allegaret, pactis initis inter eos, navis cum mercibus Pisanorum remansit dicto Thedisio, et ipse dedit comuni libras 3200 Ianuinorum et omnes carceratos Pisanos.

Navis quidem Pisanorum predicta armata in Calaro et ligna que erant cum ea, primitus intraverunt in gulfum Tunexis, ubi non invenerunt lignum aliquod Ianuensium. Deinde versus Hispaniam navigarunt, ubi credebant maius damnum inferre hominibus Ianue. Dum autem pervenissent in portu Mali, invenerunt ibidem navem Baliani Salvatici venientem de

a) f. p. supplevi; desunt 2. b) ipŝ. 2.

1292. Hispania olea oneratam, quam ceperunt fortiter expugnare. Ianuenses se viriliter defendentes[a], eam habere minime potuerunt[b]; nam et Sarraceni dicti loci Ianuenses iuvabant pro posse. Tandem pactis intervenientibus dederunt Pisanis doblas mille auri, et eos dimiserunt in pace. Subsequenter versus Hispaniam navigantes, invenerunt quandam taridam Catalanorum; nomine patroni erat Arnaldus Giradi de Maiorica, in qua quidem ceperunt Guiliermum Aurie quondam Manicellini in persona tantum, et Gabrielem Drogum in persona et cum oleo quod habebat in ea. Nam in continenti dictus Guliermus cum cognovit navem esse Pisanorum, doblas auri 2470 quas secum habebat, commendavit dicto patrono custodiendas. Cum autem dictus Guliermus captus esset et in navi Pisanorum portatus et quasi sub tormento positus, dixit patronum dicte navis doblas 2475 habere de suis. Ille vero omnia negans et quasi ad tormentum positus eas nullo modo manifestare voluit, dicens semper quod dictus Guliermus menciebatur[c] per gulam. Hoc quidem faciebat ut eas posset ab iniuriis scampare seu evadere; et precibus Catalanorum qui in dicta navi erant a tormento relaxatus, pervenit in Maioricam, ac omnes doblas dicti Guliermi in manibus consulis Ianue posuit et eidem narravit omnia que eidem acciderat. Hoc quidem audientes ad benefaciendum ferventius animentur. Cum autem hec ad notitiam hominum Ianue pervenissent, miserunt eidem cartam sigillatam sigillo comunis Ianue, quod ipse tanquam civis Ianue tractaretur, nec posset aliquatenus impediri occasione alicuius guerre seu laudis nisi esset pro proprio eius facto. Dicta quidem navis Pisanorum nullum aliud damnum Ianuensibus intulit, nisi prout superius est narratum.

Cum autem pervenisset ad notitiam mercatorum qui erant in Maiorica, quod navis predicta Pisanorum cum dictis lignis Pisanorum accessisset ad partes Hispanie, in continenti duas naves fecerunt pingi de ialvo[58], et eas peroptime armaverunt, videlicet navem Franceschini Ricii et sociorum, et navem Iacobi Lomellini, et unam galeam cum eis pro dicta nave insequenda et lignis. Adscenderunt autem homines Ianue in eisdem tam libenter et sine aliquo pretio, tanquam deberent per hoc animas suas salvare; tamen quidam Catalani de insula premiserunt ad eam barcam unam armatam, significantes eidem que fiebant in Maiorica per homines Ianue. Qui timentes de eis, se recollegerunt ad Canteram; galea vero ipsorum per fortunam temporis recessit ab ea. Naves vero predicte Ianuensium et galea die ... Iunii de Maiorica velificantes et insequentes eandem, et novis certis habitis de eadem, apud Canthuram perrexerunt. Pisani vero videntes easdem, navem addnraverunt in terram et cum rebus et personis descenderunt in terram. Cum autem a terra per Ianuenses Ianuam trahi non posset, igne in eam imposito combusserunt eandem die .. eiusdem mensis, ac navis dicti Franceschini unam magnam partem arboris sic combusti Ianue apportavit. Et hec quidem omnia facta sunt in diebus octo in eundo et redeundo. Cum autem dicte naves Ianue pervenerunt, comune Ianue dedit eis pro eorum expensis et remuneratione libras 797, ut alii de cetero ad benefaciendum securius animentur. Galea vero Pisanorum que a nave per fortunam temporis recessit, ut predixi, venit de versus Provinciam, et portans insignia comunis Ianue, cepit barcas quam plures per riperiam occidentis ac etiam orientis et homines existentes in eis, ac eis in Pisis conduxit cum dictis Guliermo Aurie et Gabriele Drogo qui erant in ea.

Gregorius vero Aurie cum galeis eidem commissis versus Hispaniam iuxta mandatum ei factum est insecutus eandem; ac per plures dies et menses perquirens eam, nullo modo potuit invenire; tamen cepit unam barcham armatam in Calaro que veniebat ad ea ex parte hominum dicti loci significantes eisdem, qualiter homines Ianue eosdem insequebantur cum navi et supradictis galeis. Cepit etiam galionum qui erat in comitiva navis predicte, et qui similiter per fortunam temporis erat separatus ab ea. Cumque intellexisset pro certo quod navis predicta combusta fuerat per homines Ianuenses, ut superius est dictum, versus Sardiniam navigavit, et exinde ad portum Pisanum, ubi tempus ad quod ipsius galee armate erant complevit, deinde redivit cum eis in Ianua. Insuper papa Nicolaus V. predictus ante suum obitum ordinavit tenere continue galeas 20 armatas in insula Cipri pro ipsius et regni Armenie defensione et etiam pro offendere Sarracenis et quibuslibet aliis euntibus et redeuntibus ad terram aliquam soldani Egipti, quarum expensas constituit per Templarios et Hospitalarios esse solvendos; quare post mortem ipsius, cardinales volentes adimplere, quod circa predicta statuerat, constituerunt admiragium super

a) *nominativi absoluti ut et supra, p.* 339, *l.* 7. b) *sc.* inimici. c) merciebatur 2. 58) Italis *giallo.*

omnes nobilem virum Manuelem Iachariam, qui quidem promisit habere galeas armatas in Ianua 12; et Thedisius Aurie tenebatur eidem Manueli habere 8. Verum cum ordinatum 1292. esset districte in Ianua, quod aliqua persona non posset armare aliquam galeam in servitium seu nocumentum alicuius domini vel alterius cuiuscumque persone sine licentia et voluntate consilii generalis in quo essent due partes concordes et se absolverent ad lapillos albos et nigros, et de hoc armatores prestabant certas securitates de dictis omnibus observandis, ipsi spreto predicto ordinamento et securitatibus prestitis per eosdem, armaverunt ut supra. Quare potestas Ianue, qui ad predicta ordinamenta erat per sacramentum et sindicamentum astrictus, condemnare volebat dictos Manuelem et Thedisium et fideiussores eorum in libras ....... pro quolibet. Dictus vero Manuel, qui iam de Ianua recesserat, cum tribus galeis ad curiam Romanam ire festinavit que erat in civitate Romana, ac colloquio habito cum cardinalibus, impetravit ab eis litteras, quas per unum legatum eorum comuni Ianue miserunt, continentes quod condempnationes aliquas in predictis facere non deberet, et si que facte essent, taliter factas revocare curaret, nec securitates ab eis prestitas propter hoc gravare deberet, cum hoc fecerint pro succursu terre sancte; et super his verba rogatoria et comminatoria proferentes. Homines Ianue, habito consilio generali, in servitium ecclesie condemnationem aliquam facere noluerunt, ac ut dicti Manuel et Thedisius in servitium ecclesie possent stare per annum unum concesserunt eisdem.

Eodem quoque anno galee 7 mercatorum de Romania et due etiam de ultramarinis partibus venientes se invenerunt in partibus Sicilie, ac deinde in simul venientes dum fuissent inter montem Argentarie et Plumbinum mense ..... invenerunt quamdam navem de tribus coopertis armatam peroptime de balistariis Catalanis et aliis necessariis, quam quidem Rogerius de Loreto * admiragius Siculorum Pisas transmittebat oneratam frumento, de quo in dicta civitate erat magna caristia. Cumque illi de nave requisiti essent per plures vices per mercatores et homines galearum dictarum, ut calare deberent pro inquirendis in ea hostes Pisanos et bona eorum, ac pro ipsa conducenda ad partes ubi ire vellet preterquam ad partes Pisarum; illi de nave verba Ianuensium contempnentes ac feroces se ostendentes invitabant eos ad prelium. Illi de galeis ex verbis huiusmodi fortius animati, armaverunt et preparaverunt se ad prelium peroptime, ac insimul insultum facientes in navem, quam cito iuxta eam fuerunt, non timentes balistas, lanceas, lapides, nec etiam aliqua alia iacula eorum qui erant in navi, continuo ab omnibus partibus ascenderunt in eam, et in ipso instanti mortui fuerunt ex Catalanis iam dictis homines 23, et reliqui quasi omnes graviter vulnerati et omnibus rebus propriis spoliati. Mercatores Ianue dolentes de nece dictorum hominum, posuerunt in ea de hominibus Ianue 60, qui eam navem conduxerunt in Ianua. Cum autem pervenisset in Ianua, comune granum et navem restituit domino qui preerat dicte navi, ac pro emenda arnissii et rerum derobatarum de ea habuit de pecunia comunis Ianue libras 2200. Et quia dictus admiragius erat homo qui damna et iniurias sibi illatas ad animum revocabat, missus fuit pro comuni Ianue ambaxator Fredericus Spinula ad don Fredericum vicarium regni Sicilie pro fratre suo Iacobo rege Aragonum, et qui se regem Sicilie similiter appellabat, ut notificaret eidem, qualiter intervenerat culpa illorum de navi ut dictum est damnum, quod erat illatum eisdem, de quo homines Ianue doluerunt, et de emenda eis facta et alia circa hec verba decentia. Que dum dictus don Fredericus pro firmo cognovit, patienter portavit, ac iussit dicto admiragio facere illud idem. Insuper dicto anno, mense ..... dictus armiragius armavit galeas 20 in Sicilia, ac in eis imposuit milites cum equis 40, deinde versus Romaniam navigans, insulam de Culfo et omnia que erant in ea preter castrum destruxit et devastavit; ac deinde apud Malvaxiam accedens, burgum dicti loci preliando cepit dirruit et vastavit et spoliavit, ac homines et mulieres in galeis positis fecit eos redimere perpera *. Et deinde versus insulam Scio navigans eam cepit, et omnibus mobilibus spoliavit ac homines redimere fecit perpera. De quo imperator Constantinopolitanus utrum doluerit, non expedit ad presens narrare.

* Loria.

* moneta aurea.

Dicto etiam anno armati sunt in Ianua duo galioni pro guardia riperie facienda, quibus prefuit Lanfrancus Guercius. Item galee 3 et unus galionus et due barche fuerunt armate in Ianua pro comuni in offensione Pisanorum.

Dicto etiam anno mense ..... Benedictus Castagna fuit prepositus quatuor lignis armatis pro custodia riperie et Pisanorum offensionem. Anno quidem isto currente rex Castelle obsedit per terram et mare locum qui dicitur Tariffa quem Sarraceni tenebant, et per vim

1292. prelii cepit eius Rebatum[58] die 20. Augusti, et forciam terre habuit ad fiduciam solummodo personarum die 14. Octubris. Erat autem bellatoribus optime premunita; nam erant in ea homines ad arma tria milia et plus, ac inter homines et feminas et parvulos inventi sunt in ea 8664. In exercitu vero regis Castelle erant milites . . . . et galee 10 Catalanorum et . . . . nuensium, de quibus omnibus dictus Benedictus Iacharias erat armiragius generalis et maior.

Hoc quoque anno comes Lothus, carceratus Ianue qui captus fuerat in stolio Pisanorum, filius quondam comitis Hugolini, extractus de carceribus fuit factus civis Ianue, et fratres eius similiter[59], ut offenderent in Sardinia et in Tuscia comuni et hominibus Pisarum, qui patrem eorundem occiderant, ut in precedentibus est plene narratum, videlicet in anno Domini 1288. Qui quidem comes Lothus in uxorem accepit filiam domni Obertacii Spinule, ac post parvum tempus perrexit in Tusciam ut Pisanis offenderet.

Dicto etiam anno domnus Beltramus de Fitiensis nobilis civis Pergamensis electus in capitaneum Ianue, venit de mense Septembris, et suum officium bene et strenue gessit toto tempore sui regiminis usque ad annum completum. Hoc insuper anno comes Atrabatensis de prosapia regis Francie, et episcopus Orliensis magnus consiliarius dicti regis, et domnus Petrus Frota miles, ex parte dicti regis, ac domnus Iohannes Scotus miles, et magister Bartholomeus de Capua, et alii milites ex parte regis Karoli antedicti intraverunt in Ianua die prima Decembris cum honorabili comitiva. Legatus etiam cardinalium, quoniam apostolica sedes tunc vacabat, post paucos dies intravit civitatem Ianue similiter, petentes omnes unanimiter maius consilium eis dari, in quo etiam essent vocati plures alii sapientes. Quod quidem die 5. Decembris datum fuit, ad quod vocati fuerunt homines per quamlibet compagnam 44, et in eodem pulcra verba et satis decentia ex parte dictorum regum per eosdem narrata, petierunt tractatores dari debere eisdem, dicentes expresse, multa et magna dictos reges velle facere comuni Ianue, et ad utilitatem magnam ipsius. Sicque optinuit, non tractatores sed examinatores dari eis debere; quibus datis obtulerunt multa comuni in scriptis, ac a comuni similiter magna petentes, et querentes iterum tractatores eis dari debere, cum quibus possent tractare utilia pro comuni. Cumque dicte oblationes et petitiones eorum lecte fuissent in supradicto consilio die 19. Decembris in mane, propter multos arengatores dicta die terminari non potuit, sicque die 22. et 23. dicti mensis iterum ad consilium redacta fuerunt. In quibus tribus consiliis fuerunt arengatores 51 diversa et varia allegantes; tandem optinuit tractatores dari eis debere qui tractarent cum eis, et etiam peterent que viderentur utilia pro comuni. Quibus habitis optulerunt et petierunt nomine dictorum regum, prout inferius plenarie continetur; nostri vero petierunt pro comuni, prout similiter inferius continetur. Igitur die 9. Ianuarii summo mane eorum oblationes et peticiones ac etiam nostre peticiones in consilio supradicto lecte fuerunt distincte de verbo ad verbum, et solemniter ascultate. Et cum propter multitudinem arengatorum dicta die terminari non posset, nocte superveniente obscura, iterum diebus tribus sequentibus ad dictum consilium redacte fuerunt, quod a mane semper usque sero durabat. Et circa predicta fuerunt iterum arengatores 54, varia et diversa alii contra alios allegantes. Tandem die 14. Ianuarii satis post campanas, fuit per consilium terminatum qualis responsio eisdem deberet fieri. Et tunc quasi omnes consiliarii et vocati per compagnas, qui erant in numero circa 600, in duorum sententias concordarunt. Una quarum hec fuit, videlicet quod per consilium presens firmaretur, quod omnes Ianuenses deberent recessisse de terris omnibus regis Francie et regis Karoli et regis Aragonum et que per eosdem vel aliquem eorum distringuntur[a] per totum mensem Novembris proxime venturum. Et si aliquis Ianuensium ultra predictum terminum ibidem remanserit, et propter hoc damnum aliquod incurrerit, non intelligantur esse sub protectione comunis Ianue, nec ei per comune Ianue impendatur aliquod auxilium vel favorem, nisi forte aliquo fortuito casu non potuisset de dictis terris recedere. Item quod eorum petitiones et oblationes ponantur in duobus scriptis; unum quorum sigilletur in maiori consilio sigillo predictorum ambaxatorum, et ponatur in custodia archiepiscopi Ianue, ut nihil posset addi vel minui, et aliud eiusdem tenoris remaneat apertum penes abbatem populi, ut quilibet de eo semper possit habere copiam, ita quod per huiusmodi scriptum taliter sigillatum comune Ianue non intelligatur dictis regibus in aliquo obligatum, nec e converso, et potestas qui erit de mense Decembris proxime ven-

a) distinguntur 2.

58) Rabat in litore Maroccano. 59) Lib. iur. II. p. 288—300. W.

turi, teneatur congregare maius consilium et antianorum et 50 per quamlibet compagnam 1292. usque ad dies octo dicti mensis, et in eo dictas petitiones et oblationes taliter sigillatas aperire, et illud quod per dictum consilium fuerit ordinatum, servata forma capitulorum Ianue observetur, et potestas et capitaneus et abbas populi cum duobus sapientibus per quamlibet compagnam vadant ad domos eorum, et eis narrent et dicant verba pulcra et decentia et que ordinata et firmata sunt per consilium Ianue, et rogent eos quod sibi debeat complacere, ita tamen quod per aliquam responsionem ipsorum comune Ianue non intelligatur eis in aliquo obligatum. Et in hac sententia concordarunt homines 268. Quia vero videbatur quam pluribus huiusmodi sigillationem in consilio faciendam, et etiam preceptum et ordinatum predictum, scilicet quod omnes Ianuenses de terris dictorum regum deberent recessisse, ut est dictum superius, et cetera generare preiudicium et periculum non modicum comuni et hominibus Ianue et maxime mercatoribus, quia rex Aragonum et eius subiecti suspicionem magnam acciperent et per hoc de levi offensiones oriri et sic guerram accipere sine aliqua societate firmata, et etiam videbatur dari aliqua intentio regi Karulo per predicta de complendo cum eo, que si postea completa non erunt, posset merito homines Ianuenses redarguere, quod eum perperam[a] tenuissent in verbis, qui alibi fortasse et aliliter facta sua fecisset. Ideo fuit alia sententia ut infra, videlicet quod potestas et capitaneus et abbas populi et duo per quamlibet compagnam sapientes cum eis irent ad domos dictorum ambaxatorum, et pulcra et decentia verba per eos eisdem narrata, et specialiter de divisione que est modo in civitate Ianue de factis predictis, dicant, quod propter hoc ad presens non potest eis fieri certa responsio, sed ipsi possunt stare et recedere ad suam voluntatem; et si volunt aliquid addere vel minuere in scripto quod dederant, possunt facere prout eis videtur, et homines Ianue suo loco et tempore habebunt super predictis eorum oblationibus et petitionibus consilium et facient Domino concedente id quod credent esse honor et gloria Dei et totius comunis et populi Ianue. Et dicant eis expresse, quod per predicta nec aliqua alia de causa non est intentio comunis Ianue quod ipsi remaneant comuni Ianue in aliquo obligati, nec comune Ianue eis. Accipiant eorum oblationes et petitiones sigillatas sigillis eorum vel non sigillatas sicut eis dare placuerit, et exemplum earum remaneat penes abbatem populi ut quilibet possit eas semper videre, et postea reponantur in sacristia; deinde a die prima mensis Decembris proximi venturi usque ad dies octo dicti mensis reducantur ad consilium maius per potestatem qui tunc erit in Ianua, in quo vocati sint 50 per quamlibet compagnam, et in eodem consilio exponantur eorum petitiones et oblationes et nostre petitiones etiam, et illud quod per consilium firmatum fuerit observetur, servata forma capitulorum Ianue. Et in hac sententia concordaverunt homines 289; et sic hec optinuit sententia. Facta autem dictis ambaxatoribus dicta responsio per predictos die ......... Ianuarii, de Ianua recesserunt irati, nec in Ianue comuni scriptum aliquod dimiserunt; volebant enim primam sententiam, quia videbatur pro eorum dominis magis favorabilis extitisse. Verum tamen ante discessum eorum, ut viderentur aliqua fecisse in Ianua, et etiam crederetur comune Ianue quasi tacite petitionibus eorum se velle exponere, commiserunt quibusdam eorum factoribus 20 galeas magnas velud taridas in Ianua fabricandas, et statim in scariis imponendas, quamvis in Provincia satis pro minori precio construi potuissent. Dicti quoque ambaxatores cum fuerunt in Neumaso[61], ubi Ianuenses mercatores secure morabantur, eo quod conventionem haberet comune Ianue cum rege Francie, quod ibidem negotiaretur, nec possent occasione aliqua in regno Francie impediri in personis nec rebus, nisi dato prius spatio per eundem unius anni et quadraginta dierum, nihilominus torsellos 94 hominum Ianue ibidem et in Aquis mortuis[62] arrestari fecerunt, ac etiam galeas duas torsellis oneratas, dimissis velis et fugam aggres is detinere voluerunt. De quo homines Ianue admiratione non modica moti, ordinaverunt ambaxatam pro dicta arrestatione et causa ad regem Francie transmittendam. Tandem dicti ambaxatores qui hec absque scientia regis Francie fecerant, timentes ne ad aures perveniret ipsius, post tres tamen menses elapsos dictos torsellos relaxari fecerunt; sed mercatores Ianue nihilominus in magnum damnum et dispendium incurrerunt. Unum quidem scribere non omitto: quod per predicta in Ianua orta est divisio et dissensio sic magna, quod vicinus cum vicino, nobilis cum nobili, popularis cum populari, frater cum fratre, et quod plus est filius cum patre, in plateis et vicis[b] graviter et turpiter contendebant. Causam autem tanti

a) *ita correxi*; per eum tenuisset *c.* b) vicinus *c.* 61) Nismes. 62) Aiguesmortes.

1292. discriminis et dissensionis potest leviter in corde suo quilibet sapiens cogitare; quod Deus per suam sanctam misericordiam auferre et quam citius ad magnam concordiam reducere dignetur.

Fuit autem summa galearum in isto anno per comune Ianue armatarum 12 et galioni 10.

Hec sunt que offeruntur comuni et populo Ianue, si presens societas de qua agitur inter regem Sicilie et comune Ianue contrahatur[62]:

*In primis quod domnus rex Sicilie iuvabit manutenebit et defendet comune et populum Ianue, cum toto exfortio suo in mari et terris maritimis*[a] *cum militia sua bona, secundum quod requiret qualitas imminentis negotii, contra omnem personam et universitatem volentem dictum comune et populum Ianue offendere et cum ipso comuni guerram habentem; et quod inter eundem regem et comune sit confederatio et societas perpetua et mansura hoc modo, quod idem rex et heredes sui iuvabunt et manutenebunt et defendent dictum comune et populum ad tenendum et possidendum quicquid comune ipsum nunc tenet et possidet et recuperandum terram occupatam per Pisanos; et si forte aliquid de terra dicti comunis occuparetur vel rebellaret, idem rex iuvabit similiter ad recuperandum ipsam. Et e converso idem comune iuvabit manutenebit et defendet eundem regem et heredes suos ad tenendum et possidendum totam terram suam regni Sicilie citra Farum et comitatum Provincie, nec non ad recuperandam insulam Sicilie, et recuperatam tenendum et possidendum. Et si forte aliquid de terra regni Sicilie citra Farum vel ultra Farum occuparetur vel rebellaret, idem comune iuvabit dictum regem et heredes suos ad recuperandum manutenendum et defendendum; quod quidem iuvamen fiet in promissis prefato regi et heredibus suis per mare et in locis maritimis et non alibi. Et si forte videatur vel placeat dicto comuni et populo, quod predicta societas et confederatio fiat inter dictum regem et eos non perpetua ut predicitur sed ad tempus, istud sit in electione dicti comunis et populi, et tempus confederationis et societatis eiusdem declaretur ex nunc per comune ad voluntatem ipsius.*

2.[b] *Item domnus rex Francie et domnus rex Sicilie requirent comune Pisarum et iudicem de Arborea, quod restituatur comuni et populo Ianue castrum Castri cum salinis et pertinentiis secundum quod per Pisanos in pace facta vel tractata invicem inter eos traditum et conventum est comuni et populo Ianue. Et si Pisani restitutionem ipsam facere noluerint, dictus rex Sicilie diffidabit eos de tota terra sua, et domnus comes Attrabatensis et domnus episcopus Aurelianensis laborabunt bona fide, quod domnus rex Francie Pisanos expellet de terra sua.*

*Item si predicta restitutio non fieret per Pisanos, dictus rex dabit comuni et populo Ianue in auxilium recuperationis dicti castri salinarum et pertinentiarum, ad recuperandum illud in quo comune Ianue ius se dicat habere in iudicatu Calaritano, sexcentos equites et mille pedites, videlicet quingentos balistarios et quingentos lancerios ad expensas eiusdem regis, donec dictum castrum et saline cum*[c] *pertinentiis, et aliud in quo comune Ianue ius se dicat habere in iudicato predicto recuperentur, et sint in potestate dicti comunis. Qui equites et pedites morabuntur in obsidione dicti castri et expeditione aliorum predictorum per illa spacia temporis de quibus comuni et populo Ianue videbitur expedire; et quamdiu ipsi in huiusmodi expeditione fuerint, gens Ianue custodiet ibi mare cum galeis armatis quod eidem castro victualibus gente et aliis subsidiis per mari*[d] *succurri non possit. Quos quidem equites et pedites prefatus rex dabit eo tempore quo fiet armata in Siciliam, ita quod unum quodque passagium simul et semel fiet. Item quod prefecti*[e] *domni regis laborabunt bona fide penes futurum summum pontificem, quod concedat comuni et populo Ianue ius quod habet ecclesia in castro et aliis supradictis.*

3. *Item quod, donec recuperetur insula Sicilie, idem reges dabunt et dari facient comuni et populo Ianue minas ducenta milia*[63] *frumenti ad mensuram Ianue, precio pro solidis quindecim Ianuinorum pro qualibet mina, quod frumentum habebitur infallibiliter, et sic iam ordinatum est, de terra dicti domni regis Frantie de comitatu Provincie et Folchacherii, et hec fiant manualiter et instanter et assecurabuntur sufficienter ad voluntatem dicti comunis et populi.*

4. *Item dictus rex Sicilie mutuabit ipsi comuni et populo pro exonerandis debitis suis libras Turonensium ducenta milia in Turonensibus grossis argenti ad rationem de Turonensibus parvis duodecim pro quolibet Turonense argenti; de quibus idem rex dabit manualiter centum milia,*

a) maritiminis 2. b) *numeri desunt* 2. c) et 2. d) *ita c.* e) prefacti 2.

62) Capitula haec in principio Ianuensibus minus favorabilia, prout eorum manuale infra propositum probat, demum a legatis regum Franciae et Karoli concessa, nec tamen a Ianuensibus accepta fuerunt.

63) Initio negotiationis a legatis Franciae et Neapolis centum quinquaginta milia proposita fuisse, et Ianuensibus rogantibus ducenta milia substituta, ex capitulis Ianuensium infra editis intelligitur.

*et infra duos annos numerandos a die dicti contracti mutui dabit eidem comuni pro exonerandis dictis debitis residua centum milia librarum eorundem Turonensium, sub ea condictione, quod si idem rex infra ipsos duos annos differret*[a] *in prestatione dicti mutui centum milia librarum, dicta centum milia librarum dicto comuni manualiter tradenda in proprietate eiusdem comunis remaneant libera et expedita, de qua pecunia infra quatuor annos numerandos a tempore contracte societatis in antea dictum comune nichil restituat, sed post ipsorum quatuor annorum lapsum, deinde comune pecuniam ipsam in Turonensibus grossis argenti ad rationem predictam domno regi Sicilie et heredibus suis restituere teneatur infra decem annos post ipsos quatuor immediate sequentes, videlicet viginti milia libras quolibet anno, et de his fient idonee cautele per comune.* 1292.

5. *Item postquam idem rex Sicilie recuperaverit insulam Sicilie, comune Ianue possit libere habere extrahere emere et accipere de insula Sicilie et de Apulia et de toto regno Sicilie suo ad voluntatem ipsius comunis omni anno in perpetuum salmarum frumenti triginta milia libera et expedicta ab omnibus dacitis exactionibus et drictis exiture fondici doane et quibuslibet aliis quocumque nomine censeantur pro deferendis et adducendis eis ad civitatem Ianue et districtum eius.*

6. *Item quod dictum comune possit emere et emi facere et extrahere de insula Sicilie et de Apulia et de toto regno ipsius domni regis Sicilie pro deferendis et adducendis Ianuam et districtum annuatim in perpetuum salmarum triginta milium frumenti ad voluntatem ipsius comunis, de quibus nichil aliud dari vel exigi possit pro dricto curie dacita vel exactione aliqua, quocumque nomine censeatur, nisi solummodo tarenos auri tres pro qualibet salma.*

7. *Item quod per*[b] *predictum regem aut officiales suos non fiet aliqua impositio sive fraus per quam Ianuenses minus possint invenire venale frumentum vel carius iusto precio emere in insula et regno predictis. Et si curia regia frumentum in partibus illis emeret et venale haberet, vendetur Ianuensibus pro precio pro quo ad opus curie emptum fuerit.*

8. *Item quod homines Ianue sint et esse debeant salvi et securi in personis et rebus in toto regno Sicilie et in omnibus terris quas nunc habet et per tempora acquisiverit, et ipsos homines Ianuenses salvabit defendet et manutenebit sanos et naufragos in mari et terra per se et successores suos, constitutione sive consuetudine regni, que res in naufragio perditas post triduum fisci comodis applicandas statuit, non obstante.*

9. *Item quod mercatores Ianuenses euntes in dictum regnum de Ianua et districtu cum mercibus et rebus eorum quas portaverint*[c] *de Ianua, habeant cum ipso regno inmunitatem et libertatem pro mercibus et rebus ipsis in doanis fundicis dacitis et aliis drictis quibuscunque, de quibus nichil solvere teneantur nisi unum schifatum pro quolibet mercatore dandum doaneriis illius loci ubi exhoneraverint merces et res predictas vel partem earum; et non cogantur in uno loco omnes res et merces ipsas exhonerare si nolint, imo liceat eis merces et res ipsas ad alia loca regni portare, et per doanerios dictorum locorum dictum schifatum vel aliud pro mercibus et rebus ipsis iterum non requiratur ab eis, si mercator ostenderit apodisiam predictorum primorum doaneriorum de solutione schifati.*

10. *Item quod si occasione presentis societatis bona civium Ianue qui nunc sunt in insula Sicilie Maioricarum vel Catalonia, qui quidem non sint cives seu incole vel burgenses dictorum locorum, arrestentur per inimicos domni regis, dictus domnus rex bona predicta in valorem ipsorum ipsis restituere teneatur. Ita tamen quod dictum comune Ianue dictos cives teneatur inde certiorare et revocare statim societate contracta, vel ante si comuni videbitur. Et si cives ipsi postquam ad eos dicta revocatio pervenerit, moram facerent voluntarie in predictis locis sine iusta et necessaria causa, dictus rex eis minime teneatur. De quibus quidem damnis constabit summarie et bona fide eo modo et per illas personas, quo et per quas brevius et clarius sciri poterit veritas. Item quod omnia damna illata civibus Ianuensibus ante diffidationem per clare memorie domnum Karolum regem Sicilie, patrem dicti regis, vel officiales tempore discordie orte inter dictum quondam domnum regem et Ianuenses, idem rex natus eius emendabit et emendari faciet celeriter et bona fide, postquam insula Sicilie recuperata infra sex menses idem rex inde fuerit requisitus.*

11. *Item quod homines Ianuenses habeant in toto regno suo et habere possint consules et rectores sicut actenus habere consueverunt, et logias et domos ipsorum et franchisias, qui consules seu rectores .......*[d] *sit regis eiusdem.*

a) diferrent 2. b) *deest* 2. c) portavit 2. d) *hic quaedam exciderunt. Per regem oblata minora certe fuerunt quam per Ianuenses postulata; infra pag.* 351 *l.* 21—25.

1292. 12. *A iuvamine aut manutenitione et defensione predictis excipiat dictus rex Sicilie sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem suam, domnum regem Francie, et domnum regem Alamanie: ita quod in guerra Pisarum et in recuperatione castri de Castro salinarum et pertinentiarum eius ut predicitur, et eius in quo de iudicatu Calaritano comune Ianue ius habere se dicat, nulla sit exceptio, quia in ipsis dictus domnus rex prefactum comune prout supra dicitur iuvare teneatur. Et nuncii dicti regis concordant, quod comune Ianue excipiat similiter ex parte sua a iuvamine manutenutione et defensione predictis prefatam ecclesiam et eosdem reges Francie et Alamanie, ac alios principes cum quibus comune ipsum habet hodie conventiones, excepto quod in negotio recuperationis insule Sicilie nulla sit exceptio, quia in recuperatione ipsa dictum comune prefatum regem iuvare teneatur. Declaret comune principes cum quibus habet conventiones.*

13. *Istud autem principaliter exprimitur et declaratur, quod intencio domni regis Sicilie est, quod presens armata facienda in Siciliam feliciter auctore Domino, per comune Ianue fiat pro subsidio terre sancte, concurrendo in hoc cum votis sancte matris ecclesie et domni regis Francie et aliorum fidelium christianorum, cum sine recuperatione dictę insule, scilicet patrimonii dicti regis, terra sancta recuperari non possit, nec oportunum saltim sibi provenire subsidium, secundum quod consilia principum et prelatorum ac aliarum universitatum data Romane ecclesie manifeste declarant.*

14. *Item rex Sicilie paratus est, propter amorem quem habet ad comune et populum Ianue et propter honorem et favorem et bonum statum ipsius, remittere universitatibus ac singularibus personis Sicilie omnes culpas et offensas quas dicte universitates et singulares persone commiserunt contra clare memorie dictum domnum Karolum patrem suum et ipsum; et de hoc dare potestatem ipsi comuni et populo, dummodo dicte universitates et singulares persone ipsius Sicilie infra certum et determinatum tempus redeant ad fidem et devotionem dicti regis, quam potestatem dat idem rex eidem comuni, predicta tamen societate contracta.*

15. *Item idem rex procurabit et faciet bona fide, quod Iohannes marchio Montisferrati erit amicus comunis et populi Ianuensis. Idem marchio non erit*[a] *in arte*[b] *consilio vel facto per que comune et populus Ianuensium aliquid perdant de eorum terris iuribus honoribus atque statu. Et si idem marchio contrafaceret, prefatus domnus rex iuvabit dictum comune et populum Ianuensem contra marchionem predictum cum exfortio et gente ipsorum. In predicta vero armata que fiet in Siciliam, intendit domnus rex Sicilie habere de Ianua galeas armatas octoginta vel plures, prout dicto comuni videbitur expedire; et quod corpora etiam galearum et omnia necessaria pro eisdem habeantur ad expensas dicti regis. Et postquam inchoatum fuerit negotium recuperationis insule Sicilie, domnus rex prosequetur illud in armandis et tenendis galeis et per terram, prout qualitas negocii requiret, usque ad finem.*

16. *Item admiratus, comiti et naucleríi ipsarum galearum armatarum de Ianua erunt Ianuenses, tamen domnus rex eliget et faciet eos ad voluntatem suam.*

17. *Item quod dicta armata que fiet in Sicilia, fiet sumptibus eiusdem regis, et quotienscumque idem comune et populus Ianue iuvabunt eundem regem et heredes suos, iuverit eos ad expensas ipsorum regis et heredum suorum.*

18. *Item domnus rex et heredes sui nichil accipient a Corvo usque Monachum per triginta miliaria infra terram de his que tenent a comuni in feudum vel sunt de districtu Ianue.*

19. *Item domnus rex Sicilie dimittet quiete et sine molestia omnibus Ianuensibus terras quas tenent iuste in terra dicti regis Sicilie.*

20. *Item non fiat aliqua inhibitio in terra regis Sicilie, quominus Ianuenses possint extrahere victualia de terra dicti regis, et laborábit idem rex quod hoc idem fiat*[d] *in terra ecclesie, et idem rex comes et episcopus laborabunt quod idem fiat in terra regis Francie.*

21. *Item domnus rex Sicilie faciet guerram omnibus facientibus guerram Ianuensibus durante societate.*

22. *Item quod e*[c] *terra dicti regis Sicilie non portabuntur victualia Pisas vel Calarum, et laborabit idem rex quod idem fiat de terra ecclesie, et idem rex comes et episcopus laborabunt quod idem fiat in terra regis Francie. Item rex Sicilie habebit pro inimicis Pisanos, et capiet eos post diffidationem in personis et rebus.*

23. *Item rex Sicilie laborabit bona fide, quod cum auctoritate Romane ecclesie fiat permutatio inter comune Ianue et ecclesiam de castris Lamelie et Barbazane et eius quod habet dicta*

a) n. e. desunt 2. b) arce 2. c) deest 2. d) fiet 2.

*ecclesia citra Macram et de eo quod habet dictum comune ab aqua Macre ultra. Et si non sufficiat, refundatur iustum precium per comune.* 1292.

24. *Item rex Sicilie laborabit bona fide, quod marchio Montisferrati remittet comuni Ianue omne ius, si quod habet, in castris que tenet comune, et aliqui speciales de comuni in quibus idem marchio se diceret forsitan ius habere.*

25. *Predicta omnia firmabuntur et assecurabuntur per infrascriptum modum. Videlicet:*

*Prima solutio mutui centum milia librarum et quantitas ducentarum milia minarum frumenti habenda per comune, firmabuntur ad presens per domnum episcopum Aurelianensem, domnum comitem Atrabatensem et domnum Pontium de Flocco nuncios domni regis Francie pro parte ipsius regis.*

*Pro ultima solutione dicti mutui reliquorum centum milia, predicta prima solutio centum milia librarum, que manualiter solvuntur, obligata est ut superius.*

*De immunitatibus et franchitiis fient privilegia regis Sicilie cum bullis aureis sicut melius cautius et firmius fieri possunt, et cum iuramento ipsius regis et primogeniti si necesse fuerit.*

*De aliis omnibus temporalibus que promittuntur servandis et adimplendis iurabit idem rex, et dabit in pignus insulam Corphoi statim societate contracta; quam insulam comune tenebit usque ad perfectionem negotiorum temporaliter promissorum.*

*Item quod domnus rex Sicilie negotium recuperationis insule Sicilie postquam inchoatum fuerit persequitur convenienter usque ad finem ut superius dictum est, obligantur predicto comuni dicta centum milia librarum, que solventur ad presens, et alia centum milia que solvi debent infra predictos duos annos sequentes. Item dictum comune Ianue habebit de sale Provincie precio convenienti.*

*In capitulo*[64] *ducentarum milium minarum frumenti addendum est: „anno quolibet donec recuperetur Sicilia."* 64

In nomine Domini amen. Manuale eorum super quibus videtur providendum antequam fiat tractatus.

*Primo non videtur infrascriptis sapientibus quod ad presens possint firmari ea que continentur in oblationibus, sine preiuditio et periculo hominum Ianue, et rerum ac bonorum ipsorum que sunt in terris que detinentur per domnum Aragonum et aliorum qui venturi sunt aliunde ad civitatem Ianue.*

*Item quia non est summus pontifex, qui possit ratificare secundum quod intenditur et confirmare eas que ordinabuntur super propositis.*

*Item quia non videtur iuste posse fieri bellum sive guerra per comune Ianue contra illos contra quos fieri queritur, licet offendentur, nisi admonitione premissa.*

*Cum tamen videretur procedendum ad faciendum confederationem super his super quibus fit mentio, in oblationibus providendum est super defectibus seu inconvenientiis.*

*Videlicet super primo capitulo ubi fit mentio „et e converso", in quo innui videtur, quod comune Ianue in aliquibus casibus qui accidere possint, posset requiri ad faciendum consilium*[a] *cum toto suo exforcio, et alia generalia que possent inducere obscuritates seu inconvenientias. quod super facto presentis guerre, de qua videtur fieri mentio in oblationibus, in perpetuum firmetur conventio de servanda*[b]*, una pars homines et res alterius partis cum additionibus et modis qui videbuntur comodo aptandi in ipsis confederationibus.*

*Alia quousque auxilia, de quibus fit mentio in confederationibus, ordinentur: quod durent tantum usque ad recuperationem insule Sicilie vel maioris partis.*

*Et usque quo recuperatum fuerit habitum et captum per comune Ianue castrum iudicatus Calari.*

*Et videtur utilius quod super predictis ad presens non debeat fieri aliqua novitas, sed suo loco et tempore super negotiis premissis per ambaxatores possent responderi, secundum quod deliberaretur per comune Ianue. Et videtur quod per domnum regem Sicilie, si in predictis deberet intendi, deberent fieri et curari quod infrascripta inter cetera fiant:*

*Primo quod castrum Castri et iudicatus Calaritanus pleno iure et cum omni iurisdictione debeant pervenire in virtutem et potestatem comunis Ianue.*

*Item quod ecclesia Romana, videlicet cardinales sede vacante, et cum summus pontifex fuerit creatus ipse summus pontifex de consensu cardinalium, concedat, quod comune Ianue habeat dictum castrum et iudicatum.*

a) auxilium *legendum esse videtur.* b) feruanda 2. 64) tertio.

1292. *Item quod domnus rex Sicilie ex nunc faciat devetum generale, quod de Neapoli vel aliqua terra ipsius regis aliqua victualia vel aliqua alia non deferantur ad dictum locum vel in dictum iudicatum vel ad civitatem Pisarum vel in districtum, sub certis penis et certis securitatibus et cautelis, ut in devetis fieri consuevit. Et eodem modo fiat devetum per ecclesiam Romanam de terris dicte ecclesie.*

*Item quod dictus domnus rex det comuni Ianue quingentos milites vel pecuniam quantum constarent ipsi milites, in electione comunis Ianue ad expendendum in guerra facienda pro predicto castro et iudicatu recuperandis et habendis, et hoc continue quamdiu dictum comune Ianue habuerit dictum castrum et iudicatum.*

*Item quod dictus rex habeat pro inimicis omnes Pisanos et universitates et singulares personas Pisanorum et districtus, ut eos possit et debeat capere in personis et rebus maxime si venerint in terris dicti regis.*

*Et quod eodem modo, si aliqua persona vel universitas in predicto castro tenendo vel prohibendo quominus comune Ianue ipsum cum iudicatu habeat ut dictum est, debeat et teneatur prohibere, quod uti non possit in terra sua, vel in terris domni regis Francie.*

*Item quod de omnibus predictis et his de quibus convenerit inter ipsum domnum regem et comune, sive super predictis sive in aliis, hoc debeat firmari modo consueto et legitimo, et taliter quod domnus rex Francie debeat teneri comuni Ianue de omnibus pro dicto domno rege Sicilie.*

*Item quod dictus domnus rex Sicilie in continenti cedat*[a] *et remittat comuni Ianue castrum Turbie et alia loca et castra comitatus Vintimilii pleno iure, que ibi habet, et omnia iura que habet in dicto comitatu, et a citra, cum totus dictus comitatus teneretur in feudum per comites Vintimilii a comuni Ianue, eo tempore quod domnus rex Karolus pater eius emit eum a dictis comitibus.*

*Item quod domnus rex Karolus et heredes sui non acquiret aliquod castrum, ius, locum vel iurisdictionem in aliquo loco qui sit a Corvo usque Monacum; vel in aliquo loco qui sit infra dicta confinia prope mare per miliaria viginti.*

*Item quod si quod ius habet infra dictos confines seu in aliquo loco qui sit infra dictos confines, remittat comuni Ianue.*

*Item quod faciat et curet ita et sic, quod domnus rex Francie concedat immunitatem Ianuensibus in Aquis mortuis, taliter quod sint immunes ab omnibus dacitis et exactionibus quocumque nomine censeantur, et quod Ianuenses possint cum eorum navigio et mercationibus facere portum in quacumque parte Provincie voluerint.*

*Item quod faciat et curet quod marchio Montisferrati, si habet ius aliquod in aliquo castro vel loco quod vel qui teneatur per comune Ianue vel per aliquem civem seu vassallum comunis Ianue, illud tradat comuni Ianue, et remittat, et quod non acquiret aliquod castrum vel locum sive ius in aliquo loco qui sit a Corvo usque Monachum.*

*Item quod domnus rex Sicilie teneatur et debeat et facere et curare teneatur, quod si aliquis Ianuensis tenet aliquas villas castra vel possessiones in insula Sicilie vel aliis insulis, quod ipse possessiones ville castra et iurisdictiones ipsis Ianuensibus dimittantur.*

*Item quod rex Sicilie faciat et curet ita et sic, quod per ecclesiam Romanam concedantur comuni Ianue castrum Aimelie et Barbazane, et quicquid episcopus Lunensis ab aqua Macre citra versus Ianuam vel districtum et comune Ianue habeat; et*[b] *pro cambio dabit ipsi episcopo quicquid habet a dicta aqua ultra, et ultra adequationem quicquid iustum fuerit vel conveniens in pecunia quoque*[c] *ipsa convertenda in aliis possessionibus.*

*Item quod faciet et curet ita et sic idem domnus rex, quod per ipsum vel ecclesiam Romanam vel regem Francie vel aliquem subditum vel vassallum ipsius regis de terris eorum vel alicuius eorum nullum fiat devetum, quominus per Ianuenses victualia possint adduci in Ianua et districtu, et hoc in perpetuum.*

*Item quod si aliquis rex, baronus, civitas, universitas vel homines durante guerra predicta Sicilie, vel antequam comune Ianue haberet iudicatum Calaritanum, faceret guerram contra comune et homines Ianue, quod dictus rex faciat et curet ita et sic, quod ipse rex Sicilie et sui facient guerram vivam ipsis personis, civitatibus et universitatibus qui fecerint guerram contra comune vel homines Ianue.*

*Item quia comune Ianue gravatum est variis debitis, dictus rex tradet annualiter comuni Ianue ex causa mutui libras quadringenta milia Turonensium alborum, seu valens in auro vel*

a) sedat 2. b) h. et *inserui*. c) quod 2.

*argento, quos comune ipsum teneatur restituere ipsi regi finita guerra Sicilie et habito castro et iudicato Calari, et finitis guerris quas comune Ianue habuerit cu i aliquibus medio*[a] *tempore per certa tempora, videlicet quolibet anno libras . . .*[b]. 1292.

*In capitulo in quo fit mentio de extrahendo salmas de Sicilia, dicatur ibi, quod nil possit fieri per regem vel alium per quod granum carum emeretur vel haberetur etc.*

*Item quod Ianuenses sint liberi et immunes in insula Sicilie et toto regno dicti regis et omnibus terris quas nunc habet vel habiturus est, a quacumque dacita et exactione quocumque nomine censeatur; salvo de uno schifato pro quolibet mercatore tantum, ita quod ipse schifatus non debeat solvi nisi semel et uno loco tantum.*

*Item quod aliqua dacita vel exactio seu impositio non possit imponi alicui vendenti vel contrahenti cum aliquo Ianuensi, ita quod dicta immunitas in aliquo ledatur.*

*Item quod si aliqui Ianuenses existentes in partibus Sicilie Maioricarum vel alibi vel bona alicuius Ianuensis a Kalendis Decembris proxime preteritis usque ad annum unum arestarentur seu caperentur vel detinerentur in personis et rebus, eundo, morando, stando, vel redeundo vel veniendo, quod dictus domnus rex Sicilie*[b'] *damna que acciderint ipsis Ianuensibus et tam burgensibus quam aliis, de quibus omnibus stetur et stari debet sacramento damnum passi vel heredis, in provisione*[c] *vel facta taxatione per consilium antianorum vel maiorem partem; et pro observatione predictorum debeat fieri in Ianua depositum de . . .*[d].

*In decimo capitulo dicatur: damna illata Ianuensibus restituantur usque sex menses a die recuperationis Sicilie vel maioris partis.*

*Item quod homines Ianue habeant in toto regno suo et terris et habere possint consules seu rectores et logias et domos ipsorum, qui consules et rectores habeant merum et mixtum imperium, et plenam iurisdictionem in civilibus et criminalibus. Et si Ianuensis condempnabitur per consulem Ianue ad puniendum in persona, tunc tradatur curie regie puniendus secundum quod fuerit condempnatus.*

*In duodecimo capitulo exceptentur per comune Ianue ecclesia Romana, rex Alamanie, rex Francie et alii principes et barones cum quibus comune Ianue habet*[e] *conventionem; ita quod in guerra et acquisitione Sicilie nulla fit exceptio.*

*Nec*[f] *in exceptione regis intelligatur aliqua exceptio quantum ad guerram faciendam contra Pisanos, et in factis Calari et iudicatus Calaritani de quibus supra dictum est.*

*In 14. ubi dicitur „dabit", dicatur: „dat ex nunc".*

*In capitulo*[65] *in quo fit mentio de minis „centum quinquaginta milia grani" dicatur „200,000".* 65

*In 16. capitulo dicatur: „et omnia alia necessaria et utilia pro predictis", et quod admiratus, comiti, naucleríi et scribe sint Ianuenses, et quod aliquis Ianuensis non compellatur nec compelli possit ire in dictam armatam.*

*Item quod dictus rex Sicilie teneatur et debeat singulis annis habere galeas armatas usque in octuaginta ad expensas suas de omnibus, vel minoris numeri ad voluntatem comunis Ianue*

*In 17. capitulo dicatur „ad expensas dicti regis".*

Anno Domini 1293. fuit potestas Ianue vir nobilis ac miles domnus Petrus de Carbonensibus civis Bononie, ac de eadem tamquam Gibellinus expulsus et civis Mantuanus effectus; venit ad regimen civitatis Ianue tempore ordinato. 1293.

Eodem anno fuerunt pro comuni armate galee tres ad menses tres, in quibus Nicolinus Agastini et sotii fuerunt comiti constituti, et de Ianua recesserunt die . . . .

In ipso quoque anno fuerunt armate in Ianua galee quinque et una barcha, que solidos pro mensibus quatuor habuerunt, in quibus Fredericus de Volta fuit capitaneus constitutus; que die 19. Martii de Ianua recesserunt, et partes Sardinie et Barbarie atque Sicilie circuentes nec invenientes Pisanos aliquos, finito eorum tempore Ianuam redierunt.

Eodem quoque anno Lanzelotto marchio de Bosco vendidit comuni Ianue quartam partem terre Wade et totum illud quod citra aquam habebat pro libris 4000 Ianuinorum, prout in carta facta manu Lanfranci de Vallario notarii die 11. Maii plenarie continetur[66]. De mense vero Iunii recesserunt de Ianua galee due ad unum mensem in frequentia magna

a) medio — libr. *addita eodem calamo, sed in fine paginae* 2. b) *locus vacuus relictus* 2. b') *scil.* restituat. c) pouisione 2. d) *locus vacuus relictus* 2. e) habere 2. f) Hec 2.

65) tertio; numerus 200,000 ibi iam receptus est. 66) Lib. iur. II, p. 300. W.

1293. armate pro insequendo duo ligna Pisanorum cursalium que riperiam graviter infestabant; et cum eas a longe vidissent et iam prope eos per vim remorum pervenissent, evaserunt nocte eis superveniente obscura.

Dicto quoque anno una galea et unus galionus fuerunt armati in Ianua ad tres menses, quibus fuit prepositus Albertus Marzonus, pro custodia utriusque riperie, et die 8. mensis Iunii de Ianua recesserunt. Due etiam galee fuerunt armate in Ianua ad tres menses, de quibus Lanfrancus Guetius fuit capitaneus ordinatus, ad custodiam utriusque riparie et Pisanorum offensionem, qui cum eis die 11. mensis Iunii partivit de Ianua. Insuper fuerunt armate in Ianue galee 3 et duo galioni et una barcha cum eis ad tres menses, in quibus Iohanuinus Merellus fuit capitaneus constitutus, que die 29. Augusti de Ianua recesserunt. Cumque in Sardinia pervenissent apud Caput terre, descenderunt in terram, villas tres combusserunt et omnia eius bona. Insuper prope Calarum descendentes in terram, granum ibi collectum pro onerando in navibus igne imposito similiter cremaverunt.

Anno quoque eodem homines Monachi requisierunt a comuni Ianue unum lignum ut possent capere de inimicis Pisanis, pro quibus recuperare possent quosdam de suis qui in ipsis detinebantur captivi; sicque habuerunt unum lignum de remis 76, ad tres menses omnibus necessariis optime preparatum, cui prefuit Franceschinus Sarra de Monaco; et recessit de Ianua die 5. Septembris, et tamen nichil inveniens cui posset offendere, termino ordinato redivit in Ianua.

Anno eodem fuit unus galionus armatus in Ianua ad tres menses, cui Guliermus Caput malei de Saona fuit capitaneus constitutus, qui die 19. Septembris recessit de Ianua.

Una etiam galea fuit armata in Ianua que solidos habuit pro mense uno tantum, cui Benedictus Castagna fuit prepositus, qui cum ea recessit de Ianua die 10. mensis Octobris.

Galee etiam tres fuerunt per comune ad duos menses armate, quibus Franceschinus Caravellus fuit capitaneus constitutus, qui die tercia Decembris de Ianua recesserunt.

Insuper anno eodem mense Iulii galee 7 mercatorum Ianuensium venientes de Romania, dum in partibus de Coronexi essent ad remos, viderunt galeas quatuor Venetorum per Templarios pro custodia insule Cipri armatas, in quibus erat armamentum sex galearum tam de hominibus quam de paramentis. Habebant enim in Cipro duas galeas, quas etiam ex predictis armare debebant. Dicte quidem Venetorum galee extra Veneticum erant ad velum cum vento oportuno eisdem; et cum galeas Ianuensium a longe vidissent, veli et arboribus festinanter ad terram calatis versus galeas Ianuenses diverterunt. Capitaneus vero galearum hominum Ianue unam de galeis suis versus eas transmisit cum certis mandatis, ut scirent que et quorum essent dicte galee, atque ad quas partes pergere intendebant. Cumque per ambas partes, cuius essent utreque galee, fuisset narratum, salutatione hinc inde facta et promissis servitiis ut moris est in talibus, galee Venetorum se semper armabant et muniebant se et suas galeas omnibus necessariis tamquam contra inimicos pergentes, portas galearum cum acutis firmantes, et semper versus galeas Ianuensium cum festinantia remigantes. Ianuenses similiter se preparantes ad pugnam, via sua recta semper tendebant. Veneti vero prodas[67] galearum suarum versus galeas Ianuensium semper tenentes, et non in suo viagio nec etiam viam aperientes Ianuensibus ut est moris quia pauciores debent pluribus portare honorem, se ad invicem instraverunt, et in modico tempore, et quasi absque aliqua pugna, fuerunt capte Venetorum galee, ac in ipsis mortui homines 300 et plus. Quibus captis, et recollectis hominibus Venetorum qui se in mari proiecerant, restituerunt eisdem omnia que potuerunt invenire de rebus ipsorum, ac libere permiserunt abire eosdem; quamvis, ut ipsi aperte narrabant, crederent omnes divites esse; non enim credebant Ianuenses ullo modo eis posse resistere, eo quod in ipsis erat armamentum sex galearum, de quo mirabiliter confidebant. In adventu vero galearum, quem fecerunt in Ianua, sapientes graviter doluerunt; et missis fratribus Predicatoribus pud Venetias, retulerunt eisdem, qualiter homines Ianue de his que acciderant condolebant, et quod eis placeret ambaxatores ex utraque parte ad locum communem insimul convenire pro his et aliis controversiis vertentibus inter dicta comunia. Sicque ambaxatores ex utraque parte quatuor apud Cremonam mense Septembris insimul convenerunt cum duobus fratribus Predicatoribus ex utroque conventu, ibique per menses circa tres continue commorantes et tractatibus ex utraque parte datis non potuerunt ad invicem concordari. Veneti a suo

67) i. e. proras.

tractatu in aliquo recedere noluerunt, quamvis nostri post suum euntes in pluribus, aliqua licet pauca exceptare volebant. Sicque per instrumentum publicum facta denunciatione per ambaxatores comunis Ianue ambaxatoribus Venetorum, quod paratum erat comune Ianue observare treuguam initam et ab utraque parte iuratam usque ad tempus determinatum in ea, que quidem per annos circa duos et dimidium durare debebat, et etiam si quid contra eam factum erat in aliquo, quod parati erant omnia emendare prout continebatur in ea. Et ipsi respondentes, quod super his instructi non venerant, sed dux et homines Venetiarum erant sapientes et facerent prout eorum consilio videretur. Recesserunt igitur de Cremona, et veloci itinere in vigilia natalis Domini Ianue pervenerunt. 1293.

Homines vero Ianue die secunda post natale Domini habuerunt magnum consilium et aliorum plurium vocatorum, in quo homines mille convenerunt et plures, et processus per ambaxatores factus narratus; ibidem plenarie determinatum fuit, unum hominem in continenti cum uno notario Venetias transmittendum, qui supradictam denunciationem iterum faceret duci et comuni Venetiarum, et de hoc fieri facere publicum instrumentum ac ab eodem duce et hominibus Venetiarum scire deberet aperte et clare, si ipsi volebant eandem usque ad tempus contentum in ea servare an non, et que contra eam per eos iam factum fuerant[a] emendare; nec in V... etiis ultra dies quatuor moram traheret ullo. Qui partivit de Ianua die 6. Ianuarii. Ipsi ...am Veneti iam armaverant galeas 14 magnas velut taridas, sub spe transmittendi eas cum mercatoribus et mercibus in Ermenia et Cipro; que de Venetiis recesserunt penultima die Decembris. Quibus de causis post reditum nostrorum ambasciatorum una galea peroptime fuit armata in Ianua, que in Sicilia, Romania, Cipro, Ermenia et alibi ubicumque Ianuenses essent in partibus orientis omnia predicta narraret, et faceret manifesta. Que die 9. Ianuarii recessit de Ianua, sed in Civitate-vegia die 24. dicti mensis fortuna temporis est passa naufragium. Qualem autem responsionem habebit nuntius supradictus a Venetis et processus utriusque comunitatis, scribentes post me in hoc opere poterunt in scriptis redigere.

Cum autem adhuc guerra Pisanorum duraret, et difficile recuperaretur pecunia pro galeis armandis, ordinatum fuit, quod omnes homines Ianue intus et extra solverent de cetero usque ad guerram finitam solidos decem pro quolibet capite, et ultra solidos tres per centenarium de suo dispendio, ita quod alicui pervenire ultra libras sex non posset. Insuper rex Karolus antedictus et rex Castelle et rex Aragonum in Navarra apud Grognum insimul convenerunt de mense Iulii in festo beate Marie Magdalene pro faciendo concordio inter eos; quod ad effectum perduci non potuit, licet antea diutius esset tractatum de ambarum partium voluntate.

De mense vero Decembris apud Figeriam[68] prope Perpignianum rex Karolus et rex Aragonum iterum convenerunt; ibique per triduum loquentes ad invicem, duobus tantum militibus eisdem ex utraque parte adiunctis, die 7. dicti mensis concordarunt ad invicem pactis et modis omnibus, preter ipsis ignotis que debebant esse omnibus manifesta, cum papa esset creatus in Roma, qui ea confirmare debebat; que quidem scribentes post me in hoc opere poterunt in scriptis redigere tempore oportuno.

Cum autem precedenti anno ordinatum esset per consilium Ianue, quod petitiones et oblationes domni regis Karoli ac etiam petitiones per comune Ianue factas eidem deberent ad consilium maius et vocatorum per compagnas reduci de mense Decembris, hoc ideo factum non fuit, quia eius nuncii eas non dimiserunt in scriptis. Immo dictus rex Karolus ad suum concordium cepit intendere, ut superius est scriptum. Si ergo Catalani et Siculi ex prima sententia, quam ambaxatores dictorum regum acceptabant, suspicionem cepissent quam merito habere debebant, et ex hoc in terris eorum Ianuenses cepissent, guerra remansisset comuni, sine eo quod dicti reges essent hominibus Ianue in aliquo obligati; per quod potest esse posteris in exemplum, quod omnes principes et barones facta sua semper faciunt cum credunt sibi tempus adesse, et ideo non possent civitates ab eis nimium sibi cavere, ut in corde suo potest quilibet sapiens cogitare.

Dicto quoque anno domnus Simon de Grumellis miles ac nobilis civis Pergamensis in capitaneum populi Ianuensis iam electus, venit honorifice ad suum regimen in festo beatorum apostolorum Simonis et Iude.

55 a) fuerat 2.

68) Figueras.

1293. Hoc quidem anno due galee mercatorum, de Palermo venientes de mense Decembris, propter temporis contrarium apud Caput Vie quod est in insula Elbe per duos dies steterunt, nullam in se habentes custodiam. Cum autem in terra non possent descendere, redierunt die tercio retro apud insulam Parmarole, ubi tota die in terram morantes, post completorium recollegerunt se in galea in se non habentes custodiam aliquam nec etiam arma parata. Unde accidit quod galee due et unus galionus et barche 6 Pisanorum, que erant in insula Elbe cum equis et militibus quos in Sardiniam deportabant, condicionem galearum nostrarum videntes et per exploratores scientes, subito circa horam campanarum irruerunt in ipsas. Ianuenses vero exstantes inermes et credentes plures esse galeas, dimissis prodisiis et ancoris, acceptis remis arripuerunt fugam. Ex quibus una non permisit se investire, immo quam plures ex galea Pisanorum qui eandem insequebantur cum balistis vulneravit ac etiam interfecit. Alia vero galea statim per eos investita capta fuit, in qua fuerunt mortui . . . et capti . . . Valebat enim dicta galea circa libras octo milia Ianuinorum. Sicque ut dicit Vegetius[a] de re militari, nimia securitas fuit mater detrimentorum. Nam si in se custodiam habuissent et arma parata, non solum evasissent ab eis, immo pro certo easdem cepissent. Credebant enim Pisani, quod essent galee Ianuensium que venirent de maritima grano et ordeo oneratas, ut postea retulerunt.

Anno insuper eodem Lucenses Florentini Senenses et alie civitates de societate Tuscie pacem inierunt cum comune Pisarum, ita quod omnia castra Pisanorum que per homines Tuscie capta erant, remanserunt eisdem ex pacto, et etiam in eadem multas franchisias habuerunt. Exules vero eorum redire in civitatem debebant; qui timore Gibellinorum plures ex eis, videlicet iudex Galuri et Vicecomites et heredes comitis Ugolini et Opizenghi, noluerunt redire; immo dicti heredes in Sardinia guerram cottidie ipsis et eorum sequacibus inferebant viriliter et potenter.

Fuerunt autem armate in Ianua per comune hoc anno galee 21 et galioni 5 ut superius est narratum per ordinem; que licet constiterint comuni pro eis armandis circa libras . . . . preter panaticam et alia in eis necessaria, quasi nihil ceperunt, quoniam Pisani ipso anno non fuerunt ausi intrare in mari, nisi forte pauci cursales. De galeis vero omnibus et galionis armatis a tempore guerre citra usque in hodiernam diem est summa 627, sicut vidi et certissime didici. Alique forte galee armate fuerunt etiam pro comuni dicto tempore, de quibus mihi memorie non occurrit, et ideo eas non redegi in scriptis.

Cognoscat autem ventura posteritas, quod his temporibus civitas Ianue divitiis et honore maximo coruscabat, et terre omnes et civitates ac loca riparie a Monacho usque Corvum et etiam ultra Iugum eidem obediebant in omnibus tamquam maiori et matri; ac in terra et mari pre aliis civitatibus Italie honore, potentia et divitiis coruscabat, quam Dominus omnipotens in his et maioribus semper de cetero conservare dignetur ad suum sanctum servitium et honorem. Nam quolibet anno a tempore guerre citra armabantur etiam in Ianua galee 50 usque in 70 per mercatores euntes in Sardiniam, Siciliam, Romaniam et ad Aquas mortuas pro torsellis, atque ad alias mundi partes; et hoc durabat quasi continue a medio mensis Februarii usque ad medium mensem Novembris et ultra, quas singulas in scriptis redigere legentibus tedium generaret. Armabantur etiam in Ianua quolibet anno galee et galioni in maxima quantitate per homines Ianue pro lana, boldronis[69] et aliis mercibus deferendis apud Motronum, que singula scribere esset difficile, nec etiam michi bene memorie posset occurrere. Colligebantur etiam a navigantibus euntibus et redeuntibus denarii 4 pro libra, qui in dicto fuerunt venditi pro uno anno tantum in publica callega libris 49,000 et plus. Redditus etiam comunis Ianue et pedagia et alie callege fuerunt vendite dicto anno in publica callega dictis denariis quatuor computatis libris 110,000, sine eo quod per comune Ianue singulis annis percipitur de venditione salis, quod est librarum 30,000 et plus. Quamvis autem his temporibus civitas Ianue in tanta esset sublimitate potentia divitiis et honore, nichilominus tamen in civitate et extra homicide malefactores et iustitie contemptores e contrario multiplicare ceperunt. Nam tempore dicti potestatis malefactores quam plurimi gladiis et iaculis se ad invicem die noctuque percutiebant et etiam perimebant. De quo sapientes Ianue unanimiter condolentes, super his celebrato consilio generali die 29. mensis Ianuarii, elegerunt in eo 18 viros providos et discretos, quibus

a) Vgetius 2.

69) saccis coriaceis.

dederunt plenam licentiam et bailiam usque ad mensem unum duraturam, et plus ad voluntatem consilii, ordinandi in omnibus que spectarent ad bonum statum civitatis Ianue et totius districtus. Et potestas teneretur precise deducere ad effectum, que per eos vel per duos sive duas partes eorum super his foret decretum. Homines etiam de albergo Spinulorum et Aurie sua spontanea voluntate, pro bono statu civitatis Ianue et totius districtus, et ne reputarentur cupidi habere huiusmodi officia, renunciaverunt in dicto consilio non recipere nec habere potestatiam aliquam seu castellaniam in districtu Ianue usque ad annos quinque proxime venientes. Dicti vero 18 sic electi processerunt ad id in quo fuerint ordinati, et quam plura de bonis comunis per aliquos occupata fecerunt reducere in comuni, prout plenarie continetur in actis scriptis manu Lanfranci de Vallario notarii 1294. mense Ianuarii et Februarii[70]. Et postea subsequenter, que per scribentes post me in hoc opere poterunt in scriptis redigi ad memoriam futurorum. 1293

Verum cum Dominus omnipotens noster pacem precipiat, et humiles exaltet et potentes de sede deponat, conveniens est et decens, quod Ianuenses omnes sermone et operibus dignas laudes et gratias agant altissimo Creatori, qui dignatus est civitatem Ianue tot et tam graves iniurias modernas et antiquas illatas Deo et hominibus Ianue, ac etiam convicinis eorum in Tuscia, in terra et in mari, vindicari, et sua fluentissima largitione in tanto exaltare honorare ac etiam sublimare multitudine personarum, habundantia divitiarum et fortitudine animi, magnanimitate, victoriis, strenuitate merite dignitatis, quod antecessores nostri minime meruerunt. Qui enim cogitabit potentiam civitatis Pisane in terra et mari, que in superbiam elata more gigantum in celum ascendere se putabat, quot homines utriusque sexus, quantamve pecuniam, quantum navigium, quantum mobile, quot castra et loca amiserit, quantamve oppressionem, penuriam, ruinam et stragem, incendium et cedem, epidimiam, desolationem et confusionem infra civitatem et extra, in terra et in mari sustinuerint, flamma fameque ferroque, ex eo quod sola superbia comuni Ianue guerram movit, ipsis Ianuensibus semper guerram vitantibus, ut in annis precedentibus plenius est narratum: deberet quilibet sapiens mirabiliter dubitare guerram incipere vel movere, maxime absque legitima causa et iusta. Indubitanter enim credebant Pisani Ianuenses in brevi deprimere et quasi ad nihilum reducere, et tamen est nostris temporibus inauditum, quod aliqua bona civitas fuerit per aliquam aliam civitatem solam in tam parvo tempore sic oppressa, ut fuit civitas Pisana per homines Ianue divino faciente iudicio, sicut est in annis precedentibus plenarie redactum in scriptis. O mira[a] circa homines Ianue tue pietatis dignatio! O felix Pisanorum superbia, ob quam civitas Ianue tanta est potentia sublimata et decorata honore! O altitudo sapientie, bonitatis, iustitie et potentie Dei! quam occulta sunt iudicia tua et investigabiles vie eius. Multas quidem et antea largitates et innumerabilia beneficia accepit a Deo civitas Ianuensis, pro quibus nihil dignum ellegisse cognoscimus.

Precemur ergo omnes humiliter et devote Deum patrem omnipotentem, ut Ianuensem civitatem letificet, et eam quiete temporum concessa assidua protectione regere gubernare et conservare dignetur. Sit libera a iugo cuiuslibet servitutis, et alium impugnationis incursu, et totius nequitie purgata discessu. Letare igitur tu civitas Ianuensis, quoniam tempus bellorum et pacis usque huc feliciter peregisti[b], et hec et alia[c] cognoscas a domino Deo tuo, non tuis[d] meritis potentia vel virtute, sed potius ipsius[e] bonitate tibi fore largita. Nec ex ipsis in superbiam ullatenus extollaris, sed eidem sacrificium laudes et gratias offerre non cesses, quoniam potestate virtutis sue de nihilo cuncta creavit, et ab eo mundi totius elementa procedunt, per ipsum etiam cuncta firmantur, et proficiunt universa; per ipsum reges regnant, et potentes scribunt iustitiam; per ipsum persequebatur unus mille, et duo fugabant decem milia. Quia vero annum sexagesimum vite mee explevi, et senio ac longa infirmitate corporis sum gravatus, de cetero huic operi instare non possum, ut tanto negotio expediret; et ideo ipsi operi presentialiter finem impono, petens a legentibus veniam, ut si quid forsitan pretermissum est propter ingenii mortalis exiguitatem, vel in aliquibus ignorantia mea hoc infecit opusculum, saltem legentis bonitas illud sanet et compleat; quoniam multo utilius est pauca idonee effundere, quam multis inutilibus homines pregra-

a) magne Deus *addit editio.* b) peragisti *c.* c) alie *c.* d) meis *c.* e) *vox deest, lacuna c.*

70) Exemplum est castri Calvi in insula Corsicae m. Febr. revocati. Libr. iur. II. p. 305. W.

1293. vare. Finaliter autem obsecro cronicam hanc legentes, ut in remunerationem pro me intercedant ad dominum Iesum Christum, qui vivit et regnat in secula seculorum Amen.

---

1294. Anno a nativitate Domini 1294. die sexto decimo Iulii. Egregius vir multa honestate et scientia preclarus Iacobus Aurie, huius operis laudabilis consecutor, coram nobilibus viris dominis Iacobo de Carcano potestate comunis Ianue, Simone de Grumello capitaneo populi, abbate populi et antianis eiusdem civitatis continuationem operis cronice ab eodem feliciter ordinatam presentavit. Qui videntes, dictum opus optime fore compositum, consuluerunt, laudaverunt et decreverunt prefatum opus in presenti cronica vinculari, dictum virum multipliciter de tanto opere et sic bene et vere composito collaudantes.

Ego Guiliermus de Caponibus notarius, presentationi predicto consilio et decreto predictis interfui et scripsi.

---

*Ad pag. 16. lin 37—41 et 52—55: Non quidem Cafari relatio anni 1123 de negotio Romae peracto, sed charta tantum in tabulario Ianuensi extat, qua pactum die Iunii 16. anni 1121 ab eo conclusum habetur; quam a V. Cl. Michaele Canale tabulario transscriptam mihique petenti transmissam hic subiicio:*

1121. Iun. 16. Convenit inter fideles domni papae et Ianuenses Capharum et Berizonem, qui ex parte consulum et civitatis suae pro negotio Corsicano ad curiam Romanam venerant: Predicti cives Ianuenses sacramento firmaverunt in anima sua et consulum suorum, se centum usque ad festivitatem sancti Martini Romam reversoros, paratos persolvere curiae Romanae mille quingentas marcas argenti, ad opus domni papae mille ducentas et curiae trecentas, in auro et argento et monetis, ut tredecim solidi Papiensis monetae, seu valens, solvatur pro marca. Et quinquaginta uncias auri Romanis clericis, qui cause huic assensum praebeant et auctoritatem. Et consules seu legati eorum qui tunc Romam venient, sacramento firmabunt, quod si pro causa hac a Pisanis guerra Romanae increverit ecclesiae, bona fide Romanam iuvabunt ecclesiam, et per se guerram facient, nec pacem, nec treguam, seu guerram recredutam facient sine data parabola domni papae Calixti vel catholici successoris eius. Haec omnia servabunt bona fide, sine fraude et malo ingenio, sine impedimento maris vel in itinere captione, quibus[a] transactis conventionem totam persolvent. Et impresenti quingentas marcas argenti pro hac causa curiae persolverunt. Petrus[b] vero prefectus, S. Normani, L. filii Leonis, C. Fragapane pro se et fratre suo Leone per missum suum Gentilem de Franco iuraverunt, si Ianuenses ista compleverint, quod domnus papa Calixtus Corsicanis episcopis privilegium faciet[c] sub anathemate sine fraude cum episcopis et cardinalibus, scilicet consecrationem eorundem episcoporum nec ipse nec successores eius Pisanae nec ulli concedent ecclesiae, set soli Romanae conservabunt ecclesiae. Idem etiam domnus papa consecrationem episcoporum de Corsica Pisanis publice interdicet, et electos eiusdem insulae ad se venientes, si digni inventi fuerint, consecrabit. Haec conventio assensu et licentia domni papae facta est sub praesentia Petri Portuensis et Azonis Aquensis episcoporum, et cardinalium Iohannis Sancti Grisogoni, et Petri Sanctae Mariae in Transtiberim; laicorum vero Petri Leonis et Octaviani fratris prefecti et Niccolai de Ancilla Dei. Et quod prenominatae personae super hoc deliberarent, domnus papa sese servaturum promisit. Actum est hoc ante ecclesiam sanctorum Cosme et Damiani in Silice, 16. Kal. Iulii, anno dominicae incarnationis millesimo centesimo vigesimo primo, pontificatus domni papae Calixti secundi anno secundo.

† Ego Cafarus et Berizo talia sacramenta et tales promissiones Romae fecimus pro comuni nostrae civitatis: Domno papae marcas argenti 1700, de quibus iam habemus datum ei 500, quas mutuavimus de Romanis cum labore de quatuor quinque; cardinalibus vero et episcopis una cum quibusdam laicis marcas argenti 300; presbiteris et clericis uncias auri 50, Petro Portuensi episcopo uncias auri de tarinis 303, de quibus iam habet 25, per unciam solidos 10 Papiensis monetae, quas mutuavimus cum labore de quatuor quinque cum sacramento, sicut Romani, quorum est pecunia, scriptum habent[d]. Petro vero Leonis marcas argenti 100, de quibus iam habet 50, quas debemus reddere Romanis cum supradicto labore. Filiis Petri Leonis marcas argenti 55. Leoni Fragapane 40. Praefecto marcas argenti 100. Episcopo Aquensi libras denariorum Papiensium, qui modo Papiae currunt, 100. Hoc totum per sacramentum firmatum est a Cafaro et a Berizone. Sine sacramento per nostram promissionem uxori Petri Leonis prasinam[71] 1 et Petro Leonis niellum unum et gariofolos et alia servicia. Stephano Lormano marcas argenti 25 de praedictis 300 marcis, quod minus habuerint, promisimus adimplere. Galo de Cognone iuravimus per mensem dare per unumquemque hominem solidos 20, et ad galeam libras 20, postquam de fuce Romana[e] exierint; et postquam Ianuam venerint unoquoque homini denarios 2 per diem; et debemus racionare, quod datum habemus Colono capitale et proficuum, scilicet libras 14 veteris monetae Papiensis, quas mutuavimus cum labore de quatuor quinque, et sunt 10 de Guglielmo Cilloblanco et 4 de Gilio Romano, istas 4 per sacramentum. Ego Cafarus iuravi in anima consulum Berizoni libras 70 dare aut valens, postquam Ianuam venero ad 20 dies, nisi remanserit verbo uxoris eius aut socrus eius .......

a) capti due questus *c.* b) P. *c.* c) facient *c.* d) habet *c.* e) roma *c.*

71) i. e. smaragdum.

# ANNALES MEDIOLANENSES.

A. 1154—1230.

*Inter fontes historiae saeculi duodecimi quorum nonnisi vestigia restant, adnotationes eo tempore Mediolani factas locum praecipuum obtinuisse putaverim. Quas quidem lapsu temporis intercidisse eo magis dolendum, quo civitatem illam potentia et rebus a civibus gestis atque cladibus aeque ac victoriis illo aevo insignem nemo ignorat. Unus rerum Mediolanensium compilator Radulfus vocatus a Muratorio luci datus est, cuius libellum hodie codice Muratoriano iterum evoluto et novis subsidiis adhibitis restitutum emendatumque proponere licet. Sunt autem haec:*

1. *Codex bibliothecae imperialis Parisiensis numero* 4931 *insignis, membranaceus in* 4°, *duos codices plane diversos continet, quorum prior manu Itala saeculo XIII. scriptus est, posterior alia Itala saeculi XIV. manu exaratus fol.* 117—197 *Iacobi de Voragine duodecim libros cronicae Ianuensis a Iano ad annum* 1297 *exhibet.*

*Prior codex opera diversa complectitur, manu scribae minus periti ex libris antiquioribus nec ipsis valde correctis transscripta, scilicet fol.* 1—56 *Iohannis Codagnelli chronicon de mundi aetatibus*[1], *Bethmanno nostro auctore magna parte ex continuatore Paulli diaconi Laurentiano fabuloso haustum*[2]. *Folio* 57 *sequitur notitia de condita Constantinopoli* Post ascensionem *etc., tum versus nonnulli de herbis et notitia de tumultu Placentiae a.* 1090 *mense Februario*[3]. *Foliis* 58—70 *legitur Libellus tristicie et doloris sive gesta Friderici I. imperatoris in Lombardia annis* 1154—1177, *auctore Mediolanensi, imperatoris adversario. Foliis* 70'—105 *Annales Placentini a.* 1012—1235 *auctore quodam Placentino Guelforum parti addicto. Fol.* 105'—107 *Gesta Federici imperatoris, scilicet historia expeditionis eius in terram sanctam et obitus. Fol.* 107'—115 *Gesta obsidionis Damiate a.* 1218. *Fol.* 115'. 116 *summa legum Longobardorum* Hic liber lex Longobardorum nuncupatur — et diversis penis coercendis; *fabulosa Gambarae notitia et regum subsequentium usque ad Heinricum III. nullius pretii. Folio* 116 *alia manu prophetiae Fridericum II et pontifices concernentes inscriptae sunt. Codice ipso et antea Parisiis et hodie Berolini uti nobis licuit.*

1) Incipit: *Quattuor sunt aetates, aurea, argentea* etc. Auctorem Iohannem Caput agni seu italice Co d'agnello versus produnt mox sequentes:

*Continet iste liber gestarum plurima rerum*
*Hoc citra tempus latuit quo terra sub undis*
*A Codagnello seriatim dicta Iohanne;*
*Que sicut fuerunt, iste perstrinxit in unum,*
*Etas inde sequens ut colligat utilitatem.*

Vel sic:

*Universarum fuit olim tempus aquarum,*
*Ex quo cuncta fere sunt hec que gesta fuere,*
*Et sunt hec annis Caputagni scripta Iohannis*
*Que sic perstrinxit et in uno tempore finxit.*

2) de quo vide Archiv X, 378. 379.

3) v. infra in Annalibus Placentinis.

Quaestio utrum omnes hi libri eundem auctorem agnoscant, an ex diversis fontibus a scriba quodam in unum volumen transscripti sint, haud magnam difficultatem praebet. Nam primum Iohannes ipse Codagnellus nonnisi libri de aetatibus mundi auctorem se dicit, nec reliqui libri cum isto unum quasi corpus efficiunt, sed ordine fortuito unus post alterum scripti ad diversos auctores, liber de calamitatibus Lombardiae a. 1154—1177 ad civem Mediolanensem eius aevi, annales Placentini certe ad civem Placentinum anno 1235 superstitem referendi sunt, ea tantum affinitate coniuncti, quod omnes ab authentico, quantum iudicare licet, transscriptorum negligentia vel arbitrio plus minusve recedunt. Quod quidem reliquis rei testibus in causam vocatis ultra dubium veniet. Libellum tristitiae et doloris, de quo hoc loco sermo erit, quicumque composuit, se ea quae viderit et veraciter audiverit ad posterorum utilitatem scribere profitetur eo animo, ut Lombardi experientia edocti lites suas internas componant unitisque viribus se de Theutonicis defendere discant. Hunc animum, Friderico imperatori et Theutonicis infestum, libello praefatus et denuo historiam anni 1157 exorsus exprimit, et miseriarum eius temporis particeps[4] toto opere comprobat. Scripsit igitur mox post annum 1177, dum odium diuturno bello natum adhuc vigebat nec pace Constantiae et curia Mediolanensi anni 1186 restinctum erat. Textus tamen qualem codex noster praebet, non solum plurima eaque gravissima vitia et menda praefert, sed omissis haud raro integris sententiis et narrationibus et sententia authentica immutata[5] ab authentico recedit. Eiusmodi textus quum nonnisi probis subsidiis admotis emendari potuisset, feliciter contigit quod

Annalium Placentinorum auctor Gibellinus, quem ex codice Musei Britannici Harleiano saeculi XIII. infra dabimus, libello ipso usus magnam eius partem in textu suo recepit, quem emendando et supplendo textui adhibuimus. Nam Placentino illi codex ad manus fuit a nostro plane diversus sed ei tamen similis textu, quique praeter libellum tristitiae historiam expeditionis Friderici in terram sanctam exhibuisse videtur. Cui accedit

2. Codex bibliothecae Braydensis Mediolani celebris signatus AF. 9. 30. chartaceus saeculi XVII. qui ita inscribitur: Historia Sire Raul suum temporum. Incipit ab anno 1154 usque ad 1200. Praefatio libri et textus in universum cum codice primo consentit, sed in singulis saepissime ab eo discedit, alia omittit, alia inserit, alia diverso modo profert, in fine anni 1177 notitiam de inundatione Lombardiae atque maiorem historiae expeditionis Friderici in terram sanctam partem subiicit, atque notitiis Mediolanensibus annorum 1201, 1202 et 1230 subiecta quoque Alexandri III. epistola encyclica de electione sua scribendo finem facit. Epigraphe libri: Qui fecit hoc opus, Sire Raul nomine dictus. Textus a Muratorio SS. Ital. VI, 1173—1196. editus vitiis haud paucis laborat, quorum pars maior codici recenti et corrupto, pars exscribentis[6] negligentiae tribuatur necesse est. Quare codice aestate huius anni a Philippo Jaffeo nostro cum editis collato, nobis aliqua editionis vitia tollere, atque de auctore libri paulo certius iudicium ferre licuit. Radulfi liber non ut editor primus putavit usque ad annum 1203, sed vere ad finem anni 1230 protenditur[7]. Libellum, ut Muratorius docuit, saeculo decimo quinto exeunte Tristanus Calchas historicus

4) e. g. tempore famis in Mediolano obsesso. 5) e. g. in describenda fame Mediolanensium, ubi alterius codicis lectio autorem ipsum ante oculos ponit. 6) Philippi Argelati et Palatinorum sociorum cura librum detectum et exscriptum sibique traditum fuisse Muratorius scribit. 7) cui termino nec inscriptio libri adversatur, in qua 1200 maior numerus loco 1230 usitatur, quo modo saepissime „millesimus“ pro multo posteriori anno, e. g. 1160, 1283, 1360 et alia eiusmodi scribi solet.

*Mediolanensis sub oculis habuit*[8]; *ideoque si inscriptione et epigraphe testibus Sire Raul pro auctore eius habendus est, ipsum ab auctore libelli tristitiae et doloris diversum habeamus necesse est, quomodo ab ipso et Iohannem Codagnellum et Mutium Modoetiensem diversos fuisse intelligimus.*

*Quum igitur trium codicum Parisiensis, Londinensis et Mediolanensis auctores, quorum nullus ab alterutro pendet, iisdem fere subsidiis, praecipue libello tristitiae et historia expeditionis Friderici I in terram sanctam usi sint, Londinensi quem infra integrum exprimimus, et Mediolanensi ita usi sumus, ut eorum ope vitia Parisiensis tollere et lacunas eius explere conaremur, notata praecipua textus praesertim Mediolanensis varietate et subiecto textu expeditionis Friderici I integro et fragmentis annalium Mediolanensium a scriptore Mediolanensi libello suo insertis adnexisve.*

# I. LIBELLUS TRISTITIAE ET DOLORIS.

LIBELLUS ISTE NUNCUPATUR LIBELLUS TRISTITIE ET DOLORIS, ANGUSTITIE ET TRIBULATIONIS, PASSIONUM ET TORMENTORUM. CUIUS LIBELLI HEC SUNT CAPITULA.

1. *De obsidione Terdone ab imperatore Federico.*
2. *De eius destructione a Mediolanensibus et Placentinis.*
3. *De laboribus et expensis in ipsa civitate rehedificanda.*
4. *De constructione multorum locorum a Mediolanensibus.*
5. *De destructione multorum castrorum et locorum Placentie.*
6. *De castris circa triginta in valle de Lugano a Mediolanensibus captis et constructis.*
7. *De pontibus mirabili opere super Ticinum constructis et factis a Mediolanensibus.*

[7b. *De castris et locis factis a Mediolanensibus in Lumilina usque Gravadonum*[a].]

8. *De castro de Vigevano capto a Mediolanensibus. De militibus et peditibus Papie fere omnibus captis a Mediolanensibus.*
9. *De rehedificatione castri de Lomello a Mediolanensibus et ipsius loci mantenendo.*
10. *De adventu imperatoris secunda vice in Lonbardiam.*
11. *De preliis multis factis circa Mediolanum a Mediolanensibus.*
12. *De obsidione facta ab imperatore et fere ab omnibus militibus et peditibus civitatum et locorum Lonbardie circa Mediolanum.*
13. *De preliis innumerabilibus, tormentis et laboribus factis in ipsa obsidione.*
14. *De pace et concordia facta inter imperatorem et Mediolanenses in ipsa obsidione.*
15. *De obsidione Creme ab imperatore ad inductam Cremonensium contra voluntatem Mediolanensium.*
16. *De laboribus factis in ipso loco a Mediolanensibus.*
17. *De ipsius loci Creme reditione imperatori.*
18. *De guera iterum incepta ab imperatore.*
19. *De obsidione facta a Mediolanensibus circa castrum Carcani et de bello facto tunc inter imperatorem et Mediolanenses.*
20. *De segetibus et leguminibus et numidis et vineis guastatis ab imperatore in terra Mediolani et circa civitatem.*
21. *De doloribus et laboribus habitis a Mediolanensibus in ipsa obsidione.*
22. *De urbe Mediolani reddita imperatori.*

a) *huic indici nullum in contextu caput respondet.*

8) „Narrat ille, Muratorius scribit p. 1170, ad annum 1161. Lib. X, Histor. Mediolan. ex obsidione per Fridericum Aenobarbum continuata laborasse iam Mediolanensem urbem commeatuum inopia. Quamobrem consules advocatis ex singulis parochiis binis viris, rerumque necessitate exposita, decem et octo elegerunt, videlicet ternos ex singulis portis, quibus ea cura demandata est. E quibus unum se fuisse nominatum inter auctores nostros Syre Raul scribit. Cuius cognominis raritate excitatus, observavi in aede Portiana tabulam marmoream ad hunc modum inscriptam: IOANNES RAVLE DE BVSTI ARSICIO OBIIT M. CCC. XI. IANVARII.“

23. *De proditione a quodam concive Mediolani Iordano Scacabarozio nomine facta.*
24. *De civibus Mediolani relinquentibus civitatem et positis in burgis.*
25[a]. *De destructione Terdone a Papiensibus auxilio imperatoris facta.*
26. *De civitate apud Sanctum Columbanum facta.*
27. *De coniuratione facta in marchia contra imperatorem.*
28. *De rehedificatione civitatis Mediolani.*
29. *De adventu imperatoris in Lonbardiam.*
30. *De rehedificatione Terdone a Placentinis et Obizone Malaspina.*
31. *De obsidione Alexandrie.*
32. *De pace facta apud Castigium inter imperatorem et Lonbardos.*
33. *De prelio de Legnano inter imperatorem et Mediolanenses.*
34. *De pace facta per Alexandrum papam inter imperatorem et Lonbardos.*

## GESTA FEDERICI IMPERATORIS. DE REBUS[b] GESTIS IN LONBARDIA. PROLOGUS ISTIUS LIBELLI.

Licet impar operi et non sufficere posse videar, pro facultate ingenii tamen ea quae vidi et veraciter audivi, ad utilitatem posterorum[c] scribere temptabo; maxima enim succedentium versatur utilitas, cum ex praecedentibus didicerint nocitura cavere[d]. Siquidem diligens lector si ea quae scripta invenerit attente perspexerit[d'], ne quandoque[e] in similem incidat iacturam vitare curabit. Miserae itaque Longobardiae[f], quae saevitiam et inmanitatem Romanorum primum, Vandalorum, Gothorum, Winilorum, Francorum, Ungarorum, Theothonicorum est experta, oppressionem et insolitam subiectionem, maxime Mediolanensium obsessionem proditionem atque destructionem[g] breviter narrare studebo.

Et tu, quisquis eris, cupiens audire libellum,
Sis memor istorum breviter quae dixerit auctor.
Exime tortores videlicet atque dolores.
Ergo corde tene, quae perlegis, ut bene vites.
Nam levius[h] laedit, quicquid praevidimus ante[i].

1154. Oct. 1. Anno itaque[k] dominicae incarnationis 1154 mense Octubris intravit rex Fredericus, homo industrius sagacissimus[l] et nobilissimus[m], Longobardiam[n] cum magno exercitu. Et tunc Mediolanenses cum Papiensibus erant in guerra, quae coepta erat medio[o] mense Iunii[p] ante. Venit ergo conscilio accepto, ut Longobardos miro modo subiugaret. Et[q] cum sibi videretur neccesarium alteram partem eligere, utilius duxit parti[r] Papiensium adhaerere, ne si[s] Mediolanensium partem amplexus[t] esset, altera parte Longobardiae subiugata, Mediolanenses qui fortiores erant rebelles existerent. Ficte ergo, ut ex subsequentibus apparuit, apud Roncalias[u] et[v] inter eos pacem teneri praecepit, et captivos sibi ab utraque parte reddi iussit. Et cum venisset apud Landrianum, redditos sibi captivos Papiensium dimisit, Mediolanensium[w] vero ligatos ad equorum caudas[x] trahens[y] secum[z] per lutum duxit; quorum alii fuga, alii peccunia redempti liberati sunt. Et ibi pistores et alii negotiatores, qui* portaverant exercitui necessaria, expoliati nudi dimissi sunt. Deinde venit Roxate, quorum bona abstulit, et postea villam[a] et castrum succendit[b]. Et inde recedens transivit Ticinum, et pontes quos Mediolanenses hedificaverant destruxit, et circa castrum de[c] Galiate, quod erat archiepiscopi, et quod erat quatuor turribus et muro ab ymo[d] fossati[e] vallatum[f], tentoria fixit[g] et obsedit, donec funditus extirpavit[h]. Destruxit etiam castra et villas Momi[i] et Trezate[k]; et inde discedens, transpadavit.

1155. Febr. 14. Et quarta decima die mensis Februarii, qui erat 1155, cepit obsidere Terdonam. Mediolanensium vero quidam[l] milites circa centum et sagittarii ducenti intraverunt in eam ad defendendum eam, et[m] ex eis fuerunt mortui[n] Ugo Vicecomes, Ianinus Maynerius[o]

a) *ante praecedentem indiculum collocat codex.* b) *ita Annales Placentinos secutus emendavi;* urbe 1. c) *deest* 1. d) dicer̃ nocit̃ carere 1. d') prosp. e) quando 2. f) longobardiā 1. g) maxime M. o. p. a. d. *desunt* 1. h) *ita correxit Bethmann;* legimus 1. i) *versus desunt* 2. k) *deest* 2. l) sagatissimus 2. m) fortissimus 2. n) lonbardiam, lonbardos *passim* 1. o) in 2. p) iulii 2. q) *deest* 1. r) *deest* 1. s) *deest* 1. t) amplius 1. u) ronchalias 2. 3. v) *deest* 1. w) mediolanenses 2. x) caudam 2. y) *deest* 2. z) *deest* 1. *) qui — Roxate *exciderunt in* 1. a) vilam 1. b) successit 1. c) *deest* 1. d) uno 2. e) fossato 2. f) velatum 1. g) finxit 1. h) e. et d. etiam 2. i) monti 2. k) trecate 2. l) quidem 2. m) et sex ex 2. n) m. videlicet 2. o) *ita* 2. 3. Lavinus Marmorius 1?

Albertinus de Carate, Lanfrancus de Curte[a] et[b] Rogerius de Sancta Maria, et multi alii fuerunt mortui et vulnerati. Deficiente autem aqua et vino, reddiderunt se 18. die mensis Aprilis interventu[c] ab abbate Bruno[d] de Caravale de Bagniolo[e], cui promiserat quod civitatem in suo statu stare permitteret. Data autem fiducia civibus et extraneis exeundi cum hiis quae portare poterant, alii egressi sunt, alii remanserunt in [i]maiori ecclesia. Rex vero cum exercitu suo intravit[f], et eam ad fondum[g] usque destruxit, quoniam peccunia accepta a Papiensibus ut id si facere posset ad effectum perduceret, pacto[h] tenebatur; praefatus vero abbas nimio dolore atque tristitia tentus, infra triduum mortuus esse fertur. 1155.

Eodem quoque tempore Mediolanenses miserant ducentos milites et totidem pedites, ut exercitum offenderent; et morabantur in Morasco et in Serzano et in Garbagina et in ceteris[i] locis Terdonensium et marchionum Malaspinae.

2. Destructa Terdona castra metatus est in prato[k], quod dicitur ducis, iuxta Placentiam. Mediolanenses vero miserunt milites et pedites duarum portarum, videlicet portae Cumanae et portae Novae, ad succurrendum et defendendum eam, 6. Kalendas Madii praedictae incarnationis. Apr. 26. Rex vero cum non posset facere quod optabat, discedens inde adhiit Romam, et ibi ab Adriano[l] papa coronatus et imperator factus est. Postea reversus est ultra montes. Iun. 18.

Cum autem rex a Placentia discessisset, ducenti milites et ducenti pedites, quorum mentionem supra habuimus, qui missi fuerant ut exercitum qui obsidebat Terdonam quoquomodo[m] offenderent et impedirent, primo die Madii ascenderunt montem[n] Terdonae cum aliquibus Terdonensium minus tamen quinquaginta; et cum ibi morarentur, Papienses gravissimo dolore perterriti, cum omni sua forcia equitaverunt, et iuxta pontem qui dicitur Petri sua posuerunt tentoria. Set[o] cum ibi ad pugnam vellent ascendere, Guillelmus marchio Montisferrati publice, ne ad bellum procederent, dedit eis conscilium dicens: *Quid inconsulti et insensati cogitatis? putatis[p] quod in Longobardia sint meliores et forciores illis? Siquidem de melioribus quos Mediolanenses habebant electi sunt; praeterea[q] Gamundienses et Berguliensese et multi alii cum illis sunt.* Sed hoc ideo dicebat, quia de voluntate eius erat, ut civitas rehedificaretur; et hoc modo dissuasit[r] eis, et reversi sunt unusquisque in domum suam. Cum autem milites et pedites duarum portarum, qui erant adhuc Placentiae, hoc audissent, timuerunt[s] de fratribus suis, et duplomate[t, 9] usi venerunt Terdonam, et milites et pedites qui occupaverant montem[u] miserunt domum, et ipsi baldaciter[v] steterunt[w] ibi per quindecim[x] dies et obpugnaverunt Sallam[y] et fere[z] ceperunt eam. Postea missae sunt duae aliae portae, porta Romana et porta Horientalis, per terram Placentinorum et[*] marchionum[a] Malaspinae, quos Mediolanenses infinita peccunia quaesierant, et aliae duae reversae sunt. Morantibus autem[b] ibi porta Romana et porta Horientali, Papienses iterum collegerunt infinitam multitudinem gentium, qualem nec antea nec postea habuerunt, et in pratis quae dicuntur de fabrica iuxta Terdonae montem tentoria sua posuerunt. Militibus[c] vero istarum portarum revertentibus de Frascenda[d] causa ducendi[e] mercatum; atque orta discensione inter consulem Maragaliam[f] et Ugonem Pasciluctо[g], velocius[h] cepit Maragallia cum[i] vexillo suo contra Papienses equitare. Cepto autem ingenti proelio in capite burgi Terdonae, qui est iuxta montem, Mediolanensibus terga dantibus[k], Papienses utpote[l] fortiores persecuti sunt eos usque in civitatem, et fere una cum illis intraverunt; et multos ex eis occiderunt[m] et multos ceperunt, quam plures vero vulneraverunt, et papiliones et alia tentoria, quae extra civitatem in montem erant et in burgo, habuerunt. In quibus tentoriis multos roncinos et multos palafredos[n] et multas loricas et ocreas et galeas, quae non potuerunt Mediolanenses propter repentinum proelium induere, et etiam argentea vasa et peccuniam numeratam[o] et multam supellectilem conprehenderunt et habuerunt. Cum autem sero factum esset, Papienses descenderunt et venerunt ad tentoria sua, et reffecerunt se. Mediolanenses vero non potuerunt corpora sua reficere, aqua et vino et

a) Cruce 3; L. de C. *desunt* 2. b) et R de S. M. *desunt* 3. c) interveniente 2. d) Brund 1; Pruno 2. e) Caravalle de Paguolo 2. f) i. in eam 2. g) solum 2. h) pactum 1. i) Horasco .. Sarrano .. Garlimia ... certis 2. k) imperator 1. l) Hadriano 2. m) quomodo 1. n) montes 2. o) set — ascendere *desunt* 1. p) Et p. 2. q) praeterea — sunt *desunt* 2. r) suasit 2. s) *deest* 1. t) duplamante 2. u) montes remiserunt 2. v) *i. e. audacter*; blandaciter 1. w) miserunt 1. x) quinque 1. y) montem 1. z) fecerunt e. 1. *) *deest* 1. a) marchionem 1. b) *deest* 1. c) custodibus 2. d) frasceda 2. e) ducenti 1. f) margaliam 2. g) de pasciluco 2. h) Velius 1. i) maragalliam 1. k) comgaudentibus 1. l) In ponte 1. m) et m. ex e. o. *desunt* 1. n) palafrenos 2. o) innumeratam 1.

9) ovectione.

1155. aliis sibi victualibus deficientibus. Tota tamen nocte vigilaverunt et laboraverunt, hedificantes, caementum[a] murum et alia obpugnacula construentes. Mane autem facto Papienses bellum induxerunt, et maximam pecuniam ei qui primus civitatem ingrederetur, se[b] daturos publice promiserunt. Et cum fortiter pugnassent, resistente eis Dei misericordia, quae Mediolanenses[c] ipsa et praecedenti die defendit[d], optinere non valuerunt. De Mediolanensibus[e] tamen in ecclesiam[f] multi fugerunt, quorum nomina ad eorum ignominiam scripta fuerunt. Et sic cum gaudio et letitia[g] Papienses recesserunt.

Mai. 26. Cum vero Mediolanenses qui erant in civitate hoc audivissent, die sabbati ad vesperas consules portae Ticinensis et portae Vercelinae militibus et peditibus[h] praeceperunt ut cito fratribus suis vulneratis et obsessis auxiliarentur. Qui altera die[i] iter capientes, die Mai. 29. Lunae circa vesperas fuerunt apud Placentiam. Die Martis castra metati sunt in pratis de Mai. 30. Cruce. Die Mercurii qui erat 3. Kalend. Iunii, in pratis que sunt inter Serzanum et Orasco[k] ospitati sunt, ubi nec aquam nec vinum habuerunt nisi illa[l] secum in vasculis portaverunt. Die Iovis ad horam tertiam intraverunt destructam Terdonam[m] civitatem, et invenerunt fratres suos inbecilles et languidos, alios ex vulnere, alios ex alia corporis infirmitate, quoniam vestibus expoliati a frigore capti febricitabant: et illi videntes eos, gavisi sunt gaudio magno valde.

Infra paucos dies Papienses tertio congregaverunt[n] gentes quas habere potuerunt, et tentoria sua in villa que dicitur Oria posuerunt; et armati ceperunt messes[o] Terdonensium depopulari. Militibus autem et peditibus portae Ticinensis et portae Vercelinae ad conflictum descendere volentibus, ceteri aliarum duarum portarum dissuaserunt eis dicentes: *Nolite ad bellum proficisci, quasi de nobis fiduciam et spem aliquam habentes. Nullum enim patrocinium vobis[p] praestabimus; quia plures sunt et fortiores quam vobis[q] appareant.* Sed hoc dicebant timentes vulnera et cedes, quas de manibus eorum fuerant perpessi. Hoc audito non fuerunt ausi descendere; quod[r] si descendissent[s], finem guerrae inposuissent.

3. Reversi itaque Papienses[t] domum, et conscilio inito[u] miserunt milites et pedites Iun. 19. eodem mense in nocte festivitatis sanctorum Protasii et Gervasii, ut Setezanum[v] oppugnarent et caperent; sed pauci milites Mediolani praesenserunt et ante lucem ibi fuerunt, et invenerunt eos iam castrum circumdasse[w] et ingenti clamore sunt eos aggressi. At illi terga dantes fugerunt, et Mediolanenses persecuti sunt eos usque ad Pontem-longum et ultra, et ex eis centum pedites occiderunt et ducentos ceperunt. Milites vero eorum relictis peditibus fugerunt.

Reversae porta Romana et porta Horientalis a Terdona Mediolanum, aliae duae steterunt ibi usque post festum sancti Iohannis baptiste, et ceperunt rehedificare civitatem, et circumdederunt eam muro qui manet usque in hodiernum diem. Siquidem milites cum equis suis sabulum de ripa Scriviae[x] duxerunt, pedites vero calcem a[y] Sancta Maria in Scutabis[z] inde[*] portabant. Illis autem domum remeantibus[a], consules Mediolani duxerunt illuc octingentos milites quibus pro unoquoque soldos quadraginta dederunt in mense usque ad quatuor menses.

4. Interea consules Papiensium submiserunt qui[b] dixerat se daturum[c] illis castrum de Pozolo pecuniae[d] interventu. Cum autem diem et horam statuissent, Mediolanenses et Obizo marchio Malaspinae ad recipiendum castrum fiducialiter equitaverunt, et ante solis ortum ibi fuerunt. Sed Papienses ante eorum adventum non longe a castro[e] insidias posuerant, et ingenti clamore in eos insurrexerunt, et[f] ipsos in fugam conversos Papienses persecuti sunt usque in pratis de Fabrica, et ducentos fere milites ceperunt, et plures cepissent nisi quedam nebula eis obstitisset[g]: nullus tamen ibi[h] fuit mortuus, nec marchio tentus[i], quia privaciori itinere et inusitato cum aliquibus descendit. Cum vero[k] ceteri[l] milites qui remanserant Terdonae suos persequi vidissent, citissime de monte descenderunt et occurrerunt obviam illis; et cum Papienses vidissent illos, ceperunt fugere; et ipsi persecuti sunt eos dum usque recupaverunt[m] de suis multos, et de fugitivis[n] ceperunt ultra

a) crementium 1. b) *deest* 1. c) mediolanensibus 2. d) affuit 2. e) melioribus 2. f) ecclesia 1. g) tristicia 2. h) et p. *desunt* 2. i) altarut 2. k) sarzanum et horascum 2. l) aliqui 2. m) *dee* 2. n) collegerunt 2. o) meses 1. p) *deest* 1. q) nos apparent 1. r) qui 2. s) d. pro certo f. 2. t) pedites 2. u) unito 1. v) septorianum 2. w) circumdedisse 2. x) scrinie 1. y) ad sanctam mariam 1 z) scultabis 2. *) in die 1. a) remanentibus 1. b) qui dicerent 2. c) daturos 2. d) pecuniae — Obizo *desunt* 1. e) castello 2. f) atque 2. g) hostitisset 1. h) *deest* 1. i) teretus 1. k) *deest* 1. l) certi 2. m) recuperauerant 1. n) fugientibus 2.

ducentos et captos miserunt Mediolanum. Et ipsi remanserunt ad guardam, secundum 1155. quod ipsis fuerat iniunctum; et post terminum eorum alia bona guarda subrogata est per totam yemem et per totam fere[a] aestatem, et rehedificaverunt civitatem Terdonae propriis[b] communis Mediolani expensis, et pulcriorem[c] quam nunquam aliquis viderit. Eodem anno sexto die Novembris missa fuit porta Romana ad hedificandum pontem super[d] Ticinum Brinate. Aliae per ordinem subrogatae sunt, et levaverunt ibi[e] pontem.

5. Sequenti vero aestate mense Madii porta Horientalis et porta Romana et porta 1156. Mai. Ticinensis directae sunt ad Stabium[f] et cum prederiis[g], quas magister Guiratelmus[h] fecerat, castrum illud quod erat fortissimum et quod ex nulla fere parte expugnari[i] poterat, summa vi ceperunt et destruxerunt, quasi aliis tribus portis invidentes, quod[k] paulo ante castellum de Civasso[l,10] et turres violenter et quasi desperate[m] ceperant. Eodem tempore consules Mediolani miserant[n] legatos suos[o] Brixiam ut consilium ab eis postularent; et ipsi dederunt eis ducentos milites et pedites quosdam expensis Mediolanensium. Congregato itaque exercitu suo Mediolanenses Idus Iunii qui est tercio decimo die mensis incarnationis 1156. Iun. 13. ceperunt ire Ceredanum, et secunda die circa castellum illud sua posuerunt tentoria[p], et ita circumdederunt, quod nullus poterat intrare vel exire. Castellum illud ab ymo fossati muro et turribus erat vallatum[q]; et cum testudine[r] et predariis[11] expugnaverunt illud, et in castello erant milites et pedites Novariae[s] et Papiae. Secundo[t] die ceperunt illud ita violenter, quod multi proposuerunt mortem saluti. Et tunc erant Papienses et Novarienses[u] cum omni eorum forcia supra Tardubium prope Sozagum[v], et premiserunt[w] quosdam milites exploratores. Quorum unus a quodam cliente vocatus, castra intravit et[x] ad papilionem consulum mirabili vino sipho[y] argenteo potatus est; et rediens fidem et sapientiam atque curialitatem Mediolanensium, cum vidisset, quod nemo eorum erat ausus contra inimicos castra exire, mirabiliter laudavit. Cum vero Papienses et Novarienses vidissent castellum succensum[z], relictis plaustris quae portaverant[*] cibos et arma, fugerunt. Mediolanenses tamen hoc ignorabant[a]; et inde discedentes de castro destructo Ceredano et capto Sozago castra metati sunt circa[b] Morgengum[c]; et multi volentes intrare castellum, necati sunt in fossato, et tamen violenter ceperunt illud: et tunc reddita fuit eis terra[d] de Mommo et Mosezium[e] et Fara[f], et alia loca sunt eis reddita, et reversi sunt domum novem diebus cum magno triumpho.

6. Et ea[g] aestate de mense Augusti[h] tres portae, videlicet porta Vercelina et porta Cumana et porta Nova, ascenderunt et intraverunt vallem de Lugano, et ceperunt ibi et[i] circa partes illas[k] viginti[l] fere castella, et tunc tres portae quae domi remanserant fecerunt in campis Videgulfi cum Papiensibus mirabile proelium; et Papienses primo recesserunt.

7. Mense Novembri proximo ceperunt tres praedictae portae hedificare pontem supra Ticinum inter Abiate et Cassiolum[m]; et steterunt ibi per tres ebdomadas. Aliae tres postea subrogatae sunt. Et tunc erat frigus mirabile et nix magna[n], et sic steterunt ibi per totam yemem et per totam quadragesimam et hedificaverunt, praesidente operi magistro Guitelmo[o], pontem[p] pulchriorem[p] latiorem firmiorem[q] et fortiorem quam unquam aliquis[r] vidisset[s].

## DE[t] MISERIIS ET ANGUSTIIS LONBARDIAE PASSAE AB IMPERATORE FEDERICO.

8. Ad memoriam pariter et noticiam Lonbardorum reducere volentes miserias[u] angustias tribulationes et tormenta quae gesta sunt in Lonbardia ab imperatore Federico, ad utilitatem posterum scribere[v] temptabo. Maxime enim succedentium versatur utilitas, ut cum aliquis vir prudens ea quae scripta invenerit et attente prospexerit et audierit, in animo et

a) *deest* 1. b) p. et communibus Mediolanensium c. 2. *male*. c) et fortiorem q. unquam fuerit 2. d) supra T. ad B. et aliae portae p. 2. e) *deest* 2. f) Stabulium 2. g) con prederis 1. h) guglielmus 2. i) expugnare 1. k) quae 2. l) c. cum vasto 1. m) disperate 2. n) miserunt 2. o) *deest* 2 p) castra 2. q) velatum 1 r) testeris 2. s) N. et *desunt* 1. t) et tamen tertia 2. u) et N. *desunt* 1. v) Forzagum 1. w) prom. 1. x) *deest* 1. y) *ita* 1. 2. *i. q.* scypho. z) succussum 2. *) qui portaverunt 1. a) ignoraverunt 2. b) iuxta 2. c) morengum 1. d) turris 2. e) mosezum 2. f) faroa 2. g) Eadem 2. h) iulio 2. i) ibi et *desunt* 1. k) *deest* 1. l) ingenti 1. m) cassiolium 2. n) maxima 2. o) guglielmo 2. p) *deest* 1. q) *deest* 2. r) *deest* 1. s) eo tempore *addit* 2. t) De — studebimus. A. d. i. *desunt* 2. u) miseras c. v) s. t. M. c. *desunt in c., sed ex superioribus repetenda.*

10) Chiasso prope Comum. 11) i. e. petrariis.

mente sua reponat, ne in consimilibus et in virtute et potestate Theothonicorum incidere possit; ideoque[a] cum breviter poterimus narrare, per ordinem aperire studebimus.

1157. Anno dominicae incarnationis 1157. de[b] mense Iunio[c] Mediolanenses congregato exercitu militum et peditum et totius gentis eorum et cum ducentis militibus Brixie qui erant ad expensas communis Mediolani, Ticinum transierunt, loca, castra, villas et segetes Papiensium inimicorum eorum destruere et depopulari conburrere et exulcare proponen-
12 tes[d]. Prima vero die albergati[12] sunt circa Casiolum; et tunc Papienses milites et pedites et marchio de Monteferato et Obizo Malaspina et comites et marchiones usque in septem intraverunt castellum de Vegivano, ut illud defenderent et manutenerent. Secunda die castra sua posuerunt iuxta Tardubium relinquentes post se castellum de Vegivano, simulantes illud velle derelinquere; et tertia die castra metati[e] sunt ad Gamborate, et illa castra ceperunt et penitus destruxerunt. Postea quoque iter eorum versus castrum de Vegivano in quo Papienses milites et pedites cum supradictis marchionibus et comitibus causa defendendi aderant, direxerunt; et tunc constituerunt Guidonem comitem de Brandrate praeesse exercitui. Qui illico praemisit omnia plaustra cum carotio et cum peditibus et cum omni gente eorum intrinseca et extrinseca; et in alia sclera[13] milites omnes qui non erant de aliqua societate cum sagittariis et balestariis. De aliis omnibus militibus duas fecit acties[14], unam scilicet de militibus qui erant in societate Bivare, in qua ipse erat; in alia autem milites Brixie. Et planissime per campaneam asclerati[15] paulatim depopulando incedentes cum vexillis et signis innumerabilibus una sclera aliam sequebatur. Sed primo sclera militum, qui non erant de aliqua societate, cum sagittariis et balisteriis praeibat. Papiensium[17] et alii qui in eorum[f] expeditione erant, egressi sunt de castro obviantes eis, ut eos qui primo praecedebant provocarent ad bellum. Qui cum vidissent, quod proelium non possent evitare, quasi furore accensi insultum super eos facientes, prosternendo et conculcando eos usque in fossato castri, et de eis plus centum ceperunt: alii qui evasere, milites et pedites, intus castrum se recluserunt[g]. Nulli alii de militibus Mediolani interfuerunt. Et ea die Mediolanenses omnes castris suis burgum de Vegivano circumdederunt, ita quod nemo poterat egredi vel intrare; et cum per aliquot dies eos obsedissent et intus illud castrum eos clausos tenuissent, deficientibus eis victualibus reddiderunt castellum in virtute Mediolanensium. Qui iuraverunt[h] stare praecepto magistri Guitelmi, et super hoc dederunt ducentos obsides quos Mediolanenses eligere voluerunt praeter comites et marchiones; et habuerunt tunc in eorum virtute et potestate fere omnes milites et pedites Papiae. Et eo tempore Mediolanenses potuissent Papiam destruxisse, sed conscilio quorumdam virorum sapientium de eis misericordiam habuerunt.

9. Destructo itaque castello cum magno triumpho reversi sunt ad propria, restaurantes
18 Brixiensibus omnia dampna quae passi fuerunt. Postea[18] vero Papienses deierati sunt, recusantes attendere et adimplere praecepta magistri Guitelmi. Quo facto cum Papienses noluissent attendere et observare praecepta magistri Guitelmi, de mense Augusti quinque portae Mediolanensium ultra Ticinum equitaverunt privatissime, ita quod ab aliquo nesciebatur quo ire vellent. Sola porta Ticinense pro custodia domum remansit. Et castra metati sunt ad Lomellum, et rehedificaverunt illud castrum, et steterunt ibi per mensem unum; et mense illo ceperunt et destruxerunt castella et loca Papiensium usque Gravadonum. [Nuntiatum[i] autem fuit tunc Lixiae[19] consuli, quod Cremonenses volebant transire Adduam et expugnare Mareum. Et ipse cum militibus portae Ticinensis perrexit Laude, et misit pro militibus Cremae, qui fuerunt ibi ipsa die. Cum essent ibi, altera die prima feria ad horam tertiae nuntiatum est iterum eis, quod Papienses veniebant Landrianum. At illi cum festinatione venerunt illuc, et invenerunt eos prope locum; et illi visis hostibus recesserunt, cum eis contendere ausi non fuerunt.] Eodem die Cremonenses transierunt Aduam; viderunt quandam pulverem ex grege bestiarum levatam, cogitantes quod Mediolanenses advenirent, indecenter fugerunt; proposuerant enim terram Mediolani castra, loca et villas conburere et devastare. Hoc ita facto, quinque portae qui erant ad Lomellum

a) *vocem inserui; sententia est:* ideoque ea quae sequuntur, quam breviter p. n. p. o. a. studebimus. b) *deest* 2. c) iunii 2. d) *ita Ann. Plac.*; proposuisse 1. e) castramentati *hic et passim.* f) eius *c.* g) excluserunt *c.* h) *ita corr. Bethmann*; intraverunt *cod.* i) Nuntiatum — fuerunt *habet solus* 2.

12) herbergen i. q. *castra metari.* 13) i. q. scara. 14) i. q. acies. 15) i. e. scariti, ordine quisque suo. 17) scil. milites. 18) hic cf. Ann. Placentinos. 19) in loco Lesa ad lacum maiorem.

reversae sunt domum, relinquentes ibi bonam custodiam, et castrum illud[20] egregie muro et terragio[21] et aliis munitionibus rehedificaverunt et praeparaverunt, et per totam yemem et aestatem illud custodire fecerunt. Innotescat legentibus et audientibus, quod Mediolanenses hedificando turres et muros et castella Galiate et Trecate et montem Marrum et montem Oldrati et Maleum et Cavacurtam et Cornu, rehedificantes Terdonam et Lomellum, construentes pontes super Ticinum et Aduam, et supradicta custodiendo, insuper custodientes in montaneis partibus rochetam de Leuco et turres Ardengorum et Orognium[a] et Coparam, ripam sancti Vitalis, Aronam et alia multa loca, fossata faciendo circa civitatem quod postea in pernicie[b] est versum, expenderunt ultra quinquaginta milia marchas argenti. 1157.

10. Post haec 1158. sexto die mensis Iulii imperator Federicus secunda vice venit in Lonbardiam, ad partes scilicet Veronae; et inde transiens per loca venit Blancanugam; et habebat in suo exercitu regem Boemitarum, et ducem et episcopum, et alios duces et marchiones comites et episcopos et abbates de partibus Theothonicorum innumerabiles. Mediolanenses vero putabant quod per pontem stantem deberent Aduam transire; sed spe sua fuerunt decepti. Invento ergo vado ad Cornelianum, Aduam transierunt; sed in ipso fluvio necati sunt ex eis plures ducenti. Transacto itaque fluvio castra sua circa Tricium[c] posuerunt. 1158.

11. Mediolanenses vero cum ignorarent exercitum imperatoris Aduam transisse, miserunt quosdam milites in ripa Adue. Sed cum fuerunt ad Grogonzolam, invenerunt Boemitas et Theothonicos currentes per villas et loca et campos levantes predam. Et fugati sunt Mediolanenses, et capti fuerunt ibi Alcherius de Vicomercato et Robacastellus et alii quam plures, et multi vulnerati sunt, quos imperator, vir nequissimus, statim fecit suspendere eos. Reversi sunt itaque Mediolanenses ad civitatem cum tristitia et dolore maximo. Sed tunc non erat oculus nec aliquis tam ferae et crudelis naturae, qui potuisset lacrimas continere, qui videret infirmos, languidos, debiles, senes et claudos et feminas de partu cum parvulis suis, et alios multos viros et feminas, cum rebus eorum mobilibus per campos et villas et de loco ad locum fugere. Capto itaque Tricio, castra mentatus est imperator apud Melegnianum; et in ipsa die circa vesperas[d] prelium magnum factum fuit cum Mediolanensibus[e]. In quo prelio mortuus fuit comes Adelpertus et multi alii Theothonici de melioribus exercitus imperatoris.

12. Post haec vero quinto die mensis Augusti imperator congregatis militibus et peditibus Parmae, Cremonae, Papiae, Novariae, Astensium[f], Vercellarum, Cumarum et Pergami, et Blandatae[g], Bergulii, Gamondi, Marenghi, Marchagii[h] et aliorum multorum locorum trans Padum[i]; item congregatis comitibus, marchionibus, capitaneis et aliis viris nobilibus totius Lonbardie; item militibus civitatum et burgorum et opidorum Lonbardie coadunatis, Lucarenghi[k], Burgundienses, Vicentini et Trivisani et Paduani, Veronenses, Ferarienses, Ravenates, Bononienses, Regenses, Mutinenses et Brixienses; et congregatis militibus civitatum Tuscie, et sagittariis et balesteriis predictis omnibus et multis aliis congregatis, sexto die mensis Augusti imperator castra sua in brolio Mediolani posuit. Qui milites fuerunt apretiati quindecim milia; peditum et aliorum virorum non erat numerus. Archiepiscopus Collonensis tentoria sua prope Sanctum Celsum posuit; imperator in solarolio templi de brolio morabatur; et alii principes et civitates circa Sanctum Dionisium. Rex vero Boemitarum cum duce et[l] episcopo in monasterio sancti Dionisii et circa[m] tentoria sua posuerunt. Aug. 5. Aug. 6.

13. Cogitaverunt autem Mediolanenses ea die quod possent Boemitas superare, quia castra eorum a castris aliorum modicum[n] erant separata. Egressi de civitate post vesperas[o] mirabiliter cum eis sunt preliati, et maximum prelium cum eis fecerunt, et multi ab utraque parte sunt mortui et vulnerati. Imperator autem cum exercitu suo ad civitatem aggressus est; sed turris quedam lapidea[p], mirabili modo constructa erat in via que vadit Melegnianum, ante portam Romanam iuxta domum infirmorum, que vocabatur arcus Romanus, quoniam quatuor arcus inferius habebat, et dicebatur, quod Romani, qui subiugaverant

a) et Orognium *inserui ex* 2; *siquidem decem fere litterarum spatium relictum in codice* 1. b) pervia 1. c) Ticinum 1. d) circa vesperas *addit* 2; *desunt* 1. e) fuit in partibus Congredae 2. f) *addit* 2. g) P. Oblandate 1. h) Marchaghii 1. i) t. P. *addit* 2. k) lucar. burgund. *desunt* 1. l) d. et *desunt* 1. m) et c. *desunt* 1. n) *deest* 1. o) p. v. *desunt* 1. p) *deest* 1.

20) Lomellum. 21) terrasse.

1158. Mediolanum, in signum victorie eam hedificaverant. Quam turrem Mediolanenses proposuerant manutenere et defendere, et custodiam in eam posuerant. Sed bello publice ab imperatore incepto dum obpugnaretur porta Romana et porta Tonsa, qui[a] ipsam turrem custodiebant, timore perteriti illam imperatori reddiderunt; et de hoc Mediolanenses maximum timorem habuerunt. Imperator illico super eam fieri fecit predariam, et cum illa predaria illos, qui erant in castello ligneo, quod erat super pontem fossati, fugabat. Sed postea Mediolanenses fecerunt super pontem onagrum[22] mirabilem, et cum ipso fregerunt perticam illius predarie que erat super ipsam turrem, et illos qui erant in ipsa turre descendere coegit[b]. Interea milites Mediolani quandoque de civitate egrediebantur, et auferebant scutiferis exercitus roncinos; et tot auferuntur, quod roncinus vendebatur quatuor 23 soldis tertiolorum[23] in civitate. Post[c] haec proelium maximum factum fuit ad portam Novam; et accenderunt pontem qui erat super fossatum, et Mediolanenses omnes intus clauserunt, et quosdam ex eis in fossato necaverunt; quidam a turba oppressi cum intrarent portam mortui sunt. Sed postea eum clamor civitatem intras et, viriliter restiterunt et ignem qui pontem accenderat restinxerunt[c]. Post haec proelium magnum iterum factum fuit ad portam Romanam; et tunc Theothonici et multi alii militum infestabant urbem Mediolani; et tunc proiecerunt quendam pontem magnum et amplum super fossatum civitatis, per quem conati sunt intrare civitatem. Quem pontem Mediolanenses conbusserunt et quam plures in civitate clauserunt, et multi in fossato necati sunt; et quidam opressi a turba, cum intrarent portam, mortui sunt.

14. Cumque imperator vidisset civitatem hoc modo per vim nullo modo habere nec superare posse, quosdam viros religiosos de pace conponenda tractare fecit. Et tunc facta est pax et concordia inter imperatorem et Mediolanenses hoc modo: scilicet quod civitas Mediolani et fossata omnia civitatis et districtus in suo statu permanere et stare debeant; et imperator[d] cives omnes urbis Mediolani et totius districtus eorum cum omnibus possessionibus et rebus eorum manutenere et custodire et defendere debeat[e]; et quod non possit eos cogere ad potestatem accipiendam; et cum veniret in Lonbardia, non deberet stare ultra tres dies in terra Mediolani. Et Mediolanenses convenirent ei dare et facere ea omnia, quae aliquis imperator a centum annis infra[f] habuerat et habere consueverat. Et pro hac concordia Mediolanenses dederunt ei trecentos obsides de melioribus et nobilioribus urbis Sept. 7. a duodecim annis supra et viginti infra[g]. Septima autem die mensis Septembris haec concordia facta fuit. Altera vero die cum Mediolanenses vellent imperatorem mansuescere, et ut omne decus et omnem honorem imperatori inferrent, in festivitate beatae Mariae egressi sunt de civitate discalciati cum nudis ensibus in manu, et cum archiepiscopo Oberto et cum alio clero cum crucibus in manibus, et reddiderunt se ipsos et civitatem ut praedictum est imperatori. Et ipse eos simili modo recepit et etiam nomine pacis obsculatus fuit archiepiscopum et rectores Mediolani, et statim Mediolanum de banno extrasit, et Papienses qui erant in civitate Mediolani in carceribus, et erant mille quingenti, reddere fecit; et praecepit et statuit, ut firma pax exinde teneretur per totam Lonbardiam. Insuper Mediolanenses posuerunt vexillum imperatoris in turre maioris ecclesiae, quae altior erat omnibus[h] Lonbardie.

15. Imperator vero dato exercitui comiato, perrexit Bolzanum cum tota familia sua, et ibi stetit per octo dies. Postea ascendit Modoetiam[i], et ibi moratus est plus octo diebus, et ibi fecit concordiam cum Martensibus[k] et Sebriensibus[l] data eis maxima pecunia, et sic derelinquerunt Mediolanum cum quibus iuraverant[m] et federati[n] erant. Et statim imperator dedit eis comitem Gozonum[o] quem de illis civitatibus[p] statim investivit. Post ea descendens inde perexit Tricium, et in eo posuit centum milites quibus praeposuit Conradum de Monte[q] et Rodegerium[r]. Et inde ivit Cremonam[s], et postea ad partes Montis Ferati accessit, et ibi remansit, et Ciriate hiemavit[t]. Cum imperator esset apud Ocimianum[24], publice precepit ut castellum Creme destrueretur, recepturus a Cremonensibus quindecim milia marchas argenti. Quo audito Mediolanenses plurimum sunt turbati et mesti.

a) quae 1. b) cogit *cod., scil* onager. c) Post — restinxerunt *desunt* 2. d) *deest* 1. e) debeant 1. f) retro 2. g) a d. a. s. et v. i. *desunt* 1. h) aedificiis *addit* 2. i) M. caute cum Marcensibus 1. et — concordiam *suggessit* 2. k) marcensibus 1. l) scribensibus 1. m) intraverant 1. n) innumerabilibus parentelis coniuncti 2. o) gozionum 2. p) comitatibus 2. q) Maze 2. r) Rodegericum 2. s) *hic plura desunt, cf. Ann. Placent.* t) et C. h. *desunt* 1.

22) machina lapidibus iaciendis; v. infra. 23) moneta Mediolanensis, fortasse aquila minori signata. 24) Auximianum in territorio Vercellensi.

Dum autem haec fierent, praedictus Cunradus et Rodegerius[a] nuncii imperatoris coe- [1158.] perunt possessiones Mediolanensium, quas habebant in partibus Adduae[b], perturbare et depopulari, et fodrum tollere, et alias impressiones et exactiones in personis et rebus rusticorum et civium facere usque[c] ad plebem de Segrate. Interea mense Ianuarii misit [1159.] imperator Rainaldum canzelarium et Ottonem comitem palatinum Mediolanum, dicentes [Ian.] eis ex parte imperatoris, ut potestatem Theothonicam acciperent; quod facere non debebant, secundum quod continebatur in privilegio facto inter imperatorem et Mediolanenses. Quod audientes Mediolanenses, furore magno sunt accensi, et sonitum et strepitum cridantes super eos fecerunt. Unde nuncii imperatoris valde timuerunt, et propter timorem comes in nocte recessit. Summo autem mane mirabilis multitudo militum in broleto sancti Ambroxii fuerunt ante predictum canzellarium, pollicentes et volentes iurare stare mandatis suis et domni imperatoris. At ille bona dedit verba, sed ficte[d] loquebatur. Huius autem tumultus occasionem prestiterunt Martinonus Malaopera, Azo Bultrafus, Castellus de Ermenulfis[e]. Ab illo autem die predictus canzellarius animosus[f] summoque nixu[g] operam dedit Mediolanum delere.

Post haec imperator abiit Bononiam, et sollempnia pasce celebravit ibi. Die autem Iovis festorum pasce Mediolanenses banivit et eos hostes coronae iudicavit, licet eos non [Apr. 16.] requisierit. Et cum audisset Tricium obsideri, tribus diebus venit ad montem Gezonis qui dicitur Laude; et cum audisset captum Tricium, usque ad mortem doluit. Mense autem Iulio proximo, tertio aut quarto die anno dominicae incarnationis 1159. coepit obsidere [Iul. 3.] Cremam.

16. Et Mediolanenses miserunt in eam quatuor centum pedites et milites quosdam, quibus dabant expensas, et miserunt consulem unum cum eis Manifredum[h] de Dugniano, et cum eo erant de militibus Opizo de Mandregniano[i], Squarzapars de Buxinate, Oldratus de Basilica Petri, Gasparus Mendocius, et Rogerius[k] Marcellinus et multi alii. Sed imperator non audebat adhuc assidue ibi esse, sed morabatur Laudae. Eodem autem mense, tertio die mensis, posuit insidias ad Cavagnieriam[l]; et dux Bertholdus de Zarengo[m] erat[n] cum eo; pedites Papiensium posuit in Setezano[o], de militibus misit quosdam usque Gratasoliam, alii steterunt in Gazio[p], alii ad Vicum maiorem. Interea quidam conversus[q] de Gratasolia subdole missus est a Papiensibus Mediolanum, et eius clamore et vociferatione egressi sunt milites de Mediolano et persecuti sunt eos usque ad Pontem-longum, et ceperunt milites et pedites Papiensium[r] fere omnes. Sed cum redibant, imperator egressus est de insidiis ubi latebat, et apud Setezanum fuit eis obviam, Papienses recuperavit, et de Mediolanensibus cepit milites[s] trecentos et duxit eos Laude. Postea misit eos Papiam.

17. Ab illa die coepit confidenter morari in[t] Crema, id est apud Cremam, cum fecit fieri testudinem mirabilem, qua inplebatur fossatum. Insuper fecit turrem ligneam altiorem et fortiorem et latiorem[u], quam unquam aliquis viderit; et fecit venire obsides quos habebat Cremonae, et captivos quos habebat Papiae; et de melioribus et nobilioribus circa viginti in die suspendebat extra turrim funibus ligatis humeris[v], et in quodam ligno sedebant, ut lapidibus qui iactabantur[w] ab honagris qui erat in Crema obruerentur, aut eorum timore vel amore castellum redderetur. Et cum per aliquot dies ictus lapidum sustinuissent, turri appropinquante castello ac dimissis de captivis et de obsidibus in nocte in turri, timuerunt, ne altera die caperentur. Tota ergo nocte honagris suis laboraverunt et occiderunt ex illis qui erant in turri septem, hos videlicet: Capredemalio de Pustella, Paierium de Lanpugniano, filium Azoti Citerani, filium Buze de Sancto Blatore, Presbiterum de Carusco, Turicum[x] de Bonate, Anricum de Landriano; et isti marturiati sunt ea morte, qua aliquem perisse nusquam legimus. Post aliquos vero dies cum praeparasset pontem quem proiecit a turri super munimina[y] fossati, cepit expugnare castellum, et multi Theothonicorum ascenderunt munimina; sed et contra Mediolanenses et Cremenses viriliter restiterunt, et eos violenter expulerunt; et interim pons fractus est. Altera tamen die, sexto[z] mensis Ianuarii, anno [1160.] dominicae incarnationis 1160, reddiderunt castellum et egressi sunt, relinquentes ibi [Ian. 26.]

a) rogerius 1. b) aduersis 1. c) u. ad p. de S. *desunt* 1. d) se facere 1. e) Castellinus de Lemenulfis 2. f) animosius 2. g) *i. e.* nisu; petic 2. h) maifredum 2. i) madregniano 2. k) r. m. et multi *desunt* 2. l) cauaginaram 2. m) azarengo 2. n) erant 1. o) selletiano 2. p) gaziano 2. q) perversus 2. r) *deest* 1. s) *deest* 1. t) in Crema id est *desunt* 2. u) et l. *desunt* 2. v) *deest* 1. w) iaciebantur 2. x) Turicius d. B. Anricus 2. y) miniā *cod.* z) vicesimo *excidisse videtur*.

1160. loricas et ocreas et galeas, Henrico duce Austriae eis ducatum praebente; et stetit ibi octo dies, et destruxit eam usque ad solium.

18. Sed interim dum obsideretur Crema, Mediolanenses iuraverunt cum Brixiensibus et Placentinis, et miserunt legatos ad Adrianum papam qui[a] erat in Anagnia[b], et concordiam fecerunt istae tres civitates cum eo, quod exinde non paciscerentur, vel aliquam concordiam[a] facerent cum Federico imperatore absque licentia Adriani papae vel[c] eius catholici successoris; et ita iuraverunt Cremenses. Papa quoque[c] e converso idem convenit cum eis, et convenit[d] quod ab illa die usque ad quadraginta dies excommunicaret imperatorem, qui[e] tamen non[f] iuravit. Accidit autem, ut infra statutam diem papa moriretur. Electus est autem a cardinalibus concorditer magister Rolandinus, qui propter religionem suam cepit se excusare, secundum quod canones et leges praecipiunt. Interea quidam cardinalis nomine Octavianus, cum conscilio duorum aliorum cardinalium, atque ut ferebatur conscilio Ottonis palatini comitis et Guidonis comitis de Blandate, qui tunc erant legati inperatoris missi apostolico, ex industria fecerat venustissimum[g] mantum quendam suum clericum ibi portare. Et dum Rolandus decentissime[h] et religiosissime se excusaret, Octavianus iste accepit pallium, et sibi ipsi imposuit, versatum[i] tamen, ut pars illa, quae debebat esse circa humeros, esset iuxta pedes; et ita faciendo coram illis, duxit eum ad sedem. Senatores autem ceperunt electum Alexandrum et alios cardinales, et tenuerunt eos captos in quadam turri novem diebus. Postea autem Octavianus venit ad
Febr. 11. imperatorem, qui erat Papiae; et 11. die Februarii ab imperatore in apostolicum est re-
Febr. 28. ceptus. Sed postea 3. Kalendas Martii Iohannes de Aragnio[k] cardinalis apostolicae sedis et legatus Alexandri papae in civitate Mediolani in maiori ecclesia excommunicavit cum
Mart. 12. Oberto archiepiscopo Ottavianum et Federicum imperatorem. Et postea 12. die Marcii excommunicavit episcopos Mantue, Cremone[l] et Laude, et marchionem de Monteferato, comitem de Blandate, rectores et consules Cremonae, Papiae, Novariae, Vercellarum,
Mart. 28. Laudae[m], Seprii et Martexanae. Item postea 5. Kalendas Aprilis excommunicavit Lodoxcum[m*], qui erat in Baradello, et statuit, ut omnia data quae facta erant vel exinde fierent a Federico imperatore, donec non haberet pacem cum ecclesia, vacua essent et irrita.

Mai. Postea autem medio mense Madii imperator cum exercitu suo iterum devastavit bla-
26 vas[26], legumina et linum Mediolanensium a Medilio usque Vertemate ab illa parte Lambri. Et inde rediens per alia loca, devastavit Veiranum et Brioscum, Legnanum et Nervianum
Mai. 31. et Polianum, et venit usque ad Venzagum[n] et Raude pridie Kal. Iunii; ubi cum ibat, omnes
Iun. 2. arbores fructum portantes aut incidebat aut decorciabat. Secundo ergo die mensis Iunii Mediolanenses milites et pedites accepta poenitentia[o] egressi sunt cum ducentis militibus Placentinorum qui venerant in occursum Mediolanensium ad Sanctum Romanum ad Quintum valde baldaciter cum carocero et aliis plaustrellis centum, quae Guitelmus fecerat, quae quasi ad modum scuti[p] facta fuerant, et in fronte et in giro erant circumdata incidentibus ferris factis de falcibus[q] predariis, eo animo et ea intentione, ut cum imperatore et eius exercitu dimicarent. In prima actie[27] posuerant plaustrella, in secunda carocerum cum peditibus et sagitariis, in tertia cohorte milites cum vexillis et aliis signis, quarto loco Placentinos. Sed cum imperator haec audisset, nocte surrexit et ivit ad Baradigium, Mediolanensium vires timentes. Mediolanenses vero cum fuissent ibi usque ad medium, reversi sunt in domum suam. Et imperator postea abiit ad Morimondum[r], et conbuscit domos eorum de foris[s], et blavam eorum succendit, et inde abiit Papiam.

Iul. 19. 1160. de mense Iulio Mediolanenses cum carocio et cum omni gente sua iverunt ad obsidendum castrum de Carcani, quod erat federatum cum imperatore Federico et in quantum poterat urbem Mediolani inpugnabat. Cum autem in obsidione ipsius castri permanerent, imperator Federicus cum mille militibus Theothonicis intravit in Lonbardiam.

*Cod.* 2.

Mense autem Iulio proximo tres portae, scilicet porta Vercellina et porta Cumana et porta Nova ascenderunt in Martesanam, et ceperunt Sezanam et Cornate et Herbam et Paravisinum et alia loca; et postea castra sua posuerunt circa castellum de Carcano, existimantes quod possent capere illud. Et cum stetissent ibi per octo dies, miserunt

a) qui — aliquam concordiam *desunt* 1. b) maragno 2. c) vel — quoque e *desunt* 1. d) c. c. et c. *desunt* 1. e) cui 1. f) *deest* 1. g) vetustissimum 2. h) denecentissime 1. i) *ita* 2. non sutum 1. k) *ita* 1. 2. l) *deest* 2. m) *deest* 1. m*) lodoycum? n) Verzanum 1. o) premia 1. p) sicuri 2. q) facibus 1. r) morimodum 1. s) sarachlavis 2.

26) i. q. bladas. 27) i. e. acie.

Qui festinanter collegit exercitum magnum cum marchione Montisferati et aliis marchionibus et comitibus et baronis et viris nobilibus illarum partium, et cum universa gente civitatis Papiae et cum Novariensibus et Cumanis iter suum versus Mediolanum et expeditionem direxit. Hoc audito a Mediolanensibus, valde timuerunt. Verumtamen Mediolanenses non tamquam viri timidi et pavidi sed tamquam viri summae audatiae, cives omnes qui remanserant ad civitatem, praeter illos qui remanserant pro civitate custodienda, et omnes extra civitatem comorantes venire fecerunt. Iterum imperator die ac nocte equitando cum omni exercitu suo inter civitatem Mediolani et expeditionem sua posuit tentoria, ita quod nullus cum mercato nec eciam aliquo modo ad expeditionem accedere poterat; sed divina favente gratia, altera die praecedenti ducenti milites Placentiae et totidem Brixiae in succursum Mediolanensium accesserant. Unde Mediolanenses plurimum sunt confortati et gaudio magno gavisi. Octavo die mensis Augusti, cum Mediolanenses perciperent, victualia eis deficere[a] et mercatum minime habere posse, viam fore aperiendam ferro[b] proposuerunt. Hoc ita facto et statuto, domnus Obertus Mediolanensis archiepiscopus, et Milus archipresbiter, Gaudinus archidiaconus atque Algisius cimiliarcha, et multi alii clerici qui in exercitu aderant, praeceperunt populo ex parte Dei omnipotentis et beati Ambroxii in publica concione et militibus omnibus, ut confidenter ad bellum procederent[c]; quod securiter facere debebant, quia illud castrum et eiusdem castri habitatores iura quidem et possessiones ad domnum archiepiscopum spectabant et contra ipsum sepe et sepius deierati erant, et quod iniquissimum et gravissimum videtur, et etiam deterius est, domno archiepiscopo et urbi Mediolani rebelles in quantum poterant pro imperatore existebant[c]. Celebrato itaque divino offitio, et confessione in publica concione facta et penitentia de delictis eorum accepta, agmina eorum in hunc modum construxerunt. In prima namque actie posuerunt omnes milites adholescentes usque in quadraginta annis, et fuerunt numero 1500. In secunda vero actie posuerunt omnes milites usque in quinquaginta annis, qui fuerunt similiter 1500. In tertia actie omnes milites seniores, viros nobiles et prudentes, cognoscentes temptare fortunam belli et docti bello,

Mediolanum nuntios, ut aliae tres portae sub- 1160. rogarentur. Et cum substitutae essent, et ibi paucos dies stetissent, imperator coepit congregare exercitum suum. Quo audito Mediolanenses timuerunt, et alias tres portas, quae descenderant, ascendere fecerunt. Sexto Aug. 6. itaque die mensis Augusti imperator castra metatus est ad Spigizollum. Altera die prima Aug. 7. feria ducenti milites Brixiensium intraverunt castra Mediolanensium, ut eis suffragarentur, unde valde confortati sunt. Et miserunt statim pedites portae Vercellinae burgi in castello de Orsanigo. Secunda feria castra me- Aug. 8. tatus est imperator iuxta Orsanigum et Taxariam, et usque ad latum et viam hostibus obstruxit[d] tantum, ut etiam arbores praecisas in via sterneret. Eodem die Mediolanenses castra, quae dispersa erant circa castellum de Carcano, fecerunt congregari, et poni intra Taxariam et Carcanum.

Item eodem die Obertus archiepiscopus et Milo archipresbyter et Galdinus diaconus et Alghisius cimiliarcha suaserunt populo, et ex parte Dei omnipotentis et beati Ambrosii praeceperunt eis, ut confidenter ad bellum procederent, scientes, quod Dominus esset cum illis. Summo itaque mane octavo die Aug. 8. Augusti, deficientibus eis victualibus, viam ferro aperiendam proposuerunt. Pedites vero burgorum portae Ticinensis et Pusterlae sanctae Euphemiae reliquerunt, ut castra a Carcanensibus custodirent. Pedites portae Cumanae posuerunt ad Taxariam, quia castra imperatoris a castris Mediolanensibus non distabant ibi, nisi quantum est iactum balistae.

Celebrato itaque divino officio et confessione facta et poenitentia accepta, processerunt ad bellum cum carozeno, quod in nocte fecerant. Pedites vero, quia intererat parum, statim sex quidam intraverunt castra imperatoris, et coeperunt spoliare ea. Imperator cum vidisset eos oneratos spoliis, progressus est contra eos, et de militibus et peditibus illis alios occidit, alios vulneravit, alios cepit, alios usque ad castra eorum fugavit. Carozenum quoque in fossatum proiecit, et boves eius habuit. Sed alii milites Mediolanensium, qui cum Brixiensibus ascenderant montem post castra imperatoris, aliam partem exercitus eius fugaverunt, et ex eis multos ceperunt, et persecuti sunt eos usque Montorfanum, et marchionem Montisferrati usque ad Angleriam; et reversi stabant

a) *deest* 1. 2., *supplevi ex Ann. Placentinis.* b) *item supplevi ex Ann. Placentinis.* c) precederunt 1. *Quae sequuntur usque* existebant *desunt* 2. d) abtraxit *codex.*

1160. et fuerunt 1000. Placentini quidem et Brixienses milites in una sclera iuxta populum, qui confortarent et manutenerent populum, et auxilium praestarent populo ad carocium manutenendum et defendendum. Quo facto et ordinato asclerati catervatim versus exercitum imperatoris perexerunt. Non distabat enim ab expeditione imperatoris per[a] medium miliare.

Cum autem appropinquassent iuxta castra imperatoris, tubis et aliis signis belli per partes sonantes[b] proelium incipitur. Milites vero adholescentes primo proelium cum quadam magna sclera imperatoris inhierunt. Certatur ab utraque parte gravissime et iniquissime. Multi ab utraque parte de equis sunt proiecti, et per campum huc et illuc vacillando pergentes, sub pedibus equorum vitam eorum consumaverunt. Alii ferro et ictu astarum mortui, vulnerati et semivivi in campo iacebant; tandem cum vidissent resistere non posse, terga vertentes ad carocium fugati fuerunt. Videntes autem milites qui in secunda sclera aderant, impetum velocissime sub eos facientes, ipsos quoque interficientes et capientes, usque ad scleram imperatoris eos persecuti fuerunt. Milites quidem qui erant in sclera imperatoris et omnes alii de exercitu imperatoris, credentes firmiter, milites omnes Mediolani ad bellum venisse, insultum omnes super eos facientes, ipsos vulnerantes et de equuis prosternenites, usque ad populum illos fugaverunt. Non potuerunt enim videre milites seniores prudentes et bellicosos, qui in quadam valle privatim in insidiis existebant. Imperator quoque collecta universa militia sua et cum omni exercitu suo ad expugnandum cum populo accessit, insultum maxima vi in eis faciens, viam ensibus et verberibus astarum et conculcatione equorum usque ad carocium quandoque aperiebat et faciebat. Populares vero ipsos lanceis et ensibus et lapidibus gravissime percuciebant et vulnerabant, et multos morti tradiderunt, nullo modo a carocio discedentes, sed circa eum frequentissime stantes. Milites autem Placentiae et Brixiae, populum suadentes, contra inimicos quandoque magna vi equis cum carcaribus tactis impetum facientes, ipsos percutientes et vulnerantes, in fugam longe a populo eos mittebant. Imperator exercitum militum et totius gentis suae confortando et suadendo ut viriliter pugnarent, et fortiter ad opprimendum[c] populum instabat, et per girum cum militibus et peditibus suis eos gravissime inpugnabat; sed eos a carocio nullo modo discedere poterat. Credebat enim imperator, populum et carocium et gentem totam Mediolani in sua virtute et potestate habere. Dum autem sic certarent et populum gravissime oprimerent, imperator ascendens in quodam podio cum Guidone comite de Lomello et marchione de Monteferato, et cum aliquibus principibus

Aug. 8. et baronis causa[d] bellum videndi[e], cepit imperator alta voce dicere: *Victi et* contra castra imperatoris. Cumque imperator ad castra redisset, et dixit *Obtinui:* alius respondit: *Imo victus es. Nonne vides, quomodo Mediolanenses te circumdederunt?* Remanserat enim cum ducentis solummodo militibus. Et Mediolanenses non potuerant facile descendere ad eum, tum propter naturam loci, tum propter rupes et valles, quae impedimentum praestabant, tum propter fortissimam pluviam. Et cum diu ibi stetissent, propter nimium algorem ad castra reversi sunt. Imperator autem cum exercitu suo statim iter arripuit. Sed cum Mediolanenses viderunt, cogitaverunt eum insidias posuisse et fugam simulasse: et propterea non tam cito persecuti sunt eos. Sed postea paulatim insecuti sunt eos, et multos ceperunt et multa spolia habuerunt; sequenti quoque die milites Cremonae ducenti et Cumanos et Papienses et alios: unde bene recuperaverunt omnes captivos et obsides suos, quos imperator alicubi habebat. Cumque stetissent ibi post bellum plus octo diebus, reversi sunt domum, et castellum capere non potuerunt.

Sed infra octo dies postea ortus est ignis ventoso die in domo Lafranchi Canis de porta Cumana, et combussit exinde totam civitatem et portam Romanam usque ad fossatum, et medietatem portae Ticinensis, partem de porta Vercellina, et omnes domos fere usque ad Domonsolum; et eo modo amiserunt victualia. Post paucos dies consules Mediolani posuerunt milites centum in Crema, in Aplano; milites et pedites in Mozate iam ante posuerant. Postea archiepiscopus intravit Varixium cum centum militibus; et tenuerunt Arsizate et Indunum et Blandonum, et hiemaverunt ibi, et multum Seprienses oppresserunt.

a) p. m. m. *desunt* 1. *recepi ea ex Ann. Plac.* b) sonates *cod.* c) *ita Ann. Plac.*; exprimendum 1. d) eum 1. e) uidendo 1.

1160.

*superati sunt Mediolanenses, et omnes habeo in mea potestate et virtute.* Domnus autem Guido de Lomello et marchio de Monteferato dixerunt imperatori: *Domine, nundum vidistis militiam Mediolani.* Et imperator irato animo dixit contra eos: *Nonne video ego milites Mediolani disconfictos, mortuos et vulneratos et fugatos et dispersos per villas et campos et nemora et per loca deserta, et multi iam ad civitatem fugerunt?* increpando et vituperando eos, ipsos etiam tamquam suspectos habens. Cumque talia verba dicerent, milites seniores, qui erant in insidiis asclerati, ascenderunt super quandam costam, et gradatim cum tubis et tympanis et cum aliis signis belli sonantibus et omnibus militibus Placentiae et Brixiae, et cum aliis qui dispersi erant per campos collectis, ad carocium versus imperatorem perexerunt. Videns autem eos imperator et illi omnes qui cum eo erant, et clamore facto per expeditionem imperatoris, valde timuerunt et partiti sunt, discedentes illico a proelio et ad locum ubi erat imperator venientes, et se coadunantes, dicentes imperatori comes Guido et marchio de Monteferato: *Domine, domine, modo potestis videre militiam Mediolani, et quod vobis diximus, verum erat, domine. Cogitemus de nobis et de gente nostra, certe victi et superati sumus, et hodie erimus capti et mortui. Nonne videtis qualiter ad nos veniunt? Isti sunt viri feroces et fortissimi et docti in bello; certe isti superarent fere totam aliam Lonbardiam.* Et imperator dixit: *Non erunt ausi ad nos venire, non oportet nos fugere; adhuc distamus ab eis per medium miliarium; prius volo videre quod facturi sunt.* Et dum haec geruntur, milites omnes praedicti et populus cum carocio, qui impulsus a populo ita velocissime currebat ut destrarius, et appropinquantes exercitui imperatoris, ingenti clamore facto velocissime impetum in eos fecerunt. Imperator vero et omnes alii de exercitu eius videntes non posse resistere, terga vertentes fugam petierunt. Quos Mediolanenses plus decem milibus per villas et campos et nemora insequentes, partim eorum gladio interfecerunt et partim vulneratos quasi semivivos in campo reliquerunt; et ceperunt tantos inter Theothonicos et Papienses et Novarienses et Cumenses, quod omnes presonerios et obsides eorum, quos imperator in Papia et Laude diu incarceratos tenebat, egregie recuperaverunt; et superaverunt eis plus mille quingenti, quos Mediolanum duxerunt et in carceribus recluserunt. Castrum vero Carcani penitus dereliquerunt, quia propter praedicta impedimenta habere non potuerunt. Dicitur et fertur et verum est, quod imperator in ipso bello captus et retentus[a] esset, quia quaedam planta nucis sic ceperat dextrarium eius per pedem de retro quod non poterat[b] se movere; sed domnus Guido de Lomello, qui cum eo fugam ceperat, stans in equo suo tulit eum brachiis suis et manibus, et posuit eum super alium equum, quem quidam eius armiger ibi habebat; et sic deliberatus, ambo fugere coeperunt. Cumenses vero qui evasi erant, ascenderunt in quodam monte, credebant enim ibi posse evadere a manibus Mediolanensium. Videntes autem Mediolanenses, ipsos capere non posse sine magno detrimento propter loci asperitatem et fortitudinem, fecerunt colligere paleam et stublam[c] et ligna arida, et posuerunt circa, mittentes ignem in ipsis. Unde ex igne et calore multi perierunt; percipientes non posse evadere, et timentes ignem et ignis calorem, reddiderunt se Mediolanensibus.

Sept. 10.

Decimo die mensis Septembris proximo sequentis habitatores Carcani iuraverunt stare praeceptis domni archiepiscopi et comitis Mediolani sine aliqua contradictione; et Carcani castrum reddiderunt et dederunt archiepiscopo et communi Mediolani.

1161. Mai.

20. Anno dominicae incarnationis 1161, mense itaque Madio, congregavit imperator virorum exercitum magnum, et devastavit blavas Mediolanensium circa civitatem usque in fossatum; et tunc cepit Adam de Paradino et unum de Moris, et suspendit eos. Eodem quoque mense electi sunt de una-

Mense vero Martii coeperunt obsidere Castellionum, et per totam quadragesimam usque ad diem Veneris sancti obsiderunt illud, capere non potuerunt; et multa ibi expendiderunt, quibus cibaria quaesisse debuerant. Mense itaque Maio congr gavit imperator iterum exercitum magnum, et devastavit

a) *ita correxi ex Ann. Placent.*; renatus 1. b) d. e. p. p. de r. q. n. p. *suppleri ope Ann. Plac.* c) i. q. stipulam

1161. quaque parochia civitatis duo[a] homines et[b] tres de unaquaque porta eiusdem, arbitrio quorum anona et vinum et merces venderentur, et peccunia mutuo[c] daretur, quod in perniciem civitatis versum est.

blavas Mediolanensium circa civitatem usque in fossata. Et tunc cepit Adam de Paradino, et suspendit eum; et unum de Moris iam ante suspenderat. Eodem quoque mense electi sunt de unaquaque parochia civitatis duo homines, et de eisdem tres de unaquaque porta, quorum unus ego fui, qui caeteris praeessent, ut eorum arbitrio annona et vinum et merces venderentur, et pecunia mutuo daretur: quod in perniciem civitatis versum est.

Aug. 8. Postea quoque octavo Augusti, cum imperator[d] esset iuxta Melegnanum cum exercitu suo, praemisit quosdam milites et inchoaverunt proelium ad Cassinum Thome circa vesperas. Egressus est autem populus sine armis, quidam[e] de militibus et peditibus exierunt cum armis[e]; et dum pugnarent ibi in via, imperator cum exercitu suo paulatim proelio appropinquavit, et ex adverso misit milites quosdam cum vexillo uno; quod[f] cum vidissent Mediolanenses, fugere coeperunt. Dux Federicus de Rotburc[g] qui tunc vexillum imperatoris portabat, persecutus est eos usque in fossata; et imperator tunc fuit iuxta arcum Romanum de equo prostratus; et tamen multos occiderunt et plus 300 ceperunt; et eos Laudae incarceravit. Post paucos dies congregato iterum exercitu venit devastare blavas Mediolanensium; et tunc factum fuit maximum proelium ad portam Cumacinam[h]; postea post[i] duos dies ad portam Vercellinam; et tunc necatus est Ambroxius de Bolate[k] in fossato. Eodem quoque tempore venatores imperatoris, qui erant apud Morimondum[l], et quibus a consulibus fiducia data erat, captum cervum imperatori portabant; et cum fuerunt ante lucem ad pontem Credarium, quidam de Mediolanensibus abstulerunt eis et carnes[m] et cetera quae habebant; nec[n] praeter[o] abbatem qui erat cum eis, eos dimiserunt. Consules vero Mediolanensium carnes[p] reddi non fecerunt, omnibus aliis restitutis.

21. Sed[q] imperator usque in fossata circa civitatem blavas eorum conculcavit, et Laudae reversus est. Et tunc de captivis incarceratis[r] quos habebat Laudae[r], sex illorum unicuique praecepit ut unus oculus erueretur, videlicet duobus de capitaneis, de Melzate[s] Arnulfo, et Obertino[t] Valderico Curto, Iordano[u] Crivello, Lanzaturre[v] de Rancate, Suxoni de Micano[w]; et sex aliis fecit nares incidere usque in frontem et unum oculum extrahere; et sex aliis fecit carere utroque oculo: et sic aptati et praeparati ad obprobrium et dedecus Mediolanensium, fecit ipsos ducere Mediolanum. Interea qui portabant a Placentia[x] mercatum Mediolanum, si capiebantur, manus eorum dextra amputabatur, et una die viginti

Oct. quinque manus amputatae fuerunt Placentiae civibus. Postea vero mense Octubri Bragheta[y] Maita et Iohannes de Sancto Blatore reddiderunt se imperatori in civitate Laudae. Interea discensio maxima inter cives orta est, videlicet et inter patrem et filium, et virum et uxorem, et inter fratrem et fratrem. Iam enim per plateas rixabantur, dicentes se velle reddere imperatori, tum propter conspirationem, quam quidam de maioribus iam fecerant ut de civitate egredirentur, tum propter carissimam annonam. Viginti denariis sextarius blavae et leguminum vendebatur[z], et sextarius salis triginta soldis vendebatur, libra[*] casei octo denariis emebatur. Caro[a] carissima erat; nam libra[b] quarta parte bovis mortui ego dedi 20 soldos et unum.

22. Interea data est publice licentia et potestas comiti de Blandate de quo Mediolanenses confidebant, et Osae et filio eius Alberto, et Anselmo de Orto, ut de pace cum imperatore loqueretur. Audite[c] et intelligite quoddam crude et pessimum et nequissimum nefax[28]. Captivi et incarcerati de civitate Mediolani, qui detinebantur ab imperatore vinctis manibus et in conpedibus, cum ningebat et fortiter pluebat, ponebantur in plateis, in quibus erat

a) *deest* 1. b) *deest* 1. c) in illis 1. d) *deest* 1. e) quidam — armis *desunt* 1. f) et 1. g) Retburt 1. h) cumanam 2. i) per 2. k) bollate 2. l) mirimondum 1. m) eis carnem 2. n) n. p. a. *desunt* 2. o) pp. 1. p) carnem 2. q) sed cum i. — conculcasset, laudae versus est 2. r) *deest* 2. s) malxate arnolfo 2. t) ubertino, waderico verto 2. u) i. filio arialdi crivelli 2. v) lanzacurte 2. w) Suxoni de auzano autem cui nares praecidit, et unum oculum dimisit, ut alios mediolanum duceret. Interea 2. *media desunt.* x) p. vel ab aliqua parte m. 2. y) bragheto maija 2. z) et l. v. *desunt* 1. *) l. c. 8 d. e. *desunt* 2. a) C. c. erat Nam *desunt* 2. b) *ita* 2; in quarta parte bovis dabatur viginti unus soldus 1. c) *haec usque* perierunt *narrationi postea ab auctore inserta fuisse videntur, sed eodem loco in codice 2. collocata sunt.* Audite — extorquere *desunt* 2.

28) i. e. nefas.

lutum magnum et aqua. Et hoc imperator faciebat, ut ab eis posset peccuniam extorquere. 1161. Et qui peccuniam[a] ab aliquo[b] petitam dare non poterat, a mane usque ad vesperas[c] in luto et pescina[29] iacebat; et hoc, cum erat intollerabile frigus et gelu. Postea secundo quasi semivivi inde extrabantur; et multi ex illis ob id perierunt. Qui comes de Blandate et socii in hunc modum de pace conponenda cum imperatore tractavere: videlicet quod imperator debebat dimittere civitatem et fortitudines civitatis in suo statu, iura quidem et possessiones civibus Mediolani et districtus quiete relinquere.

*Codex 2.*

luto[d] iacebat, et postea semivivus efferebatur; et multi propterea perierunt. Ventum est denique post multas contentiones, multis etiam minantibus dare mortem consulibus et aliis qui se reddere volebant, et asseverantibus, imperatorem civitatem in suo statu dimittere, et possessiones omnibus civibus relinquere velle — et verum est, quod hanc concordiam facere poterant — ut se Deo et imperatori redderent, misericordiam ab eo sperantes, quam omnes principes firmiter promittebant.

23. Cum hoc tractaretur, et imperator vellet ad finem perducere, credens firmiter, civitatem nullo modo habere posse: quidam vir nequissimus, ipsius civitatis consul, Iordanus Scacabarocius nomine, proditor, traditor nefandissimus et sceleratissimus, omnium clam et private scilenti nocte ad loquendum cum imperatore perexit, promittendo ei dare civitatem Mediolani sine aliqua contradictione cum omnibus hominibus et rebus quae erant in civitate. Unde imperator gavisus fuit gaudio magno, promittendo et pactum cum eo faciendo, dandi ei loca castella villas et peccuniam infinitam. Quo facto imperatori dixit, quod non habebant victualia usque ad decem dies, et quod non durabunt, quod non reddant se saltim ad undecim dies; et imperatori porrexit libellum, in quo scriptum erat omnia victualia et nomina civium. Affectabat enim super aliis rebus civitatem Mediolani a solio destruere. Interim venientes ante suam praesentiam comes de Blandate et socii, dicentes pacem et concordiam statutam ad finem perducere velle, imperator dixit eis, ut cito recedere deberent; et si moram aliquam ibi facerent[e], quod faceret eos suspendi: *Sed si volunt reddere sine aliqua conditione in mea virtute, recipiam eos.* Unde comites et marchiones et baroni[f] et archiepiscopi et episcopi et abbates dederunt conscilium eis, ut deberent se reddere in potestate imperatoris, promittentes, quod nullo modo sustinerent imperatorem civitatem destruere, nec aliquod dampnum seu gravamen civibus in rebus et personis eorum inferre, et ut misericordiam ab imperatore expectarent, quam omnes principes eis promiserunt. Sed falso consciliati fuerunt. Reversi sunt namque praedicti inquisitores pacis in civitatem, dolentes gementes et flentes, omnia per ordinem aperientes. Verum quia victualia eis deficiebant et amplius nullo modo sufferre poterant, habito conscilio et suasu principum tam clericorum quam laycorum curiae imperatoris, statuerunt et proposuerunt reddere se et civitatem domno imperatori, sperantes et firmiter credentes misericordiam ab eo fore consecuturos.

24. Anno dominicae incarnationis 1162, primo die mensis Martii[30] reddiderunt se et 1162. civitatem imperatori in civitate Laudae; Mart. 1. et postea usque ad octo dies miserunt ei quingentos milites et totidem pedites de equestribus pedestribus[g] maioribus et melioribus Mediolani cum carocio et vexillis et aliis signis[h], et cum tubis ad imperatorem Laudae[i], ut omne decus et omnem honorem imperatori conferrent. Ipse autem[k] tamquam vir nequam et perfidus et crudelis, milites et carocium et omnia signa et tubas retinuit, quos milites misit Papiam, ut ibi diligenter[l] in carceribus custodirentur. Nullum[m] conscilium nec aliquod iuvamen habuerunt ab aliquo principe curiae imperatoris. Post hoc praecepit, ut civitas[n] usque ad octo dies evacuaretur. Septima vero[o] die ante Kalendas Aprilis exierunt de civi- Mart. 26. tate cum rebus suis quas[p] de civitate trahere potuerunt, et derelinquerunt civitatem; et tunç archiepiscopus Mediolani et Galdinus archidiaconus et Alghi-

*Codex 2.*

Obertus archiepiscopus die dominico de coeco Mart. 18. 15. Kalendas Aprilis[31] cum Milone archipresbytero

a) p. extorquere ab 1. b) eo 2. c) sero 2. d) lecto 2. e) faceret 1. f) *ita vox et in annalibus Placentinis usitatur.* g) de m. et m. M. *desunt* 2. h) equestribus, pedestribus *addit* 2. *desunt* 1. i) ad montem Gezonis 2. k) t. v. n. et p. et c. *desunt* 2. l) d. i. c. *desunt* 2. m) Nullum — imperatoris *desunt* 2. n) c. evacuaretur et octo dierum spatium attribuit 2. o) itaque 2. p) q. de c. e. p. *desunt* 2.

29) i. q. piscina, stagnum. 30) cf. Burcardi epistolam de excidio Mediolanensi. 31) Dominica quarta quadragesimae, in qua Mediolani lectio de coeco nato legebatur, a. 1162. in diem 18. Martii vere incidit.

1162. sius cimiliarcha et multi alii clerici de civitate iverant Ianuam

et Galdino archidiacono et Alchisio cimeliarcha et aliis quibusdam recesserant et abierant Genuam

ubi erat apostolicus Alexander. Et quis est, qui posset lacrimas retinere, qui videret planctum et luctum et merorem[a] puerorum, virorum et mulierum, et maxime infirmorum et feminarum de partu[b] de civitate egredientium et proprios lares relinquentium[c] 32. Fuit[d] enim dies illa dies calamitatis et miseriae, dies tristitiae et moeroris; dies illa contulit gaudium et laetitiam imperatori, Papiensibus, Novariensibus, Laudensibus et Cumaxinis, Crispensibus[e] et Martexanis; tristitiam vero pariter et dolorem Mediolanensibus[d]. Egressi itaque de civitate castra metati sunt, porta Ticinensis intus monasterium sancti Vicentii et circa, porta Romana apud Sanctum Celsum, porta Horientalis et porta Nova ad Sanctum Dionisium, porta Cumacina ad Sanctum Simplicianum, porta Vercellina ad Sanctum Victorem ad corpus. Postea vero imperator congregatis Cremonensibus, Laudensibus, Papiensibus, Novariensibus et Cumanis, Sepriensibus[f] et Martexanis et multis aliis, venit Mediolanum. Et primo succendit universas domos; postea destruxit et domos et turres et murum civitatis; pulpita[g] subversa sunt; altaria omnia violata sunt; sanctorum multorum reliquiae exportatae sunt. Et steterunt ibi usque in ramis olivarum[33] qui erat in Kalendis
Apr. 1. Aprilis; et in ecclesia sancti Ambroxii olivas accepit. Et propter destructionem Mediolani praedicti omnes dederunt imperatori copiosam et immensam pecuniam. Et eo anno tribus vicibus[h] venerunt destruere civitatem, et explanare fossata; et totà fere Lombardia labo-
Mai. 1. ravit ad explananda fossata. Postea vero circa Kalendas Madii datus est eis Henricus Leodiensis episcopus, ut eis praeesset, et ut quatuor loca eis ad habitandum designaret. Designavit enim portam Romanam inter Casinam Plasmundi[i] et Noxedam, portam Ticinensem ibi prope in territorio de Vegiantino[k], portam Horientalem et portam Novam Lanbrate[l], portam Cumanam ad Carreram[m], et portam Vercellinam ad Sanctum Sirum ad Veuram[n];
Aug. et sic se ceperunt hedificare burgos secundo die mensis Madii. Postea mense Augusti proximo episcopus recessit, et dedit Petrum de Cumino[o] ut Mediolanensibus praeesset.

Imperator[p] cum praecepisset, de obsidibus Mediolani, qui erant Papiae, centum solummodo retineri et singulis mensibus permutari, recessit et abiit Adoram[q] 34, et fuit ibi
Aug. 29. in festo sancti Iohannis decollati[r], ut ibi colloquium cum rege Franciae et apostolico Alexandro et Octaviano de eorum electione haberent. Sed Alexander non adfuit, nam[s] imperatoris collusionem, quam praesenserat, timens; et sic imperator et rex discordes discesserunt, et inde imperator abiit in Alamaniam. Praedicti vero Petrus de Cumino[t] innumerabiles modos oppressionis invenit, et miris modis peccuniam extorquere coepit, cum iam[u] obsides permutari, peccuniam a debitore exigi, nonnisi peccunia data permittebat, privatim a rusticis et a civibus peccuniam extorquebat, morienti sine filio succedebat. Et ea aestate milium et vinum a rusticis[v] et militibus pro arbitrio suo[w] accepit, et multam peccuniam a rusticis occasione porcorum circa sanctum Martinum[w] extorsit[x]; item occasione
1163. tributi[y] ad palacium Modoetie[z] et agnellorum[*] ad[a] pascha infinitam pecuniam exegit.
Mart. 24. Sequenti vero aestate tulit[b] omnibus Mediolanensibus ex constitutione imperatoris, qui erant de iurisdictione Leodiensis episcopi, id est a Busti[c] Carulfi, et a Logniano et Sevio[d] infra, duas partes tertii[35] et ficti[36], et quartam partem fructuum proprio vomere quesitorum, castanearum et nucum et foeni tertiam partem. Henricus vero Suevus[e], qui ex praecepto imperatoris in montem Geconis[f] morabatur, omnes fructus terrarum[g] Mediolanensium quos habebant in episcopatu Laudensi, colligebat. Marquardus[h] de Crubat[i], qui Tritium[k] tenebat[l], ad Morgoram usque idem faciebat. Comes Cozonus[m] in Seprio et Martexana secundum praedictum modum colligebat, et peccunias creditas Sepriensibus[n] et

a) m. marium et mulierum 2. b) p. et puerorum egredientium 2. c) del. 1. d) Fuit — Mediolanensibus *desunt* 2. e) *l. e.* Sepriensibus. f) Crispensibus 1. g) *ita correxi;* plurima 1. pulpura 2. h) *deest* 2. i) canizam plasmondi et noxandam 2. k) vigiantino 2. l) lambrate 2. m) carrariam 2. n) vedram 2. o) cunin 2. p) i. vero c. 2. q) ad soram 2. r) decolacii 1. s) non 1. t) cunin 2. u) coepit, nam 1. v) rusticibus 2. w) suo — Martinum *desunt* 1. x) extorsisset 2. y) trabium 1. z) a palatino M. 2. *) angnelorum 1. a) in 2. b) iussit 2. c) id est Abusti 1. d) Seviso 2. e) sueni 1. f) Ghezonis 2. g) *deest* 1. h) marquara 1. i) crunibac 2. — *Crumbach esse videtur.* k) tertium 1. l) morabatur 2. m) gozonus 2. n) Crespensibus 1.

32) Haec eisdem fere verbis leguntur iam supra c. 11. 33) i. q. dominica Palmarum. 34) Latonam, Iean de Losne. 35) pensitatio a possessoribus tertii, tertiae praediorum partis antiquis dominis relictae, solvi solita. 36) census fixus.

Martexanis exigi prohibebat et multos[a] Mediolanensium et instrumenta reddere et debito[b] [1162.] finem facere captos coegit. Martinus[c] Paganus, qui habitabat in Baradello, per totum episcopatum Cumanorum omnes possessiones Mediolanensium possidebat et habebat. Advocatus[d] quoque Hostensis[e] Lunartium[f] et omnes possessiones capitaneorum de Mandello, quas habebant in partibus Sepriensium, tenebat. Et ea aestate hedificata est turris, quae dicta fuit triumphalis in burgo Nocedi[g], et boves rusticorum iurisdictionis episcopi Leodiensis[h] traxerunt omnes lapides et sabulum a civitate. Eadem quoque aestate Modoetie palacium ceptum fuit, et boves undecimarum[i] plebium terrae Mediolani lapides a civitate ibi bis in mense vehebant. Item tunc palacium ad Vegiantinum[k] et castellum de Landriano hedificabatur; et boves Mediolanensium similiter a civitate ibi vehere cogebantur. Postea vero circa Kalendas Septembris venit Federicus clericus, magister scolarum dictus, missus [Sept.] ab episcopo Leodiensi Mediolanum; omnem potestatem Petro de Cumino[l] abstulit, quoniam audiebat[m] episcopus, quod Petrus ille male Mediolanenses tractaverat. Sed iste Federicus et avarior et tenatior Petro fuit. Nam totum, quod Petrus de quarto et ficto et[n] alicui[o] remiserat, in solidum exigit.

25. Imperator vero mense Octubri proximo tertio Lombardiam intravit et venit Laudae; [1163. Oct. 3.] deinde abiit Papiam.

Octavo itaque Kal. Decembris, anno dominicae incarnationis 1163, congregatis itaque [1163. Nov. 24.] omnibus Papiensibus, praecepit eis ut civitatem[p] Terdonae[q] pro arbitrio suo destruerent. Quod quidem sine mora fecerunt[r]; et proinde imperatori copiosam peccuniam dederunt. Postea Modoetiam abiit. Et cum transiret iuxta Vegiantinum tertio die Decembris, homines [Dec. 3.] et milites[s] illius burgi Noceti fuerunt ei obviam, et dum[t] bene pluebat, prostraverunt se in lutum misericordiam postulantes. Et ipse recessit[u], relicto ibi canzellario, qui dixit ut pauci ex eis sequenti die Modoetiae essent. Ubi dum[v] fuerant, amore beati Ambroxii prae- [Dec. 4.] cepit[w], ut obsides Mediolanensium, quos adhuc habebat, redderentur. Petrus quoque Dossus[x] lignorum plaustra mille ad palatium congregaverat, et ibi coquinam fieri fecerat occaxione adventus imperatoris, cuius expensae fuerunt librae centum imperialium. Redditis itaque obsidibus recessit imperator, et dimisit Modoetiae canzellarium et comitem de Blandate, dicens[y]: *Isti duo quid de rebus Mediolanensium fieri debeat, ordinabunt.* Misit itaque canzellarius ad burgos, ut duodecim de unoquoque burgo irent ad eum. At illi gratanter possessionum suarum misericordiam expectantes, processerunt. Cumque plorantes ante eum stetissent, dixit eis, ut quid imperatori offerre vellent, sponte dicerent. Illi autem paupertatem et miserias suas flebiliter exponentes, nichil se omnino offerre posse rationabiliter excusaverunt. Tunc ille indignatus, cum interminatione praecepit eis sub iuramento, quo eos obstrinxerat[z], ut octingentas et octoaginta libras imperialium octavo die ante festum sanctae Mariae de Februario solverent. Et solverunt.

26. Eadem yeme 1164, die Veneris, 17. die Ianuarii[*], coepta est hedificari civitas im- [1164.] perialis apud Sanctum Columbanum[a].

27. Eadem quoque yeme Veronenses cum omnibus de marcha illa iuraverunt cum Veneticis, et facti sunt imperii[b] rebelles. Imperator vero mense Iunio proximo congregato exer- [Iun.] citu ad partes illas Longobardorum perexit, sed cum obprobrio rediit. Eodem etiam mense 6. die mensis[c], luna passa est eclisin[d] cum esset 12., et visa est rubea; et eo anno fuit bixestus[37]. Sequenti die sacramenta tributaria per terram Mediolanensium, quam tenebat Leodiensis episcopus, inchoata sunt, id est, ut unusquisque in anno solveret pro manso 3 soldos imperialium, pro iugo bovum 12[e] imperiales, pro foculari 12[f] denarios. Undecimo[g] [Iun. 11.] vero die eiusdem mensis Rainaldus canzellarius Coloniensis[h] archiepiscopus tulit corpora sanctorum martyrum Naboris atque Felicis et sancti confessoris Martini, prout dicebatur, et tria alia corpora, quae erant condita in archa quae est[i] in ecclesia beati Eustorgii, et quae dicebatur[k] esse magorum trium, et exportavit Coloniam.

a) multa M. i. redd. 2. b) debitos 1. c) Magister 2. d) Aducatus 2. e) hostiensis 2. f) lunartii 1. lucrum 2. g) norenti 2. h) laudensis 1. i) undecim 2. k) vig. 2. l) cunin 2. m) audierat 2. n) tertio 2. o) abcui 1. p) eis in civitate 1. q) derthonae 2. r) facerent 1. s) D. mares et mulieres 2. t) *vocem inserui.* u) discessit 1. v) U. d. *inserui;* et fuerunt in festo beati Ambrosii praecepit 2. w) *scilicet* imperator. x) dessus 2. y) *deest* 1. z) abstr. 1. adstr. 2. *) *recte;* Martii 2. a) colombanum 2. b) imperatori 2. c) *vere ita fuit.* d) edi sui 1. e) XXII 2. f) VII. 2; CXII *editio.* g) decimo 2. h) ridaldus c. Celoniensis 1. raynaldus c. ac col. a. 2. i) erat 2. k) dicebantur 2.

37) i. e. bissextus.

1164. Aug. Mense Augusto proximo mortuus est Leodiensis episcopus Papiae, et datus est Marquardus de Crumbac[a] ab imperatore Mediolanensibus[b] ut eis praeesset. Qui incirca duos menses proximos venit Noxedam ad palatium, et burgenses omnes venerunt et[c] obtulerunt ei obbam argenteam, pretium cuius erat librarum 14 imperialium; et adeo fuit ei[d] gratum acsi dedissent ei omnia[e]. Sed omnes sua praecepta[f] iurare fecit, et praeposuit eis abbatem Sancti Petri coeli[g] aurei[38], et Enricum de Erbesis[h], et Iordanem[i] Scacabarocium proditorem, et Anselmum de Orto, et Aliprandum iudicem; qui eius anni tributum[k] exigerunt et colligerunt, et addiderunt ut terrarum quae fuerunt laboratae a viginti annis infra, et pratorum sectorum, et nemorum incisorum, tributum solverent. Et librum[l], qui intitulatur tristium[m] sive doloris, fieri fecerunt, in quo scripta erant omnia mansa et focularia et iuga bovum Mediolanensium.

Nov. Imperator mense Novembri proximo ivit ultra montes et Marquardum omnibus[n] Longobardis praeposuit, qui omnibus Mediolanensibus[o] tam civibus quam[p] rusticis venationem interdixit, id est ut nemo venaretur[q] cum cane aut rete[r], neque pedicam[s] aut laceolos[t, 39] 1165. poneret, neque fossa faceret. Et praedicti quinque remanserunt[u] ibi ad palatium expensis imperatoris, cum equis et crientibus[40] multis usque ad pascha, et colligerunt medietatem decimae omnium terrarum et totam decimam ovium[v]. Praeterea porcos pretio solidorum sex quingintos, et lignorum plaustra mille ac[w] mille, ac foenum et pullos et ova immoderate congregaverunt; et cum[x] ligna defecerunt, iterum coegerunt rusticos aut plaustrum lignorum pro[y] iugo aut duodecim imperiales dare. Et multam propterea pecuniam extorserunt, quia tunc nix[z] maxima erat, quae cepit ningere 10. die mensis Decembris, et operuit faciem terrae, et constetit[*] per totum Ianuarium et Februarium. Ultimo autem die mensis Februarii iterum nix cecidit, et[a] cum duodecies cecidisset, cuius altitudo fuit unius spannae[b]; et ante medium Martium nemo usquam[c] arare potuit, et immoderate segetes[d] corumpsit, maxime in episcopatu Papiae. Frumenta vero non sunt adeo corupta; martia- Iul. tum[e, 41] tamen bonum fuit. Mense autem Iulio proximo 1165. Marquard praecepit[d] ut duodecim homines de unoquoque burgo irent Modoetiae ad eum; et praecepit illis ut burgenses usque ad decem[f] octo dies quadraginta[g] libras imperialium solverent. Quod factum fuit. Item qui propter paupertatem tributum solvere non potuerunt, duplum postea solverunt, aut possessiones eorum publicatae fuerunt. Rusticorum vero impressio[h] talis erat: foeni mille, lignorum[i] totidem plaustra annualiter dabant; frumentum et siliginem et[k] porcos ut supra, vinum[l] agnos pullos et ova; trabes asses[m] ad domos hedificandas, sudes et vimina ad sepes faciendas, circulos ad vegetes stringendas, et alia omnia quae necessaria erant, ministrabant carregia[n] infinita; et trabes plures ad quorumdam Papiensium domos hedificandas dare, ac lapides a civitate Papiam[o] vehere cogebantur.

1166. Iul. Post haec vero Marguard reversus anno dominicae incarnationis 1166. obiit mense Madio. Postea datus est eis in potestate comes Henricus de Disce[42], qui mense Iulio proximo inposuit eis fodrum, burgensibus scilicet et his, qui in circuitu burgorum erant, mille librarum imperialium et quingentas plus. Quod bene fuit solutum.

Nov. Mense vero[p] Novembrio quarta vice imperator venit in Lonbardiam, et venit iuxta Brixiam, et devastavit castella et villas usque in fossata; et sexaginta obsides de melioribus et maioribus Brixiensium Papiam misit. Pergamensium quoque episcopatum usque ad 1167. Febr. montem devastavit. Et[p] inde transiens 1167. mense Februarii ivit Bononiam, et usque ad civitatem eam[q] devastavit, et centum obsides eis abstulit, et sex milia libras Bononiensium[r]. Eodem mense nix cecidit magna, altitudo cuius fuit iuxta brachia duo. Mense Mar- Mart. tio proximo centum obsides de melioribus[s], videlicet quinquaginta de burgensibus et quinquaginta de forensibus, comes Henricus de Disce[t] 10. Kal. Aprilis Papiam misit. Eodem[u]

a) carumbac 2. b) m. et ut e. preessent 1. c) v. et *desunt* 1. d) *deest* 1. e) *deest* 2. f) suo praecepto stare i. f. 2. g) celsi 1. h) arbeliis 2. i) nordanum pr. et sc. 2. k) *deest* 1. l) librarum quae 1. m) testium 1. n) marguardanibus 1. o) *deest* 1. p) q. quibusdam r. 2. q) veneretur 1. r) *deest* 2. s) pedaicam 2. t) canceolas 2. u) remanerunt 1. hiemaverunt 2. v) civium 1. w) ac m. *desunt* 2. x) ea 2. y) *deest* 1 z) vix 1. *) stetit 2. a) *deest* 2. b) spanse 2. c) usque 1. d) *deest* 1. e) martiaticum 2. f) o. d. decem 1. g) quadringentas 2. h) oppressio 2. i) feni malignorum 1. k) *deest* 1. l) necdum 1. m) assedes 2. n) ei regia 1. carrigia 2. o) papia 1. p) Idem vero t. 2. q) e. undique d. 2. r) Lucensium 2. s) Mediolanensibus 2. t) H. dedisse 1. u) E. item 2.

38) Papiae scilicet. 39) laceolus i. q. laqueus, Italis *larcivolo*. 40) i. e. clientibus. 41) frumentum trimestre, quod Martio mense seritur. 42) Dietz.

mense a quibusdam burgensibus, quos elegit, quingentas libras imperialium et plus petiit; 1167. sed eas caliditate quorundam habere non potuit. Post hoc[a] vero, cum iam audissent, quod illi de marchia cum quibusdam[b] civitatibus Lonbardie iurassent, ducentos obsides de burgensibus tulit, et eos Papiae incarceravit. Item paulo post centum de[c] militibus petivit; qui si altera die dati non fuissent, burgos se destructurum adiutorio Papiensium et Sepriensium dixit. Sed divina opitulante misericordia, quadam industria et sagacitate burgensium maxime tamdiu verbis inretitus est, quod Deus[d] eis[e] suum adiutorium dedit.

28. Interea Papienses conscilio habito Modoetiae ad quosdam de burgensibus quasi ad privatos amicos nuncios dirigebant, ut pretiosa quaeque Papiam mitterent, fiducia publice data ut res et personae salvae essent. Sed postea coegerunt homines habitaculum ibi iurare et res non permiserunt reduci. O quantus clamor et quantus timor et quantus fletus per quatuor ebdomadas in burgis fuit, et maxime in burgis Noxedae et Vegiantini[f]! Nemo erat, qui auderet lectum intrare. Cottidie die[g] noctuque dicebant: *Ecce Papienses veniunt*[h] *burgos conburere!* Interea[42] cum iam multi res suas exportassent, alii iuxta civitatem Me- Apr. 27. diolani[i], alii Cumas, alii Novariam, alii Papiam, alii Laudae, alii ad villas, venerunt Pergamenses primum et Brixienses et Cremonenses 1167. quinta febria[k], 5. Kal. Madii, et introduxerunt eos in civitatem. Post haec vero Galdinus episcopus[l], qui erat cum papa Alexandro, venit 5. die Septembris[m]. Sept. 5.

29. Imperator vero 12. die eiusdem mensis Roma[n] rediit et[o] Papiam venit et[p] septimo Kalendas Octubris[q] conbuxit Roxate et alia loca usque ad Castanum[r] et locum Sancti Viti Sept. 25. et Cornaleti.

Postea vero 1168, nono die Martii suspendit imperator Gilium[s] de Pranco, obsidem 1168. de Brixia, iusta Seuxiam[t, 43], dolore et furore repletus, quod Mediolanenses, Brixienses, Laudenses, Novarienses et Vercellenses obsiderent Blandate; et inde abiit in Alamaniam.

30. Eodem mense 12. die mensis Placentini, Parmenses et Obizo Malaspina[u] iterum Mart. 12. introduxerunt Terdonenses in civitatem. Eodem mense 20. die mensis Seprienses iuraverunt stare praeceptis Galdini archiepiscopi et conscilii[v] Mediolani.

31. Post multas quoque expeditiones ultra Padum factas cum civitatibus quae cum Me- 1169 diolanensibus iuraverant, scilicet marchia[w], Verona, Brixia, Mantua, Pergamum, Laudae, 1173. Novaria, Vercellae, Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia et Feraria, imperator Federicus quinta vice iterum intravit in Lonbardiam anno incarnationis 1174. Kalendis[x] 1174. Octubris, et venit Seuxiam[y] cum[z] octo milibus pugnatorum et conbuxit eam. Deinde venit Aste, et fere octo diebus reddiderunt se. Deinde venit Alexandriam 4.[*] Kalendas Novem- Oct. 27. bris, et obsedit eam cum Papiensibus et marchione Montisferati usque ad tredecim[a] dies 1175. mensis Aprilis. Ea vero die cum esset sabbatum[b] sanctum pasche[c, 44], data etiam[d] fiducia Apr. 12. Alexandrinis, quod non opugnaret eos nisi transacto festo, accensus ira et dolore Longobardorum, qui erant in loco Castegio, clam fecit suos armari, et nocte intromisit de melioribus quos habebat circa ducentos in quodam foramine, quod fecerat, et quod exitum habebat fere in mediam civitatem; et mane cepit pugnare. Sed Deus pugnavit pro civibus, et omnes qui erant in foramine et in turri lignea, quam fecerat, mortui sunt, et turris conbusta fuit, et sic liberati sunt.

32. Mediolanenses vero cum carocio suo moverunt 11. die Marcii 1175; et fuerunt[e] in exercitu isto, marchia videlicet, Trivixium[f], Padua, Verona, Vicentia, Brixia, Mantua, Pergamum, Parma, Regium, Mutina, Placentia et Feraria, pedites et milites trecenti[g] Novariae, milites Vercellarum. Et ibi quaedam pax ficte facta fuit.

33. Postea vero 1176, 4. Kalendas Iunii, die sabbati, cum essent Mediolanenses 1176. Mai. 29. circa[h] Lignianum, et cum eis essent milites Laudae quinquaginta, et milites Novariae et

a) haec 2. b) marchia de civ. 1. cum q. *desunt.* c) *deest* 1. d) decus 1. e) *deest* 2. f) vegantini 2. g) *deest* 2. h) *deest* 2. i) *deest* 2. k) *i. q.* feria. l) archiepiscopus 2. m) decembris 2. *male.* n) *deest* 1. o) *deest* 1. p) papie et 1. q) eiusdem mensis 2. r) casternum 2. s) zillium de prando 2. t) saxini 1. sauriam 2. *v. infra.* u) marchio malaspinae 2. v) consulum 2. w) Marcha 2. x) 1169. quarto Kal. 1. y) saexiam 2. z) c. o. m. p. *desunt* 2. *) die dominico VI. Kl. *Ann. Placent. recte.* a) undecim 1. XIV 2. b) *deest* 1. c) pascha 1. d) est 1. e) venerunt 2. f) triviglium 2. g) et t. milites N. et V. 2. h) iuxta legnanum 2.

42) Hic cf. textum annalium Placentinorum. 43) iuxta Secusium, Susa, ubi Fridericus eo die morabatur. 44) Dies dominica paschae fuit d. 13. Aprilis.

1176. Vercellarum circa trecentos[a], Placentiae vero[b] ducenti, militia Brixiae[c] et totius marchiae, pedites vero Veronae et Brixiae erant in civitate, alii iuxta, alii[d] in itinere[e] proficiscebantur ad exercitum Mediolanensium: Federicus imperator[f] cum Cumanis omnibus castra metatus iuxta[g] Cairate cum Theothonicis militibus fere mille; et dicebatur, quod erant duo milia,
44 quos venire fecerat per Desertinam[h. 44] tam privatissime, quod a nemine Lombardorum potuit sciri. Imo cum dicebatur, quod esset[i] apud Birizonam[k. 45], fabulosum videbatur. Et cum vellet transire et Papiam ire, credens[l] quod Papienses deberent ei obviare, Mediolanenses obviaverunt ei cum suprascriptis[m] militibus inter Borxanum[n] et Bustarsitium[o]; et ingens proelium inchoatum est. Imperator et[p] milites qui erant ex una parte iuxta carocerum fugavit, ita quod fere omnes Brixienses et de ceteris magna pars fugerunt usque Mediolanum, et pars magna de[q] Mediolanensibus. Ceteri steterunt iuxta carocerum cum[r] peditibus Mediolani et viriliter pugnaverunt. Postremo imperator versus[s] est in fugam, et Cumani omnes fere fuerunt capti; Theothonicorum multi capti et[t] multi interfecti, et multi in Ticino sunt necati.

34. Eodem vero anno imperator direxit nuntios ad Alexandrum papam, et clam pactus est cum eo; et statuerunt colloquium apud Venecias, publice simulantes[u] velle componere
1177. pacem inter Lonbardos[v] et imperatorem; et fuerunt ibi ambo per medium annum cum archiepiscopis, episcopis, patriarchis et abbatibus et aliis clericis multis, et cum comitibus et marchionibus. Postremo 9. Kalendas Augusti, incarnationis 1177, Alexander papa recepit Federicum in christianissimum imperatorem, et uxorem eius Beatricem, et filium eius Anricum in regem cum adhuc non esset[w] pupes[x]. Inter Lonbardos et eorum societatem et imperatorem a Kalendis Augusti proximi in antea usque ad sex annos treuguam[y] sacramento ab utraque parte praestito firmaverunt[z], et eis[*] in perpetuum fecit, deserendo fidem quam Longobardis promiserat. Nam ex quo fuit Venetiae, direxit litteras Mediolanensibus, quibus[a] dixit, quod prius dimitteret se sectari[b], quam pacem absque Mediolanensibus faceret[a]. Sed Longobardos deseruit[c], et episcopos depositos restituit, et quos ipse creaverat[c] deposuit.

## CONTINUATIO CODICIS SECUNDI.

Mense vero Septembrio proximo fuit diluvium, quo maius non fuit a diebus Noe. Nam Ticinum operuit ab una costa ad aliam terram, ita quod multae arbores non apparebant. Lacus, qui dicitur Maior, crevit usque ad decemocto brachia in altum, et operuit domos Lixiae[46]. A Scrivia ibant navigio usque Placentiam.

---

# II. GESTA FEDERICI IMPERATORIS[d].

1189. Levavit imperator Federicus signum crucis domini nostri Iesu Christi 1189. ab eiusdem
Mai. incarnationis anno. Exivit autem cesar de Alamania, et venit in Ungaria. Ibi ferunt[e] eum

a) ducentos 2. b) circa d. 2. c) Brixiae et Veronae et 2. d) *deest* 2. e) i. et p. 2. f) i. erat c. 2. g) *deest* 1. h) disertiuam et 2. i) essent 1. k) bilinzonam 2. l) credentes 1. m) istis 2. n) brexanum 1. borsanum 2. o) busti arsitiam 2. p) *aut* et *eiiciendum, aut* enim *legendum.* q) de melioribus M. Ceteri f. Ceteri st. 2. r) c. p. *desunt* 2. s) v. cumas vero fere omnes 2. t) et m. *desunt* 2. u) s. se 2. v) *deest* 2. w) essent 1. x) *i. q.* pubes. y) treguam 2. z) firmaverunt 1. 2. *et Ann. Plac.* *) *locus fortasse ita restituendus:* et pro eis nihil papa fecit. a) quibus — faceret *desunt* 2. b) *i. q.* secari. c) deseruit — creaverat *desunt* 2. d) *codex* 2. *hoc exordium praemittit:* Tempore quo Dei templum foedaverat Saladinus, Hierosolimitanam vero invaserant civitatem Turci, et christianam exercitu cum magno dissipavere plebem, displicuisse Deo tirannum videtur scelus tale fecisse, ut quidem ecclesiam conculcaret catholicam, et eam qui coluere auribus insonuit christianorum vocibus orbe diffusis terrarum, quibus in locis christianus quisque in locis fidelis degisset. Quo Turcorum gens, in qua fidelis Surianus sibi omnes usurpaverat partes. Et idem tempus Romanorum praeclarus nomine Federicus imperator ac semper augustus in partibus Hierosolimae terras mare decrevit dirigere iter. Asserensque crucem Theutonicorum, nutu favente divino, scio cum magna millium 90 armatorum pugnantium aditum Ungariae in primo magno cum favore habuisse fertur. e) fecerunt 1.

44) Disentis. 45) Bellinzona. 46) Lesa.

habuisse nonaginta milia militum pugnatorum armatorum. Rex vero Ungarie honorifice 1189.
et pacifice recepit eum; et in pace transivit per totam Ungariam. Miserat Romanus imperator ad Ursacum[a] Constantinopolitanum[b] imperatorem nuntios, scilicet episcopum Monasterii[c] et comitem Robertum[d], ut eos reciperet in pace. Ipse vero eos detinuit et praeparavit tres magnos exercitus, et misit eos contra eum ad introitum Burgariae[e], ut detinerent eum et disiparent viam ante eum. Est enim ibi[f] maximum nemus itinere dierum quatuor et via artissima. Praeses vero Burgariae[e] ut videret[g], se non posse imperatori resistere, cum exercitibus illis totam viam dissipavit, et nemora contra obstruxit[h] In exitu vero nemoris magnam munitionem fecit, et cum[i] exercitibus suis ad pugnandum cum cesare se praeparavit. Imperator vero per nemus nimio[k] labore viam fecit. Dux vero de Suavia[l], filius imperatoris, praecedebat cum suo exercitu; et cum invenisset munitionem[m] exercitus, cum eis pugnavit, et maximam multitudinem illorum interfecit et munitionem destruxit. Transivit autem Romanus[n] imperator, et venit ad civitatem quae dicitur Philippus[o]; et eam Sept.
oppugnavit, cum omnibus divitiis[p] cepit; et ibi duodecim ebdomadas permansit

Postquam autem Constantinopolitanus imperator audivit, quod Philippus[o] capta esset[q], nuntios cesaris[r] dimisit, et verba[s] in hunc modum mandavit[t]: *Mandat tibi Romanus[u] imperator Cursacus[v], se esse[w] bene sanum.* Audivit[x] autem soldanus de Cunio[47], quod imperator 47
esset Philippus; misit ei salutem, et quod baldaciter[y] per totam suam terram transiret; et[z] nuntios misit, qui duxerunt[*] eum. Misit[a] caesar partem exercitus, et post dies decem[b] occupavit civitatem[c] Andrinopolim; Turchi vero[d] et Greci fugierunt a facie[e] eius, et reliquerunt civitatem. Misit[f] imperator, ut pars exercitus relicta Philippus veniret; et ibi dominicam in civitate celebrarunt. Eo ibidem morante, Grecus imperator praeparavit maximum exercitum Grecorum et Turchorum et misit eum de mundana[g] contra imperator m. Federicus imperator misit ducem filium suum cum mille[h] militibus et quibusdam sagittariis, et preliatus est cum eis et eos superavit, et fugierunt et clauserunt se inter moenia. Descendens autem de equo cum omni exercitu, moenia[i] cum omnibus maxima vi[k] cepit, et omnes obtruncavit. Sed tunc duodecim[l] Turchi quandam munitionem ceperunt, et ibi mirabiliter restiterunt, ita quod eos capere non potuerunt, quoad usque eos igne cremarunt.

Deinde Grecus imperator post septem dies misit nuntios sedecim de melioribus quos habebat ad Romanum[m] imperatorem, dicens, se velle dare transitum, et quod iret securus per totam terram suam. Federicus vero imperator cum libenter vellet ad expugnandum Constantinopolim ire, tamen habito conscilio principum viam rectam obtinuit, ut quam citius posset venire in auxilium christianorum. Tunc cesar petiit a Greco obsides; et ill misit ei duodecim qui perduxerunt eum Galipolin; et ibi transitum habuerunt. Constantinopolitanus[n] imperator[o] amplius dedit ei naves, quas promisit, ita quod per unum[p] diem transierunt. Dux vero cum omni exercitu primus[q] transivit. Imperator vero in quadam galea cum sagittariis et balestariis balistis[r] extensis retro[s] transivit. Post transitum vero venerunt[t] Philedelphym[48]; et quia dux ille nolebat[u] dare forum, Theothonici preparaverunt se ad bellum, et ex eis[v] maximum fecerunt prelium. Dux[w] vero Philedelphiae praeparat se ad pugnandum cum imperatore. Videns multitudinem exercitus imperatoris, et cum non posset resistere, venit[x] ad imperatorem, promisit ei forum dare, et si vellet, civitatem intraret[y] cum paucis. Intravit imperator cum quibusdam in civitatem, et exercitus extra remansit. Sed quia Greci pernimium[z] dicebant eis carum forum fore, crescit inter eos magna lis[*], et inierunt bellum, et ce arunt per duos dies et noctes absque voluntate imperatoris. Videntes[a] autem Greci se vinci, fugerunt in civitatem et munitiones civitatis

a) uersacum 2. iursacum *A. Pl.* b) Constantinopolitano imperatore 2. c) monesterii 1. d) de Vascha *addit* 2. e) bulgarie 2. f) *ita A. Pl.* g) detineret 1. h) construxit 1; struxit 2. i) *deest* 1. k) maximo 2. l) suevia 2. m) m. et exercitum 2. n) magnus 2. o) philippensis 2. p) ducis 2. q) erat 2. r) cesareos 2. s) verberans 1. verberatos *A. Pl.* t) *deest* 2. u) romane 2. v) tursacius 2. w) *deest* 2. x) Audivit — transiret *desunt* 2. y) blandaciter 1. z) qui m. ei n, 2. *) debeant eum ducere per totam suam terram 2. a) Dimisit autem ibi c. 2. b) aliquot dies 1. c) *deest* 2. d) *deest* 1. e) ante faciem 2. f) M. vero caesar 2. *et ita eaedem res alio modo proferuntur in* 2. g) montana 2. h) *deest* 2. i) neniam 2. k) maximam incepit 2. l) concii 2. m) *ita Ann Plac.*; manum 1; magnum imperatorem 2. n) Conster o) rex 2. p) quinque dies 2. q) p. t. l. v. *desunt* 1. r) *deest* 1. s) recte 2. t) habuerunt 2. u) *ita correxi*; qua ductus i. volebat 1. v) ex e. *desunt* 2. w) Dictus v. philadelphus 1. x) *deest* 1. y) intrare cum pace 1. z) periurum dicebant eis escum forum, crevit 2. *) magralis 1. a) V. a. G. se v. f. in c. *desunt* 1.

47) i. e. Iconio. 48) urbem antiquam Lydiae.

1189. defendere[a] ceperunt. Et postea inierunt pactum, et dederunt eis bonum forum; sed porrigebant cum funibus in canistris et in paneriis[b], et ipsi eodem modo porrigebant eis nummos.

Exiit postea imperator de civitate Philedelphym. [Videns[c] dux[d], quod non posset resistere, venit ad imperatorem, et promisit dare forum et omnia que posset.] Et postea dux dedit ei nuntium, qui debebat eum ducere per montana et nemora; et[e] non invenerunt victualia per duos dies. In exitu vero nemoris[e] invenerunt quosdam Grecos et[f] Armenos, qui dederunt eis illud forum quod potuerunt. Post haec invenerunt Turchosmanos de Barias[g]; sunt enim agrestes Turchi, qui nullo[h] detinentur imperio, et nulla loca possident, sed morantur in agris. Qui maximum et infinitum exercitum congregaverunt, ita quod sperabant se posse superare imperatorem et habere omnia sua. Et pugnaverunt cum eo per quatuor ebdomadas die noctuque, ita quod exercitus imperatoris semper incedebat armatus; et interfecit ex eis maximam multitudinem, et quendam admiragium[i] magistrum militiae eorum. Restagnus[k] vero dominus illorum in quadam strictura montium cum[l] infinito exercitu fuit ante imperatorem, et non sinebat eum transire, sed misit ad eum, quod non transiret, nisi daret ei centum somarios auri et argenti honeratos. Imperator vero respondit, se libenter dare et aurum et argentum, sed non nisi manu latum[m].

Interea nuncii soldani ducebant eos et dicebant, cito eos esse in terra soldani, ita quod gens ista amplius non posset ei nocere. Tunc quidam amiragius divino numine tactus[n] venit ad imperatorem, et dixit, se ostendere ei bonam viam, et quod Turchimani[o] mane preliaturi[p] erant iam cum eo; et si hoc non esset, amputaret caput eius. Et duxit eum ad montana, cum deberet ire per planitiem quam[q] Turchi operiebant[r]. Praecepit tunc imperator, ut omnes acciperent poenitentiam, qui in mane erant proeliaturi. Mane vero ceperunt montana; sagittarios[s] et balestarios praemisit, et pugnaverunt cum eis, et multos ex eis interfecerunt; sed ipsi desuper multos de viris interfecerunt[t]. Et cum pervenisset ad exitum[u] montis, non potuerunt descendere, nisi relictis sarcinis[v] et alimentis[w]. Sed cum dux descendisset, ipsi infestabant imperatorem, quod non poterat descendere. Dux vero reversus, simul cum imperatore pugnavit cum eis; devicit eos, et dux ibi fuit percussus de quodam lapide, et duos dentes amisit, postea transacto monte et relictis alimentis, ductores soldani fugerunt ab eo. Imperator vero duxit eos per quandam planiciem per quindecim dies; sed non inveniebant ad comedendum, sed commedebant equos. Cum in illis partibus agrestes Turchi putarent eos defecisse fame, praeparaverunt se ad bellum cum peditibus et militibus ut pugnarent cum eis. Imperator autem manu gravi devicit eos. Sed maxima multitudo Turchorum fugerunt in quadam clausura; et Theothonici acceperunt ligna, et igne conbuserunt eos; et deinde Turchi agrestes fugerunt et amplius non fuerunt secuti.

Altera vero die Melocrinus filius soldani cum suo exercitu obviavit imperatori et misit ad eum dicens: *Revertere. Quid facere putas, cum amplius habeam vexilla, quam tu milites?* Et cum pervenisset ad quemdam pontem, Turchi fuerunt ante et retro. Dux vero praecessit, et pugnavit cum eis, et devicit eos; imperator ex alia parte alios fugavit et maximam partem interfecit et pontem transivit. Deinde maxima et infinita multitudo Turchorum ex omni parte circuivit[x] exercitum christianorum, ita quod eundo expugnarunt eum undique die noctuque per tres ebdomadas. Et nichil habebant ad commedendum, nisi quod commedebant equos. Postea dimiserunt eum ire. Per unum diem et noctem non[y] inveniebant aquam. Sed ceperunt quandam Turcham[z], et minati sunt ei amputare caput, nisi ostenderet aquam; qui ostendit eis aquam salsam[*].

49 Altera vero die fuerunt castra metati in cardinis Conii[49]. Tunc soldanus misit ad imperatorem, quod ipse male intraverat in suam terram. Et imperator remisit ei, ut diceret, ut utrum vellet[a] dare forum an non. Respondit vero soldanus, se velle dare. Sed ita

a) *deest* 1. b) panier *gallice*. c) Videns — posset *desunt* 2. *et spuria esse videntur propter eadem fere supra relata.* d) dictus 1. e) et — nemoris *desunt* 2. f) *ita* 2. *et Ann. Plac.*; Grecos et *desunt* 1. g) berza 2. barias nagestes t. 1. h) *ita* 2. *et Ann. Plac.*; in illo 1. i) ammiratum 2. k) *ita Ann. Plac*; regnans 1. restagus 2. l) *deest* 1. m) *ita* 1. sed nisi immelenatum unum 2. n) *ita* 1. a. nomine Tactus 2. o) *ita Ann. Plac.*; *deest* 1. 2. p) preliati 1. q) q. t. o. p. t. i. ut o. *desunt* 2. r) opat 1. s) sagittariis et balesteriis 1. t) impedierunt 1. u) scensum 2. v) reditis saracenis 1. w) *sequentia omnia* Sed *usque* ripam illius *servavit nonnisi codex* 1. x) *ita Ann. Plac.*; crevit 1. y) *vocem inserui.* z) *ita Ann. Plac.*; turbam 1. *) falsam 1. a) velle 1.

49) i. e. in limitibus Iconii.

carum misit forum, quod christiani[a] non poterant sufferre, et praeparaverunt se ut pugnarent 1190. cum eis. Tunc episcopus Wirciburgi[b] denunciavit[c] concionem die Veneris pentecostes quatuor temporum et ortatus[d] est eos ad bellum, et praecepit ut omnes acciperent poenitentiam, et commederent carnes ad hoc ut firmiter pugnarent contra hostes. Dixerat enim ipse episcopus et quidam alii, se vidisse beatum Georgium pugnantem pro eis contra hostes. Unde omnes voverunt ieiunare vigiliam in pane et aqua. Armati vero ad pugnandum, filius soldani occupavit exercitum retro. Sed dux pugnavit contra civitatem, et magna vi intravit cum eis in civitatem, et fere omnes interfecit. Imperator vero retro cum duce[e] filio suo cum filio[f] soldani Mai. 18. pugnavit; infinitam et innumerabilem multitudinem ex eis interfecit. Et reversus imperator hospitatus fuit cum filio in civitate. Est enim castrum fortissimum in civitate, in quo soldanus cum quibusdam fugit. Mane necessitate conpulsus misit ad imperatorem, dicens, se velle dare forum et omnia que vellent in pace, et se mestum esse de hoc, quod contigerat. Imperator vero propter[g] fectorem[h] mortuorum, quo domus et viae plenae erant cadaveribus, petiit obsides ab eis, et secessit fere per tria miliaria, et ea strenue tactus est in pomeriis. Soldanus autem dedit ei viginti quatuor obsides, et dedit ei forum per totam suam terram, ut promiserat imperatori. Et[i] quia equi defecerant imperatori propter hoc quod ipsi commederant et mortui erant in proeliis et fame, imperator[k] petiit ab eo forum equorum[l]; et soldanus ei confert venire maximam multitudinem. Sed pernimium eos caros dicebant ex voluntate soldani, ita quod unum dextrarium centum marchas argenti dicebant. Et per tres dies fuerunt ita cari. Sed Theothonici coeperunt dare fertonem per[m] marcham, et ipsi bene accipiebant. Audiens soldanus misit ad imperatorem, conquerens se, quod sui decipiebant Turchos. Imperator remisit ei, quod si darent bonum forum, et ipsi darent bonam marcham. Et sic constituerunt inter se potestates[49] de christianis et 49 Turchis, qui tenebant iustitiam; et deinde non deceperunt se.

Et Turchimanni[n] agrestes, qui non sunt de potestate soldani, semper infestaverunt eos usque in Armenia. Postquam venerunt in Armenia et ascenderunt montana, ipsi amplius non fuerunt secuti, sed invenerunt Armenos et Grecos, qui dederunt eis forum. Post descenderunt de montanis et invenerunt flumen Calphy, et iverunt duos dies per ripam illius[o]. Tertio vero die vidit imperator ultra flumen quaedam amoena et preciosa[p] loca; transivit causa commedendi et spaciandi et post prandium dixit se velle balneare[q]. Erat quippe illud flumen[r] magnum. Descendit autem imperator in flumine cum duobus militibus, et coepit natare; et tunc inundatio[s] venit et mersit[t] eum. Et quidem[u] miles venit cum equo et extraxit eum de flumine. Et eodem[v] die mortuus est, et plantum magnum fecerunt super eum; et postea portarunt eum ad civitatem Salaphim[w], et paraverunt[x] per tres dies et condiderunt aromatibus.

## ANNALIUM CODICIS 2 CONTINUATIO.

Et in ipso anno, qui erat 1201, die Martis 11. die ante Kal. Iunii, indictione quarta, Mediolanenses trium portarum, scilicet portae Ticinensis, portae Romanae et portae Orientalis, cum omni comitatu et cum Cumanis et Novariensibus et Vercellensibus, Alexandrinis, perrexerunt in obsidione Viglevani, et cum carrocero et vexillis, et cum magnis predariis septem. Et per sex hebdomadas ibi steterunt. Quod castrum fortissimum erat cum fossato magno et murato a ripa de foris usque ad summum, et cum altissimo muro merlato iuxta terragium, et cum uno alio muro intus; qui duo muri interrati erant a medio usque ad summum. Ibi castra fixerunt, et fortiter expugnaverunt. Eo die sabbati, qui est septimus dies mensis Iulii, antequam oppidum esset captum, iverunt aliae tres portae, scilicet porta Vercellina, porta Cumana, porta Nova, ad ipsum castrum, et cum aliis portis ceperunt, et fortiter illud expugnaverunt, et illud ceperunt et destruxerunt, et captivos Mediolanum duxerunt, in carcerem eos miserunt. 1201. Mai. 22.

Millesimo ducentesimo primo, quarto die ante Kal. Augusti in vigilia sanctorum Nazarii Iul. 29.

a) *deest* 1. b) mei burgi 1. c) de nō gtoēm 1. d) ordinatus 1. e) d. *ex Ann. Plac. recepi.* f) s. c. f. *ex Ann. Plac. recepi, ubi* Meltrinus *audit.* g) perfectorem 1. h) *i. q.* foetorem. i) Et — imperatori *desunt* 1. *recepi ea ex Ann. Plac.* k) i. *deest* 1, *adest in Ann. Plac.* l) e. *deest* 1, *adest in Ann. Plac.* m) pro marcha *Ann. Plac.* n) turchi manu *cod.* o) *hinc* 2. *iterum pergit.* p) virentia 2. q) baneare 1. natare 2. r) illud flumen 1. aestus 2. s) in unda 2. t) demersit 2. u) quidam alius miles cucurrit equo 2. v) *deest* 1. w) *ita Ann. Plac.*, phalephym 1. saleph 2. x) ploraverunt eum p. 2.

49) i. e. iudices.

1201. et Celsi, fuit proelium de Vigrino, in quo capti et denudati fuerunt Papienses omnes, et multi fuerunt interfecti.

1202. Sequenti vero anno, qui erat millesimo ducentesimo secundo, in mense Iunio collegerunt Mediolanenses exercitum cum omni comitatu, et cum Papiensibus perrexerunt super terram Pergamensium cum carozero, magnum guastum fecerunt in arbores eorum, corticaverunt et blavas devastaverunt, et alia multa mala fecerunt; per dies undecim super terris Pergamensium steterunt faciendo guastum cum Papiensibus insimul cum carrozero suo.

1230. Oct. 17. Millesimo ducentesimo trigesimo, 17. die mensis Octobris incoepit magna pluvia, et pluit per hebdomadas .... Et tunc ambo pontes Ticini fracti sunt, et multa loca submersa fuerunt, et Ticinus totam vallem implevit usque ad fundamentum costarum eius.

# ANNALES MINORES ET NOTAE MEDIOLANENSES.

## EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ.

*Quo validius in imperii rebus praeter cetera Lombardiae oppida Mediolanum constat fuisse medio aevo, eo plus curae in indagandis colligendisque etiam minoribus illus loci commentariis historicis posuimus. Neque vero dubitari debet, quin eo monumentorum genere Lombardiae caput multo magis abundaverit, quam ex solo numero eorum, quae convexiimus, coegeris. Sunt enim et communia in istis multa et in eorum quoque plurima plane propria, ut minime obscurum sit, periisse ubertatem commentariorum, e quibus nostri per partes effecti sint. Quae autem simul in medio ponimus opuscula, de iis pronuncianda haec sunt:*

*I. Notas Sanctae Mariae descripsi ex codice membranaceo saec. XII. forma quadrata, quem primitus cathedralis ecclesiae Mediolanensis fuisse memoriae in eo positae necessarie demonstrant*[1]*, quique teste Muratorio (RR. Ital. SS. II. II.* 1023*) ante annum* 1726 *Camilli Sitoni Mediolanensis factus, postea in bibliothecam Ambrosianam transiit, ubi anno* 1860 *et hunc (signatum* I. 152 inf.*) et alios libros manu scriptos mihi licuit scrutari. Habet autem in se codex inter alia de caerimoniis Mediolanensibus plerumque agentia*[2] *calendarium quoque notis historicis ornatum, quod Muratorius l. l.* 1035—1041 *ex Sitono tum codicis domino minus commode* Kalendarium Sitonianum *nuncupans in lucem edidit*[3]*. Equidem nostro proposito satisfacere mihi visus sum iis, quae et in calendario et aliis codicis locis leguntur, narratiunculis accurate desumendis observatoque annorum, non dierum, ordine digerendis.*

*II. Notas Sancti Georgii, item per annorum seriem a me dispositas, praestitit calendarium ecclesiae sancti Georgii in Palatio Mediolanensis, quod exeunte saeculo XIII. exaratum codice membranaceo bibliothecae Ambrosianae (signato* A. 2 inf.*) continetur. Indidem anno* 1725 *eaedem res nec vero omnino integrae propositae sunt a Muratorio RR. It. SS. I. II.* 235—236*, cum hoc titulo:* Excerpta historica ex vetustissimo Kalendario manuscripto Ambrosianae bibliothecae.

*III. Annales breves ex duobus formae maximae foliis membranaceis, antecedentibus Aeneae Silviae opera, quae I. C. Casimiri Donaudi Taurinensis erant,*

1) V. notas ad 931, 1018, 1045, 1100, 1126, 1186.

2) De quibus cf. Dozio, Seconda appendice all' esposizione delle cerimonie della messa privata giusta il rito Ambrosiano. Milano 1855. pag. 129 sq.

3) Neque Beroldinum reor calendarium appellandum esse. Ex Beroldi enim cicendelarii, qui circiter anno 1126 floruit, opusculo codici inserto (quod Muratorius Ant. Ital. diss. 57 edidit cum inscriptione hac: *Beroldi ordo et ceremoniae ecclesiae Ambrosianae Mediolanensis*), quis calendarium composuerit, perspici nequit; licet codex ille, ut a recentioribus exemplis discernatur, *Beroldus vetus* a Mediolanensibus appellari soleat.

*primus De Lewis Anecdota sacra p.* 1—9 *publicavit nominavitque* Chronicon I. Mediolanense[4]. *Qui quidem annales ut ad priorem editionem, nec tamen prorsus sine correctione repeterentur, librorum scriptorum defectus coegit.*

*IV. Annales brevissimos, quorum anni* 1111—1064 *manu saec. XII, annique* 1200—1237 *diversis saec. XIII. manibus relati sunt in penultimum codicis Parisiensis* 4616 *folium, a Stephano Balazio anno* 1679 *in Miscell. II,* 307 *cum indice hoc:* Chronicon Cremonense *primum vulgatos, deinde in eorundem Miscellaneorum editione Mansiana I,* 122 *repetitos, Parisiis ex ipso codice desumpsit Pertzius. Et memoriae quidem annorum* 1213 *et* 1234, *si separatim considerantur, in hanc facillime sententiam ducunt, ut Cremonensem annalium originem ponas*[5]*; sed ceteris in rebus tantus apparet cum aliis annalibus Mediolanensibus consensus, ut annales ad Mediolanum rite referendos esse palam fiat, praeterquam quod de duorum illorum annorum rebus gestis forsitan scriptor sive Cremonensis sive Cremonensibus favens exposuerit.*

*V. Annalium minorum editionem procuravi, subsidia nactus haec:*

1) *codicem Caroli Morbii Mediolanensis chartaceum forma quadrata saec. XV, in quo insunt a) Ottonis Morenae, Acerbi Morenae, anonymi de rebus Laudensibus narratio (pag.* 1—95*), b) Annales Mediolanenses minores (pag.* 104—112*), c) Memoriae Mediolanenses (pag.* 117—128*), v. infra VI, d) notae variae (pag.* 97—104 *et pag.* 112—116*). Quae quidem omnia etsi oppido vitiose descripta sunt, tamen ob eam rem in pretio habendus codex est, quia ceteris pleniores exhibet eos, de quibus agimus, annales.*

2) *codicem Taurinensem* 1045 *chartaceum forma quadrata saec. XVI. a Bethmanno nostro collatum, quem quidem adumbravit Pasinus (Codices manuscripti bibliothecae regii Taurinensis Athenaei II,* 350 *sq.), ex quoque idem unus annales hos, quoad in codice insunt, usque ad annum* 1218 *foras dedit ibid. pag.* 351—356.

3) *codicem Trivulzianum* ✠. 332. IV *chartaceum ineuntis saec. XVIII, ad quem Mediolani in palatio Trivulziano aditus mihi patuit beneficio illustrissimae marchionissae Marianae Trivulzio e gente Rinuccini. Cuius codicis folia* 367. 368 *et* 388—395 *res annorum* 355—1202 *non ad verbum sed commutatas continent, easque assumptas ex „cod. ms. Anglesiae eiusque comitum in archivio monasterii Clivatensis ducatus Mediolani", res autem annorum* 1203—1280 *leguntur fol.* 395—398 *integre derivatae „ex codice Blanchiniano bibliothecae monachorum Sancti Ambrosii". Iste vero codex Blanchinianus et ille, de quo Giulinius Mem. de Mil. I,* 211 *aliisque locis memoravit, „codex bibliothecae monachorum Sancti Ambrosii n.* 161*", idem fuisse videtur; sed ubi locorum hodie sit nescio, in bibliothecis Mediolanensibus ecclesiae sancti Ambrosii, Ambrosiana, Brera eum frustra percontatus.*

*VI. Memorias Mediolanenses e necrologiis magnam partem, relictis ipsis diebus, manasse, et eae res testimonio sunt, quae in necrologio Sancti Georgii evidenter nituntur, et aliae narratiunculae, quarum verbis ille ortus plane significatur, huiusmodi:* A. 1110 fuit bellum de Brexianis sed non ac (hac) die; 1116. hodie fuit magnus terre motus per totam Italiam; A. D. 1186. hodie nuptie regis Henrici facte sunt Santo Ambroxio *cet. Quas quidem omnes prompsi ex codice Caroli Morbii Mediolanensis, cuius supra (V,* 1*) est mentio facta.*

*Berolini Kalendis Ianuariis* 1862.

4) Quod ibidem p. 10 sq. legitur *Chronicon II Mediolanense* ab a. 996. usque ad a. 1238. ex codice Sedunensi editum, id in praesentia mitto, quum subsit spes, fore ut inveniatur liber scriptus, cuius auxilio libellus vitiis multis corruptus reddatur emendatior. 5) Cf. Archiv VII, 554.

# NOTAE SANCTAE MARIAE MEDIOLANENSES.

Non. April. depositio sanctissimi Ambrosii, ubi requiescit, anno dominice incarnationis 382, indicione 10.

13. Kal. Iul. obiit Lampertus archiepiscopus, qui iudicavit[6] custodibus maioris aecclesiae, quicquid habet[a] in Mandello[7] vel in eius territorio. 931.

5. Kal. Mart. obiit Arnulfus archiepiscopus, qui dedit valles[8] presbiteris decomanis et cardinalibus. 1018.

17. Kal. Febr. obiit Aribertus[9] archiepiscopus. 1045.

9. Kal. Iuni. anni Domini 1061. bellum de Campo mortuo[10]. 1061.

5. Non. Mart. anni Domini 1071. combustum est Mediolanum ab igne de Castell(iono)[b] [11]. 1071.

Id. Sept. anni Domini 1100. iter Anselmi archiepiscopi in Corrociana[12]. 1100.

8. Kal. Apr. anni Domini 1104.[13] iuditium de presbytero Liprando[c]...... 1103.

6. Kal. Nov. anni Domini 1103. cecidit aecclesia sancti Laurentii.

6. Kal. Oct. anni Domini 1104. primus ignis Mediolani. 1104.

8. Id. Oct. anni Domini 1105. ignis secundus Mediolani. 1105.

16. Kal. Aug. anni Domini 1106. tertius ignis Mediolani. 1106.

14. Kal. Iul. anni Domini 1110. bellum de Brexanore[14]. 1110.

9. Kal. Iuni. Item anno Domini 1111. capta est civitas Laude. 1111.

3. Non. Ianu. anno dominicae incarnationis 1117. factus est ingens terre motus huic civitati universaeque nostrae provintiae. 1117. Ian. 3.

4. Non. Octubris obiit Yordanus archiepiscopus. 1120.

2. Non. Aug. anni Domini 1124. combusta est aecclesia sancti Laurentii ab igne de porta Iovia[15]. 1124.

5. Kal. Iuni. obiit Oldericus archiepiscopus, qui optulit yemali ecclesiae totam capellam suam. 1126.

6. Kal. Sept. anni Domini 1127. capta est civitas Cumensium. 1127.

9. Kal. Iul. anni Domini 1132. bellum de Marcinago[16], in quo capti sunt pedites Papiensium fere omnes. 1132.

Non. Iuni. anni Domini 1139. capti sunt Cremonenses fere omnes a Mediolanensibus. 1138.

4. Kal. Iuni. anni Domini 1176. inter Legnianum[17] et Ticinum Mediolanenses expulerunt de campo inperatorem Federicum cum toto exercitu suo, et infiniti Teutonici capti sunt ibi et gladio occisi; et fere totus populus Cumanorum ibi remansit[d]...... 1176.

*Breve*[e] *recordationis earum rerum, quas venerabilis papa Urbanus donavit Mediolanensi ecclesie:* Inprimis altari planetam[18] de coco et toaliam[19] cum frixio[20] ad usum canonicorum ad honorem sancte Marie; duo pluvialia[21], unum rubeum et aliud fodoratum[22] de glauco, ita ut primi presbyterorum et diaconorum his utantur in solempnitatibus; et camisium frixiatum[23] in capella archiepiscopi et dalmaticam deauratam, utantur in principalibus festivitatibus, ordine servato; et dalmaticam albam et tunicam albam in capella archiepiscopi; et tunicam rubeam ad usum canonicorum in letaniis; et planetam rubeam in capella archiepiscopi, ea lege, si archiepiscopus presens fuerit, his utatur si voluerit, alioquin canonici utantur. Insuper donavit calicem argenteum totum deauratum et duos urceolos argenteos 1186. Dec.

a) *an* habent? b) castell? *cod.; cf. Ann. Mediol. minores infra.* c) *sequitur locus rasus in cod.* d) *sequitur locus rasus in cod.* e) Breve — pontificatus sui *leguntur in cod. fol.* 177.

6) legavit. 7) Mandello in orientali Larii ripa. 8) vallem Leventinam et vallem Blenii *(valle Blegno)* in Helvetiae pago Ticinensi. V. Giulini Mem. di Mil. II, 217. III, 134. IX, 28. 9) s. Heribertus. 10) Campo Morto a Mediolano ad meridiem, inter Landrianum et Lacchiarellam. De proelio cf. Arnulfi Gesta archiepiscopp. Med. III, 8 supra SS. VIII, 19. 11) Castiglione a Varisio ad meridiem. De huius incendii Mediolanensis et appellatione et tempore v. Giulini Mem. di Mil. IV, 142 sq. 12) Chorasan; qua voce totum regnum Babylonicum significabant. 13) immo 1103; ex Landulfi enim de S. Paulo hist. ap. Muratori SS. V, 481 intelligimus, feria quarta ante pascha factum esse illud iudicium, quae quidem feria in diem 25. Martii incidit anno 1103. Cf. infra Annal. Mediol. minores 1103. 14) Bressanoro a Castel Leone ad septentriones, inter Cremam et Cremonam. 15) de porta Iovia s. Iovis cf. Giulini V, 129. 16) Marcignano a Papia inter septentrionem et occidentem; a Bereguardo ad orientem. 17) Legnano ad Olonam fl. 18) vestem sacerdotalem (casulam). 19) mantele, Ital. *tovaglia.* 20) limbo. 21) vestes episcopales. 22) ab interiore parte tectum, Ital. *foderato.* 23) limbo circumdatum.

preciosos, et stolam optimam cum manipulo optimo ad usum canonicorum. Anno dominicae incarnationis 1186, mense Decembri, secundo anno pontificatus sui[24].

1253. 5. Kal. Febr., 1253, die Martis, aparuit quoddam monstrum in ecclesia sancti Vincentii.

Id. Iul. obiit Ilderatus, qui dicitur Boto.

---

# NOTAE SANCTI GEORGII MEDIOLANENSES.

1061. 10. Kal. Iuni. 1061. fuit bellum in Campo mortuo.

1070. 3. Non. Mart. 1070. ecclesia sancti Laurentii combusta est.

1105. 3. Non. Oct. 1105. fuit ignis Rogerii.

1106. 16. Kal. Aug. 1106. tertius ignis Mediolani.

1111. 7. Kal. Iuni. 1111. capta est civitas Laudensis a Mediolanensibus.

1124. 2. Non. Aug. 1124. combusta est ecclesia sancti Laurentii maioris ab igne de porta Zobia[25].

1127. 6. Kal. Sept. 1127. captio civitatis Cumane a Mediolanensibus.

1129. 18. Kal. Febr. 1129. consecrata est ecclesia sancti Georgii in Pallatio. Et obiit Gibuinus eiusdem ecclesie prepositus et primicerius Mediolanensis[26].

1132. 6. Id. Nov. 1132. obsedit rex Loterius Cremam.

1136. 9. Kal. Aug. 1136. fuit tempestas valida Mediolani.

1138. 3. Id. Mart. 1138. fuit[a] Churadus electus rex et coronatus ad Asiam[27].

Non. Iunii 1138. capti sunt Cremonenses a Mediolanensibus.

1139. Non. Iunii 1139. fuit bellum de Rivolta[28].

1145. 17. Kal. Maii 1145. apparuit stella cum magna cauda in celo, et tunc fuit magna mortalitas.

1154. 1154. imperator Federicus primo intravit Lumbardiam.

1155. 8. Id. Apr. 1155. Terdona capta est atque destructa.

1156. 18. Kal. Iul. 1156. Mediolanenses ceperunt Cerredanum[29].

1157. 14. Kal. Iul. 1157. Mediolanenses ceperunt Vigivanum[30] et fere omnes Papienses.

5. Kal. Sept. 1157. Mediolanenses redificaverunt Lomelum[31].

a) *sequitur in cod.* coronatus, *sed est deletum.*

24) In cod. fol. 177 habetur haec Gregorii VIII. bulla, data 1187. Nov. 29: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fatribus universis episcopis Lonbardie salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam, ut ait scriptura, proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua, sicut ex sensualitate caro vergit in culpam, ita vigore spiritus precedente, et subsequente divina gratia, animus niti debet ad veniam et remedia semper inquirere, quibus irruentes mortis occasiones valeat declinare. Inde siquidem est, quod intelligentes, multa ex defectu proprio, multa ex aliena malitia in vestris ecclesiis evenisse, que aut delictum in se aut occasionem habeant delinquendi, per auctoritatem apostolice sedis, cui ex dispositione Domini deservimus, prout datur ab eo, decernimus obviandum et auctoritatem in vobis episcopalis officii ad resecanda nociva in subditis vestris et inserenda hutilia scriptis apostolicis muniendam; recolentes, quod in veteri* Levit. 6, 12. *lege precipit Dominus dicens: „Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, mane subiciens ligna per singulos dies." Statuimus ergo, ut facultatibus ecclesiarum vestrarum atque proventibus et expensis etiam diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum clericorum, et statuere, ut bona eorum veniant in commune, et in una domo vescantur et sub uno tecto dormiant et quiescant. Si qui vero contradictores exstiterint, licitum vobis sit, per suspensionem officii et beneficii, aut graviori etiam pena, si opus fuerit, ad hanc eos observantiam appellatione compellere non obstante. Indulgemus etiam, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus iniectione in socium a communione fieri meruerit alienus, reconciliandi eum, penitentiam imponendi potestatem plenariam habeatis, nisi forte atrocitas facti graviorem penam expectet; quod eciam de mulieribus et his, qui pro senectute et infirmitate ad nostram presentiam adire non possunt, volumus observari, nullum preiudicium constitutioni ecclesiastice vel nostris successoribus afferentes, quominus super his, quod rectius viderint, valeant ordinare. Datum Parme in die 3. Kal. Decembris, indictione 6.*

25) s. Iovia.

26) Gibuini mortem ad d. 15. Ian. quidem, neque vero ad a. 1129. referendam esse, docet Giulini V, 250.

27) Aquisgrani.

28) qui locus videtur esse unus ex tribus, qui *Ripalta* vocantur, locis a Crema ad meridiem sitis.

29) Cerano a Novaria inter orientem et meridiem.

30) Vigevano.

31) Lomello a Mortara ad meridiem.

8. Id. Aug. 1157. rex Federicus imperator obsedit civitatem Mediolani usque 8. Idus 1158.
Septembris. 8. ante Idus Septembris[32], susceptis a rege legatis Mediolanensibus, confir- Aug. 6. Sept. 6.
matum est pactum et concordia in scriptis redacta.

5. Id. Aug. 1160. Mediolanenses obsederunt Carcanum[33] et ceperunt eum, et impera- 1160.
torem Federicum in fugam converterunt[a], et sui capti sunt plurimi. Aug. 9.

8. Kal. Sept. 1160. ignis Canum[34].

Nonis Mart. 1162. imperator Federicus suam gratiam Mediolanensibus redidit, et eos 1162.
de bano tulit; et civitas destrui cepit. Mart. 7

7. Kal. Maii[35] 1167. Mediolanenses intraverunt civitatem. 1167.

3.[36] Kal. Iunii fuit victus inperator Federicus ad Legnianum a Mediolanensibus. 1176.

Non. Aug. 1179. Mediolanenses inceperunt navigium de Gazano[37]. 1179.

8. Kal. Iul. 1183. iuravit societas Logumbardorum pacem cum inimicis[b] Federici impe- 1183.
ratoris Placentie, que confirmata est ab eodem imperatore[c, 38].

13. Kal. Oct. 1184. imperator Federicus intravit primo[39] Mediolanum. 1184.

Non. Maii 1185. imperator Federicus et Mediolanenses redificaverunt castrum Gremme[40]. 1185.

8. Kal. Dec. 1185. obiit Lucius papa.

6. Kal. Febr. 1186. imperator Federicus et rex Anricus et regina Constantia fuerunt 1186.
coronati ad Sanctum Ambrosium.

2. Non. Sept. 1187. obscuratus est sol. 1187

11. Kal. Maii 1189. imperator Federicus ivit ultra mare. 1189.

16. Kal. Maii 1191. imperator Anricus fuit coronatus Rome[d]. 1191

Non. Iulii 1191. Brisienses superaverunt Cremonenses in ripa Olii[41], crucis cum vexillo uno invocantibus sanctum Ambrosium. Cremonenses, audito nomine sancti Ambrosii, ceperunt fugam, et multi eorum capti sunt necatique in Oleo et in terra.

2. Kal. Iunii 1193. Mediolanenses venerunt Laude-vegio[42] et explanaverunt fossatum; 1193.
et Mediolanenses ceperunt multos Laudenses et Cremonenses et Papienses, et multi eorum[e] Mai. 31
Abdue sunt.

16. Kal. Iul. 1193. Papienses venerunt ad castrum Cuguzie, et multi eorum in flumine Lambri perierunt.

14. Kal. Nov. 1193. Mediolanenses preliaverunt iuxta portas Laude, et multi ex Laudensibus capti fuerunt.

4. Non. Iunii 1195.[43] imperator Anricus et imperatrix Constantia iverunt[44] Apuliam; 1194.
tunc fuerunt capti Pulienses.

3. Id. Sept. 1195. electus fuit dominus Ubertus de Tertiago in[f] archiepiscopum Medio- 1195.
lanensem.

15. Kal. Oct. 1195. Cremonenses fuerunt devicti a Mediolanensibus iusta opidum Mamfredi[45], et multi eorum capti fuerunt et interfecti.

Idib. Iulii[46] 1196. obiit dominus Ubertus de Terziago archiepiscopus Mediolanensis. 1196.

4. Kal. Oct. 1197. obiit Henricus imperator . . . . . . 1197.

14. Kal. Iunii 1199. fuit factum prelium ad Burgum Sancti Domnini. 1199.

6. Id. Maii 1200. turris de Besate[47] capta fuit. 1200. Mai. 10.

a) convertent *cod.* b) *an* nunciis? c) *non constat, utrum ad* 5. *an ad* 8. *Kal. Iul. haec posita sint in cod.* d) *praeterea leguntur in cod. haec:* 16. Kal. Maii 1186. imperator Anricus fuit coronatus Rome. e) *excidisse videntur haec* necati in flumine. f) in *deest cod.*

32) „8. ante Idus Sept." Italicis illius aetatis scriptoribus valet idem quod 9. Idus Sept. (Sept. 5.). At alii tradunt, Mediolanenses imperatori se subiecisse die 6. Sept., alie die 7, alii die 8. 33) Carcano a Como ad orientem. 34) Coortum est enim hoc incendium Mediolanense in domo Lanfranci Canis. V. Annal. Med. maiores 1160 supra. 35) immo 5. Kal. Maias die Iovis, ut ex Annalibus Med. maior. et minor. intelligimus. 36) immo 4. 37) qui canalis *naviglio grande* vocatur locumque *Gaggiano* (a Mediolano ad occidentem) praeterit. 38) Pax die 30. Aprilis Placentiae facta et die 25. Iulii Constantiae confirmata est. V. Mon. Legg. II, 174. 176. 39) sc. post restitutam urbem. 40) Cremae. 41) prope *Pontoglio* et *Cividale*. V. infra Annal. Mediol. minores, Cremonenses, Brixienses. 42) Lodi vecchio. 43) immo 1194. 44) Mediolano; ubi Heinricum imp. „pentecosten (Mai. 29.) celebrasse" docent Annales Marbacenses 1194 supra SS. XVII, 166. 45) Castro Manfredi a. 1186. a Friderico I. destructo, ibidem a. 1188. castrum Leonis (*Castel Leone* a Crema inter orientem et meridiem) conditum est. V. infra Memorias Mediolanenses 1195. et Annal. Cremonenses 1181. 1186. 1188. 46) de die cf. Giulini VII, 25. 47) haud procul a Ticino fl., a Mediolano inter occidentem et meridiem.

1200. Iun. 20. 12. Kal. Iulii 1200. Papienses et Mediolanenses preliaverunt Roxate[48], et multi ex Mediolanensibus et Cumanis capti fuerunt.

1201. Iul. 7. Non. Iul. 1201. Vigivanense castrum captum est a Mediolanensibus.

Iul. 27. 6. Kal. Aug. 1201. Papienses capti sunt a Mediolanensibus et a Placentinis iuxta opidum Nigrini[49].

1203. Febr. 8. 6. Id. Febr. 1203. factus fuit pons ad locum, ubi dicitur pons Regine supra Ticinum per medium[50] Morimundum[51].

1207. Apr. 11. 3. Id. Apr. 1207. dominus Ubertus de Pirovari intravit Mediolanum et incathedratus est. Et precedenti die obiit Phylippus archiepiscopus, et sequenti die sepultus fuit.

1209. Oct. 4. 4. Non. Oct. 1209. coronatus fuit dominus Oto imperator a summo pontifice.

1212. Iul. 29. 4. Kal. Aug. 1212. Papienses capti fuerunt super[a] Mombriono, quando ducebant reatinum[52] a Papia usque ad vadum Lambri ad Cremonenses, usque ad 140 de melioribus Papie a Mediolanensibus.

1213. Iun. 2. 4. Non. Iuni. 1213. Mediolanenses et Cremonenses preliati sunt. Mediolanenses vero habuerunt eorum temptoria, multosque eorum milites ceperunt, set amiserunt carrozanum cum multitudine maxima populi iuxta Castrum Leonum[53].

Oct. 2. 6. Non. Oct. 1213. preliaverunt milites Mediolanenses, scilicet mille, cum Papiensibus iusta opidum Caselii, et Novarienses et Terdonenses, Allexandrini et Vercellenses et Marcenses Malaspina[54]; et capti sunt de Mediolanensibus fere 200 milites de melioribus et preda maxima.

1214. Sept. 1. Kal. Sept. 1214. Mediolanenses iverunt ultra Ticinum[55], et ceperunt Vilegiam[56] et Cozum[57] et Candeam[58] et Bremedum[59].

Oct. 5. 3. Non. Oct. 1214. Mediolanenses et Placentini iverunt ultra Padum et ceperunt Panpanedum[60].

1215. Mai. 27. 6. Kal. Iuni. 1215. Mediolanenses transierunt Padum cum Placentinis, et ceperunt et destruerunt Bolzonascum[61] et Nigrinum[62] et Rovoscuam[63].

Iun. 24. 8. Kal. Iul. 1215. Mediolanenses transierunt Ticinum et intraverunt Lomelinam, et ceperunt et destruerunt Garlascum[64] et multos Papienses[b].

Iul. 26. 7. Kal. Aug. 1215. Mediolanenses transierunt Padum cum Vercellensibus, et receperunt et destruerunt Casate Sancti Vaxii[65], et omnes habitatores eius duxerunt in carcerem.

1216. Ian. 3. 3. Non. Ianu. 1216. fuit terre motus per totam terram Ytalie.

Mai. 28. 5. Kal. Iuni. 1216. Mediolani quatuor porte, scilicet Ticinensis[c] et porta Cumana[d] et porta Vercellensis[e] et porta Nova[f], iverunt ultra Padum, et ceperunt et destruerunt turrem de la[g] Guarda et Scuride[66] et Montem Calvum[67] et Montem D . . nem et cetera.

Aug. 23. 10. Kal. Sept. 1216. Mediolanenses transierunt Ticinum et ceperunt destruere turrem de Rodobio[68].

Aug. 29. 4. Kal. Sept. 1216. Mediolanenses transierunt Padum cum Placentinis et destruerunt Boscetum[69]; et preliaverunt cum Cremonensibus et cum Parmensibus et Mutinensibus, et multi eorum capti fuerunt.

Oct. 21. 12. Kal. Nov. 1216. Mediolanenses transierunt Padum cum Vercellensibus, et redificaverunt Paxilianum[70].

a) f.,'ꝑ *cod.* b) *num ad 8. an ad 5. Kal. Iul. haec ascripta sint, non liquet.* c) T. *cod.* d) C. *cod.* e) Ver. *cod.* f) N. *cod.* g) lo *cod.*

48) Rosate a Mediolano inter occidentem et meridiem. 49) Videtur Negredo esse prope Montù Beccaria, a Placentia ad occidentem. 50) *per medium* valet idem quod *exadversum.* 51) Morimondo inter Mediolanum et Vigevanum. 52) avem regaliolum, regulum, Ital. *reattino* (den Zaunkönig), i. e. Fridericum II. 53) Castel Leone v. supra p. 387 n. 45. 54) homines marchionum Malaspina. 55) in Lomellinam. 56) Velezzo. 57) Cozzo. 58) Candia. 59) Breme. 60) „castrum Parpanisii" secundum Annales Placentinos 1214. Quod castrum videtur eodem loco fuisse ubi hodie *Mezzano di Parpanese*, in sinistra Padi ripa, media fere via inter Papiam et Placentiam. 61) Bosnasco a Placentia ad occidentem. 62) Negredo v. supra annot. 49. 63) Rovescala. 64) Garlasco a Papia ad occidentem. 65) Casale *(Casale di Sant' Evasio)* a Vercellis ad meridiem. 66) Is locus in Annalib. Placentinis 1216 „Sivriasci" vocatur, esseque videtur *Soriasco* a Placentia inter occidentem et meridiem. 67) Monte Calvo ad Aversam fl. prope Soriasco. 68) Robbio inter Mortaram et Vercellas. 69) Busseto a Cremona ad meridiem. 70) Bassignano in dextera Padi ripa, ab Alexandria inter orientem et septentrionem.

10. Kal. Iul. 1217. Mediolanenses cum carozaro transierunt Abduam per terram Cremo- 1217.
nensium, et ceperunt Trivilium[71] et Anzanelum[72] et villam de Zovenolta[73]; et devasta- Iun. 22.
verunt totam terram usque ad quatuor miliaria prope Cremonam.

5. Non. Iul. 1217. Papienses iuraverunt stare omnibus mandatis Placentinorum et Me- Iul. 3.
diolanensium Placentie.

10. Kal. Dec. 1220. incoronatus fuit Federicus Rogerius in urbe Romana. 1220. Nov. 22.

17. Kal. Sept. 1221. dominus Amizo Sachus, potestas Mediolani, dedit banum archi- 1221.
episcopo Mediolanensi[74], tamen non potuit dare. Et in illo anno apud festum nativitatis Aug. 16.
proxime[a] iverunt capitanei et valvasores extra civitatem.

3. Kal. Ianu. 1222. dominus Lafranche de Muzo, potestas Mediolani, dominum Henri- Dec. 30.
cum archiepiscopum Mediolani de bano ........[b] ab Amizone[c] Saccho.

Idib. Aug. 1222. dominus Ardigottus Marcellinus, potestas populi Mediolani, ivit cum 1222.
ipso populo ad castrum[d] de Vavri[75] et devastaverunt illud; et devastaverunt Pirovanum[76] Aug. 13.
et Veranum[77]. Et postea ivit Marbanum[78] cum magno exercitu. Et capitanei et valvasores
cum domino archiepiscopo erant Canturii[79] et debebant preliare insimul. Tamen non fuit[e]...
voluntas, et remansit.

18. Kal. Sept. 1222. in festo sancte Marie apparuit stella cum magna cauda in celo, Aug. 15.
unde homines multum mirabantur. Et postea luna fuit quasi mortua, et non resplendebat,
et fuit apud ipsam stellam.

8. Kal. Ianu. 1223. die dominico circa horam sextam fuit terre motus magnus per totam Dec. 25.
Ytaliam; et fere tota civitas Brixiensis devastata fuit et episcopatum totum destructum fere,
et multi homines et pueri et femine mortui sunt in illa civitate.

4. Id. April. 1230. obiit ser Stephanus Spitiarius. 1230. Apr. 10.

Kal. Iuni. 1244. obiit Chunradus Spitiarius. 1244. Iun. 1.

8. Kal. Mai. 1262. fuit factam festam sancti Georgii ad Sanctum Primum in principio. 1262. Apr. 24.

8. Kal. Iul. 1264. apparuit stella caudata in ahere quasi mortua, que apparuit per duos 1264.
menses; et infra annum mortuus est papa[80], et rex novus factus[81] in Appulia. Iun. 24.

13. Kal. Oct. 1267. obiit ser Ubertus Spiciarius. 1267. Sept. 19.

7. Id. Dec. 1275. obiit dominus Bus.... de Terziago, ordinarius Mediolanensis ecclesie, 1275.
prepositus ecclesie sancti Georgii in Palatio, qui iudicavit fratribus ... argentum, et dedit Dec. 7.
huius ecclesie liberum se...entie pro remedio anime sue.

13. Kal. Ianu. 1284. obiit dominus Petrobellus Buntis, prepositus ecclesie sancti Georgii 1284.
in Palatio, qui iudicavit pro remedio anime sue solidos 44 ter supra unam domum, que est Dec. 20.
de Sambuco[f]; qui denarii debebunt dispertiri inter illos dominos, qui ....

6. Id. Aug. 1295.[g] obuit dominum Ottum Vescontia archiepiscopum Mediolani; stetit 1295.
33 anni, dies 28. Aug. 8.

---

# ANNALES MEDIOLANENSES BREVES.

Anno Domini 397. obiit beatus Ambrosius 8. die Aprilis, et vixit in archiepiscopatu 397.
annos 25 et menses 4, dies 5.

1104.[h, 82] Iudicium de praesbitero Liprando 7.[83] Kal. Aprilis. 1103. Mart. 25.

1111. Capta est civitas Laudensis 9. Kal. Iunii. Quo anno Henricus Romam intravit 1111.
pacifice, et simulata concordia, a papa suscipitur. Interim pugna exorta, a rege captivatur Mai. 24.
papa. Sed non multo post pacificantur, et post octavas paschae, Idus Aprilis, in ecclesia Apr. 13.
sancti Petri in imperatorem consecratur.

a) p̄x̄ *cod.* b) *lacunam sic expleverim:* solvit, in eum dato. c) Amizone *in lacuna posui.* d) casteum *cod.* e) *sequitur lacuna parva in cod.* f) *eadem manus superscripsit:* de Saxeto. g) 1295 — dies 28 *addidit manus altera saec. XIII. exeuntis.* h) MLIV. *ed. pro* MCIV.

71) Trigolo a Crema ad orientem. 72) Azzanello a Crema ad orientem, prope Olium fl. 73) Genivolta a Crema ad orientem. 74) Henrico. 75) Vaprio ad Adduam fl. 76) Pirovano media fere via inter Modoetiam et Brivium ad Adduam fl. 77) Verano ad Lambrum fl., a Modoetia ad septentriones. 78) Mariano media fere via inter Modoetiam et Comum. 79) Cantù. 80) Urbanus IV, 1264. Oct. 2. 81) Carolus I. 82) immo 1103. 83) immo 8.

1117. Ian. 3. 1117. Factus est terrae motus magnus tertio die Ianuarii. Verona civitas concussis aedificiis corruit, similiter Parma et Venetiis, aliisve civitatibus et castellis. Henricus augustus accedens Venetias, in ducali palatio hospitatus est.

1127. 1127. Capta est civitas Cumensium 9.[84] Kal. Septembris.

1128. Iun. 29. 1128. Rex Chunradus coronatus est secundo die Kal. Iulii[85].

1154. Aug. 10. Dec. 15. 1154. Hostem fecit civitas Mediolanensis ad Lardragum[a, 86] in festo sancti Laurentii, 10. die Augusti. Rex Fredericus distruxit pontem Ticini — et Galiate et Trecate, et civitatem Terdonae — 15. die mensis Decembris[87].

1155. 1155. Hadrianus papa unxit Fredericum, qui eodem anno Longobardiam intravit, vastatis multis urbibus atque locis.

1156. Iun. 14. 1156. Mediolanum cepit Cerredanum 18. Kal. Iunii[88]; et in ipso anno ceperunt Morgengum[89] Mediolanenses.

1157. 1157. Mediolanum cepit castrum de Vigevano, et fere omnes Papienses 12. Kal. Iulii[90]. Item in eodem anno reaedificatum est Lomellum 5. Kal. Septembris.

1158. Iul. 25. 1158. Dominus rex Fredericus cum exercitu suo passavit Abduam in festivitate beati Iacobi et sancti Christophari 7. Kal. Augusti; et in ipso mense venit et obsedit Mediolanum Aug. 6. in festivitate sancti Xisti 6. die Augusti.

1159. 1159. Rex Fredericus posuit assedium circa Cremam 3. die Octobris[91]. Mortuus est Hadrianus papa; schisma ortum est in ecclesia Romana.

1160. 1160. Factum est bellum de Carcano in Sancto Laurentio, 10. die Augusti[92].

1162. Mart. 8. 1162. Fredericus imperator Mediolanenses rebelles vicit, et Mediolanum funditus evertit die 8. Martii.

1061. 1164. 10. die mensis Martii[93] fuit pugna in Campo mortuo.

1167. 1167. Recuperata est civitas Mediolani, et cives intraverunt Mediolanum 6. Kal. Martii[94]. Fredericus Parmam, Bononiam, Terdonam[95] cum aliis civitatibus coegit ad deditionem.

1177. 1176. die 8. Madii Cunrandus Cagapistus[96] venit Venetiis et rectores Longobardiae; ubi erant dominus papa Alexander et imperator Fredericus pro pace facienda.

1176. Mai. 29 Item in ipso anno in festivitate sanctorum martyrum Sisinii Martyrii et Alexandri bellum de Legnano 3.[97] Kal. Iunii.

1183. Iun. 26. 1183. primo die Madii[c] pacem fecerunt Longobardi cum imperatore Federico in Aramagnia[98], in festivitate sancti Iohannis et Pauli[99].

1185. Mai. 8. 1185. octavo die Madii in festo sancti Victoris restaurata est Crema ab imperatore Frederico.

1186. Ian. 27. 1186. Coronatus fuit Fredericus imperator et Henricus eius filius et Constantia uxor eius, tempore Uberti Vicecomitis de Placentia potestatis Mediolani, die Lunae 5.[1] Kal. Februarii.

1191. Iul. 7. 1192. Praelium fecerunt Cremona et Bergamum cum Brixia super Olium ibi ubi dicitur Cividale[d], tempore Rodulphi de Concessa de Brixia potestatis Mediolani, et die Martis[2].

1193. Mai. 29? 1193. Capti sunt Cremonenses et Laudenses, tempore Bonapacis potestatis Mediolani, 3. Kal. Iunii[3] in die sabbati.

a) Cardragum *ed.* b) Mediolanensis *ed.* c) *pro* primo die Madii *legendum videtur* prima indictione. d) cividale *scripsi pro* avidare *ed.*

84) immo 6. 85) immo 3. Kal. Iulii. Vid. Landulfi de S. Paulo hist. Med. 86) Lardirago a Papia inter orientem et septentrionem. Cf. Ottonem Morenam ad 1154. infra. 87) dies 15. Dec. ad pontis Ticini destructionem referenda est; in obsidione Galliuti castri enim Fridericum scimus die 22. Dec. fuisse (v. Archiv IV, 209), Dertonamque mense Aprili 1155. demum destructam esse constat. 88) immo Iulii, v. Not. Sancti Georgii 1156. supra p. 386. 89) Morghengo a Novaria ad septentriones, in dextera Argognae fl. ripa. 90) 14. Kal. Iulii, secundum Not. S. Georgii 1157. 91) obsidionem Cremae iam die 2. Iulii a Cremonensibus coeptam esse, docet Otto Morena. 92) immo die 9. m. Augusti. 93) immo anno 1061. die aut 23. aut 24. m. Maii, v. Notas S. Mariae et S. Georgii supra p. 385 et 386; cf. etiam Annales Med. brevissimos infra. 94) immo 5. Kal. Maias. 95) an Anconam? 96) Is videtur esse Gerhardus Pistus iudex Mediolanensis. V. conventum Venetum, LL. II, 152. 157 et Romualdum Salernitanum. 97) immo 4. 98) Alamannia (Constantiae). 99) i. e. die 26. Iunii. Pacis Constantiensis exempla alia praebent diem 25, alia diem 26. m. Iunii; v. LL. II, 180. 1) immo 6. 2) immo die dominica (7. Iulii 1191). 3) Videtur legendum 4. Kal. Iunii (Mai 29.), qui dies anno 1193. in sabbatum incidit. At cf. Not. S. Georgii 1193, 2. Kal. Iunii supra p. 387.

1194. quarto Kal.[4] Iunii imperator Henricus perrexit Ciciliae; et ibi fuit capta Margha- 1194.
rita et omnes nobiles illius provinciae. Iun. 2.
1199. Fuit exercitus de Burgo Sancti Domnini. 1199.
1200. Capta fuit turris de Besate. Indict. 3. die 11. Augusti[5] una die Lunae fuit 1200.
captus Burgus Pisonii et combustus, et fere omnes habitantes fuerunt.
1201. primo die sabbati circa nonam 7. diei Iulii, indictione 4, Mediolanenses caeperunt 1201. Iul. 7.
castrum de Vigevano. In festo sanctorum Nazari et Celsi 11. Augusti[6] facta fuit captio Iul. 27.
de Negrino. In eodem anno 7. die Septembris in civitate Laudensi pacem fecerunt Pa- Sept. 7.
pienses cum Mediolano; et ibi ubi erat dominus archiepiscopus[7] eiusdem Mediolanensium
et dominus Martinus prior de Camalda de episcopatu Rezo, 13.[8] eiusdem mensis in die Sept. 14.
Veneris iuraverunt et confirmaverunt ipsam pacem in civitate Mediolani in festivitate
sanctorum Cornelii et Cipriani.
1202. Mediolanenses fecerunt exercitum contra Bergamum, in quo exercitu duxerunt 1202.
secum Papienses cum carozeno eorum.
1204. 9. die ante Kal. Madii[a] die Iovis sancto[9] capta est civitas Constantinopolim. 1204.
1205. decimo die Martii una die Iovis pactum fecerunt milites cum papa Mediolanensium. 1205. Mart. 10.
1209. die dominico 4. die mensis Octobris coronatus fuit dominus Otho rex Saxonum 1209.
Roma in imperatorem a summo pontifice Innocentio tertio. Oct. 4.
1210. die sabato sancto 17. die mensis Aprilis dominus Otho imperator Roma venit 1210.
Mediolanum. Apr. 17.
1212. die Lunae sexto die Februarii dominus Otho Dei gratia Romanorum imperator 1212.
fecit pactum de discordia, quae erat inter populum et nobiles civitatis Mediolani; dedit Febr. 6.
medietatem populo et medietatem nobilibus de honoribus. In eodem anno fuit fames
maxima per totam Longobardiam, et in civitate Mediolani dedimus in sestario milii solidos 5,
et silinge solidos 5 et denarios 4, et in frumento solidos 6 et denarios 3.
1218. die dominico, septimo die ante Kal. Decembris, terra tremuit in civitate Mediolani. 1218. Nov. 25.
1220. Fredericus huius nominis imperator secundus, Henrici imperatoris filius, Romae 1220.
imperialem consecutus est benedictionem.
1222. Concilium seu colloquium apostolici et imperatoris apud Veronam cum princi- 1222.
pibus fuit ordinatum et non completum.
1223. die dominico in nativitate Domini circa horam nonam terra tremuit in Mediolani 1222. Dec. 25.
civitate. Item in sequenti quarta feria terra tremuit in nocte. Dec. 28.
1228. die Martis in sequenti nocte decimo die Ianuarii terra tremuit. Die Veneris se- 1229.
quenti nocte octavo die Aprilis[10] terra tremuit.

---

# ANNALES MEDIOLANENSES BREVISSIMI.

1111. 9. Kal. Iunii, indictione 4, capta est et destructa civitas Laudes. 1111. Mai. 24.
1117. 3. die mensis Ianuarii, indictione 10, die Mercurii, in hora vespera fuit terre 1117.
motus maximus, qui antea non erat visus. Ian. 3.
1118. 9.[b] Kal. Novembris, indictione 12, die Iovis captum est castrum Lomelli. 1118. Oct. 24.
1127. 8.[11] Kal. Septembris, indictione 5, civitas Cumensis capta fuit. 1127. Aug. 27.
1064. 10. die mensis Madii[12] fuit pugna in Campo mortuo. 1061.

a) Madii *scripsi pro* Martii *ed.* b) 9. *scripsi pro* decimo nono *cod. Dies enim* 14. *m. Octobris neque debuit significari verbis his:* 19. Kal. Nov. *sed sic:* 2. Id. Oct., *neque incidit anno* 1118. *in diem Iovis, sed in diem Lunae; dies autem* 24. *Oct. (9. Kal. Nov.) anni* 1118. *recte ad diem Iovis refertur. Itaque arbitror, in archetypo positum fuisse ita:* decimo nono Kal. Novembris.

4) immo Nonas, v. Not. S. Georgii l. l. 5) immo 11. exeunte Augusto, i. e. die 21. m. Aug. V. Annales Med. brevissimos infra. 6) festivitas SS. Nazarii et Celsi in diem 28. Iulii incidit. De die cf. Annal. Med. maiores et Notas S. Georgii supra p. 381 sq. et 388. 7) Philippus. 8) immo 14. 9) i. e. die 22. Aprilis; sed Constantinopolim iam die 12. m. Aprilis 1204. captam esse constat. 10) anno 1228. dies 10. Ianuarii in diem Lunae, d. 8. Aprilis in sabbatum incidit. 11) immo 6. 12) immo a. 1061. die aut 23. aut 24. m. Maii, v. supra p. 390 n. 93.

1200. Aug. 21. 1200, indictione 3, die 11. exeunte Augusto, una die Lune fuit captus Burgus Pisonii et cumbustus, et fere omnes[a] abitantes fuerunt et totum suum naudium; et multi procese-runt se de turrim magna, et quam plures in turrim conceserunt pro igne. Et illa nocte, veniente die Lune[b], valde serenum erat; et fere circa medietas noctis aparuit, quod celum aperuiset et pulcram flamam fecit.

1213. Iun. 2. 1213. In nomine Domini anno 1213, indictione 1, una die pase[13], que fuit secunda die intrante mense Iunii, venerunt Cremonenses cum carozolo super terram Creme, et Mediolanenses venerunt cum suo carozola et cum briura; et magnam pugnam fecerunt insimul, et Cremonenses expulserunt Mediolanenses de campo et tulerunt ei carozolum et biuram et 36 confanones[14], et magnam copiam fecerunt de populo Mediolanensium.

1234. Iul. 2. 1234, die 2. intrante Iulio, cum Mediolanenses ivisent in comitatu Cremonensium,
Iul. 3. et die tertio essent apud Zovenoltam sive in loco ubi dicitur etiam Prato de Bisso, ibi Cremonenses cum sua societate pugnaverunt cum Mediolanensibus et Bresanis[15], ita quod Cremonenses meliorem partem obtinuerunt.

1237. Nov. 27. 1237. una die Veneris, 4. exeunte Novembris, aput Curtisnovam[16] domnus imperator cum melitia Papiensium et Pergamensium et cum aliis suis militibus pugnaverunt cum Mediolanensibus et cum illis de eorum societate; et Mediolanenses ibi amiserunt carozolum suum, et innumerabiles fuerunt ibi mortui et capti. Et ipso die captum fuit castrum Curtis-
Nov. 30. nove. Et ultima die ipsius mensis captum fuit per Bergamenses castrum Paluscis[17].

---

# ANNALES MEDIOLANENSES MINORES.

In[c] nomine Domini amen. Anno Domini 64. obiit beatus Iacobus Alfeus apostolus

A. D. 79. beati Petrus et Paulus fuerunt decolati[c].

A. D. 71. fuit Vespasianus[d] imperator.

A. D. 237. obiit beata Ursula cum sociabus suis[e].

A. D. 247. fuit beatus Cornelius.

A. D. 289. obiit beatus Mauricius cum sociis suis.

A. D. 304. inventa est beata crux a beata Elena.

A. D. 355. obiit beatus Dyonisius archiepiscopus Mediolani[f].

A. D. 382. obiit beatus Ambrosius archiepiscopus Mediolani[f].

A. D. 412. obiit beatus Bassianus episcopus Laudensis[g].

A. D. 570.[h] Lambertus rex destruxit Mediolanum[18].

A. D. 615. Angliexius rex Lombardorum destruxit Cremonensses[i].

A. D. 685. fuit beatus Beda doctor[k].

A. D. 750. Natalis[l] archiepiscopus Mediolani fecit fieri ecclesiam sancti Georgii in Palatio.

A. D. 772. fuit beatus Eugenius ad Sanctum Eustorgium[m].

A. D. 780. Desiderius rex fecit fieri[n] monasterium sancti Vincentii[o] et sancti Petri de Clivate.

A. D. 800. Petrus archiepiscopus Mediolani construxit monasterium sancti Ambrosii.

A. D. 836. edificata fuit ecclesia sancte Marie maioris[p] de Mediolano.

A. D. 840. Angilbertus, archiepiscopus Mediolani[q], fecit dotare[r] altare maius[s] Sancti Ambrosii.

A. D. 982.[t] Landulfus de Carcano[u], archiepiscopus Mediolani[v], fecit fieri ecclesiam et monasterium sancti Celsi[w, 19].

a) omines *cod.* b) *sequitur iterum in cod.* veniente. c) In nomine — decolati *leguntur in uno codice* 2. d) Vespexianus 1. e) *memoriae annorum* 237—304. *sunt in uno cod.* 2. f) *res annorum* 355 *et* 382. *desunt* 1, *leguntur in* 2. 3. g) *res anni* 412. *in uno cod.* 2 *habentur.* h) *numerus deest* 1; 2 *habet* 530; 3: 570. i) *haec* 1; *pro quibus leguntur in* 2: A. D. 565. Anglicus rex Longobardorum destruxit Mediolanum. *Desunt* 3. k) *memoria anni* 685. *est in uno cod.* 2. l) *sic* 3; Nicholaus 1; Nicolaus 2. m) *memoria anni* 772. *deest* 1; *habetur in* 2. 3. n) *deest* 2. 3. o) Vicentii 1. p) ecclexia sancti Maiori Mediolani 2. q) *deest* 2. 3. r) *deest* 3. s) *deest* 1. 3. t) 981. 2. u) Carchano 2. v) *deest* 3. w) Celessi 1.

13) paschae pentecostes. 14) vexilla, Ital. *gonfaloni.* 15) Brixiensibus. 16) Cortenova a Brixia ad occidentem, inter Martinengo et Romano. 17) Palosco ad Cherium fl., a Pergamo inter orientem et meridiem. 18) cf. Landulfi Hist. Med. II, 2; SS. VIII, 45. 19) cf. Giulini Mem. di Mil. II, 431.

A. D. 1000. Arnulfus de Arzago, archiepiscopus Mediolani, construxit monasterium sancti Victoris.

A. D. 1023.[a] Heribertus[b], archiepiscopus Mediolani, construxit monasterium sancti Dyonisii.

A. D. 1061. fuit bellum in[c] Campo-mortuo, prope Sedezanum[d, 20], inter Mediolanum 1061.
et Papiam[e].

A. D. 1070. fuit ignis de Casteliono[f], et destruxit castrum de Habiate[g, 21]. 1071.

A. D. 1103, die[h] 7. ante Kalendas Aprilis[22], fuit iudicium ignis presbiteri Aliprandi 1103.
Sancti Pauli in Compedo, et expulsus est[i] Gruxulanus de archiepiscopatu Mediolani[k]. Mart. 25.

A. D. 1111. fuit destructa civitas Laude[l] a Mediolanensibus. 1111.

A. D. 1117. fuit terre motus per totam Italiam tercio Ianuarii[m]. 1117.

A. D. 1124, die 4. Augusti ab igne porte[n] Iovis arsit ecclesia sancti Laurentii. 1124. Aug. 4.

A. D. 1127. fuit destructa civitas[o] Cumarum[p] a Mediolanensibus die 5. ante Kalendas 1127.
Septembris[23].

A. D. 1132. fuit bellum de Martinengo[23*], ubi capti fuerunt Papienses. 1132.

A. D. 1135. edificatum fuit monasterium Clarevalis[24]. 1135.

A. D. 1139. fuit bellum de Rivoltella[q, 25]. 1139.

A. D. 1145. Guifredus de Bussero[r] fecit fieri[s] hospitale de brolio. 1145.

A. D. 1147. Conradus rex et rex .. Francie et Gulphus[u, 26] dux et Amadeus comes[27] et 1147.
multa milia hominum ultra mare profecti sunt.

A. D. 1152. Scalona[v, 28] capta est a christianis[w]. 1153.

A. D. 1154. Federicus[x] Romanorum rex cum Henrico duce, primo introivit[y] in[z] Lom- 1154.
bardiam 11. Kal.[*] Novembris; et venit Papiam. Et destruxit Roxate[29] et pontes supra Tici- Oct. 22.
num et castra de Galliate[a] et de Trecate[b] et de Momo[c, 30] et de Ast[31].

A. D. 1155. de mense Februarii Federicus rex cepit obsidere Terdonam et eam redide- 1155. Febr.
runt[d] die 24.[e] Aprilis[32]. Et Arnulfus[33] combustus est[f]. Et eodem anno de mense Maii abiit Mai.
Romam; et factus[g] est imperator et[h] coronatus ab Adriano[i] papa. Et eodem anno in festi-
vitate[k] sanctorum Gervasii[l] et Protasii capti fuerunt Papienses in maxima quantitate apud
Sedezanum[34], Maragalia de Alliate[m] tunc[n] consule existente. Et[o] retificata[p] fuit civitas Iun. 19.
Terdone a Mediolanensibus. Et[q] eodem anno et de mense Novembris factum fuit pontem Nov.
super Tecinum ad Brinate[q, 35].

A. D. 1156. porta Romana et porta Ticinensis obsiderunt et vicerunt[r] Stabium[s, 36] cum 1156.
porta Orientali. Et die 13.[t] Iunii Mediolanenses fecerunt[u] congregationem exercitus et[u] Iun. 13.
cum 200 militibus de Brissia[v], qui erant in soldo[w] comunis Mediolani[x], obsiderunt Cere-
danum[y, 37] et illud derupaverunt[z], hoc videntibus Papiensibus et Novariensibus[*], qui prope
erant cum tota sua fortitia[a]. Et Mediolanenses ceperunt Papienses et[b] subburga[c] Papie.
Et eodem anno de mense Iullii vel Augusti[d] porta Vercelina et[e] porta Cumana et[f] porta

a) 1022. 1. b) *sic* 3; Henrichus 1; Hembertus 2. c) de 1. d) Sederanum 2. e) Papienses 2. f) Castiliono 2. g) hicate 1; Abirago 2; Habiate 3. *In cod. quondam monachorum S. Ambrosii Mediol.* 161 *legi* Abiate, *docet Giulini Mem. de Mil.* IV, 144. h) et dies 1. i) *deest* 2. 3. k) *deest* 2. 3. l) Laudensis 2. m) *memoria anni* 1117 *deest* 3. n) porta 1. o) *deest* 2. p) Cumana 2. q) Revoltela et de Revoltela 1. r) Guffredus de Bussora 1; Busero 2. s) *deest* 3. u) Guelffus 1. v) Catelonia 1; Scalona 2. w) *res annorum* 1147 *et* 1152 *desunt* 3. x) Fedrichus 1. y) intravit 1. 2. z) *deest* 2. *) 11. Kal. 2. 3. *Sic etiam in cod. quondam monach. S. Ambrosii Med.* 161 *legi, scripsit Giulini M. d. M. VI,* 24. — *In* 1: ad dies 24. a) Galbiate 2. b) Terchate 2. c) *sic habet cod. monach. S. Ambr.* 161, *teste Giulini VI,* 36. Monicho 1; Moñis 2. d) *pro* et eam rediderunt 1 *habet* 2: ex omni radice. e) *sic* 1; vicesimo 2. f) comburssit 1. g) refactus 1; factus 2. h) *deest* 2. i) Andreas 1. k) festum 1. l) Gilvaxii 1. m) Albiate 2. n) *deest* 2. o) *deest* 2. p) ratificata 2. q) *pro* Et — Brinate 1 *leguntur in* 2: In eodem anno elevatus fuit supra Ticinum Debernate (de Bernate.) r) iverunt in 2. s) Steubium 1; Scabium 2. t) 13. 1; 8. 2. u) *pro* fecerunt — et 1 *praebet* 2: congregato exercitu. v) Briziensibus 2. w) *pro* soldo 1 *habet* 2: solitis expensis. x) *sequitur* et *in* 1. y) Ceredum 1; Ceredañum 2. z) destruxerunt 2. *) Papiensses et Novarensses 1; Papiensibus et Novarienses 2. a) sforcia 2. b) *deest* 1. c) suburbia 2. d) *in 2 super deletum* Augusti *est scriptum* asigi. e) *deest* 2. f) *deest* 2.

20) Siziano. 21) Abbiate Guazzone inter Varisium et Mediolanum. Cf. Giulini IV, 145. 22) i. e. 8. Kal. Apr. 23) i. e. 6. Kal. Sept. 23*) immo Marcignano. 24) Chiaravalle a Mediolano ad meridiem. 25) Rivolta secundum Notas S. Georgii supra p. 386. 26) Welfo VI. 27) I. comes Sabaudiae. 28) Ascalon. 29) Rosate. 30) Momo a Novaria ad septentrionem. 31) Astam destruxit d. 1. Febr. 1155. V. Chron. Astense ap. Muratori SS. XI, 141. 32) immo die 6. m. Aprilis; v. Not. S. Georgii supra p. 386. 33) Arnoldus Brixiensis. 34) Siziano a Mediolano ad meridiem. 35) Bernate a Mediolano ad occidentem. 36) Stabio a Como ad occidentem. 37) Cerano.

Nova iverunt in[a] valem de Lugano et ibi ceperunt circha[b] 20 castra[c]. Et alie[d] tres porte
fecerunt mirabillia et[e] mirabile prelium[f] cum Papiensibus[g] in campo[h] de Videgulffi[i. 38].
Et de mense Novembris sequentis[k] alie tres porte ceperunt edificare pontem super[l] Tici-
num inter Abiate[39] et Casolio[m. 40]; et alie[n] tres porte per totum hyemem[n] et[o] quadragesi-
mam[41] pulcherrimum pontem[p] compleverunt[q].

1157. A. D. 1157. de mense Iunii Mediolanenses cum 200 militibus Brixiensibus suprascriptis[r]
Iun. iverunt ultra pontem[s] Ticini[t]. Et tunc Papienses per comune, milites et pedites, et marchio
Montisferrati et Obizo Malaspina et alii septem inter[u] comites et marchiones intraverunt
in[v] Vegivanum[w. 42]. Et tunc captum fuit et destructum Gambolatum[x. 43], et rehedificatum[y]
fuit castrum de Lomelo per Mediolanenses, et captum fuit Vegivanum et fere omnes Pa-
pienses in Vegivano.

1158. A. D. 1158. imperator Federicus[z] cum rege Boemie, ut leo pugnans[*], secundo totam
Italiam devastavit cum innumera[?]li[a] exercitu. Et venit in Blanchanuda[b. 44], et invento guado
subtus[c] Cornalianum[d. 45], transivit Abduam, et cepit Tricium[e. 46]. Et venit Melegnanum[f. 47],
et inceptum fuit maximum prelium[48] cum Mediolanensibus; et[g] fugando[h] eos, duravit pre-
lium usque ad portam Romanam. Et postea de mense Augusti dominus[i] imperator congre-
gavit[k] magnum exercitum de Parma et[l] de Cremona et[l] de Novaria et[l] de Papia et[l] de
Vercelis et[l] de Ast, de Cumis[m] et[l] de Pergamo et[l] de Blandrate[49] et[l] de Bergolio[n] et de
Gamondi[o. 50] et[l] de Marengo[p. 51] et[l] de Vicentia et[l] de Trevisio et[l] de Padua et[l] de[l] Ve-
rona et[l] de Feraria et[l] de Ravena et[l] de Bononia et[l] de Regio et[l] de Mutina[q] et[l] de Brissia
et de multis aliis civitatibus Tussie et de Bregonia[r], comitibus[s] et marchionibus tocius[t]
Aug. 6. Lombardie; et posuit vexillia[u] sua et castra in brolio Mediolani, et vicerunt archum Roma-
Sept. 8. num. Et nona[52] die mensis[v] Septembris proximi[w] rediderunt[x] se et civitatem domino
imperatori. Et fecit pactum[y] cum eis. Et ivit[z] in Monteferato[53] et postea Bononiam[54]. Et in

1159. 1159. apud Bononiam in pascha[55] predictus imperator bannivit[*] Mediolanum. Et[a]
tunc Mediolanenses ceperunt Tricium. Et dominus[b] imperator inde doluit; et venit Laude;
et[c] de mense Iulii cepit obsidere Cremam.

1160. A. D. 1160, die tercio[56] exeunte mense[d] Ianuarii capta fuit Crema a domino impera-
Ian. 26. Mai. tore et destructa. Et[e] in[f] medio mense Maii proxime sequente fecit dominus[g] imperator
mirabile guastum de arboribus[h] et blavis circa civitatem Mediolani per Martexanam et per[i]
Aug. Seprium. Et de mense Augusti proxime sequenti Mediolanenses cum paucis militibus
Brixiensibus[k] miserunt in fugam dominum[l] imperatorem[m] usque ad Carchanum[n]; et multi
fuerunt capti ex Tehotonicis[o] et Lombardis[p] a Mediolanensibus. Et tunc fuit ortus ingens[q]
ignis in porta Cumana[r] et fere mediam civitatem[s] combursit et victualia. Et eodem anno
de[t] mense Augusti inceptum est ad retificandum[u] Laude iuvenis[v].

a) intraverunt 2. b) teram et 1; circha 2. c) castelis 1; castra 2. d) illic 1; alie 2. e) mirabillia et *desunt* 2. f) prelium 1; plus 2. g) contra Papienses 2. h) campis 2. i) Vidigulfis 2. k) Novembri sequenti 2. l) supra 2. m) *pro* inter — Casolio 2 *legitur in* 1: in Tycino. n) alie — hyemem *desunt* 1. o) ad 1; et 2. p) portum 2. q) compliverum compliverunt 1. r) secundis 1; suprascriptis 2. s) *deest* 2. t) Ticinum 2. u) iverunt 1; inter 2. v) *deest* 2. w) Viglevanum 2. x) Gaxuborate 1; Gambolatum 2. y) edificatum 1; rehedificatum 2. z) Barbarubea potens *addit* 1. *) ut loco pugna 1. a) mirabillii 1. b) Branchantidem 2. c) subtu 1; subtus 2. d) *sequitur* et 1. e) Trezium 1; Tricium 2. f) Mediolanum 1; Melegnanum 2. g) *deest* 2. h) fugendo 1. i) dictus 2. k) congregante 1; congregavit 2. l) *deest* 2. m) de Cumis *desunt* 1. n) Bragolio 1. o) Gramondi 1; Gamandi 2. p) Martinego 1. q) Mantua 1; Mutina 2. r) de Bregonia 1; Pagomonibus 2. s) comitatibus 1; comitibus 2. t) totis 1; tocius 2. u) nassilia 2. v) *deest* 1. w) *deest* 2. x) renderunt 1. y) fecerunt patum 1. z) *deest* 2. *) bandezavit 1; bannivit 2. a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) *deest* 2. d) exeunte mense *desunt* 2. e) est 1; et 2. f) de 2. g) *deest* 2. h) alboribus 1. i) *deest* 2. k) Bresiensis 1. l) dominus 1; dictum 2. m) imperator 1. n) Cancharum 1; Carchanum 2. o) Tretonicis 1; Tehotonicis 2. p) Lumbardis 2. q) magnum 1; ingens 2. r) Cumana 1; Romana 2. s) mediacivitas 2. t) *deest* 2. u) ratificandum 2. v) iuvenis *deest* 2.

38) Videgulfo a Mediolano ad meridiem, inter Landriano et Pontelungo. 39) Abbiate grasso. 40) Cassolo, cuius nominis duo hodie sunt loci in dextera Ticini fl. ripa, Cassolvecchio et Cassolnovo. 41) anni 1157. 42) Vigevano. 43) Gambolò a Vigevano ad meridiem. 44) Is locus proxime Cassanum *(Cassano sopra Adda)* fuisse debet neque vero hodie exstare videtur. Cf. infra ad 1259. 45) Cornegliano a Mediolano ad orientem. 46) Trezzo. 47) Melegnano inter Mediolanum et Laudem. 48) „die Lunae, 4. mensis Augusti" secundum Annales Placent. 1158. 49) Biandrate a Novaria ad occidentem. 50) Gamondo seu Castellazzo ab Alexandria ad meridiem. 51) Marengo inter Alexandriam et Dertonam. 52) immo octava. 53) mense Decembri. 54) 1159 m. Aprili. 55) „die Iovis festorum pasce" (Apr. 16), ut docent Annal. Med. maiores 1159 supra p. 367. 56) immo sexto exeunte m. Ian. i. e. die 26. Ianuarii.

A. D. 1162. primo die Marcii[a] Mediolanenses rediderunt[b] se et[c] civitatem domino im- 1162. peratori in Laude. Mart. 1. Et posuit Mediolanenses[d] in burgis, et destruit[e] civitatem Mediolani.

A. D. 1163. de mense Octubris[f] Federicus imperator intravit Lombardiam[g]. 1163. Oct.

A. D. 1164. de mense Ianuarii incepit[h] dominus[i] imperator edificare civitatem unam 1164. apud Sanctum Columbanum[57]. Ian. Eadem[k] ieme[l] Cremonenses[58], Veneciani et Marchexani iuraverunt[m] insimul, et facti sunt inimici domini[o] imperatoris. Et[p] de mense Iunii proxime Iun. sequenti dominus[q] imperator cum exercitu suo[r] perrexit ire[s] ad partes illas in marchia Trevissana cum duce[t] Boemie[u, 59]; et inde cum obprobrio[v] rediit[w]. Et ipso anno archiepiscopus Coloniensis[x] fecit portare Coloniam corpora trium Magorum[y]; qui Magi[z] erant ad Sanctum Eustorgium[*]. Et de mense Novembri[60] proxime sequenti ivit dominus imperator[a] ultra montes.

A. D. 1167. de mense Novembris dominus[b] imperator Federicus quarto[c] intravit in[d] 1166. Lombardiam, et venit Brixiam[e], et devastavit blavas[f] et arbores Brixie et Pergami usque ad montes. Et[g] deinde abiit Romam cum exercitu[h], et combursit porticum et alam[i] Sancti 1167. Petri et obsedit Romam, multorum ab utraque parte nece accepta et[k] acceptis inde[l] obsidibus[m] recessit[n]. Et iterum[o] Lombardi[p] se invicem iuramento insimul[q] pacti[r] sunt. Et imperator Papiam reversus est[s]; et[t] conatus[u] est[v] solvere[w] iuramenta et pacta Lombardorum. Et cum hoc facere[x] nequiverit[y], in Alamaniam reversus[z] est. 1168.

A. D. 1167. ivit[*] dominus[a] imperator Bononiam, et fecit guastum extra civitatem et 1167 usque[b] ad civitatem Bononie[c]. Et tunc cecidit magna nix in Lombardia[d], que fuit alta duo brachia. Et eodem anno in[e] die Iovis[f], 5. Kal.[g] Maii Mediolanenses intraverunt in[h] suam Apr. 27. civitatem cum auxilio[i] Brixiensium[k] et[l] Pergamensium et Cremonensium[m]. Et de mense Septembris proxime venit dominus[n] imperator Federicus a Roma et ivit[o] Papiam; et com- Sept. bursit Roxate et multa alia loca usque ad Cornaredum[p, 61].

A. D. 1168. de mense Marcii dominus[q] imperator Federicus fecit suspendi[r] Zilium de 1168. Prando[s], Mart. obsidem[t] Brixie, apud Sausam[u, 62], de[v] dolore quia Mediolanenses et[w] Brixienses et[w] Laudenses et[w] Novarienses et[w] Vercelenses obsiderunt[x] Blandrate. Et inde[y] abiit in Alamaniam[z]. Eodem mense[*] Placentini[a] et[b] Parmenses[c] et[d] Obizo[e] Malaspina introduxerunt Terdonenses in civitatem suam; et Seprienses[f] iuraverunt stare[g] omnibus[h] mandatis domini Galdini archiepiscopi[i] et consulum[k] Mediolani.

A. D. 1174.[l] de[m] mense Octubris dominus[n] Federicus imperator quinto[o] intravit in[p] 1174. Lombardiam, et combursit Sausam[q, 63]. Et[r] postea venit ad civitatem de Ast[s], et eidem Astexani[t] rediderunt[u] se. Et de[v] eodem mense cepit[w] obsidere Alexandriam; et stetit circa eam usque ad Marcium[64]. Et tunc Mediolanenses et Cumenses[x] et Trevissenses et Paduani 1175.

a) Merhurii 1; Marcii 2. b) renderunt 1; rediderunt 2. c) ad 2. d) Mediolanum 1; Mediolanenses 2. e) destruxit 2. f) Octobri item 2. g) Lumbardiam 2. h) incipit 1; incepit 2. i) *deest* 2. k) Eodem 1. 2. l) yeme 2. m) *pro* Veneciani — iuraverunt 2 *leguntur in* 1: iverunt Veneties et Marchexani. n) simul 2. o) *deest* 2. p) *deest* 2. q) *deest* 2. r) exercitus 1; exercitu suo 2. s) *deest* 2. t) ducis 1. u) *pro* in marchia — Boemie 1 *leguntur in* 2: marchie et Verone. v) obprobio 1. w) redidit 1. x) Colloniensis 2. y) Maguorum 1. z) Magui 1. *) ad S. Eustorgium 1; in ecclesia S. Eustorgii 2. a) dom. imp. ivit 2. b) *deest* 2. c) *sic scripsi pro* quando 1. 2. d) *deest* 2. e) Bressiem 1; Brixiam 2. f) blavas 1; blada 2. g) *deest* 1. h) exercitus 1. i) alteria 1; alam 2. k) nece accepta et *scripsi pro* nec acceptatam et 1, nec accepta tamen 2. l) idem 2. m) obsidentibus 1; obsidibus 2. n) secessit 2. o) intravit 1; iterum 2. p) Lombardiam 1; Lumbardiam 2. q) simul 2. r) pati 1; pacti 2. s) regressit 2. t) *deest* 1. u) conatus 1. v) erat vel est 1. w) solutus 1; solvere 2. x) factus 1. y) nequivit vel nequerit 1. z) receptus 2. *) venit 2. a) *deest* 2. b) guastum circha usque 2. c) *deest* 2. d) Lombardiam 1. e) *deest* 2. f) *deest* 2. g) mensis 1; Kal. 2. h) *deest* 2. i) auxollio 1. k) Bressianis 1. l) *deest* 2. m) Pergamensces et Cremonensces 1. n) *deest* 2. o) et ivit *desunt* 2. p) Cornaledum 2. q) *deest* 2. r) suspendere 2. s) Bondo 2. t) in obsidionem 1; obsidem 2. u) Sausam *scripsi pro* Sausinam 1, Sausam 2. v) *deest* 2. w) *deest* 2. x) obsidebant 2. y) idem 1; inde 2. z) Almaniam 2. *) *sequitur* per iis 2. a) Placentinos 2. b) *deest* 1. c) promitentes cum 1; Parmenses 2. d) *deest* 1. e) Ubizo 1; Obizo 2. f) sequentes 1; Seprienses 2. g) facere 1; stare 2. h) *deest* 2. i) archiepiscopus 1; *deest* 2. k) concilium 1; consulum 2. l) 1169. 1; 1174. 2. m) *deest* 1. n) *deest* 2. o) vero 1; quintus 2. p) *deest* 2. q) Sausam *scripsi pro* Sausinam 1, Sausam 2. r) *deest* 2. s) de Ast 1; Albensem 2. t) *deest* 2. u) renderunt 1; rediderunt 2. v) *deest* 1. w) *deest* 1. x) et Cumenses *desunt* 2.

57) San Colombano ad Lambrum fl. a Papia ad orientem. 58) immo Veronenses; cf. Annal. Med. maiores 1164. 59) Udalrico, filio Sobieslai I ducis Boh., quem anno 1164. in Italia fuisse, docet diploma Friderici I imp. d. Faventiae d. 5. Febr. 1164. ap. Margarinum B. Cl. I, 17. 60) immo Octobri. 61) Cornaredo a Mediolano inter occidentem et septentriones. 62) Susa. 63) Fridericum „3. Kal. Oct. (Sept. 29) castra metatum esse iuxta Secusiam“ urbemque „altera die (Sept. 30) combussisse“, docent Gesta Alexandri III. ap. Muratorium R. It. SS. III, 463. 64) immo Aprilem.

1175. et Veronenses et Vessentini et Bressiani et Mantuani et Pergamenses et Parmesani et Rezani et Mutinenses[a] et Placentini et Ferarenses et Novarenses et Vercellenses[b] moverunt se e[c] fecerunt magnum exercitum[c] ad succurrendum Alexandriam[d]. Et facta fuit pax cum imperatore[e] in anno[f] 1175[65].

1176. A. D. 1176. de mense Aprilis[66] obiit beatus Galdinus, archiepiscopus Mediolani. Eodem anno facta fuit ecclesia de Vicoboldono[g, 67]. Et eodem anno de[h] mense Iunii[68] sconfitus[i, 69] fuit dominus[k] imperator Federicus[l] ad Leginanum[m] a Mediolanensibus.

1177. A. D. 1178. fuit maximum diluvium. Et Henricus[n], filius imperatoris Federici, factus[70] est rex. Et facta fuit pax inter papam Alexandrum[o] et imperatorem Federicum[p] apud Venecias. Et[q] fecit treugam[r] cum Lombardis. Et illo anno[s] fuit[t] penuria[u] panis maxima.

1179. A. D. 1179. Alexander papa celebravit maximum concilium[v] de universo mundo. Et eodem anno de mense Augusti Mediolanenses ceperunt[w] navigium de Gazano.

1183. A. D. 1183. de mense Iunii facta fuit pax inter imperatorem Federicum[x] et Lombardos
apud Constanciam; ibique[y] omnes Lombardi, exceptis Mediolanensibus[z], regalia refuta-
1184. Sept. 19. verunt[*]. Et die[a] 12. ante Kalendas Octubris[71] Federicus imperator intravit in[b] Mediolanum.

1185. Item in anno D. 1185. dominus imperator Federicus et Mediolanenses redificaverunt
Mai. 7. Cremam ad dies 6. Madii[c, 72].

1186. A. D. 1186. de mense Ianuarii facte fuerunt nuptie domini Henrici[d] regis, filii domini imperatoris Federici, in civitate Mediolani ad Sanctum Ambrosium, tempore[e] domini Uberti Vicecomitis[f] de Placentia, potestatis[g] Mediolani. Et fuit primus potestas[h]. Et de mense Maii[73] proxime sequenti fuit destructum castrum Mayfredi[i] cum domino Federico imperatore a[k] paucis Mediolanensibus.

1187. Item in[l] anno D. 1187. fuit prima consularia in[m] Mediolano[n].

1191. A. D. 1192. fuit quinta[o] consularia. Et de mense Iulii[p] fuerunt sconfiti[q] Cremonenses et Pergamenses et necati[r] in flumine[s] Olei[t] ad Cividale[74] per Mediolanenses[u] et Brixienses[v], tempore domini Rodulfi[w] de Concesso[x], potestatis[y] Mediolani.

1193. A. D. 1193. fuit factus exercitus fossati de Laude, tempore domini Bonepacis[z] Fabe de Brissia, potestatis[*] Mediolani; et tunc a Mediolanensibus[a] Cremonenses, Laudenses et Papienses capti fuerunt. Et eodem anno factus fuit exercitus de insula[b] Brembana[75]; et existentes tunc[c] Mediolanenses[d] in illo exercitu[e], Papienses et Laudenses expugnaverunt castrum de Cogozo[f] et ibi magnum dampnum sustinuerunt. Et eodem anno factus fuit exercitus de Cumis[g] per portam Romanam et portam Ticinensem; et tunc fuit consturnus[h] de Arebio[i, 76].

1194. A. D. 1194. fuit sexta consularia in[k] Mediolano[l]. Et ipso anno Henricus imperator ivit[m]

a) et Mutinenses *addidi; cf. not.* b. b) *pro* et Trevissenses — Vercellenses 1 *leguntur in* 2: cum Trivisio, Padua, Verona, Vicentia, Brixia, Mantua, Pergamo, Parma, Regio, Mutina, Placentia, Ferraria, Novaria et Vercellis. c) fecerunt — exercitum *desunt* 2. d) *sic* 2; in sechurssum Alexandrini 1. e) imperator 1. f) *deest* 1. g) Vincoboldono 1. h) et 2. i) *sic* 1; disconfatus 2. k) *deest* 2. l) *deest* 1. m) Lignanum 2. n) Henrichus 1. o) *sic scripsi pro* Papia et Alexandria 1, Papiam et Alexandriam 2. p) imperator Fedrichus 1. q) *deest* 1. r) treguam 1. s) illo anno *desunt* 1. t) fecit 1; fuit 2. u) plenuria 1; penuria 2. *Cf. Giulini VI*, 488. v) conscilium 1; consilium 2. w) inceptum fuit Mediolanum 1; Mediolanenses ceperunt 2. x) imperator Fedrichus 1. y) ubique 2. z) Mediolanum 1. *) reffutare 1. a) et ad dies 1. b) *deest* 2. c) *memoria anni* 1185. *deest* 2. d) Henricii 1. e) in tempore 1. f) de Vicecomitibus 2. g) potestas 1. h) Mediolani *addit* 2. i) Mayfredum 1; Manfredi 2; *in cod. monach. S. Ambrosii* 161 *legi* Mayfredi, *docet Giulini Mem. di Mil. VII*, 37. k) et cum 1; a 2. l) Item in *desunt* 2. m) *deest* 2. n) Mediolani 2. o) quarta 1; quinta 2. p) Iunii 1; Iulii 2. q) conflicti 2. r) negati 1; necati 2. s) flumen 1; flumine 2. t) Oley 2. u) Mediolanensibus 1. v) Bresicensibus in 1. w) Redulffi 1; Rodulfi 2. x) consensu domini 2. y) potestas 1; potestatis 2. z) Bonapacis 1; Bonepacis 2. *) potestas 1. a) a Mediolanensibus *scripsi pro* Mediolanenses et 1, Mediolanenses 2. b) inssola 1; insula 2. c) existem tunc 1; tunc existentes 2. d) tunc *iterum sequitur in* 1. e) exercitus 1. f) Cogo 1; Cogozo 2; Cocozo *legi in cod. monach. S. Ambrosii* 161, *docet Giulini VII*, 98. g) Cumis 1; civitate 2; Cumis *habet etiam cod. mon. S. Ambr.* 161, *v. Giulini l. l.* h) *sic* 1; Stercius 2; starnus *cod. mon. S. Ambr.* 161. *l. l.* i) Arobio 1; Arebie 2; Alebio *cod.* 161. *l. l.* k) *deest* 2. l) Mediolani 2. m) fuit 1; ivit 2.

65) 1175. Apr. 16. et 17; v. LL. II, 145. 66) die 18. Apr. 67) Viboldone a Mediolano inter orientem et meridiem. 68) Mai. 29. 69) victus, Ital. *sconfitto*. 70) immo agnitus a papa. 71) i. e. 13. Kal. Oct.; cf. Not. S. Georgii 1184, supra p. 387. 72) Cremae restitutio die 7. Maii 1185. inchoata est. V. Not. S. Georgii 1185. l. l. et titulum ap. Campo Cremona fidelissima p. 28. 73) castrum Manfredi (de cuius situ v. supra p. 387. n. 45.) destructum est die 9. Iunii 1186. teste diplomate Friderici ap. Muratorium Ant. It. IV, 229. 74) a Brixia ad occidentem. 75) Insulae Brembanae comitatus fuit inter Abduam et Brembium fluvios, a Bergamo ad occidentem. 76) Rebbio a Como ad meridiem.

in Apuliam; et ipso[a] anno habuit unum filium nomine Federicum. Et ipso anno iverunt pe-
dites[b] de porta Vercelina[c] in servicio Ravenensium[d] de Piazola[e].

Item in[f] anno D. 1195. fuit septima consularia in Mediolano[g]. Et[h] ipso anno fuit factus 1195.
exercitus[i] de Albara cum Cremonensibus[k].

A. D. 1196. fuit[l] octava consularia. Et[m] ipso anno facta fuit pax de[n] C(umis)[o] per 1196.
Tatecinum Maynerium[p] et Iohannem Ruscham et Conradum Iudicem[q]. Et milites de[r]
Mediolano[s] iverunt in servicio[t] Vercelensium[u] ad[v] Casale Sancti Evasii[w].

A. D. 1198. fuit decima consularia. Et facta[x] fuit credentia sancti Ambrosii, et rupta[77] 1198.
de Vercellis[y] et de Salugia[y*] [78]. Et facta fuit pax de Laude. Et de mense Septembris proxime
fuit tractum[z] foris carrozerum[*] ad eundum[a] ad Burgum[79]; et stetit[b] in arengo[c] usque
ad mensem Maii proxime sequentem[d].

Et tunc factus fuit exercitus de Burgo. Et ipso anno iverunt quatuor porte[e] cum comi- 1199. Mai
tatu de insula Brembana[f] et destruxerunt Gysalbam[g] [80], tempore Iohannis Rusche, pote-
statis[h] Mediolani. Et porta Romana et porta Cumana[i] iverunt ad Brigam[81]. Et eodem
anno porta Romana et porta Ticinensis et porta Orientalis[k] iverunt ad Castrum-novum de
Bocha[l] de Addua[m] [82] cum magno exercitu[n] et[o] cum Placentinis. Et alie tres porte fecerunt
scurtinum[p] de Rizolo cum Papiensibus, et fuerunt capti Pergamenses ad Zilinum Orisii[q].

A. D. 1200. factus fuit exercitus de Besate et tunc[r] capta fuit[s] turris[t]. Et[u] Mediola- 1200.
nenses et Brixienses obsiderunt Cremonenses in Sonzino[83] in[v] tempore Gozii de Gambara
de Brixia, qui erat[w] potestas[x] Mediolani, scilicet[y] porta Ticinensis et[z] porta Vercelina et[z]
porta Cumana. Et porta Nova et alie tres porte tunc fecerunt storninum[*] de[a] Roxate cum
Papiensibus; et ceperunt multos de Mediolano. Et tunc capti fuerunt multi de Placentinis
ad Sanctum Andream[b] [84].

A. D. 1201. obsessum[c] et victum[d] fuit castrum de Vegivano[e]; et inceptus[f] fuit pons[g] 1201.
de Vegivano. Et tunc facta fuit societas de Galiardis, tempore dominorum[h] Alberti de Man-
dello et Drudonis[i] Marcellini et Rainerii Cotte[k]; omnes isti erant potestates[l] Mediolani.
Et tunc capti fuerunt Papienses ad Negrinum[m]; et ipso anno facta fuit pax inter Papiam et
Mediolanum[n]. Et in[o] ipso anno[p] porta Romana et porta Ticinensis iverunt[q] in servicio
Novariensium[r].

A. D. 1202. fuit undecima consularia in Mediolano. Mediolanenses[s] et Papienses[t] ive- 1202.
runt[u] insimul[v] cum suis carozolis[w] supra[x] Pergamum.

a) ipso 1; illo 2. b) pedones 1; pedites 2. c) porte Verceline 2. d) Rainerium 1; Ravenensium 2; Ravanensium *cod.* 161, *v. Giulini VII,* 103. e) Piazola 1; Palazola 2; Plazola *cod.* 161 *l. l.* f) Item in *desunt* 2. g) in M. *desunt* 2. h) in *sequitur* 1. i) exercitus 1; scurtinensis 2; scrutineus *cod. mon. S. Ambrosii* 161, *teste Giulini VII*, 114. k) et cetera *addit* 1. l) *deest* 2. m) *sequitur* in 1. n) de 1; D. 2. o) C. 1. 2. *Cf. Giulini VII,* 118. p) *sic* 2; Teccinum Magnum 1, *cf. Giulini l. l.* q) *sic* 2; et cum Coradi Indes 1. r) dominorum 2. s) Mediolano et postia 1; Mediolanensium 2. t) serviciis 2. u) Vercelensibus 1; Vercelensium 2. v) ad 1; contra 2. w) *sic* 2; Cassate Salvas 1, *cf. Giulini VII,* 122. x) Et facta 2; istam 1. y) Vercello 1; Vercellis 2. y*) Galugra 1; Salugia 2, *cf. Giulini VII*, 148. z) factus ire 1; tractatus 2; tractum *cod. mon. S. Ambr.* 161, *v. Giulini VII,* 148. *) carozolum 1; carocenum 2; corrozerum *cod.* 161. *l. l.* a) ad eundum 2 *et cod.* 161; usque 1. b) fecit 1. c) acaigo 1. d) *sic cod.* 161 *l. l.*; ad mensis . . sequenti 1; de mense . . sequenti 2. e) *sic scripsi pro* portas 1, potestates 2. f) in isula Brabana 1; de insula Brembana 2. g) et destruxerunt Gysalbam 2; ad Gissalbam in 1. h) Ruscha, potestas 1. i) portam Romanam et portam Cumanam 1. k) portam Romanam et portam Ticinensem et portam Horientalem 1. l) Bocha 1; Bucha 2. m) Addua 1; Abdua 2. n) exercitus 1. o) *deest* 2. p) *sic* 1; scrutinium 2. q) Ziliam Orissi 1; Zilinum Orisii 2; Gilinum Orisii *cod. mon. S. Ambr.* 161, *teste Giulini VI,* 174. r) *deest* 2. s) *deest* 2. t) terra sive turris 2. u) *deest* 2. v) *deest* 2. w) qui erat *desunt* 2. x) potestatis 2. y) Set 1; *deest* 2; scilicet *cod. mon. S. Ambrosii* 161, *teste Giulini VII,* 178. z) *deest* 2. *) *sic* 1; scrutineum 2; scrutinium *cod.* 161 *l. l.* a) *deest* 2. b) Andreas 1; Andream 2. c) obsessum 1; obsessum 2. d) convitum 1; victum 2. e) castrum de Vegivano 1; Viglevanum simul et castrum 2; castrum de Viglevano *cod.* 161, *ap. Giulini VII,* 183. f) inceptum 1; inceptus 2. g) pontem 1; pons 2. h) domini 1; dominorum 2. i) Drudus 1; Drudonis 2. k) Rainerius Cota 1; Raymondi Cotte 2; Raynerii Cotte *cod.* 161 *l. l.* l) *pro* omnes — potestates 1 *praebet* 2: potestatis, *et cod.* 161 *l. l.* potestatum. m) Vegivanum 1; Neg'anr 2; Vegnum *cod. mon. S. Ambr.* 161, *ap. Giulini VII,* 186. n) *sic* 1; inter Mediolanenses et Papienses 2; Mediolanensium et Papiensium *cod.* 161 *l. l.* o) *deest* 2. p) iuraverunt *addit* 2. q) *deest* 2. r) Novarensis et cetera 1; Novariensium 2 *et cod.* 161 *ap. Giulini VII,* 188. s) consolaris. Mediolanenses in Mediolano 1; consularia Mediolani. Mediolanenses 2, *et cod. mon. S. Ambr.* 161 *ap. Giulini VII,* 190. 191. t) et Papiam 1; *desunt* 2; et Papienses *cod.* 161 *l. l.* u) iuraverunt 2. v) simul 2. w) *sic* 1; carrocenis 2; carroceris *cod.* 161 *l. l.* x) ad *cod.* 161 *l. l.*

77) clades, Ital. *rotta.* 78) Saluggia media fere via inter Vercellas et Taurinum. 79) Borgo San Donnino, V. Notas S. Georgii 1199 supra p. 387. et Annal. Cremon. 1199 infra. 80) Ghisalba in sinistra ripa Serii fl., a Pergamo inter orientem et meridiem. 81) Briga a Laude ad meridiem, prope Ossago. 82) Castelnuovo Bocca d'Adda inter Placentiam et Cremonam, in sinistra Padi ripa. 83) Soncino a Ollium fl., a Crema ad orientem. 84) Sant Andrea a Fiorenzuola inter septentrionem et orientem.

1203. A. D. 1203. Sachus de Sachis de Laude fuit potestas Mediolani, et dimisit Mediolanum[a] sine regimine; et illi de credentia fecerunt potestatem[b] Tatium[c] de Mandello[d] et[e] Dominicum de Buris[f], Danexium[g] de Crivelis[h], Olderandum[i] de Canevixiis[k] et Manfredum[l] de Oxiis[m]. Et eodem anno inceptum fuit palatium novum de broleto veteri[n]. Et tunc[o] incepit[p] discordia inter credentiam et Galiardos[q].

1204. A. D. 1204. Guillielmus de Pusterla fuit potestas Mediolani. Et Olderandus Canevexius[r] et Galiardi exierunt[s] de civitate Mediolani pro suprascripta[t] discordia.

1205. A. D. 1205. fuit duodecima consularia in Mediolano[u]. Et Galiardi fecerunt populo[v] Mediolani guerram[w].

1206. A. D. 1206. Ubertus Vicecomes[x] de Placentia fuit potestas Mediolani. Et in[y] ipso[z] anno fuit inceptus[*] ordo fratrum Minorum.

1208. A. D. 1208. dominus Lambertinus[a] de Bonarelis[b] de Bononia fuit potestas Mediolani.

1209. Et anno proxime sequenti[c] fuit[d] potestas Mediolani Albertus Henricus de Fontana[e] de Placentia[d].

1210. Et[f] anno[g] proxime sequenti[f] Ubertus Nucus[h] de Placentia fuit potestas Mediolani. Et tunc Otto imperator venit Mediolanum.

1211. Et anno proxime sequenti Gullielmus de Lando de Placentia fuit potestas Mediolani.

1212. A. D. 1212. fuerunt potestates Mediolani duodecim milites iustitie. Et de mense Iulii
Iul. ad Montem Marum[i] multi Papienses capti fuerunt; et[k] Rugerius[l] Federicus balneavit[m] sarabulum[n.85] in Lambro.

1213. A. D. 1213. dominus Manfredus[o] de Busnate et Otto de Mandello et Ardegotus[p] Mar-
Iun. 2. celinus et Busnardus Inchoardus[q] fuerunt potestates Mediolani. Et[r] die secundo Iunii[s] fuit bellum de Castro Leone[t].

1214. A. D. 1214. dominus Ubertus de Vialta[u] de Placentia fuit potestas Mediolani.

1215. A. D. 1215. dominus Brussius[v] Porcha[w] de Novaria fuit potestas Mediolani. Et ipso anno Mediolanenses transierunt Ticinum et iverunt[x] in Lomelinam et destruxerunt Garlascum. Et in[y] ipso[z] anno captum fuit Casale Sancti Evasii[*] a Mediolanensibus[a].

1216. A. D. 1216. Iacobus Malavaria[b] de Placentia fuit potestas Mediolani. Et illo anno[c] Mediolanenses transierunt Padum et destruxerunt turrim[d] de la Guarda et Montem Calvum[e].

1217. A. D. 1217. Andeloc[f] de Bononia fuit potestas Mediolani. Et fuit bellum de Zovenolta[g]. Et eodem anno confirmatus fuit ordo fratrum Predicatorum[h] ab Honorio[i] IV.[86] papa.

1218. A. D. 1218. Amizo Sachus[k] de Laude fuit potestas Mediolani. Et factum fuit bellum de[l] Gibello[m.87]. Et[n] Otto imperator obiit ; et Federicus Rugerius fuit coronatus[p].

1219. A. D. 1219. Lodrengus[q] de Martinengo[r] de Brissia fuit potestas Mediolani. Et fuit comotio de quartirolis[s.88].

a) Mediolanenses 3. b) pontem 1; potestatem 2. 3. c) Tatium 1; tantum 2; Tacium 3. d) Mandello 1. 3; Mediolano 2. e) *deest* 2. f) de Buris 1; de Burris 2; Burrum 3. g) *sic* 1. 3; Dyonisium 2. h) de Crivelis 1; Cribellum 2; Crivellum 3. i) Olderadum 1; Elderandum 2; Olderandum 3. k) Otinevissis 1; Canensis 2; Canevixiis 3. *Cf. infra ad a.* 1204. l) Maiffredum 1; Manfredum 2. 3. m) Ossis 1; Oxiis 2, 3. n) veteri 2. 3; Mediolani 1. o) *deest* 1. p) inceptum est 1; incepit 2. 3. q) et cetera *addit* 1. r) Oldracum Canevessem 1; Olderadus Canensius 2; Olderandus Canevexius 3. s) *sic* 1; exiverunt 2; iverunt 3. t) secunda 1; suprascripta 2. 3. u) in Mediolano 1; Mediolani 2. 3. v) populo 1. 3; in prelio 2. w) guerram *legi in cod. mon. S. Ambrosii* 161, *testis est Giulini VII*, 202; *deest* 1. 2. 3. x) Vincecomes 1; Vicecomes 2. 3. y) *deest* 2. 3. z) illo 2. *) inceptum 1; inceptus 2. 3. a) Lambertus 1; Lambertinus 2. 3. b) Bonarolis 1; Bonarelis 2; Bonardis 3. c) *sic* 1. 3; et anno 1209. 2. d) fuit — Placentia *desunt* 1. e) Fontaria 2; Fontana 3. f) Et — sequenti *desunt* 1. g) tunc 2; anno 3. h) *deest* 1; nunc 2; Nuius 3; Nucus *legi in cod. mon S. Ambrosii* 161. *ostendit Giulini VII*, 237. i) Marum 1. 2; Marrum 3. k) *deest* 1. l) rex 1; Rugerius 2; Roglerius 3. m) banizavit 2; balneavit 2. 3. n) sarabulum 1; serabulum 2; sarrabulam 3; sarabulam *legi in cod. mon. S. Ambrosii* 161, *docet Giulini VII*, 206. o) Anniffredus 1; Manfredus 2. 3. p) Ardigus 1; Ardegotus 2. 3. q) Inchoradus 1; Inchoardus 2. 3. r) *deest* 2. s) *deest* 1. t) Casserollo et cetera 1; Castro Leone 2. 3. u) Vialta 1; Via alta 3; *memoria anni* 1214 *deest* 2. v) Brissius 1; Brusius 2; Brussius 3. w) *deest* 2. 3. x) et iverunt *desunt* 2. 3. y) *deest* 2. 3. z) illo 2. *) Cassate Salvas 1; Casale S. Evasii 2. 3. a) a Mediolanensibus *desunt* 2; et cetero *addit* 1. b) *sic* 1; Malvaria 2; Malauria 3. c) illo anno 2; *desunt* 1. 3. d) turem 1; terram 2; turrem 3. e) et Montem Calvum 2. 3; de Roxato Ocloua 1. f) Andeloc 1. 2; Andello 3. g) *sic scripsi pro* Revoltela 1, Zenovolta 2, Revolta 3. h) fratres Predicatores 1. i) Honores 1. k) Amos Sacus 2. l) in 2. m) Gibello 1; Gibellis 2. 3. n) *deest* 2, 3. o) obiit *addidi*. p) fiunt coronati 2, *in quo cod. annales desinunt hoc loco.* q) Lodrengus 1; Lodringhus 3. r) Martinenghis 3. s) Quartirolo et cetera 1; Quartirolis 3.

85) bracas, Ital. *strabule*. Itaque non sine cavillatione aperit scriptor, Fridericum II, insistentibus Mediolanensibus, Lambrum flumen vado transeuntem madefactum esse. Cf. etiam Not. S. Georgii 1212. supra p. 388. 86) immo III. 87) Zibello in dextera Padi ripa, inter Cremonam et Parmam. 88) Novo numorum generi quartaroli nomen erat. V. Giulini VII, 345.

A. D. 1220. Amizo Carcaitanus[a] de Laude fuit potestas Mediolani. Et fratres Predica- 1220.
tores venerunt ad standum ad Sanctum Eustorgium[b].

A. D. 1221. Amizo[c] Sachus de Laude fuit[d] potestas Mediolani, et[d] dedit bandum[e] do- 1221
mino[f] archiepiscopo Mediolani. Et[g] eodem anno sanctus Dominicus obivit[g].

A. D. 1226. obiit beatus Franciscus de ordine fratrum Minorum[h]. 1226.

A. D. 1237.[i] fuit bellum seu rupta de Cremona. 1237.

A. D. 1250. obiit beatus Petrus martir de ordine Praedicatorum. 1250.

A. D. 1259. die sabbati 25.[89] mensis[k] Septembris Azolinus[l] de Romano venit cum certis 1259.
hominibus de civitate Mediolani et de comitatu super comitatum[m] Mediolani, et fuit Vaprio, Trizio et[n] Vicomercato[o. 90] et prope Moduetiam[p]. Et quando non potuit habere Moduetiam[p], recessit et ivit[q] Cassanum[r. 91] et transivit Abduam; et in Blancanuda[s] fuit vulneratus et captus et mortuus. Et postea dominus Ubertus, marchio Palavecinus[t] factus fuit dominus Mediolani[u].

A. D. 1277. fuit bellum seu rupta de Dexio[v. 92] die Iovis, 21.[w] Ianuarii, in festo sancte 1277.
Agnetis. Ian. 21.

A. D. 1280. die dominico 25. mensis Maii, in festo sancti Dionisii fuit rupta de Vaprio, 1281.
et fuit ibi mortuus dominus Cassonus de la Ture[x]. Mai 25.

---

# MEMORIAE MEDIOLANENSES.

A. D. 1061.[y] fuit bellum de Campo mortuo, anno tertio[z] pontificatus[*] Nicholai pape secundi[a], va- Not.
cante[b] imperio. S. Georgii.

1106. fuit factus ignis in Mediolano, anno sexto[93] Paschalis secundi pape, imperio vacante.

A. D. 1109. factum fuit bellum de Campo mortuo, ubi capti et devicti sunt Papienses 1109?
et episcopus eorum[94]. Item in

anno 1110. fuit bellum de Brexianis[95], sed non ac[96] die. 1110.

1116. hodie fuit magnus terre motus per totam Italiam. 1117.

1124. ecclesia santi Laurenzi in Mediolano combursit ab igne et combursit de[c] porta Iovis, in anno Not.
secundo archiepiscopatus Anselmi de Pusterla Mediolani[97]. S. Georgii.

1127. fuit capta et destructa Cumana civitas a Mediolanensibus in anno[d] tertio Honorii 1127.
pape[e] secundi et in anno secundo imperii Loterii quarti.

1128, inditione 6. Curadus fuit coronatus in rege Modoetie ab Anselmo de Pusterla, 1128.
archiepiscopo[f] Mediolani, anno quarto pape Honorii.

1132. factum fuit bellum de Martinengo[98], ubi fuerunt capti omnes pedites[g] Papienses, 1132.
in anno secundo[99] Inocenti secundi pape[h] et septimo Loterii quarti imperatoris.

1132. imperator Loterius in anno[i] septimo[1] sui imperii obsedit Cremam, et in anno secundo[99] Not.
pape[h] Inocentii secundi. S. Georgii.

1136. fuerunt tempestates[k] valide in urbem Mediolani.

1139. multi de Cremonensibus capti fuerunt a Mediolanensibus.

A. D. 1139. Curadus fuit electus rex, ad Axiam et coronatus.

A. D. 1139. fuit bellum de Revoltela.

A. D. 1145. aparuit una stella cum magna cauda in celo[l], et tunc fuit magna mortalitas in Mediolano

1154. indicione prima[2], primus Fedrichus imperator primo intravit in Lombardiam.

a) *sic* 1; Carantanus 3. b) et cetera *addit* 1. c) *deest* 1. d) *deest* 3. e) bandam 1; bannum 3. f) *deest* 3. g) Et — obivit *desunt* 1. h) *memoria anni* 1226. *legitur in* 3, *deest* 1. i) 1237. 1; 1227. 3. *Cf. Giulini VII*, 411. k) *deest* 3. l) Azorinus 1; Azolinus 3. m) comitatu 1; comitatum 3. n) *deest* 3. o) Vincomarcato 1; Vicomercato 3. p) *sic* 1; Modoetiam 3. q) ivit 1; venit 3. r) Cassianum 1; Cassanum 3. s) *sic* 1; Blanchanuda 3. t) *sic* 1; Pallavicinus 3. u) et cetera *addit* 1. v) et *addit* 1. w) 22. 3. x) Ture 1; Turre 3. y) 1161. *cod.* z) tertio *addidi.* *) pontificatus *scripsi pro* post *cod.* a) Nicholaii papa secundis *cod.* b) caranet *cod.* c) ad *cod.* d) annos *cod.* e) papa *c.* f) archiepiscopus *c.* g) prodites *c.* h) papa *c.* i) annos *c.* k) tempestas *c.* l) cello *c.*

89) dies 25. Sept. 1259 non Saturni sed Iovis fuit. 90) Vimercate inter Tritium et Modoetiam. 91) *Cassano sopra Adda.* 92) Desio a Modoetia inter septentrionem et occidentem. 93) immo septimo. 94) Cf. Giulini V, 11. 95) immo: de Brexanore; quo proelio Cremonenses a Mediolanensibus victi sunt. 96) hac. 97) immo quarto anno Ulrici archiepiscopi Mediolanensis. 98) Marcignano. 99) immo tertio. 1) immo octavo regni. 2) immo secunda.

1155. A. D. 1155. capta fuit prima vice[a] Terdonam per primum Fedrichum imperatorem, et in eius primo anno. Et eodem anno Mediolanenses redificaverunt dictam Terdonam, et Papienses contradicentibus indelerum[3].

1156. 1156. oppugnati et capti fuerunt Papienses in burgis eorum a Mediolanensibus, in anno primo Fedrici primi et anno secundo Adriani pape[b] tertii[4].

Not. S Georgii. 1156.[c] Mediolanenses ceperunt Ceredum in anno[d] undecimo Uberti de Pirovano[e].

1157. 1156. Mediolanenses ceperunt Vegovanum et fere omnes Papienses, in anno quarto[e] quarti Adriani pape, anno secundo Fedrici imperatoris primi.

1157. 1159. Mediolanenses redifficaverunt Lomelum, in anno[e] archiepiscopatus domini Uberti de Pirovano.

1158. 1157. imperator Fedrichus obsedit Mediolanum.

1160. Mediolanenses obsiderunt Careganum et ceperunt eum, et imperatorem Fedrichum[f] in fugam converterunt, et suorum fuerunt capti plures, in anno[g] quinto[7] Fedrici primi et in anno secundo[8] Alexandri pape[h].

1176. 1176. imperator Fedrichus, qui iam destruxit Mediolanum, est ipse devictus apud Leganum a Mediolanensibus, anno sui imperii 21. et anno[i] 17. pontificatus Alexandri[k] tertii.

Not. S. Georgii. 1179. Mediolanenses incipierunt navigium de Gazano, et factum fuit per illis de la Ture, anno tertio[l, 9] archiepiscopatus Algisi de Pirovano.

1183. societas Lombardorum[m] iuraverunt pacem cum inmanibus[n] imperatoris Fedrici Placentie, que[o] confirmata est a dicto imperatore in anno[p] septimo archiepiscopatus Algisi de Pirovano Mediolani.

1184. 1183. imperator Fedrichus primus intravit in Mediolano, facta pace, in anno tercio[10] Lucii pape[q] et 28.[11] imperii Fedrici primi et in anno[r] septimo[12] archiepiscopatus Algisi de Pirovanio Mediolani.

1185. imperator Fedrichus et Mediolanenses redificaverunt castrum Creme, scilicet in anno[r] 30. imperii eius et primo Urbani tertii pape[s] et nono archiepiscopatus domini Algisi de Pirovano[13].

1186. A. D. 1186. hodie nuptie regis Henrici facte sunt Santo Ambroxio.

1187. A. D. 1190. obit papa Urbanus, qui fuit de Mediolano[t].

1191. 1187. A. D. 1191. imperator Henrichus coronatus fuit ad Romam; et accipit uxorem Constantiam, filiam Rugerii regis Cicilie, et fecit nuptias in Mediolano.

1191. 1191. in flumine Oleo sunt mortui quinque milia Cremonenses et duo milia Pergamenses, anno primo Celestini tertii pape[u], primo Henrici filii Fedrici imperatoris.

Not. S. Georgii. 1193. Papienses venerunt ad Cozium, et multi eorum in flumine Lambri perierunt.

1193. Mediolanenses preliaverunt cum Laudensibus iuxta portas de Laude, et multi Laudenses capti fuerunt a Mediolanensibus.

1194. 1195. imperator Henrichus et imperatrix Constantia iverunt in Apulliam, et tunc capti fuerunt plures Pulienses. Et eodem anno dicta Constantia venit in Mediolano, et hospitata fuit in monasterio de Meda[14], et tunc erat graveda de Fedricho[v].

1195. 1195. Cremonenses fuerunt devicti[w] a Mediolanensibus iuxta Castrum Leonis sive opidi Maiffredi, et multi capti sunt.

1198. 1198. fuit una consolaria in Mediolano, in anno primo[15] archiepiscopatus domini Felipi de Lampugano. Et tunc facta est credentia Santi Ambroxii per Rudelum de Rudelo, qui occidit Albertum Paganum, et cetera.

1199. 1199. fuerunt prelia de Burgo Santi Donini et de Ruxllo[16] et de Colonia[17], et capta fuit Gisalba a Mediolanensibus.

1200. 1200. capta est turis de Bexate a Mediolanensibus. Preterea Mediolanenses cum Brexianis obsiderunt Cremonenses in castrum de Sonzino.

1200. quatuor porte[x] Mediolani preliaverunt ad Roxate cum Papiensibus, et multi de Mediolanensibus fuerunt capti. Quorum alie tres porte[y] erant ad obsedionem de Sonzino.

1201. 1201. Albertus de Mandello et Raynerius Cota et Drudo Marcellinus fuerunt potestates Mediolani.

1201. inceptum est ad faciendum pontem de Tecino iuxta Vegivanum, et captum est Vegivanum[z] a Mediolanensibus anno sexto[*] …., vacante[a] imperio post Henrichum imperatorem.

a) vnce *c.* b) papa *c.* c) MCLXI. *cod.* (*pro* MCLVI). d) annos *c.* e) *excidit* duodecimo. f) imperator Fedrichus *c.* g) annos *c.* h) papa *c.* i) annos *c.* k) Alexandrii *c.* l) tertii *c.* m) Lombardi *c.* n) *an* nunciis? o) qui *cod.* p) annos *c.* q) papa *c.* r) annos *c.* s) papa *c.* t) *iterum legimus in cod.:* Obit papa Urbanus in 1190, qui erat de Mediolano. u) papa *c.* v) *leguntur iterum in cod. haec:* 1195. imperatrix Constantia venit Mediolanum. w) devincti *c.* x) quatuor porte *scripsi pro* quarta pars *cod.* y) partes *cod.* z) Vegivaum *cod.* *) *excidisse videtur:* archiepiscopatus Filippi de Lampugnano. a) carantis *cod.*

3) frustra, Ital. *indarno.* 4) quarti. 5) archiepiscopi Mediolanensis. 6) immo tertio. 7) sexto. 8) primo. 9) immo quarto. 10) quarto. 11) immo 30. 12) immo nono. 13) scribendum fuit: *primo Urbani, post tertii papae, illo tempore archiepiscopi Mediolanensis.* 14) a Mediolano ad septentriones, inter Modoetiam et Comum. 15) tertio. 16) Rizolo, Ann. Med. minores 1199. 17) ad Zilinum Orisii, Ann. Med. min. l. l.

**1201. Papienses ceperunt multos Placentinos. Et tunc Mediolanenses equitaverunt apud Vigevanum[18], et ceperunt magnam partem Papiensium[a]; itaque exigerunt omnes Placentinos, et multos superfluos habuerunt.** [1201]

**1202.[b] Mediolanenses et Papienses insimul cum carozono suo iverunt super Pergamum, non tamen hodie.** [1202.]

**1205. Galiardia Mediolani exierunt de civitate Mediolani, et faziebant gueram cum populo Mediolani.** [1205.]

1210. in sabato santo Otto imperator inprimis venit in Mediolanum. [1210. Apr. 17.]

1211, inditione 14. coronatus est Otto imperator de Sanssonia. Fuit hic excoronatus et depositus ab imperiali ... per papam Honorium[19] tertium[c]. Hic regnavit annos 10 et menses 4 et dies 14[20]. [1209. 1211.]

1212. Mediolanenses equitaverunt ad Montem Marum[d] cum Papiensibus, quando ducerunt Fedrichum Rugerium ad Cremonenses, supra Lambrum; et multi Papienses capti fuerunt, in anno[e] 15. Inocenssi tercii pape[f], et secundo[21] imperatoris Ottonis de Sanssonia. [1212.]

1213. factum est bellum de Castro Leonis contra Cremonenses, et fuit in die santi Araxmi. [1213. Iun. 2.]

1213. preliaverunt mille milites de Mediolano — cum quibus Novarienses et Vercelenses[g] et Tertonenses[h], electi a communibus eorum, et Alexandrini et marchionis Mallaspina — preliaverunt cum Papiensibus ad castrum[i]; et capti sunt de Mediolanensibus ducenti[k] milites cum omni eorum suppelectili. [Oct. 2.]

1214.[l] Mediolanenses iverunt ultra Tecinum, et ceperunt Vileziam et Corvum[22] et Cozium et Bremedum. [Not S. Georgii.]

1214. Placentini iverunt ultra Padum Papacullum[23], anno primo archiepiscopatus domini Henrici de Setara Mediolani.

1215. Mediolanenses transierunt Padum cum Placentinis apud Bozoverasschum, et venerunt[m] Vegivanum[24] et Revonaselam[25]. Et Mediolanenses transierunt[n] Tecinum, et iverunt Lomelum, et ceperunt et destruerunt Garllasscum et multos Papienses. [—]

1215. Cassate Salvas[26] fuit captus a Mediolanensibus et eum destruerunt, et omnes inhabitatores duxerunt in carcerem.

1216. quatuor porte Mediolani: porta Cumana et porta Nova et porta Vercellina et porta Tecinensis iverunt ultra Padum, et ceperunt et destruerunt turem de la Guarda et Montem Calum[27] et certa multa alia loca.

1216. obit papa Inocentius tertius[o], anno[p] sexto[28] imperii Ottonis de Sanssonia. [1216.]

1216. Mediolanenses transierunt Padum cum Placentinis Bugrellum[29]; et preliaverunt cum Cremonensibus et Papiensibus[30], et multi eorum capti fuerunt. [Not. S. Georgii.]

1216. Mediolanenses transierunt Padum cum Vercelensibus, et redificaverunt Baxilicam Petri[31], anno[32] domini Henrici de Setara Mediolani.

1217. Mediolanenses cum carozino suo transierunt Adduam, et ceperunt Tervillium et Agriverolum[33] et vilam de Zovenolta, et destruerunt totam teram usque ad quatuor miliaria prope Cremonam.

1217. Papienses iuraverunt stare omnibus mandatis de homines Mediolani et Placentie[q].

**1218. factum est bellum de Gibello[34], et Papienses fuerunt cum Mediolanensibus[r] in illo prelio contra Cremonenses et Parmenses[s] et in eorum adiutorium; et eo anno Mediolanenses derupaverunt Buxedum[t], [35].** [1218.]

**1219. primo die Iovis Marzii fecerunt concordiam cum Leucho[36]. Et eo anno fuit comutatio[37] et cisma de quartirolo.** [1219. Mart. 7.]

**1220, inditione 7.[38] dominus Honorius papa tertius[u], in anno quarto[39] pontifficatus sui, coronavit Fedrichum secundum in eclexia sancti Petri, qui Fedrichus erat annorum 24[v], [40] .... duo ser[w] caputani et cum centum militibus Mediolani, qui fuerunt missi cum eo.** [1220.]

**1222. fuit guera de cataniorum[41] et vavassorum cum popullo Mediolani. Et Ardichus Marcelinus, potestas Mediolani et populi; et de Madio ivit in Martexanam, ubi multa mala fecit.** [1222.]

a) Papienssum *cod.* b) MCCX. *cod.* (*pro* MCCII.) c) papa Honorii tertii *cod.* d) et proeliaverunt *vel simile quid excidisse videtur.* e) annos *cod.* f) papa *c.* g) *sic scripsi pro* Novariensibus et Vercelensibus *cod.* h) Tertonenasis *c.* i) *scribendum fuit* Caselium. k) ducentis *c.* l) 1224 *cod.* m) vené *cod.* n) transierunt *addidi.* o) tertio *c.* p) annos *c.* q) Placentini *c.* r) *sequitur* et *in cod.* s) *sic scripsi pro* Papienses *cod.* t) Baxedum *c.* u) tertii *cod.* v) *lacuna non est in cod.; sed excidisse quaedam, apparet.* w) ꝟ *cod.*

18) immo Nigrinum. 19) Innocentium. 20) inter coronationem mortemque Ottonis IV. imperatoris interfuerunt anni 8, menses 7, dies 16. 21) immo tertio. 22) Candeam, Not. S. Georgii. 23) Panpanedum, Not. S. Georgii. 24) Nigrinum, Not. S. Georgii. 25) Rovoscuam, Not. S. Georgii. 26) *Casale di Sant' Evasio.* 27) Calvum, Not. S. Georgii. 28) immo septimo. 29) *et destruerunt Boscelum,* Not. S. Georgii. 30) Parmensibus, Not. S. Georgii. 31) Paxilianum, Not. S. Georgii. 32) anno tertio. 33) Anzanelum, Not. S. Georgii. 34) Zibello, cf. supra p. 308. n. 87. 35) Busseto a Cremona ad meridiem. Cf. Annales Placentinos. 36) Lecco. 37) comotio, Ann. Med. minores 1219; supra p. 398. 38) immo 8. 39) immo quinto. 40) immo 26. 41) capitaneorum.

1228. 1218. fuit mutatum broletum comunis Mediolani, in anno[a] 15. archiepiscopatus domini Henrici de Setara.

1229. 1229. Ubertus de Bussero ivit in Apuliam cum centum militibus de Mediolano in servitio Apoliensis[42] contra Fedrichum imperatorem.

1230. 1230. Mediolanenses iverunt in servitio Alexandrini[43] ad Montem Barutium[44] contra marchionem[45] Montisferadi, et tunc fuerunt prope urbem Astexensis, et cetera.

1233. 1233. Mediolanenses incipierunt comburere ereticos, in anno tercio archiepiscopatus domini Gullielmi de Ruzolo.

1234. 1234. fuit belum de Zovenolta. Et in illo anno omnes vites in omnibus partibus fere mortue sunt, ita quod nullum fructum in illo anno vendecerunt nisi costis et montibus.

1236. Sept. 1236. Mediolanenses iverunt ad Montem Clarum[46] in Brexiana contra imperatorem. Tunc Papienses venerunt ad pontem Tecini, volentes derupare eum, et multi Papienses fuerunt vulnerati de morte.

Oct. 1236. imperator Fedrichus Rugerius venit Cremonam, volens ire Papiam. Et Mediolanenses castramentati sunt apud Laude vegio, obviantes ei; et non dimiserunt eum ire Papiam, stantes Mediolanenses ibidem per 30 dies.

1237. 1237. soli Mediolanenses iverunt per Lomelinam cum magno exercitu[b], et destruerunt Lomelum et Garessanam[47] et multa allia loca per dies 15.

1237. Mediolanenses incipierunt pontem noum de Pado, qui est ad Orvium[48].

Nov. 27. 1237. factum est bellum de Curte Nova, ubi capti et mortui sunt de Mediolanensibus plures quiginta[c] et de peditibus[d] plus quam duo milia, exceptis illis de allis civitatibus. Cremonenses vero sub pritestu[e] licentie fugierunt et vi per pontem de Vaprio transierunt, in anno[f] 17.[49] Fedrici secundi imperatoris et 10.[50] pontificatus pape[g] Grigolii[51].

1239. Iun. 3. 1239. die Veneris, medio die, cum celum esset serenum, sol obscuravit se quasi totum.

1239. Addua posita est in Lambro. Et tunc fuit exercitus de Camporgiago et Foudrum. Et imperator cum carozino Cremone transivit Lambrum et[h] Scleranum[52], et venit in teram Mediolani, et destruit Mereganum[53] et Landrianum[54] et Baxelicam Petri[55] et Turem de Lambro, et venit ad Cassinam Samarugam; et Mediolanenses semper erant ei opositi.

Oct. 22. 1239. imperator stetit per dies 24 super teram Mediolani; et decimo die exeunte Octubris aripuerunt iter eundi ad pontem noum[56] de Pado, ubi fere fuit cum toto suo exercitu[i]. Et tanta erat plovia[57], amissis castris et suppelectile, et etiam dicitur, quod ibi amisit carbonem[58] suum.

1239. captum fuit castrum de Alavaxio a Mediolanensibus.

1240. 1240. Mediolanenses destruerunt Lucinum[59] et multa allia loca in episcopatu[k] Cumarum.

1240. civitas Ferarie fuit capta a domino Gregorio de Montelongo, legato dicti pape[l], et a Veneaucis[60] et ab alli Lombardis; et Saligueram fuit positus in carcerem Venezis, et ibi mortus est.

1251. 1251. papa Innocentius quartus venit Mediolanum anno Domini.

a) annos *c* b) exercitus *c.* c) *an* quingenti? quinquaginta? d) pedibus *c.* e) pritestii *c.* f) annos *c.* g) papa *c.* h) *an* ad? i) exercitus *cod.* k) epūs *cod.* l) papa *cod.*

42) an apostolici? 43) Alexandrinorum. 44) Mombaruzzo ab Alexandria inter occidentem et meridiem. 45) Bonifacium III. 46) Montechiaro ad Chiesse fl., a Brixia inter orientem et meridiem. 47) Garlasco. 48) Orio prope Lambrum fl., a Placentia inter septentrionem et occidentem. 49) immo 18. 50) immo 11. 51) Gregorii IX. 52) Saleranum ad Lambrum fl., a Laude vetere ad occidentem. 53) Melegnano ad Lambrum fl., a Mediolano inter orientem et meridiem. 54) Landriano ad Lambrum meridionalem. 55) Bescapè inter Landrianum et Saleranum. 56) de cuius situ v. supra ad 1237. 57) cf. Annal. Placentinos 1239. 58) carbunculum, Ital. *carbone*, Karfunkel. 59) Lucino a Como inter occidentem et meridiem. 60) Venetis.

# ANNALES PLACENTINI.

*Quum anno* 1827 *Parisiis et Londini praesens bibliothecarum ditissimarum codices lustrarem, inter alios librum bibliothecae regiae Parisiensis numero* 4931 *signatum et Musei Britannici codicem Harleianum numero* 3678 *insignem evolvi atque in posterum edendos notavi*[1]. *Appropinquante igitur tempore quo scriptores aevi Suevici adgredi oportebat, anno* 1839 *iterum Parisiis praesens Bethmanno nostro codicem regium in usus nostros vertendum commendavi, quo munere impigre functus V. Cl. annales Placentinos necnon libellos de Friderici I. imperatoris expeditione Italica et itinere in terram sanctam exscripsit: codicem musei Britannici quum anno* 1844 *Londinum iterum adirem, bibliothecae eius praefectus egregius Antonius Panizzi exscribendum curaverat, et curatoribus Monumentorum patriae Taurinensibus frustra oblatum ut in Monumentis Germaniae ipse publici iuris faceret, a viro de re nostra optime merito facile obtinui*[2]. *Annis tamen compluribus elapsis quum ipse officio suo totus adstrictus teneretur, eique non nisi primas apographi paginas cum codice ipso iterum conferre licuisset, edendo libro renuntiavit, mihique anno* 1853 *Londinum tertio adeunti apographum utut erat quo in editione uterer dono dedit. Neque vero me ipsum operi, laborioso licet et difficili, subtrahendum ratus, illico apographo ad codicis normam corrigendo per plures hebdomadas summa cum cura institi, et textu tandem quam fidelissime fieri poterat restituto Berolinum redii, annales codicum Parisiensis et Londinensis inter se contuli, atque re quantum tunc licuit explorata, meum de utrisque, Guelfis scilicet et Gibellinis, iudicium die* 17. *Novembris eius anni Academiae regiae sodalibus proposui. Quod quidem eo animo feci, ut quum interim complures Scriptorum tomi, duo ultimi scriptorum aevi Salici et duo primi aevi Suevici, edendi mihi incumberent, consultis si fieri posset libris antiquis communis Placentiae, quos pro praecipuo annalium Gibellinorum fonte habeo, solidissimam ad editionem ipsam mihi viam aperirem. Quod aliter quam tunc opinabar evenit. Nam quum commentatio mea inter Commentationes Academiae nostrae in publicum prodiisset*[3], *V. Cl. Huillard-Breholles Parisiensis officium mihi impositum praeripere statuit, atque me inconsulto*[4] *utrosque annales iterum exscribendos curavit et Parisiis sumtu Ill. ducis de Luynes a.* 1856 *typis evulgavit*[5]

1) Archiv der Gesellschaft VII. p. 52 et 81. 2) cf. Archiv IX, 487. 3) Abhandlungen der Königlichen Akademie zu Berlin 1853. Philologische und historische Abhandlungen S. 499–515. 4) Errat editor Monumentorum Parmensium et Placentinorum in praefatione p. IV. ut in aliis, ita et in hac re. 5) sub titulo „Chronicon Placentinum et Chronicon de rebus in Italia gestis historiae stirpis imperatoriae Suevorum aptissima. Parisiis excudebat Henricus Plon.“ in 4°.

*Quod satis cito factum laudavisses, si factum esset satis bene. Sed celeritatis studium obfuit, quin editor palmam quam ambierat praeriperet, dum textus talibus et tantis interdum vitiis scatet, ut nec codicis textum vere exprimere dici possit, nec adhibitae ei coniecturae et explicationes acumine sese lectori valde commendent; cuius rei exempla infra reperies. Talem textum nactus editor Monumentorum historicorum ad provincias Parmensem et Placentinam pertinentium*[6] *illustrissimus Palestrelli comes, inde ea quae ad res Parmenses Placentinasve maxime faciebant repetiit, omissa ea parte quae ad generalem Italiae Germaniaeque historiam pertinet et resectis omnibus fere epistolis documentisque quae praecipuum operi pretium addunt.*

*Bene tamen meruit V. Ill. adnotationibus ad geographiam praecipue pertinentibus textui subiectis, et Paveri historici Placentini, qui saeculo XVII. codice dum Placentiae custodiebatur satis fideliter usus est, chronico adhibito veram annalium lectionem, qualem Londini legi et cuique legere licet, non semel restituit. Dum tamen multo plura restant quae emendatione tum ex codice ipso tum ex coniectura levi medela adhibita egeant, nostram editionem huic tomo iam ab initio reservatam et historiae studiosis necessariam iam demum loco suo statuimus.*

1. *Annales codicis Parisiensis, qui ab anno* 1012 *usque ad annum* 1235 *pertingunt, civi Placentiae anonymo rerum publicarum optime gnaro debentur, qui in turbis saeculo XIII. inter Guelfos et Gibellinos, inter milites et populares Placentiae ortus, Guelforum easdemque tunc militum partes amplexus erat, quare eos* Guelforum annalium *titulo insignire placuit. Quae enim Parisiensis editor consentiente Parmensi de Codagnello libri auctore praefatus est, ea valida ratione nulla nituntur, dum et descriptio codicis cuius partem efficiunt supra pag.* 357. *prolata Codagnello nonnisi chronicon de sex aetatibus haud vero reliquos codicis commentarios tribuendos esse comprobat; nec contra argui potest, quod in annalibus nonnullae transactiones eisdem fere verbis enarrantur, quae in chartis eisdem de rebus auctoritate publica per Iohannem Codagnellum, intra annos* 1202 *et* 1230 *primo notarium tum cancellarium Placentinum, confectis habentur*[7]*, dum quisque historiarum scriptor cui documenta illa inspicere licebat, iure optimo et textum eorum narrationi suae inserere poterat. Tertium vero argumentum ab editore Parisiensi prolatum, scilicet Codagnellum ipsum, quem et libelli tristitiae et doloris auctorem facit, se certo quodam modo et annalium auctorem profiteri, aeque fallit, quum locus ab ipso indicatus nihil eiusmodi contineat, sed ut supra monstravimus integritati restitutus, plane aliam rem indicet, nec aliquo modo ad annales referendus sit. Ceterum Codagnellorum familiam Placentiae saeculis XII. et XIII. viguisse, editores Parmenses pluribus monstrarunt. Annalium autem nostrorum auctor priorem certe eorum partem inde ab anno* 1012 *usque ad annum* 1194 *ex annalibus Placentiae antiquioribus quos hodie deperditos lugemus transscripsit; altera pars eaque multo maioris momenti adhibitis chartis publicis et notitiis quas viris rerum gestarum contemporaneis deberi quisque intelligit, maximam partem inter ipsas res gestas conscripta fuisse videtur; certe auctorem quaecumque inde ab anno* 1220 *tradit medias inter res et ipsum earum participem scripsisse nullus dubito. Quare plurimum dolemus, quod cladis quam socii eius, milites scilicet et Guelfi, anno* 1232 *passi sunt historiam tradere aut neglexit aut conscriptam fortasse iterum delevit*[8]*. In universum tamen, si partium studium auctori alias optime informato condonaveris,*

6) Chronica Placentinorum Vol. 3. Parmae 1859. 7) V. praefationem editionis Parmensis pag. VIII sqq.
8) Codicis Parisiensis scriba eam non vidit; nam media in pagina nil haesitans pergit.

Cod. Paris. N. 4931.



Dr. Wilh. Arndt scripsit.

## 2. Annales Placentini.

Cod. Musei Britannici Harlei. 3678.

in folio.

fol. 29'



fol. 98.



Karolus Pertz scripsit 1853.

## 3. Otto Morena. Cod. Pommersfeldensis.



Philippus Jaffé scripsit.

## 4. Annales Parmenses maiores. Cod. Parmensis.



Philippus Jaffé scripsit.

*librum eius inter praecipuos historiae Italiae saeculi XIII. ineuntis fontes habendum esse facile concedes. Annum incarnationis Placentinorum more inde a die* 25. *Martii computat, ita ut anterior anni pars praecedenti adscribatur*[9]. *Textus, qualem unicus codex praebet, valde corruptus haud raro medela eget, quam quantum fieri poterat leni manu adferendam duximus, notata tamen ubique codicis lectione. Sermonem Latinum nec in hoc nec in Annalibus Gibellinis admireris, dum in utrisque ad vulgarem eius aevi inclinat et Italam librorum originem prodit. Liber paucis cognitus, saeculo XIV. Galvaneo Flammae innotuisse videtur, quippe qui a.* 1218 *solus cum nostro portas duas Placentinas pro Laudensibus habet.*

2. *Annales Gibellini in unico codice Harleiano* 3678 *servati, ab anno* 1154 *usque ad annum* 1284 *protenduntur. Liber exeunte saeculo decimo tertio Placentiae compositus, et exemplum nostrum anno* 1295 *absolutum est teste inscriptione folii* 130: MCCLXXXXV. factus fuit iste liber in civitate Placentia, et constititit inter cartas et scripturam, et ad ligandum, et ad ponendum in assibus libras quatuor et solidos sex tremissem[a]. *Scriba haud raro notissima scribendi compendia ignorabat, et textum auctoris minime purum reddidit. Auctor subsidiis praecipuis usus, historiam patriae animo quidem in partes populi et imperii*[10] *propitio concinnavit, sed in scribendo se unam veritatem prae oculis habuisse profitetur, atque integritatis laudem meretur dum vera imperii et ecclesiae conditione bene perspecta, utriusque stabilimentum vovet et amplectitur, nec vitia vel errores partium silet. Subsidiis igitur, quae amplissima ei ad manus fuerunt, ita usus est, ut aequi iustique tenax quae magis aspera quam vera dicta inveniret, ea temperanda statueret. Ita in principio operis tota fere narratio de gestis Friderici I. imperatoris in Lombardia anni* 1154—1177 *ex annalibus Mediolanensibus supra* 360 *sqq. editis decerpta, eo tamen ab illis differt, quod noster iustam imperatoris causam aperte agnoscit, maledictiones opprobria et crimina a scriptore Mediolanensi in eum prolata, haud raro omittit tacetve, et unus omnium qui ea de re scripserunt crudelia Mediolanensium in Papienses facinora recenset. Pacis inter imperatorem et Lombardos initae formam integram operi inseruit, et per totum historiae decursum documentis authenticis ex tabulario Placentino desumtis fidem lectoris sibi conciliat. Res annis* 1184—1187 *gestas ex annalibus antiquis Placentinis iam deperditis hausisse videtur. Capite „Item gesta Frederici", ultimam imperatoris expeditionem et obitum secundum narrationem supra in annalibus Mediolanensibus editam descripsit. Gesta Heinrici, Philippi et Ottonis usque ad a.* 1218 *breviter tantum attingit, et hic aeque atque in gestis Friderici II. in Lombardia annales antiquos secutus, ab annalibus Guelficis discedit; quos nonnisi annis* 1227 *et* 1234 *ante oculos habuisse videri potest. Ipse gestis Friderici II. praefatus, auctoritatem eorum quae ab antiquis in scriptis nobis tradita esse noscuntur invocat, atque se solummodo veritatem disserere et narrare testatur, „quoniam et qui fecere et qui aliorum facta scripsere, multum laudentur". Nostrum tamen antiquis et coaevis fontibus pro suo arbitrio usum esse, compluribus locis liquet, dum anno* 1220 *Conradum regem Friderici II. filium introducit, tum anno* 1237 *Leonem monachum praedicat postea archiepiscopum Mediolanensem fuisse, cuius dignitate annis* 1241—1257 *gavisus est; et a.* 1250 *Placentinos in expeditione*

a) *l. codex. Pretium istud hodie 45 franchis = 12 thaleris nostris aequari ed. Parmenses dicunt p. XVI.*

9) Sicut anni, ita et mensis initium notandum est; annales Gibellini anno 1250 initium mensis Septembris a die 19. Kal. Septembris computant, ita ut usque ad diem 18. Kal. Octobris excurrat. 10) Karolum Andegavensem, per Clementem papam Siciliae regem creatum, noster vel annis 1267. 1268 et 1269 comitem vocat, anno 1269 prima vice regem.

*non fuisse tradit, „de quo adhuc Mediolanenses habent odio Placentinos". Inde a medio saeculo decimo tertio narrationem eiusdem plane temporis legere videmur; ita anno* 1247 *scribit: „reliqua pars militie Parme, sicut sunt propinqui et amici extrinsecorum", . . Anno* 1266 *„illi qui dicuntur de parte ecclesie" . . „qui dicuntur de parte imperii". Anno* 1267 *„thesaurus quem habet Bosius . . pons quem habet Bosius . . . adhuc ipsos detinet." Anno* 1269 *„Timent enim eum; . . de pace debet tractari" . . Anno* 1277 *„Nova talia sunt" . . et multa eiusmodi, medias inter res scripta, commentarios eius aevi a viro optime instructo compositos hic nobis servari docent. Quos per intervalla prout res novae acciderint compositos esse, quisque perspiciet, qui e. g. narrationem de electione Gregorii X. papae mense Septembri* 1271[10] *et consecratione eius die* 13. *Martii* 1272 *legerit. Auctor cui opus hoc historiae eximium debemus*[11] *vir egregiae indolis, iudicii clari perspicacis incorrupti*[12], *fidei in imperium et iustitiam inconcussae, nomen suum latere voluit. Folio* 129 *hos versus inscripsit*

Nomen cello[a] proprium propter Dei laudem
Contra cuius gloriam nullam quero fraudem.
Hiisque noster Dominus nostram ledat cladem,
Qui vivit in seccula secculorum. Amem[b].

*Eadem manu sed ductu magis citato eidem paginae anno* 1302 *hae notae inscriptae sunt:*

1290. de mense Decembris dominus Mutius de Modoetia fuit ellectus potestas Alexandrie prima vice et refutavit. In illo tempore dominus Guillielmus marchio Montis ferati erat in carcere in Alexandria et obiit.

1290. de mense Decembris dominus Mutius de Modetia fuit ellectus capitanius populi de Novaria et recepi dictum capitaniatum per sex menses.

1294. de mense Octubris dominus Mutius de Modoetia fuit ellectus capitanius populi de Plaxentia per sex menses prima vice, et recepi dictum capitaniatum.

1295. de mense Februarii dominus Mutius de Modoetia fuit ellectus capitanius populi Albe, et refutavit dictum capitaniatum.

1295. de mense Aprilis dominus Mucius de Modoetia fuit ellectus potestas Albe, et refutavit dictam potestariam.

1295. de mense Madii dominus Mutius de Modoetia fuit ellectus potestas Fabriani marche de Anchona, et refutavit dictam potestariam.

1295. de mense Madii dominus Mutius de Modoetia fuit electus capitanius populi de[c] Plaxentia secunda vice per 6 menses, et recepi.

1298. de mense Agusti dominus Mutius de Modoetia fuit electus potestas Fabriani de marcha Anchone per 6 menses e secunda vice, et refutavit.

1298. in festo sancti Michaellis dominus Mutius de Modoetia factus fuit miles in civitate Veronae per dominum Albertum de Laschala una cum dominis Fatio de Pustrela et Arichus de Modoetia et Adamo de Guxano et Chunrado de Sorexina.

1299. de mense Ianuarii dominus Mutius de Modoetia electus fuit potestas Vercellarum per 6 menses, et recepi dictam potestariam.

1299. de mense Setembris dominus Mutius de Modoetia fuit electus potestas Alexandrie per 6 menses secunda vice, et recepi dictam potestariam.

1302. de mense Setembris dominus Mutius de Modoetia fuit electus capitanius populi Palme per 6 menses, et refutavit dictum capitaniatum Palme.

1302. die sabati 20. die mensis Octubris dominus Mutius de Modoetia fuit electus potestas Peroxie de Tuscia sive Toschana per 6 menses, et refutavit dictum regimen seu potestariam de Peroxia.

a) *i. q. celo.* b) *ita c.* c) *vox excidisse videtur.*

10) scribit ibi: *expectatur de die in diem.* Papa recens electus tunc in terra sancta morabatur. 11) cf. quae de eo iudicavi in commentatione de antiquissimis Placentinorum chronicis quam d. 17. Novembris 1853 in Academia regia legi. 12) cf. e. g. iudicium eius de expeditione Ludovici IX. in Africam fol. 96. et de factionibus Placentinis fol. 100.

*Et folio 98', a scriba annalium vacuo relicto, manu Mutii tunc capitanei populi Placentiae anno* 1295 *litterae Mathei Vicecomitis ad eum atque potestatem et sapientes et commune Placentiae directae leguntur, quibus aliae notitiae a.* 1295 *et* 1296 *manu Mutii, annis* 1296, 1309 *et* 1317 *alia manu eius temporis subiectae sunt:*

Quando dominus Octo Vicecomes archiepiscopus Mediolani obiit in monasterio Orravale, et sepultus fuit in Sancta Maria[a] ecclesia apud altare sancte Agnetis; qui archiepiscopus regnavit in archiepiscopatu 31 annis[b].

1295. die Lune 8. mensis Augusti. Matheus Vicecomes Dei gratia serenissimi domini Adolfi[c] Romanorum regis et imperii generalis vicarius in Lombardia, capitaneis populi Mediolani, Cumarum, Vercelarum, Novarie, Alexandrie, Casallis etc. et ceteri de agnacione de Vicecomitibus, nobilibus et egregiis viris, dominis Bonifacio de Samaritanis potestati communis, Mucio de Modoecia capitaneo populi, sapientibus et comuni Placentie, salutem et solitam ad obsequia voluntatem. Eventum dire amaritudinis quem nemini subiecta mortis severitas nos pati compelit, vobis sicut amicis precipuis, qui nobis comunicatis in prosperis et adversis, turbatis sensibus cogimur intimare. Ecce hodierna die ante horam vexperarum, sicut Domino placuit cui subiecta est omnis caro et obediunt cum paupere principes et potentes, venerabilis pater dominus noster Octo Vicecomes Mediolanensis archiepiscopus qui vos admodum diligebat, sumptis diligenter ecclesiasticis sacramentis, aput monasterium Caravalensium † spiritum reddidit Deo Patri. Nos autem, quos vobis[c*] idem sanctus pontifex relinquit uniquos[13], solita fiducia requiratis; qui vos plurimum obsecramur, [13] ut in vestra felici et famosa constancia persistatis sicut actenus perstitistis. Nam nos et civitas Mediolani, licet in sublactione[14] tanti patris cogamur tristari, sumus per Dei gratiam in magna constancia et patenti[d].

1295. indictione octava de mense Septembris, dominus Rufinus de Fexegio de Tuscia prope civitatem Luce, electus fuit in archiepiscopum Mediolani per dominum papam et eius cardinales.

1296.[e] die Iovis 28. mensis Martii dominus Ruffinus de Fexigio de Tuscia prope Lucam qui erat archiepiscopus Mediolani obiit in curia Romana et non venit ad archiepiscopatum, et fuit archiepiscopus per menses sex et dies 15.

1296.[f] dominus Franciscus Gogus de Parma electus fuit archiepiscopus Mediolani per dominum papam Bonifacium.

1309.[f] dominus Castorius de Laturre electus fuit archiepiscopus Mediolani per ordinationem ecclesie Mediolanensis.

1317.[f] dominus frater Aycardus de Camogia Novariensis de ordine Minorum electus fuit archiepiscopus Mediolanensis per dominum papam[15].

*Quibus omnibus rite perpensis, Mutium de Modoetia equitem, virum per Italiam superiorem et mediam celebrem et tunc per annum integrum capitaneum populi Placentiae, codici mense Augusto anni* 1295, *quo anno ipsum librum Placentiae confectum fuisse constat, et sequentibus res ad se pertinentes propria manu inscripsisse, ideoque non modo primum codicis possessorem, sed testibus versibus manu eius scriptis etiam auctorem habendum esse, certo constat. Capitaneus igitur populi, de statu civitatis sollicitus, librum instruendo populo idoneum conscribi fecit, ope subsidiorum quae tabularium praecipue civitatis, commentarii, et memoria ipsius aliorumve hominum subministrabat, et medias inter turbas constitutus, quae desiderium imperatoris ferventius movebant, opere absoluto Dei auxilium pro patria implorat. Cuius voti post aliquot annos compos*

a) *ita codex.* b) anis *codex. Quae sequuntur usque* et eius cardinales *scripta sunt manu auctoris, aeque ac fol.* 129. Nomen cello — amem. c) A. *codex.* c*) nobis *c.* d) ptēti: — *codex,* patenti *respondet voci* famosa. *Ed.* potentia *habet.* e) *haec eadem manu sed alio tempore, ut reliqua fol.* 129. f) *haec omnia alia scriptura et eodem fere tempore addita esse videntur.*

13) i. e. unicos vel potius unitos. 14) i. e. sublatione. 15) Mutii manu et argumenta brevia in margine passim adscripta sunt, e. g. fol. 41, 95, 98, 100 sqq. 106'.

*factus, Heinricum VII. imperatorem in Italia vidit, et ab ipso vicarius imperii in Placentia constitutus d. 12. Novembris 1312 eo venit, atque per sex menses munere functus, cum odio adversae partis recessit*[16], *tertio mense ante obitum Heinrici imperatoris, sub quo ultimo Italia imperii dignitatem et beneficia experta, deinde curiae Romanae et exterorum in servitium et ludibrium decidit.*

*Codex qui nobis opus hoc servavit, in membrana Itala, manu Itala et prout ex scripturae specimine adiecto patet exeunte saeculo XIII. exaratus, atque inscriptione folii* 130 *teste anno* 1295 *Placentiae est absolutus. Scriptura passim magis in latitudinem extensa, passim magis in altum erigitur; abundat lineolis litteram* i *indicantibus. Paragraphorum signa et litterae initiales rubro colore notatae. Numerus plagularum in folio saeculo XVII. atramento notatus erat* 130, *quarum tamen triginta priores, necnon* 127 *et* 128 *iam desiderantur. Plagulae in quinque partes distributae erant; prior iam deperdita tribus quaternionibus cum ternione* (1—30), *secunda* (31—50) *aeque ac tertia* (51—70) *duobus quaternionibus cum dimidio, quarta tribus quaternionibus et dimidio* (71—98), *quinta* (99—130) *quatuor quaternionibus cum quatuor foliis quorum duo priora* (127. 128) *iam exciderunt, constabant. Quaternionum ordo notato cuiusque in fine primis syllabis textus sequentis indicatur. Sub finem partis secundae (scilicet folii* 50*) lineae paucae, in fine partis quartae pagina ultima (fol.* 98'*), vacuae relictae, codice absoluto manu Mutii inscriptis versibus de restauratione Mediolani et epistola Mathei Vicecomitis expletae sunt. Liber per quaterniones scriptus; pars prima ut monuimus desideratur; partes secunda cum tertia, scilicet folia* 31—70, *tum folia* 79—86 *una eademque manu exarata sunt, folia* 71—78 *secunda minori, folia* 87—94 *manu tertia.*

*In margine scriba rubricatori operam indicavit, tum brevia ibi argumenta ipso et aliis duobus auctoribus, necnon multo posterioris aevi notae nullius momenti habentur. Manus recentissima folia molybdaeno numeris* 1—98 *signavit, duobus ultimis haud numeratis.*

*Primum codicis folium* 31 *signatum inscribitur:* **Incipit series imperatorum. Primus cesar Iulius Cesar imperavit annis quinque, qui primus monarchiam tenuit; iste interfectus fuit graphiis ferreis.** *Deinde per proximas paginas breve* ***chronicon imperatorum Romanorum*** *usque ad Fridericum II. producitur*[17], *cuius inter fontes Martini Poloni chronicon eminet, unde haud*

16) Guarinus, Alberti Scoti inimicus, in chronico Placentino scribit: *A.* 1312. *die* 1. *Novembris Mutius de Modoetia venit in Placentia pro vicario imperiali et stetit usque ad sex menses; is erat vir miserrimus, imprudens et omnia ad libitum Alberti Scoti faciebat, innocentes condemnabat et culpabiles absolvebat. A.* 1313… *et Mutium de Modoetia qui fuit assassinus pro domino Alberto Scoto et plura mala fecit* .. Mon. Parm. T. III, 370. 376.

17) Dicitur ibi de Nerone: *non tinxit ora lacrimis, imo fuit censor extincti decoris, dicens: „Pulcra fuit mater mea.“* Post Irenem et Carolum Crassum imperium ab Italicis ad Francos et iterum ad Italicos, in Ottone I. ad Theotonicos transire legimus; *exempto enim imperio ab Ytalicis, soli Theotonici imperant usque presens tempus.* Foliis 33' et 34 ita finit: fol. 33. (3) *Conradus tempore Innocentii et Celestini et aliorum imperavit annis* 16. *Huius tempore quidam magister Arnaldus nomine predicabat in urbe Roma reprehendens divitias et superfluitates clericorum, cuius dicta multi magnates Romanorum sequebantur, captus tandem ob odium clericorum suspenditur. Fredericus tempore Adriani, Alexandri pape et aliorum imperavit annis* 38. *Iste enim strenuus fuit, largus, facundus, in omnibus prudens, qui Mediolanum pene penitus destruxit, tandem dum iret ad terram sanctam recuperandum cum magno exercitu in quodam parvo flumine dum se balnearet, heu tantus princeps suffocatur et moritur.* (fol. 34.) *Henricus filius Frederici sub Celestino et Innocentio, imperavit annis* 7 *et mensibus* 5. *Iste primo anno imperii sui Neapolim obsidens morbo tam ipso quam exercitu confecto rediit Alamaniam, anno vero quarto rediens totum regnum Apulie subiugavit ubi plurimos rebelles diversis penis cruciavit, filium Tranchodi regis Sciculorum cum matre et Margarito secum in Alamaniam duxit captivos. Otto Saxonus gente, tempore Innocentii et Honorii, imperavit set non sunt sibi propter maleficium suum atributi anni. Iste enim fuit coronatus ab Innocentio tercio in basilica sancti Petri. Qui accepta corona statim pugnam habuit cum Romanis et contra voluntatem domini pape intravit in regnum Apulie auferens illud Frede-*

*ante annum* 1268 *conscriptum fuisse patet. Sequuntur deinde excerpta quaedam ex libris Sibyllae aput basilicam beati Iohannis Lateranensis et visionibus Ezechielis et Danielis prophetarum, narratio de Nerone et Lucano usque eius mortem „in aqua calida et sic leviter expiravit.“ Folio* 36' *Gesta imperatoris Friderici et Annales ipsi initium capiunt et semel tantum scilicet foliis* 112'—120 *insertis excerptis historiae Romanae et Longobardorum*[18] *interrupti,* 18
*usque ad finem fol.* 125 *producuntur. Excipit eos Epistola presbyteri Ianelli cuius finis exsectis foliis* 127 *et* 128 *desideratur. Foliis* 129 *et* 130 *praeter ea quae iam indicavimus fol.* 129' *alia manu satyra sequitur:* Iusticia domni pape secundum marcham argenti *et folio* 130 *sex lineae Yeronimi super Ysaia IX. Babylonem describentis. Liber inscriptionibus foliorum* 129[a] *et* 130[b] *testibus saeculo XV. in manus Iohannis presbyteri de Tabiago devenit, qui et folio* 37 *voci „Robacastellum“ addidit* de Tabiago. *Quo saeculo Iohannes de Mussis*[19] *ad chronicon suum concinnandum codice usus est, qui Placentiae per sequentia quoque saecula usque ad decimum octavum servatus esse videtur. Nam saeculo decimo sexto exeunte Stephanus Paveri antiquitatis patriae studiosissimus totum opus primo excerpsit tum reliqua transscripsit*[20]*; cuius exemplo sed et codice ipso saeculo decimo septimo usus est Petrus Maria Campi ad historiam Placentiae ecclesiasticam*[21]*; codex ipse tunc apud Caesarem Maretum S. Dalmatii Placentiae priorem servabatur, et Campius diversas eius paginas sub eodem numero laudat, quem saeculo XVII. eis inscriptum fuisse dixi. Mareti beneficio*[22] *etiam Hieronymus Bossi Papiensis scriptor codicis copiam nactus est, qua Iosephus Robolini in notitiis suis ad Papiae historiam facientibus usus est. Saeculo decimo octavo ineunte librum una cum duobus chronicis Placentinis*[23] *Iohannes Gibson bibliopola Londinensis Placentiae sine dubio emit, atque ex Italia secum asportatos die* 28. *Augusti* 1724[24] *Humphreio Wanley, bibliothecario primum Roberti Harleii comitis Oxfordensis*[25] *tum Eduardi filii eius, vendidit, quo curante corio purpureo involuti collectioni Harleianae illati sunt*[26]*, quacum postea Museum Britannicum intraverunt.*

*Utrisque annalibus Guelfis et Gibellinis saeculo XIV exeunte Petrus de Ripalta et circa annum* 1400 *successor eius Iohannes de Mussis Placentini usi,*

a) Iste liber est mei presbyteri Iohannis de Tabiago *quae ultima vox obscura, etiam* Tabracro *legi potest: sed nota folii* 37 *dubietatem ea de re tollit.* b) *rubro colore* Iste liber est presbyteri : : : : : : : : : : : *voces erasae.*

*rico regis Scicilie. Quapropter fuerunt excommunicati principes Alamanie. Quarto anno imperii sui Fredericum predictum in Romanorum imperatorem elegerunt. Qui veniens navigio usque Romam a domino papa et a populo Romano honorifice receptus, in Alamaniam missus est contra Ottonem, ibique mirifice eum superando triumphavit. Qui Fredericus tempore Honorii, Gregorii et Innocentii IV. et aliorum imperavit annis* 32. *Iste anno ab incarnatione Domini* 1220. *in basilica sancti Petri ab Honorio tercio in imperatorem Romanorum coronatus fuit, et in regno Apulie et Scicilie plurimos rebelles tam christianos quam Saracenos diversis penis cruciavit. Et filium eius Henricum regem qui rebellis eius fuit in Alamania in carceribus posuit cum ambaxiatoribus Mediolani et Brixie, cum quibus tractatum habuerat de aufferendo patri suo regnum et forciam quam habebat. Anno vero imperii eius XV. Ab isto tempore in antea reperitur in Encade id est in Roma non*[a] *aliquis imperator qui vocitetur nomine imperator Romanorum; quoniam post hunc debet eligi imperator, set in Encade minime, qui habebit caput unum et pedes* 24 etc. *Reperitur in apocrisiariis Sibille aput basilicam beati Iohannis Lateranensis in Roma urbe repertis. Dinastie* etc. 18) ex historia miscella et Paulo Diacono desumtis. 19) qui inde e. g. litteras Ottonis Vicecomitis integras transscripsit. 20) ut editores Parmenses plenius demonstrant pag. XVIII—XX; Paveri manuscriptis usus est Vincentius Boselli in historiis Placentinis a. 1793—1805. ibid. p. XXIII. 21) ibid. p. XX. 1651 sqq. fol. 22) ibid. p. XXII. XXIII. 23) Codd. Harlei. 3682 et 5132. 24) Codex fol. primo inscribitur: 28. *die Augusti A. D.* 1724. *Oxford B. H.* 31. — addito molybdaeno recenti numero 1. 25) Robertus comes Oxford. obierat d. 21. Maii 1724; v. praefationem Catalogi Mss. bibl. Harleianae T. I. 26) Has notitias debeo humanitati V. Cl. Friderici Madden equitis, codicum manuscriptorum in Museo Britannico adservatorum conservatori optime merito.

a) *deest in c.*

*inde excerpta ope cum Martini Poloni tum notitiarum indigenarum, quas inter et annalium fontes fuisse videntur, chronicis Placentinis conscribendis adhibuerunt, ea tamen ratione ut Petri liber a Iohanne auctus et ad sua usque tempora productus sit. Codicem chronicae Petri nondum typis editae inter libros Musei Britannici Harleianos numero* 3682 *insignem evolvi, chartaceum, saeculo XVI exaratum, foliorum* 51 *in folio; textum Iohannis de Mussis apud Muratorium in SS. Italicis T. XVI, pag.* 443 *sqq. legere licet; et cum in eadem bibliotheca Harleiana numero* 5132 *signatum codicem chartaceum saeculi XV meliorem textum exhibere animadverterem, utroque codice* P *et* M *adhibito, hoc loco et infra ad a.* 1232 *et* 1233 *excerpta pauca ad antiquiorem Placentiae historiam facientia inde proferre constitui**.

* **Anno Domini 814.**[a] **Eo tempore edificata est apud murum civitatis Placentie basilica in honore sanctorum Symonis et Iude a comite Tadono Placentiae de Timello**[b].

27 **822. imperatrix Angilberga uxor Ludovici imperatoris filii Caroli Magni**[27] **predicti edificavit monasterium unum infra muros Placentie urbis ad honorem dominice resurrectionis ac beatorum Sixti et Fabiani et aliorum martirum pro remedio anime eius et parentum suorum, quod monasterium tam multis quam magnis possessionibus et thesauris ditavit et sanctorum corporibus et reliquiis decoravit.**

**823. Pascalis papa .... corpus beatissimi Sixti Romani pontificis .... elevavit et Ludovico .... imperatori elargitus est, quod .... suscepit, inde .... Placentiam deportavit, ibique ab Angilberga ..... suscipitur et in Kal. Septembris ... depositum est in monasterio predicto eiusdem nominis.**

**866. delatum est corpus sancte Martine a Roma in Placentiam quod postmodum reconditum fuit in dicto monasterio sancti Sixti.**

**867. Lotharius rex et imperator de Roma veniens in Placentiam, ibi defunctus est 6. Idus Augusti, corpus cuius infra basilicam sanctorum Antonini et Victoris ... non longe extra murum civitatis Placentie reconditum fuit tempore Gottofredi eiusdem civitatis episcopi.**

**868. episcopus Donatus edificavit et de suis propriis rebus dotavit non longe extra urbem Placentie monasterium unum in honore sancte Brigide ....**

**882. edificatum fuit monasterium unum non longe extra civitatem Placentie in honore sancti Laurentii quod nunc dicitur sancti Alexandri**[c].

**899. Frotarius episcopus Biturice venit in Placentiam et ibi defunctus est; corpus cuius infra basilicam sancti Sixti iuxta fontes feliciter requiescit.**

**931. Unghari ... igne incenderunt monasterium sancti Sixti.**

**933. hedificatum fuit in Placentia monasterium unum in honore sancti Gregorii per Adelindam nobilem comitissam.**

**937. edificatum fuit in Placentia honorifice templum in quo fabricatum fuit sepulcrum in honore domini nostri Iesu Christi.**

**954.**[d] **Berengarius secundus imperator venit in civitatem Placentiae, qui ad preces Ioannis episcopi Cremone et archicanzelarii sui divisit confinia inter diocesim Placentie et diocesim Cremone**[e].

**1001. delatum est corpus beate Iustine a Roma in Placentiam, traditum a Ioanne XVII. papa qui fuerat episcopus Placentie, et repositum fuit in ecclesia sancti Ioannis euangeliste per Sigifredum eiusdem civitatis episcopum miraculis coruscando.**

**1004. factum fuit privilegium capitaneorum de Fontana per Henricum II. imperatorem.**

**1005. rehedificatum fuit extra muros Placentie monasterium unum in honore sancti Savini episcopi tempore Sigefredi eiusdem civitatis episcopi.**

**1022. ecclesia SS. Antonini et Victoris fuit restaurata per Sigifredum Placentie episcopum.**

**1057. ossa beati Florentii episcopi translata sunt ab Orengha civitate ad castrum Florenzole episcopatus Placentie.**

**1058. rex Bethleem venit in Lombardiam**[f] **tempore Henrici imperatoris.**

**1081. civitas Placentie combusta est quasi tota in sabbato sancto.**

**1084. die primo mensis Novembris fuit prelium de Negrino inter Placentinos ex una et Papienses ex alia. In quo prelio Placentini victores fuerunt, multis Papiensibus trucidatis, pro qua victoria Placentini edificaverunt in civitate Placentia unam ecclesiam in honorem omnium sanctorum.**

**1089.**[g] **siccitas magna fuit in universa terra, ita ut flumina fontes et putei siccarentur. Et tunc clerus et populus Placentie accipientes corpus sancte Iustine quod erat in ecclesia sancti Iohannis euangeliste, portaverunt illud in circuitu civitatis, et tunc gratia Dei data est eis magna ubertas aque.**

a) *in codice mendose semper:* Anno Domini CCCXIV. CCCXXII *et sic porro scribitur.* b) Domina Alazia filia Pipini regis et uxor Cadoti comitis de Lomello ecclesiam .... construxit *M.* c) tempore domni Conradi episcopi Placentiae *addit M.* d) 944. *P.* e) tempore Bosii episcopi Placentini. *M.* f) et fuit festum sancti Petri in episcopatu Brixiae cum Henrico imperatore cuius servitio venerat. Et tunc castrum de Oririo districtus Mediolani captum et multa mala sunt facta Brixianis. *M.* g) 1088. *M.*

27) Hlotharii I.

# ANNALES PLACENTINI GUELFI[a]

1012. 8. Kal. Madii indictione 8.[b] Sigefredus Placentinus episcopus de hoc seculo migravit.

1084. mensis Novembris, indictione 7. prelium de Nigrino fuit.

1085. fames valida fuit.

1088. prima guerra Creme fuit incepta mense Madii.

1090.[c] Millexime nonagesimo de mense Februarii, sedicio magna orta est inter populum et milites Placentie, occaxione pugne que eo tempore fiebat in terra vacua que erat inter ecclesiam sancte Marie de Templo et viam que vadit Arcive. Accidit in fortuito casu quod miles quidam iniquissime pugnabat cum quodam pedite, ita quod unus ab altero dividi non poterat. Et dum sic preliarentur, videntes populares quod pedes resistere militi minime poterat, lapides et lutum super militem proiecerunt, et quod deterius fuit fustibus manibus ipsum graviter percusserunt. Videntes similiter milites qui ibi erant, peditem[d] percusserunt et verberaverunt. Clamore undique facto, milites omnes civitatis in parte una congregati et populares in alia, prelium magnum inter eos est inceptum, quod duravit usque ad obscuram noctem. In quo prelio obierunt duo de militibus et tres de populo. Altera die summo mane ceperunt preliari per totam civitatem, et cum vidissent[29] quod non possent resistere, nocte veniente et die sequenti exierunt de civitate et intraverunt per castra et loca et villas districtus Placentie. Postea conscilio communicato, statuerunt milites ut omnes intrent inter Villam et Canum et per illas partes, preter illos quos posuerunt in custodia in Roncairolo 20 milites, custodientes per illas partes, ita quod nullus poterat intrare civitatem nec aliquid trahere nec portare; et quinque peditum transeuntes, equitabant usque ad pontem; in Rivalgario 20 milites, in Arcellis 20 milites, qui omnes omni die equitabant usque ad civitatem, et si inveniebant aliquem portantem aliquid in civitatem, abstulebant eis boves et totum quod portabant, et etiam manus et pedes eis incidebant. Et ita steterunt usque ad octavam sancti Michaelis. Percipientes autem populares carere victualiis, conscilio habito statuerunt exire civitatem dicentes: *Melius est mori in bello quam videre desolationem nostram et fame perire.* Et exeuntes de civitate, iverunt ad villam Sancti Georgii et illam conbuserunt, similiter villam Carpeneti et Castrucani et Iuda et Carii conbuserunt. Et dum hec agerentur, milites omnes congregati cum omni exercitu eorum peditum et sagittariorum per partes Corneliani et Ronchi[e] et Vicoiustini et in illis partibus loca et villas illarum partium in quantum poterant defendebant. Populares vero ad partes Trabaciani iter eorum direxerunt et locum illum conbuserunt, et obsiderunt tunc castrum in quo erant circa viginti milites cum quibusdam aliis de societate, et Monteiaconum et Predugiam expugnaverunt. Cognoscentes vero milites et populares longo terrarum spacio a civitate recessisse, omnes armati et asclerati cum omni turba militum peditum et sagittariorum velocissime ad civitatem celeri gradu currentes, ianuis apertis in ipsam intraverunt, neminem invenientes in ea preter milites et quosdam captivos qui in urbe remanserant, et habuerunt civitatem et ea omnia que in ipsa erant. Hoc audito a popularibus, meste turbati ingenti dolore et tristitia commoti, festinanter ad urbem redierunt et hospitati fuerunt prope ecclesiam sancti Lazari. Sed milites qui remanserunt extra civitatem gravissime eos infestabant, ita quod mercatum habere non poterant. Cumque acta hec fuissent, accidit divino iudicio voluntate domini nostri Iesu Christi, a quo cuncta bona procedunt et sine quo nil fieri potest, milites comoti misericordia et pietate, cognoscentes nequitiam et dementiam eorum, gementes et plorantes et lacrimabili voce dicentes: *Pax, pax!* similiter populares plangentes et pectora eorum manibus percucientes, cognoscentes nequitiam et stultitiam eorum, alta voce dicebant: *Pax, pax!* Et exientes milites de civitate, euntes versus populum plangendo et gemendo, inter se ad invicem cepit alter alium osculari. Si tunc esset aliquis tam fere et crudelis nature qui potuisset lacrimas continere, quis videat milites et pedites plorantes et gementes et pectora sua percucientes, et sic intrantes in

a) *textum adhibito codice Parisiensi mihi recognoscere licuit.* b) *decima fuit anno* 1012; 1031. *d.* 14. *Aprilis ind.* 14. *Sigefredum obiisse editores Parmenses tradunt.* c) *haec alio quidem loco scilicet fol.* 57'. 58. *in codice habentur, sed haud inepte hic inserenda esse videbantur, dum et a Petro de Ripalta et Iohanne de Mussis excerpta chronicis suis annis* 1084 *et* 1089. *inseruntur.* d) pedite *lineola super addita c.* e) *ita legendum videtur,* rōchi *codex;* Roncharolum *infra anno* 1244. *occurrit.*

29) scilicet milites.

1090. civitatem, concordia et pax voce fuit inter eos per universam civitatem et destrictum Placentie.

1091.[a] Placentia arsit in sabbato sancto[b].

Aug. 23. 1107. in vigilia sancti Bartholomei Cremona cum Papia et Laude incenderunt burgum Terdone.

Nov. 29. 1110. mense Novembri in vigilia sancti Andree Henricus rex filius Henrici venit in comitatu[c] Placentie prima vice.

1111. in vigilia sancti Ymerii fuit disconfita de Brexanore. Eodem anno ultima ebdomada Madii Laudenses capti fuerunt.

1113. focus Sancti Laurentii fuit. Eodem mense iam terre motus[d] fuerat.

1120. prima guerra Parme et prelium ibi in Garea[e] fuit de mense Iunii.

1122. maior ecclesia Placentie incepta fuit.

1126. civitas Cumarum capta fuit, et eodem anno mense Decembri Padus gelavit. Eodem anno mense Iunii Mediolanenses fecerunt regem[30].

1131. Nucetum fuit destructum.

1132. Loterius rex prima vice venit in Lonbardiam, et tunc obsedit Cremam.

1135. Petra Gemella et Predella capte fuerunt[31].

1136. Loterius secunda vice venit in Ronchalia, et fecit ibi festum omnium sanctorum, et nativitatem Domini in Vigheria, et cepit Sanctum Bassianum et Suncinum, et epiphaniam fecit in Trabaciano.

1139. disconfita Creme fuit, et maior pars Cremonensium cum populo ibi capti fuerunt Nonas Iunii.

1140. burgum sancte Brigide arsit mense Augusti, et in sequenti mense moneta Placentina incepta fuit[32].

1147. Conradus rex Romanorum et Lodoysius rex Francie venerunt[f] ultra mare mense Iulii. Eodem anno et mense Arduinus episcopus Placentie de hoc seculo migravit. Alio die abbas Columbe primo ibi electus fuit.

1149. indictione 12. mense Iunii in festo sancti Barnabe apostoli disconfita Tabiani[g] fuit die dominico.

1152. indictione 15. castrum Medexane captum et conbustum fuit a Placentinis de mense Iulio.

1153. Scalona capta est.

1154. rex Federicus primo venit, et fecit festum sancti Andree in Roncalia, et nativitatis Domini apud Galiatum castrum Mediolani, et inde semotus ad civitatem Asti perexit et turres eiusdem civitatis destruere fecit; et inde venit Terdonam et pascha resurrectionis Domini ibi celebravit, et eam civitatem quadam die Lune de mense Aprilis cepit et destruxit. Qui inde semotus cum marchionibus Malaspine, intraverunt Mediolanenses[h] et hedificaverunt eam primo die Madii. Hygeonus[33] episcopus Placentinus palatium eiusdem civitatis ascendit.

1157. captum fuit Vegevanum de mense Iunii.

1158. indictione 7, die Lune, 4. mensis Augusti Federicus imperator apud Melegnanum preliatus est cum Mediolanensibus et de eis magnam partem cepit. Sequenti vero die ivit Mediolanum et illud obsedit, et stetit in eadem obsidione per quinque septimanas parum plus vel minus; et in comitatu eiusdem civitatis stetit per duos menses, et tunc concordiam fecit cum eis; posteaque descendit ad partes Mantue et Verone et transpadavit, et die festo sancti Martini proximo venit in comitatu Placentie in loco qui Medianus iniquitatis dicitur[34], suaque ibi tentoria fixit, et obsides Placentie primo tunc habuit, et tunc eiusdem civitatis turres destruere fecit. Eodemque anno civitas Laude levata fuit.

1159. mense Ianuarii die conversionis sancti Pauli Crema fuit destructa ab eodem Federico imperatore, stetitque ibi in obsidione per novem menses continue, ibique fecit

a) a. 1091. *Petro.* b) *Iohannes de Mussis hoc loco corpus S. Euphemiae in Placentia inventum, a. 1093. monasterium S. Marci constructum, a. 1095. concilium per Urbanum II. celebratum in campanea Placentiae ubi sit ecclesia sanctae Victoriae martyris refert.* c) episcopatu *R.* Qui rex de mense Iullii subsequente cepit Laudam civitatem; *cf. a.* 1111. d) teremotus *c.* e) glarea *corr. edd. P.* f) v. de u. *c. perperam.* g) tabiam *c.* h) *vox deest c.*

30) Conradum a. 1128. 31) per Placentinos. 32) Conradi privilegium hoc anno datum Molsheim in Alsatia legitur apud Muratorium SS. XVI, 626. 33) i. q. Hugo. 34) hodie latet.

castra lignorum super quibus poni faciebat obsides Mediolanensium, qui a lapidibus mangani 1159. intrinseci petebantur[a].

1162. mense Martii in ultima ebdomada civitas Mediolani fuit destructa ab imperatore Federico. Unde versus:

*Circulus annorum cum[b] sexaginta duorum*
*Mille cum centum, patet M.[c] digamate[d] victum.*

1162. indictione 11, die Iovis 10. Kal. Decembris in plena contione Placentie Rainaldus[e] sancte Colonensis ecclesie episcopus precepit Placentinis per Obizonem Buccafollem, ut a dominica proxima in antea[f] habeant et teneant imperiales[34] intus civitatem et de foris pro capite monete, et tunc placentini fuerunt abatuti. Et Arnardus Barbavara tunc preerat Placentie per Federicum imperatorem.

1163. post natalem Domini imperator Federicus stetit per Placentinam per longum tempus.

1164. mense Septembri predictus Arnaldus exivit de Placentia, et

1165.[g] in mense Martio proximo Rivola castrum Veronensium[h] fuit captum ab eisdem 1165. Veronensibus[h], quia a Theothonicis tenebatur. Prima die eiusdem mensis Fredenzonus electus obiit, et resurrectio Domini tunc fuit 4. mensis Aprilis[i]. Erant autem anni domni Federici imperatoris 12, imperii vero 15.

1166. die Iovis sancte memorie[k] Ugezonus Placentinus episcopus obiit Rome. Eodem anno mense Martii Alexander papa Romam intravit.

1167.[l] Bis quinquaginta cum septem bisque treginta,
Cum male prostratum fuit M.[m] gaudendo levatum.

1167. die Iovis 3. Kal.[n] Madii civitates Lombardie insimul concordiam fecerunt, et Apr. 27. Mediolanenses statim intus civitatem redierunt, et Terdonam et Alexandriam levaverunt et rehedificaverunt. In quadragesima vero proxima placentini secundi[35] facti fuerunt. Eodem anno mense Iunio canzellarii imperatoris preliati sunt cum Romanis duabus vicibus apud Tusculanam, et ibi plus tria milia Romanorum interempti sunt. Imperator vero Federicus, qui apud Anchonam aderat, hec audiens ita gesta, cum suo exercitu Romam perexit, suaque castra ex parte ecclesie beati Petri tendere iussit, eandemque ecclesiam conburrere fecit. Unde ex eo[o] pessimo et crudeli facto rerum omnium creator, apud quem nullum remanet malum inpunitum, precibus beati Petri aliorumque suorum sanctorum intervenientium commotus, fere omnes Theothonicos tam principes quam alios, et nominatim Colonensem archiepiscopum et Carletum filium regis Conradi, sua virtute et potestate Romana febri languire fecit. Pauci vero qui supervixerunt, per montana Placentie privatim vix, tum propter prenominatam pestem, tum propter Lombardorum timorem, in Alamaniam perexerunt.

1170. mense Iunii Placentini ceperunt roccam petre Sylarie, et ibidem maior ex filiis Oberti de Preduca mortuus fuit.

1171. mense Ianuarii Christianus canzellarius transivit per Ianuam, et ivit Romam.

1172. die Lune 13. Kal. Iulii centum milites Placentie et Mediolanenses Alexandrini atque Astenses et Vercellenses et Novarienses, prelium cum marchione de Monteferato fecerunt iuxta Montembellum castrum suum, illumque cum suis de campo turpiter in fugam verterunt per plus sex milibus. Eodem anno primo die quadragesime hostium ecclesie beati Antonini[p] inceptum est.

1173. mense Septembri destructa petra Sileria et Preduca fuerunt.

1174. in Kalendis Madii domus cruciatorum fuit hedificata apud Arginos. Eodem anno mense Septembri imperator Federicus reversus est in Lonbardiam cum magno exercitu Theothonicorum, Boemiorum et Briezorum. Eodem tempore omnes civitates Lombardorum et Marchie[q] asociate erant simul contra ipsum sacramento. Et venit primo ad quamdam civitatem que dicitur Ast, in qua multi ex Mediolanensibus et Brixiensibus causa custodie aderant. Astenses vero statim, ut traditores et homines modice fidei, concordiam cum eo fecerunt. Qui inde cum suis remotus, venit apud[r] civitatem novam que Alexandria dicitur,

a) patebantur *c.* b) *vocem servavit M. deest c.* c) Mediolanum *cod.* d) *i. e. F., a Friderico.* e) ramabous *cod.* f) aña *cod.* g) *numerum inserui.* h) Verum *c.* i) *recte.* k) *vox inserenda videbatur; deest in c.* l) *numerum inserui.* m) *scilicet Mediolanum.* n) V. Kl. *legendum.* o) ea *cod.* p) antonii *c.* q) Marchio *cod.* r) Ast *c.*

34) scilicet nummos. 35) Primos a 1162 abatutos legimus.

1174. die dominico 6. Kal. Novembris, eamque cum magna multitudine istorum Theothonicorum et cum Papiensibus[a] et cum marchione de Monteferato obsedit. Ibique fecit cattos[b] manganos predarias et castra lignorum tria magna mirabili modo constructa. Intus vero ipsam civitatem aderat quidam civitatis Placentie cum centum quinquaginta peditibus eiusdem civitatis nobilissimus miles, nomine Anselmus Medicus, cuius[c] precepto conscilium istius civitatis pertendebat[d]. Et ibidem stetit imperator cum suis in obsidione usque ad
Apr. 13. diem sabbati sancti qui fuit 12. Kal.[e] Aprilis. 1175. nocte vero adveniente magna Theothonicorum copia privatim ipsam civitatem intraverant. Alexandrini itaque cum Placentinis magno clamore comoti, statim captis armis contra eos acriter pugnant. Qui Dei nuptu[36] eos magna vi foras intus fossatum eiecerunt, et continuo super eos lapides, ligna, sudes, lutum, accensum aliaque multa iactaverunt, et castrum imperatoris conbuserunt. Et balasterii Ianuenses, qui super aderant, acri igne perierunt, et fere trecenti inter principes et alios nobiles viros eadem morte et deteriori perierunt. Imperator vero Federicus, hoc ita peracto ultra modum turbatus, iussit castra aliaque et marchionis opida lignorum accendi, et ab obsidione removeri. Et die noctuque equitando, tandem in comitatu Papiae pervenit, ad partes videlicet Vigurie, et ibidem sua castra tendere fecit.

Dum vero imperator talia cum suis ageret, Longobardi, qui ibant in adiutorium Alexandrinorum, similiter sua tentoria tendebant in campanea Clastegii iuxta aquam, et distabant ab imperatore per tria miliaria; quod fuit die resurrectionis Domini circa vesperas. Sequenti vero die Lombardi quatuor carocia, scilicet Placentini Mediolanenses Veronenses et Brixienses, foras ultra aquam versus imperatorem construxerunt. Statimque domnus Yzolinus de Marcha et Anselmus de Doveria Cremonensis, qui tunc domni rectores Lombardis aderant, preceperunt Placentinis Parmensibus Regiensibus nec non parve parti Mutinensium, ut absque mora armata manu ad Placentini carocium pergerent, ut ordinate ad bellum permanerent. Similiter preceperunt Mediolanensibus et quinquaginta militibus Laude, ut ad suum irent carocium. Itemque preceperunt Veronensibus Paduanis Vicentinis atque Trivicensibus, ut ad Veronensium irent carocium. Eodem modo preceperunt Brixiensibus Pergamensibus atque Mantuanis, ut ad Brixiensium irent carocium. Sic enim ordinati et aptati steterunt per quamdam partem diei; posteaque ad castra reversi sunt, et carocia armata manu iusserunt custodiri. Eadem die pluribus vicibus[f] perturbati ad bellum solito more se preparaverunt. Alia vero die imperator summo diluculo castra movere iubet, et per duo miliaria a loco ubi aderat adversus Lombardos pervenit. Audito de imperatoris motu a Lombardis, illico sumptis[g] armis praedicto modo ad carocia ierunt, et ita usque ad nonam steterunt. Alio quidem die mota est concordia inter eos; altera die Iovis est effecta. Die vero Veneris sequenti unaqueque pars recessit. Die siquidem sabbati sancti predicti Lombardi Bronnam combuserunt et vineas et arbores et vasa multa inciderunt et destruxerunt, et ibi iuxta flumen quod dicitur Scruna, corpus Domini in pascha sumpserunt. Eodem die sanctum Martinum in Strata et Clastegium et alia loca multa conbuserunt.

1176. indictione 9. die sabbati, 4. Kal. Iunii in comitatu Mediolani fuit prelium inter Federicum imperatorem et Mediolanenses, et ibidem prelium amisit imperator.

1177. magnum domni conscilium Alexandri pape fuit Venetie et Ravene.

1179. consules adamplaverunt plateam maiorem, et contionem removerunt de Sancto Antonino[h] et ad maiorem ecclesiam fecerunt.

1180. in consulatu Oberti Vicedomini, Obizonis de Fontana, Lanfranci de Abiaticis, Fredentini filii domni Obertini, Opizonis Aginoni, Placentini ascenderunt in monte Artiolo et in monte de Sidulo et in Durbeceo; et concordia facta fuit inter Placentinos et Bobienses. Et in illo consulatu obierunt Lanfrancus et Fredentinus. Et tunc traxerunt rivum novum de Nuria et rivum novum de Teciva, et fecerunt molendina; et tunc fuit placitum inter advocatores de communi Placentie de furnis et molendinis, et iudicatum fuit 3. Kal. Ianuarii pro populo Placentino. Et eo anno levata fuit turris de Sinu et hospitale humiliatorum in burgo sancti Pauli. Et fere per totum illum annum cottidie pluit, excepto in mense Marcii et in capite anni; et in festo sancte Marie de Februario firmatum est tempus, et tunc fuit carum tempus de omni cibo.

a) *ita legendum videtur*; populo *c.* b) cartos *c.* c) cui *c.* d) *ita emendavi*, pretendebat *c.* e) *vox superflua.* f) *ita correxit Bethmannus*, custodiri eadem die. pluribus civibus *cod.* g) illi consumptis *c.* h) antonio *c.*
36) i. q. nutu.

1181. circa festum sancti Michaelis obiit Alexander papa, qui vixerat in sede apostolica 1181. viginti annis et plus, et statim papa Lutius fuit levatus.

1183. die sabbati pridie Kal. Madii inter nonam et vesperum inter ecclesiam sancti Antonini[a] de Placentia finita fuit pax et concordia in scriptis inter domnum imperatorem Federicum et civitates societatis Lombardie per Guillelmum episcopum Astensem et Henricum Guertium et fratrem Terrisium, nuntios imperatoris. Et in illo anno castrum Roncaroli fuit factum.

1184. mense Septembri Federicus imperator venit in Lombardiam, et intravit primo in Mediolanum et postea Papiam et postea Cremonam; posteaque ivit Veronam circa octavam sancti Michaelis ad colloquium cum domno papa Lucio qui ibi aderat; et ibi stetit per longum tempus. Postea ivit Vicentiam et Paduam et Trivisium, et postea redivit Veronam et ivit Brixiam, postea Pergamum deinde Laude postea Placentiam; postea ivit Burgum et Parmam et Regium, et postea Mutinam et Bononiam. Deinde redivit Placentiam et Papiam et Mediolanum, et collegit exercitum magnum; scilicet milites Mediolani et pedites cum carocio, et ducentos milites Placentie cum quadam parte Pergamensium et Brixiensium, et cum paucis militibus Novarie, Vercellarum et Terdone, Parme, Regii, Mutine, Bononie, Ymole et Faencie; et equitavit ad Cremam levandam, et posuit Cremascos intus locum Creme, in 1185. die Martis, 7. mensis Madii, proximo circa horam vespertinam, et rehedificaverunt locum illum de fossis et aliis rebus; et multi rustici de commitatu Mediolani et de commitatu Placentie iverunt ad fossas Creme faciendas; et stetit ibi cum illo exercitu per mensem unum tantum, et totus Madius suctus[37] fuit, et non pluit de illo mense. Et tunc erat discordia inter ipsum imperatorem et Cremonenses, quia contra eorum voluntatem rehedificavit Cremam. Post circa Kalendas Iulii predictus imperator ivit cum Theothonicis et cum aliquantis Lonbardis ad accipiendum dominam Constantiam amitam[b] regis Guillelmi de Apulia in nurum[c] et uxorem Anrici regis filii sui, et habuit ex ea plus 150 equos honeratos auri et argenti et xamitorum[38] et paliorum et grisiorum et variorum et aliarum bonarum rerum. Et[d] in ultima Septembri reliquie sancti Syxti fuerunt invente Lavalo subtus tertium altare de confessione versus sero. Et tunc via que vadit iuxta ecclesiam sancte crucis de Fosusta fuit aptata et ampliata. Et tunc fuit maxima habundantia vini, sic quod dabatur una[e] vezola[39] de Fosusta[40] 18 denariis et 16 et etiam pro 12 denariis et in Rizolo pro 3 solidis, et in Sancto Damiano et in Turiano pro 4 solidis et starius frumenti pro 14 denariis et starius sicalis pro 10 et starius spelte pro 5 et dimidium.

Die Veneris 5. Kalendis Novembris proximo domna Constantia regina sponsa regis Anrici intravit Placentiam. Eodem anno circa Kalendas Decembris obiit papa Lucius; et levatus fuit papa Urbanus, qui tunc erat archiepiscopus Mediolani.

Die Lune 6. Kal. Februarii in civitate Mediolani desponsata fuit ista domina per regem Enricum, et coronatus fuit ille Enricus et sponsa similiter.

Et illo anno castrum de ultra Pado fuit levatum.

1186. prima ebdomada Madii Federicus imperator cum carocio Mediolanensium et cum omnibus militibus et peditibus, cum Alexandrinis et Laudensibus et Cremaschis et cum ducentis militibus Placentie, et cum paucis militibus Bononie Mutine et Regii et Parme et Vercellarum et Terdone, equitavit in comitatu Cremone, et devastavit omnia que potuit circa Suncinum, et pervenit ad castrum Manfredi non multum longe a Crema, et obsedit illud; et in die dominico octavo mensis Iunii facta est concordia inter ipsum imperatorem et Cremonenses, et destructum et conbustum fuit illud castrum; et fecit ibi fieri castrum lignorum et manganum et predarias et gatos. Set non fuit captum vi, set per concordiam.

Quando Placentini vi ascenderunt in Clubecto, et eum rehedificaverunt propter discordiam Opizonis marchionis Malaspine, erant anni Domini 1186, indictione 5, die Veneris 3. mensis Octubris.

Quando Placentini cum mille militibus Mediolani iverunt in valle Tario videlicet usque ad plebem Complani propter discordiam marchionis, et tunc ceperunt et conbuserunt Caborariam et Dezeladam et Fastagium et alia loca Munielli[41], erant anni Domini 1186, die

a) antonii c. b) amicam cod. c) virum et u. et A. cod. d) est cod. e) in c.

37) sutto i. q. asciutto dialecto Placentino. ED. PARM. 38) Sammet. 39) dolium. 40) Fossa Augusta in civitate Placentiae. ED. PARM. 41) Miruelli Malaspinae marchionis.

1186. dominico pridie Kalendas Decembris in festivitate sancti Andree. Et tunc fuit maxima penuria panis. Et in eodem anno circa festum sancti Thome marchio obiit.

1186. indictione 5, die Lune, 14. mensis Aprilis parlamentum domni Anrici regis fuit in Burgo[39], in quo Cremonenses et Parmenses prelium cum Placentinis commiserunt, qui Domini nutu et virtute istius regis Placentini de iam dicto prelio vulnerati atque truncati turpiter expulsi fuerunt, et super omnia et equos et indumenta ibi perdiderunt. Deinde predictus rex Anricus semotus, magno exercitu habito versus Romam in Campaniam pro discordia quam habebat cum domno Urbano papa ivit, et multa loca cepit et destruxit. Et illo anno fuit tam magna siccitas, quia fere non pluit per tertiam partem unius diei a festo pasche resurrectionis usque ad festum sancti Michaelis. Et illo anno mense Iunio Olubra et Vianum incepta fuerunt. In mense vero Septembri proximo Acheron[40] cum plurimis civitatibus transmarinis capte fuerunt a Saracenis.

Sequenti vero mense predictus domnus Anricus in Lombardia reversus, magno exercitu undique collecto, cum aliquibus militibus Placentie et cum sexaginta sagittariis supra comitem Savegne ivit; et primo perexit ad quoddam castrum quod appellatur Vellianum, et fecit ibi fieri manganos et predarias, et stetit circa illud per quindecim dies, et cepit et destruxit.

1186. indictione 6, mense Octubri, die Lune, 13. Kal. Novembris obiit papa Urbanus Ferarie, qui fuit archiepiscopus Mediolani; et levatus fuit papa Gregorius, qui tunc erat cancellarius. Sequenti vero mense in medietate eiusdem mensis obiit istus[a] Gregorius Pisce[41]; et levatus fuit papa Clemens, qui fuit episcopus Palestine.

Quando Muniellus obsedit montem Arciolum, et stetit ibi per 15 dies et habuit illud non vi set per concordiam, erant anni Domini 1187, indictione 6, die Lune, 8. mensis Februarii; illud habuit, et tunc Placentini ibant in adiutorium illius castri, et fuerunt fere usque Olzolam[42]; set iam illud habuerat. Et milites Mediolani similiter venerunt in Placentia in adiutorio illius castri; et in illo tempore Ozole levabatur. Et tunc fuit maximus rumor et dolor per totam civitatem, et ex illo rumore et dolore Placentini commoti, quadam die Mercurii proximi magna pars eorum se coadunaverunt apud ecclesiam sancte Marie de templo, et ibi multa sacramenta de potestate habenda fecerunt, atque Albertonum de Andito, Albizonem et Mazaburrinum in rectores sumpserunt. Alio die sequenti predicti Albertonus et socii contionem fecerunt, et homines ibi conscilii Placentie et consules offitiorum et societatum iurare fecerunt, et duravit illa contio cottidie per totum diem. Hoc ita facto et ordinato, predictus Albertonus et sociorum suorum voluntate et omnium predictorum ibidem domnum Iacobum Mainerium in potestate elegit.

Laudemus Christum, mundum qui condidit istum,
Qui regit instabilem divinis legibus orbem,
Qui pronos domat, famulos sanctosque coronat,
Quique Placentinis animis et corpore claris
Vincere donavit, Parmenses undique stravit.
Ecce currebant[b] simul octo vel octuaginta,
Undecimam Iulius lucem celebrabat opimus,
Indicti sextus fuerat tunc temporis annus,
Quando Parmenses, quos nunquam crede potentes,
Collecti bello venerunt cum Muruello
Vallibus in Tare[c] subvertere dilacerare
Turres muratas edes castellaque villas.
Verum protector nostrorum maxime rector
Corde Placentinos armat, quia diligit ipsos,
Atque vires prebet, Parmenses ut cito sedet
In bellum ducit, victores inde reducit.
Taliter armati, telis animisque parati,
Hostes infrigunt, ac ipsos undique tingunt.
Ut fortes pugnant; inimicos undique sulcant,
Et capiunt tantos, quod nescio dicere quantos.

a) ist'us c. b) *ita correxit Bethmannus.* Eccurrebant *cod.* c) vitare *c. Placentinos hoc anno Muruellum et Parmenses in valle Tarii vicisse refert Iohannes de Mussis.*

39) S. Donnini. 40) i. q. Accaron. 41) i. e. Pisis. 42) i. q. Ozolam.

Inter confractas acties[a] tua, Parma, potestas 1187.
Prenditur, adtertur[a'], deducitur ac retinetur.
Atque tubam tandem capiunt premittuntque[b] sonantem,
Quod victis diram Parmensibus intulit iram.
Quidque fugam memorem, quasi maxima nunc mala plorem?
Hec tam longa fuit; non hos Lombardia cinxit.
O quantam laudem nostris, quantam quoque stragem
Contulit ista dies Parmensibus! undique cives
Nostri[c] letantur, congaudent et venerantur
Factorem celi, qui conditor extitit evi[d];
Parmenses vero tristantur cum Muruello.
Amodo conpescas te, semper Parma quiescas;
Numquam[c] sis ausa contendere, sed modo pausa.
Non credas stulto sensu, nunquam bene sulto[e];
Namque[c] parum curat, si nunquam pars sua durat.
Si capitur populus, non inde dolet Muruellus.
Pro nichilo ducit, si semper pars sua cadit.
Ergo non credas Muruello, ne male credas.
Sed da te nostris, ut non pereas velud hostis.
Namque Placentini poterunt te perdere muri,
Ac salvare tuas pariter pariterque catervas.

1188. die Iovis, 3. Kal. Octubris in festivitate sancti Michaelis Cremonenses et Papienses cum eorum carocis atque Rezani[43] et Mutinenses venerunt atque Muruellus ad Senum. Die vero sabbati proximo captum et conbustum fuit illud castrum; sed non fuit captum vi sed per concordiam. Alio vero die venerunt ad castrum Novum; et similiter captum et conbustum fuit illud castrum. Die vero Iovis 13. Kal. Novembris Placentini milites iverunt in commitatu Parme ultra Burgum sancti Domnini[f] et ceperunt prope Parmam Geradum Rubeum[g] Parme potestatem, cum[h] circa 17 militibus, et ceperunt 50 inter aratores et pedites, et alios fugaverunt usque ad rivum[i] Sanguinentum et Placentini illos duxerunt victos et in carcere recluserunt.

1189. die Lune, 3. Kal. Februarii facta fuit concordia et pax in scriptis inter Placentinos et Parmenses et Muruellum et fratres. 1189. de mense Octubri obiit rex Guillelmus de Apulia, et levatus fuit Tancredus. Sequenti vero mense Madii, in 1190, marescalcus imperatoris colecto magno exercitu ivit in Apuliam, quia eos superare volebat. Sed ad finem minime perducere potuit. 1189. indictione 7. Federicus imperator ivit ultra mare mense Aprilis. Et eo tempore turris de Sinu et de castro Novo levabatur de ducentis libris imperialium, quos Parmenses dederant pro menda.

Eodem anno parato quocumque modo valuerunt militum et peditum atque sagittariorum exercitu, Pontremuli depopulando agressi sunt Parmenses. Hoc audito a Placentinis, statim Obertus Ognathi[44], eo tempore consul, cum aliquibus militibus Placentie usque ad Conplanum perexere. Postea in partibus Pontremuli iter aripuere. Die vero Iovis ultimo mensis Augusti cum Parmenses loca et alias res Pontremuli depopularentur, visis Placentinis et tuba audita illico ab incepto defecerunt, et retro iter agredientes, fugam petierunt. Videntes interim Obertus et Danisius tunc temporis Valdetarii existens potestas Parmexanos[k] retro iter agredientes et fugam petientes, fere cum tredecim militibus Placentie et cum 60 sagittariis eos insequentes, magno impetu et clamore contra eos concurrerunt, et cum eis prelium commiserunt atque eos in fugam terga vertentes miserunt. Quos Placentini insequentes, virtute Domini et auxilio Pontremulorum 40 milites de maioribus et melioribus Parme et tubam habuerunt, et in Pontremulo ipsos victos duxerunt et in carcere recluserunt; multos vero morti tradiderunt, alios vero troncatos ad mortem sine numero vulneratos amplius tribus milibus per nemora et loca deserta fugaverunt; equos arma et

a) *i. e.* acies. a') *i. e.* adteritur. b) *ita lego;* Placentini tubam Parmensium captam aciei suae praemittunt sonantem. *Codex* permittuntque. c) Vestri *c. ita et infra* Vumquam *et* Vamque. d) aui *cod.* e) *i. e.* consulto. f) domini *cod.* g) parolam geradura rubeura *cod. quod correxi.* h) *deest cod.* i) ruuium *cod.* k) parmexani *cod.*

43) i. e. Regini. 44) Oberti Gnacchi nomen fuisse ex registro grandi civitatis Placentiae probant editores Parmenses. Infra quoque Obertus Gnathi vocatur.

1189. indumenta ibi perdiderunt, et victis omnibus spoliis et equis armatis ablatis, nichil reliqui preter fugam fecerunt. Nocte vero adveniente Pontremulenses illos per nemora et loca arida inquirentes, de eis magnam partem ceperunt, et similiter arma equos et spolia habuerunt, et multos vulneraverunt et interfecerunt; regnante Federico imperatore qui eo tempore ultra mare proficisci festinabat, et existentibus consulibus Oberto de Porta, Clavello Odonis, Antonio de Porta, Iacobo Stricto, Girardo Ardezono, Oberto Gnathi, Mazucho Leccatorio.

1191. indictione nona mense Aprilis obiit papa Clemens, et elevatus fuit papa Celestinus. Die Lune, 15. eiusdem mensis Aprilis, coronatus fuit rex Anricus Romam[a].

Die dominico, 7. mensis Iulii proximi sequentis, Cremonenses disconfiti fuerunt a Brixiensibus in partibus Cividarie iuxta fluvium Ogii; et mortui et necati sunt; alii vero qui evasere usque Cremonam fugerunt. Et tunc in adiutorio eorum Pergamenses iverant, et hoc idem similiter Pergamensibus contigit. Hoc audito a Mediolanensibus et a Placentinis, qui in adiutorio Brixiensium ibant, statim captis armis illuc ubi disconfita fuit curreruut. Sed Cremonenses et Pergamenses iam fugerant et recesserant; multa vero cadavera ex predicto fluvio iam extracta ibi invenere. Et tunc castellum Romanum et turrem novam et multa alia loca Brixienses ceperunt et destruxerunt, et fere totum comitatum Pergami conbuserunt.

1192. indictione 10, die Mercurii, 4. Kal. Iulii in festivitate sancti Iohannis[47], obiit domnus Thebaldus[b] Placentinus episcopus. Die Veneris proximo sequenti levatus fuit episcopus Ardei[c], qui tunc erat prepo tus ecclesie duodecim apostolorum.

1193. indictione 11. mensis Madii Papienses et Lodexani et Cremonenses et Pergamenses et Cumenses, queque istarum gentium intravit per se in comitatum Mediolani, et plurima loca et villas ceperunt et conbuserunt, et homines ac mulieres dispoliaverunt. Quo in veritate cognito a Mediolanensibus, statim paraverunt exercitum; et fuerunt in eorum adiutorio mille milites Brixie et totidem Placentie, et mille archatores, et centum milites inter Novariam et Vercellas. Parato exercitu intraverunt in terras Laude cum carocio et manganis et predariis, et venerunt ad fossatum quod Lodexani fecerunt iuxta Laudem vetulem, et magnam partem fossati destruxerunt. Et tunc Cremonenses cum carocio erant Laude, et cum eis erant milites Papie et Pergami et Parme et Mantue. Mediolanenses vero transierunt fossatum, et castramentati sunt circa Laudem vetulem per medium Sanctum Columbanum. Et hoc fuit ultimo die mensis Madii. Alia vero die primo die mensis Iunii fecerunt contionem summo mane, et armata manu versus Laudem[d] ubi erant adversarii iter arripuere. Quo itinere iam incepto, viderunt terras Mediolani ab inimicis accendi, et statim magna pars militum Mediolani cepit alios procedere, alii vero omnes sequebantur cum carocio. Et d... sic incederent ultra hospitale Trabaciani obviati sunt inimicis, et ceperunt centum quinquaginta milites de societate Lupanorum Cremone, et maiorem partem militum Laude, et decem milites Mantue, et duo milites Laude capita in campo reliquere; et fere omnes pedites qui ibi aderant ceperunt qui plus trecentis fuerunt, et multi milites ac pedites Mantue in flumine Adue se negaverunt; inter necatos et detruncatos bene numero trecenti temporalis vite terminum subierunt. Hoc ita peracto castramentati fuere iuxta istud hospitale; alio vero die rediere domum. Eodem anno 14. Kal. Octubris milites Mediolani et ducenti milites Placentie qui in Mediolano erant, ad conburendum duo loca Laude Cavenagum et[e]....; cumque cursores precessissent ad ista loca, et quadraginta milites Mediolani alios precedebant colligendo predam, obviati sunt aliis quadraginta militibus Laude, et statim milites cum aliis commiscere iuxta vineas Laude. Hoc audito a Placentinis, statim ubi erant adversarii cucurrerunt, atque ipsos usque intus fossas Laude confractos reduxerunt; et continuo Laudenses omnes extra exierunt; per vias stantes nostros valde verberavere. Et milites Mediolani ad bellum currentes Placentinos inter se et civitatem Laude concluserunt, et tunc ex Placentinis 15 milites capti fuerunt, inter quos fuit Gislerius de Andito tunc consul Placentie. Et ex Laude Mediolanenses et Placentini ceperunt quinquaginta quatuor milites et ducentos pedites, et multi equi militum Placentie sunt interempti.

a) *i. e.* Romae? b) Thedaldus *P.* c) Ardicius *P.* d) Iadem *cod.* e) *voci spatium relictum.*

47) 8. Kal. Iul.

Eodem anno mense Decembri Placentini elegerunt per potestatem domnum Palatinum 1193.
Advocatum de Vercellis.

Eodem anno mense Ianuarii proximi civitates Lonbardie iuraverunt stare preceptis 1194.
domni Drusacdi[48] legati domni Enrici imperatoris in Italia super guerris et discordiis Lombardie; et tunc firmata est pax et concordia inter civitates in scriptis et sacramentis.

1194.[a] indictione 12. mense Madii facta est pax et finita inter civitates Lombardie iussu istius[b] Drusardi excepto Parma et marchione Muruello. Eodem mense imperator Enricus venit in Lombardiam; et primo intravit Mediolanum; postea ivit Papiam. Die Veneris 3. mensis Iunii venit Placentiam; die Martis proximo exercitus eius venit in Roncalia, et stetit ibi cum domno imperatore per unum diem; die vero Iovis 9. mensis Iunii predictus exercitus transivit per Placentiam et hospitatus fuit ille exercitus intus burgum Pontenurii et de foris illis partibus, et tunc predictus domnus imperator ivit Ianuam. Deinde predictus exercitus semotus ivit, et hospitatus fuit inter Burgum sancti Domnini[c] et Senum. Deinde ivit et hospitatus fuit iuxta Tare. 1194. indictione 13, die dominico, 6. mensis Novembris, facta est pax et concordia inter Placentinos et Muruellum et fratrem. Qui Muruellus et Guillelmus filius eius predicto die in plena contione Placentie iuraverunt fidelitatem et pacem communi Placentie; et sacramentum civile insuper fecerunt. 1194. mense Augusti imperator Enricus cepit Apuliam et Malgaritum, et cepit Ciciliam, et duxit secum Malgaritum et multos alios in Alamaniam. Et eodem anno mense Ianuarii 1195.
Placentini elegerunt in potestatem comitem Azonem de Brixia.

1196. mense Septembri, indictione 14. imperator Enricus ivit in Apuliam et fecit ibi 1196.
naves preparari, et fecit exercitum magnum peditum et militum in Alamania preparare. Qui mense Ianuarii proximi sequentis transivit per Placentiam et Veronam et ivit in Apu- 1197.
liam, causa eundi ultra mare. Mense Martio proximo predictus imperator misit ultra mare triginta naves honeratas militum et peditum; et tunc superavit totam Apuliam et Sciciliam et habuit ea quiete.

1196. indictione 15. mense Ianuarii fossata nova fuerunt palificata et terminata et ordinata per Alamannum de Guitelmo encignerium[49] comunis Mediolani, existentibus 49
consulibus Alberico Vicedomno, Oberto Vicecomite, Rainerio de Cario, Antonio de Fontana, Rainaldo Surdo, Oberto Scorpiono de Porta, Gerardo Stricto. 3. Kal. Madii proximi[50] predicta fossata fuerunt incepta.

1197. indictione prima, 4. Kal. Octubris, in vigilia sancti Michaelis imperator Anricus obiit in Scicilia in civitate Mixine[d]. Eodem anno mense Decembri obiit papa Celestinus, et levatus fuit papa Innocentius.

1198. die Martis 15. mensis Septembris Placentini extraxerunt carocium foras, quia volebant ire ad obsidendum Burgum sancti Domnini quia homines Burgi deierati erant de sacramento quod fecerant Placentinis. Et mense Madio preterito fuit discordia inter populum et milites; et eo mense ivissent ad Burgum, nisi remansissent propter illam discordiam. Postea vero ire non potuerunt, quia non pluit per totam illam estatem fere usque ad festum omnium sanctorum, et tunc fuit tam magna siccitas quia omnes aque et putei Placentie fere omnes desiccaverunt. Post festum omnium sanctorum ire non potuerunt propter gravitudinem temporis et aque.

1199. indictione 2. mense Ianuarii Placentini elegerunt comitem Azonem de Brixia per potestatem. Eodem mense Ianuarii strata Ronca[51] mutata fuit per Valdetarium; 7. Kal. Martii proximi Sesteroni[52] inter Placentiam et Parmam et Burgenses[53] primo pro facto Burgi.

Eodem anno et eadem indictione, die Martis, 18.[e] mensis Madii Mediolanenses et Placentini cum carociis exierunt civitates. 12. die eiusdem mensis uterque exercitus castramentatus est apud castrum Novum; altera vero die, scilicet dominica, omnis exercitus super ipsam[f] Sesteroni consedit. Qui ad modum inimicorum terras depopulans, per tres ibi constituit dies. Die autem Mercurii congregato exercitu quo invaderent non amplius invenientes, neque versus hostes preliandi copiam habentes, penitus domi statuerunt

a) MCLXXXX *c.* b) ist. *c.* c) domini *cod.* d) auxine *c.* e) octavo *c. sed* decimo octavo *legendum esse probant edd. P.* f) ripam *addendum esse edd. P. proponunt.*

48) videtur innui Marquardus de Anwilre, dapifer (truchsess, drusate, droste) imperatoris et legatus in Italia. 49) ingenieur. 50) scilicet praeteriti. 51) Romana? 52) Stirone rivus. 53) scilicet sancti Domnini.

1199. reverti. Cremonenses namque et Parmenses cum carociis suis et omnibus eorum amicis Burgensium[a] castrum obsederant, atque se et suos carocios virilibus viribus minime confidentes, velud nemoribus ut solent heremite includi, maximo vallo et fossis undique incluserunt, ut quos corporum non defenderent vires, saltim loci foveret ac tueretur asperitas. Dum autem Placentinorum et Mediolanensium exercitus reversionis iter fuisset agressus, quidam hostium, perhenne[b] siquidem dedecus metuentes, ultimam Placentinorum et Mediolanensium exercitus partem conati sunt agredi. Quos prefecti Placentinorum et Mediolanensium viriliter insequentes, magnam partem eorum ceperunt, et usque ad predicti ingressum muniminis eos fugaverunt, deinde ipsa die cum magna captorum hostium multitudine domi reversi fuerunt et ibi multos interfecerunt et vulneraverunt.

Die sabbati, 5. mensis Iunii proximi sequentis, obiit episcopus Ardei, et levatus fuit domnus Grimelius, qui tunc erat abbas monasterii de Ponte. Eodem mense Iunii, 15. die eiusdem mensis, Mediolanenses et Brixienses cum carociis et cum Cumensibus et cum marchione de Monteferato, non modico conparato exercitu, Pergamensium intraverunt terras, et ceperunt tunc Guisalbum et multa alia castella, et loca innumerabilia destruxerunt et conbuserunt, et depopulati fuerunt fere totum comitatum Pergami. In quo steterunt per quindecim dies[d] Cremonensibus et Papiensibus atque Parmensibus et omnibus aliis eorum inimicis.

1199. indictione 3, die Martis, 12. mensis Octubris, Mediolanenses cum peditibus militibus et carocio, exceptis peditibus et militibus de tribus portis quos Mediolanum in custodia relinquerant, et Laudenses et Cumenses cum militibus et peditibus, et Placentini cum militibus et peditibus exceptis militibus et peditibus de duabus portis quos Florentiolam et Roncarolum in custodiam miserant, et cum militibus Brixie, proposuerunt ire ad obsidendum castrum Novum Cremonensium, positum in buca Adue. Die vero Mercurii proximo predicti Mediolanenses et Placentini cum omnibus istis[e] castramentati fuerunt apud Cornu, et quandam turrem cum domigniono[53] et una caminata quam Cremonenses ibi fecerunt destruxerunt et conbuserunt. Hoc cognito et audito a Cremonensibus, illico omnes ad castrum Novum cucurrerunt, et castramentati fuerunt cum papilionibus et travachis iuxta istum castrum inter flumen Adue, et quoddam fossatum munierunt cariolis quas posuerunt super ripam illius, et gladiis et beltreschis et predariis et trabuchis; ita aptati expectaverunt Mediolanenses cum istis eorum amicis, in auxilio quorum fuerunt Parmenses et Pergamenses et omnes alii eorum amici. Die vero sabbati, 16. die eiusdem mensis, Mediolanenses et Placentini et Laudenses et Cumenses et milites Brixie qui ibi aderant, circa illud castrum 54 et fossatum consederunt, et fecerunt ibi manganos et predarias drizare[54], pontes de gradis[55] ibi fieri fecerunt quos debebant proicere super fossatum; credebant enim et sperabant super illos pontes per vim intus illud fossatum posse intrare. Die vero dominico proximo Mediolanenses ab uno capite versus castrum preparaverunt se ad bellum, et magnum prelium cum Cremonensibus fecerunt; et duravit illud prelium ab hora tertia fere usque ad vesperas, et illos Cremonenses super cariolas et bertreschas in ripa fossati et intus stantes cum pilotis et lapidibus manganis et predariis vulneraverunt et lapidaverunt et manganaverunt. Et prima vice qua prederia Placentinorum traxit, interfecit quendam militem Parme. Videntes enim Mediolanenses et Placentini, quod inceperant ad finem propter gravitudinem temporis et aque perducere non posse, colectis omnibus gratibus et pontibus et predariis[f] ab ipso prelio vulnerati fuerant, die Lune proximo omnes sunt reversi domum. 1199. indictione 3, die sabbati, 3. ante Kal. Novembris castrum Pontuli fuit captum a Placentinis; tenebatur enim a Parmensibus.

1200 1199. indictione 3, die Iovis, 4. mensis Madii, Mediolanenses cum carocio et cum omni virtute eorum iverunt ad turrem de Besago, et castramentati fuerunt circa ipsam turrem sine omnibus eorum amicis; et eam obsiderunt et manganaverunt contra malam voluntatem Papiensium. Die Mercurii proximo sequentis ipsam turrem magna vi ceperunt, et habuerunt in ea turre centum homines Papie bene armatos, quos secum Mediolanum victos duxerunt et in carcere recluserunt. Die Martis, 3. Kal. Iunii proximi sequentis, milites et pedites de tribus portis Mediolani cum carocio et hominibus Seprii et Martexane intraverunt tunc in terram Pergami, et tunc destruxerunt Cologium, Risum et alia quam plurima loca Pergamensium.

a) brugeñ. *cod.* b) *ita legendum videtur;* pherme *cod.* d) *scilicet* non obstantibus. e) isťis *c.* f) *hic excidisse videtur* et viris qui.

53) donjon. 54) i. q. dirigere. 55) i. q. cratibus.

Deinde venerunt in partibus Curtisnove et Guisalbe; et tunc Brixienses cum carocio et 1200. cum omni virtute eorum transierunt Ogium de ponte de Rudiliano et ad quendam pontem quem fecerant inter Urzium et Suncinum, et intraverunt cum Mediolanensibus in commitatu Cremone; et castramentati fuerunt circa Suncinum. Die autem Veneris, 9. mensis Iunii, illud castrum destruxerunt et conbuserunt, et illud cum tribus manganis et predariis quinque manganaverunt, et fecerunt ibi fieri mirabilia instrumenta, cum quibus dictum castrum habere sperabant. Et dum hec apud Suncinum geruntur, Placentini conbuserunt Soarcam et castellum Buscedi[56] et multa alia loca Cremonensium. Viso et cognito a Brixiensibus et Mediolanensibus quod predictum locum per vim non poterant habere, a predicto loco die Veneris 9. Kal. Iulii secesserunt. Et tunc Cremonenses castramentati erant iuxta castrum Zovenoldi cum carocio et cum omni virtute eorum et cum militibus et peditibus Parme et cum omni virtute eorum, et cum militibus Mutine et Regii. Predicta vero die Veneris, 9. Kal. Iulii, milites et pedites de quatuor portis[57] sancti Andree obsedebant turrem. Hoc 57 scito a Cremonensibus, statim tentoriis apud Zovenoldum relictis, quam citius potuerunt versus Cremonam redierunt, et illuc ubi nostri aderant cucurrerunt de quibus portis non aderant in illa expeditione sex centum milites nec 250 pedites. Apud quam turrem dicti Cremonenses invenerunt et Parmenses et Rezani[58] nostros securiter desarmatos stantes, et dictam turrem quam iam habuerant fodientes. Qui Cremonenses cum omnibus predictis magno exercitu contra nostros currerunt, et prelium cum nostris commiserunt. Nostri itaque illico captis armis magna vi versus Cremonenses currerunt, et eos in fugam miserunt usque ad magnam scleram Cremonensium et Parmensium et Regensium et aliorum amicorum eorum. Qui omnes contra nostros venerunt; sed nostri eis resistere non potuerunt. Et tunc ceperunt de nostris 30 milites et circa 250 pedites de civitate. 1200. 4 die mensis Septembris, Mediolanenses cum carocio et cum Novariensibus et Vercellensibus et Alexandrinis intraverunt in Lomelinam, et steterunt in ea circa quindecim dies, et ceperunt et destruxerunt et conbuserunt Mortariam et 55 loca de melioribus et maioribus Lomeline.

1200. indictione 3, die Lune, 14. Kal. Octubris, Cremonenses et Parmexani atque Mutinenses et Rezani et Pergamenses intraverunt in commitatu Placentie, videlicet in partibus sancti Laurentii. Qui Cremonenses in quadam valle privatim stantes cum omnibus predictis exceptis Parmensibus, quos ad conburrendum villam sancti Laurentii miserunt. Hoc cognito et in civitate scito, et etiam viso igne a Placentinis militibus qui apud Fontanam Cremonenses expectabant, illico illuc currerunt, et invenerunt Parmenses iuxta villam sancti Laurentii stantes. Qui contra eos magna vi currerunt, et de eis ceperunt fere centum milites; alios vero fugaverunt usque ad locum ubi Cremonenses aderant. Qui contra nostros magno impetu concurrerunt, et eos in fugam miserunt, et ceperunt de eis circa 50 milites, et Parmenses quos Placentini ceperant recuperaverunt, exceptis 25 quos Placentini duxerunt Placentiam. 1200. indictione 4. Placentini mense Decembri elegerunt domnum Guillelmum de Pusterla per potestatem.

1201. Mediolanenses mense Madio extraxerunt carocium; de quibus tres porte, Cu- 1201. menses cum toto commitatu eorum, et cum Novariensibus et Vercellensibus iverunt in Lumilinam, et transierunt pontem eorum die Martis, 4. Kal. Iunii; die vero Veneris, 1. mensis Iulii, castramentati sunt circa castrum Vegevani, et illud obsederunt cum manganis et predariis et castris lignorum et aliis machinis. Die vero sabbati, 7. mensis Iulii, illud castrum violenter expugnaverunt, et illud vi ceperunt et destruxerunt et conbusserunt; et habuerunt in ipso castro 1200 homines, quos Mediolanum duxerunt et in carcere recluserunt. Die Veneris, 15. mensis Iunii, Placentini iverunt ad turrem sancti Andree; et ea die ipsam turrem viriliter expugnaverunt, et eam ceperunt et radicitus destruxerunt. Die dominico primo mensis Iulii Cremonenses cum carocio et cum universa gente eorum et Parmenses cum carocio[a] . . . . . Eodem anno fossata nova primo ab uno capite usque ad aliud fodita fuerunt, et cum omni forcia eorum et militia Mantue et Mutine et Regii venerunt ad Florenziolam, et eam cum duobus manganis et novem predariis obsiderunt. Die vero Veneris, 6. mensis Iulii, Placentini extraxerunt foras carocium, et ea die iverunt obviam inimicis cum ipso carocio et cum omni gente eorum usque ad Fontanam. Qui Cremonenses

a) *deesse aliquid apparet; in codice nil eiusmodi indicatur.*

56) hodie Scorza et Busseto. EDD. P. 57) scilicet Placentiae. 58) Regini.

1201. steterunt circa Florenzolam usque ad diem Lune qui fuit 9. mensis Iulii. Videntes vero, quia illud quod inceperant ad finem perducere non possent[a], predicta die Lune recesserunt, et tunc milites Placentie qui erant apud castrum Arquati in custodia, ceperunt de Parmensibus inter Rivulum magnum et Senum fere centum; de Cremonensibus et Parmensibus in obsidione Florenzole obierunt circa centum. Die Veneris, 6. Kal. Augusti proximi sequentis, fuit prelium et sturmum de Nigrino inter Placentiam et Papiam, et ibi capti fuerunt de militibus Papie amplius de quatuor centum et de peditibus tres centum. De eodem mense Augusti facta et firmata est treugua sacramento Mediolanensium et Placentinorum et suam partem et Papiensium et commitatus sui et totius sue partis a Laude supra per domnum archiepiscopum Mediolani et priorem Camaldec.[59]; et tunc Mediolanenses iuraverunt cum Papiensibus.

1203. indictione 6, mense Septembri domnus comes de Frandela[60] et domnus Bonifacius marchio Montisferati et dux Venetie ceperunt Constantinopolim et filium imperatoris ipsius civitatis, et tunc erat coronatus. Sequenti vero anno obiit, et levatus fuit comes de Frandela.

1204. Placentini iverunt in servitium Papiensium in expeditione facta apud Valenzam de mense Iunio, Folcone Radino et Francesco existentibus consulibus. Et eo anno in eorum consulatu seditio fuit inter domnum episcopum et clerum Placentie et commune, occaxione duarum millium librarum, quas ipsi consules ab eis petebant pro subsidio debiti comunis solvendi, quod tunc erat sedecim milia librarum, quas domnus episcopus et clerus Placentie dare recusaverunt, et ob id extra districtum Placentie exierunt.

1205. indictione 8, in consulatu Alnaldi[61] Stricti, Acerbi de Fontana, Oberti de Vico Iustino, Alberti Confanonerii, Iohannis de Fontana, Nicholai de Andito, Sani[62] Surdi, castra de Seno et de Canurxio[63] levata fuerunt et fossis circumdata, Bernardo Pasturello existente camerario.

1206. indictione 9, in consulatu Iohannis de Pado et sociorum et Fulcone Pormo existente camerario, levata[b] fuit turris de Seno de pedris[64] crudis, et castrum de Tegero fuit muratum et finitum. Eo anno mense Iulii Placentini obsederunt rocham de Varsio in qua quidam homines de Varsio fugerant pro quodam pesimo scelere, quod fecerant adversus consules comunis Placentie, domnum Bertholomeum de Cuna cum nunciis et correriis, qui secum aderant. Et in ea obsidione steterunt circa quindecim dies. Illi vero qui intus illam rocham erant, videntes Placentinos ab incepto desistere nolle, cum eis pactum fecerunt; et ipsis dimissis, rocham ipsam comuni Placentie reddiderunt. Eodem[65] anno die Iovis, 15. mensis Novembris, Placentini iuraverunt stare preceptis ecclesie super discordia quam habebant cum episcopo et clero Placentino, per domnum episcopum Vercellarum et presbiterum Albertum Mantuanum, quibus causa delegata erat a domno papa.

1207. Placentini destruxerunt castrum de Virde[c] amore Papiensium et ex pacto quod cum ipsis fecerant; quod castrum tunc tenebatur et custodiebatur a Placentinis; et fuit de mense Ianuarii.

Eodem anno mense Februario finita est concordia inter comune Placentie et clerum Placentinum, existentibus consulibus Rufino de Porta, Carnevario de Fontana, Lanfrancho de castro Arquato, Gerardo Stricto, Guillielmo Leccacorvo[d], Iuliano Bergognono, Therisedo de Roncho veteri et Bernardo Ardezono camerario.

1208. Post obitum domni Enrici regis, filii condam domni Federici imperatoris, domnus Otto dux Saxonum a quibusdam principibus Theothonicis in regem fuit electus. Postea quoque ab illis quibus licentia a summo pontifice est concessa, idem domnus Otto precepto et voluntate domni pape fuit coronatus. Philippus autem, frater istius domni Anrici regis, a quibusdam aliis principibus similiter fuit in regem electus et coronatus, tamen sine voluntate et consensu domni pape. Unde magna lix et discordia inter domnum Ottonem et domnum Philippum fuit exorta, multa prelia etiam facta. Que discordia duravit a tempore obitus domni Enrici usque in anno incarnationis inferius scripte. Verum quia domnus Philippus aurum et argentum tenebat et possidebat, quod Anricus de Apulia et Scicilia quas superaverat in Alamaniam miserat, fere omnes principes tam clericos quam laycos secum habebat ipsi omnimode adiutorium prestantes; quare ipse Phylippus erat fortior et potentior domno Ottone in Alamania, nec domnus Otto resistere ejdem[e] Philippo poterat; nimirum

a) posse *cod.* b) leva *c.* c) uide *c.* d) leccacorno *c.* e) idem *c.*

59) Camalduli. 60) i. e. Flandria. 61) i. q. Arnaldi. 62) est Savi. EDD. P. 63) Caurxio, hodie Caorso. EDD. P. 64) i. e. petris, lapidibus. 65) Anno sequenti diem 15. Nov. in diem Iovis incidisse notarunt EDD. P.

quia in tantum corda principum tam clericorum quam laycorum auro et argento erant 1208. honerata, quod natura rectum cognoscere non valebat. Etiam domnus Innocentius summus pontifex, qui dictum Phylippum a principio exosum habuerat et coronam ei dare recusaverat, audiens illum potentem esse sine timore ipsius, auro et argento coruptus, concordia cardinalium pactum dandi ei coronam fecerat.

Hoc in anno 1208.[a] indictione 11, mense Iunio patriarcha Aquilegensis legatus domni Philippi a Romana curia veniens, Placentiam transiens, in terram Theothonicorum proficisci properabat, ipsi domno Philippo ex parte domni pape legatum deferens ut, quandocumque vellet, coronam ab eo vel ab eis quibus foret delegata acciperet. Itaque cum hec omnia agerentur, dominus noster Iesus Christus, creator omnium rerum, ultor omnium malorum, cui nil est secretum nil absconditum, corda hominum sciens, qui est verus iudex et iustus, et iustitiam[b] et rationem unicuique manutenens, et nil relinquens inultum, volens mirabilia sua super iram pessimo et crudeli facto omnibus pernotescere: accidit divina potentia, quod domnus Philippus a quodam nobili principe Antegrado[66] nomine, filio cuius 66 uxorem filiam suam dedit, postea ei tulerat, commotus ira et dolore atque dedecore[c], intrans in triclinio, in quo domnus Philippus infirmus iacebat, tactus maligno spiritu gladio est[d] eum vulneratus et interfectus mense Iulio, existente dicto patriarcha adhuc in civitate Iun. 21. Mediolani. Quibus ita peractis, domnus Otto Romanorum rex Domini vi potestatem totius Alamanie occupavit. Principes quoque tam clerici quam laici ipsi fidelitatem iuraverunt. Mense vero Decembri proximo legati Mediolani et Placentie et aliorum amicorum eorum, atque Papiensium et Cremonensium legati in Alamania ad domnum Ottonem regem perrexere, mense vero Ianuario apud eum in colloquio fuere.

Cum Brisienses ab obsidione Suncini redissent, ingens seditio inter populum et milites Brixie fuit incepta; multa[e] quoque prelia et homicidia in civitate et per districtum eorum sunt peracta, multi ab utraque parte sunt capti, et quod iniquum videtur in carcere reclusi. Videntes autem milites magnitudini populi non posse resistere, civitatem Cremone accedentes, cum ipsis Cremonensibus se iuraverunt, qui adiutorium eis prestare sacramento firmaverunt. Quadam vero vice cum populus Brixie cum carocio extra civitatem cum[67] militibus eorum ad pugnandum exierunt, dicti milites illico Cremonam pergentes, auxilium ab eis prout tenebantur petientes. Qui Cremonenses tam milites quam pedites cum carocio in eorum subsidio perexere. Cum autem ad locum ubi erat populus Brixie adpropinquassent, tensis aquilis et tubis bellicis per partes sonantibus prelium incipitur, et dictum populum Brixie undique circumdederunt. Verum quia parva turba sepe superatur a magna, illi de populo Brixie a Cremonensibus et militibus Brixiensibus superati fuere; illos autem quos voluere, et carocium Brixie post eos victum Cremonam et per civitatem Cremone duxere; civitatem quoque Brixie in manu et virtute militum Brixie dederunt. Qui eos quos voluere de populo ceperunt et in carcere recluserunt, alios vero extra civitatem expulerunt. Cumque per sex annos in seditione perseverassent, divina favente misericordia pax et concordia inter populum et milites Brixie est sacramentis coroborata. Quo facto in 1208. indictione 11, mense Aprilis, Mediolanenses et Placentini aliorumque amicorum eorum legati civitatem Brixie accedentes, domnum Guidonem Lupum, eiusdem civitatis potestatem, milites et populum eiusdem terre rogantes, ut iuramentum societatis Lombardie more solito facere deberent. Qui cum in civitate illa quedam turpia et inhonesta commisisset[f], sacramentum illud non esse facturum pronunciavit, etiam in civitate illa precepto et voluntate Cremonenses esse affirmans[f*]. Unde tam milites quam pedites eiusdem civitatis Brixie commoti nimiumque turbati, predictum iuramentum omnes concorditer fecere preter 30 vel 40 eiusdem terre milites, qui cum eadem potestate de ea civitate turpiter exiere[g]. Qui ad locum pontis Vici accedentes, ipsum locum et quedam alia plurima in sua forcia tulerunt. Postea vero, ut homines modice fidei et tacti maligno spiritu, dictum locum Cremonensibus dederunt; unde non[h] modicum ipsi Cremonenses sunt exaltati. Scientes enim, Brixienses predictum iuramentum fecisse, in tristicia[i] et magno dolore commoti, auxilium amicorum eorum, specialiter marchionis Azonis de Este postulantes, qui Veronam[k] et Ferariam tenebat, et

a) MCCVIIII *c.* b) iniustitiam *c. ut paulo infra* decore *pro* dedecore. c) decore *c.* d) *forma passivi loco deponentis usurpata.* e) nulla *cod.* f) cōmisissȷ *c.* f*) affirmantes *c.* g) exire *cod.* h) *vocem inservi.* i) celesticia *c.* k) *ita ex Gerardo Maurisio restituendum.* Victoriam *c.*

66) i. e. lantgravio, erronee loco palzgravio. 67) i. e. ad pugnandum cum militibus eorum.

1208. quas in preterito anno fraudulenter et malo ordine occupaverat[a], magnum ipsi Cremonenses preparaverunt exercitum. Cariolas quoque in civitatem Cremone venire fecerunt, in terram dictorum Brixiensium hostiliter intrare et omnia devastare proponentes. Hoc audito et cognito in exitu[b] eiusdem mensis Aprilis, milites Mediolani et Placentie statim Brixiam militaverunt; dictum marchionem, qui[c] cum magna manu militum Brixie iam intraverat[68], de districtu Brixiensium turpiter fugaverunt. Cremonenses quidem in terram Brixiensium intrare minime ausi fuere. Tandem cum milites Mediolani et Placentie domum redissent, ipsi Cremonenses sepe et sepius in terram Brixiensium intravere, omnia dampna et incommoda que potuere eis inferentes; que plurimum erant Mediolanensibus et Brixiensibus gravia et etiam intolerabilia. Tamen habito conscilio Mediolanensium et Placentinorum aliorumque amicorum eorum, ambaxatores in mense Iulio proximo veniente Cremonam perexerunt, omnimode eis instantes et inducentes, ut locum pontis Vici quiete Brixisiensibus dimitterent, et Brixiensibus de cetero offendere non deberent. Quod Cremonenses non esse facturos, nec dictum locum reddituros, viva voce dixerunt. Et dum hec et multa alia turpia verba et ignominiosa in conscilio Cremone potestas eiusdem terre proferret[d] et ab aliis de conscilio ambaxatoribus Mediolani et etiam aliis forent prolata, dicentes et asserentes Mediolanum non vivere ad honorem; quod altius descendit in pectoribus[e] illorum ambaxatorum, quod[f] quisque esset[g] iratus, et omnium aliorum de civitate Mediolani cum domum[h] audivere redeuntes[i] et hec in conscilio aperientes. Post hec autem videntes Cremonenses ab incepto desistere nolle, sed magis et magis Brixiensibus offendere volentes, amicis et sociis eorum Brixie, ad petitionem Brixiensium die Martis, 12. mensis Augusti, foras extraxerunt carocium, infinitum exercitum per se et amicos eorum militum et peditum facere statuentes, in terram Cremonensium palam intrare hostiliter proponentes, per universam fere[k] provintiam Italie tam intrinseci quam extrinseci innumerabiles de districtu Mediolani pro equis et iumentis et armis bellicis pergentes et ementes. Die autem Veneris, 15. mensis Augusti, Cremonenses suum similiter extraxere carocium; Parmenses vero eorum amici die dominico sequenti rogatu et precibus Cremonensium suum simili modo extraxere carocium. Per[l] Parmenses his ita gestis et peractis, ambaxatores Brixienses Mediolanum pergentes, in publico conscilio proponentes, de voluntate conscilii Brixie esse, ut cum expeditione universa pergere deberent in terram Cremone iuxta flumen Ogii, et per ripam ipsius fluminis inter Cremonam et illud flumen transirent et cum eis se adunarent. Quod a sapientibus Mediolani inconveniens et non esse sequendum videtur, propter viam que est artissima et plurimum gravissima, tum propter paludes et fossata et vineas et alia multa impedimenta imminentia; sed per viam amplam et largam in terram Cremone intrare, et ea omnia que possent devastare dicebant. Eadem[69] ambaxatores dixerunt; si taliter non procederent ut dictum est, expeditionem[m] non velle affirmabant. Quo audito Mediolanenses facta contione gratias omnibus amicis eorum venerunt referentes, ut ad propria redirent[n] dixerunt; alioque modo Mediolanenses et Brixienses concorditer inter eos pacti fuerunt. Scilicet quia Mediolanenses miserunt Brixiam sexcentos milites et totidem pedites, qui terras et castra eorum custodirent et defenderent. Cumque moram ibi facerent, sepe et sepius in terram inimicorum equitantes, exeunte mense Septembri proximo quadam vice scilenti nocte Brixienses et Mediolanenses ad pontem Vicum accedentes, fossatum quoque ipsius loci armati transeuntes, locum illum habuerunt et ceperunt. Cremonenses vero qui in custodia ipsius loci aderant, numero 400 milites et pedites, Brixie victos duxerunt et in carcere recluserunt.

1209. 1209. indictione 12. patriarcha Aquilegiensis, domni Ottonis regis Romanorum legatus, mense Aprilis in Lombardiam venit pro sacramentis fidelitatis recipiendis[o]; que Mediolanenses primo fecere, postea Papienses et Placentini et Cremonenses. Deinde patriarcha Brixiam perexit, pacem et concordiam inter milites eiusdem civitatis, qui de ipsa civitate exierant et qui cottidie ipsam civitatem cum Cremonensibus inpugnabant, qui ipsos milites manutenebant, sacramentis firmavit; Cremonenses quoque, quos ipsi de civitate victos et

a) *ita corrigo*; peccaverat *c. cf. Chronicon Veronense* a. 1207. b) exercitu *cod.* c) quē *cod.* d) *vox excidisse videtur; deest in c.* e) pecoribus *c.* f) qua *c.* g) esse *c.* h) *ita corrigo*, dominum *c.* i) *scilicet* ambaxatores. *Ita levi medela adhibita locum restitui.* k) fore *cod.* l) *vocem supplevi.* m) expeditione *cod.* n) rediere *cod.* o) reperiendis *cod.*

68) scilicet in districtum Brixiensium. 69) scilicet quae antea dixerant.

reclusos tenebant, de carcere extraxit. Quo facto voluntate ambarum partium domnum 1209.
Ottonem Bonum de Iania in potestate ipsius civitatis elegit.

Eodem anno die Veneris, 14. mensis Augusti, domnus Otto Romanorum rex primo intravit in Lombardiam cum magna Theothonicorum expeditione, quando Romam pergebat pro corona accipienda; et castramentatus fuit in partibus Pischerie[70]. Milites quoque a rectoribus uniuscuiusque civitatis et a comitibus et marchionibus Lombardie petiit, qui secum Romam accedere deberent. Et tunc Placentini in expeditione milites treginta expensis communis perexerunt.

Eodem anno de mense Ianuario Placentini elegerunt in potestate domnum Drutum Marcellinum de Mediolano.

Eodem anno, die dominico, quarto mensis Octubris proximi, indictione 13, domnus Otto Romanorum imperator magna cum letitia a domno Innocentio summo pontifice in Romana civitate fuit coronatus; qua corona habita et accepta, idem imperator per longum stetit tempus per Tusciam et Romagniolam.

1210. mense Aprilis, indictione 13, idem imperator venit Bononiam[a], Mutinam, Regium 1210.
atque Parmam; in qua statuit colloquium. Die vero Mercurii, 13.[b] mensis Aprilis, primo intravit Placentiam; ibique receptus fuit magna cum letitia. Eodem anno, 8. die eiusdem mensis Aprilis, domnus Grimerius episcopus de hoc seculo migravit. Eodem anno et supradicta indictione[c] dictus domnus Otto habita corona, per civitates Lombardie petiit a rectoribus uniuscuiusque civitatis auxilium militum, qui in Apulie exercitu secum proficisci deberent; qui secundum facultatem eorum ei subsidium militum prestaverunt. Die vero Martis, 13. exeunte mense Iulii, viginti milites Placentie exierunt[d] civitatem, qui in ipso exercitu ad expensas comunis perexere; quorum unusquisque habuit pro expensis per sex menses centum libras imperialium.

Eodem anno die Lune, secundo mensis Augusti, levatus fuit archipresbiter Fulco maioris ecclesie episcopus Placentie.

Prenominati vero milites Placentie imperatorem Montefesconum obsidentem invenerunt. Deinde ivit per illas partes, et multa loca cepit et destruxit. Postea quoque intravit in Apuliam, et indefinitas civitates loca et castra, partim propter amorem, partim vero propter vim et concordiam cepit et habuit, et totam Apuliam superavit. Stetit quoque in ea provintia usque in

1211. Mense Aprilis obsedit Aversa[e]; mense Madio venienti eam habuit ex pacto, 1211.
et Napolim similiter ibidem; et in illis partibus stetit usque ad medium Octubrem. Cumque domnus imperator in Sciliciam proficisci pararet, legati atque canzellarii fratrum et amicorum eius de Alamania ac Mediolani et Placentie ambaxatores ad domnum imperatorem perexere, ei denuntiantes, domnum papam et quosdam Alamanie principes, marchionem de Heste, et Cremonenses, et eos omnes de eorum parte, Rogerium Federicum pro imperatore et domino elegisse, et coronam ei dedisse et promisisse; domnum imperatorem instanter admonendo et supliciter rogando, ut ad propria omnibus dimissis redire deberet. Quo audito domnus imperator eorum precibus et admonitione repatriavit. Cum vero deveniret in partibus Montisfesconi, colloquium cum nunciis domni pape habuit, sperantes cum ipso ad concordiam posse devenire. Sed nichil valuit, et stetit ibi et in illis partibus fere per mensem Novembris. Deinde venit per Tusciam et Marchiam, et intravit Lombardiam. Die vero Veneris, 13. mensis Ianuarii, intravit civitatem Placentie. Ibi magna cum letitia ab eiusdem civitatis militibus et populo fuit receptus. Die vero dominica sequenti, 9. Kal. Februarii, venit Laude. Ibidem colloquium fere omnium rectorum civitatum Lombardie, comitum et marchionum et aliorum celebravit, ad quod Azo marchio de Heste venire contempsit. Verum quia domnus imperator cognovit et intellexit, dictum marchionem ea exercere et tractare que[f] ad suum essent detrimentum, dato ei termino, ut ad suam magnitudinem accedere deberet — qui non venit nec venire voluit, — posuit illum in banno perpetuo. Deinde semotus imperator Mediolanum accessit; ibidemque stetit fere per 15 dies. Die vero sabbati, 12. Kal. Martii, perexit ad civitatem Cumanam. Deinde versus terram Theothonicam proficisci properavit.

a) romam c. *Otto mense Martio Ravennae, Aprili ineunte Bononiae degebat; cf. Böhmer Regesta Ottonis n. 117 sqq.* b) *lege* XIIII. c) incăr. *cod.* d) exerunt *c.* e) versa *c.* f) *ita emendavi;* qui ad diem triennium *c.*

70) Peschiera.

1212. 1212. in mense Aprilis proximi sequentis Rogerius Federicus*, qui se dicit regem Scicilie, venit Romam. Ipso ibidem existente, marchio de Heste et Petrus Traversarius et alii quam plures nobiles ipsum visitaverunt, ibidem cum eo et summo pontifice locuti fuerunt. Deinde semotus, cursum suum direxit Ianuam. Die vero Martis, primo mensis Madii, ipsam civitatem intravit; ibidem magnifice et honorifice ab eiusdem civitatis militibus et populo fuit receptus.

Et eodem anno fuit carum tempus, ita quod in sextario frumenti dabatur septem solidi et plus, et in sextario sicalis sex solidi et plus, et in sextario milii quatuor solidi.

Die autem Veneris[a], 14. mensis Iulii, dictus puer de Scicilia cum legato summi pontificis et marchione de Monteferato et comite de Sancto Bonifacio et Papiensium ac Cremonensium legatis[b] ac quibusdam aliis Ianuam exivit, et per Montemferatum et per partes illas ad civitatem Ast accessit. Deinde iter suum Papiam die Veneris[c], 11. Kal. Augusti, direxit. Qui ab universo clero et militibus et peditibus eiusdem civitatis magnifice et decenter fuit receptus, pallium super eum portantes ut de consuetudine imperialis est magnitudinis; affirmantes Cremonenses et Papienses et marchio de Heste et publice dicentes, quod ipsum puerum palam et per vim cum eorum amicis contra omnium fidelium Ottonis invictissimi imperatoris voluntatem[d] Cremonam et Veronam[e] ducent. Quod plurimum Mediolanensibus et Placentinis videtur grave et molestum ac[f] intollerandum. Et quia hec contra maiestatis excellentiam esse videntur, ipsi Mediolanenses admodum parati[g] et indignati foras suum extraxere carocium. Unde dicti Mediolanenses et Placentini egregie bellicis armis preparati, imperialis aule fidelissimi, cum universa fortia eorum militum et peditum, sagittariorum et balestariorum, dictis Cremonensibus et Papiensibus et omnibus eorum amicis volentibus ipsum puerum palam ducere Cremonam, in comitatu Laudensi ad Lambri transitum vel alibi tensis aquilis, viriliter resistere, atque iter eorum et personam pueri omnimode inpedire proposuerunt; et dictum puerum per vim recipere posse, suum foras extraxere carocium. Sed que verbis dixerunt, factis observare noluerunt. Die autem sabbati, 5. Kal. Augusti, sero adveniente, Papienses ad sonum campane cum puero Scicilie rege exierunt civitatem, per totam equitantes noctem. Cremonenses vero ea die et hora cum marchione de Heste et eorum sequacibus privatim, sicut cum Papiensibus statuerant, Cremonam exierunt; eadem nocte usque ad Lambri transitum perexere. Die quoque dominica veniente, mane dictum puerum receperunt. Et dum hec omnia clam agerentur, dominus noster Iesus Christus, ultor omnium malorum, iustitiam et rationem uhicuique dominica manu tenens, volens mirabilia sua super tam pessimo facto et crudeli sacramento omnibus pernotescere, accidit divina misericordia, fortuitu et inopinabili casu, quod Mediolanenses predicta die sabbati, nocte appropinquante, civitatem Mediolani exierunt, ad partes ubi Papienses aderant accedentes. Die dominica veniente ipsi Mediolanenses contra Papiensium exercitum venientes, acerrimo impetu et magno clamore insultum super eos fecerunt; et aquilis ab utraque parte commotis prelium incipitur, et bellicis per partes sonantibus tubis ab utrisque certatur, Cremonensibus et eorum amicis omnibus videntibus, et non distantibus per duo miliaria. Videntes autem Papienses, se in prelio deficere, ac fortissima tela inimicorum ferre minime posse, terga vertentes, spoliis et equis ablatis fugam petierunt. Quos Mediolanenses insecuti viriliter, amplius mille de maioribus et melioribus Papie ceperunt, et Mediolanum illos victos ducentes in carcere recluserunt, nemine evadente preter illos qui in nemoribus paludibus et aquis se absconderunt. Die vero Lune sequenti, 3. Kal. Augusti, puer Scicilie Cremonam intravit; ibidem magna cum letitia fuit receptus. Die vero Lune, 14. Kal. Septembris, puer dictus Mantuam perexit; deinde Veronam. Die autem Martis proximo, 13. Kal. Septembris, quidam puer Theothonicus signo crucis signatus qui vocabatur Nicholaus, cum magna et indefinita multitudine Theothonicorum puerorum et infantium lactantium, mulierum et puellarum, signo crucis Domini signatorum per Placentiam transitum fecerunt ultra mare proficisci festinantes. Dicebatur enim, quod ipsi puero per angelum nuntiatum erat, quod ipse et eius sequaces sepulcrum Domini de manibus et virtute iniquorum ac pessimorum Saracenorum recuperare debent.

— 1212. indictione 1, die Veneris 9. Kal. Decembris, Placentini iverunt Bobium, et depo-

*) fidericus *c.* a) *recte.* b) legati *cod.* c) *dies Veneris 12. Kal. Aug. fuit.* d) *vox haec desiderari videtur, deest in c.* e) *ita corrigendum; nam Fridericum Cremonenses Cremonam, Azo eum Veronam ducere proposuit.* Romam *c.* f) nec *c.* g) *ita emendavi;* pariter *c.*

pulati fuerunt vineas et arbores que ibi aderant destruxerunt et conbuserunt. Die domi- 1212. nica proxima veniente, cum Placentini milites et pedites et sagittarii circa Bobium armati starent et vineas et arbores depopularentur, Bobienses fecerunt pactum cum Placentinis. Iuraverunt namque consules Bobii et consularii, attendere et observare et facere in totum preceptum et precepta consulum comunis Placentie, et quod facient alios homines Bobii iurare, in totum attendere et facere preceptum et precepta consulum Placentie.

1213. indictione 1, in consulatu Alberti Siccemilite, Oberti Gnathi, Oberti de Vidalta 1213. vicecomitis, Lombardi de Fontana, Oberti Stricti, Guillelmi de Cario consulum comunis Placentie, fossata nova fuere fodita, scilicet triginta brachia per latitudinem et quatuor brachia per altum. Eodem anno, ultima ebdomada mensis Madii, Cremonenses cum carocio et cum universa gente eorum et fortia apud castrum Leonem equitaverunt; ac ultra Serii flumen, inter lectum sive cavum per quem erat solitus veterime decurrere, et ita dictum flumen, in quodam mezeano sive planitie paludibus et fossatis atque magnis munitionibus munita et circumdata, ita quod in ipsa nullus poterat intrare, nisi per duas portas strictissimas rostris et aliis fortitudinibus aptatas, sua ibidem fixere tentoria; sperantes et credentes, in ipsa veluti in Cremone civitate posse securiter stare et permanere. Statuerant enim ipsi Cremonenses, segetes et alias res Creme[a] vastare et disurpare, vel expeditionem quam Mediolanenses facere in Lumilinam proposuerant facilius debere permanere. Quo audito et intellecto, Mediolanenses cum carocio et universa gente eorum et cum militibus Placentie et Laude et aliquibus Novarie militibus, et cum militibus extrinsecis Brixie, apud Cremam perexere. Deinde die sabbati, primo mensis Iunii, versus Cremonam ivere et non multum longe ab eis fuere castramentati. Die vero dominico in festo pentecostes armati et ordinati iverunt ad bellum; et cum pervenissent cum carocio circa fossata et munitionem in qua Cremonenses aderant, accerimo et fortissimo eos agrediuntur impetu et vi maxima in illa conantur intrare munitione. Ipsi vero Cremonenses cum suis ordinatis actiis[71] illis se obviam ante munitionis portas se prebuerunt, et tubis bellicis sonantibus ab utrisque certatur. Qui cum deficerent et crebra[*] ac fortissima hostium tella ferre minime possent, et[b] intus ipsam munitionem per vim intrarent[c] Mediolanenses, perterriti et pavore comoti, terga vertentes fugam petierunt. Partem quoque eorum gladio interfecerunt[72], partem vero in ipso flumine submerserunt, alios vero, qui per pontem et per vada Serii[73] insequentes, omnibus tentoriis et spoliis, equis et bobus et cariolis ablatis nichil reliqui preter fugam fecerunt; et ultra Serium amplius quatuor milibus usque ad Nucem Casale eos fugaverunt, excepto circa trecentos milites, qui ad Cremone carocium fugerunt. In ipso vero prelio fere mille milites de Cremona et eius districtu ceperunt et habuerunt, de peditibus vero tantos, quod nescio dicere quantos. Et cum illis militibus ultra Serium captis Mediolanenses ab illa parte Serii iverunt; alii quoque milites et magna pars populi, que circa Mediolani carocium adesse debebat, cum militibus et aliis hominibus in prelio captis et cum temptoriis, spoliis, robis, bobus, equis et cariolis Cremonensium ad sua venerant castra, fere omnes de prelio recedentes, preter Placentie milites, qui in ipso bello egregie steterunt et cum Cremonensibus acriter pugnaverunt, et ipsis viriliter et bellicose restiterunt. Videntes interim milites et populus Cremone, qui ad Cremone carocium derelicti erant[d], recessisse militiam Mediolani[74], cum eis preliaverunt. Percipientes autem Mediolanenses qui ad carocium remanserant, minime resistere posse, carocio in quodam palude relicto, in quo per vim illud impulserant, recesserunt et versus castra redierunt. Quod carocium Cremonenses postea de palude extractum habuerunt, et Cremonam illud duxerunt; et in ipso bello ceperunt circa triginta milites Mediolani et eius partis, de peditibus et hominibus Mediolani et eius districtus fere mille homines.

Die Iovis mensis[e] eiusdem Iunii Mediolanenses cum carocio et universa gente eorum Iun. 13. intraverunt in Lomelinam, Mortariam et Gamboladum, et Lomellum et Ulevalum, et multa alia loca ceperunt et destruxerunt et conbuserunt; segetes quoque et alias res depopulati fuerunt; homines innumerabiles, bestias et alias robas inde duxerunt.

a) cremone *c.* b) *deest c.* *) croba *c.* c) intrare *c.* d) *ita corr. videtur;* derelictum esse et recessisse *cod.* e) *Galvaneus Flamma eos d. 12. Iunii intrasse tradit.*

71) i. q. aciebus. 72) scilicet Mediolanenses. 73) effugerant scilicet. 74) scilicet ab eorum carrocio.

1213. Iun. 25. Die Martis, 7. Kal. Iulii proximi sequentis, Cremonenses cum tota gente eorum die Martis, 12. mensis Iunii et cum militibus Mantue Regii et Mutine intraverunt in terram nostram, et venerunt ad Caursium, et conbuserunt domos que erant circa castrum et villam de Miradolo et quasdam alias domos.

1214. Iun. 10. 1214. indictione 2, die Martis, 12. mensis Iunii Cremonenses cum universa gente eorum et cum militibus et sagittariis Parme et cum militibus Regii, intraverunt in terram nostram, et castramentati fuere in Salmuris[75] de suptus stratam Romipetam, et tunc depopulati fuerunt vineas et arbores et alias res, que erant circa castrum Novum et Casale Albinum, prout potuerunt. Et nocte veniente ibi fuerunt hospitati, et die Mercurii summo mane recesserunt. Die sabbati, 5. die mensis Iulii proximi sequentis, dicti Cremonenses cum omni gente et forcia eorum circa mediam tertiam venerunt Florenzolam, et depopulati fuere vineas et arbores de Gallo et segetes et alias res quas potuere; et ea die circa horam nonam recesserunt. Quinto die mensis Augusti Placentini milites cum hominibus Florenzole et castri Arquati iverunt Buxidum, et castrum preter domignonum ceperunt et conbuserunt. Die Veneris, 7. Kal. Septembris, dicti Cremonenses cum omni forcia eorum et cum Parmensibus similiter depopulati fuerunt fere omnes vineas et arbores que erant circa Florenzolam, et vineas de Mandria. Die Veneris, 4. Kal. Augusti, Placentini milites et Mediolanenses cum universa gente eorum cum manganis et predariis intraverunt in Lumilinam; et primo castrum Vilezi obsiderunt, et illud per vim ceperunt et destruxerunt. Similiter obsiderunt et per vim ceperunt Bremelum et Cetum et Candidam et burgum de Saterana et de villa Nova et multa alia loca destruxerunt et conbuserunt; et ceperunt in ipsis locis inter pedites et milites novem centum, et steterunt ibi per 15 dies.

Die Veneris, 5. mensis Septembris Cremonenses cum omni gente eorum iverunt in terram Placentinorum, et castramentati fuere apud Curtem Maiorem; alia vero die versus Florenzolam, et explanaverunt partem fossati, quod illi de Florenzola fecerunt desuptus a ponte Arde usque ad fontem de Gallo; in quorum auxilio Parmenses cum universa gente eorum ea die venerant Burgum, qui Cremonenses apud Florenzolam se adunaverunt, et sic ordinati et armati versus Sanctum Protasium iverunt; quam villam et Carii locum combuserunt et destruxerunt, et fuerunt usque ad Albonaxium[76]. 1214. indictione 3, die sabbati, 4. mensis Octubris milites Mediolani numero mille Placentiam venerunt; die vero Mercurii, 8. eiusdem mensis Octubris, Placentini tam milites quam pedites cum Mediolanensibus militibus ad castrum Parpanisii perexerunt; et illud quidem Placentini undique obsederunt et cum predariis, gattis, sagitariis et balestariis viriliter expugnaverunt. Et castrum turre magna ac fortissima, castris quoque lignaminis et spadis optimis, fossatis etiam profundis et aqua plenis erat constructum pariter et munitum. In quo centum homines Papiensium pro isto castro defendendo aderant, qui castrum illud acriter et fortiter defendebant, cum petris trabibus et sagitis arcu et balistra missis nostros in fossato et in castro per vim volentes intrare percucientes. Tandem Placentini in fossato ligna et arbores grandes, carra et etiam gattum proicientes, super ipsis quoque in fossatum descendentes, et etiam super terragium summa vi usque spados ascendentes. Videntes iterum intrinseci, qui locum custodiebant et defendebant, Placentinos ab incepto desistere nolentes, sed super terragium atque castri spados viriliter ascendentes pariter et expugnantes, fugam petientes super turrem ascenderunt. Prospicientes similiter Placentinos in fossato ante portam turris ascendentes, pontem etiam levatorem cum securibus incidentes, et ipsum explanantes usque ad castri portam cum securibus magno clamore currentes, lapides mire magnitudinis et molas, trabes, assides, sudes quoque acutissimos super nostros gravissime proiecebant. Percipientes autem de porticella, que iuxta ipsam portam aderat, cum securibus magna vi illam sciderunt et fregerunt. Intrinseci vero videntes Placentinos per castri terragium spados ascendisse et per porticellam intus castrum violenter intrasse, turbati timore et tremore perteriti valde, signum crucis brachio facientes, consulibus comunis Placentie se reddiderunt. Quod castrum Placentini conbuserunt; illos quoque qui in castro aderant numero centum, habuerunt et ceperunt et Placentie illos victos duxerunt et in carcere recluserunt. Predicta vero die domum redierunt. Verum quia predicta dies ad turrem illam destruendam et ad tantum opus perficiendum sufficiens non fuit, die sabbati proximi sequentis

75) Salamora prope Alsena. EDD. P. 76) hodie Valconasso. EDD. P.

Placentini cum Mediolanensibus militibus ad prememoratam turrem fodiendam penitusque 1214.
destruendam equitaverunt; ipsam quoque turrem radicitus fodierunt et destruxerunt, et castri terragium prout potuerunt explanaverunt. 15. die eiusdem mensis Octubris dicti Placentini cum militibus Mediolani equitaverunt ad Rovorscalam, vineas et arbores prout potuerunt destruxerunt et inciderunt. 1214. Placentini elegerunt in potestate domnum Guifredum Grassellum, civem Mediolani, qui eo anno civitatem illam rexit.

1215. indictione 3, die dominico, 10. Kal. Iunii, milites et pedites de tribus portis Me- 1215.
diolani cum militibus et peditibus districtus Mediolani ipsis portis pertinentis[a] castramentati fuerunt iuxta castrum Novum de ultra Pado, et in illis partibus die Lune veniente ibidem se coadunaverunt; alia autem die transpadaverunt, et hospitati fuerunt ea die ad Trebiam. Die Mercurii proximo sequenti Placentini tam milites quam pedites, exceptis militibus et peditibus de porta Nova et de ripa Padi, qui domum pro custodia remanserunt, exierunt civitatem, et cum Mediolanensibus Bardoneziam fuerunt castramentati. Alia die iuxta castrum Bosonasii sua fixerunt tentoria, quod castrum plurimum erat fortissimum pariter et munitum turre magna, muro fortissimo vallato, et fossatis magnis atque profundis. Predictum vero castrum Placentini cum predaria illico expugnaverunt, et cum manganis et predariis atque gattis et castris lignaminis et aliis machinis ad illud castrum obsidendum mirabiliter se paraverunt. Videntes autem intrinseci, qui in ipso castro aderant, se non posse Placentinis resistere nec illud castrum defendere, alia die, scilicet die Veneris, dictum castrum potestati Placentie reddiderunt, et alia die Placentini illud castrum et Mediolanenses destruxerunt et diruerunt et conbuserunt et dissipaverunt. In ipsa autem expeditione castrum fuit captum Nigrini et conbustum, et multa alia loca in illis partibus fuerunt conbusta. In quo castro Nigrini fuere circa 20 homines qui illud custodiebant. Die vero dominica proxima sequenti Mediolanenses et Placentini circa Rovorscalam sua similiter posuerunt castra, quod muro forti et fossatis et podio altissimo et turribus magnis erat munitum et circumdatum; dictum autem castrum Mediolanenses et Placentini fortiter die nocteque cum manganis et predariis et gattis et aliis machinis expugnaverunt et manganaverunt, et steterunt in obsidione ipsius castri usque ad diem Iovis 4. mensis Iunii. Cognoscentes autem qui in ipso castro aderant illud defendere minime posse, ea die dictum castrum communi Placentie reddiderunt, et alia die Mediolanenses et Placentini illud radicitus destruxerunt et explanaverunt et diruerunt et conbuserunt. Die vero sabbati domum redierunt. Existentibus tamen Placentinis et Mediolanensibus in predicta expeditione, Cremonenses intraverunt in terram nostram, conbuserunt partem Sparvarie et Roncalie et Albiam atque Casale, et naves eorum hominum honeratas tunc venere per Padum fere usque ad pontem Padi. Sed que facere sperabant, divina potentia et civium Placentie protectione qui domum pro civitatis munitione remanserant, atque Florenzole[b] et castri Arquati et sagitariorum vallis Tarii auxilio, qui ad civitatem illico accesserunt, ad finem perducere minime potuerunt.

1215. indictione 3, die Iovis, 7. Kal. Iunii, milites Placentie equitaverunt in terram Papie et conbuserunt burgum et villam Sivriaschi[77], et multa alia loca destruxerunt et conbuserunt; predam quoque magnam bovum et vacarum et aliarum bestiarum et hominum ceperunt et inde duxerunt. Alia vero die Mediolanenses tam milites quam pedites iverunt in Lumilinam, et castrum Carlaschi per vim ceperunt et conbuserunt; in quo habuerunt et ceperunt 300 homines et plus, et predam indefinitam bovum et vacarum et aliarum bestiarum inde duxerunt.

Eodem mense comes Thomasius de Sabogia concordiam et societatem fecit cum Mediolanensibus et Vercellensibus. Die dominico, 5. die mensis Iulii, Cremonenses tam milites quam pedites cum papilionibus et travachis et cariolis intraverunt in terram Placentie, et iverunt ad Sanctum Laurentium, quem locum credebant et sperabant per vim posse habere et capere. Sed divina misericordia et virtute atque auxilio militum et sagittariorum qui illico ad illas partes accesserunt et currerunt, ad predictum locum accedere minime ausi fuerunt; sed vulnerati et etiam plures mortui recessere. Et tunc conbuserunt granzam[78] de Mornascho et de Saliceta. Die Veneris, 15.[c] Kal. Augusti proximi, milites et pedites de tribus portis Mediolani cum cariolis manganis predariis et casuris lignaminis mirabili modo

a) pertinenti c. b) florezolam c. c) XVI. *legendum*.

77) Soriasco. EDD. P. 78) i. q. grancia, granchia, grangia, praedium rusticum.

1215. constructis, servicio Vercellensium ad civitatem Vercellarum pro loco Casalis Evitasii[78] obsidendo et expugnando perexere. Qui ibidem cum comite de Sabogia, qui in eorum auxilio cum Mediolanensibus militibus egregie bellicis paratis armis magnifice et decenter venerat; et Vercellenses cum omni gente eorum circa predictum locum obsidendum pariter coadunati, ad expugnandum cum quatuordecim inter manganos et predarias die dominica 6.[a] Kal. Augusti sua fixere tentoria. Qui locus fossato et muro undique erat circumdatus et munitus; quem cum manganis et predariis, castris lignaminis et aliis machinis viriliter manganaverunt et expugnaverunt, et de ipsius loci muro plus 300 brachia diruerunt et expugnaverunt. Die autem Mercurii 5. mensis Augusti comes de Sabogia et Mediolanenses et Alexandrini qui in ipsa aderant expeditione, in strictissimis actiis, scilicet Mediolanenses ex una parte et Vercellenses ex altera, et comes et Alexandrini ex aliis partibus, ad predictum locum expugnandum et capiendum se preparaverunt. Videntes vero intrinseci inimicos ab incepto desistere nolentes, sed armati et aschlerati versus locum pergentes cum manganis et predariis et gattis, castris pontibus et scalis, de quibus plus centum habebant, circa illud locum se construxere. Timentes itaque qui[b] locum defendebant, ne capitali sententie subirent, si per vim eos caperent, apertis portis exeuntes, in manibus claves portantes, potestati Mediolani pro prixoneriis cum omnibus rebus que in ipso castro aderant se reddiderunt, exceptis forensibus qui in ipso loco aderant, qui ex pacto et concordia cum omnibus rebus eorum exierunt. Quem locum Mediolanenses et Vercellenses diruerunt et destruxerunt; illos quoque de ipso loco Mediolanum et Vercellas duxerunt et in carcere posuerunt. 1215. die Mercurii, 4. Kal. Augusti, Papienses tam milites quam pedites cum omni gente eorum et fortia in terram intraverunt nostram, et ad locum burgi Novi armati et aschlerati primo perexere, ipsumque locum undique expugnavere, segetes et omnes alias res quas extra loci fortitudinem invenere et conbuserunt et disipaverunt. Tandem videntes aliquid ad predictum locum minime facere posse, Papiensis populus iter suum retro Arenam direxit. Milites vero cum universa gente eorum decenter Padum cursum suum usque ad castrum Novum et vicum Marinum direxere. Caminatam quoque illorum de castro Novo et turrem de vico Marino fortiter pugnavere. Villam castri Novi et vici Marini domos et segetes et alias res omnes que circa Ziliani et Seminati castra et aliorum locorum invenere, usque ad Montis albi castrum igne cremaverunt et dissipaverunt. Placentini autem milites qui illuc ubi ignem videbant pergere properabant, ipsos Papienses usque ad castrum Montis albi insequentes, potestate relicto unus alterum minime attendens, dictos Papienses de villa Montis albi quam conbuserant reperientes, cum domno Guillelmo marchione Malaspine qui inopinabili casu in ipsa expeditione venerat, qui ipsis Papiensibus in ipso prelio viriliter et bellicose resistit, magno strepitu et clamore super eos impetum pariter et insultum fecerunt; et terga vertentes usque in costa de Arevellis eos fugaverunt. Ibidem vero Papienses nostris se obviam prebuerunt, et usque in fossato quod est inter ipsam costam et castrum Montis albi illos videlicet qui secuti eos fuerunt expulerunt et cazaverunt[79]; et sic pluries unus super alterum insultum facientes, utraque pars voluntarie secessit. In quo prelio capti fuerunt de militibus Papie 25 et de Placentinis 44, vexilla quoque tria Papiensium in ipso prelio habita fuerunt.

Die Iovis, 5.[c] mensis Augusti proximi, Cremonenses milites et pedites, Parmenses milites et pedites omni gente et forcia eorum, et cum Mutinensibus et Rezanis et aliis eorum amicis, cum cariolis manganis et predariis castramentati fuerunt circa castrum Novum, illud cum tribus manganis et quinque predariis obsiderunt et expugnaverunt. Quod castrum similiter erat munitum manganis et predariis et viris prudentibus bellicis armis egregie preparatis, qui castrum illud prudenter defenderunt et Cremonensibus et Parmensibus viriliter resisterunt. Et steterunt circa illud castrum et obsiderunt atque expugnaverunt usque ad diem Mercurii, qui fuit undecima[d] dies eiusdem mensis Augusti. Placentini vero milites et pedites et cum omni gente eorum et cum carocio equitaverunt Florenzolam. Audientes autem Cremonenses de Mediolanensium adventu, qui ad civitatem nostram et etiam usque Florenzolam plures et innumerabiles accesserant, castris manganorum destructis gratibus et lignamine que pro ipsorum castrorum munitione circa illa castra aderant conbustis, nocte advenıente multi vulnerati et ad dictum castrum innumerabiles interfecti, occulte et clam

a) VII. b) *deest cod.* c) VI. d) XII. 78) Casalis sancti Evasii. 79) i. e. cacciaverunt.

ab ipsius castri obsidione recesserunt. Cognoscentes Placentini eos offendere minime posse, die Iovis veniente cum Mediolanensibus, qui Florenzolam venerant, Placentiam redierunt. 1215. Nono eiusdem mensis Augusti quinginti milites Mediolani bellicis armis egregie preparati in auxilio et servitio comitis de Saboguia iverunt, in terram scilicet marchionis Punasii[a]. Castra quoque plurima et villas innumerabiles cepit et destruxit et habuit, pro quibus litem habebat cum marchione de Monteferato. Videns dictus marchio, se ipsi comiti et Mediolanensibus non posse resistere, pactum et concordiam cum eis fecit ad melius quod potuit. 1215. die Lune, pridie Kalendas Septembris, Cremone milites equitaverunt Cremam. Cum autem appropinquassent ad Creme partes, in quodam privato intraverunt loco, ibidemque Cremensibus paravere insidias. Cursores quidem usque ad Creme obstacula miserunt. Videntes vero Cremenses, extra locum exierunt, et cum ipsis prelium fecerunt eosque fugaverunt usque ad locum ad quem Cremone milites insidias paraverunt. Quo viso et ab eis Cremonensibus cognito, magno impetu et clamore super Cremenses fortiter currerunt, eosque etiam usque ad Creme rostras[b] fugaverunt et cazaverunt. Ibidem milites et populus Creme acriter et viriliter cum Cremonensibus pugnaverunt. Dum autem sic ad invicem fortiter certarent et pugnarent, audita ab eisdem Cremonensibus voce et intellecto sono, quod Mediolani milites illuc accedebant pariter et appropinquabant, ingens tremor et similiter pavor eos undique invasit; et statim terga vertentes fugam petierunt. Quos Cremenses audaciter fuerunt secuti, et de eis amplius centum militibus Cremone ceperunt, et quatuor consules et quatuor vexilla comunis Cremone, nec non et tubam similiter habuerunt; quos victos Creme duxerunt et in carcere posuerunt. 1215. mense Novembri magnum conscilium domni Innocentii summi pontificis in Romana fuit civitate celebratum, quod fuit inceptum in octava sancti Martini; ad quod patriarche et archiepiscopi aliarumque ecclesiarum prelati per diversas et extremas mundi regiones de precepto et voluntate domni apostolici coadunavere. Ibidemque Mediolanenses et Placentini et totius eorum partis legati, et Cremonenses et Papienses et totius eorum partis ambaxatores, de mandato domni pape perexere, sperantes et credentes, discordiam que est inter domnum Ottonem imperatorem et Federicum Scicilie regem acordari debere pariter et pacisci. Die vero Martis, 4. Kal. Ianuarii, episcopus Parmensis cum nostre civitatis legatis civitatem Placentie a Roma veniens, voluntate et precepto summi pontificis Placentie civitatem de interdicto extraxit.

1216. mense Ianuarii Padus gelavit, ita quod homines currendo ibant ab una parte ripe 1216. usque ad aliam, et dicebatur quod a buca Taliate in iosum[81] homines potuissent ivisse per lectum Padi super glaciem usque ad pontem Cremone. Et ita fuit perfidum illud zelu[c], quod panis pira et poma et alia que comedebantur vix potuerant incidi nec comedi, nisi primo igne calefacerentur et disgelarentur. Et duravit illud gelu tam magnum amplius duobus mensibus. 1216. indictione 4, cardinales mense Madii ad civitatem Placentie venerunt, dicentes ei ex parte summi pontificis, ut treguam Papiensibus tenerent nec eos offendere deberent; quod si facerent, eos interdicerent. Deinde iverunt Mediolanum, eis similia verba dicentes. Mediolanenses autem et Placentini nolentes a proposito desistere eorum, in terra Papiensium hostiliter intraverunt; et ideo civitatem Placentie et Mediolani sub interdicto posuerunt. Eodem anno, die Iovis, 7. Kal. Iunii, milites et pedites de quatuor portis Mediolani cum deguriis[82] commitatus eorum ipsis portis pertinentibus castramentati fuere ultra Padum in Roncalia, et ea die et alia die sequenti se coadunaverunt ibidem. Altera scilicet die sabbati transpadaverunt et hospitati fuerunt inter Tidonum et Sarmatum. Die vero dominica proxima veniente in festo pasche pentecostes, Placentini milites et pedites porte sancti Antonini et porte Nove et porte sancti Laurentii de civitate Placentie exierunt, et ea die apud villam Sarmati albergaverunt. Alia die cum Mediolanensibus in costa Rovorscalle castra figi preceperunt. Altera die sua fixere tentoria circa castrum Sivriasci, quod castrum muro fortissimo undique circumdatum et terragio magno, ab uno capite caminata magna et muro forti et alto erat circumdata constructum pariter et munitum. Illud quidem Placentini et Mediolanenses cum manganis et predariis et gattis expugnaverunt et manganaverunt. Alia die scilicet die Mercurii, primo mensis Iunii, castrum Golferentii habuerunt, castrum vero montis Calvi et turrem magnam ceperunt per vim; habuerunt quidem turrem de

a) Pimasii *Flamma;* marchio Montisferrati *E. P.* b) *ita c.; Huillard* rostas, *i. q.* aggeres. c) *i. q.* gelu.

81) i. q. iusum; in superius. 82) custodes agrorum, hortorum, vinearum.

1216. Guarda fortissimam[a] mirabili modo constructam, et eam diruerunt et destruxerunt et inciderunt; castra vero predicta similiter; et conbuserunt domos et nemora castanearum, vineas et arbores et segetes curtis Moneiscali conbuserunt et inciderunt, atque destruxerunt villas innumerabiles et domos per vallem Crispassi et vallem Verse; igne cremaverunt segetes, arbores inciderunt et destruxerunt. Die vero Iovis cum Mediolanenses et Placentini cum scalis innumerabilibus et aliis insidiis armati et aschlerati circa castrum Sivriasci starent et se ad dictum castrum expugnandum et capiendum prepararent, intrinseci terrore commoti, videntes se non posse resistere nec illud castrum defendere, illud reddiderunt; quod castrum altera die penitus a fundamento destruxerunt et diruerunt. Permanentes autem in obsidione dicti castri, marchiones Malaspine cum militibus porte Nove et cum sagittariis et peditibus vallis Tidonis et vallis Trivie ad castrum Rumpini equitaverunt. Ipsa vero die qui in illo castro pro comuni Papie intelligentes aderant, scientes de predictis castris captis, pavore et tremore magno perteriti illud castrum ipsis et comuni Placentie dederunt. In cuius custodia 11 homines vallis Tidonis posuerunt. Die sabbati sequenti Mediolanenses et Placentini milites et pedites balestarii et sagittarii, armati et aschlerati per vallem Verse venerunt, villas et domos, segetes et vineas et arbores incidentes et conburentes. Et ea die castramentati fuere in villa de Bergomasco prope castrum montis Acuti, et depopulati fuerunt domos et villas, vineas et segetes et arbores que erant in eius curia et in illis partibus. Die dominica proxima castrum Nigrini et turrem fortissimam atque caminatas que in illo erant castro, licet illud castrum in expeditione Bosonasi et Rovorscalle fuisset captum, tamen non fuit destructum, turrem et caminatas ipsius castri murum radicitus destruxerunt et derocaverunt. Et ea die similiter ceperunt et destruxerunt castrum montis Artonis[82], quod castrum erat undique muratum et turre munitum, penitus fuit destructum et conbustum et guastatum; et castrum Iugolini, quod fuit derelictum; et villa que erat in valle Verse ante illud castrum, fuit conbusta et arsa. Die vero Lune proximo veniente, per vallem Verse villas et domos, segetes et arbores per ipsam vallem igne cremaverunt et destruxerunt, et ea die prope hospitale de Versa sua posuere temptoria. Et ea die inter stratam Romeam et Padum equitantes, villas et domos quas invenerunt usque ad portum Pioglosum conbuserunt et destruxerunt. Die Martis sequenti Mediolanenses et Placentini milites et pedites sagittarii et balestarii, armati ad burgum Bronne equitaverunt; illud quidem ceperunt et conbuserunt, villas autem et domos que extra illud burgum erant igne consumaverunt. In reditu vero villas que erant in curia montis Calini et villam de Stradellis conbuserunt. Die Mercurii proximo, 9. Iunii, Mediolanenses et Placentini circa castrum Arene sua fixere tentoria, quod castrum fossato magno et aqua pleno, spadis fortissimis erat munitum. Quod castrum cum octo inter manganos et predarias expugnaverunt et manganaverunt milites et pedites Papie qui in ipso castro intraverunt. Permanentes autem in obsidione ipsius castri, burgum porte Albare ceperunt, domos quidem munitas et cupatas et solaria magna a fondamento penitus destruxerunt et diruerunt et conbuserunt. Villam que est desuper portam Albaram circa castellum porte Albare igne cremaverunt, segetes et vineas et arbores illorum locorum destruxerunt et inciderunt. In predicta obsidione Arene steterunt usque ad diem Mercurii 15. mensis Iunii. Cognoscentes autem Mediolanenses et Placentini illud castrum per vim minime habere posse, cum Papie milites et pedites omni die, prout de eorum erat voluntate, cum navibus intrabant in ipso loco et exiebant nobis invictis[83], naves plurimas coriis bovum copertas et castrum lignaminis in ipsis navibus habebant, cum quibus illud castrum valde defendebant, ea die ab obsidione secesserunt et Placentinis[b] reddiderunt, videntes et scientes, quod inceperant prope aquam Padi ad finem minime perducere posse.

Die dominico proximo, 6. Kal. Iulii proximi, Mediolanenses milites et pedites civitatis Mediolani exierunt die Lune, et die Martis ad pontem de Ticino se coadunavere. Die Mercurii in Lumilinam[c], terram Papiensium inimicorum eorum, equitaverunt; segetes et linum et legumina, quas et que invenerunt, et domos et villas rehedificatas destruxerunt et conbuserunt, et ita in Lumilinam destruentes et conburentes ea omnia que ibi invenerunt, steterunt in ipsa terra usque diem Martis venientis, ante quam domi regressi sint.

a) fortessima m. m. constructa *c.* b) *fortasse* et Placentiam redierunt. c) lumininam *cod.*

82) Monte Arco. ED. P. 83) i. q. invitis.

1216. mense Iulii obiit papa Innocentius in civitate Perose; et levatus fuit papa Honorius 1216. qui vocabatur Zinzius camarlengus.

1216. indictione 4. die dominico, 12. Kal. Septembris, milites et pedites de quatuor portis Aug. 21. Mediolani cum parte commitatus eorum, Vercellenses et Novarienses milites et pedites cum omni gente et fortia eorum, et cum caretis manganis et predariis et castris lignorum et pontibus, intraverunt in Lumilinam, et circa turrem de Rodobligo castramentati fuere; eamque turrem cum manganis et predariis viriliter expugnaverunt. Die vero dominica[a] sequenti, 6. Kal. Septembris, eam ceperunt et habuerunt; ipsam quoque destruxerunt et diruerunt. Deinde semoti, circa locum de Sarturana sua fixere tentoria, quem locum obsiderunt et expugnaverunt. In cuius obsidione steterunt per quindecim dies et plus. Cum autem vidissent et cognovissent dictum locum per vim haberi minime posse, ab illius loci obsidione secesserunt. 1216, 7. Kal. Septembris Cremonenses milites et pedites cum omni Aug. 26. gente et forcia eorum et cum cariolis de subtus a castro Novo in Sarmuris hospitati fuerunt. Altera vero die Parmexani milites et pedites cum cariolis et cum omni genti eorum et Mutinenses et Mantuani qui in eorum venerant succursu, ea die in ipsa intraverunt expeditione. Die vero dominica veniente, 5. Kal. Septembris, armati et asclerati cum cariolis et cum universo exercitu desuper Florenzolam per ipsius loci canpaneam pergentes, Clozam[84] et Clavenam transeuntes et explanantes, villam Ursaorie et Ceriani atque Carpeneti 84 et Placentini atque Trabaciani conbuserunt; et die Lune inter Carpanetum et Cerianum fuerunt castramentati. Die Lune sequenti armati et asclerati cum cariolis et cum uni- Aug. 29. verso exercitu versus Ponterium venientes, villam Montenarii et Zeni atque Paderne et Albonasii igne cremaverunt; et ea die inter Pontenurium et Casam Dei iuxta stratam Romeam sua fixere tentoria. Placentini autem milites et pedites ea die summo mane usque ad Mortale equitavere, ibidemque usque ad horam none moram fecerunt. Videntes interim eiusdem civitatis rectores, locum Pontenurii minime defendere posse, ad illum accedentes locum, milites et pedites omnes, qui pro ipsius loci munitione in ipso intraverant, de eo expulerunt loco. Percipientes vero illi de castro Arquato et sagitarii vallis Tarrii et Zeni, locum Pontenurii fore derelictum, in ipso intraverunt loco. Similiter quam plures nostre civitatis milites et pedites cum illis ad illum accesserunt locum, credentes et sperantes dictum locum ab inimicis egregie posse tueri. Et ita usque ad horam none apud Mortale permanentes, audito quod Mediolanenses in nostram civitatem in auxilio nostro accedere festinantes, illic Placentie militia versus Pontenurium iter suum direxi. Cum autem Nuriam iuxta ecclesiam et usque ad caput burgi Placentini milites appropinquarent, videntes per Pontenurium Cremonenses ab utraque ipsius loci parte, ipsos qui in ipso aderant loco et capientes et percutientes et vulnerantes, et vix captis armis insultum super nostros fecerunt, et tubis per partes sonantibus prelium incipitur, et tensis aquilis ab utrisque certatum est. Milites quoque Cremone et Parme innumerabiles in ipso prelio fuerunt vulnerati, et quam plures ab utraque parte interfecti, destrarios quoque in certo[b] numero in ipso prelio perdiderunt, quos Placentini habuerunt et domum duxerunt. Nostri quoque acerimo et fortissimo ipsos Cremonenses aggrediuntur impetu, et vi maxima ab illis se conantur defendere. Et dum hec geruntur et ab utraque parte pugnatur, Placentini intuentes multitudini eorum minime resistere posse, retro iter eorum aggredientes, tamen cum eis semper pugnantes et insultum super eos pluries facientes, usque ad Montale redierunt. Quos Cremonenses et Parmexani, Mutinenses et Mantuani usque ad locum Montalis insecuti fuere; et ibidem Placentini bellicose conati sunt eis resistere. Cum autem sic certarent, sero iam appropinquante, vexilla duo comunis Mediolani cum tubis et cum aliquibus eiusdem urbis militibus, qui ad nostram accesserant civitatem, in ipso intravere bello. Visis vexillis et tubis Mediolani a Cremonensibus et Parmensibus auditis, illico redire ceperunt. Placentini vero cum ipsis Mediolanensibus ipsos insequentes, cum illis quoque pugnantes, eos usque in Nuriam impulerunt. Verum quia nigra nox accesserat, et utriusque partis vulnerati erant milites plurimum nimioque fatigati labore, innumerabiles equi Cremonensium et Parmensium vulnerati et interfecti, utraque pars voluntarie secessit. In quo prelio Placentini ceperunt circa centum milites de maioribus et melioribus Cremone et Parme; inter quos fuit Ysaac de Dovaria, tunc temporis Parme potestas. De Placentinis capti fuere inter milites et pedites in equis et in iumentis circa 60, inter scuderios et

a) V. Kal. Sept. *ut infra*. b) cō *codex*. 84) Chiozza supra Florenzuola. E. P.

1216. rusticos circa 300, quos in loco Pontenurii sedentes et iacentes desarmatos invenere. Alia die apud Pontenurium Mediolanenses expectantes cum ipsis dictos insequentes ultra Clavenam de subtus a Fontana per unum miliarium, Cremone militiam et magnam partem populi invenientes, qui retro pro aliorum munitione remanserant, prelium cum ipsis ad exitum fossati inierunt, et ab utraque parte valde pugnatur. Innumerabiles quidem de ipsis Cremonensibus fuerunt vulnerati, milites vero mortuos et semivivos et in campo et in nemoribus vulneratos propter calorem nimiumque laborem relinquere; destrarios et equos innumerabiles in ipso bello perdiderunt, et interfecti fuerunt. Audito clamore belli ab illis qui precedebant, statim per nemora et loca deserta fugientes usque in civitatem Cremone fugam fecerunt. In eo autem bello capti fuerunt de Cremonensibus circa 20 milites. 1216. indictione 5, mense Septembris, Placentini elegerunt in potestate domnum Lanfranchum de Ponte Carario, de Brixia, qui eo anno civitatem Brixie rexit.

1217. Mai 31. 1216. indictione 5. facta est pax et concordia et sacramentis firmata inter Mediolanenses et Placentinos et suam partem, et Papienses et suam partem preter Cremonenses. Et hoc fuit actum in civitate Placentie in palacio eiusdem civitatis die[a] Mercurii pridie
Iun. 7. Kal. Iunii. Die Mercurii sequenti levatus et electus fuit in episcopum Placentie domnus Iohannes de Petris Dolcis[b] de civitate Rome, vicedomnus maioris ecclesie Placentie. Die Mercurii, 7. eiusdem mensis Iunii, Mediolanenses extraxere foras carocium in terram inimicorum eorum Cremonensium, publice et palam in contione ire statuentes. Die vero Martis,
Iun. 20. 12.[c] Kal. Iulii. Mediolani potestas et carocium civitatem Mediolani exierunt versus terram
Iun. 27. Cremonensium pergere properantes. Die Martis 5. Kal. Iulii milites de tribus portis Placentie, scilicet porte sancte Brigide porte Mediolanensis et porte Gariverti, et ipsarum portarum populus atque vallis Tidonis vallis Nurie et Trevie et vallis Tarii et vallis Ceni sagittarii civitatem Placentie exierunt in succursum et auxilium amicorum nostrorum Mediolanensium proficisci properantes. Et eadem die apud Laudem ultra Aduam albergaverunt. Altera die apud Cremam ultra Serium hospitati fuerunt. Mediolanenses vero in terram Cremonensium intraverant et prope Rumariengum castrum Cremone suas fixere albergarias; et ea die castrum Trivuli per vim ceperunt et destruxerunt, in quo circa 60 homines habuerunt quos
Iun. 29. vinctos[d] et incarceratos secum duxerunt. Die vero Iovis sequenti Placentini et Mediolanenses insimul se coadunantes, apud Zovenoldum castrum Cremone castramentati fuerunt; et ea die ipsius loci burgum maiorem et meliorem Pontenurii ceperunt destruxerunt et conbuserunt, vineas quoque arbores et alias res que erant circa ipsum locum depopulati fuerunt.
Iun. 30. Die autem Veneris sequenti castris eidem loco existentibus, milites Mediolani et Placentie cum eorum sagittariis et marchione Malaspine equitaverunt, locum Sorisini et castrum Grutorti et burgum de Cale Morato et locum Anne ceperunt et conbuserunt; vineas quoque multas circa locum Sorixini, arbores et alias res inciderunt et vastaverunt. Die sabbati, primo
Iul. 1. mensi Iulii, sua similiter moverunt castra; circa castrum Alzanelli sua posuerunt castra; quod castrum undique erat muratum. Illud quidem diruerunt et penitus destruxerunt; burgum quoque magnum, quod circa illud castrum erat, igne cremaverunt. Et ea die castrum et burgum de Platabixa similiter diruerunt et destruxerunt, et arbores et vineas et alias res
Iul. 2. inciderunt. Die dominico, secundo eiusdem mensis Iulii, castris ibidem existentibus milites Mediolani et Placentie cum eorum sagittariis et alii omnes, qui in eorum venerant auxilium armati et asclerati ad casale Butanum perexere, ad quem[86] Cremonenses iam accesserant et vexilla super arboribus posuerant, qui a civitate Cremone per quinque distat miliaria. Qui[e] inimicos videntes, illico ab ipso turpiter recesserunt loco; quem ipsis videntibus conbuserunt et destruxerunt; et ea die Zinonum curtem de Richis, Caserdum castrum de Curtisiis, Baxolum et Bredolanum, Sanctum Vidum, Bardemam, Monestarolum cum burgis eorum ceperunt et destruxerunt et igne cremaverunt. Similiter quam plures Placentie milites cum aliquibus eorum civitatis sagittariis ad castellarium de casale Morato ivere; illud quidem viriliter expugnaverunt, et quod per vim ceperunt, illud et blavam multam et vasa innumerabilia
Iul. 3. et alias res que in ipso aderant loco, ceperunt et conbuserunt. Die Lune veniente castra moverunt armati et asclerati venientes, omnia fossata et pantana transeuntes et etiam aliquem de inimicis minime invenientes, sua inter Zovenoldum et Sentinum posuerunt

a) pridie *cod.* b) Leonis *Ed. P.* c) XXIII. *c. sed nonnisi* XII. *legendum inde redit quod dies Martis post Idus proximus in XII. Kal. Iul. cadit.* d) victos *c.* e) que *c.*

86) scil. locum.

tentoria. Cum autem die Martis, 4. mensis Iulii, summo diluculo proposuissent movere castra, 1217.
Cremone potestas instrumentum publicum ea predicta die Lune Mediolani potestati direxit;
in quo continebatur, si moram ibi usque ad aliam diem ad horam none facerent, quod belli
fortunam cum eis temptarent. Super quo habito conscilio, placuit sapientibus ibidem
moram facere debere; et responsionem in hac forma potestati Cremone fecerunt: scilicet,
quod ea die et die sequenti et altera die venienti eos invenire poterunt. Terras eorum,
villas et[a*] domos vineas et arbores igne cremaverunt, incidentes et destruentes ad magni-
tudinem et ad honorem sublime civitatis Mediolani et Placentie et omnium amicorum eorum,
et ad obprobrium pariter et detrimentum civitatis Cremone et amicorum eorum. Die Martis Iul. 4.
predicta post horam tertiam tam pedites quam milites omnes de exercitu armati pariter et
asclerati versus Zovenoldum redientes, Cremonenses et Papienses ibi expectantes, aliquem
eorum minime videntes, moram usque ad nonam facientes, cum omni exercitu inde re-
dientes, temptoria iuxta Suncinum figi preceperunt. Die vero Mercurii, 5. mensis Iulii, Iul. 5.
burgos duos magnos circa castrum Sentini positos, domos et caminatas magnas et muratas,
molendina quoque magna et murata, arbores et vineas et alias res que erant circa Sen-
tinum positas, inciderunt et destruxerunt et igne cremaverunt. Die vero Iovis proxima Iul. 6.
castris ibidem morantibus villam Florani et Garivani, arbores et vineas, legnamina multa
depopulari fecerunt, inimicos etiam eorum Cremonenses similiter expectantes.

Die vero Veneris, 7. mensis Iulii, castra moventes prope Curtem novam in villa de Covo Iul. 7.
de Corveto loco Cremonenses castramentati fuere, ea que ibi invenere destruentes et con-
burentes. Altera die Placentini Laudam venerunt ad Placentie civitatem accedere festi- Iul. 8.
nantes, audientes et intelligentes quod Cremonenses cum Parmensibus in terram Placentie
intrare proposuerant; quod facere ausi minime fuere, timentes de adventu Placentinorum
et Mediolanensium inimicorum eorum. In illa autem expeditione quoddam fuit prodigium,
quod oblivioni non est tradendum, sed potius memorie retinendum: videlicet quod aliqua
musca ravanus atque zinzala in illo fuit nec apparuit exercitu.

1216. 13. Kal. Octubris Placentini milites cum sagittariis eorum et cum mille militibus Sept. 19.
Mediolani intraverunt in terram Parmensium in partibus videlicet montis Salsi et Greci,
villas quoque et domos que erant in ipsis curiis conbuserunt, et castrum Rudiliani et domos
que erant circa Corvam conbuserunt et igne cremaverunt; et tunc habuerunt et ceperunt
70 homines illarum partium. Eodem mense vicedominus ecclesie Placentie prepositus in
episcopum Placentie fuit elevatus.

1219. Otto Romanorum imperator obiit de mense Madii. 1219.[a] indictione 6. in consulatu 1218.
Presbiteri Cazie, Iacobi de Bona Corigia, Grandulfi de Fontana, Petratii Pasatalde, Alberti
de Montecuco, Sani Surdi et Roclerii Bonefacii consulum comunis Placentie, dicti consules
circa Kalendas Februarii treuguam cum Parmensibus et Cremonensibus voluntate quorumdam
Placentie civium ac[a'] conscilio sacramentis firmaverunt. Verum quia ipsa treugua absque[b]
consensu et voluntate amicorum nostrorum Mediolani et civitatis Placentie populi et quam
plurimum nobilium eiusdem civitatis virorum facta fuerat, quod ad obprobrium et detrimentum
eiusdem civitatis et amicorum nostrorum spectare videbatur, ingens seditio inter populum et
predictos consules et eorum sequaces est exorta. Cum autem ipsi consules super predicta
treugua facienda procedere vellent, populus et nobiles civitatis Placentie viri qui cum eo erant,
societatem insimul sacramentis contraxere et coroboravere, statuentes et adfirmantes ipsam
treuguam nullo modo firmam et ratam habere et omnimode ipsam infringere[c]. Cognoscentes
ipsi consules illos de societate[c'] ab incepto desistere nolentes, sed magis magisque efficaciter
insistentes; cum autem diu super propositum eorum laborassent nec ad finem perducere
posse percipientes, habito a sapientibus eiusdem civitatis conscilio, quod de illo minime
sacramento tenebantur cum absque voluntate populi et fere nobilium Placentie illud fecerant,
concordes extraendi carocium cum Mediolani legatis qui in nostra aderant civitate fuere.

Die vero Martis, 4. Kalendas Madii, in festo beati Georgii[d], magna cum letitia ad
honorem et magnitudinem civitatis Placentie et sublime urbis Mediolani foras extraxere
carocium. Et ea die Mediolanenses similiter suum foras misere carocium, in terram

a) 1218. *legendum esse, indictio et chartae Placentinae et Cremonenses ab editoribus Parmensibus laudatae comprobant.* a') at *c.* b) *vocem supplevi.* c) infingere *cod.* c') societa *c.* d) *quod si festum Georgii die* 23. *Aprilis celebre hic indicatur, dies Lunae* VIII. Kalendas Maias *emendandus erit.*

1218. quoque inimicorum nostrorum divina favente gratia ire proponentes. Die vero dominica proxima, 3. Kal. Madii, Cremonenses et Papienses similiter foras sua extraxere carocia. Die Iun. 1. vero Veneris, primo mensis Iunii[a], Mediolanenses et eiusdem civitatis carocium Padum transierunt, et inter pontem et fontem et in illis partibus cum Placentie carocio albergavere. Iun. 2. Die sabbati, 2. mensis Iunii, Placentini et Mediolanenses in Salmuris et in Prato de Rege castramentati fuere. Diem quoque sanctum pentecostes ibidem celebraverunt. Die vero Iun. 5. Martis, 5. eiusdem mensis Iunii, castra moverunt, et iuxta castrum de sancta Cruce sua fixere tentoria. Altera die illud castrum cum domignono undique murato et cum turre magna et villam Lardule destruxerunt et diruerunt, et conbuserunt segetes, et vineas et arbores depopulati fuerunt. Predicta die Cremonenses cum carocio et Parmenses cum carocio et cum Mutinensibus et Regensibus et aliis eorum amicis, qui omnes Burgum aderant, credentes nos Burgum ire debere, iuxta locum de Carpianeto[b] albergaverunt. Altera die, Iun. 7. scilicet die Iovis, 7. mensis Iunii, Mediolanenses cum carocio et cum omni gente eorum, Placentini quoque cum carocio et cum universa gente eorum, et omnes alii eorum amici qui in eorum venerant auxilio, de castris exierunt, et armati et asclerati ad locum de Gibello iverunt; in quo Cremonenses et Parmenses et alii eorum amici fossatis et aliis magnis munitionibus erant muniti pariter et inclusi a Mediolanensibus. Ubi magno impetu et clamore super eos insultum fecerunt, et tubis per partes sonantibus prelium incipitur. Quod prelium duravit ab hora none usque in sero; in quo prelio ab utraque parte multi fuere capti; innumerabiles vero destrarii fuerunt vulnerati et interfecti. Videntes autem, propter noctis obscuritatem et ipsius loci munitionem et fortitudinem, quod inceperant ad Iun. 8. finem minime perducere posse, ad castra rediere. Die Veneris moram ibidem fecere. Altera die castra moventes, iuxta castrum de Buxedo sua fixere tentoria, quod erat turribus magnis et aqua undique circumdatum et muratum. Et ea die illud ceperunt et diruerunt. Iun. 10. Altera die castramentati fuere iuxta Burgum; altera die fossatum quod Parmenses et 88 Burgum fecerant, a Burgo usque ad Roagiam[88] explanavere; turrem de Roagia et turrem desuper in quodam podio posita destruxerunt et diruerunt. Illud quidem Placentie milites transeuntes castrum et villam de rivo[c] Sanguenario et casale Barbatum et totam Motam et multa alia loca fere triginta ceperunt et conbuserunt. Die Mercurii precibus et amore abbatis comunis Placentie, qui in ipsa venerat expeditione pro pace inquirenda et conponenda, instantes[d] nobis ut redire deberemus, volentes petitioni et voluntati eorum[d] satisfacere, de iurisdictione inimicorum exeuntes, ea die ad rivum Inglum hospitati fuere. Alia die reversi sunt ad propria.

Iul. 4. Die Mercurii, 4. mensis Iulii proximi sequentis, Cremonenses explanaverunt fossatum quod est desuper Florenzolam; illud transeuntes, arbores et vineas que in illis partibus invenerunt per villam Luxeraschi usque ad Sanctum Laurentium destruxerunt et inciderunt. Et ea die in Salmuriis hospitati fuere; alia die per vallem Longene equitantes et per vallem Sustironis Burgum redeuntes, arbores et vineas et segetes et ea que invenerunt destruxerunt et conbuserunt.

Ea autem die milites Florenzole cum aliquibus Placentie militibus in terram Cremone equitavere, per viam scilicet quam Cremonenses per quoddam nemus fecerant. In cuius exitu[e] invenerunt Cremonenses, qui pontem per quem transierant custodiebant; quibus visis prelium cum eis inceperunt circa centum decem, quos victos duxerunt et in carcere recluserunt.

Iul. 7. Die sabbati, 7. eiusdem mensis Iulii, Placentini et Mediolanenses milites intraverunt in terram Parme, in curia scilicet Curticelle; caminatas et domos et segetes et arbores et vineas, quas in illis partibus invenerunt, destruxerunt, inciderunt et conbuserunt.

Aug. Eodem anno mense Augusti proximi sequentis placentini minuti, qui dicuntur quarteroli, et placentini grossi, quorum quilibet valet[f] sex denarios, de placentinis veteribus, qui modo sunt, facti fuere. De eodem mense porte, scilicet porta de Puteo Sulberto[89] et porta de Strata Levata, incepte fuerunt in civitate Laude. 1218. indictione 7, 15. die Nov. mensis Novembris Mediolanenses et Placentini et omnes alii de eorum parte iuraverunt

a) iulii *c.* b) campianeto *c.?* c) uno *c. cf. supra anno* 1188. d) *ita c. abbas igitur cum sociis instabat.* e) exercitu *c.* f) velet *cod.*

88) Rovacchia. EDD. P. 89) Editores Parmenses *Fulberto* legendum et utramque portam non Laudenses sed Placentinas fuisse adnotant.

attendere et observare precepta domni cardinalis legati summi pontificis super pace sive [1218.] treugua conponenda inter Mediolanenses et Placentinos et suam partem, et Cremonenses et Parmenses. Primo introitu eiusdem mensis iuraverunt attendere et observare precepta domni cardinalis pro predicto facto.

1218. indictione 7. mense Ianuarii Placentini elegerunt in potestatem et rectorem civi- [1219.] tatis Placentie domnum Guidonem de Busti de Mediolano.

Ad notitiam ac memoriam christianorum omnium pervenisse nullatenus dubitamus sed liquidum pariter et manifestum omnibus indubitanter putamus, qualiter gens transmarina pro animarum eorum redemptione pro terra sancta ultramarina a manibus sancte crucis inimicorum liberare defendere ac manu tenere, multis periculis variisque laboribus sunt astricti[a] plurimumque fatigati. Cumque in presentia horum rex Ierosolimitanus, vir egregius, magne fidei et discretionis, providus et discretus, atque[c] urbis Romane cardinalis eximie nobilitatis et prudentie, cum aliis viris nobilibus et potentibus atque cum omni exercitu christianorum, qui in auxilio sancte terre proficiscebatur, in obsidione Damiate[d] per duos annos et quatuor menses stetissent, auxilio domni nostri Iesu Christi in millesimo ducentesimo decimo nono de mense Novembrio in festo beati Leonardi dictam civitatem [Nov. 6.] ceperunt, et ipsam et centum[e] homines qui in ea aderant civitate, cum omnibus diviciis et rebus habuerunt.

1219. indictione nona[f] de mense Novembrio Placentini in pleno conscilio ad campanam colecto domnum A.[90] civitatis Bononie virum nobilem et prudentem, in potestatem [90] elegerunt. Et eo tempore inter populum et eiusdem civitatis milites propter quedam populi capitula ingens crevit sedicio, que[g] rectores civitatis populi in brevi communis esse mittendi volebant, que plurimum dispicienda contradicebant milites[h]. Verum quia illi de populo coniurationem insimul fecerant et omnimode militibus contradicebant, omnes viri nobiles et potentes civitatis Placentie se confirmaverunt.

1220. de mensibus Madii Iunii Iulii fere omnes milites Placentie extra Placentie civi- [1220.] tatem exierunt, et per castra, loca et villas Placentie districtus ad habitandum iverunt.

Eodem anno de mense Septembri Rogerius Federicus Romanorum rex primo intravit [Sept.] et venit in Lombardiam, quando ibat Romam pro corona habenda et a summo pontifice recipienda. Die dominica 10. Kal. Decembris proxima domnus Federicus coronatus fuit rex Romanorum a summo pontifice in civitate Romana.

1219.[i] die Martis, 9. Kal. Aprilis, cum homines Rivalgarii qui parti[91] favebant, crederent [1220.] et sperarent castrum Rivalgarii posse tenere et defendere et ad honorem populi manu [Mart. 24.] tenere, cum viris popularibus, qui in ipsius castri custodia existebant, caminatam illorum de Pigazano et ipsius loci turrem, que pro militibus tenebatur et custodiebatur, ipsam caminatam per vim ceperunt. Hoc audito a societatis militum consulibus et militibus qui in ipsis aderant partibus, illico ad partes Rivalgarii accesserunt, nuntios quidem suos per Placentie districtum mittentes, ut tam milites quam pedites sagittarii et balestarii ad illas partes accedere deberent. Die vero proxima in villa Duliarie et in domibus que sunt iuxta plebem hospitati fuere; altera die castra moventes, ipsam villam et domos conbuserunt, et res quas homines Rivalgarii in ipsa plebe confugerant rapuere et abstulere; postea versus castrum pergentes, ipsius castri burgum, quem rostis et aliis munitionibus munierant, per vim ceperunt. Illud quidem castrum undique obsiderunt, et in ipso castro multos lapides cum predariis proiecere. Cum autem die dominica proxima ad illud castrum expugnandum forent, intrinseci timore perteriti, videntes se non posse resistere, illud castrum consulibus societatis militum reddidere, preceptis quoque eorum sine aliqua conditione iurantes, excepto quod populares et domnum Guelsum, qui ipsi castro preerat, sine impedimento Placentie redire concesserant[k].

Die dominico, pridie Kal. Martii, domnus Guillelmus Becutus de Camino potestas Pla- [Febr. 29.] centie[92] primo intravit in districtum Placentie, et die Lune, primo mensis Martii, venit

a) astructi *c.* c) *cardinalem hic haud diversum a rege haberi, perperam scribunt editores Parmenses.* d) daniate *c.* e) *ita codex.* f) VIII. post 23. Sept. g) *ita c. scilicet* capitula. *Sententia igitur intellectu facilis.* h) *vocem supplevi.* i) MCCXXI *c. sed dies 24. Martii in diem Martis anno nostro 1220 incidebat, cuius ea pars ad a. 1219. Placentinum pertinet.* k) concesserat *c.*

90) Andalum de Andalis. EDD. P. 91) scilicet populi. 92) scilicet militum.

1220. Potentianum[a]; ubi Placentie milites pro ipso loco faciendo et construendo aderant. Die
vero Lune, 9. mensis Martii populares tam milites quam pedites sagittarii et balestarii ad
94 conburendum locum de Capinaldo[94] iverunt. Hoc audito a militibus qui apud Potentianum[b]
aderant, statim ad illas accedere partes, populum quidem Placentie desuper a ponte Trevie
prope domum Serii Dei invenerunt; clamore ingenti undique facto omnium illarum partium
milites ibi confluxerunt[c]. Qui cum popularibus prelium incipientes, super eos impetum
pariter et insultum pluries facientes, ipsos usque in ripa Trivie expulerunt. Videntes
populares se non posse resistere, perteriti terga vertentes, de ipsa ripa in Trevia se pro-
iecere, et omnibus armis ibi relictis fugam petierunt. Quam plures vero gladio et in ipso
fluvio morti tradiderunt. Sexcentum et plus de illis, quos voluerunt, habuerunt et cepe-
runt, quos in Florenzolam et in castro Arquato recluxerunt, alios vero fugaverunt et caza-
verunt usque ad civitatem. Rostas innumerabiles de eis habuissent et cepissent, si capto-
res ibi fuissent; existentibus tunc potestatibus populi Grezo Furno cum Guidone de Crema.

1221. Die Mercurii, 8. mensis Aprilis, elegerunt in potestate Belengerium Mastagium civem
Cremone. 1221. indictione 9. die Mercurii, 5. Kal. Augusti, in civitate Bononie facta est
concordia inter populum et eiusdem civitatis milites per dominum Ugolinum episcopum
Ostensem[95] Romane curie cardinalem et totius Italie legatum. Et tunc Otto de Mandello
per eundem cardinalem fuit electus podestas civitatis Placentie. Die Martis, 15. mensis
Novembris proximi sequentis, fuit sturmum in civitate inter milites et populum Et tunc
ambe partes se iuraverunt cum Cremonensibus; et tunc tenuerunt illi de populo Ottonem
de Mandelo et iudices et milites et notarios eius.

1222. 1222. indictione 10. die sabbati, 13. mensis Augusti, Girardus de Dovaria Cremone civis
fuit electus in potestatem Placentie civitatis per archiepiscopum Madeburgensem[96], domni
imperatoris legatum, et ea die in Placentie civitatem intravit. Quo facto illico Placentie
milites insimul omnes apud Potentianum se coadunavere, qui sacramento firmaverunt,
ipsum Girardum pro potestate neque pro rectore habere, nec tenere aliquod sacramentum
pro eo nec pro eius nuntio facere. De eodem mense Augusti Placentini milites elegerunt in
potestatem Iacobum de Burgo, virum nobilem civitatis Cremone. Die sabbati, 6. Kal. Septem-
bris, idem Iacobus intravit in Florenzolam; die vero dominica sequenti ivit Potentianum.

In Christi sexta natalis maximus hora
Est terre motus per mundi climata factus.
Cuius in adventum liquido concussa fuerunt
Omnia, que telus portat vel sustinet orbis,
Anni cum Domini currebant mille ducenti;
His tamen adiungas bis denos[e] atque bis unum.

1223. Supradicta incarnatione circa mensem Februarii Placentini et eiusdem civitatis popu-
lares iuraverunt attendere precepta comunis Cremone super discordiis que inter eos
vertebantur. Die sabbati, 15. Kal. Aprilis, Cremone potestas ad Placentie civitatem acce-
dens, precepit Girardo de Dovaria eiusdem civitatis potestati[f] in pena sacramenti, ut re-
licta potestaria Cremonam rediret. Qui die Mercurii sequenti potestariam reliquit et Cre-
Mart. 19. mone rediit. Die dominica, 14. Kal. Aprilis, dictus podestas Cremone ivit Potentianum, qui
autem precepit Iacobo de Burgo societatis militum podestati, ut relicta potestaria Cre-
Mart. 20. monam rediret; qui die Lune sequenti Crembnam rediit. Die Iovis, 10. Kal. Aprilis, predictus
Mart. 23. podestas Cremone centum de militibus societatis militum ad civitatem accedere fecit, de
quibus a societatis consulibus militum quatuor pro podestate comunis eligenda petivit,
et totidem a popularibus. Qui consules dederunt ei Palmerium Brachium, et Baiamontem
Vicecomitem, et Albertum Rubeum et Fulconem Iniquitatis; qui steterunt in camera co-
Mart. 25. munis pro potestate eligenda usque ad diem sabbati proximum, non comedentes neque
bibentes. Qui cum illis, qui erant pro populo, accordari minime potuerunt. Qui cum in
Mart. 26. electione potestatis se accordare cum popularibus non potuissent, die dominica sequenti
predictus podestas Cremone precepit consulibus militum, ut darent ei 60 milites, et ex

a) potentiam c. b) pontianum c. c) conbuserunt c. e) denas cod. f) potestas cod.

94) hodie Campremoldo. EDD. P. 95) postea Gregorium IX. papam. 96) Albertum.

populo habuit totidem; de quibus militibus tres fuerunt electi ad brevia[a] et totidem de 1223.
popularibus, qui ea die in comunis camera fuerunt pro potestate eligenda inclusi. Hii
tres pro militibus fuerunt, scilicet Iohannes Surdus, Gandulfus de Fulgoso et Anricus de
Arena; qui steterunt cum popularibus in ipsa camera usque ad diem Veneris proximum,
qui fuit 9.[a] Kal. Aprilis. Ea vero die divina misericordia concorditer elegerunt in potestatem Mart. 31.
comunis Placentie domnum Nigrinum Marianum, virum nobilem et sapientem civitatis
Cremone, qui tunc regimen civitatis Mutine habebat. Alia vero die in festo beate virginis Mart. 25.
Marie mutata fuit incarnatio et cucurrit 1223. Qui podestas illico ad civitatem Placentie
iudicem et militem suum misit. Die dominica, 7. mensis Madii, domnus Niger Marianus Pla- Mai. 7.
centie podestas intravit primo civitatem Placentie pro regimine ipsius civitatis faciendo.

1224. in Kal. Aprilis domnus Ugo Angagnola de civitate Cremone electus Placentie 1224.
podestas intravit in regimen[b] ipsius civitatis.

1224. de mense Februarii milites et populares concorditer eligerunt in potestatem 1225.
domnum Lombardum Girazonem civem Cremone, cuius regiminis initium erat in Kal. Aprilis
proximi. Et eodem anno circa festum sancti Michaelis captus fuit Obertus de Iniquitate
cum aliis militibus, qui tunc erat potestas militum societatis militum Placentie.

1225. indictione 14, die Lune, secundo mensis Martii[c], domnus Pruinus de Incoardis
civis Mediolani fuit electus in potestatem Placentie. Die dominica sequenti dictus domnus
Pruinus in plena contione iuravit sacramentum regiminis civitatis Placentie, existente
domno Guazone in Potentiano per potestatem. Die Mercurii, primo mensis Aprilis, incepit
regimen dicte civitatis Placentie.

De colloquio celebrato ab imperatore cum Cremonensibus et Parmen- 1226.
sibus et Papiensibus in loco Burgi sancti Dompnini.

Invocato Iesu Christo
Dicto brevi super isto
Quedam feram ut gesserunt
Cremonenses ac fecerunt
Suis con sequacibus.

Cremonenses cum Papia
Quis[1] nunc odit Lombardia,
Affectabant pretaxatam
Alamanis fore datam,
Ut sic possent destrui.

Quare gressum direxerunt,
Velud multi modo ferunt
Ad inmensam maiestatem
Obtinentem potestatem
Totius Apulie.

Lombardiam pollicentes,
Ipsam quoque inducentes,
Ut intraret Lombardorum
Sapientium virorum
Confines in proximo.

Imperator hoc audito
Et confixus[2] eo dicto
Mox incepit advenire
Cum furo e sue ire
More Theothonico.

Sed Lombardi sunt astuti
Et in factis valde tuti;
Quare cito perpenderunt
Dolum, quem machinaverunt
Cremonenses perfidi.

Quare Mediolanenses,
Quorum pigri non sunt enses,
Separatis[d] Parmexanis
Sunt adiuncti Marchexanis[e]
Sociali federe.

Istis addo Placentinos
Simul atque Faentinos;
Et addendo Brixienses
Non excludam Bononienses,
Cum sint potentissimi.

Multas possem nuncupare
Civitates conputare
Inter loca iam predicta,
Nisi quia longa dicta
Generant fastidium.

Ipse venit cum forore[3],
Sed recessit cum dolore;
Magnam tulit dictionem[4]
Propter persuasionem
Cremonenses[5] fatuam.

a) *lege* II. b) regime *c.* c) incarnationis *c.* d) set paratis *c.* e) marthexanis *c.* *Ant.*

1) i. e. quos. 2) i. e. confisus. 3) i. q. furore. 4) i. e. magniloquus fuit. 5) i. e. Cremonensium.

1226. Hic profectus est Ravenam,
Que fetentem habet venam;
Ibi pasca celebravit
Apr. 19. Atque gentes congregavit,
Sicut ipse potuit.

Hocce actum[a] fuit vere
In Aprili et in vere,
Dum currebant anni mille,
Nisi sit deceptus ille
Qui dictavit ritimum[6];

His predictis adde centum
Cum viginti sex et çentum,
Et habebis conpillatum
Numerumque conputatum
Istius milleximi.

Et cum ista gererentur
Et undique dicerentur,
Bononienses — nam timebant —
Civitatem muniebant
Omni fortitudine.

Ad hoc dicam quod fecerunt:
Universi, iniunxerunt,
Ut deberent se aptare
Et decenter decorare
Armis et equis bellicis;

Hoc propositum habentes
Et nullo modo frangentes:
Si imperium[7] vellet transire,
Non permitteretur ire
Sine magno prelio.

Vidit autem imperator,
Thesaurorum cumulator,
Quod nequiret[b] vi transire
Neque[c] gentes convenire
In Cremona fatua.

Iussit ergo civitates,
Lombardie potestates
Ut tramitterent legatos
Armis et equis preparatos
Ad sui presentiam.

Marchexani viros multos
Et Lombardi iam prefultos
Transmiserunt tunc legatos,
Sed non armis preparatos
Sicut ipse iusserat.

Fertur autem, quod Parmenses,
Cremonenses, Papienses,
Deferentes secum arma
Accesserunt tunc ad arva
Civitatis Mutine.

Tamen non preterierunt
Nec transire presumpserunt,
Quia quisque dubitabat;
Unumquemque formidabat
Civitas Bononie.

Tunc Veronensis civitas,
Cuius est magna probitas,
Que Lombardum cupiebat
Statum, bene prohibebat
Iter regis filii.

Qui magna manu militum,
Tamen non credo peditum,
Festinabat ultra ire
Atque patri subvenire
In malo proposito.

Nunc ad patrem redeamus
Et de nato dimittamus,
Et dicamus sua facta,
Que iam viris non sunt grata
Suo infortunio.

Stetit ergo imperator,
Secularis legis lator,
Hinc ad diem summi Dei[8],
Qui dictavit crede ei
In Ravene partibus.

Ille dies, sicut credo
Et lectori vere edo,
Qui a Iove nominatus,
Sicut supra fui fatus[d],
Fuit Madii septimus.

Die sequenti proximo —
Vera loquor de pessimo —
In partibus Faentie[8']
Ut conpleat nequitie
Requievit opera.

In alio qui sequitur[9],
A suis equis vehitur
Ad civitatem propriam,
Que nunc amat perfidiam;
Iuxta ipsam comorans.

a) Hoc tactum *c.* b) nequire *cod.* c) Nec *c.* d) *ita correxit Bethmann.* fuit factus *c.*

6) i. e. rhythmum. 7) i. e. imperator. 8) Iovis, d. 7. Mai. 8') d. 8. Mai. 9) d. 9. Mai. Imolae; v. Boehmer Regesta Fr. 575.

Mai. 11. Die lunari regulus[10],
Cuius est nequam oculus,
Est is iuxta Medicinam
Bononiensium vicinam
Hospitatus imperator.

Die Martis[11] requiescit —
Nec Lombardus expavescit —
Aquarum inundantia
Quod fit Dei[a] iustitia
Iuxta dictum opidum.

Mai. 13 Et in die Mercurii[12],
Decimo mensis Madii,
Cui tertius iungatur
Ad hoc, ut vera fateatur
Qui dictavit ritimum,

Imperator furiosus,
Qui nunc viris est exosus,
Nullum ledens equitavit,
Quia suis commendavit,
Partibus[b] Bononie.

Quod ut vident Bononienses,
Quos nunc amant Melanenses[13],
Permiserunt eum ire
Atque castra stabilire
Inter se et Mutinam.

Post Mutinam perveniens,
Ibidem moram faciens
Mai. 17. Usque ad diem Domini,
Sicuti bene memini,
In qua venit Regium.

Eo die dominico —
Sicuti tibi crede dico —
Placentinorum milites
Atque eorum pedites
Firmaverunt colegium.

Mai. 18. Die Lune, veraciter
Et bene credo firmiter,
Qui Kalendarum Iunii
Est quindecimus socii
Parme sedit impius.

Tunc rectores Lombardorum
Et eorum sociorum
Statuerunt colloquium
Atque firmum conscilium
Mai. 25. In Valentini Mantua;

Ad quod direxit nobiles 1226
Et dimisit ignobiles
Illius viri[14] nuntium[15],
Qui Domini viventium
Sacra pago[16] conprobat.

Et cum eo misit duos[17],
Quos credebat esse suos,
Episcoporum presidem[c]
Milani neque desidem[d]
Ad sua conscilia.

Sed ne ritimi ditator[18]
Videatur blasphemator,
Istis iungat Placentie
Et Mediolani militie
Que est dona Provino[e].

Veronenses auxilio
Mediolani lilio
Aliarumque urbium,
Que dant sibi subsidium,
Instabant viriliter.

Neque transire dimittebant
Qui ad regem cupiebant
Accedere cum genito[19].
Hic sermonem dimittito[f]
Dum predicta fierent.

Dimittito si dixerim
Et calamum subtraxerim,
Me penitet; et ideo
Nunc ad scribendum redeo,
Locutus[g] aliqua.

Et in urbe Parmensium
Stetit[20], qui debet regium
Decus habere; rapitur
Et illi non permittitur[21],
Cum se male gesserat,

Hinc ad diem ut credimus
In quo regnat Deus sumus,
Qui mensis erat[h] Iunii
Tredecimus, o socii, Iun. 13.
Quo Burgum[22] accellerat.

Et cum filius videret,
Transitum quod non haberet
Ad suum patrem, rediit,
Retro conversus abiit
Urens Trentum[23] undique.

a) *vox excidit in c. suppl. Breholles.* b) partes *c.* c) presidem *edd.*; per fidem *c.* d) desidem *edd.*; defidem *c.* e) pro vino *c. fortasse legendum* que *scil. Placentie militia* sub domno Provino *potestate huius anni*; est *atramento evanido.* f) dimittato *c.* g) *fortasse* locuturus. h) *deest in c.*

10) i. q. anguis. 11) Mai. 12. 12) Mai. 13. 13) i. e. Mediolanenses. 14) papae Honorii III. 15) Conradum Portuensem episcopum. 16) curia? 17) patriarcham Ierosolymitanum et archiepiscopum Mediolanensem, ut videtur. 18) i. q. dictator. 19) Heinrico rege. 20) scilicet Fridericus, Maio exeunte et ineunte Iunio. 21) scilicet habenda curia in Cremona. 22) apud Burgum sancti Domnini Fridericus mense Iunio et diebus 5—18. Iulii moratus est; v. Boehmeri Regesta. 23) i. q. Tridentum.

1226. Tunc rectores se vocarunt,
Et de concordia tractarunt
Cum cardinali domino
Imperatoris nuntio
Mercarie[a] curia[24].

His diebus legatorum
Misit copiam suorum,
Ut ad eum accederent
Atque simul dissererent,
Urbes per Italicas

Hinc ad festum Iunii
Iun. 25. Sancti Iohannis domini
Ut secum in colloquio
Atque firmo conscilio
Tractarent honestissima.

Iun. 26 In die vero Veneris
Dictanti si crederis
Ad civitatem properat
Ipsum que[b] nunc vituperat[25]
Sexto ante Iulium.

In die vero sabbati
Iul. 4. Quarto de mense Iulii
Idem quoque imperator
Rationum confirmator
Ad Burgum revertitur.

Ea die accelerant
Et cum legatis properant
Rectores castrum nobile
Quod numquam fuit debile
Secum repugnantibus.

Istud castrum nominatur,
Quod a flore derivatur[c],
Florenciola domina;
Que est illarum regina
Suo benefitio.

Locus est in planitie[d],
Et est tam pulcher facie,
Quod omnes viri cupiunt
Et illuc ire gestiunt
Propter habundantiam.

Illic sunt fortes milites
Et fortissimi pedites,
Qui resistentes fortiter
Percutiunt viriliter
Inimicos undique.

Et hec sciunt Cremonenses
Atque nobiles Parmenses,
Qui iam eos impugnaverunt
Atque multum devastaverunt
Propter istum regem.

Sed ne nimis vos moremur[e],
Ad inceptum revertemur,
Et dicemus, quod fecere[f]
Atque cum rege gessere
Rectores Italie.

Ergo bene cognoscatis
Lectores, mihi credatis.
Quod imperator optimus
Animorum impius
Super omnes alios[g].

Nichil fecit cum nuntiis,
Quos tradere mendatiis
Nisus est. Hec ut viderunt,
Ad propria redierunt
Decimo[h] de Iulio.

Et in die qui sequitur, Iul. 11.
Contio hec colligitur,
Qua Lombardos[i] banizavit
Atque eos execravit;
Post de nocte refugit.

Et per Monbardoni montes
Ad Pontremuli[k] accessit partes.
Qui civitatis timens nequitiam,
Pisanorum ibi expectavit militiam;
Cum qua profectus fuit Pisis.

*De pace et concordia facta inter imperatorem et Lombardos per summum pontificem.* 1226. indictione 15. de mense Octubris legati summi pontificis cum domni imperatoris nuntiis Lombardiam intrantes, rectoribus societatis Lombardie et uniuscuiusque civitatis potestatibus ex parte summi pontificis precipientes, ut ad eius presentiam pro discordia, quam cum domno imperatore habebant, accedere deberent. Comunicato vero conscilio, legatos viros nobiles et prudentes ad summi pontificis maiestatem mittere statuerunt. De mense autem Novembri ipsi legati Bononiam accedentes, ibidem se expectantes, omnes se coad-

a) Macre *c.* b) quem *c.* c) *ita emendavi* deviatur *c.* d) placentie *c.* *Fiorenzuola in planitie sita est.* e) *ita corrigo* Sed nimis minoremur *c.* f) facere *cod.* g) alie *c.* h) Decimo *c.* i) Quia lonbardus *c.* k) Per Montremuli *c.*

24) cf. Friderici litteras ad Cumanos in Ghilini Annali di Alessandria p. 31. et Huillard II, 644.
25) scilicet Placentiam, ubi versificator scribit.

unaverunt. Die dominico 9.[a] Kal. Decembris, iter eorum proficiscendi ad Romanam curiam 1226. direxerunt. Qui a summo pontifice et a Romane curie cardinalibus atque viris nobilibus et magnatibus urbis Rome magnifice et decenter fuerunt recepti. De mense vero Decembri pax et concordia facta fuit per summum pontificem inter imperatorem et ipsos Lombardos.

1226. indictione 15. de mense Februarii Placentini eligerunt in potestatem domnum 1227. Guidonem de Landriano, civem Mediolani; die Martis intravit in regimine ipsius civitatis. Die Iovis 14. Kal. Aprilis obiit papa Honorius, et elevatus fuit papa Gregorius, qui erat tunc temporis cardinalis et dicebatur Hugolinus episcopus de Hostia.

1227. Placentini eligerunt in potestatem et rectorem domnum Abiaticum Marcellinum, 1228. virum nobilem et prudentem urbis Mediolani, qui 8. mensis Martii intravit in regimine civitatis Placentie.

*De itinere facto ab imperatore ultra mare, et de innumerabili multitudine virorum bellicorum coadunati apud Brundusium, quibus imperator noluit dare transitum.* 1226. Honorio papa existente in[b] ecclesia, Rogerio Federico Romanorum imperatore[c] regnante, eodem tempore gens transmarina et hospitalarii milites et alii viri nobiles et potentes a[d] perfidis paganis et Saracenis gravissime oprimebantur, astitiones[27] angustias tribulationes et passiones frequentissime sustinentes. Videntes autem ipsis resistere minime posse, comunicato conscilio virorum sapientum ad summi pontificis presentiam legatos viros nobiles et potentes, clericos et laicos, direxerunt. Qui ad Romanam curiam accedentes, ad pedes domni pape se representaverunt, instantes ei et attentissimis precibus illum inducentes et exorantes, ut operam efficacem prestare deberet ut viri nobiles et potentissimi et alii viri bellicosi et feroces in succursum pariter et subsidium christianorum ultra mare existentium, pro terra sancta manutenere et a sancte crucis inimicis defendere, proficisci procurarent. Quod summo pontifici et universe eius curie placuit, et iustum et conveniens esse videtur. Qui statim nuntios suos ad imperatorem misit, ut in colloquio cum eo convenire deberet. Cum autem in colloquio intrarent, dedit ei in mandatis summus pontifex, ut deberet potentes et feroces viros Imperii facere preparare, et ad suam presentiam sine longa dilatione accedere profecturi in auxilium christianorum. Similiter tactis sanctis euangeliis ab imperatore, terminum ei statuit et ordinavit, precipiendo ei sub vinculo iuramenti et excomunicationis, ut ad terminum statutum cum omni gente quam habere potuerit transmeare debeat. Iterum summus pontifex nuntios suos per universas provintias direxit, viris omnibus prudentibus et potentissimis ex parte Dei precipientes et in remissionem peccatorum eorum iniungentes, ut in succursum sancte terre pergere festinarent. Cumque hec acta fuissent, in predicta incarnatione die Iovis 14. Kal Aprilis obiit papa Honorius, et levatus fuit papa Gregorius. Eodem vero tempore 1227. de mense Madii, Iunii et Iulii innumerabilis multitudo virorum prudentium et bellicorum omnium regionum et provintiarum, scilicet Theothonicorum, Biemorum, Brienzorum, Saxorum[e] et aliorum in septemtrionali plaga habitantium, Anglicorum, Frixorum, Francorum, Provintialium, Yspaniorum et aliarum regionum in extremis partibus orbis existentium per Placentiam et Veronam ad domni imperatoris curiam de mense Madii, Iunii, Iulii perexerunt, sperantes et indubitanter credentes transitum, sicut summo promiserat pontifici, dare debere. Qui in partibus Apulie longam facientes moram, tacti ingenti morbo, gravissimis langoribus et infirmitatibus perpessi, innumerabiles sunt interempti et sepulti. Alii vero qui evasere, videntes se transitum habere non posse, ad propriam sunt conati redire patriam. Pauci enim viri nobiles et potentes cum imperatore remanserunt. Unde summus pontifex plurimum iratus et ingenti tristitia repletus, quadam die Iovis que dicitur sancta, coram universa gente que limina apostolorum Petri et Pauli visitaverat publice imperatorem anathematizavit et excomunicavit. Verumtamen volens nequitie et perfidie sue satisfacere, iterato terminum ei dilatavit, denuntiantes[f] eidem et indubitanter cognoscentes, si ad illum non transmeaverit terminum, per universum imperium excomunicaret et hereticum faceret eumdem denotare. Quo termino transacto, iuramento et excomunicatione spreta transmeare penitus recusavit, possessiones et iura sancte Romane ecclesie omnimode invadentes. Verum

a) *X. Kal. erat dominica.* b) *deest in c.* c) *imperator cod.* d) *deest in c.* e) *scixorum c.* f) *pluralis dignitatis ex bulla papae transscriptus esse videtur, sed et infra saepius adhibetur.* 27) i. e. astrictiones, constrictiones.

1228. ut iussa summi pontificis videretur velle observare, cum aliud haberet in corde quam proferet ore, cum aliquibus viris nobilibus et fere cum quinquaginta galeis ad transmarinas festinavit partes, in 1228. de mense Iunio. Videns autem domnus apostolicus eiusdem imperatoris vicarii regnum Apulorum et Sciculorum obtinentes ab incepto desistere nolentes, sed magis ac magis iura et possessiones sancte Romane ecclesie invadentes, propter quedam sceleratissima et indecentia et turpissima facta que ad summi pontificis audientiam etiam et cognitionem pervenerant, ipsum contra usum et naturam indecenter exercere; cognita quidem veritate, destructionem Romane ecclesie pariter et totius Italie desolationem omnimode statuere et ordinare proposuisse, et quod deterius et gravius videtur, in excommunicatione per tres annos perseverasse; habito quoque conscilio virorum sapientum et religiosorum, cum tam magne nequitie ac perfidie non esset adquiescendum: nuntios suos per universum direxit imperium, eundem excomunicatum et hereticum denotando; omnes vero aliqua fidelitate subiectos et vinculo sacramenti eidem astrictos[a] penitus absolvit et deliberavit. Cum summus pontifex cognosceret spiritali gladio[b] contra perfidiam ac nequitiam imperatoris suum minime posse exercere offitium, excomunicationem et mandata sancte Romane ecclesie minime timentis[c], habito quoque conscilio virorum sapientum clericorum et laicorum, auxilium a sancte Romane ecclesie fidelibus postulavit[d], cum sit astrictus iura et possessiones Romane ecclesie defendere et manutenere. Iustum enim et ydoneum videtur, resistere superbo ne possit superbiam suam exercere. Et quidam sapiens:
Prov. 26, 5. *Respondeas*[e] *stulto secundum stultitiam suam, ne sibi videatur sapiens.* Et alibi: *Bonum est resistere aliena rapientibus, ne ex consuetudine simile faciat. Raptores etiam, ne ab aliis*
Exod. 22, 18. *timendi sint, castiga et cohibe.* Item: *Ne paciaris maleficium vivere.* Postulavit igitur summus pontifex a rectoribus societatis Lombardie militum subsidium mense Septembri; qui cum ad eius presentiam pro iure et ratione sancte matris ecclesie protegenda et manutenenda convenissent[f], actum est et statutum a rectoribus predicte societatis. Et tunc quelibet civitas, prout ei statutum fuit, usque ad sex menses dare promisit et statuit ad comunis civitatis cuiuslibet expensas. Cumque ipsi milites equis et armis et indumentis et ornamentis pretiosissimis egregie et decenter essent preparati, credentes firmiter ad domni pape curiam accedere debere, misit nuntios suos, ut se sustinere deberent donec de eius fuerit voluntate et precepto.

1228. die Mercurii, 4.[g] mensis Octubris, Bononienses cum carocio et cum universa gente eorum militum peditum sagittariorum et balestariorum, et cum amicis eorum Florentinis, Faentinis, Ravenatibus, Imolensibus et aliis illarum partium, intraverunt in terram Mutinensium inimicorum eorum, terram quoque eorum depopulari et igne cremare proposuisse. Castramentati fuerunt namque circa castrum de Bazano; illud quidem manganis et predariis undique obsidentes, et equitantes per inimicorum terram, igne ipsam cremaverunt et conbuserunt. Die autem Veneris et die sabbati proximo Parmexani cum carocio et omni gente eorum militum et peditum exierunt civitatem, in succursum et auxilium Mutinensium amicorum pergere festinantes. Die vero dominica mensis veniente, Cremone milites et eius civitatis populares in auxilium Mutinensium proficisci festinaverunt. Et eo tempore Bononienses castra duo Mutinensium ceperunt; milites et pedites qui custodiendi causa in ipsis aderant habuerunt. Die dominica, 8. eiusdem mensis, Mediolani milites volentes subsidium Bononiensibus amicis eorum prestare, ut ad propositum eos possint revocare, iter eorum versus Cremam direxerunt, terram quoque Cremonensium devastare et conburere proposuisse. Die Mercurii et die Iovis proxima impetum in terram Cremonensium facientes, villas et loca multa conbuserunt, predam magnam armentorum inde ducentes. Similiter die Veneris, die sabbati, die dominico, die Lune, die Martis, die Mercurii et die Iovis per districtum Cremone equitantes, villas et loca fere usque ad civitatem conbuserunt. Die vero Lune, 10. Kal. Novembris, cum Cremonenses Parmenses et Mutinenses ad conbustionem cuiusdam loci Bononiensium redissent, percipientes Bononienses milites et alii, qui in eorum exercitu aderant, inter nonam et vesperas armati et asclerati versus inimicos equitantes et impetum super eos viriliter facientes, prelium magnum et iniquissimum incipitur. Preliatur et certatur gravissime ab utraque parte; multi ex utraque parte sunt capti, et ex Cremonensibus et Parmexanis et Mutinensibus innumerabiles sunt vulnerati, et quam plures

a) afflictos *c.* b) *ita corrigo* gaudio *c.* c) timens *c.* d) postularet *c.* e) *ita corr.* respondens *cod.* f) *vocem supplevi.* g) VIII. *c.*

1228.

viri nobiles et potentes gladio sunt interfecti mortui et sepulti. Quod bellum usque ad primam noctis vigiliam duravit. Nocte vero veniente utraque pars voluntarie secessit. Altera vero die Cremonenses et Parmenses ad propria redierunt. Bononienses quidem quod inceperant ad exitum perducere volentes, ad predicti loci obsidionem reversi fuerunt, illud etiam more solito cum manganis et predariis et aliis machinis fortiter expugnaverunt, atque per terrarum cavernas muri eiusdem loci fundamenta diruerunt. Steterunt namque in ipsius castri obsidione usque ad 13. diem mensis Novembris; quo peracto, discensione ingenti in Bononie popularibus orta, insania quoque repleti, quod[a] sepe et sepius in ipsis accedere cognoscitur, publice dicentes propter yemis et temporis gravitatem in eius loci obsidione stare neque permanere posse, contra podestatis Bononie preceptum domum redierunt.

1229.

Eodem tempore et sub eadem incarnatione de mense Februarii domnus Guifredus, Romane curie cardinalis in Lombardia legatus, precepit potestatibus et rectoribus uniuscuiusque civitatis Lombardie societatis ex parte summi pontificis, ut quelibet civitas, prout statutum erat, milites in auxilium et subsidium pro iure sancte Romane ecclesie manutenendo et ab inimicis sancte ecclesie defendendo mittere deberent. Qui iussa et mandata domni pape observare et facere cupientes, prout olim decretum fuerat, milites viros nobiles et prudentes, equis et armis egregie preparatos, statim ad summi pontificis presentiam direxerunt. Milites vero Placentie qui fuerunt numero 36, die Mercurii 7. mensis Martii iter eorum incipiunt; sed cum non essent adhuc rebus necessariis preparati, sumptus, quos a comuni percipere debebant, minime habuerunt. Domnus Pernixius Ardezonus, dominus et rector eorum a communi constitutus, predicta die iter suum incepit et de civitate Placentie exivit. Die Mercurii 14. mensis Martii alii milites secuti sunt domnum Pernisium.

De eodem mense et predicta incarnatione Placentini domnum Guillelmum Saporitum, virum nobilem et prudentem urbis Mediolani, in potestatem et rectorem civitatis Placentie elegerunt. Qui die Veneris, 9. mensis Martii, in ipsius civitatis regimine intravit.

1229. domnus Guillelmus Saporitus Placentie potestas, cognoscens iura et rationes quas comune Placentie habet ex pacto et concordia inter domnum episcopum Bobii et comune Placentie facta, versus ipsos Bobii et ipsam civitatem, cupiens tamquam vir providus et prudens prompto iura comunis Placentie manutenere et illesa conservare, nec in aliquo deficere, legatos viros nobiles et prudentes ad ipsam direxerunt civitatem, instantes omnimode et ipsius civitatis hominibus precipientes[b], ut Placentie potestas precepta precise et sine aliqua conditione facere deberent. Quod quidem facere recusantes, dictus domnus Guilielmus Placentie potestas in 1229. die dominica 6. mensis Madii in publica contione protulit, et terminum ipsis Bobii statuit usque ad tertium diem; ad quem si non venerint parati iurare sua precepta ad eius intellectum, ipsos Bobii tam in rebus quam in personis diffidavit. Ad quem terminum ad eius presentiam minime[c] accedentes, sua precepta facere negliserunt[28]. Unde ipse potestas hoc commotus, illico per civitatem fecit preconari, ut tam populares quam milites qui armis et equis erant preparati, ipsum persequendum esse, cum sua audirent signa. Similiter nuntios per Placentie districtum direxit, ut armis equis manariis[29] securibus et aliis feramentis pro guasto faciendo necessariis essent aptati. Die Iovis 10. mensis Madii et die Veneris proximo civitatis populares, tubis et tintinabulis auditis, statim civitatem exierunt. Nocte adveniente Placentie milites eos persecuti[d] fuerunt. Iter quoque eorum versus Bobium direxerunt. Die autem sabbati proximo cum viris extrinsecis se coadunantibus in terram quoque Bobii intrantes, de subtus a villa Sancte Marie et Degarie[30] sua posuerunt castra. Ea vero die segetes et legumina vineas et arbores que in illis aderant partibus conbuserunt et depopulati fuerunt. Die etiam dominica venienti, sumpto potu et cibo, voce preconis audita armati et asclerati ad planitiem iuxta Bobium pergere festinaverunt, affectantes vineas et segetes legumina[e] et arbores incidere et conburere et suppeditari, et omnia que erant circa civitatem depopulari, et non solum incidere et depopulari, verum etiam civitatem viriliter expugnare. Videntes autem Bobienses, ab incepto desistere Placentinos nolle sed magis ac magis versus civitatem velociter pergentes, tamquam viri prudentes guastum neque dampnum sive hoc infortunium sustinere nolentes,

a) *vocem inserui.* b) perc. *c.* c) *hanc vocem post* facere *sublatam, hic statui.* d) *loco* prosecuti *saepius in c.* e) legimina *c.*

28) i. e. neglexerunt. 29) i. e. falculis. 30) Daghera prope Bobium. EDD. P.

1229. habito quidem conscilio, consules Bobii et eiusdem civitatis consciliarii extra civitatem exeuntes ad Placentie potestatis presentiam se representaverunt, parati precepta potestatis omnimode iurare. Quo facto ipse potestas conscilio comunicato et deliberato virorum sapientum, ipsos Bobienses in defensione pariter et protectione comunis Placentie recepit. Qui ibidem die dominica 12.ᵃ mensis Madii ad intellectum potestatis et sine aliqua conditione precepta potestatis et comunis Placentie precise iuraverunt. Hoc ita peracto, referamus gratias Christo, a quo cuncta procedunt, et sine quo nil fieri potest; dedit parabolam universis in ipso exercitu existentibus. Qui gaudio magno ad propria sunt reversi, divina favente gratia.

1229. preconari per civitatem fecit domnus Guillelmus Saporitus Placentie potestas, ut milites et pedites equis et armis essent preparati ipsum persequendi, cum sua audierint signa. Facta vero electione, prout Placentie consciliarii statuerunt, ut tria milia peditum et militum omnes equos habentes cum viris extrinsecis in expeditione super Pontremulen-
Aug. 22. sibus inimicis nostris statuta pergere deberent; quo facto die Mercurii 11. Kal. Septembris
Aug. 23. et die Iovis sequenti, tubis sonantibus, tintinabulis pulsantibus, voce preconis audita civi-
Aug. 25. tatem exierunt, iter eorum versus vallem Tarii dirigentes. Die autem sabbati cum hominibus extrinsecis apud Burgum de valle Tarii se coadunaverunt. Die dominica 7. Kalendas[b]
Aug. 26. Septembris moventes castra versus locum de Ziro[31] equitare festinaverunt, et cum universo exercitu fixis albergariis castrum illud obsidere ceperunt; et nisi hora diei iam nimium
Aug. 27. declinasset, castrum illud expugnassent manu potenti. Sequenti vero die Lune inmensa inundatio aquarum supervenit, ita quod castrum illud expugnare minime potuerunt. Sed ea die illis guastum magnum et inmensum factum fuit, quod grave esset ad estimandum. Die
Aug. 28. Martis guastum factum non fuit nec locus expugnatus propter aque et temporis gravitudinem, que die et nocte venire non cessavit. Verum cum tempus non ad serenum, sed nubilosum et pluviosum aptum esset et omnino paratum, deliberato conscilio, die Mercurii a loco de Ziro discesserunt absque ulla lesione et iverunt Godanum[32]. Die autem Iovis proxima Coplanum[33] accesserunt, acceptum conscilium quod super dampnum inimicis inferendis essent facturi. Moram vero apud Godanum facientes, domnus Chunradus Malaspina cum decenti cohorte militum et sagittariorum intravit; et tunc domnus Obizo Malaspina suum exercitum magnifice congregabat, paratus venire in nostrum succursum. Die vero Veneris apud Burgum de valle Tarii redierunt, et ea die et die sabbati moram ibi fecerunt, occaxione quia episcopus Placentie et Lunensis episcopus et quidam alii viri potentes pacem et concordiam inter comune Placentie et Pontremulenses facere et componere studebant. Percipientes autem Placentini, que inceperant ad exitum minime perducere posse tum propter panis penuriam tum propter aquarum inundationem, die dominica sequenti
Sept. 2. secundo mensis Septembris post prandium licentia domum rediendi concessa, illico iter eorum retro aggredientes, ad propria redire festinaverunt, non solummodo panis penuria neque aquarum inundatione, sed cordis et animi debilitate. Unde dedecus pariter et obprobrium Placentie civitati perpetuo consequetur. Sic enim iuste dici potest: „Pro dolor! heu! heu! undique sunt angustie et tribulationes, ululatus, gemitus et ploratus, quia virtus corporis et animi prudentia sic est a civibus Placentie recessa! Videntes et indubitanter cognoscentes, Pontremulenses inimicos nostros ab omnibus fore derelictos, conscilium pariter et auxilium neque ullam copiam defendendi habentes. Cogitemus igitur predas, rapinas, oppressiones, castrorum locorum amissiones primo sustinere, dedecus et obprobrium pati, quam arma bellica velle exercere!"

1229. indictione secunda de mense Iulii Bononienses tamquam viri prudentes et magnanimi, superbie et nequitie Mutinensium inimicorum eorum resistere volentes, exercitum magnum militum et peditum balestariorum et sagitariorum et universe gentis sue et amicorum eorum facere proposuerunt, terram quoque loca et castra eorum destruere conburere et depopulari cupientes. Quo ita statuto, legatos viros nobiles Ravenam, Faentiam, Imolam et ad alios amicos eorum illarum partium direxerunt, instantes et ipsos ex parte comunis Bononie exorantes, ut cum omni gente et fortia eorum in succursum et subsidium comunis Bononie festinanter accedere deberent; qui omnes succursum et subsidium

a) *lege* 13. b) *deest* c.

31) hodie fortasse Castel de Zeri. EDD. P. 32) Godano prope Zerum. EDD. P. 33) Complanum. EDD. P.

esse daturos plenarie responderunt. Simili modo ambaxatores viros rectoribus et per unamquamque civitatem ipsius societatis miserunt, implorantes ab eis et attentissimis precibus ipsos deprecantes, ut Mediolanenses Brixienses Mantuani et Placentini in mandatis darent, ut quilibet istorum per suam terram in Cremonensium et Parmensium terras intrarent, et eas igne cremarent et guerram facere deberent. Percipientes autem dicti legati, ut viri providi, que postulabant ad exitum perducere nequaquam posse, ab eisdem rectoribus petierunt, ad adiutorium militum et balestariorum comuni Bononie prestarent turba decenti. Qui comunicato conscilio, duo milia milites et quingentos balestarios comuni Bononie esse daturos promiserunt et convenerunt. Quibus ita gestis, Placentini milites numero 174 electi in auxilium Bononiensium equis et armis decentibus, tentoriis et equorum cohoperturis egregie preparati, indumentis quoque preciosissimis ornati[a], die Veneris 9.[b] Kal. Augusti et die sabbati sequenti civitatem exierunt, iter eorum eundi in succursum et auxilium Bononiensium inceperunt. Similiter Mediolanenses numero quadrigenti et Brixienses ducenti, Cumenses numero centum cum eis, omnes celeri gradu Bononiam accedere festinaverunt. Verum quia Veronenses, Tarvisiani, Vicentini, Paduani et Mantuani iussa et mandata rectorum, prout sacramento erant astricti, adiutorium pariter et auxilium Bononiensibus prestare recusantes, quod legatis Bononie promiserant et convenerant, attendere et observare minime potuerunt: unde ipsi rectores plurimum sunt turbati, dolore vehementi commoti. Die secundo mensis Augusti in Bononie civitatem intraverunt, ingenti gaudio et nimio triumpho ab omnibus recepturi. In qua etiam civitate, prout de potestatis Bononie voluntate fuit, moram per sex vel septem dies fecerunt. Quibus ita peractis, Bononienses cum omni gente eorum et cum carocio, et milites omnes et alii qui in eorum venerant succursum, extra civitatem exierunt. Castra quidem eorum iuxta fluvium Scoltene in partibus Sancte Marie in strata posuerunt, amicos quoque eorum ibidem expectantes. Cum autem ibi stetissent circa octo dies, exercitu universo congregato et coadunato tentoria moventes in terram Mutinensium inimicorum eorum intraverunt, et iuxta castrum de Sancto Cesario sua fixere castra, illud undique obsidentes. Cremonenses et Parmenses etiam et Mutinenses per medium eorum et in illis partibus fuerunt castramentati, fluvio Scoltene mediante. Quod castrum cum manganis predariis et trabuchis et gattis et aliis machinis cottidie expugnaverunt, scientibus inimicis et oculis propriis videntibus. Et dum hec agerentur, Cremonenses, Parmenses et Mutinenses deliberato conscilio carocium Parme in expeditione venire fecerunt. Quo facto signis belli et castris motis fluvium Scoltene transeuntes, per medium castrum de Spinalberto in campanea inter Scoltenam et quemdam cavum suas posuerunt albergarias, non distantes ab exercitu Bononiensium per unum miliare. Die Martis 4. mensis Septembris dictum castrum undique viriliter expugnantes cum manganis predariis trabuchis et gattis, cum quibus viros per terragium fecerant ascendere, per ipsos usque spados castri summa vi illico castrum sunt conati intrare. Accidit divina potentia, quod castrum ea die penitus dissipatum et conbustum fuit, presentibus et videntibus inimicis. Quod castrum fossis profundis et aqua plenis erat circumdatum, spadis quoque et lignorum castris et aliis machinis erat munitum pariter et vallatum. In quo castro Bononienses habuerunt quadrigentos viros et sex milites, quos ceperunt et victos inde duxerunt.

Die Mercurii sequenti inter nonam et vesperas Cremonenses Parmenses et Mutinenses asclerati et ad bellum ordinati, Cremonenses ab una parte carocii, Parmenses vero ex altera, Mutinenses quoque in prima actie, qui omnes universaliter pro suo comuni ibidem fuerant congregati, accutissima actie constructa, veloci gradu contra exercitum Bononiensium accesserunt. Et tunc acties quedam Parmensium et Mutinensium peritissime ordinata contra partem unam quarterii Bononiensium prelium inchoavit ita magnum et iniquum, quod a memoria hominum in Italia recordari minime potest; gente Bononie per campum enormiter dispersa, non credenti quod prelium esse deberet, sic quod vix incepto prelio potuit congregari et in turba et in sclera reduci, velut in consimilibus fieri consuevit. Pars vero supradicta Bononiensium primitus agressa impugnantiam hostium viriliter sustinuit, et pugnando et ad invicem preliando una pars alteram sepe usque ad populum fugabat. Percipientes autem Parmenses et Mutinenses Bononienses in bello fortiter resistere, ira et dolore commoti omnes scilicet Parmenses et Mutinenses ad dictum bellum diutius concreatum

a) ordinati c. b) *lege* VII.

1229. acriter accesserunt. Similiter omnes cohortes, quas Bononie separatim in suorum militum succursum instanter convenerunt. Et certantes et ad invicem iniquissime pugnantes, una pars alteram sepe et sepius usque in suum populum repellentes. Et dum ita preliarentur, Bononienses circa duodecim plaustra, super quibus manganellos et trabucos constituerant, in prelio duxerunt, cum quibus circa carocium Parmenses astantes lapidibus gravissime percuciebant vulnerabant et interficiebant, ita quod propter lapidum ictus, quos sufferre non potuerunt, carocium fere dereliquerunt; et pugnantibus et cum inimicis gravissime preliantibus, Lombardi tunc in eorum succursum usque ad prelium perexerunt. Viso hoc a potestate Bononie et ab aliquibus viris prudentibus Bononie, quod Lombardi ad prelium accesserant, illico ad illos currentes et instantes et attentissimis precibus ipsos exorantes, ut insultum in prelio facere non deberent, nisi turba militum Cremone, que in insidiis morabatur, primo in bello intraret. Verumtamen quidam viri prudentes Placentie et Mediolani et Brixie eorum mandata et iussa contempnentes, in prelio intraverunt et fortiter et acriter cum hostibus pugnaverunt. Quapropter Bononienses plurimum elati et valde[a] exaltati, usque ad Parme carocium velociter insultarunt, milites Parme et Mutine retro carocium repellentes, et ibidem cum astantibus circa carocium duriter et iniquissime preliaverunt, boves carocii incidentes et ipsum carocium impugnantes, homines quoque iuxta carocium vulnerantes et interficientes, et ipsum carocium atrociter expugnantes manu potenti, taliter si populus Bononie cum militibus ad prelium accessisset, carocium Parme victum Bononie perduxissent. Percipientes autem viri potentes Cremone circa carocium astantes, vulneratos mortuos et per campum diffusos ictus lapidum quos manganelli super carris constructi proiciebant nequaquam sufferre: coadunati et ingenti turba militum et peditum impetum super ipsa plaustrella facientes, ipsa plaustra et manganellos penitus diruerunt, et ipsa plaustra cum bobus et manganellis ad eorum castra ingenti letitia duxerunt. Unde Bononienses plurimum sunt turbati, ira et dolore valde commoti. His ita gestis acties militum Bononie undique coadunata, in frequenti turba militum Parmensium et Mutinensium velocissime concurrerunt, et cum ipsis gravissime pugnantes, ipsos quoque vulnerantes occidentes et sub pedibus equorum proicientes, Cremonensibus et Parmensibus alta voce requiem petentibus usque ad diem. Duravit enim illud prelium usque ad mediam noctem. Verum quia utraque pars nimio labore erat fatigata, voluntarie ad castra propria remeavit. Quid referam? multi ab utraque parte sunt capti et retenti, verumtamen ex parte Cremonensium Parmensium et Mutinensium innumerabiles gladiis et partim ictu lapidum sunt interfecti, et quam plures vitam eorum sub pedibus equorum consumantes. Velut autem a Bononiensibus dicebatur, de eorum exercitu nullus remansit interfectus. Requiescentes autem in castris suis, Romagnioli malo modo et turpiter a prelio discedentes, sua tentoria enormiter et indecenter colligerunt, et indistanter Bononiam perexerunt. Idcirco carocium Bononienses in castris collocare non potuerunt, sed in Plumatii castrum fuit ductum et per totam noctem diligenter custoditum. Lombardi vero similiter et Bononienses, viso quod Romagnoli cum castris recesserant, et in albergariis fore derelictos, dolentes et gementes pre nimia tristitia, cognoscentes moram ibi minime facere posse, sua similiter colligerunt tentoria. Quidam vero ultra modum perteriti, sine causa multa turpiter reliquerunt tentoria. Relicto autem carocio, Romagnioli et fere totus populus Bononie et pars maxima Lombardorum Bononie recesserunt. Placentini vero milites ad postulationes quorumdam virorum nobilium dictum carocium diligenti cura custodierunt cum parte militum Bononie, et die sequenti vigore maximo post ipsum lento gradu sequentes, Bononiam decenter conduxerunt.

Cumque hec acta fuissent, Cremonenses Parmenses et etiam Mutinenses nimio dolore et tristitia captorum vulneratorum et mortuorum valde perteriti, indubitanter credentes fortitudini et magnitudini exercitus Bononiensium nequaquam posse resistere, inimicos plurimum timentes, retro agredientes veloci[b] gradu ad propria redire festinabant, sicut veridica relatione quorumdam intelleximus, qui in ipso interfuerunt exercitu. Cum autem ad propria redire festinarent, intelligentes de exercitus Bononie recessione, elati et gaudio magno exaltati, iter eorum retro agredientes, impetum usque in castris Bononiensium festinanter fecerunt, neminem invenientes; tentoria quoque et plaustra ibi relicta et ea que in ipsis aderant tentoriis habuerunt, et gaudio magno gavisi ad propria cum ipsis redierunt

a) ualte *c.* b) uoloci *c.*

ingenti gloria et letitia triumphum pariter et victoriam de hostibus habuisse indubitanter 1229. credentes. De mense Ianuario Placentini domnum Raimundum de Ioco[34], virum nobilem et 1230. prudentem urbis Bononie, in potestatem et rectorem civitatis Placentie eligerunt. Qui 1229. octavo mensis Martii in regimine ipsius civitatis intravit. De eodem vero mense in festo sancte Marie mutata fuit incarnatio.

*De obsidione castri Mombarucii marchionis Montisferati.* Alexandrini tamquam viri prudentes et bellicosi, volentes nequitie et superbie Astensium et marchionis de Monteferato et comitis de Sabogia et aliis eorum inimicis resistere, deliberato conscilio in terram etiam eorum hostiliter intrare proposuerunt, segetes et arbores, vineas et alias res eorum depopulari, castra quidem et loca igne cremari statuentes. Quo ita ordinato, legatos viros prudentes rectoribus societatis Lombardie miserunt, ab ipsis quoque auxilium militum et balestariorum implorantes. Qui adiutorium militum pariter et balestariorum eis esse daturos plenarie responderunt et convenerunt. Hoc ita facto, illico facta designatione et numeratione militum et balestariorum pro unaquaque civitate societatis, dederunt eis in mandatis, ut essent parati equis et armis et rebus necessariis proficiscendi in succursum Alexandrinorum amicorum eorum, cum de eorum fuerit mandato. 1230. die Veneris, 10. mensis Madii, Placentie milites numero sexaginta viri nobiles et potentes, destrariis et aliis equis et tentoriis egregrie preparatos, indumentis etiam preciosissimis ornatos, cum triginta balestaris viris prudentibus iter eorum eundi in succursum Alexandrinorum inceperunt. Die autem sabbati et die dominica venienti Mediolanum accesserunt. Deinde ad civitatem Vercellarum iter eorum direxerunt, ibidemque cum Mediolanensibus se coadunaverunt, moram ibi circa quindecim dies facientes, milites aliarum civitatum expectantes. Qui iussa et mandata rectorum attendere et facere recusantes, prout promiserant et convenerunt in succursum Alexandrinorum pergere neglixerunt. Videntes autem Placentini milites et Mediolanenses numero septingenti cum designatione militum eis contingente, et alii ibidem congregati, Cumenses Brixienses Mantuanos[a] Paduanos et reliquos de Marcha iussa et precepta rectorum spernentes et ad expeditionem accedere recusantes, habito conscilio ad partes scilicet Alexandrie iter eorum direxerunt. Coadunati vero et congregati cum Alexandrinis, in terram marchionis de Monteferato hostiliter intraverunt, segetes quidem et vineas et arbores depopulati fuerunt, loca et villas igne cremaverunt. Die quoque sabbati, 9. Kal. Mai. 24. Iunii, circa castrum de Mombaruzo sua posuerunt temptoria, illud undique obsidentes et viriliter cum manganis et predariis et trabuchis expugnantes, terram etiam marchionis semper devastantes et conburentes. Et dum hec agerentur, rectores societatis Lombardorum et alii viri nobiles qui in ipso aderant exercitu, cupientes terram inimicorum penitus depopulari et depredari, inter Mediolanenses et Placentinos miserunt, ut succursum militum et peditum iterum prestare deberent, ut que proposuerant[b], ad exitum perducere velociter possent. Qui volentes iussa et mandata eorum plenarie observare, illico omnes milites Mediolani tam extrinseci quam intrinseci cum tribus milibus peditum de melioribus Mediolani iter eorum Vercellas direxerunt, in auxilium Alexandrinorum proficisci festinantes.

*De pace et concordia facta inter marchionem de Monteferato et rectores Lombardie.* Die vero Iovis, 13. mensis Iunii, domnus Raimundus de Ioco Placentie potestas, magne nobili- Iun. 13. tatis et prudentie miles, honorabilis et excellentissimus vir, in armis bellicis potentissimus, cupiens affectanti animo ad expeditionem accedere, nolens Placentinos et viros nobiles qui ipso exercitu aderant belli fortunam absque eo temptare, cum 60 militibus Placentie electis causa proficiscendi in ipsa expeditione, per terram marchionis Malaspine et Terdone idem domnus Raimundus ad suas proprias expensas cum ipsis militibus festinanter pergere curavit, ingenti gloria et gaudio et nimio triumpho ab omnibus receptus. Et dum hec acta essent, Mediolanenses autem qui apud Vercellas aderant, et Novarienses Laudenses et Brixienses qui ibi venerant, omnes ibidem congregati, cum Vercellensibus ad casale Salvasium[c] perexerunt, ad exercitum pergere properantes. Die Veneris, 11. Kal. Iulii[d], ad Iun. 21. exercitum circa Mombarucium existentem velociter equitare festinaverunt, ibidem moram facientes. Facta autem est pax et concordia inter marchionem de Monteferato et civitates

a) mantuani paduani et reliqui *c.* b) proposuerat *cod.* c) *fortasse* S.[ti] Evasii. d) Iunii *c.*

34) de Zago et de Zogolo apud Mussum et in actu publico anni 1230. scribitur. EDD. P.

1230. societatis Lombardie; qui iuravit sacramentum societatis Lombardie rectoribus, pacem et guerram civitatibus locis et personis ad intellectum rectorum facere et tenere; insuper sex obsides de maioribus et melioribus sue terre in virtute rectorum prebens. Quo facto statim castra moventes, in terram inimicorum eorum Astensium intrare statuerunt. Die quoque
Iun. 29. sabbati, 3. Kal. Iulii, in Astensium intraverunt terram, fenum et segetes, linum et legumina, vineas et arbores depopulati fuerunt; villas quoque et loca innumerabilia igne cremaverunt. Tentoria quidem non distantia a civitate per duo miliaria posuerunt, deguastantes et igne cremantes fere per duodecim miliaria circa civitatem. Alexandrini itaque milites et eiusdem civitatis plebagii, milites quidem Brixie Laude Vercellarum et Novarie fluvium Tanari per undas ipsius fluvii transeuntes, villas et loca et ea omnia que invenerunt fere usque in burgis et accessibus civitatis conbusserunt, Astensibus et amicis eorum omnibus qui propter ipsius civitatis munitionem in ea intraverant, oculis videntibus et de ipsa propter inimicorum timorem nullo modo exeuntibus. Steterunt namque ibi
Iul. 2. usque ad diem Martis proximum venientem. Postea eo die motu exercitu, Alexandriam
Iul. 6. redierunt. Die autem sabbati sequenti, 6. mensis Iulii, Placentie milites ingenti gloria sunt reversi ad propria.

1231. 1230. indictione 4, die Lune, 14. mensis Ianuarii. Iohannes de Breno condam Ierosolimitanus rex intravit Placentiam, cum ibat Constantinopolim; ibidemque honorifice et decenter fuit receptus. 1231. indictione 5.[b] domnus Guifredus de Pirovano, vir nobilis et prudens urbis Mediolani, potestas civitatis Placentie fuit electus. Die Martis primo mensis Aprilis intravit in regimine ipsius civitatis.

*De constructione et hedificatione Pize de Cunio.* 1230. indictione 4. cum loci Saveliane, Burgi sancti Dalmatii, Pizi de Cunio et quorumdam aliorum locorum viri prudentissimi et potentissimi, qui sub iugo alicuius minime detinebantur, oppressiones et subiectiones ac exactiones, quas comes de Sabogia et marchio de Monteferato, marchio de Salucio et quam plures alii viri nobiles et potentes ipsis inferebant, animo sustinere nolentes, insimul federati et coniurati in loco Pizi de Cunio intrare proponentes, munitionem in ipso loco facere statuerunt in quo se proposuerunt defendere, iura quoque et possessiones suas illesas conservare et manutenere; cognoscentes vero in ea munitione absque conscilio et auxilio Mediolanensium se defendere et manutenere nequaquam posse, ad Mediolani urbem quidam ex eis viri nobiles et prudentes accesserunt, ab ipsis quoque subsidium militum implorantes, peccuniam et possessiones unde necessaria habere possent pollicentes, et insuper preceptum et precepta comunis Mediolani et rectorum societatis Lombardie iurare esse facturos. Habita quidem magna turba militum, de voluntate comunis Mediolani virorum prudentium armis decentibus egregie preparata, ad partes illas iter eorum impendere firmiter credentes tamquam per amicorum terras transitum habere posse, armis non captis, neque coadunati neque asclerati, sed per eius terram tamquam per urbem Mediolani securiter transeuntes: tactus ipse marchio nephando scelere, cum magna turba militum et sagittariorum insultum in eos faciens, inscii et incogniti tante perfidie usque decem vel duodecim de eis cepit, et quod deterius fuit in carceribus reclusit. Alii vero qui a manibus eius evasere, veluti inceperant et proposuerant, ad partes illas iter velociter aripuere. Non enim deputandum est dementie eiusdem sive insipientie eorum[c], cum ipse marchio societatem Lombardie et comunis Mediolani nuper iuraverat et sacramento firmaverat. Sed sacramento spreto[d] et fide relicta, nequitie et perfidie sue debet imputari, quod ad illas accessissent partes. Illico conscilio comunicato, domnum Obertum de Ozono, virum nobilem et prudentem, urbis Mediolani concivem potentissimum, dominum et rectorem eorum et ipsorum locorum fecerunt et statuerunt. Qui statim tamquam vir nobilis et magnanimus ipsa et multa alia circumstantia sub sua posuit potestate et sacramento firmavit. Quadam vero die cum ivisset cum quadam turba militum et sagittariorum et balestariorum ad quemdam locum, qui eos inpugnabat, et locum illum obsideret: comes de Sabogia et marchio de Salutio et marchio de Monteferato privatim et secretissime turba militum magna et sagittariorum et balestariorum undique collecta, partem eorum in insidiis ponentes, cum aliis impetum super eos facientes, prelium cum eis commiserunt. Dum autem sic preliarentur, illi qui erant in insidiis, veloci gradu in eis insultum fecere. Cumque sic cernerent[e]

b) IIII. *rectius.* c) *ita correxit Bethmann* de mente eiusdem sive insipiente *cod.* d) *ita correxit Bethmann.* sputo *cod.*
e) certarent *c. correxit Bethmann.*

Mediolani milites et alii qui cum eis erant resistere minime posse, fugati et dispersi 1231. per terras et villas fuerunt, et capti ex eis usque ad viginti. Inter quos fuit captus domnus Obertus de Ozeno, rector et potestas eorum. Nimirum quia parva turba sepe et multotiens superatur a magno numero et quantitate magna, eos superabant. Cum autem idem Obertus esset in virtute et potestate comitis de Sabogia et marchionis de Salucio atque marchionis de Monteferato et quorumdam aliorum virorum nobilium, tacti maligno spiritu et iniquissimo et nephandissimo scelere, turpi et crudeli atque inopinabili nece ipsum interficere fecerunt; quod fuit contra iuris ordinem et imperii consuetudinem. Unde iustum est et conveniens, ut condignam debeant habere retributionem. Hoc audito et in veritate cognito in urbe Mediolani, ingens tristitia dolor et mestitia concives Mediolani milites et populares omni modo invasit. Qui illico ira et dolore gravissime commoti, exercitum militum et peditum auxilio amicorum eorum super terras istorum fecere, ut de tam pessimo et crudeli facinore vindictam possent sumere.

*De obsidione loci Clavasii.* 1231. die Mercurii, 12. Kal. Iunii, mille equites et quatuor Mai. 21. milia pedites Mediolani, equis armis et temptoriis egregie preparati, civitatem exierunt; iter ad partes predictorum iniquissimorum, ad terras eorum et loca et castra subiuganda et depopulanda aripuere. Die vero Veneris proximi sequentis milites Placentie numero 60 decenter armis equis temptoriis et alus rebus necessariis preparati, cum centum balestariis ad comunis Placentie expensas in subsidio Mediolanensium perexerunt. Die Martis, 6. Kal. Mai. 27. Iunii, exercitus Mediolani cum Vercellarum militibus et peditibus, et cum centum militibus Novarie et turba magna peditum, et cum centum militibus Brixie et centum militibus Alexandrie et mille peditibus, et aliis quibusdam eorum amicis circa castrum de Clavasio sua posuerunt tentoria, illud undique cum manganis predariis gattis et trabuchis et aliis machinis viriliter expugnantes. Quod castrum fossis et spadis firmissimis erat undique munitum pariter et vallatum. Revera castrum illud potest appelari Clavasium, ex clave; est clavis ad partes Taurini volentibus accedere, simili modo ad partes Vercellarum venientibus. Cum autem in obsidione ipsius castri permanerent, percipientes quod inceperant ad finem nequaquam perducere posse, nisi intrantibus et exeuntibus de ipso loco transitum prohiberent — habebant enim intrinseci in fluvio Padi naves mirabiliter constructas, munitas balestariis et viris prudentibus, cum quibus volentibus intrare in ipso loco et exire et victualia et alia necessaria prestare transitum prebebant — hoc autem viso et cognito, illi de expeditione naves centum fecerunt, quas mirabili opere in fluvio Padi construxerunt; ipsas balestariis et viris prudentibus armaverunt. Et dum hec agerentur, die sabbati 4. Kal. Iulii nocte veniente, prima vigilia ipsius noctis, magna turba militum exercitus Iun. 28. Taurinum equitaverunt, fluvium quoque Padi per pontem super Padum iuxta Taurinum constructum transierunt; in terram etiam marchionis intrantes, villas et loca multa conbuserunt. Audiens autem marchio de eorum adventu, qui cum gente sua per medium Clavasium fluvio Padi mediante sua posuerat castra, tamquam orphanus et ab amicis deiectus[a], collectis tentoriis et albergariis conbustis, fugiendo iter suum ad montana direxit; et nisi Mediolanenses ea nocte ignem misissent, marchionem cum gente sua habuissent. Et equitantes per partes illas, vilas et loca que invenerunt igne cremaverunt. Cum autem hec agerentur, illi qui erant in navibus in fluvio Padi constituti, prelium magnum cum illis qui erant in navibus marchionis fecerunt. Qui Dei voluntate ipsas naves ceperunt et in eorum virtute habuerunt. Castrum quoque lignaminis, quod in Pado construxerant, similiter ceperunt et conbuserunt. Unde universi de expeditione gaudio magno sunt gavisi, intrinseci vero tristitia et magno dolore sunt repleti, predicti vero milites conbustis locis et villis die venienti summa cum letitia ad castra redierunt. Eodem vero tempore pontem in fluvio Padi construxerunt et fieri fecerunt, per quem milites expeditionis transeuntes, in terram quoque marchionis sepe et multotiens intrantes villas et loca innumerabilia destruentes et igne cremantes.

Die Martis, 16. mensis Iulii, omnes de exercitu milites et pedites, sagittarii et ba- Iul. 15. lestarii, cum pontibus castris gatis et aliis machinis eorum armati et ad bellum preparati ad castrum Clavasii expugnandum perexerunt; illud undique cum gattis pontibus et castellis viriliter expugnantes. Alexandrini quoque, viri prudentissimi, magne audatie, pontem eorum usque castri spados posuerunt, et super ipsum stantes, cum inimicis gravissime et iniquissime cum latis spatis, gladiis et lapidibus pugnantes; et nisi pons illorum fractus et diruptus

a) deiectis *cod.*

1231. esset, dicitur et fertur, quod per vim intus locum intravissent. Intrinseci vero, viri nobilissimi magnamini bellicosi, summe audatie et magne virtutis, cum inimicis fortiter et inimicabiliter[a] cum manganis predariis lancis gladiis lapidibus et aliis machinis pugnantes, atque cum ictibus gravissimis et ferocissimis balestariis, plus more solito quam ad aures alicuius umquam pervenisset nec quod ab aliquo recordari possit, inimicos gravissime percutientes vulnerantes et multos interficientes, locum quidem Clavasii egregie manutenentes et ab inimicis defendentes. Videntes Mediolanenses et Vercellenses, quod inceperant et facere optabant ad exitum nequaquam perducere posse, quia pontes eorum ad expugnandum castrum longitudine non erant sufficientes, ab expugnatione castri indecenter et turpiter et malo ordine secesserunt. Et tunc intrinseci de loco exeuntes, pontem quem Mediolanenses ad expugnandum castrum fecerant conbuserunt. In illa etiam expugnatione Mediolanenses detrimentum hominum mortuorum magnum sustinuerunt et habuerunt. Qui metu et timore nimio valde perteriti, timentes ultra modum gravissimos ictus lapidum magnorum atque ictus balestariorum ferocissimos, audatiam quoque et virtutem intrinsecorum metuentes, locum illum preliari neque belli fortunam cum eis temptare postea ausi fuerunt. Credebant enim, intrinseci cibariis carere, quare locum illum absque bello vincere et habere posse indubitanter sperabant.

Eodem autem tempore dictus marchio quasi amens huc et illuc vagipalans, tandem ad Papiam et Cremone civitatem accessit, ab eis lacrimabili et voce humili implorando, ut succursum pariter et subsidium ad sue terre defensionem ei prestare deberent; pollicendo ipse marchio, promittendo et iurando, terram suam universa loca et castra ad voluntatem eorum esse daturum. Quod auxilium et adiutorium esse daturos, plenarie promiserunt et convenerunt. Verumtamen que dictis et verbis ei promiserunt, factis quoque attendere recusaverunt. Memores enim minime fuerunt verbi cuiusdam sapientis dicentis: *Est stultum fere promittere, sed dare nole.* Interim marchio ad Clavasii partes accedens, credens firmiter succursum habere debere, per nuntios suos quos in ipso loco nocte mittebat, eis significando auxilium quidem et succursum a Papiensibus, Cremonensibus, Parmensibus et Terdonensibus et ab eorum sequacibus[b], similiter a comitibus marchionibus Astensibus et aliis viris prudentibus nobilibus, amicis, fidelibus suis illarum partium, in presenti fore habiturum; instando et eos attentissimis precibus amonendo per nuntios et rogando, ut locum Clavasii ad eius honorem et civitatum Papie et Cremone et amicorum eius firmiter et securiter, veluti usque modo fecerant, defendere et manutenere

Iul. 19. debeant; fidem quoque et iuramenta eorum illesa conservare. Die sabbati, 14. Kal. Augusti, milites expeditionis Padum transeuntes, loca et villas marchionis destruxerunt et conbusserunt, arbores etiam et vineas et alias res depopulati fuerunt, castrum de Bozulo expugnaverunt. Sed cum vidissent, quod non erat opus unius diei, propter noctem appropinquantem ad castra redierunt. Altera autem die summo diluculo equitantes, circa illud castrum circumsederunt, illud undique viriliter expugnantes; quod castrum magna vi ceperunt. In quo habuerunt circa sexaginta homines; quod castrum penitus diruerunt et conbusserunt.

Iul. 23. Rursus die Mercurii, 9. Kal. Augusti in terram marchionis equitantes, villas et loca multa ceperunt destruxerunt et conbusserunt. Castrum quidem de Castellino et de Hosta et locum de Cenalle et multa alia loca comuni Mediolani se reddiderunt. Habitis obsidibus, sacramentis eorum receptis, in protectione comunis Mediolani ipsa receperunt, nullam lesionem postea eis facientes. Steterunt namque Mediolanenses et eorum sequaces in ipsa obsidione a die Martis qui fuit 6. Kal. Iunii, quo die circa locum de Clavasio circum-

Sept. 15. sederunt, usque ad diem Lune qui fuit 15. mensis Septembris, contra voluntatem marchionis de Monteferato et eorum omnium qui adiutorium et succursum ei dare promiserunt. In cuius castri obsidione tam fuit longa mora, quia et amici et fideles ac propinqui marchionis habere nullam possunt defensionem neque excusationem, quin potuissent subsidium et succursum ei dedisse, non solum equites et viri bellatores, verum etiam a transmarinis partibus horientalibus infra et ab occasu solis extra, quousque provincia Europe durat, claude claudicando ad expeditionem accessisse. Permanentes autem in obsidione Mediolanenses, preparando faciendo et aptando manganos predarias trabuchos castra pontes testudinem et gatos ad locum expugnandum, et terragio ipsius loci cum ipsis appropinquantes, lapides cum manganis predariis et trabuchis die noctuque in ipso loco

a) imicabiliter *cod.* b) sequatibus *c.*

proicientes; percipientes intrinseci Mediolanenses et eorum sequaces ad expugnandum locum 1231. parati, tamquam viri prudentissimi, scientes victualibus carere, succursum nec auxilium habere posse, timentes belli fortunam cum inimicis temptare, cognoscentes, si bello superati forent, quod vitam eorum gladio finirent: quo facto, comunicato conscilio, castrum Clavasii in virtute et potestate comunis Mediolani reddiderunt predicta die Lune, 15. mensis Septembris, inter nonam et vesperas. 1231. indictione 4. de mense Octubris societatis Lombardie rectores in Bononie civitate statuerunt colloquium. Dum autem in ea civitate ipsi rectores convenissent, per legatos eorum viros nobiles et prudentes potestatibus et rectoribus uniuscuiusque civitatis societatis eiusdem in mandatis dederunt, ut ad illud festinanter deberent accedere colloquium. Cumque in ipsa civitate essent coadunati, de comodo et honore ac utilitate societatis predicte ad invicem tractantes et super negotiis Lombardie diligenter instantes, omnes unanimiter leto animo et fide pura concorditer statuentes ipsam confirmandi et reformandi societatem. Quo facto et ita ordinato, die dominico 7. Kal. Novembris in plena contione in eadem civitate decenter et magnifice collecta Oct. 26. eandem iuramento reformaverunt et confirmaverunt societatem[a], inter se vicissim pollicentes et sacramento firmantes succursum pariter et auxilium militum peditum et balestariorum unicuique civitati societatis ipsius et maxime Bononie et Faentie esse daturos contra omnes homines et personas, eos offendere et in terram eorum violenter intrare volentes. In presentia horum similiter proponentes distributionem et designationem tria milium equitum et decem milium peditum et mille quingentorum balestariorum per unamquamque civitatem societatis, prout unicuique conpetit facere; qui semper sint et esse debeant intenti et parati equis et armis et aliis rebus necessariis equitandi et proficiscendi ubique ad voluntatem rectorum. Iterum pro bono pacis et concordie et ne aliqua sintilla mali inter imperatorem et Lombardos possit oriri, statuerunt, legatos ex eis viros nobiles et prudentes ad summi pontificis magnitudinem dirigere, celsitudinem et excellentiam suam et maiestatem humili voce et attentissimis precibus exorantes, ipsum etiam omnimode inducentes, ut sic agere et operam efficacem prestare, ne imperator ad Lombardie partes possit nec debeat cum exercitu accedere; significantes ei, si hoc facere presumeret, quod incomodum pariter et detrimentum Romane posset inde consequi ecclesie, si[b] cum exercitu suo ad civitatem Ravene accessisset.

*Colloquium imperatoris in civitate Ravene.* Eodem tempore et in eadem incarnatione Federicus Romanorum imperator statuit colloquium archiepiscoporum episcoporum abbatum principum comitum marchionum baronum et aliorum virorum nobilium in civitate Ravene in festo omnium sanctorum. Cum autem idem imperator percepisset, dictum colloquium integre celebrare minime posse, propter illorum absentiam qui ipsi colloquio accedere debebant, comunicato conscilio prorogavit colloquium usque ad medium Martium. Quo facto idem imperator dedit in mandatis archiepiscopis episcopis comitibus baronibus principibus et viris nobilibus, ut ad predictum terminum ad illud colloquium accedere deberent. In ipsa vero civitate moram fecit per totam yemem.

*Colloquium rectorum Lombardie et cardinalium in civitate Bononie.* Mense vero proximo 1232. Februarii cardinales, scilicet[c] Iacobus Penestrinus[d] episcopus electus et Otto tituli Sancti Nicholai in carcere Tuliano cardinalis, summi pontificis legati super concordia inquirenda et conponenda inter Federicum Romanorum imperatorem et Lombardos, Bononiam accesserunt. Qui cum rectoribus societatis Lombardie in Kalendis Martii colloquium in ipsa Mart. 1. statuerunt civitate, dantes in mandatis per nuntios suos rectoribus uniuscuiusque civitatis societatis Lombardie, ut in eodem termino ad illud cum viris prudentibus deberent accedere colloquium. Ad quod, prout in mandatis habuerant, festinanter perexerunt, ibidem ad invicem cum eis de ipsa pace et concordia diligenter tractantes. Responsione vero facta ab ipsis rectoribus, iter eorum festinanter Ravenam ad domni imperatoris presentiam dirigere statuerunt. Cumque essent in itinere, idem domnus imperator de eorum intelligens adventu, die dominico 7. mensis Martii inter nonam et vesperas cum parva turba militum de Mart. 7. ipsa privatim exiens civitate, equitando ad maris pervenit littora. Deinde cursum navigando per Padi undas Loeretum[35] direxit, ibi moram faciens. Et cum ambaxatoribus

a) civitatem *c.* b) *deest c.* c) cardinalis scicilie et *c.* d) penestinus *cod.*

35) Loreo inter Padum et Athesim quinque milibus distans ab Adria. EDD. P.

1232. Venetie fuit locutus, dicens et eis proponens, limina beati Marchi visitare proposuisse, postulans ut in eadem civitate ipsum cum turba sua recipere deberent. Cum autem cognovissent oracula sancti Marchi visitare statuisse, conscilio comunicato ad eamdem concesserunt accedere civitatem. Moram vero ibi faciens per quatuor vel quinque dies, deinde de ea exiens civitate, per maris undas sic navigando Aquilegiam accedere festinavit, locuturus cum Alamanie principibus. Verum quia cardinales ipsum invenire minime potuerunt, et fide relicta indecenter a Ravene civitate secesserat, quod est contra summi pontificis honorem pariter et excellentiam, valde sunt mesti et plurimum turbati. Qui ad Bononie civitatem redientes, rectoribus et ambaxatoribus societatis Lombardie in mandatis dederunt, ut quilibet ad sua debebat redire propria.

Mart. 23. Cum autem hec acta fuissent, die Martis 10. Kal. Aprilis accidit in Placentie civitate in publica contione, in platea maioris ecclesie per domnum Guifredum de Pirovano Placentie potestatem coadunata, discensio magna inter eundem domnum Guifredum et domnum Guillelmum de Andito, omnimode contradicentem et resistentem ei pro quibusdam capitulis, super quibus iuraverat potestas in regimine ipsius civitatis. Cui domnus Guifredus potestas Placentie precipiens in pena sacramenti, ut ad eius presentiam ad sua precepta facienda accedere deberet; qui mandata sua facere contempnens, de ipsa contione cum aliquibus popularibus domum suam redire festinavit .....*.

Iun. 9. Alio vero die Mercurii, 9. Iunii, populares Placentie et Cremonenses hostiliter cum tubis et cariolis intraverunt in terram Florenzole, et hospitati fuerunt ea die primo in contrata de Rochaforte, et ea die depopulati fuerunt inter Ardam et hospitale Madonarie desuper stratam et desubtus usque ad unum mezanum et Rosanum, et conbuserunt domum fratrum Heremitanorum et alias quam plures domos et molendina. Die Iovis sequenti mutaverunt castra inter burgum de Vicanino et Vignolam, et guastaverunt vineas segetes prata legumina et molendina, que erant in rivo maiori, et domos quam plures conbuserunt. Die Veneris venienti conbuserunt villam Delstrascho[a] et domos de Vignola, et depopulati fuerunt vineas segetes et legumina desuper a strata a domo infirmorum usque ad domum de Brixana in mille partibus. Die sabbati sequenti summoverunt tentoria, et castramentati fuerunt desubtus a loco Florenzole ad Fontanellas; et ea die conbusserunt villam de Seno et villam de Baserica et domos de Bagnello, et depopulati fuerunt segetes et legumina, prata et arbores desubtus stratam et desuper ad Dei fiduciam. Die dominico venienti summo diluculo castra moventes, iter eorum ad propria direxerunt**

1233. * *Hic multa excidisse videntur, scilicet historia expulsionis Guifredi potestatis et reconciliationis militum cum populo sub conditione aequalis divisionis honorum communis de quo Mussus ita scribit:* Eodem anno dominus[b] Guillelmus de Andito et populus Placentie expulerunt ipsum dominum Guifredum de regimine suo, eo quia in plena concione preceperat, quatenus omnes cum armis eum sequerentur ad domum dicti[c] domini Guillelmi. Et tunc milites et populus Placentie communiter elegerunt quatuor potestates, videlicet Fulchonem de Andito, Tadum de Tadis, Clavellum filium Odoni et Gandulfum Fulgoxium. Et tunc populus tulit medietatem honorum communis Placentie, quare odium ortum est inter milites et populum.

** *Hic acta anni* 1233. *exciderunt, a Musso ita relata:* Anno Christi 1233. de mense Madii milites Placentie ex una parte, et populus et Guilielmus de Andito ex alia fecerunt commissionem in fratrem Leonem ordinis fratrum Minorum de omnibus discordiis eorum. Et tunc dictus frater Leo fecit in platea maioris ecclesie osculari viginti de militibus et viginti de populo. Eodem anno apparuit in ecclesia fratum Predicatorum miraculum de Bussolla. Eodem anno de mense Iulii in platea maioris ecclesie idem frater Leo dedit sententiam de litibus vertentibus inter milites et populum, et confirmavit Lantelmum Maynerium potestatem in regimine suo. Et dedit militibus medietatem honorum civitatis et reliquam medietatem populo, et absolvit societates militum et populi et dominum Guilielmum de Andito. Et eadem die congregati milites reformaverunt eorum societatem. Eodem anno de mense Augusti Arduynus confanonerius ascendit in Montem Sanctum, et factus est rebellis communis Placentie de consensu militum. Eodem anno de mense Septembris maior pars militum exierunt privatim et publice extra civitatem cum eorum familiis, et iverunt per episcopatum. Eodem anno de mense Octubris cum frater Rolandus de Cremona ordinis fratrum Predicatorum predicaret in platea maioris ecclesie magne multitudini clericorum monachorum et laicorum, ecce multitudo hereticorum cum fautoribus eorum advenientes, cum lapidibus et gladiis percusserunt ipsum fratrem Rolandum, et etiam quemdam monachum Sancti Savini vulneraverunt ad mortem. Et Iacobus

a) de Lusaracho *legendum arbitrantur edd. P.* b) domini Albertus de Fontana et G. *ed.* c) d. quondam domini Alberti de Fontana et *ed.*

Die Veneris, pridie Kal. Iulii, milites et balestarii existentes in Rivalgario ad villam de 1234.
Casale de Potentiano equitaverunt, quam villam et segetes igne cremaverunt. Die sabbati, Iun. 30. Iul. 1.
primo mensis Iulii, equitantes desubtus et supra per campaneam Placentie et usque in Tre-
viam, domos et segetes et fenum et alias res fere usque ad civitatem conbuserunt et de-
populati fuerunt. Die dominico, secundo mensis Iulii, milites et pedites, sagittarii et bale- Iul. 2.
starii existentes in Rivalgario iter eorum ad turrem de Septima expugnandam et diruendam
direxerunt, que tenebatur et diligenter a popularibus Placentie custodiebatur, et que detri-
mentum militibus plurimum inferebat; quam turrem ipsa die viriliter expugnaverunt. Verum
quia ipsa dies sufficiens non fuit ad illud opus perficiendum, die Lune venienti ad ipsam Iul. 3.
turrem fodiendam et diruendam accesserunt; quam penitus destruxerunt et diruerunt, po-
pularibus Placentie apud Sanctum Bunicum existentibus et hoc scientibus et videntibus.
1234. die Veneris, 12. Kal. Augusti, populares Placentie cum carocio et trabuchis, manganis et Iul. 21.
predariis, una cum Cremonensibus popularibus et militibus qui in eorum venerunt succursum,
civitatem Placentie exierunt, versus Rivalgarium iter eorum dirigentes. Et ea die hospitati
fuerunt iuxta Treviam per medium Ripaltam, volentes aquam Trevie ad civitatem derivare.
Die sabbati castra moventes, versus Rivalgarium perexerunt; carocium quoque inter ple- Iul. 22.
bem Duliarie et locum Rivalgarii posuerunt, et castramentati fuerunt in ipsa campanea
usque in Treviam. Die dominico et die Lune trabuchum manganum predarias et alia arti- Iul. 23.
fitia ad locum Rivalgarii expugnandum et capiendum preparaverunt. Die Martis, 8.[a] Kal. Iul. 24. Iul. 25.
Augusti, inter nonam et vesperas militia Placentie extrinseca existens in Rivalgario, pre-
lium cum militibus Cremone et populi Placentie in quodam podio apud Malgarium com-
misit et incepit; in quo capti fuerunt quam plures de populo Placentie et Cremone et re-
tenti et in carceribus positi Et dum hec agerentur, populares Placentie et Cremone burgum
Rivalgarii expugnaverunt. Milites vero Cremone et populi Placentie, volentes succursum
populo burgum Rivalgarii expugnanti prebere, milites quidem Placentie subsidium burgum
defendentibus prestare: dimisso prelio, quod erat apud montem, concurrendo in glarea
Trevie, fuerunt parati cum militibus Cremone prelium conmiscere. In ipsa autem expedi-
tione multi de inimicis popularibus Placentie et Cremone sunt interempti, et innumerabiles
vulnerati et ad civitatem Placentie et Cremone portati. Burgum vero Rivalgarii potenter
et viriliter intrinseci defenderunt et manutenerunt. Duravit autem bellum usque ad occasum
solis. De intrinsecis virtute Domini nullus captus fuit; sed tres vel quatuor vulnerati et
duo tantum mortui. His ita gestis, turba magna militie populi Placentie et Cremone ultra
Treviam equitaverunt, villam quoque de Stati et Serevolani et Pigezani conbuserunt,
castrum etiam expugnaverunt. Sed quidam milites et pedites viri potentes in ipso intra-
verant castro; viriliter pugnantes illud defenderunt; inimici autem cum detrimento per-
sonarum turpiter recesserunt. Alia vice Memelianum equitantes, domos quam plures in
illis partibus conbuserunt, fenum et alias res quas potuerunt ad expeditionem conducere
fecerunt. Die Lune, pridie Kal. Augusti, ad villam Raglii equitantes, domos quam plures Iul. 31.

Maynerius erat potestas Placentie, qui presens fuit ad predicta. Sequenti vero die dictus potestas cum iudicibus et militibus suis, multi heretici et culpati de predictis capti fuerunt et carcerati de mandato domini Vicedomini tunc episcopi Placentie; et ad exhortationem dicti fratris Rolandi post hec dicti malefactores et fautores eorum Romam missi ad dominum papam fuerunt. Eodem anno dominus[b] Guilielmus de Andito et pars populi fecerunt societatem cum Cremonensibus, et tunc milites de foris iverunt ad Rivalgarium habitare. Eodem anno de mense Novembris Beltramus de Petra de Papia venit ad regimen partis populi. Eodem tempore milites de foris acceperunt pro potestate Oppizonum Malaspinam. Eodem anno de mense Ianuarii in festo epiphanie dominus marchio Palavicinus cum 100 militibus Cremone et cum aliis militibus populi et pluribus balisteriis pugnavit cum militibus extrinsecis et cum illis de burgo Vallis Tarii et de castro Arquato et de Florenzola ad Gravagum, et cepit ex eis 45 milites et circa 80 pedites, quos duxit in carceribus Placentie de versus Cremonam. Qua de causa populus Placentie donavit eidem marchioni libras mille Placentinorum. Eodem anno tantum frigus et gelu fuit, quod flumen Padi de mense Ianuarii taliter glaciatus est, quod omnes gentes utriusque sexus et etatis ipsum quasi terram aridam transibant. Et etiam a Venetiis usque Cremonam super faciem Padi mercationes deducebantur, vinum inter vegetes congellabatur. Vix vinum inter carbones liquescebat. Nulla rota molendini circumducebatur. Caristia subsequitur et mortalitas oritur; guerre et perturbationes incipiunt; ficulnee et oliveta et nucleares arbores et vinee aruerunt, et homines in lectis congellabantur.

a) *numerus excidit in c.* b) Albertus de Fontana *inseritur in ed.*

1234. igne cremaverunt. In recessione vero volentes fenum et blavam et alias res ad exercitum conducere, divina adiuvante gratia duo milites, unus de populo Placentie et alter de Cremona, et sex pedites ibi capti fuerunt, et circa quatuor vel quinque mortui et quam plures Aug. 3. vulnerati. Die Iovis, 3 mensis Augusti, turba magna Placentie populi et Cremone de castris exeuntes cum vexillis et tubis, cum balestariis et sagittariis, cum scalis et aliis machinis, ad castrum Pigazani expugnandum perexerunt; quod castrum undique cum balestariis et sagittariis et peditibus expugnaverunt; et muro ipsius castri appropinquantes, conati sunt diruere; de quo amplius viginti brachiis diruerunt; scalas vero muro apposuerunt, super ipsis cum vexillis in manibus super murum castrum ascendere proponentes. Intrinseci autem viri feroces et bellicosi et magne virtutis et audatie, cum ipsis nequissime et viriliter expugnantes, vexilla quatuor et banerias tres populi Placentie et Cremone super scalis stantes per vim eis abstulerunt, et cum lapidibus trabibus et sudibus ipsos de scalis et muro turpiter expulerunt, trabem quamdam magnam et crossam super murum conexam secus murum stantes super eos violenter proiecerunt. Subtus ipsam trabem decem aut duodecim ex popularibus Placentie et Cremone sunt interempti. Per medium foramen muri apositis in feno et lignis miserunt. Quo accenso, virtute Domini et ignis calore in ipso minime intrare potuerunt, et intrantes violenter expulerunt. Et ita Cremonensibus et Placentie popularibus viriliter restiterunt et bellicose pugnaverunt; quia non solum per partes istas prudentia et virtus eorum est nota et manifesta, verum etiam per totam provintiam Lombardie fama volavit. Expugnaverunt namque castrum illud ab hora tertie usque ad solis occasum Cum autem cognovissent, quod inceperant ad finem nequaquam perducere posse, ingenti tristitia et dolore commoti pariter et turbati ad castra redierunt Fertur et verum est, quod circa septendecim ex popularibus Placentie et Cremone in ea expugnatione sunt mortui, et innumerabiles vulnerati et ad castra penitus ducti.

Aug. 5. Die sabbati, 5. mensis Augusti, milites et pedites Cremone et Placentie circa locum Rivalgarii[a] existentes, nolentes de obsidione recedere, conati sunt summa vi manganos trabuchum predarias pontes et alias machinas tollere et recuperare. Videntes hoc intrinseci, prelium sagittariorum et balestariorum et lapidum illico inceptum fuit, itaque gravissime eos cum lapidibus percutiebant et vulnerabant, quod ea absque magno periculo et labore habere non potuerunt. Et tunc capti fuerunt sex de populo Placentie; lignamen vero quod recuperare non potuerunt igne cremaverunt. Hospitati namque fuerunt nocte veniente in castris, die autem dominica summo diluculo reversi sunt ad propria.

Oct. 3. Die Martis, 3. mensis Octubris, milites et pedites Placentie in civitate comorantes hostiliter civitatem exierunt, iter eorum ad partes Fontane et Oblubre dirigentes; quasdam domos que erant extra burgum dicuntur conbussisse. Illi vero qui erant in castro Fontane, burgum egregie defendentes, prelium cum ipsis comiserunt, multos vulneraverunt et quam plures ceperunt; et etiam quemdam ex magnatibus populi morti tradiderunt. Videntes plebagii, quod facere peroptabant ad finem minime perducere posse, cum dolore et tristitia recesserunt. Altera vero die castramentati fuerunt prope castrum Oblubre, ibidem se cum Papiensibus viris perfidis coadunaverunt. Fertur in subsidio populi Placentie 200 milites et 400 pedites venisse. Moram ibi facientes, conati sunt castrum illud cum balestariis et sagittariis et predariis expugnare, et steterunt circa illud castrum usque ad diem Lune, Oct. 9. 9. mensis Octubris, et ea die illud habuerunt, sed non per vim sed ex pacto. Dederunt namque fidantiam in ere et personis omnibus in ipso castro existentibus. Alia die cum Papiensibus versus Papiam accesserunt in auxilio eorum; dicebatur enim, quod Mediolanenses in Lumilinam intraverant. Plebagii vero per aquam Padi Placentiam redierunt.

Eodem mense populares Placentie elegerunt in potestatem Belengerium Mastagium Oct. 20. civem Cremone. Die vero Veneris, 13. Kal. Novembris, civitatem Placentie intravit, et ea Dec. 13. die regimen ipsius civitatis iuravit. Die Mercurii, 13. mensis Decembris, facta fuit pax et concordia et sacramentis firmata inter milites et populum Placentie in publica contione in platea maioris ecclesie congregata, domno Obizone Malaspina marchione potestate militie, et domno Bellegerio potestate populi.

Dec. 31. Die dominico, pridie Kal. Ianuarii, in plena contione in platea publica coadunata domnus Obertus Vicecomes dictus fuit potestas comunis Placentie pro militibus, et domnus Guillelmus de Andito[b] pro populo.

a) *ita editores Parmenses; r deest in codice.* b) anduo c.

1235. die Martis, 8. Madii, Parmexani milites et pedites balestarii et sagittarii cum omni 1235. gente et fortia eorum iverunt in succursum et auxilium Mutinensium, qui plurimum infe- Mai. 8. stabantur a Bononiensibus, qui multa loca et castra Mutinensium invaserant et ceperant. Et tunc in servitio Parmensium iverunt 100 balestarii et 25 milites populi Placentie ad expensas populi.

---

# ANNALES PLACENTINI GIBELLINI

## AUCTORE MUTIO DE MODOETIA.

### GESTA IMPERATORIS FREDERICI. DE REBUS GESTIS IN LOMBARDIA.

Fredericus rex Romanorum, sagatissimus et nobillissimus hominum, volens iura imperii in Lombardia 1154. cognoscere, atque intelligens Lombardos semper indomitos et rebelles imperio extitisse, fol. 36'. comunicato[a] suorum principum conscilio[b] in Alamannia, anno tercio regni eiusdem, ab incarnatione domini Iesu Christi 1154. indictione 2.a de mense Octubris[36], Lombardiam cum magno exercitu *fol. 37. intravit. Interea Mediolanenses cum Papiensibus erant in guerra, que erat incepta mense Iunii preterito. Venit ergo conscilio accepto, ut Lombardos miro modo subiugaret. Cum autem sibi videretur neccessarium unam partem eligere, utilius duxit parti Papiensium adherere, licet pars Mediolanensium maior esset, et quia forciores erant rebelles existerent: cupiens eosdem Mediolanenses debellare et ad excellencie sue mandata subicere et redire. Et[37] ut ex sequentibus apparebit, aput Ronchaliam inter eos pacem teneri precepit, et captivos ab utraque parte sibi reddi iussit; et cum venisset apud Landrianum, redditos sibi captivos Papiensium[38] dimisit, Mediolanensium vero ligatos ad equorum caudas secum per lutum duxit; quorum alii fuga, alii peccunia redempti liberati sunt. Deinde venit Roxate, et villam et castrum succendit. Et inde recedens transivit Ticinum, et pontes, quos Mediolanenses hedificaverant, destruxit. Et circa Galiate sua castra finxit[39], et obsedit donec funditus extirpavit; et castella Momi et Trezate[40] dissipavit. Et inde discedens transpadavit. Quarta decima autem die mensis Februarii proximi cepit ossidere Terdonam, in qua civitate 100 1155. milites cum 200 archatoribus ex Mediolano intraverunt causa defendendi. Ex quibus fuerunt interfecti Ugo Vicecomes, Febr. 15. Ianinus Maynerius, Albertinus de Carate, Lanfrancus de Cruce et alii. Deficiente autem civitati aqua et vino, reddiderunt se regi octavo decimo die mensis Aprilis 1155; data fidancia civibus extraneis exeundi cum hiis que portare Apr. 18. poterant. Alii egressi sunt, et alii remanserunt in ecclesia maiori. Rex vero cum exercitu suo intravit et eam funditus discipavit. Destructa Terdona, rex castramentatus est in prato quod dicitur ducis iuxta Placentiam. Mediolanenses vero miserunt Placentiam milites et pedites duarum portarum ad succurrendum, die 6. Kal. Madii proximi. Rex vero cum Apr. 26. non posset facere quod optabat, discedens inde abiit Romam, ibique ab Adriano[c] papa in imperatoren Romanorum Iun. 18. coronatus fuit.

Anno dominice incarnationis 1157, indicione 5. in mense Iunii Mediolanenses, congregato exercitu militum et pedi- 1157. tum et tocius gentis eorum, et 200 militibus Brixie qui erant ad expensas comunis Mediolani Ticinum transierunt, loca et castella et villas Papiensium destruere proponentes. Prima vero die albergati sunt circa Casiollum. Et tunc Papienses pro comuni, et marchio Montisferrati et Opizo Malaspina, et alii comites et marchiones usque in septem intraverunt castellum de Vegevalle ut illud manutenerent. Secunda die Mediolanenses sua temptoria posuerunt iuxta Cardubium, relinquentes post se castellum de Vegavele, simulantes illud velle relinquere. Tercia die ad Gambarate, et illud castellum destruxerunt. Postea quoque iter eorum versus Vegevale, in quo Papienses cum marchionibus et comitibus aderant, direxerunt, constituentes comitem Guidonem de Biandrata preesse exercitui; qui illico premissit omnia plaustra cum carocio; et peditibus et scheriis[41] militum ordinatis, planissime per campaniam ascherati paulatim incedentes, una schera aliam sequebatur. Papienses vero egressi de castello, obviaverunt eis. Sed cum Mediolanenses vidissent quod decenter prelium non poterant evitare, insultum super eos facientes, ipsos Papienses usque ad fossata castelli prosternentes, de eis circa 100 inter milites et pedites ceperunt; alii in castello se recluserunt. Ea vero die Mediolanenses omnes temptoriis suis castellum de Vegevale circumdederunt, ita quod nemo poterat ingredi vel exire. Et cum per aliquot dies eos obsedissent, deficientibus eis victualibus, reddiderunt castellum in virtute Mediolanensium. Qui[42] iuraverunt stare preceptis magistri Guitelmi, et super hoc dederunt 200 obscides quos Mediolanenses eligere voluerunt, preter comites et fol. 37' marchiones. Habuerunt tunc in eorum virtute et potestate fere omnes milites et pedites Papie. Destructo itaque castello, Mediolanenses reversi sunt ad propria. Quo[d] facto, magister Guitelmus, consilio Mediolanensium precepit Papiensibus iterum centum obsides sibi dari. Quibus datis, iterum precepit alios obsides sibi dari. Papienses vero dixerunt magistro Guitelmo, ut simul faceret omnia precepta; et ipse posuit ad capillos suos manum, dicendo quod tot erant eius precepta.

a) *ita c.* coicato; *quod editor Gallicus male* convicato *explicat et in* convocato *commutat.* b) *ita emendavi,* colloquio *c.* c) Andriano *c.* d) Quo — LX brachiorum *desunt in Ann. Mediolanensibus et fortasse ex annalibus Papiensibus derivata videri possunt.*

36) mense Octobri iam tertia indictio currebat. 37) *Ficte autem* Ann. Mediolanenses. 38) i. e. Papienses. 39) i. e. fixit. 40) hodie Momo et Trecate. 41) i. e. scaris. 42) Papienses.

1157. Iterum precepit Papiensibus, ut facerent per civitatem Papie quinque stratas, amplam quelibet 60 brachiorum. Cum autem Papienses noluissent observare precepta dicti magistri Guilelmi, mense Augusti proximo, quinque porte Mediolani ultra Ticinum privatissime equitaverunt, et albergati sunt apud Lomellum illud rehedificantes; steteruntque ibi per unum mensem, capiendo et destruendo castella et loca Papiensium usque ad Gravadonum; et inde semoti, relicta sufficienti custodia domum reversi sunt. Et eo tempore Mediolanenses, hedificando turres muros et castella Galiate Trecate et Montem Marrum Maleum et Cavaretam et Cornu, et rehedificantes Terdonam et Lomellum, construentes pontes super Ticinum et Adduam; insuper custodientes in montaneis partibus rochetam de Leucho et turres Ardengorum, et ceperant ripa sancti Vitalis, Arenam, et alia multa loca, fossata faciendo circa civitatem, quod[a] postea in perniciem reversum est, expenderunt et consumpserunt ultra quinquaginta milia[b] marchas argenti. Et post hec
1158. anno 1158, 6. die mensis Iulii, imperator Fredericus secunda vice venit in Lombardiam, ad partes scilicet Verone, et
Iul. 6. inde transiens per loca venit in Blancannugam, et habebat in suo exercitu regem Bochemitarum et ducem et episcopum et alios duces et marchiones comites episcopos et abbates de partibus Tehotonie innumerabiles. Mediolanenses putabant quod per pontem deberet Aduam transire; set spe sua fuerunt decepti. Invento ergo vado ad Cornelianum, Adduam transierunt. Transito[c] itaque fluvio, castra sua circa Tricium posuerunt. Mediolanenses vero, ignorantes exercitum imperatoris Adduam transisse, miserunt quosdam milites in ripa Addue. Set cum fuissent ad Gorgonzolam, invenerunt Bohemitas et Theotonicos currentes per villas et campos, levantes predam; et fugati Mediolanenses capti fuerunt Alcherius de Vilmercato et Robacastellum[d] et alii quam plures, et multi vulnerati, quos imperator statim suspendi fecit. Mediolanenses itaque cum maximo dolore et tristicia in civitatem redierunt. Capto vero Trizio, castramentatus est imperator apud Melagnanum, et[e] ipsa die prelium magnum factum fuit cum Mediolanensibus, in quo mortuus fuit comes Adelpertus et multi Theotonici de exercitu imperatoris. Post hec vero quinto die mensis Augusti imperator, congregatis militibus et peditibus Parme Cremone Novarie Vercellarum Cumarum Pergami Blandace[44] Bergolii Gamondii Maragii et aliorum multorum locorum, item congregatis comitibus marchionibus capitaneis et aliis viris nobilibus tocius Lombardie, item militibus civitatum et burgorum et opidum Lombardie coadunatis, Vicentini et Trevixani Paduani
fol. 38. Veronenses Ferrarienses Ravanates Bononienses Regini Mutinenses Brisienses, et congregatis militibus civitatum
Aug. 6. Tuscie et sagittariis et ballisteriis[f] et multis aliis, sexto die mensis Augusti, imperator castra sua in brolio Mediolani posuit. Qui vero milites fuerunt arbitrati quindecim milia; peditum et aliorum virorum non erat numerus. Archiepiscopus Collonensis[45] temptoria sua prope Sanctum Excelsum posuit. Imperator in solario templi de brolio morabatur, et alii principes et civitates circa S ctum Dionisium. Rex Boemitarum, cum duce et episcopo in monasterio sancti Dionisii sua temptoria posuerunt. Cogitaverunt autem Mediolanenses ea die quod possent Bohemitas superare, quia castra eorum a castris eorum[46] erant separata. Egressi de civitate, mirabiliter cum eis preliaverunt, et multi ab utraque parte mortui et vulnerati sunt. Imperatore autem cum suo exercitu adveniente, regressi sunt in civitatem. Set turris quedam mirabili modo constructa erat in via que vadit Melegnanum ante portam Romanam iuxta domum infirmorum, que vocabatur Archus Romanus, quoniam quatuor archus inferius habebat, et dicebatur quod Romani quando subiugaverunt Mediolanum, in signum victorie eorum hedificaverunt; quam turrem Mediolanenses proposuerant manutenere et defendere, et custodiam in eam posuerunt. Set bello publice ab imperatore incepto, dum oppugnarentur porta Romana et porta Tonsa, qui ipsam turrim custodiebant, timore perterriti illam imperatori reddiderunt, et de hoc maximum Mediolanenses timorem habuerunt. Imperator illico super ea prederiam fieri fecit, et cum illa prederia illos qui erant in civitatis[g] castello ligneo, quod erat super pontem fossati, fugabat. Set Mediolanenses postea fecerunt super pontem onagrum mirabilem, et cum ipso fregerunt perticam illius prederie que erat super turre, et illos qui erant in ipsa turre descendere coegit[47]. Post hec prelium magnum iterum ad portam Romanam, multum civitatem infestantes proiciendo pontem magnum et amplum super fossata civitatis, per quem conati sunt intrare civitatem; quem pontem Mediolanenses comburentes, quam plures extrinsecorum in civitate clauserunt; alii necati in fossato, alii oppressi a turba cum intrarent portam mortui sunt. Cum autem imperator vidisset civitatem hoc modo per vim nullo modo habere nec superare posse, quosdam viros religiosos de pace componenda tractare fecit. Et tunc facta est pax et concordia inter imperatorem et Mediolanenses, hoc modo scilicet: Quod civitas Mediolani et fossata civitatis et districtus, loca et castella et omnes fortitudines civitatis in suo statu permanere et stare debebant, et cives omnes Mediolani et tocius districtus eorum cum omnibus possessionibus et rebus eorum manutenere et custodire ubique, et quod non posset eos cogere ad potestatem accipiendam; et cum veniret in Lombardiam, non deberet stare ultra tres dies in terra Mediolanensium. Et Mediolanenses convenerunt ei dare et facere ea omnia que aliquis imperator a centum annis citra habuit et consueverat habere,
Sept. 7. dando imperatori 300 obscides de melioribus et nobilioribus civitatis. Facta fuit autem hec concordia 7. die mensis Septembris. Altera vero die cum Mediolanenses vellent imperatorem mansuescere et omne decus ei facere et honorem imperatori inferre, in festivitate beate Marie egressi de civitate discalciati, cum nudis ensibus in manu, et cum archiepiscopo et omni clero cum crucibus in manibus, et reddiderunt se ipsos et civitatem ut predictum est domno imperatori. Et ipse eos simili modo recepit, et nomine pacis archiepiscopum et rectores Mediolani obsculatus[48] fuit, extrahens de banno. Similiter Papienses qui erant in civitate Mediolani carcerati, qui erant 1500, reddere fecit. Precepitque et statuit, ut deinde firma pax per totam Lombardiam teneretur. Insuper Mediolanenses posuerunt vexillum impe-
fol. 38'. ratoris in turre maioris ecclesie, que altior erat omnibus aliis Lombardie. Imperator vero, dato comeatu exercitui suo, perrexit Bolzonum cum tota familia sua, et ibi stetit octo dies. Postea ascendit Moetiam, et morando ibi fecit concordiam caute cum Martensibus et Sepriensibus, data eis maxima peccunia. Et sic derelinquerunt Mediolanenses, cum quibus iuraverant et federati erant. Statim imperator dedit comitem Gozonum, quem de illis comitatibus investivit. Postea descendens inde perrexit Tricium, et in eo posuit 100 milites, quibus preposuit Conradum de Moze et Redegerium. Et inde venit Cremonam, et descendit ad partes Mantue et Verone et transpadavit; et die festo sancti Martini proximi venit in comitatum Placentie in loco qui Medianus Iniquitatis dicitur, suaque temptoria finxit, et obscides Placentie primo tunc habuit, et tunc eiusdem civi-

a) *ita correxi*; ad *c.* b) *manu paulo recentiori scriptum.* c) trāsato *c.* d) de Tabiago *addidit manus haud dubie Iohannis de Tabiago, possessoris libri saeculo XV.* e) *vox in fine lineae scripta initio sequentis repetitur.* f) ballıſt̃ *c.* g) civit. *c.*

44) i. e. Blandrate. 45) i. e. Coloniensis. 46) i. e. suorum, scilicet exercitus Friderici. 47) scilicet onager. 48) i. e. osculatus.

**tatis turres et fossata destruxit.** Postea ad partes Montisferrati accessit et ibi yemavit. Cum autem imperator [1158.] esset aput Octimianum, publice precepit ut castellum Creme destrueretur. Quo audito, Mediolanenses plurimum sunt turbati. Dum hec geruntur, predicti Conradus et Redegerius nuncii imperatoris ceperunt possessiones Mediolanensium quas habebant in partibus Addue perturbare, depopulari et fodrum tollere, et alias exactiones in personis et rebus civium et rusticorum facere. Interea mense Ianuario misit imperator Rainaldum[a] canzelerium et Ottonem[b] comitem palatinum Mediolanensibus, dicentes eis ex parte imperatoris ut potestatem Theotonicam acciperent. Quod audientes cives Mediolani, furore magno accensi, sonitum et strepitum super eos fecerunt. Unde nuncii imperatoris valde timuerunt, et propter timorem comes in nocte secessit. Summo autem mane mirabilis multitudo militum in blodeto[49] Sancti Ambrosii venerunt ante predictum canzelerium, pollicentes et volentes iurare standi preceptis sui et domni imperatoris. At ille bona verba dedit, set ficte loquebatur; ab illo autem die predictus canzilerius animosus summoque nixu operam dedit Mediolanum delere. Postea imperator abiit Bononiam, et sollempnia pasce ibi celebravit. Die autem Iovis feriarum pasce imperator Mediolanenses bannivit et eos hostes corone iudicavit. Et cum audisset Tricium obsideri, tribus diebus venit ad Montem Gezonis, qui dicitur Lauda. Et cum audisset Trizium fore captum, usque ad mortem doluit. **Et eo tempore civitas Laude levata fuit.**

## LEVATA FUIT LAUDE.

Anno 1159, 4. die Iulii, imperator cepit obsidere Cremam, et Mediolanenses miserunt in eam 400 pedites et quos- [1159.] dam milites. Set imperator non audebat adhuc assidue ibi esse, set morabatur Laude. Eodem mense imperator posuit [Iul. 4.] insidias ad Canagiveram et dux Bertoldus de Zarengo erat cum eo. Pedites Papienses posuit in Setezano; de militibus misit quosdam usque Gratasoliam, alii steterunt in Gazio, alii ad Vicum maiorem. Interea quidam de Gratasolia subdole missus est a Papiensibus Mediolanum, cuius clamore et vociferatione milites Mediolani extra civitatem exeuntes persecuti sunt eos usque ad pontem longum, capiendo milites et pedites Papienses fere omnes. Cum autem yllares revertebantur, imperator egressus de insidiis quibus latebat, aput Setezanum venit obviam eis. Recuperatis Papiensibus, ex Mediolanensibus 300 milites cepit, quos Laudam duxit, deinde Papiam. Ab illa die cepit imperator confidenter morari aput Cremam, fecitque fieri testudinem mirabilem qua implebatur fossatum. Insuper fecit fieri turrem ligneam altiorem et forciorem et latiorem quam aliquis viderit umquam. Fecitque venire obscides Mediolani quos habebat in Cremonam, et captivos quos habebat Papie, et de melioribus circa 20 in die suspendebat extra turrim funibus ligatis humeris, et in quodam ligno sedebant, ut lapidibus qui iactabantur ab onagris qui erant in Crema obrue- [fol. 39.] rectur, aut eorum timore vel amore castellum redderetur. Et cum per aliquot dies ictus lapidum sustinuissent, turri appropinquante castello, ac dimissis de captivis et obsidibus in nocte in turri, timuerunt ne altera die caperetur tota. **7. Kal. Februarii[50] Cremenses[c] reddiderunt se imperatori,** et egressi sunt relinquentes ibi loricas et [Ian. 26.] arma. Verum tamen illa nocte laborantes onagris suis, occiderunt ex illis qui erant ligati in turri septem. **Et imperator dedit illud castrum Cremonensibus, et ipsi destruxerunt illud funditus, morantes ibi octo diebus ad destruendum; et dederunt imperatori undecim milia librarum Mediolanensium pro solidata.** Set interim, dum obsideretur Crema, Mediolanenses cum Brixiensibus, et Placentini iuraverunt, mittentes ambaxatores ad Adrianum papam, qui erat aput Aragnum[51], concordiam facientes cum eo, quod exinde non paciscerentur vel concordium facerent aliquod cum imperatore Frederico absque licentia domni pape vel eius successoris. Et domnus papa contra e converso idem convenit, et quod usque ad 40 dies excommunicaret imperatorem; non tamen iuramento firmavit. Accidit autem, ut infra statutum terminum domnus papa ad superos convolavit. Electus est autem a cardinalibus concorditer magister Rolandinus, qui propter religionem suam cepit se excusare secundum quod canones precipiunt. Interea quidam cardinalis, nomine Octavianus, consilio aliorum duorum cardinalium et dominorum Octonis palatini comitis et Guidonis comitis de Blandate[d] legati imperatoris ad apostolicum missi, ex industria fecerat venustissimum mantum[e] quemdam suum clericum ibi portare. Et cum dictus magister Rolandinus se decentissime excussaret, Octavianus accepit palium et sibi ipsi imposuit, ducentes eum ad sedem. Senatores autem ceperunt electum Alexandrum et alios cardinales, et tenuerunt eos captos in quadam turre novem dies. [1160.] Postea Octavianus venit ad imperatorem qui erat in Papia; die 11. mensis Februarii ab imperatore in apostolicum est [Febr. 11.] receptus. Interea tercio Kalendas Marcii Iohannes de Aragnio cardinalis apostolice sedis, legatus pape Alexandri, in [Febr. 27.] civitate Mediolani existens, excommunicavit Octavianum et imperatorem Fredericum, et episcopos Mantue, Cremone[f], Papie, Laude, Novarie, Vercellarum, Sepriis[g] et Martexane. 1160. quinto Kal. Aprilis excommunicavit Lodoycum qui [Mart. 28.] erat in Baradello. Postea medio mense Madii imperator iterum cum suo exercitu devastavit blavas et legumina Medio- [Mai.] lanensium a Medulio usque Vertemate ab illa parte Lambri; et inde rediens per alia loca devastavit Verranium, Brioscum, Legnanum, Vervianum et Pollianum, veniens usque Verzagum. Secundo die mensis Iunii proximi Mediolanenses pro [Iun. 2.] comuni accepta penitencia ex civitate egressi cum 200 militibus Placentinis qui in eorum occursum venerant cum carocio ad Sanctum Romanum, habentes 100 plaustrala que Guitelmus fecerat, ad modum scuti facti in fronte, et in giro erant circumdata falcibus pradariis, ut cum imperatore dimicarent. In prima acie posuerunt plaustella, in secunda carocium cum peditibus et sagittariis, in tercia miliciam[h], in quarta Placentinos. Set cum imperator hec audisset, nocte surrexit et ivit Aradigium. Mediolanenses vero cum stetissent usque ad medium diem, ad propria sunt reversi. Imperator quoque abiit aput Morimundum, domos et segetes comburendo equitavit Papiam. Eodem 1160. de mense Iulii, Mediolanenses cum carocio, omni gente sua coadunata ad obsidicionem castri de Carcani, [Iul.] quod erat federatum cum imperatore, perrexerunt. Imperator Fredericus cum mille militibus Theotonicis intravit Lombardiam. Qui festinanter collegit exercitum magnum, et cum marchione Montisferrati et aliis marchionibus et comitibus [fol. 39'.] et baronis[i] viris nobilibus illarum[k] parcium, et universa gente civitatum Papiensis et Novariensis, et Cumensibus[l] iter suum versus Mediolanensem[m] expeditionem velociter direxit. Hoc audito a Mediolanensibus, valde timuerunt. Verumtamen Mediolani cives omnes qui remanserant ad civitatem, preter illos qui remanserant pro civitatis custodia, et omnes extra civitatem commorantes ad expedicionem venire fecerunt. Interim imperator, die noctuque equitando cum

a) R. *c.* b) C. *c. vitio scribae.* c) cremonenses *corr. postea* cremenses *c.* d) *ita c. saepius loco* Blandrate. e) monachum *c.* f) *excidit linea* et Laude, et marchionem de Monteferrato, comitem de Blandate, rectores et consules Cremone. g) serpii *corr. alia m.* serprii *c.* h) milicia *c.* i) *ita c. saepissime.* k) illorum *c.* l) cunensibus *c.* m) mediolañ *c.*

49) i. e. broleto, brolio. 50) recte. 51) Anagniam.

1160. omni exercitu suo, iuxta civitatem Mediolani sua posuit temptoria, ita quod nullus cum mercato nec etiam alio modo ad expeditionem accedere poterat. Altera die 200 milites Placentini et totidem Brixienses in succursum Mediolani
Aug. 8. accesserunt. Unde valde Mediolanenses sunt confortati. Die 8. mensis Augusti cum Mediolanenses perciperent victualia eis deficere, et mercatum minime habere posse, viam fore aperiendam ferro proposuerunt[a]. Celebrato itaque divino officio et confessione in publica[b] concione facta, de delictis eorum penitencia accepta, agmina in hunc modum constituerunt[c]. In prima acie posuerunt omnes milites adholescentes usque in 35[d] annos, et fuerunt in numero 1500. In secunda acie omnes milites usque in 50 annos, qui fuerunt numero 1500. In tercia acie omnes milites seniores, viros nobiles et prudentes, cognoscentes temptare fortunam belli, et fuerunt numero 1000. Placentini quidem et Brixienses milites in una schera iuxta populum, qui confortarent populum et auxilium prestarent ad caroccium manutenendum. Quo facto et ordinato, ascherati et catervati versus exercitum imperatoris perrexerunt. Non distabant enim ab expeditione imperatoris per medium miliare. Cum autem apropinquassent iuxta castra imperatoris, tubis et signis belli per partes sonantibus, prelium incipitur. Milites vero adholescentes primo prelium cum quadam magna schera imperatoris inhyerunt. Certatur ab utraque parte gravissime et iniquissime; multi ab utraque parte de equis sunt prostrati, et per campum huc[e] et illuc vacillando pergentes, sub pedibus equorum vitam eorum consumentes; alii ferro et ictu astarum mortui et semivivi et vulnerati in campo iacebant; tamen cum viderent resistere non posse, terga vertentes usque ad caroccium fugati fuerunt. Videntes autem milites qui in secunda schera erant, impetum vellocissime super eos facientes, ipsos quoque interficientes, usque ad scheram imperatoris persecuti fuerunt illos. Milites quidem qui erant in schera imperatoris, et omnes alii de exercitu imperatoris credentes firmiter, milites omnes Mediolani ad bellum venisse, insultum omnes super eos facientes, ipsos vulnerantes, de equo prosternentes, usque ad populum illos fugaverunt, non videntes milites seniores qui in quadam valle privatim in insidiis existebant. Imperator quoque collecta universa milicia sua et omni suo exercitu ad pugnandum cum populo accessit, insultum maxima vi in eos facientes, viam ensibus et verberibus astarum et conculcatione equorum usque ad caroccium quandoque aperiebat et faciebat. Populares vero ipsi[f] lanceis et ensibus et lapidibus gravissime eos percuciebant et vulnerabant, multos morti tradentes, nullo modo a carocio discedebant[g]. Milites autem Placentini et Brixienses suadentes populum, contra inimicos quandoque magna vi, equis calcaribus tactis[h] impetum facientes, ipsosque percucientes, in fugam longe a populo eos mittebant. Imperator vero exercitum militum et tocius gentis sue confortando ut viriliter pugnarent, fortiter ad oprimendum populum instabat, et per girrum cum militibus et peditibus suis eos gravissime infestabat. Credebat enim imperator populum et caroccium et gentem totam Mediolani in sua virtute et potestate habere. Dum autem sic certarent et populum gravis-
fol. 40. sime opprimerent, imperator ascendens in quodam podio cum Guifredo comite de Lomello et marchione Montisferrati et aliquibus principibus et baronis[i] causa bellum videndi[k]: cepit imperator alta voce dicere: *Victi sunt et superati Mediolanenses, et omnes habeo in mea potestate et virtute!* Tunc domnus Guifredus et marchio de Monteferato dixerunt imperatori: *Domine, nundum*[52] *vidistis militiam Mediolani.* Et imperator irato animo dixit contra eos: *Nonne video ego milites*[l] *Mediolani discumfitos mortuos et vulneratos et fugatos et dispersos per villas et campos, et multi iam ad civitatem fugierunt?* increpando et redarguendo eos. Cum talia verba dicerent, milites seniores qui erant in insidiis ascherati, ascenderunt quamdam costam gradatim, et catervatim cum tubis et timpanis et aliis signis belli sonantibus, et cum militibus Placentinis et Brixiensibus, et aliis qui dispersi erant per campos collectis ad carocium, versus imperatorem perrexerunt. Videntes autem eos imperator et illi omnes qui cum eo erant, et clamore facto per expeditionem imperatoris, valde timuerunt, et perterriti a prelio illico discedentes, ad locum ubi imperator aderat venerunt et se coadunaverunt, dicentes imperatori comes Guifredus et marchio Montisferrati: *Domine, domine, modo potestis videre miliciam Mediolani, et quod vobis diximus verum erat. Domine, cogitemus de nobis et gente nostra; nonne videtis qualiter ad nos veniunt*[m]*?* Imperator dixit: *Non erunt ausi ad nos venire, non oportet nos fugere; adhuc distamus ab eis per medium milliare: prius volo videre quid facturi sunt.* Et dum hec geruntur, omnes milites et populus cum caroccio, qui impulsus a populo vellocissime currebat ut dextrarius, et appropinquantes exercitui imperatoris, ingenti clamore facto vellocissime impetum in eos fecerunt. Imperator vero et omnes alii de exercitu eius videntes quod resistere non possent, terga vertentes fugam pecierunt; quos Mediolanenses plus decem milliariis per villas et campos et nemora insequentes, partim vero gladio interfecerunt, et partim vulneratos et semivivos in campo relinquerunt; ceperuntque ex eis tantos inter Theotonicos, Papienses, Novarienses et Cumenses, quod omnes obscides eorum, quos imperator in Papia et Lauda diu carceratos tenebat, recuperaverunt; superando eis plus 1500, quos Mediolani in carceribus recluserunt. Castrum vero Carcani penitus relinquerunt, quia illud, propter illud factum impedimenti habere non poterant. In eo prelio imperator captus et retemptus esset propter quandam plantam vinee[n], que sic ceperat dextrarium imperatoris per pedem de retro, quod se movere non poterat; nisi domnus Guifredus de Lomello, qui cum eo fugam ceperat, stans in suo equo cum brachiis abstulit et posuit eum super alium equum, quem quidam eius armiger ibi habebat; et sic liberatus, ambo fugam pecierunt.

Cumenses vero, qui evasi erant, adscenderunt in quodam monte. Credebant enim ibi posse evadere a manibus Mediolanensium. Videntes[o] autem Mediolanenses ipsos capere non posse sine magno detrimento propter loci asperitatem et fortitudinem, fecerunt colligere paleam et ligna arrida, et posuerunt circa eos, mittentes ignem in ipsis. Unde ex ignis calore multi perierunt. Percipientes vero Cumenses non posse evadere propter ignis calorem, reddiderunt se Mediolanensibus.

Sept. 10. Decimo autem die mensis Septembris, habitatores Carcani iuraverunt stare preceptis archiepiscopi[p] et communis Mediolani sine aliqua contradictione; et castrum Carcani reddiderunt et dederunt communi Mediolani.

1161. Anno 1161. mense itaque Madio, imperator congregavit virorum exercitum magnum, et devastavit segetes Medio-
Mai. lanensium circa civitatem usque ad fossata, capiendo Adam de Paradino et unum de Moris, quos statim suspendit.
fol. 40'. Eodem[q] quoque mense Mediolanenses quoque eligerunt de unaquaque parochia duos homines, et tres de unaquaque porta, arbitrio quorum eunona et vinum et merces venderentur et pecunia mutuo daretur, quod postea in

a) *hic multa omittuntur, v. Ann. Mediol.* b) publicā c. c) Nota quod hic ordinati fuerunt clerei inter comune Mediolani et imperatorem ad batagiam de Carcano *in marg. eadem manu c.*; clerei *i. q.* scarae. d) quadraginta 1. e) hunc *corr.* huc *c.* f) ipsas *c.* g) caracio discendebant *c.* h) ratis *c. quod tamen stare nequit; fol.* 109 *quoque codicis lectio* ratando *in* natando *corrigatur necesse est.* i) baronibus *supra scriptum tenero calamo c.* k) videndi cepit. Imperator *c.* l) *vocem ex Ann. Mediol. supplevi.* m) *reliqua v. in Ann. Mediolanensibus.* n) nucis *Ann. Mediol.* o) V. a. M. *inserui ex Ann. Mediol.* p) Uberti de Parma *alia manu additur.* q) Eadem *c.*

52) i. q. nondum

perniciem civitatis versum est. Postea 8. die Augusti, cum imperator esset iuxta Melagnanum cum suo exercitu, premisit 1161. quosdam milites per Caput Casinum, circa vesperas prelium inchoaverunt. Egressis autem Mediolanensibus Aug. 8. pro maiori parte sine armis, et quibusdam cum armis, ceperunt in via preliari; et dum sic pugnarent, imperator cum suo exercitu[a] paulatim prelio appropinquavit, mittens ex transverso quosdam milites cum uno vexillo; quod utique cum vidissent Mediolanenses, ceperunt fugere. Dux Fredericus de Rotbut[53] vero, qui aquilam imperatoris portabat, eos usque ad fossatum est persecutus. Imperator autem iuxta Arcum Romanum accedens, de equo fuit prostratus. In eo prelio multi ex Mediolanensibus mortui sunt, plus 300 capti, quos Laudam in carceribus duxit. Iterum post paucos dies congregato exercitu cepit devastare segetes Mediolanensium, preliando aput portam Cumanam et apud portam Vercelinam; deinde reversus est Laudam. De captivis Mediolanensibus quos habebat in Lauda, videlicet sex illorum unicuique oculum eruere precepit; et aliis sex nares usque ad frontem incidere et unum oculum eruere iussit; et sic devastatis, omnes ad civitatem Mediolani direxit. Similiter qui deferebant mercatum a Placentia versus Mediolanum una die 25 manus amputavit, scilicet unicuique manum dextram Placentinorum civium. Interea discensio maxima orta est inter cives Mediolani; iam enim per plateas rixebantur dicentes se velle reddere civitatem imperatori, tum propter conspirationem quam quidam de maioribus fecerant ut de civitate egrederentur, tum propter carissimam annonam. 20 denariis sextarius[b] grani, et sextarius salis 30 1162. solidis vendebatur. Libra casei octo denariis emebatur; caro carissima erat. Interim data est publice licentia et potestas comiti de Blandate, de quo Mediolanenses confidebant, et Ose et filio et Anselmo de Orto, ut de pace cum imperatore loquerentur. Qui comes de Blandate et socii in hunc modum cum imperatore tractaverunt: videlicet quod imperator debet dimittere civitatem et fortitudines civitatis in suo statu; iura quidem et possessiones civibus Mediolani[c] quiete dimittere. Cumque hoc tractaretur, et imperator vellet ad finem perducere, credens civitatem nullo modo habere posse, quidam miles illius civitatis consul Iordanus Scacarabotium, clam et privatim silenti nocte ad imperatorem properavit, policendo ei civitatem Mediolani sine aliqua contradictione esse daturum. Unde imperator gavisus fuit gaudio magno, promittendo ei dare loca et villas et peccuniam. Quo facto, dictus Iordanus imperatori dixit, quod non habebant victualia, et nomina civium eum affectabant super aliis rebus; usque ad decem dies non habebant victualia; nec durabunt usque ad quindecim dies quod non dabunt ei civitatem. Et imperatori porrexit libellum in quo scriptum[d] erat omnia victualia et nomina civium[e]. Affectabat enim imperator civitatem Mediolani a solio destruere et delere. Interim venientes ante suam presentiam comes de Blandate et socii dicentes pacem et concordiam ad finem perducere velle, imperator dixit eis ut sine mora a suo conspectu recederent, alioquin eos faceret suspendi; dicendo eis imperator: *Si volunt se reddere, sine condicione, recipiam eos.* Reversi autem predicti inquisitores pacis in civitatem, dolentes et gementes omnia per ordinem retulerunt. Verum quia victualia eis deficiebant, et amplius nullo modo sufferre poterant, habito consilio proposuerunt se reddere et civitatem Mediolani imperatori[f]

Anno dominice incarnationis 1161.[g] primo die mensis Marcii reddiderunt se[h] et civitatem domno imperatori in civitate Laude. Postea usque ad octo dies miserunt ei quingintos milites et totidem pedites de melioribus civitatis cum caroccio et vexillo, et signis et tubis Laudam imperatori ut decus et honorem ei inferrent. Ipse autem milites et caroccium et omnia signa et tubas retinuit. Quos milites misit Papiam, ut ibi diligenter in carceribus custodirentur. Post hoc precepit ut civitas usque ad octo dies evacuaretur. fol. 41

1162. 7. die ante Kalendas Aprilis exierunt de civitate cum rebus eorum quas portare potuerunt, derelinquentes Mart. 26. civitatem; et tunc archiepiscopus et archidiaconus et cimiliarcha Mediolani cum multis clericis[i] ad civitatem Ianue[i] castrametati sunt intus monasterium sancti Vincencii, in qua civitate domnus apostolicus Alexander residebat, et digressi sunt extra civitatem apud Sanctum Celsum et apud Sanctum Dyonisium et ad Sanctum Simplicianum et ad Sanctum Victorem. Postea vero imperator congregatis Laudensibus, Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Cumanis, Sepriensibus et Martexanis multisque aliis venit Mediolanum. Primo universas domos succendit, postea domos et turres destruxit et murum civitatis plurimum ad terram prostravit. Steteruntque ibi usque in Kalendas Aprilis. Et itaque anno ipso predicti tribus vicibus venerunt destruere civitatem et explanare fossata. Postea vero circa Kalendas Madii datus eis est Henricus Leodiensis episcopus, ut eis preesset et ut quatuor loca eis ad habitandum Mai. 1. designaret. Designavit autem porte Romane inter Casinam Plasmundi, Nocendam; porte Ticinensi ibi prope in territorio de Vegiatino; porte Orientali et porte Nove ad Lambrate; porte Cumane ad Carcariam; porte Verceline ad Sanctum Yrrum[k] ad Vesperas. Et sic ceperunt hedificare burgos secundo die mensis Madii. Imperator cum precepisset de obsidibus Mediolani qui erant Papie centum solummodo retineri et singulis mensibus permutari, recedens abiit ad Horam, ubi fuit in festo sancti Iohannis decollacii, ut ibi colloquium cum rege Francie et apostolico Alexandro et Octaviano de Aug. 29. eorum electione haberet. Set Alexander non affuit. Et sic imperator et rex Francie discordes discesserunt. Et inde habiit in Alamaniam. Interea Petrus de Cumino qui loco istius episcopi Leodiensis Mediolanensibus preerat, innumerabiles modos oppressionis invenit. Tullit enim estate presenti omnibus Mediolanensibus ex constitutione imperatoris a Legniano infra duas partes tercii et ficti et quartam partem fructuum proprio vomere[54], et frugum et feni terciam partem. 1163. Henricus vero Suevi, qui ex precepto imperatoris in monte Gezonis morabatur, omnes fructus Mediolani quos habebant in episcopatu Laude colligebat. Marquara, qui Tricium tenebat, usque ad Mergoram idem faciebat. Comes Gezonus in Seprio[l] et Martexano secundum predictum modum colligebat. Magister Paganus, qui habitabat in Baradello, per totum episcopatum Cumanum omnes possessiones Mediolanensium possidebat et habebat. Et ea estate hedificata est turris que dicta fuit Triumphalis in burgo Nuceti. Eadem quoque estate palacium Modoetie captum fuit. Imperator vero mense Octubris proximo, tertio Lombardiam intravit et venit Laudam; deinde habiit Papiam. Et tunc Arnaldus Barvaria preerat Placentie pro imperatore. Quando Arnaldus de Bavaria erat in Placentia pro imperatore[m].

1163. imperator congregatis Papiensibus, precepit eis ut civitatem Terdone destruerent; quod quidem sine mora fecerunt.

a) *hic sententia* premisit quosdam *usque* cum armis *iterum scripta et postea cassata est.* b) ſt *codex.* c) et districtus *addunt Ann. Mediol.* d) *ita c. et Ann. Mediol.* e) *ita Ann. Mediol.*; ciuiт *c.* f) *punctum hic est in codice sed delendum.* g) MCLXI. *addita secunda linea sed manu recenti; vere est* 1161 *secundum calculum auctoris v. supra pag.* 405. h) *deest in c.* i) *haec disiecta sunt, et ita reponenda:* clericis iverunt ad civitatem Ianue, in qua civitate domnus apostolicus Alexander residebat. Egressi itaque de civitate *(scilicet Mediolani)* castrametati sunt intus monasterium sancti Vincentii et circa; et digressi sunt extra civitatem *etc.* *Quae ampliora in Annalibus Mediolanensibus habentur.* k) Sirum ad Vevram *Ann. Mediol.* l) serpio *c.* m) *in margine eadem manu.*

53) i. e. Rotenburc. 54) scilicet quesitorum.

1164 Eadem yeme die Veneris, 16. mensis Ianuarii, imperator precepit, et incepta est hedificari civitas imperialis
aput Sanctum Columbanum. Eadem quoque yeme Veronenses cum illis de marcha cum Veneticis iuraverunt existentes
rebelles imperatori.

Imperator 1164. de mense Iunii congregato exercitu ad partes illas perrexit; nichil faciens retro rediit. Eodem
etiam mense sacramenta tributaria[a] per terras Mediolani quos tenebat Leodiensis episcopus sunt inchoata, videlicet
ut unusquisque in anno solverit pro manso tres solidos imperatori. In[b] eodem mense Rainaldus[c] canzelerius Collo-
nensis archiepiscopus tulit corpora multorum martirum et tria corpora trium magorum, que omnia Coloniam asportavit.
Quando In proximo mense Septembris predictus Arnaldus exiit de Placentia, et eo anno in festo
Arnaldus Bavaria sancti Michaelis imperator cum Papiensibus cepit et destruxit Grontortum, Arcellas, Pla-
expulsus de Pla- nelas, castrum Montemventanum, Montecaninum et alia plurima castra. In proximo
centia[d]. mense Ianuario imperator cum suo exercitu apud Burium episcopatus Placentini castramen-
1165. tatus yemavit.

1166. 1166. mense Novembris imperator Lombardiam petiit, et iuxta Brixiam castella et villas usque ad fossata de-
fol. 41'. vastavit, et de nobilioribus illius civitatis 60 obsides Papiam misit. Pergamensium quoque episcopatum usque ad mon-
1167. tem devastavit. Et inde semotus mense Februario proximo, circa civitatem Bononie devastavit, et 100 obsides et sex
milia librarum Bononiensium eis abstulit. Et propterea civitates marche simul iuraverant. Et 200 de burgensibus
Apr. 27. tulit, quos Papiam direxit incarceratos. 1167. die Iovis, 4. Kalendas Madii, civitates Lombardie insimul
concordiam fecerunt, et Mediolanenses statim intus civitatem redierunt, et Terdonam
rehedificaverunt, atque civitatem Alexandrie hedificaverunt. Eodem anno mense Iunii
canzelarii imperatoris preliati sunt cum Romanis aput Tusculanam duabus vicibus, in quo
prelio plus tribus milibus Romanorum interempti sunt. Imperator vero Fredericus qui aput
Anconam aderat, hec audiens ita gesta, cum suo exercitu Romam perrexit, suaque castra
ex parte ecclesie beati Petri posuit, eamdemque ecclesiam comburere fecit. Interea[e]
descendit super eos pluvia que appellatur bazobo mense Augusti. Unde magna copia exer-
citus imperatoris infirmata obiit. Imperator autem cum illis qui supervixerunt motis castris
per Tusciam et montaneas Placentie cum marchione Malaspina Papiam accessit. Cum
autem imperator per montaneas marchionis transierat videndo eas tam asperas et erectas,
dixit ipsi marchioni, quomodo vivebat in illis partibus ubi nil fertilitatis esse videbatur.
Marchio autem respondit ei, quod vivebat et se fovebat de voltis[55]. Deinde imperator ivit
in Alamaniam.

1174. 1174.[f] mense Septembris ad instantiam et peticionem Papiensium et marchionis Mon-
tisferati, qui nuncios in Alamaniam ante conspectum suum direxerant, propter Alexan-
driam quam civitatem Palee appellabant, iterum repetit Lombardiam cum magno exercitu,
Biemorum[56], Brienzorum[57] et aliorum. Qui primo venit Seguxiam[58], combuxit eam;
deinde ad civitatem Aste, in qua Mediolanenses et Brixienses causa custodiendi aderant.
Astenses vero statim se rediderunt. Eodem namque tempore omnes civitates Lombardie
et marche contra imperatorem sacramento societatem contraxerant. Deinde imperator
Oct. 27. venit aput Alexandriam die dominico 6. Kalendas Novembris, eamque cum magna multi-
tudine Theotonicorum et cum Papiensibus et marchione de Monteferrato obsedit. Ibique
fecit gatos, manganos et prederias, et castra lignorum tria magna mirabilia. Intus vero
civitatis aderat quidam civitatis Placentie cum 150 peditibus miles, nomine Anselmus Medi-
1175. Mart. 21. cus, qui preerat ipsis peditibus Placentie. Et ibidem stetit imperator[g] usque ad diem sabbati
sancti qui fuit 12. Kalendas Aprilis.

In 1175. nocte vero adveniente magna copia Theotonicorum privatim ipsam civitatem
intraverunt[h]. Alexandrini itaque cum Placentinis magno clamore undique commoti, statim
captis armis contra eos acriter pugnant eosque debellantes magna vi foras intus fossatum
eiecerunt, et castrum imperatoris quod erat supra fossatum, in quo erant ballisterii Ianue
et multi principes et viri nobiles Theotonicorum igne perierunt. Imperator vero Fredericus
hoc ita peracto ultra modum turbatur; iussit castra aliaque opida lignorum accendi et ab

a) tributarea *c.* b) quando tres Magini fuerunt portati a civitate Mediolani ad Colloniam *in marg., alia manu anni* 1295. c) R. *c.* d) *in margine manu scriptoris.* e) In terram *c.* f) *huc pertinent versus in codice infra fol.* 50' *loco vacuo scripti:*

Circulus annorum cum sexaginta duorum
Mille cum centum fuit M. digammate[i] victum.
Bis quinquaginta bis septem bisque trigenta
Cum mille prostratum fuit Mediolanum gaudendo levatum.

g) et ibidem stetit. Imperator *c.* h) intraverunt alexandrini. itaque *c.* i) Mediolanum aghamata id est corona *cod.*

55) raptibus? cf. vultur, et Gallicum *voler, voleur.* 56) Bohemorum. 57) Brebitionum, Brabantionum, in ann. Maurimonasteriensibus SS. XVII, 161 et apud Romualdum Salernitanum; cf. a. 1227 in annalibus Guelficis. 58) Susa.

obsciditione removeri. Et die noctuque equitando tandem in comitatum Papiensem pervenit, 1175. scilicet ad partes Vogerie; ibi sua castra tendere iussit. Dum autem imperator talia ageret, Lombardi qui ibant in adiutorium Alexandrinorum, sua temptoria aput Clastizicium iuxta aquam posuerunt. Distabat enim eorum exercitus ab illo imperatoris per tria milliarum, quod fuit die pasce resurrectionis circa vesperas. Sequenti vero die Lombardi quatuor Apr. 13. carocia scilicet Mediolani, Placentie, Verone, Brixie, ultra aquam versus imperatorem con- Apr. 14. fol. 42. struxerunt. Statimque domnus Yzolinus de Romano et Alselmus de Dovaria Cremonensis, qui tunc domini et rectores Lombardis aderant, preceperunt Parmensibus, Reginensibus, Mutinensibus, ut absque mora armata manu ad Placentinum carocium irent. Similiter preceperunt Mediolanensibus et 50 militibus Laude ut ad suum irent carocium[a]. Quo ita facto, alia die imperator summo dilnculo[b] castra movere iubet, et per duo miliaria a loco ubi erat adversus[c] Lombardos pervenit. Audito imperatoris motu a Lombardis, illico Apr. 15. sumptis armis predicto modo[d] ad carocia iverunt. Alio quidem die mota est concordia inter eos. Altera die est effecta; die vero Veneris sequenti unaqueque pars recessit. Die sab- Apr. 16. bati sequenti Lombardi Bronam combuxerunt et vineas et arbores destruxerunt. Et inde Apr. 17. Apr. 18. semoti, Sanctum Martinum in strata et Clastezium et alia loca combuxerunt. Apr. 19.

1176. quarto Kalendas Iunii in die sabbati cum Mediolanenses circa Lignanum adessent, et cum eis 50 milites 1176. Laude et milites Vercellarum et Novarie et tocius marchie, pedites vero Verone et Brixie erant in civitate, alii iuxta, Mai. 29. alii in itinere proficiscebantur ad exercitum Mediolanensium imperator Fredericus erat cum Cumanis omnibus castrametatus iuxta Carcte cum Theotonicis militibus fere mille, quos venire fecit per Disertinam tam privatissime quod a nemine Lombardorum potuit sciri. Set cum dicebatur quod esset[e] imperator aput Bilizonam, fabulosum videbatur[f]. Et cum vellet versus Papiam transire, et Papienses, ut putabat, deberent . obviare, Mediolanenses cum toto exercitu obviaverunt ei inter Broxanum et Bustiarsicium, et ma num prelium . ter eos inchoatum est. Imperator autem miliciam Mediolani usque ad carocium fugavit pro maiori parte m iciarum Lombardorum usque ad civitatem fugientes. Ceteri vero milites qui cum populis remanserant, viriliter resisterunt, demum Mediolanenses resumptis viribus imperatorem in fugam converterunt, ubi milites ex Cumanis heotonicis ceperunt et interfecerunt, et quam plures in Ticino necati sunt. Eodem anno imperator direxit nuncios suos ad Alexandrum papam, et clam pactus cum eo, statuerunt colloquium aput Veneciam, publice simulantes velle componere pacem inter imperatorem et Lombardos; et steterunt ibi per medium annum cum archiepiscopis episcopis et patriarchis, abbatibus et aliis clericis et comitibus et marchionibus. Postremo nono Kalendas Augusti

1177. Alexander papa recepit Fredericum in christianissimum imperatorem et uxorem eius Biatricem[g] et Anricum 1177. regem filium eius cum adhuc esset pubes[h]. Et inter Lombardos et eorum societatem et imperatorem a Kalendis[59] Iul. 24. proximis usque ad sex annos treuguas sacramento ab utraque parte prestito firmaverunt, deserendo domnus papa fidem quam Lombardis promiserat. Nam ex quo Veneccie fuit, litteras Mediblanensibus direxit pollicendo quod prius dimitteret se secari quam pacem absque eis cum imperatore Frederico faceret. Ac tamen Lombardos deseruit, et episcopos depositos restituit, et quos imperator[i] creaverat deposuit.

## Hec est forma pacis facte inter imperatorem Fredericum et societatem Lombardorum aput Constanciam in Alamania:

*Imperialis clementie mansueta serenitas eam semper in subditis dispensationem favoris et gracie habere consuevit, ut quamvis districti severitate iudicis*[k] *excessuum delicta debeat et possit corrigere, tamen studeat magis propinata tranquillitate pacis et piis affectibus et misericordie Romanum imperium regere et rebellium insolentiam ad debitam fidem et debite devotionis obsequium revocare. Eapropter cognoscat universitas fidelium imperii tam presentis etatis quam successive posteritatis, quod nos solita benignitate gracie nostre ad fidem et devotionem Lombardorum qui aliquando nos et imperium nostrum offenderunt, viscera nobis innate pietatis aperientes eos et societatem ac fauctores eorum in plenitudinem gracie* fol. 42'. *nostre recepimus, offensas omnes et culpas quibus nos ad indignationem provocaverant clementer eis remittentes, eos propter fidelia devote sinceritatis sue servicia, que ad nos ab eis credimus certissime recepturos, in numero dilectorum fidelium nostrorum computatos censemus. Pacem itaque nostram, quam eis clementer indultam concessimus, subscribi et auctoritatis nostre sigillo anulo communiri iussimus*[l]. *Cuius pacis tenor et series talis est: Nos Romanorum imperator Fredericus et filius noster Henricus rex concedimus vobis civitatibus locis et personis societatis Lombardie, regalia et consuetudines vestras, tam in civitatibus quam extra civitates, videlicet Verone et castro eius et suburgis et aliis civitatibus locis et personis societatis in perpetuum; videlicet ut in ipsa civitate omnia habeatis sicut hactenus habuistis vel habetis; extra vero omnes consuetudines sine contradictione exerceatis quas ab antiquo exercuistis vel exercetis; scilicet in fodro et nemoribus, pascuis et pontibus, aquis et mollendinis, sicut ab antiquo habere consuevistis vel habetis; in exercitu in municionibus civitatum; in iurisdictione tam criminalibus causis quam in pecuniariis intus et extra, et in ceteris que ad commoditatem civitatis spectant. Volumus ut regalia que vobis non concessimus, in hunc modum cognoscantur. Episcopus loci et homines tam de civitate quam de episcopatu eligantur, viri bone opinionis et qui ad hoc ydonei esse creduntur tales qui nec contra civitatem nec contra nostram maiestatem privato vel speciali odio teneantur; qui iurent bona fide inquirere et sine fraude, et inquisita consignabunt ea que specialiter ad nostram spectant excellentiam. Si quis autem super hiis que vobis permissimus*[m] *vel concessimus sive in civitatibus vel extra civitates querimoniam aput maiestatem nostram deposuerit, eius querimoniam non admittemus et scilentium ei imponemus. Hoc quod nos vel noster antecessor, rex vel imperator, episcopis et clericis civitatibus vel aliquibusque personis clericis vel laicis ante tempus guerre dedit vel quolibet concessionis titulo concessit, firmum et ratum habemus, salvis superioribus concessionibus, et pro eo nobis solita servicia exhibeantur. Set census non*

a) *dispositionem reliquorum carociorum quae hic excidit servarunt annales Guelfici.* b) diliculo *c.* c) adversos *c.* d) a Lombardis *iterum deleta in c.* e) *deest c.* f) dicebatur, videbatur *alia manu supra scripl. c.* g) *ita c.* h) impubes *intellige.* i) ipse *legendum; cf. Ann. Mediolanenses.* k) *vocem inserui.* l) *ita emendavi;* comuniret *c.* m) promis. *corr.* permis. *c.*

59) scilicet Augusti

1177. prestentur. Commoditates quas[a] pro bono pacis civitatibus concessimus in civitatibus vel extra, illorum regalium non intelligimus pro quibus census debeat prestari. Privilegia omnia et data et concessiones que in preiudicium vel dampnum civitatum vel locorum vel personarum societatis occassione guerre iniuriam alicuius predictorum a nobis vel a nuntiis nostris indulta sunt, cassentur et in irritum deducantur. In civitate illa in qua episcopus per privelegium imperatoris vel regis comitatum habet, si consules per ipsum episcopum consulatum accipere solent, ab ipso recipiant sicut recipere consueverunt. Alioquin unaqueque civitas a nobis consulatum recipiat. Consequenter prout in singulis civitatibus consules constituentur, a nuncio qui sit in civitate vel episcopatu investituram recipiant, et hoc usque ad quinquennium; finito quinquennio unaqueque civitas mittat nuncium ad nostram presenciam pro recipienda investitura; et sic in posterum, videlicet in finitis singulis quinquenniis, a nobis recipiant, et infra quinquenia a nuncio nostro sicut[a*] dictum est, nisi in Lombardia fuerimus, tunc enim a nobis recipiant. Eadem observentur in successore nostro. Et omnes investiture gratis fiant. Cum autem nos imperator divina vocatione decesserimus vel regnum filio nostro concesserimus, simili modo a filio nostro vel eius successore investituram recipietis. In causis appellationum si quantitas 25 libras imperialium excesserit, appellacio ad nos fiat fol. 43. salvo iure et moribus Brixiensis ecclesie. In appellationibus, ita tamen ut[b] non cogantur ire in Alamaniam, set nos habebimus proprium nuncium in civitate vel episcopatu qui[c] de ipsa appellatione cognoscat, et iuret quod bona fide causas examinabit et diffiniet secundum mores et leges illius civitatis infra duos menses a contestatione litis vel a tempore appellationis recepte, nisi iusto impedimento vel consensu utriusque partis remanserit. Consules qui in civitatibus constituentur, tales sint qui fidelitatem nobis fecerint vel faciant antequam consulatum recipiant. Vasalli nostri a nobis investituram recipiant, et sicut vasalli fidelitatem faciant. Ceteri omnes sicut cives a 16 annis usque ad 70 nisi sint tales persone quibus possit et debeat sacramentum sine fraude remitti. Vasalli[d] qui tempore guerre seu treuge non postulaverint[e] investituram vel debita servicia nobis non exibuerunt, hac occasione feudum non admitant; liberarie et precarie in suo statu permaneant secundum consuetudinem uniuscuiusque civitatis, non obstante lege nostra que dicitur imperatoris Frederici. Dampna omnia et ablata et iniurias quas nos per vos et per vestros ab universitate societatis vel ab aliquo de societate vel coadiutoribus societatis substinuimus, per nos et nostram partem gratis remitimus, et plenitudinem gratie nostre eis damus. Moram superfluam in civitate vel episcopatu pro dampno civitatis non faciemus. Civitates munire et extra[f] munitiones facere non liceat. Pactiones timore nostro vel per impressionem nunciorum nostrorum facte pro infectis habeantur, nec eis aliquid exigatur.

Pacta Placentina silicet pactum pontis et regalium, et datum et pactum quod episcopus Hugo fecit de castro Arquato, et si qua alia similia facta sunt ab ipso episcopo vel a comuni vel ab aliis de societate nobiscum vel nuncio nostro, ipso ponte remanente cum omnibus suis utilitatibus Placentinis, ita tamen quod teneantur solvere fictum abbatisse Sancte Iulie de Brixia, et si qua sunt similes. Sentencie quoque que iure et secundum leges et consuetudines contra aliquem vel aliquos de societate late sunt, teneant, si tamen contra eos de iure tenentur si gratiam nostram habuissent. Que vero contra aliquem vel aliquos de societate late sunt occasione guerre et discordie seu discordie ecclesie, in irritum deducantur. Possessiones quas unusquisque de societate ante tempus guerre iuste tenebat, si per vim sunt ablate ad[60] hiis qui non sunt de societate, sine fructibus et dampno restituantur; vel si eas recuperaverint quiete possideant, nisi per electos arbitros ad cognitionem regalium nobis assignentur. Opizoni marchioni omnem offensam quam nobis vel alicui nostre partis fecit postquam in societate fuit per se vel per aliquam personam cum societate vel defendendo aliquem de societate, istam[61] imperiali clementia[g] per nos et nostram partem remisimus, et in plenitudinem gratie nostre eum recepimus, nec per nos nec per interpositam personam de predictis offensis sibi vel parti ipsius aliquam inferemus lesionem vel coactionem. Amplius eam iurisdictionem quam Mediolanenses exercere consueverunt in comitatu Serpii et Martexane et Burgarie et in aliis comitatibus, exceptis locis que Pergamenses modo per comune tenent inter Adduam et Olium, et excepto Romano veteri et Bariano; et ea que modo exercent, libere et quiete habeant et possideant sine contradiitione nostra et successorum nostrorum. Salvis datis et pactis et concessionibus et in suo robore durantibus que Mediolanenses per comune fecerunt civitatibus Bergami, Laude, Novarie, nec propter hanc concessionem ledentur, nec ullum fiat preiudicium iuri aut consuetudini alicuius civitatis societatis, nec aliquod ius acquiratur in detrimentum alicuius civitatis societatis propter predictas concessiones. Pacta inter civitates societatis condam facta nichilominus firma et rata permaneant, nec aliquod intelligatur acquisitum Mediolanensibus in episcopatu Laudensi propter iam dictas concessiones. Salvo iure Mediolanensium aque Lambri si quod habent fol. 43'. in pedagio. Omnes de societate qui fidelitatem nobis iurabunt, in sacramento fidelitatis adicient, quod possessiones et iura que nos in Lombardia habemus et possidemus, extra societatem iuvabunt nos bona fide manutenere si opus fuerit et super hoc per nos vel certum nuncium nostrum fuerint requisiti; et si amisserimus, recuperare. Ita videlicet quod civitates[h] obnoxe sint principales ad hoc faciendum, et si opus fuerit alie teneantur ad competens auxilium prestandum. Civitates de societate que sunt extra Lombardiam, in suo confinio teneantur similiter facere. Si qua vero civitatum ea que in conventione pacis ex parte nostra statuta sunt non[i] observaverit, cetere civitates ad id observandum bona fide compellant eam, pace nichilominus in suo robore permanente. Nobis intrantibus Lombardiam fodrum[k] consuetum et regale qui solent et debent et quando solent et debent prestabunt, vias et pontes bona fide et sine fraude et sufficienter in eundo et redeundo reficient. Mercatum sufficiens nobis et nostris euntibus et redeuntibus bona fide et sine fraude prestabunt. In omni decimo anno fidelitates renovabunt in hiis que nobis fecerint cum nos pecierimus vel per nos vel per nostrum nuncium. Si qui ex parte nostra de possessionibus suis[l] iustis expulsi sunt, restituantur sine fructibus et dampno, nisi in causa principali seu proprietatis iure se possit tueri possessor. Salvis superioribus concessionibus, et omnes offense ei remitantur. Eodem iure servando hiis qui sunt ex parte nostra circa restitutionem, nisi civitas teneatur iuramento ut non restituat; quo casu arbitrium boni viri volumus pro restitutione succedere. Et si qua controversia[m] de feodo orta fuerit inter nos et alium qui sit de societate per pares[n] illius civitatis vel episcopatus in quo discordia agitur secundum illius civitatis consuetudinem in eodem episcopatu terminetur nisi in Lombardia fuerimus; tunc enim in audientia nostra, si nobis placuerit, causa agitetur. Item volentibus venire contra pacta non per violentiam facta et iuramento firmata inter civitates et alias personas, nos denegabimus. Item nos restituimus stratam Veronensibus, et nominatim recipimus Ezolinum in plenitudinem gratie nostre et omnem offensam ei remittimus. Hanc igitur pacem secundum formam prescriptam et sicut per[o] mediatores pacis, videlicet Astensem episcopum, Henricum marchionem Sarnensem, fratrem Theodoricum de Silva Benedicta et Rodulfum camerarium nostrum, una cum eis intelleximus, bona fide et secundum tenorem quo eamdem[p] pacem iurari fecimus et secundum quod Lombardi intellexerunt, in perpetuum ratam habere et conservari statuimus. Et ut firma permaneant et inconvulsa[q], presentem paginam nostri impressione[r] sigilli fecimus communiri. Nomina vero civitatum quibus gratiam reddidimus et

a) quos c. a*) sic c. b) ire c. c) deest in cod. d) Vasali c. e) postulaverlit c. f) munite extra c. g) clementie c. h) civitas c. excidit finitime. i) nā c. k) frodum c. l) sive c. m) contraversia c. n) qui partes c. o) deest c. p) eadem c. q) inconsulta c. r) nostram pressione c.

60) i. e. ab. 61) scilicet offensam.

*prescriptam facimus concessionem seu permissionem hec sunt: Vercelle, Novaria, Mediolanum, Lauda, Pergamum, Brixia,* 1177. *Mantua, Verona, Vicentia, Padua, Trivixium, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia. Istis autem civitatibus et locis pacem servari volumus et gratiam nostram reddidimus. Prescriptam autem permissionem seu concessionem eis non facimus videlicet Ymole et castro Sancti Caxani, Bobio, plebi de Grabadona, Feltre, Belluno, Cenete, Ferrarie; set*[a] *gratiam nostram reddimus et prescriptam concessionem et permissionem eis facimus, si infra duos menses post redditum Lombardorum a curia nostra de pace prescripta cum eis concordes fuerint. Hanc itaque pacem et concordiam sicut superius scripta est, tam nos quam filius noster Henricus Romanorum rex et per Redulfum camararium nostrum in anima nostra iurari fecimus. Hii autem sunt principes et nobiles curie, qui prescriptam pacem et concordiam per se firmam tenere iuraverunt: Hermanus Monasteriensis episcopus, Henricus Curriensis electus, Gebeardus abbas Augensis*[b], *domnus Gotofredus imperialis aule canze-* fol. 44 *larius, Octo dux Bayguerie, Fredericus dux Suevie filius noster, Bertaldus dux de Zarenga, Bertoldus marchio Ystrie, Hermanus marchio Verone, Henricus comes de Deuesone*[62], *comes Tebaldus de Leximondo, comes Ledoycus frater canzelerii,* 62 *Redulfus camararius, Guarnerius de Berlenda*[63], *Cona de Mizeberga, Conradus pinzerna.*

*Hii sunt nuncii qui ex parte Lombardorum prescriptam pacem receperunt et in presentia nostra iuramento firmaverunt: De Mediolano Guido de Landriano, Pinamons de Vimercato, Idobalus Butraffus, Guillelmus Burrus, Guercius de Usciolo, Ardericus de Bonato, Rogerius Marcelinus, Loterius Medicus. De Brixia Oprandus de Martinengo, Ghecius de Turbiago, Desiderius iudex, Rodulfus de Concessio, Bocacius de Manervio, Albericus de Cavriano. De Placentia Girardus Ardezonus, Iacobus Strictus, Capo iudex, Armanus de Cario. De Pergamo Albertus de Mapello, Acto Ficianus, Iohannes Tringo. Lanfrancus de Monacha, Albertus Attonis, Albertus Albertoni. De Verona Cocius iudex, Gibertinus de Canturo, Vallarianus de Greco, Martinus de Castello, Tebaldinus de Naxinguerra, Tebaldinus de Raymondo. De Vicentia Pillus iudex, Ubertinus de Fontanaviva, Carlaxarius, Marchus de Paulono. De Padua Gnanfus, Engelicus, Ezolinus iudex. De Trivixio Florinus iudex, Gombertinus. De Mantua Alexandrinus, Iacobus de Amica, Agnellus iudex, Henricus de Angelo. De Faventia Bernardus iudex, Ugolinus de Azo. De Bononia Antolinus de Placentia potestas, Rolandus de Guarino, Mapheus de Redulfo. De Mutina Arlotus iudex, Raynerius Bucabadada. De Regio Albertus Cambiator, Rolandus de Caritate. De Parma Maladobatus iudex, Iacobus de Petrabava, Vetulus iudex, Conradus Butzoni. De Lauda Vicentius de Fasiliaga, Anselmus de Sumaripa, Manfredus iudex. De Novaria Opizo de Briono, Tedizinus caralacius, Guido iudex. De Vercellis Meardus iudex, Vercelinus.*

*Hee sunt civitates qui pacem predictam sub iuramento Lombardorum nobiscum receperunt: Papia, Cremona, Terdona, Cuma, Asta, Cesaria, Ianua, Alba, et alie civitates et loca que sunt et fuerunt ex parte nostra.*

*Hec sunt nomina illorum consulum et nunciorum qui investituram a nobis nomine civitatum receperunt: De Mediolano Adobatus, de Placentia G. Ardicionus, de Verona Cozius, de Lauda Vicencius, de Vicentia Pillus, de Padua Gnanfus, de Trivixio Florinus, de Mantua Alexandrinus, de Favencia Bernardus, de Bononia Antolinus, de Mutina Arlotus, de Regio Rolandus, de Parma Iacobus, de Novaria Opizo, de Vercellis Meardus, de Pergamo Acto Ficianus.*

*Acta sunt hec* 1183.[c] *indicione prima, regnante domno Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo*[d], *anno regni eius* 32, *imperii vero* 28. *Data aput Constanciam in sollempni curia* 7.[e] *Kalendas Iulii.*

1184. mense Septembris imperator Fredericus venit Lombardiam, et primo intravit 1184. Mediolanum pacifice, postea Papiam, postea Cremonam; deinde Veronam ad colloquium fol. 44'. cum domno Lucio papa, qui nuper successerat Alexandro; et ibi stetit longum tempus; de quo Lucio papa dictum est:

*Lucius est piscis*[f] *et rex tyrannus*[g] *aquarum,*
*A quo discordat Lucius iste parum.*

Postea ivit[h] Vicentiam, Trivixium, Paduam. Postea reversus est in Veronam; deinde ivit Brixiam, postea Pergamum, deinde Laudam, postea Placentiam et Papiam, et Mediolanum, et collecto magno exercitu, et cum centum militibus Mediolani et peditibus et carocio, et 1185. 200 militibus Placentie, et cum parte Pergamensium et Brixiensium, et cum paucis militibus Verone, Terdone et Parme, Regii et Mutine, Bononiensium et Ymole, Faventie, Alexandrie, Novarie, equitavit ad Cremam levandam posuitque Cremascos intus locum Creme 1185. die Martis, 7. mensis Madii, et rehedificavit illum locum; ad quam rehedifi- Mai 7. cationem multi rustici Placentie et Mediolani perrexerunt. Post hec circa Kalendas Iulii proximi imperator equitavit ad accipiendam domnam Constanciam filiam regis Rogerii Apulie in nurum et uxorem Henrici filii sui, et habuit pro dote multos equos honeratos auri et argenti et preciosarum rerum. Que domna Constancia die Veneris, 15. Kalendas Novem- Oct. 18. bris proximi, intravit Papiam, et die Lune, 6. Kalendas Februarii, rex Henricus eam in eadem 1186. civitate desponsavit, presentibus cardinalibus episcopo Hostiensi et domno Sufredo ad Ian. 27. hoc delegatis[i] a domno Urbano papa, qui nuper successerat Lucio pape felicis memorie, et aput Mediolanum maximas nuptias celebravit.

1186. prima ebdomada Madii imperator Fredericus cum carocio Mediolanensium et 1186. Alexandrinis Laudensibus Cremaschis et 200 militibus Placentie et paucis militibus Bononie, Mutine, Regii, Parme, Vercellarum, Terdone equitavit in comitatum Cremone, et circa

a) set ferrarie c. b) angensis cod. c) M. CLXXXIIII. c. male. d) gloriossimo c. e) XII. c. f) in margine piscis delineatur c. g) tyranus c. h) vox bis scripta. i) delegati c.

62) i. e. Dietz. 63) i. e. Bonlanda.

1186 Sonccinum omnia devastavit. Deinde pervenit ad castrum Manfredum situm non multum longe a Crema, et obsedit illud et destruxit, non vi set per concordiam quam fecit cum Cremonensibus. Eodem anno rex Henricus fecit parlamentum aput Burgum Sancti Dompnini cum Lombardis, in quo parlamento Cremonenses et Parmenses cum Placentinis prelium commiserunt. Et inde rex motus, cum magno exercitu versus Romam properavit in Campaniam, pro discordia quam cum domno papa Urbano habebat, ibique multa loca cepit et destruxit.

1187. 1187. mense Octubris predictus rex in Lombardiam reversus, magno exercitu undique collecto supra terras comitis Savolie[64] properavit, et castellum quod dicitur Vilianum cepit et destruxit.

1189. **Item gesta imperatoris Frederici. 1189. in festo Sancti Georgii** levavit dictus imperator signum crucis, et exivit de Alamania, et intravit Ungariam; ibi fertur eum habuisse nonaginta milia militum armatorum. Rex vero Ungarie honorifice recepit eum et pacifice, et in pace per totam Ungariam transivit. Miserat enim imperator Fredericus ad Iursacum Constantinopolitanum imperatorem nuncios ut eum in pace reciperet. Ipse vero ipsos nuncios detinuit, et preparavit tres magnos exercitus, misitque eos contra eum ad introitum Burgarie[65] ut detinerent eum et dissiparent viam ante eum. Est enim ibi maximum nemus itinere dierum quatuor et via artissima. Preses vero Burgarie cum videret se non posse imperatori resistere, cum totis exercitibus totam viam fol. 45. dissipavit et nemora contra construxit. In exitu vero nemoris idem preses magnam munitionem fecit, et cum imperatore Frederico cum exercitibus suis ad pugnandum se preparavit. Imperator autem per nemus maximo labore viam fecit. Dux vero Suevie nomine Fredericus, predicti imperatoris filius, cum suo exercitu precedebat; qui cum invenisset munitionem, cum exercitu presidis Burgarie pugnavit et magnam multitudinem illorum interfecit atque munitionem destruxit. Transit autem Romanus imperator et venit ad civitatem qui dicitur Philipis, et eam oppugnavit et cum multis divitiis cepit, ibique duodecim ebdomadas permansit. Postquam autem Constantinopolitanus imperator audivit quod Philipis capta esset, nuncios cesaris dimisit et verberatos[a] in hunc modum mandavit: *Mando tibi, Romane imperator. Iursutus se esse bene sanus.* Audivit autem soldanus de Cunio quod imperator Fredericus esset Philipis, misit ei salutem et quod blandiciter per totam suam terram transiret; et nuncios misit qui ducerent eum. Dimisit autem cesar partem exercitus, et post decem dies occupavit Andrinopolim. Turchi vero et Greci fugerunt a facie eius relinquentes civitatem. Misit Romanus imperator ut pars exercitus relicta civitate Philipensi venirent ad eum; ipsoque morante ibi, Grecus imperator preparavit maximum exercitum, misitque ipsum exercitum contra imperatorem Romanum. Cesar autem Fredericum filium suum cum mille militibus et sagittariis premisit, et preliando cum eis superavit fugientes ad menia. Descendens dux Fredericus de equo cum omni suo exercitu, ipsa menia cum omnibus maxima virtute cepit et devastavit. Set duodecim Turchi quandam firmissimam munitionem intraverunt et mirabiliter resistentes quousque eos intus igne cremaverunt. Deinde imperator Grecus post septem dies misit 16 nuncios de melioribus quos habebat ad Romanum imperatorem, dicentes quod ex parte eorum imperatoris liberum ei concedebant transitum et ut securus per totam suam terram transiret. Imperator autem Fredericus libenter volebat ire ad expugnandum Constantinopolim; tamen conscilio principum habito viam rectam obtinuit, ut quam cicius posset, auxilium christianis prestaret. Tunc imperator Fredericus petiit a Greco imperatore obscides, et ipse misit ei duodecim que perduxerunt eum Galiopolim, ubi transitum habuerunt. Constantinopolitanus[b] imperator amplius ei dedit naves quam promiserat, ita tamen quod per unum diem transierunt. Dux vero cum omni exercitu prius transivit. Pater vero in quadam galea cum sagittariis et ballistariis retro[c] transiit[d]. Venientes Philedelfim, et quia preses illius civitatis nolebat tributum prebere, cum eis magnum prelium fecit. Deinde idem preses cum ad expugnandum se prepararet, videns multitudinem exercitus imperatoris Frederici et resistere non posse, forum[66] et tributum ei daturum promissit, et civitatem intraret cum paucis si[e] vellet. Intravit autem imperator cum quibusdam in civitatem, et exercitus extra remansit. Postea preses Philedelphim dedit ei nuncium qui duxit eum per montaneas et nemora, non invenientes per duos dies victualia. In exitu vero nemoris invenerunt quosdam Grecos et Armenos, qui eis dederunt illud forum quod potuerunt. Post hec Turchos invenerunt Manos[67], qui nullo detinentur imperio et nulla possident loca set morantur in agris. Qui maximum et infinitum congregantes exercitum, sperantes posse imperatorem superare, per quattuor ebdomadas die noctuque[f] cum eo pugnaverunt. Exercitus vero imperatoris semper incedebat armatus ex quibus Turchimanis maximam multitudinem interfecerunt, et quendam amiragium magistrum milicie eorum detruncaverunt. Restagnus vero dominus eorum in quandam strictam montium cum infinito exercitu ante imperatorem restitit, non permittens eum transire nisi daret ei centum somerios auri et argenti honeratos. Imperator autem respondit, se libenter ei velle dare aurum et argentum set non nisi manu latum. Nuncii autem fol. 45'. soldani qui erant cum eo, dicebant imperatori, quam cito esset in terra soldani, ita quod gens ista non posset ei amplius nocere. Tunc quidam amiragius divino numine motus venit ad imperatorem, dixitque illi se ostendere bonam viam, et quod Turchimani in mane erant preliaturi cum eo. Unde cum imperator vellet ire per planiciem quam Turchi ceperant, duxit eum per montaneas. Precepit autem imperator, ut omnes acciperent penitenciam. Mane vero imperator misit per montaneas sagitarios et balistarios pugnantes cum Turchis, ex quibus multos occiderunt. Set cum exercitus imperatoris pervenisset ad descensum montium, non potuit ut descendere nisi relictis sarcinis et victualibus. Set cum Fredericus primo descendisset, Turchi ita infestabant imperatorem, quod non poterant descendere. Dux vero reversus, simul cum patre pugnavit cum eis et devicit; fuit enim dux ibi percussus de quodam lapide, quod duos dentes amissit. Transactis vero montibus et relictis alimentis et sarcinis, nuncii et ductores soldani fugierunt ab eo. Imperator et dux filius eius per quamdam planiciem per 15 dies morantes, non inveniebant victualia set comedebant equos. Cum autem agrestes Turchi putarent eos fame defecisse, cum magna

a) *lege* verba. b) Constantinus *c.* c) *vox bis scripta c.* d) rediit *c.* e) se *cod.* f) notuque *c.*

64) Savoyen. 65) i. e. Bulgariae. 66) i. e. mercatum liberum. 67) i. e. Turchomanos.

copia militum et peditum ad bellum processernnt. Imperator vero cum magna virtute eos devicit. Ex Tur- 1189. chis autem maxima multitudo fugientes, in quamdam clausuram fortissimam intraverunt. Unde Theutonici accepto igne et lignis combuxerunt multos ex eis, ceteri fugierunt. Altera die Meletrinus filius soldani cum magno exercitu imperatori obviavit, misitque ad eum dicens: *Revertere! quid facere putas, cum amplius habeam vexilla quam tu milites.* Cum autem imperator pervenisset ad quemdam pontem, Turchi ante et retro exercitum suum circumdederunt. Dux vero precessit, pugnavitque cum eis et devicit eos. Imperator ex alia parte alios fugavit et pontem transivit. Deinde maxima et infinita multitudo Turchorum ex omni parte circuivit exercitum christianorum, ipsos undique die noctuque[a] per tres ebdomadas expugnantes. Christiani vero victualibus carebant, equos solummodo commedentes. Postea Turchi permiserunt imperatorem abire, aquam minime invenientes. Capto vero quodam Turcho, minati sunt ei amputare caput nisi aquam ostenderet; qui ostendit eis aquam salsam. Altera die imperator castrametatus est in cardinis Conii. Tunc soldanus misit imperatori quod male intraverat in terras suas. Imperator autem ei remissit ei ut diceret, utrum vellet dare forum an non? Respondit vero soldanus se forum velle dare. Set ita misit illud forum quod christiani non poterant sufferre, et preparaverunt se ut pugnarent cum soldano. Tunc episcopus Wircimburgi[b] concionem fecit penitencie die Veneris, ortans eos ad bellum et ut penitenciam acciperent et comederent carnes. Armati vero christiani ad pugnandum, Meltrinus filius soldani retro exercitum imperatoris occupavit. Dux vero contra civitatem soldani pugnavit, et magna vi cum Turchis civitatem introivit et fere omnes interfecit. Imperator vero retro cum duce filio suo cum Meltrino pugnavit, et infinitam multitudinem ex eis interfecit. Reversus autem imperator cum filio civitatem introivit. Erat enim castrum fortissimum in civitate, in quo soldanus cum quibusdam fugit. Mane vero neccessitate compulsus missit ad imperatorem dicens, se ei forum velle daturum et in pace cum eo permanere. Imperator autem propter fetorem mortuorum qui erant in viis et domibus civitatis, petiit obsides ab eo, et per tria miliaria in pomeriis secessit. Soldanus vero dedit ei 24 obsides, et forum per totum suam terram ei daturum promisit. Et quia equi defecerant imperatori propter prelia *et quod eos comederant, impe- *fol. 46. rator petiit a soldano forum equorum, ex quibus soldanus maximam multitudinem ducere fecit, set[c] ex voluntate soldani nimium eos caros habebant, ita quod dextrarium 100 marchas argenti dicebant, et ita per tres dies fuerunt cari. Set Theotonici ceperunt dare fertonem pro marcha, et ipsi bene accipiebant. Audiens soldanus, misit ad imperatorem quod sui decipiebant Turchos. Imperator remisit, quod si darent bonum forum, ipsi darent bonam marcham; et sic constituerunt inter se potestates de christianis et Turchis qui tenebant iustitiam. Et Turchimani agrestes, qui non sunt de potestate soldani, semper eos infestabant usque in Armeniam; set postquam intraverunt Armeniam, amplius non fuerunt secuti eos. Et ibi invenerunt Armenos et Grecos cum foro. Postquam descenderunt de montaneis Armenie, invenerunt flumen Calphy, euntes per ripam ipsius per duos dies; tertio vero die imperator vidit ultra flumen quedam amena loca et preciosa, et in ea intravit causa comedendi et spaciandi. Post vero prandium[d] se balneare optavit. Erat prope[e] illud flumen magnum. Descendit autem imperator in flumine cum duobus militibus, et cepit natare; et tunc inundatio aquarum venit et mersit eum et necavit. Quidam autem miles currens cum equo traxit eum foras. Eo namque die obiit; maximo fletu et lamentis portaverunt eum ad civitatem Salaphim[68], 68 preparantes eum per tres dies et condiderunt eum aromatibus. Cuius animam optamus ad celestem curiam pervenisse. Et vere poterat dicere altissimo datori[69]:

*Mortuus es*[f] *pro me; nunc tibi reddo vicem.*

Et ita accidit, sicut auspicibus dudum intellexerat, quod in aqua erat periturus. Qui cum vellet sepulcrum Domini visitare, timens maris transitum, per terras et loca periculosa de quibus superius diximus conatus est transire; fuit enim fortis et audax, largus, facundus, atque in omnibus valens. Qui cum adholoscentulus esset priusquam esset ad regiam dignitatem electus, 1148. ab incarnatione Domini, in exercitu christianorum aput Anthiociam in ossidicione residente, presentibus domno Conrado Romanorum imperatore, et rege Lodoyco Francorum, et aliis multis principibus, quemdam militem Turchum ferocissimum, qui cottidie usque ad castra christianorum veniebat usque ad temptoria, vulnerando in fugam convertit ipsumque usque ad portas civitatis Anthiocie persequendo, gladio, quem manu gerebat, in portas ereas illius civitatis percussit; quod cum soldanus intellexisset Fredericum adholescentulum talia fecisse et quia erat nepos imperatoris Conradi, iussit ubi percusserat in porta auro impleri. Imperavit[g] autem idem domnus Fredericus annis 35, temporibus Adriani, Alexandri, Urbani, Gregorii et Clementis appostolicorum.

1189. de mense Octubris obiit rex Guillermus Apulie, et levatus fuit rex Tranchedus.

Sequenti anno marescalchus imperatoris collecto magno exercitu intravit Apuliam, et 1190. nichil faciens retro rediit.

## Gesta imperatoris Henrici filii domni Frederici imperatoris.

1191. indictione 10, die 15. mensis Aprilis, rex Henricus a domno Celestino papa in 1191. imperatorem Romanorum fuit coronatus aput urbem Romam. Sequenti anno de mense 1192. Madii imperator Henricus venit in Lombardiam; primo ivit Mediolanum, postea Papiam, deinde Placentiam; et dimisso exercitu suo in Lombardia, equitavit Ianuam, et exercitus fol. 46' eius ductus fuit in Apuliam. Primo civitatem Neapolim cepit obsidere; qui, morbo tam ipso[h] quam exercitu[i] confecto, rediit Alamaniam. Anno vero quarto revertens, totum

a) notuque c. b) uicibūgi c. c) et c. d) plandium c. e) quippe *A. Mediol.* f) Mortuo eo *codex.* g) Imperator *codex.* h) ipsi c. i) exercitui c.

68) Seleucia? 69) scilicet Christo.

1194. regnum Apulie subiugavit, ubi plurimos rebelles diversis penis cruciavit, filium Tranchodi regis Siculorum cum matre et Margarito rege Epirotharum secum in Alamaniam duxit captivos, et 30 naves ultra mare transmisit militum et peditum honeratos.

1197. Sept. 28.

Vixit autem iste imperator annis 6, mensibus 5, diebus 9. *in marg.*

1202. obiit sanctus Raymondus 9. mensis Iulii. *in marg.*

1197. indictione prima, die quarto Kalendas Octubris in vigilia sancti Michaelis, dictus imperator Henricus obiit in Sicilia in civitate Muxine[70], relicto filio nomine Frederico rege Sicilie ex domna Constancia procreato. Interea dum idem Fredericus parvus erat, accidit quod rex Francorum et Anglorum et alii reges et principes et magnates essent insimul in prandio congregati, inter quos erat quidam nobilissimus iuvenis pulcer nimis, nomine Octonus, de genere Saxonum; eratque nepos regis Anglorum. Cui rex Anglie porrexit obbam auream dicens: *Accipite nepos, quoniam vos estis dignus habendi coronam Alamanie, et adhuc eam habebitis.* Rex vero Francorum[a] audiens hec verba, extrasit cirothecam de manu sua, et quasi nugando porrexit ipsam cirothecam ipsi Octono dicens: 71 *Tolle! quando habebitis illam coronam, ego tradam vobis Zartaram*[71] *et Parisium.* Et tali modo Octonus precepto et instigatu regis Anglorum illam[b] cirothecam suscepit. Factum est autem parvo tempore evoluto, cum rex Philipus frater quondam domni Henrici imperatoris in Alamania apud civitatem Banbergam requiesceret in aula sui palacii, et qui coronam defendebat quidam princeps nomine Falsagrates eius gener causa loquendi cum eo in aulam eius introivit, et evaginato gladio ipsum regem Philipum propter quod filiam eius, sponsam dicti principis, alteri copulaverat in matrimonium, interfecit. Quapropter dictus Octonus de Saxonia in audaciam elevatus, ab Innocentio tercio papa in basilica sancti Petri in[c] imperatorem Romanorum coronatus est 1209. ab incarnacione die 4. mensis Octubris.

Oct. 4.

Cessavit autem imperium ab Anrico imperatore usque ad imperatorem Octonem annis 12, diebus 7. *in marg.*

Qui accepta corona statim pugnam habuit cum Romanis, et omnes Lombardos et Tuscos sub iugo imperii habuit, et contra voluntatem domni pape intravit in regnum Apulie auferens illud regi Frederico; quapropter fuit cum principibus excommunicatus. Deinde imperator Octonus Alamaniam properavit, et magnam partem Alamanie subiugavit. Dictus autem imperator non inmemor cirothece quam rex Francorum[d] sibi porrexit, congregato maximo exercitu et consilio comitis Bolognensis[e] et aliorum magnatum regis Francorum[f], — sciebat enim Lodoycum filium regis Francorum cum magna militia in Angliam transisse, qui contra regem rebellabant. Paciscerant enim cum rege Francorum dandi ei loca et terras Anglie, et inde ossides ei dederant. Rex vero Francorum[f] etate vetustissimus audiens adventum imperatoris Octonis, congregato[g] exercitu suo et gente sua omnimode ut potuit, preliatus est cum eo; et fracto exercitu imperatoris Octonis, fuga stetit per plures dies et noctes. In quo bello comes Bologne captus fuit, cui rex Francorum cappam plumbeam ei fieri fecit et in eam suam vitam finiri iussit; aliosque aliquos[h] principes et falsos in dicto prelio captos diversis penis cruciavit.

1212. Anno vero quarto imperii Octonis principes Alamanie mandato domni Innocentii pape Fredericum predictum in regem Romanorum elegerunt. — Qui ab Apulia navigio veniens usque Romam, a domno papa et populo Romano honorifice receptus, iterum per mare Ianuam missus fuit. Deinde per Astem et Monferatum Papiam accessit 1212. ab incarnatione Domini de mense Madii.

Aug. 4. Et die quarto mensis Augusti proximo cum Papienses pro comuni associassent pre- fol. 47. dictum regem usque in Mombrionum et in illis partibus, et rex fuisset cum marchione Estensi et Cremonensibus, qui ei obviam venerant Papienses revertebantur ylares et securi. Interim militia Mediolani Papienses attingit, et inter se fortiter preliantes, Papienses non valentes substinere copiam Mediolanensium, terga vertentes fugam pecierunt. In quo bello 128 milites ex Papiensibus ceperunt. Deinde dictus rex per Mantuam et Veronam in Alamanian properavit; ibique contra Octonem mirifice superando triumphavit.

1218. de mense Madii dictus Octonus imperator obiit in Alamania. Imperavit autem iste Octonus annis 9. Cessavit autem imperium ab isto imperatore Octone usque ad imperatorem Fredericum secundum annis 2.

a) flancorum *c.* b) illum *c.* c) im *c.* d) flancorum *c.* e) bologne *c.* f) flancorum *c.* g) congregatu *c* h) quos *c.*

70) i. e. Messinae. 71) an Chartres?

## Gesta domni Frederici imperatoris secundi, Romanorum imperatoris, Ierusalem et Scicilie regis, de rebus gestis in Lombardia.

Quoniam quidem tribulationes[a] bella angustie et tormentaque gesta sunt in Lombardia tempore istius domni Frederici imperatoris, ab antiquis in scriptis nobis tradita esse noscuntur; dignum et utile duximus ad memoriam posterûm reducenda bella et tribulationes, angustias, seditiones et tormenta, gesta in Lombardia tempore domni Frederici Romanorum imperatoris, cupiens solummodo veritatem diserere et narrare. Quoniam et qui fecere, et aliorum facta scripsere, multum laudantur. Licet enim homines potius semper presentia affectent quam preterita et futura, ceterum quidem unum proverbium produco in exemplum. Nam sicut ova piscium que in alveo aridi fluminis per centum steterunt annos, cum fluvius in eodem alveo regreditur, ex ipsis ovis pisciculi procreantur: ita civitates loca et magnates qui in gratia imperatorie maiestatis antiquitus fuerunt, cum imperialis excelencie potencia apparuerit, ad eandem gratiam liberrime[b] inclinabunt.

Anno 1220. indictione 9. de mense Octubris predictus domnus Fredericus in impera- 1220. torem Romanorum coronatus fuit ab Honorio tertio papa in basilica sancti Petri, et in regno Nov. Scicilie et Apulie plurimos rebelles tam christianos quam Saracenos diversis penis cruciavit. Defuncta enim prima eius uxore regis Aragoni filia, ex qua genuit Henricum quem constituit regem Alamanie, copulando ei in uxorem filiam ducis Austrie, accepit in uxorem filiam regis Iohannis pro qua habuit regnum Ierusalem, ex qua domina genuit[c] regem fol. 47'. Conradum.

1226. de mense Madii predictus imperator cum egregia principum comitiva ab Apulia 1226. ad partes Lombardie accedere festinabat. In itinere quoque cum apud[d] civitatem Faventinam accessisset neque speraret bonum de eis, quemdam suum militem vice sui in ipsam civitatem cum honorabili militum comitiva direxit. Quem militem Faventini putantes et indubitanter credentes quod esset imperator, ipsum gladiis detruncaverunt et thesaurum et equos hominibus qui cum dicto milite civitatem Faventie intraverant erripuerunt. Imperator[e] autem cum sua gente Ymolam venit, et per Bononiensem episcopatum transiens, militie Cremone, Parme, Regii et Mutine obviaverunt ei, qui ipsum Mutinam duxerunt Deinde venit Regium, Parmam, Burgum[72] atque Cremonam, stetitque in illis partibus circa 72 tres menses. Interea rex Henricus filius eius ab Alamania cum maximo exercitu ad partes Lombardie festinabat. Qui cum per castrum quod dicitur Clusa Verone transire minime posset, ad propriam patriam est reversus. Imperator videns nil posse facere quod optabat, et quod societates Lombardorum eum contempnebant, per Monbardoni montes cum Conrado Malaspina ad partes Pontremulli accessit. Qui timens marchionum nequitiam, Pisanorum ibi expectavit miliciam, cum qua profectus est Pisis.

1227. indictione prima, de mensibus Madii Iunii[f] et Iulii, multitudo maxima virorum 1227. bellicorum, Theotonicorum, Biemorum, Hyspaniorum, Francorum[g] aliarumque regionum in Apuliam accesserunt causa ad transmarinas partes transeundi. Qui in illis partibus moram longam facientes, tacti morbo et aliis langoribus innumerabiles interempti sunt. Alii vero qui evaserunt videntes se transitum habere non posse, ad propria sunt reversi. Unde papa Gregorius indignatus, in die Iovis que dicitur sancta, in ecclesia beati Petri ex- Apr. 8 comunicavit imperatorem Fredericum. Iterum ei terminum dilatavit. Verum quia imperator ex precepto domni pape ad transmarinas partes accedere tenebatur, ut iussa domni pape videretur observare, cum viris nobilibus et galeis quinquaginta ad partes transmarinas in partibus Acrii et Ierusalem festinavit; et quia videbatur domno pape quod vicarii imperatoris in regno Sicilie et Apulie possessiones et iura ecclesie invaderent, pretermissis amonitionibus plurimis postulavit a rectoribus societatis Lombardorum militum subsidium. Qui milites usque in quantitate 300 apparati, habitis sumptibus a comunibus civitatum eorum ad domni pape curiam perrexerunt[h]. Unde domnus papa congregatis militibus Lombardie, Francie, Hyspanie aliarumque partium eisque instituto pro capitaneo Iohanne de Collompna cardinale ut eis preesset, in terras Apulie intraverunt civitates[i] et loca undique

a) tribulant *c.* b) liberime *c.* c) *deest* 1. d) *ita c.* e) ipsum gladiis detruncaverunt *bis scripta et rursus deleta.* f) Ianuarii *c.* g) flancorum *cod.* h) porexerunt *c.* i) civitatem *c.*

72) S. Donnino.

1227. devastantes. Imperator autem in partibus transmarinis cum soldano pactum fecit recuperando multos captivos qui dudum in captivitate steterant. Qui audiens ea que per suas terras et loca gerebantur, ad partes Apulie transmeavit. Milites vero ecclesie statim ad fol. 48. propria redierunt. Deinde imperator ad Romanam urbem accessit. Qui parens mandatis[a] ecclesie, de excommunicatione fuit absolutus, dando ipse domno pape propter labores et expensas ecclesie 32 millia librarum Privinisinorum[73].

1231. 1231. indictione 4. de mense Decembris imperator Fredericus cum militum comitiva Ravenan accedens ibi yemavit, parendo mandatis eius Ezolinus de Romano cum parte in-
74 trinseca Verone. Posuitque in Verona in custodiam comitem de Tirali[74] cum 200 militibus, et Veronenses acceperunt in potestatem de mandato imperatoris Guillelmum de Persio civem[b] Cremone. Imperator autem Fredericus[c] missit per litteras et nuncios civitatibus societatis Lombardorum, ut coram eo ambaxatores destinarent, ut cum eis de bono imperii
1232. et Lombardorum pertractaret. Lombardi vero spreverunt mandatum eius. Unde imperator
Mart. 7. die dominico 7. mensis Marcii inter nonam et vesperas de civitate Ravene cum parva turba exiens ad maris litora pervenit, deinde cursum navigando per Padi undas Loretum[75] direxit; ibique moram faciens cum ambaxatoribus Venecie fuit locutus, dicens et proponens se velle beati Marchi limina visitare, postulans ut ipsum in civitatem cum sua turba recipere deberent. Cum autem cognovissent Venetici ipsum velle oracula beati Marchi visitare, communicato consilio ad eandem concesserunt accedere civitatem, moram ibi faciente per quinque dies. Dixit Veneticis se velle eis donationes facere, et quascumque vellent peticiones ab eo facere acciperent. Venetici autem communicato consilio respondentes dixerunt imperatori: *Domine, si alia parte essetis, credimus utique nobis*[d] *utilius fore quod sponderetis, ne aliquo tempore posset dici, vos illud metu fecisse.* Ipse autem dixit eis, se velle eis donationes facere. At illi petierunt dicentes: *Domine imperator, ita volumus et petimus a maiestate vestra nobis condonari, ut nobis liceat absque*[e] *ulla lesione nostras recolligere merces, si aliquo tempore acciderit quod aliquod nostrum lignum in vestris terris frangeret.* Quod quidem eis concessit. Et de eadem civitate exiens, per maris undas navigando Aquilegiam accedere festinavit, cum principibus Alamanie locuturus.

1233. Apr. In proximo mense Aprilis rex Henricus filius eius cum comitibus principibus et viris nobilibus Alamanie ante presenciam domni imperatoris accesserunt. Qui omnes ibidem sua iuraverunt precepta, dando eis in mandatis et districte precipiens, ut quilibet eorum cum forcia militum ad partes Lombardie usque ad Kalendas Marcii accedere deberet. Quo facto imperator inter eos distributionem auri et argenti fecit. Imperator autem navem intravit, iter quoque suum ad partes Apulie per maris undas festinavit.

1234. 1234. indictione 7. rex Henricus filius imperatoris conscilio quorumdam principum Alamanie absque[e] consensu et voluntate patris conspirationem cum societate Lombardorum pertractavit, ita quod Mediolanenses, Brixienses, Bononienses miserunt in Alamaniam ambaxatores coram rege Henrico; et hec de mandato pape Gregorii tractabantur. Quod quidem intelligens imperator, qui erat in Apulia, de predictis que fiebant absque[e] sua volun-
fol. 48'. tate, per maris undas sublato pelago Alamaniam venit, habuitque omnia que voluit secundum sue voluntatis arbitrium. Nam dictus rex filius suus sine contradictione sue se reddidit
76 potestati. Qui de reddendo castro quod Tres-rupes[76] dicitur et quibusdam aliis que promiserat[f] cum non servaret, precepit imperator ipsum captivum detineri et in regnum Apulie in custodiam duci. Ambaxatores quoque Lombardorum in quodam castello ossessos[77] et captivos tenuit in carceribus circa annum, quos postea illesos abire permisit. Nomina illorum ambaxatorum fuerunt hec: de Mediolano Manfredus Petrus Sanctus, de Brixia Lanfranchinus de Lavellolungo et Ugolinus de Ugonibus.

1235. 1235. indictione 7. de mense Madii nuncii imperatoris ab Apulia duxerunt in civitatem Cremone elephantem et duos dromendarios. Hiis temporibus civitas Placentie in divisione permanebat, attendentes milites eiusdem Lombardis, populus vero cum Cremonibus

a) fol. 47' mā | fol. 48 tis c. b) ciue *cod.* c) l. *codex.* d) nobis ul utilius *c.* e) asque *c.* f) promiserant *c.*

73) moneta Romana, cf. edit. Parmensem h. l. 74) i. e. Tiroli. 75) Loredo seu Loreo prope Adriam. P. 76) Trifels. 77) i. e. obsessos.

et eorum amicis iuraverat. Quare domnus Guillelmus de Andito, qui populo[a] eiusdem 1235.
civitatis preerat, claves aureas sicut dicitur per suos nuncios domno imperatori destinavit, quod erat signum mandatis imperatoris obediendi.

Deinde imperator Fredericus direxit in Lombardiam ad suos fideles epistolam continentem ita:

1236. de mense Iunii. 1236. Iun.

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, Ierusalem et Scicilie rex et cetera. Cum de felici processu nostro devota sitis affectione soliciti, et ad eorum que circa nos aguntur noticiam aspiretis, universitati vestre presentibus intimamus, occurentibus nobis undique principibus nostris qui erant in regione vicini*[b] *tam ipsis quam magnatibus et populis civitatum presenciam nostram recipientibus summo voto. Et cum mandatum nostrum per litteras nostras et nuncios emanasset ad multos, ut abiurantes omni iuramento, si quod alicui fecerant, nobis et imperio specialiter fidelitatis iuramenta prestarent, tam illi qui*[c] *iussi fuerant quam ceteri ad quos adventus*[d] *nostri fama pervenit, zelo fidelitatis*[e] *accensi; abiuratis quibuslibet iuramentis statuto persona pro parte nostra in receptione*[f] *iuramentorum, nobis et imperio sollenpniter iuraverunt. Set ubi pervenimus*[g] *Racisponiam, conveniente ibidem nobiscum egregia principum comitiva, nobilibus et ministerialibus*[h] *multis ex diversis Alamanie partibus et de ducatu nostro Suevie concurrentibus ad nostram presentiam, de tranquillitate*[i] *circumiacentis*[k] *provincie plene tractavimus; recipientes ibi nuncios de prospero statu future consortis nostre sororis illustris regis Anglorum, que post accessam suum in Alamaniam quocumque transivit, omni honorificentia principum, nobilium, populorum devocione recepta est*[l], *magnifice duximus procedendum, prout tanti federis exigit magnitudo. Preterea quia rex filius noster recedentibus omnibus ab eo post* fol. 49
*adventum nostrum quos invitos ad se traxerat, de singulis dubitando, incertus utrum*[m] *ad pedes nostros accederet, vel quod oporteret eum in aliquo castro recipi, cum*[n] *quasi de gratia nostra defidens se cum suis in castro Trevelli receptare proponeret, tandem ad cor reversus, nuncios suos venientibus nobis apud Nourembercº destinavit, per quos devocionem suam plene nobis exponens et indulgentiam postulans, obtulit se paratum ad nos iuxta mandatum nostrum nulla interposita condicione venire*[p]. *Ceterum una cum*[q] *omnibus principibus nostris sollempnem et generalem curiam in festo asumptionis beate virginis Marie aput Maguinciam indiximus cellebrandam. In qua disponetur de tranquillo statu tocius imperii nostri et omnium nostrorum fidelium, super iniuriis et offensionibus que hactenus imperio sunt illate, que excellentia nostra et omnes imperii principes dissimulare ulterius non debemus, quin ad persequendum et ad refrenandum ius imperii de cetero potenter et unanimiter intendamus. Ut ergo zelus fidei vestre super hoc et principum intentionem conveniant, sollempnes nuncios vestros*[r] *et ceterorum nostrorum fidelium in eadem curia prefixo termino et loco volumus interesse. Mandantes universitati vestre, quatenus honestos et providos nuncios destinetis, qui veniant omnium vestrorum et aliorum nostrorum fidelium, comitum, marchionum et vassallorum sub districtu et societate vestra viventium, qui venire non poterint, voluntate ac devotione plenius informati; quorum litteras patentes habeant et sigillis pendentibus eorumdem, quod omnes vos paratos et promtos in personis et rebus ad honorem nostrum et imperii promovendum et reddenda*[s] *grandia iura nostra in partibus Lombardie et ad confundendum totis viribus omnes et singulos ipsarum parcium qui nobis et imperio adversantur; ita quod in generali curia proponant et animent principes et totam curiam, et contra infideles imperii et ad promotionem*[t] *omnimodam status nostri et vestri. Licet enim*[u] *ad hoc voluntas omnium sit firmata, sicut patebit in eadem curia per effectum, multum erit utilis et accepta vestrorum*[v] *presentia nunciorum. Data* et cetera.

Eodem anno de mense Marcii proximo magister Alamanorum, comes Gaboardus, magister Petrus de Vineis, Tadeus de Suesa, iudices magne curie, cum comite Symone de Reyto, potestate Cremone, et potestatibus et ambaxatoribus Cremone, Papie et Terdone, Astis, Verone, Parme, Regii et Mutine, presentibus Guillelmo de Andito et filiis rectoribus populi Placentie, parlamentum in palacio Placentie fecerunt. In quo dictus magister Petrus
de Vineis proposuit dicens: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam;* Esa. 9, 2.
*habitantibus in regione umbre mortis, lux orta est eis.* Deinde ortatus est ipsos dicens, ut

a) ppl's *c.* b) Utini *B. corrigere proposuit, quo tamen non opus est.* c) quam *c.* d) euentus *c.* e) fidelitatibus *c.* f) recipiant *c.* g) perveniemus *c.* h) ministrantibus *c.* i) tranquilitate *c.* k) circumducentis *c.* l) *r.* est *inserui.* m) ultrum *c.* n) cum de q. de *c.* o) rourēbert *c.* p) ueniret *c.* q) *deest in c.* r) nrōs *c.* s) reddente *c.* t) promunitionem *c.* u) etiam *c.* v) ñrorum *c.*

1235. cum omni eorum exfortio essent parati festum Domini peroptatum cellebrare. Eodem tempore maior pars militie Placentie extra civitatem exierant, et populum et civitatem fol. 49'. gueriabant[78] stando in castris episcopatus Placentie.

1236. In proximo mense Madii 1236. predictus imperator direxit episcopo Cumarum epistolam[79] continentem ita:

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, Ierusalem et Scicilie rex, venerabili Cumarum episcopo dilecto fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Dum debitorum nostrorum cirographa legimus, dum kalendarii nostri nomina diligentissime perscrutamur, et nos debitores aliis*[a] *evidenter agnoscimus, et aliorum nos esse perspicimus creditores. Hinc igitur pulsantis*[b] *ad hostium creditoris iusta nos urget instantia ne fenore pregravemur; hinc ad exactionem debitorum nostrorum periculosa negociis mora nos provocat, ne quando pereant*[c] *actiones. Ab illo namque bono patrefamilias protinus instanter a nobis exigitur debitum, qui peregre proficiscens, familiam suam sollicitudini nostre supposuit; cui talenta que credidit reddere cogimur duplicata. Set et versa vice nos excitat cesaree fortune fastigium, ut ab eis quos Romane dictionis habet imperium, subiectionis et obedientie debitum exigamus. Mirabilis tamen utrumlibet conditionis*[d] *est debitum si subtiliter intuemur, cuius exsolutio debitoris emolumenta non minuit, auget fidem; imo longe magis solventi crescit*[e] *incommodo quam suscipienti proficiat in augmento. Etenim si in eo, prout de iure tenemur, satisfaciamus preponenti ut prepositi diligentis officium impleamus, imperialis honoris nobis stipendia*[f] *querimus, dum clarificamur in fama*[g], *et retributionis eterne fiduciam dum proficimus in salute. Et si iussu dominico que sunt cesaris cesari persolvantur, emolumentum solutionis in totum fere solventi relinquitur, dum recipienti non magis commodi et honoris acquiritur quam vexationis et honeris*[h] *aggregatur solventi*[i]. *Eiusque namque sunt omnia, si verum inspicimus, subiectorum grata levamina, que sunt honera principatus. In hoc enim gloriosi regis extollitur solium et servatur, ut in*[k] *quiete pacis populum dirigat et in iustitie vigore conservet; ad quorum primum non sine multo regnantium salutis et vite discrimine laboratur; legimus namque quam multos principes pro quiete publica populorum labores nimios assumpsisse. Nec ex toto secure iusticia per reges et cesares gentibus ministratur*[l], *qui dum inferiores iudicant, superiori iudicio reservantur. Et quamquam*[m] *tanti sollicitudo misterii quibuslibet terre principibus debeatur, Romani*[n] *tamen imperii veneranda sublimitas, quod in omnium presidentium oculis velut in speculo collocatur, tanto profectius zelare pacem, tanto tenetur instancius vacare iusticie subiectorum, quanto tocius orbis ambitus quodammodo spiritu vivit imperii, ut eo languente langueat et ipso prosperante lectetur. Nec in temporalibus solum christiani populi tenebras Romani sceptri fulgor*[o] *illuminat, set ipsi catholice fidei fulcimenta non levia subministrat, dum caput et matrem ecclesiarum omnium, apostolorum sedem, inter ipsius potencie*[p] *viscera collocatam, a qua*[q] *ecclesie urbium singularum auctoritatis insignia*[r] *contrahunt et instruuntur*[s] *exemplis, hereticorum perfidiis vel* fol. 50. *aliquorum iniuriis conquati non permittit. Propter quod exhibere gratissimum Deo vivo paramus obsequium, si*[t] *zelo laudabili et constanti proposito ad tocius imperii statum pacificum tanto libencius aspiramus, quanto clariori presagio hoc de celesti colligimus voluntate. Nec enim*[u] *ob aliud credimus quod providentia Salvatoris sic magnifice imo mirifice direxerit gressus nostros, dum ab orientali zona regnum Ierosolimitanum Conradi karissimi nati nostri materna successio, ac deinde regnum Scicilie preclara materne nostre successionis hereditas, et prepotentis Germanie principatus sic nutu celestis arbitrii pacatis*[v] *undique populis sub devotione nostri nominis perseverant, nisi ut illud Ytalie medium, quod nostris viribus undique circumdatur, ad nostre serenitatis obsequia et imperii redeat unitatem. Nec in hoc providere solummodo commodis nostris intendimus, set per hoc crucis negocium directissime procuratur, dum rebellibus nostris circa partes Ytalie in gremium nostre gracie revocatis, expectationes multorum nobilium desiderato fine precidimus; qui vota sua in eventum huiusmodi suspenderunt, ne crucis signaculo*[w] *presignitos christiani cruoris effussio, licet iusta*[x], *ob debitum et honorem imperii scilicet macularet: nos etiam, de cuius manu potissimum terra predicta prestolatur auxilium, sine tacita*

a) alios *c.* b) pulsantes *c.* c) pant *c.* d) conditoīs *c.* e) concessit *c.* f) dispendia *c.* g) fame *c.* h) honoris *c.* i) *deest c.* k) *deest c.* l) ministrantur *c.* m) Et q̄ cum *c.* n) romanum *c.* o) fulgur *c.* p) penitencie *c.* q) Et quia *c.* r) insigna *c.* s) instruunt *c.* t) set *c.* u) eum *c.* v) paratis *c.* w) signacula *c.* x) iusti *c.*

78) i. e. infestabant, guerram interebant. 79) cf. Legum T. II. p. 320, unde hic complura emendantur.

*saltem redargutione multorum relicto in tam nobili regione imperii nostri corpore lacerato, et* 1236. *dissimulata tam veteri rebellione rebellium, assumere libere tantum negocium non possemus. De sinu ipsius Ytalie supradicta discordia ad honorem Dei et imperii laudabili fine sedata, grande*[a] *speramus producere auxilium Terre Sancte; que velut incolis populosa, vicina*[b] *maritime, glebe cultu*[c] *frugifera, in oportunitatibus omnibus ad dictum negocium se nimium utilem exhibebit. Ad hec igitur omnia salubriter procuranda*[d]*, nec nostris indulgere laboribus nec parcere sumptibus disponentes, estate presenti personaliter cum principibus nostris intrare condiximus Lombardiam, ad hec tria potissime consideracionum nostrarum oculos*[e] *dirigentes, ut eradicata*[f] *in Ytalia heretica pravitate, iura ecclesie et imperii reformemus ibidem; et ut pacem discordiarum scismatibus fatigatis, et quibuslibet passis iniuriam absque acceptione qualibet personarum iustitiam ministremus. Scimus etenim veritate testante, quod nobis malignum aliquod adversari non poterit, dum iusticie*[g] *solio presidemus; et ut ad expiandum inimicorum pia celeritate flagitium in partibus transmarinis, de communi Cismontanorum et Ytalicorum consilio votis paribus unanimiter aspiremus, ad quod*[h] *nostrum precipue et tocius universitatis christiane presiduum iam non tantum utilitas, set ipsa necessitas instanter invitat, cum treuguarum*[i] *finis, quas nos in ipsis partibus existentes inivimus*[k] *cum soldano, fere in ianuis habeatur. Ideoque de nostrorum principum consilio aput Placentiam sollempnem curiam duximus inducendam, ad quam ab Urbe citra omnium universitatum Ytalie nuncios invitamus. Ibique quam plures nobiscum principes nostros habebimus in honorabili comitiva, legatos etiam omnium regum occidentalium partium, quos fere omnes*[l] *affinitatis vinculum nobis unanimes iam effecit*[m]*, ibidem procul dubio credimus habituros, ut intentionis nostre salubre propositum quod de sub-* fol. 50'. *sidio terre Dei ac reformatione iurium ecclesie et imperii in Ytalia et statu pacifico regionis eiusdem pia mente concepimus, in sollempnem et publicam prodeat notionem*[n]*. Et si tanta rebellium fuerit inventa protervitas, quod nec ad Dei negocium, nec ad decus imperii velint habere respectum, tum celebris tribunalis in eos sententie gladius exeratur*[o]*, que nec appellationis nec supplicationis remedio suspendetur*[p]*, set in rem transiens iudicatam effectum*[q] *dante Domino debitum*[r] *e vestigio consequetur. Et ut in hiis omnibus antiquus et debitus*[s] *mos et honor imperii conservetur, ecce quod ante faciem nostram de principibus nostris aliquem premitemus, cui plenariam dabimus potestatem universitates quaslibet ac personas etiam singulares extra culminis nostri*[t] *gratiam et banno imperii existentes in plenitudinem gratie nostre recipere, prout honori nostro et imperii iudicabitur expedire. Prenominato etiam principi potestatem conferre decrevimus in cuntumaces nova banna decernere et eos debita animadversione*[u] *punire, illo presentibus et expressim inserto*[v]*, quod nos inviolabiliter promittimus observare et observari facere ab*[w] *universis et singulis imperii nostri principibus*[x]*, quidquid*[y] *de restitutione gratie nostre cum quibuslibet universitatibus seu personis per ipsum ordinatum extiterit; nec minus honori et voluntati nostre satisfactum habebimus, quicumque dicto principe mediante gratiam nostram debita devocione poposcerit, quamsi*[z] *ipsam a*[a] *nobis presentibus obtineret. Tu igitur velut fidelis et prudens et te ipsum ad curiam supradictam honorifice prepares, et*[b] *potestatibus consiliis atque communibus Cumarum, Mediolanni, Novarie, Pergami, Vercellarum, Brixie, Alexandrie, Laude, ex parte nostra precipias, ut ambaxatores suos ipsorum actoritate munitos in dicta curia ad nostram presenciam studeant destinare. Qui pro parte universitatum vestrarum*[c] *tam super Terre Sancte negocio quam super reformatione imperii et iusto ac pacifico statu terre nostris et imperii se mandatis exponant. Scripssissemus utique predictis universitatibus singulis civitatum, nisi quod esse preposterum principum nostrorum conscilia*[d] *crediderunt, ut devocionem ipsorum imperialium apicum scriptura preveniat, nec nostrarum prescriptio litterarum merito poterat gratiam nostram*[e] *illis exponere, qui eam assequi non nituntur. Nos autem gratis auspiciis in festo sancti Iohannis proxime venturo aquilarum victricia signa nostra movebimus ab Augusta; subsequenter in festo beati Iacobi indictam regere curiam disponentes, illo viam nobis ostendente qui noverit, et iter prosperum faciente qui potest*[f]*.*

In proximo mense Iulii domnus Iacobus Prenistrine[80] episcopus cardinalis Placentiam fol. 51. accessit, qui caute cum quibusdam magnatibus populi sub specie[g] pacis Guillelmum de

a) grāde *c.* b) vicine *c.* c) culte *c.* d) procurando *c.* e) ottoē *c.* f) heredicata *c.* g) iusticia *c.* h) quidem *c.* i) treugnarum *c.* k) intuimus *c.* l) omnis *c.* m) effidit *c.* n) nationem *c.* o) exaratur *c.* p) suspendentur *c.* q) offensionem *c.* r) debito v. consequentur *c.* s) antiquus debitor *c.* t) nostris *c.* u) animauersione *c.* v) insero *c.* w) *deest c.* x) p. faciemus *c.* y) q. autem *c.* z) quasi *c.* a) *deest c.* b) *inserui, deest in c.* c) nostrarum *c.* d) conscilio *c.* e) gratia nostra *c.* f) *hic loco vacuo relicto, manu Mutii inseruntur versus supra ad annum* 1174. *relati.* g) spe *c.*

80) i. e. Palestrinae.

1236. Andito et filios, rectores populi, ablata eis dominatione, de civitate expulit: statim introductis militibus qui extra per episcopatum morabantur in civitatem, dedit eis per potestatem Raynerium Zenum de Venecia; exinde Placentini rebelles imperatori fuerunt.

Deinde imperator direxit comiti Gaboardo, qui in Ytalia pro eo legationem obtinebat, epistolam continentem ita:

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Scicilie rex, Gaboardo de Harnesten*[a] *fideli suo gratiam suam et omne bonum. Ylariter et benigne recepimus tue devotionis litteras nostro culmini destinatas, et earum tenorem intelleximus diligenter, quod continebatur in eis rumore tenus dici per Lombardiam, quod facta Austrie nos debeant personaliter retinere. Noveris et scire facias universos, quod licet quattuor exercitus ordinaverimus in Austriam transmittentes, nichilominus cum maximo potentatu*[b] *die Veneris* 11. *mensis presentis Iulii ab Augusta movemus feliciter castra nostra, versus Ytaliam felicibus auspiciis properantes. Scias insuper quod pro exercitibus missis in Austriam nedum quod minoratus sit numerus militum cum quibus Alpes disposuimus prospera sorte transire, immo pocius crevit, ut pateat universis, tantam imperii esse potentiam, quod diversos exercitus facere possumus et habere. Tu igitur cum premissa militum comitiva in nostro servicio conforteris*[c]*, et etiam que*[d] *nostrum et imperii honorem exaltationem promoveant, studeas exercere, felicem adventum nostrum in proximo prestolando. Data apud Augustam* 11. *Iulii indictione* 9. 1236.

1236. in proximo mense Augusti imperator Fredericus cum magno Theutonicorum exercitu Veronam accessit, et inde semotus venit cum Yzolino de Romano et Veronensibus ad flumen Mencii, et castrametatus est. Cum enim vellet Cremonam accedere, Mantuani rebellabant; Brixienses autem cum Mediolanensibus, militibus quoque Bononie, Ferarie, Mantue, Laude, Vercellarum, Cumarum, Novarie, Alexandrie et aliis cum carociis apud Monteclarum fixis temptoriis resistebant. Interea Cremonenses et Parmenses cum Reginis[e] et Mutinensibus in partibus de Ysollela super flumine Olii albergati residebant, qui die 11. mensis Septembris proximi relictis carris pro maiori parte sumptis armis tam populares
81 quam milites, ascherati per terras Brisiensium iterantes, ad flumen Gesii[81] pervenerunt, non distantes ab exercitu Brixiensium et Mediolanensium ultra duo miliaria, tota nocte armati et ascherati imperatorem expectantes. Intelligens imperator Cremonenses et Parmenses ei obviare, summo mane tubarum sonitu castra movere iubet. Adscendens in equo, elevata[f] voce coram principibus conquestus fuit dicens quoniam: *peregrini et viatores ambulant ubique, ego autem non sum ausus agredi per terras imperii.* Deinde statim assumpta aquila manu propria, cum principibus cepit flumen Mencii transire et omnis exercitus cum eo; et equitando ad exercitum Cremonensium pervenit. Altera die imperator semotus cum exercitu suo et Cremonensibus et Parmensibus et aliis, apud Gudim et Voltam Mantuanam trans Mantue castrametatus per duos dies devastavit. Et inde cum exercitu apud Marchariam[82] castrum Mantue pervenit, et habito ipso castro aput Mosium castrum Brixie, in quo pedites Medioloni[g] aderant, properavit; qui pedites nocte proxima de castello absentantes, illud imperatori relinquerunt. Et inde per episcopatum Mantue usque ad civitatem devastavit, moram ibi faciens per 15 dies. Et impositis custodiis in ipsis castellis, per pontem de
fol 51'. Marcharia transiens[83], venit Cremonam. Cum enim vellet Papiam[h] proficisci, Mediolanenses cum carocio, Laudensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Cumanis, Alexandrinis et aliis aput Laudam vegiam fixis temptoriis resistebant. Preterea Paduani, Vicentini, Trivexani, comes Sancti Bonifacii, marchio de Est, cum Veneticis, illis de Feltro et Citadella et aliis castrum Ripalte Veronensium obsedebant. Unde imperator volens iuvamina prestare Yzolino, mense Novembris proximo, quadam die circa vesperas motus a Cremona, cum exercitu Veronam properavit, et cum Yzolino iuxta exercitum inimicorum sua castra posuit. Intelligentes Paduani et ceteri imperatorem advenisse, statim motis eorum temptoriis ad propria ceperunt remeare. Dum autem sic recederent, Yzolinus cogitavit civitatem Vicentii capere posse, festinanter cum suis militibus equitans, civitatem Vicentii intravit, priusquam[i] concives ad ipsam accederent civitatem, ignem magnum in ipsam civitatem apposuit. Cognoscentes vero Vicentini a longe eorum civitatem captam fore, terrore magno perterriti ad alias partes diverterunt.

a) Hamesten *c.*; *est comes de Arnstein.* b) potetatu *c.* c) confortetis *c.* d) quod *c.* e) regis *c.* f) eleuato *c.* g) *ita c.* h) papia *c.* i) postquam *c.* 81) Chiese. 82) Marcaria. 83) Olium scilicet.

Eodem mense Novembris Salienguera cum Ferrariensibus paruit mandatis imperatoris. Similiter Ghecius de Camino cum aliis de Camino eorum castra imperatori dederunt, episcopatum Trivixii usque ad civitatem devastantes. 1236.

In proximo mense Decembris imperator cum maiori parte exercitus sui in Alamaniam properavit[a] propter ducem Austrie qui ei[b] rebellabat. Die Mercurii 9. Kalendas Ianuarii proximo in nocte natalis Domini Mantuani intraverunt Marchariam, ceperuntque ibi 300 pedites Cremone qui in ea causa custodie erant.

In proximo mense Februarii comes Gaboardus et Yzolinus ceperunt circa 80 milites Padue. Statim Paduani domno imperatori obedierunt, et marchio similiter de Est eius mandatis paruit. In proximo mense Marcii Trivexani mandatis domni imperatoris paruerunt. Similiter Pergamenses receperunt potestatem per imperatorem. 1237

1237. indictione 10, de[c] mense Iunii domnus papa Gregorius in Lombardiam duos cardinales pro pace componenda destinavit inter imperatorem et societatem Lombardorum rebellium. Primo venerunt Mantuam cum patriarcha Antiochie et archiepiscopo de Mixina; erant enim cum eis iudex Thadeus, Petrus de Vineis, iudices imperatoris. Mandaverunt enim Lombardis ut mitterent ambaxatores cum eis; deinde equitaverunt Brixiam, moram ibi facientes per unum mensem.

Interea magister Alamanorum direxit litteras ipsis cardinalibus aput Parmam commorantibus continentes ita:

*Reverendis in Christo patribus ac dominis, Raynaldo Ostiensi et Velletrensi[d] episcopo et Thome titulo Sancte Sabine presbitero cardinali apostolice sedis[e] legatis, H.[84] ospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierusalem minister, humilis reverentie et obsequii devotionem. Prout denunciavimus vobis per alias litteras, sic iterato per presentes paternitati vestre cupimus esse notum, quod dominus serenissimus imperator iam versus partes Auguste se contulit, ut deinde cum victorioso exercitu repetat Lombardiam. Nos autem eo movente ab Augusta feliciter castra sua, una secum movere disposuimus, prevenientes eundem ut sepe iam scripsimus[f] et ad vos dietis[g] maximis properantes, ita quod circa festum assumptionis beate Marie virginis vobiscum presentes erimus Deo dante, ut sicut dominus noster papa attente monuit et precepit, procuremus inter imperialem excellentiam et Lombardos rebelles suos[h] vobis mediantibus bonum pacis. Nos enim expressim in capitulo nostro apud Marpurch[i] nuperrime celebrato, ubi pene centum fratres nostri[85] de nobilibus et potentibus tocius Germanie, quod utinam apostolice sanctitati et vobis plene pateret, presentes fuerunt, communi voto et voce[k] fratrum omnium consilium persuasit, ut de Lombardorum negocio nos de cetero intromittere debeamus. Principes enim Germanie nobis culpam ascribunt de negocio Lombardie, qui[86] non per[l] compositionis formam, set fuso sanguine, prout in arma furens imperium exigit, vellent Lombardos imperio subici et ad imperialis culminis mandata redire. Vix tamen ad instantiam nostram ab eisdem fratribus nostris, asserentes eis quod de pace tractanda nobis a domno papa datum fuerat in mandatis, obtinere potuimus[m], ut modo tantum redeundo ad vos compositionem ipsam tractare possimus. Vos ergo si videritis quod compositio ipsa deduci valeat ad effectum, Lombardos si placet in competenti loco taliter convocetis, ut cum veneritis sint ipsi[n] presentes. Pro certo enim tenere potestis, quod cesar invictissimus[o] nos dictis exercitui competentibus[p] sequitur. In pratis Verone, sicut anno preterito, moram non contrahet, nec detineri non poterit verbis et astuciis Lombardorum, vacantibus interim ensibus et lanceis Germanorum; set mox cum applicuerit, si non extiterit compositio preparata, incipiet contra rebelles vires suas strenue exercere, Theotonicorum suorum furioso impetu disoluto. Siquidem per interventum pacis huiusmodi posset aboliri[q] processus, crederemus utique gloriosum aput Deum et homines laude dignum; verum si hac vice nobis tantum bonum zelantibus pro Lombardis, ipsi neglexerint credere, volentes in superbia consueta persistere, nos de ipsorum negocio vel quiete tractare contra fratrum nostrorum omnium voluntates et vota principum non licebit[r]. Ecce palam coram Deo et hominibus nos de omnibus excusamus, quod ad procreandam pacem libenter intendimus. Nam debemus, et ad artandum processus bellicos libentissime laboramus, et in quantum*

a) p̄parauit *c.* b) eis *c.* c) die *c.* d) uallatrensi *c.* e) *deest c.* f) scripssimus *c.* g) dictis *c.* h) suis *c.* i) māpūch *c.* k) uote *c.* l) qui nc̄ *c.* m) *vox deest c.* n) ipā *c.* o) inuitissimus *c.* p) *potius* nos exercitu dictis competenti sequitur. q) aboltri *c.* r) latebit *cod.*

84) Herimannus. 85) fratres S. Mariae Theutonicorum. 86) scilicet principes.

1237. *possumus satisfacere nitimur apostolicis monitis et*[a] *preceptis. Ceterum scire vos volumus, quod a proposito premittendi*[b] *virum nobilem Gaboardum comitem de Harnesten*[c] *cum militum comitiva domnus imperator destitit cum ad ipsum pervenimus, quia tempore parlamenti*[d] *est venturus. Verumtamen ipsum cum festinantia premittit in Tusciam, in Lombardia sibi cum multa milicia occursurum. Presumptio quidem est et signa magna procedunt, quod idem domnus imperator nec estate nec yeme disponet relinquere Lombardiam, donec ad sui et imperii honorem inchoatum*[e] *negocium optato proferat complemento, quod pro certo creditur quod imperatricem*[f] *illustrem consortem suam illic venire faciat et tenebit ibidem.*

In mense proximo Iulii predicti cardinales aput Florentiolam castrum Placentinorum accesserunt, et rectores societatis Lombardorum illuc equitaverunt. Inceperunt autem cardinales tractare pacem inter Lombardos et nuncios imperatoris tali modo, scilicet quod imperator primo petebat fidelitatem sibi a Lombardis prestari, et societatem quam simul fol. 52'. Lombardi habebant absolvere et relaxare ab omni vinculo iuramenti, et deinde non habere nec simul contrahere societatem; et dare ei milites ultra mare, et dimittere et relaxare ei omnes rationes et iura imperii. Similiter quod Guillelmus de Andito et filii et alii expulsi de civitate Placentie deberent redire ad propria, restituendo eis omnia dampna illata. Dum vero hec tractarentur, Raynerius Zenus de Venecia potestas Placentie supervenit, qui predicta omnia conturbavit occasione ducis Venecie[87] qui ei mandaverat ne in aliquo consentiret concordie faciende inter imperatorem et Lombardos, nisi Venetici essent in dicta concordia, quoniam Mediolanenses, Brixienses, Mantuanni, Bononienses et reliqui de ipsa societate super hec procedere volebant. Et ea die que fuit 9. Kalendas Augusti, dictus Raynerius potestas in audientiam et ad inducam[88] hominum Placentie ad civitatem reversus, fecit fieri magnam concionem, in qua iuravit et homines civitatis et episcopatus iurare fecit, Guillelmum de Andito et filios et alios expulsos de civitate Placentie perpetuo non esse habitatores civitatis nec episcopatus Placentie et eos banitos perpetuo iudicavit. Unde dicti cardinales videndo que fiebant recesserunt dicentes:

*Lombardus pactum post dampnum suscipit actum*[g].

Sept. 10. Eodem millesimo et indictione, die 10. mensis Septembris, imperator cum magno exercitu Veronam accessit. Interea Yzolinus et Salienguera cum Veronensibus et aliis castrum Sancti Bonefacii obsidebant. Et motus imperator a Verona cum exercitu suo et comite Gaboardo, qui cum magna comitiva Apulorum et Tuscorum et multitudine Saracenorum per Ferrariam transierat, venit in episcopatu Brixie et habuit Reddodescum castrum comitum de Moso. Preterea Cremonenses, Parmenses, cum carociis et Reginis et Mutinenssibus[h] equitaverunt ad exercitum eius. Et inde semotus apud Guidim castrum Mantue properavit, et data obsidicione ipsum castrum cepit. Dum autem ibi permaneret, Mantuani primo die mensis Octubris cum imperatore pacti sunt. Et comes Sancti Bonefacii obedivit ei. Et exinde semotus, cum toto exercitu suo et Mantuanis, Yzolino, Salienguera, comite Sancti Bonefacii, et aliis de marcha ad obsidicionem castri Montisclari properavit. Interea Conradus de Concissio cum 20 militibus nobilibus et 300 peditibus civitatis Brixie mandato communis eorum in ipsum castrum intraverunt. Cum autem exercitus imperatoris circa dictum castrum undique esset, ipsum castrum hedificiis et trabuchis fortiter ceperunt expugnare, muros et domos ad terram sternentes. Dum autem ipsum castrum circa tres ebdomadas expugnassent, intrinseci vero cogitantes et de belli fortuna diffidentes, statuerunt insimul nocte silenti de castello absentare, ut quilibet evadere sic posset. Interea Yzolinus et alii principes et prelati pactum conabantur pro ipsis de castello cum imperatore facere; quo pacto perquirente[89] imperator iussit Conradum de Conzisio cum aliquot militibus ad pavelionum suum venire; deinde fecit aliam quantitatem de melioribus casteli ad ipsum pavelionum venire, quibus retentis precepit reliquos de ipso castro exire. Cum autem talia vidissent intrinseci, percipientes se aliquo modo tueri non posse, reddiderunt se ipsos imperatori. Et ipse destinavit eos in carceribus Cremone, et fuerunt numero 1500 pedites et 20 milites. Inperator autem dimisso Monteclaro et combusto, aput Pontem-

a) in *cod.* b) pmitendi *c.* c) hamesten *c.* d) partem *c.* e) inchoactum *c.* f) imperatorem *c.* g) *versus recurrit infra fol.* 95 *a.* 1273. *ita:* Lombardus patrum post dampnum suscipit actum. *Unde coniiceres utrobique legendum esse:* Lombardus partum post dampnum suscipit actum *i. e. L. suscipit actum, paciscitur, post dampnum partum; sed* pactum *et* actum *sibi respondent.* h) mutinentissibus *c.*

87) Iacobi Tiepoli. 88) et ad inducendos homines Placentiae. 89) i. e. requirente.

Vicum est profectus ibique suum exercitum collocavit. Interea Mediolanenses cum carocio 1237.
et 1000 militibus Placentie, militibus quoque Vercellarum, Cumarum, Novarie, Laudis, fol. 53.
Alexandrie et Creme, ad civitatem Brixie accesserunt, moram ibi facientes per septem dies.
Et inde semoti, cum Brixiensibus et cum carocio Brixie apud locum de Manervio per 14 dies
albergati residentiam fecerunt, non distantes ab exercitu imperatoris ultra quattuor milia-
ria; inter quos exercitus erat aqua que dicitur Risignolus, cuius alveus limosus erat pluri-
mum et cenosus, nec equis[a] nec peditibus facilis ad eundum. Interea milicia Papie cum
100 militibus Terdone, et 200 militibus Pergami, ad exercitum imperatoris accesserunt.
Deinde imperator super flumen Olii plurimos pontes iussit aptari, et die Lune, 9. Kalendas
Decembris proximi[b], summo mane precepit populos cum carociis transire[c], et ipse cum
miliciis suis post eos transivit absque bello. Sequenti die missit populos cum carociis abire
Cremonam, ipse autem cum miliciis et Saracenis Suncinum properavit. Mediolanenses
autem cum amicis eorum videntes imperatorem ultra flumen Olii transisse, motis castris
aput Palazolum pervenerunt, moram ibi facientes per duos dies, congregantes ibi eorum
exercitum.

Eodem millesimo[90] die Veneris, 5. Kalendas Decembris proximi, summo mane Lombardi Nov. 27.
de Brexiana revertentes per pontes de Palazolo et Ponteolio flumen Olii transierunt volentes
aput Curtemnovam albergare, hora vero iam none transacta cum carocium Mediolani et
quam plurima temptoria essent aput Curtemnovam infixa, et milicie Lombardorum asche-
rate essent in campo longe a carocio per unum miliare expectantes populos venientes cum
caretis, quidam[d] miles imperatoris venit in equo albo prope scheram Placentinorum ad-
matando[91] cum uno capello; dicens: *Estote parati, quoniam imperator semper dabit vobis* 91
*bellum.* Qui cum dixisset, festino cursu Suncinum est reversus. Interea Pergamenses qui
erant in castello Civitate quod est Pergami, fecerunt signum fumi super turrem illius
castelli; alii vero ex militibus Pergami possuerunt ignem intus ecclesiam que erat in illis
partibus, signa imperatori facientes. Quod autem intelligens imperator qui aput Suncinum
erat, collecta sua milicia, scheris ordinatis et propter quod de Pergamensibus confidebat,
versus Curtemnovam properavit. Cum autem milites prime schere imperatoris aput ini-
micos accessissent, inventa quadam magna schera Mediolanensium, assultum fecerunt in
ipsos. Mediolanenses autem non valentes tantum una hora illorum impetum sustinere,
capta fuga cum Placentinis qui iuxta eos aderant, versus carocium Mediolani ceperunt
declinare. Interea milites imperatoris persequebantur eos capientes. Ceteri vero Lombardi
videntes eos in fugam conversos, terrore perterriti magna pars Lombardorum cepit de
campo absentare. Relique vero schere imperatoris accedentes clamando: *Miles Roma!*
*miles imperator!* inceperunt bellum cum parte milicie Lombardorum et populo Mediolani
et Alexandrie qui aput carocium remanserant. Similiter Pergamenses qui erant aput
Gisalbam carra Mediolanensium capientes, cum Lombardis similiter bellum immiscuerunt;
et stetit pugna usque ad noctem. Nocte vero appropinquante Lombardi qui circa carocium
remanserant, percipientes resistere non posse, de campo recedentes relinquerunt carro-
cium cum caretis et pavelionis et Curtemnovam quam tenebant; quorum multi nocte illa
per castella et loca Pergami errantes intraverunt, qui ibidem capti sunt. Imperator autem
in campo castrametatus est et habuit carocium equos et boves innumerabiles et castella
Mediolani que sunt ultra Adduam, silicet Caravacium, Rivoltam Sicam et alia, recuperantes
Paluscum quod Mediolanenses tenebant. Et Curtemnovam funditus dissipavit. Capti sunt
in ipso prelio ex Mediolanensibus 800 milites et 3000 pedites et comes Petrus Tepus filius fol. 53'.
ducis Venecie eorum potestas; ex Placentinis circa 120 milites, ex Vercellensibus circa
40 milites, ex Novariensibus totidem, ex Laudensibus 50 milites, ex Alexandrinis 10 milites,
ex Cremaschis 30 milites et tres comitum de Curtenova, quos carceratos imperator duxit
Suncinum. Preter illos quos Pergamenses habuerunt, quos Pergamum duxerunt. Multi enim
ex utraque parte in campo mortui sunt. Deinde imperator reversus est Cremonam, fecit-
que ducere carocium per totam civitatem, super quod ligari fecit potestatem Mediolani et
multos carceratos post ipsum. Quapropter Mediolanenses nimium turbati magnoque ter-
rore perterriti, tamen in civitatem Laude quingintos milites in custodiam miserunt. Deinde

a) equus *c.* b) prox. *c.* c) transire — carociis *in margine suppleta c.* d) quidem *c.*

90) i. q. eodem anno. 91) significando.

1237. fratrem Leonem ordinis fratrum Minorum, qui postea[92] fuit archiepiscopus eorum, ad
imperatorem qui erat in Cremona direxerunt, ut pro eis cum imperatore pacem perquireret
et tractaret. Set imperator respondit et dixit fratri Leoni, quod non faceret pactum eis, nisi
primo exirent de terris imperii. Hoc autem dixit pro Mediolanensibus qui erant in Lauda;
qui statim de civitate Laude exiverunt. Imperator autem statim die sabbati 12. mensis Decem-
bris equitavit apud Pizumguitonum, demisitque abire Laudenses 12 de melioribus carceratis
Laude quos ceperat ad bellum; qui statim ut intraverunt civitatem eorum clamaverunt: *Ad
arma!* Laudenses vero in concordia Octonem Vicecomitem de Mediolano eorum potestatem de
regimine expulerunt, et custodes portarum civitatis Laude, qui similiter erant de Mediolano,
ceperunt. Ea namque die imperator civitatem Laude intravit. Deinde frater Leo cum aliis
religiosis de mandato Mediolanensium ad civitatem Laude accesserunt, dicentes domno
imperatori quod Mediolanenses volebant ei reddere et dare suas rationes et iura, et pecuniam
ad suam voluntatem ei dare; dando ipse fidancia civitati et comitatui Mediolani. Imperator
vero habito consilio cum Cremonensibus, Papiensibus, respondit et dixit fratri Leoni, quia
non reciperet eos, nisi haberet civitatem et personas Mediolani ad suam voluntatem. Hoc
audito ab ipso fratre et aliis qui secum erant, Mediolanum revertentes ipsa verba Mediola-
Dec. 19. nensibus retulerunt. Qui dixerunt se inde aliquid non facturos. Interea die sabbati 14. Ka-
lendas Ianuarii frater Iacobus prior fratrum Predicatorum de Placentia veniens cum suis
fratribus a civitate Laude, retulit Raynerio[a] Zeno potestati Placentie, quod Mediolanenses
tractabant pacem cum imperatore absque amicis eorum. Qui potestas statim habuit con-
scilium super hoc, in quo consilio et in publica concione fecit et constituit domnum Egidium
episcopum Placentie et ipsum priorem Predicatorum sindicos et procuratores communis
Placentie ad componendum pacem cum imperatore omni modo quo imperatori placeret,
Dec. 20. dando ipse fidanciam civitati et comitatui et personis Placentie. Qui sindici die dominico
proximo cum ambaxatoribus absque fidancia ad civitatem Laude accesserunt. Et cum non
possent loqui cum imperatore, cum magistro Petro de Vineis locuti sunt. Interea nuncii
venerunt a Mediolano dicentes Raynerio Zeno quod Mediolanenses nullam pacem cum im-
peratore tractaverant; quapropter idem Raynerius potestas statim habito consilio cum
paucis, nuncios ad civitatem Laude misit episcopo et ambaxatoribus ut sine mora redirent.
Dec. 21. Hoc audito ab ipso episcopo et priore et ambaxatoribus, die Lune proximo sequenti ante
terciam, dimiso prandio quod fieri fecerant, de civitate Laude exeuntes redierunt[b] Placen-
tiam, et sumpta occasione in consilio civitatis proposuerunt, quod imperator dixerat quod
non faceret pactum cum Placentinis nisi haberet civitatem et personas ad suam voluntatem.

Eodem namque tempore imperator fecit fieri pontem supra Lambrum in partibus
fol. 54. Mombrioni. Similiter circa 1000 pedites et 200 milites Mediolani per Gualcamonicam et
per lacum de Cumis venientes ad civitatem Mediolani accesserunt, qui omnes tempore belli
in Palazolo remanserant; de quo cives Mediolani magnum gaudium habuerunt. Et elege-
runt Guazinam Ruscam et Petrum Azarium de Cumis per potestates.

1238. Die 6. mensis Ianuarii imperator equitavit Papiam; statim homines de Vegevalle illud
ei reddiderunt. Quo audito Mediolanenses statim pontem quem habebant supra Ticinum
combuxerunt. Preterea Vercellenses fuerunt obedientes ei, et Novarienses similiter; dando
ei ossides quos in Papia posuit.

Eodem namque mense mandavit imperator Romam carocium Mediolani super mullos[93]
qui illud portaverunt, cum multis signis et vexillis et tubis per partes Pontremulli. Quod
carocium cum apud Romam duxissent, domnus papa usque ad mortem doluit, et illud in
urbem introducere prohibere voluit; quod utique sentiens pars imperatoris que erat in ipsa
urbe, illud carocium intus civitatem honorabiliter conduxerunt; quod positum fuit in Capi-
tolio per cardinales.

In mense autem proximo Februarii imperator cum comitiva militum equitavit ad Pizum
de Cunio Ovream[94] et in Canavesium, et locutus fuit cum comite Savolie et aliis comitibus
et marchionibus; habuitque omnia loca et castra illarum partium, ponendo potestates et
rectores in omnibus locis. In Astem vero introire noluit. Preterea Opizinus Malaspina
equitavit ad eum dando ei castrum Oramale, stetitque imperator in illis partibus per totum

a) Rayneri' *c.* b) rediderunt *c.*

92) annis 1241—1257, quo 2. Id. Oct. obiit. 93) i. e. mulos. 94) Ivream.

mensem Marcii; et habuit Saonam et Albenganam, quas civitates Ianuenses tenebant, deditque eas in custodia marchioni Lancee. 1238.

1238. indictione 11. die tercio mensis Aprilis imperator reversus fuit Papiam, deinde Laudam, deinde Cremonam, fecitque ibi magnam concionem, in qua precepit Cremonensibus ut se prepararent ad exercitum faciendum, et haberent victualia per quattuor menses. Et inde motus die 13. mensis Madii cepit iter versus marcham causa faciendi treuguas[a] inter Yzolinum et suam partem et comitem Sancti Bonifacii et marchionem de Est. Interea Florentini obedierunt comiti Gaboardo, qui erat in Tuscia pro imperatore, dantes codigium[95] Roba comiti de Mandello eorum potestati; exinde tota Tuscia subdita fuit imperatori.

Die sabbati, 11. Kalendas Iunii proximi, marchio Lancea vicarius imperatoris cum Papiensibus, Terdonensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Astensibus, marchione Montisferati et aliis marchionibus et castellanis in terras Alexandrie devastantes intraverunt, guastum facientes in ipso districtu per 18 dies.

Et interim Mediolanenses in terras Pergamensium intraverunt devastantes. Venit enim super eos tam maxima tempestas, quod omnes paviliones et tensas[96] eorum ad terram distraxit, et plus 200 equis eorum fugientes intraverunt Adduam et multi ex ipsis necati sunt ibi.

Eodem namque tempore in Faventia civitate partes ceperunt inter se altercari[b], et sic inter se debellantes una pars copiosum ignem posuit in ipsam civitatem, palacium et domos qui circa illud erant combuxerunt, in quibus multum granum et sal comunis erat; et comburente civitate plus 2000 carcerati de Ravena Furlino et Furinpopulo qui ibidem capti tenebantur, unius parcium voluntate fractis hostiis et vinculis carcerum extra civitatem fugientes evaserunt.

Exeunte autem mense Iunii rex Conradus filius imperatoris ab Alamania cum magna et honorabili militum comitiva Veronam accessit. Interea pater eius in campo sancti Danielis aput ipsam civitatem suum exercitum congregavit[c]. Qui inde semotus venit Cremonam, et deinde congregato exercitu cum Cremonensibus et carocio die 11. mensis Iulii ad ossidicionem civitatis Brixie properavit, sua quoque castra inter civitatem et fluvium Melle posuit. Brixienses vero nundum spaldis muniverant fossata civitatis. Interea castra de Palazolo et Ponteogio, Manervio et Seniga ei data fuerunt. Statim Pergamenses pro communi venerunt ad exercitum eius. Et comes Gaboardus cum magna militum comitiva Tuscie et Apulie et Saracenorum ad ipsum exercitum venit. Habebat autem imperator in ossiditione predicta exercitum magnum Theotonicorum, Lombardorum militum, Romanorum, Apulorum, Tuscorum, Marche, Romagne. Erant enim cum eo patriarcha Aquilegiensis, archiepiscopus Collonie et Magancie, milites regis Anglie, Francie et Yspanie, comes Provincie cum centum militibus; milites quoque soldani et Vatacii Grecorum imperatoris, aliarumque diversarum gentium. Habebat enim multitudinem mullorum, camellorum, dromedariorum deferentium thesaurum et causam[d] exercitus eius. Preterea episcopus Brixie nomine Gualla, natione Pergamensi, castella et loca episcopatus imperatori contulit, itaque omnes illi de Gualcamonica civitati Brixie rebellabant. In proximo mense Augusti Brixienses ceperunt quendam Yspanum virum ingeniosum in trabuchis et bricollis, Calamandrinum nomine, quem Yzolinus de Romano ad exercitum imperatoris destinabat vinculis alligatum, cui Brixienses propriam domum et uxorem ei dederunt, ut facilius possent ipsum detinere. Similiter circa 100 milites ex nobilioribus illius civitatis extra privatim et publice cum imperatore steterunt; nominatim illi de Lavellolongo, illi de Manervio Fabi, et alii plures. Intrinseci vero turres et domos illorum diruebant. Dum autem imperator in ipsa ossiditione permaneret, contigit quod nocte precedente festo beati Bartholomei milites Placentini cum ballistariis et illis de Florenzuola et Castro Arquarto et Vigoleno apud Gibellum et Polixium terras Cremonensium iter direxerunt, comburentes domos et villas illius contrate. Et interim circa horam none cum Placentini reverterentur a guastis, electus de Valentia frater comitis Savolie, marchio Lancea et senescalcus Dalphini cum 200 militibus qui in Cremona preterita die accesserant causa eundi ad exercitum imperatoris, per Arginem de Buxeto venientes fuerunt obviam illis. Placentini vero captis armis

fol. 54'. Iul. 11.

a) treugnas c. b) altrari c. c) congregabit c. d) *ita codex et infra a.* 1246; cameram *ed. perperam.*

95) i. e. cadigium, congé. 96) i. e. tentoria.

1238. inimicis se obviam prebuerunt. Et quia predicti milites forenses in districtis partibus et nemoribus intraverant, quidam ex Placentinis nomine Ubertus Surdus et alii ad signiferos[a] clamaverunt ut cederent eis campum. Qui signiferi statim retro seccedentes, plures ex ipsis signiferis fugam ceperunt. Ceteri vero capta fuga, multi ex Placentinis per nemora discurrentes errare ceperunt. Ceteros vero electus et marchio Lancea cum eorum militibus insequentes, ceperunt ex ipsis militibus 90 milites et 300 pedites et balistarios, quos duxerunt Cremonam. Et Placentini ceperunt ex ipsis militibus quinque milites.

In proximo mense Septembris imperator fecit fieri plura castella lignaminum, supra que ponere fecit Conradum de Concissio et alios magnates Brixie captos, vinculatis manibus post terga, ut viderentur ab amicis eorum et percuterentur a lapidibus intrinsecorum. Callamandrinus vero erectis suis edifficiis contra castella imperatoris lapides iactabat, et in
97 tantum erat ipse optimus inzignerius[97] ut unum quem volebat ex tribus hominibus vinctis percuciebat. Similiter Brixienses de carceratis imperatoris quos habebant, ad spaldum in crucem ubi lapides iactabantur possuerunt. Interea imperator cum fidancia et voluntate intrinsecorum Brixie direxit Bernardum Rolandi Rubei de Parma compatrem suum in civitatem Brixie, ut pro eo cum Brixiensibus concordium componeret. Ille autem proditor facinore plenus, ductus in credentiam[b] nichil pro imperatore egit. Dixitque Brixiensibus imperatorem non posse ibi residentiam habere, ipsique credentie suasit ne se traderent ei, dicens: *Talia dicit, qui vobis non consulit.* Itaque optinuit, nam magna pars Brixie concor-
fol. 55. dium volebat. Ipse autem Bernardus ad imperatorem rediit affirmando ei nichil inde facere posse. Et exeunte proximo mense Septembris tanta tempestas orta est et venti superflaverunt, quod magnam partem spaldorum civitatis ad terram prostraverunt. Statimque cum tempus cessasset, excercitus imperatoris captis armis volebant expugnare civitatem. Quod cum vidissent intrinseci, statim ubi spaldi non aderant armati cucurrerunt civitatem viriliter defendentes. Et die Iovis, 7. mensis Octobris[c], Pergamenses per medium eorum exercitum cum quodam eorum edificio quod appellabatur porca, fossatum civitatis quod[d] erat amplum[e] 24 brachia implere ceperunt, civitatem fortiter preliantes. Set intrinseci posito igne illud edificium combuxerunt. Et die sabbati proximo summo mane imperator movit se ab illa ossiditione, fecitque comburere eddificia et castella lignaminum, dimittens in campo multos equos et boves infirmatos, et deversus[f] Palazolum et Sunzinum venit Cremonam, deditque cadigium[98] omnibus forensibus preter Theotonicis. Et tunc Ubertus de Niquitate de Placentia erat potestas Brixie. Eodem tempore imperator in Cremona Henzium filium suum naturalem militem fecit, et cum comitiva militum ipsum mandavit in Sardaniam, ubi accepit in uxorem dominam illius insule nomine[g] damixellam. Et tunc Pergomaschi fecerunt monetam novam, que dicitur pergaminus.

In proximo mense Novembris imperator equitavit Parmam eligens se in potestatem illius civitatis, ibique suo loco possuit comitem Symonem Theathinum[h]; hoc autem fecit occasione parcium que erant in ipsa civitate; et palacium quod habebat in Parma fecit ampliare et reficere, claudendo illud per girum firmissimo muro. Et inde semotus, cum
1239. Ianuar. magna militum comitiva equitavit in Marcham; habuit ea que voluit, accipiens ossides de Padua et Vicentio et Trivixio, et ad preces militum Brixie qui cum eo erant, dimissit recedere multos carceratos Brixienses quos ceperat in Monteclaro, quos ipsi milites eligere voluerunt.

Mart. 21. Die dominico 12. Kalendas Aprilis domnus Gregorius papa excommunicavit imperatorem apud urbem Romam, et direxit litteras in Lombardiam continentes[i] ita:

*Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Mediolani et episcopis suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper in Fredericum dictum imperatorem exigentibus meritis, pro eo quod idem super hiis a nobis diligenter amonitus et frequenter, non solum facere non curavit, set corde nequiter indurato, iugiter etiam deteriora committit, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis et anathematis sententiam sollempniter promulgantes, omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur astricti, ab eiusdem observatione iuramenti decrevimus absolutos, districius inhybendo ne sibi fidelitatem observent donec vinculo fuerit excommunicationis astrictus; universitatem vestram[k] monemus et hortamur*

a) signiferes *c.* b) Cremonam *c.* c) Augusti *c.* d) que *cod.* e) aplum *c.* f) *ita c.* d de *eodem modo in eadem pagina saepius scribitur;* diversus *ed. perperam.* g) Adelasiam *omissum.* h) Theachinum *c.* i) continent *c.* k) ftram *c.*

97) ingénieur. 98) i. e. congé.

*attente, per apostolica scripta vobis in virtute obedientie firmiter precipiendo mandantes*[a], *quatenus huiusmodi excommunicationis et anathematis sententiam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candellis accenssis sollempniter publicari, ac absolutionem et inhibitionem nunciare curetis, ea per civitates et dioeceses vestras publicare similiter facientes et etiam nunciari. Mandatum nostrum taliter impleturi, quod ex hoc affectum quem ad Romanam ecclesiam habere debetis plenius cognoscamus, et de negligentia aliquatenus redargui non possitis. Data Laterani die* 12. *Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno* 13. 1239.

1239. indictione 12. de mense Aprilis domnus papa direxit Gregorium de Montelongo eius notarium et legatum in civitatem Mediolani; qui statim ut ibi accessit, sumptis civibus de mandato eius signo crucis et paratis duobus vexillis cum crucibus et clavibus intus, venit ad Laudum vegium, et ibi cum Mediolanensibus sua temptoria finxit destruendo turres ecclesiarum et segetes devastando. 1239. domnus G. de Pirovalo erat potestas Placentie.

Interea marchio Lancea vicarius imperatoris cum Papiensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Terdonensibus, Astensibus, Cremaschis[b] et marchionibus[c] per districtum Alexandrie devastabant transeuntes fluvium Tanari; moram ibi per tres ebdomadas fecerunt. Unde Alexandrini tunc mandaverunt Placentinis litteras continentes ita: *Mortuis et non vivis Placentinis comune Alexandrie salutem* etc. Eodem tempore imperator erat in marcha, quia Albericus de Romanno frater Yzolini[d] et Guizonus de Camino, Ugozonus de Pullo et alii magnates de marcha ei rebellabant, quoniam recepta peccunia multa a Veneticis civitatem Trivixii eis contulerunt, capientes milites imperatoris qui ibi erant. Tamen imperator ossides habebat eiusdem civitatis; dato guasto Paduam venit. Et tunc die Veneris, tercio mensis Iunii, in hora none sol undique passus est eclipsim[e], id est defectum, et tenebre facte sunt. Et motus imperator de marcha, cum omnibus ossidibus de marcha Cremonam venit. Interea marchio de Est et comes Sancti Bonefacii imperatori rebellaverunt, set imperator habebat pro ossidibus filium marchionis et filiam Alberici[f] de Romanno, quos ossides cum filio ducis Venecie in Apuliam direxit. Preterea Paulus Intraversatus de Ravena rebellavit, deditque civitatem Ravene in custodia Veneticis et Bononiensibus, abstulitque multum granum et bestias imperatoris que in Ravenam accesserant. Expulsitque de ipsa civitate partem imperatoris; qui intraverunt ad standum in Bertanorem. fol. 55'. Iun. 3.

Eodem tempore Mediolanenses et Placentini cum Ianuensibus iuraverunt, mittentes per mare ambaxatores ad domnum Gregorium papam qui erat in Urbe, et concordium cum eo facientes, quod exinde non paciscerentur vel concordium aliquod facerent cum imperatore Frederico absque voluntate domni pape vel eius successorum. Et ipse domnus papa illud idem eis convenit. Qui ambaxatores redeuntes a curia, fecerunt iurare hec omnibus partis eorum observare, que domno pape convenerant et dare ei peccuniam ad suam voluntatem.

In ultima ebdomada Iunii proximi imperator cum suis militibus Theotonicis, cum Parmensibus, Mutinensibus, Reginis, atque militibus Tuscie, Apulie et aliis intravit in episcopatum Bononie, et castella Plumacii et Crevacoris cepit et combuxit, et circa mille captivos in ipsis castellis cepit, quos Mutinam et Parmam et Regium duci fecit.

Interea marchio Lancea cum Papiensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Terdonensibus et aliis cum trabuchis et hedificiis et navibus venerunt ad ossidicionem pontis novi Placentie. Et Cremonenses equitaverunt Laudam. Et Papienses fecerunt pontem de navibus desuper pontem Placentie, et in festo beate Margarite dederunt sturmum castello et ponti per terram et aquam, permittentes venire castellum magnum lignaminum factum in navibus accensum[g] ut comburerent pontem. Set Placentini ante quam ad pontem accederet, illud castellum cum graphiis ferreis ceperunt, ipsum in bucam Lambri conducentes. Et tunc milicia Cremone erat aput Mombrionum. Die sequenti Papienses passi multa dampna et vulnerati et mortui plures recesserunt, et Mediolanenses tunc Placentinis nullum auxilium prestiterunt nec prestare voluerunt.

Die dominico, 12. Kalendas Septembris, imperator cum toto exercitu suo venit Parmam, deinde cum suis militibus equitavit Cremonam. Interea Gregorius de Montelongo cum Mediolanensib s cavum Addue fodebant, conantes extrahere et conducere aquam Addue in Lambrum.

a) mandamus *c.* b) iurmaschis *c.* c) march* *c.* d) Yzoli *c.* e) quando sol moritur *in margine.* f) alblici *c.* g) accessum *c.*

1239. Sept. 16. fol. 56. Die Veneris, 16. mensis Septembris, imperator congregatis militibus Theotonicis atque Cremonensibus, Laudensibus et 400 militibus Pergami et 100 militibus Mantue, Papiensibus, Terdonensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Astensibus, Cremaschis[a], marchione Montisferati, marchione Malaspina, et aliis militibus Tuscie, Apulie et marche cum carociis Cremone et Papie apud Laudum vegium castramentatus est. Et inde amoto exercitu suo venit ad flumen Lambri. Mox autem fecit preparari pontes supra illud flumen et intravit comitatum Mediolani, et cum transisset et eius exercitus cum eo, castrametatus est, statim Mediolanenses posita aqua in cavo quod faciebant et dimiso eo, ad civitatem reversi sunt; acceptoque veteri carocio eorum aput Claravallem eorum temptoria infixerunt. Imperator autem conbusit Melegnanum, Basegape, Paranum, Landrianum, Clarellam, et turrem de Lambro diruere fecit.

Interea Mutinenses et Parmenenses preliati sunt aput Vignolam cum Bononiensibus qui ibidem hostiliter venerant, ceperuntque ex eis 300 milites et 1000 pedites, et multi ex ipsis Bononiensibus in fluvio Scotene necati sunt; quos carceratos duxerunt Mutinam et Parmam.

Eodem tempore Cumani potestatem per imperatorem receperunt. Hoc autem fecerunt indignatione[b] Mediolanensium, qui in preterito mense Marcii nocturna hora civitatem Cumarum intraverant, petendo ab eis ossides ad eorum voluntatem et turres civitatis et castelum Badaveli, dicentes hominibus illius civitatis dedecus; ita quod Cumani adprehensis armis in concordia partes eos de civitate expulerunt. Similiter Lechaschi et illi de Varena et Mandello Mediolanensibus rebellabant.

Deinde imperator volens transire Lambrum Merdarium, iussit fieri undecim pontes, ex quibus quinque pontes ponere fecit in unam partem et sex precepit stare vacuos, ut si neccesse fuerit, quod milites qui transissent possent per illos redire ad bellum. Et cum transisset Lambrum, sua castra inter Setezanum et Plebem de Locario posuit. Qui volens intrare in Seprium, Mediolanenses eorum temptoria iusta castra imperatoris fixerunt, ducentes circa eorum temptoria aquam que Vitabia appellatur. Habebant enim Mediolanenses quinque millia equites, computatis 200 militibus Creme et 400 militibus Brixie. Imperator vero octo millia milites habebat et multos sagitarios et balistarios. Et die sabbati, 11. Kalendas Novembris, apud Setezanum cum toto exercitu suo aquam Ticinelli transivit sine bello, et aput villam Lanteriam castrametatus est. Et inde semotus cum militibus Theotonicis, Tuscie, Apulie, Cremone, Laudensibus, militibus quoque Parme, Mantue, Pergami atque marchione Malaspina cum carocio Cremone, venit ad ossiditionem pontis novi Placentinorum; sua quoque castra inter costam de Orio et Padum posuit. Et marchio Lancea eius vicarius cum Papiensibus et carocio eorum Terdonensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Astensibus et aliis de Pemontibus[1] qui remanserant aput Plebem porti Moroni, facto ponte navium supra Padum per medium Plebetum venerunt ad ossidicionem castelli illius pontis de versus Placentiam. Placentini vero iam possuerant in custodia illius pontis 2000 pedites civitatis et episcopatus et multas balistas syctarias[c] et victualia. Deinde Papienses posuerunt 40 naves magnas inferius pontem causa faciendi alium pontem inferius. Permanentes sagitarii imperatoris et Papiensium in ripa, sagitantes naves que mercatum ponti deferebant. Qui cum moram octo dierum ibi fecissent, die sabbati, 5. mensis Novembris proximi, Papienses videntes flumen Padi nimium crescere, habito consilio naves quas traxerant infra pontem Placentie destruere ceperunt et bricolam et alia hedificia, et motis temptoriis eorum venerunt in pratis de subtus Fontanam. Et die dominico proximo summo mane imperator movit sua castra posuitque ea super costam Orii, remanendo de exercitu suo propter importunitatem temporis et crescentis Padi, quia per quinque dies non cessavit pluere, multa carra et vegetes[2] et edificia ibi relinquerunt. Et die Lune sequenti imperator cum miliciis suis equitavit Laudam, in qua fecit parlamentum cum suis principibus et viris prudentibus sue partis. Et inde semotus, accipiens multos ambaxatores omnium civitatum sue partis venit Cremonam, ducendo secum 200 milites Laude, Pergami, Vercellarum, Novariensium, faciens similiter ducere post se 10 milites Mediolani qui erant in carceribus Papie et Laude. Deinde accipiens de Cremona omnes milites Mediolani, Placentie, Creme captos in prelio de Curtenova et ad Buxetum, fecit eos ducere vinculatos in

Marginal notes: pontis novi de Pado *in marg.* (beside "centes circa eorum temptoria"); Oct. 22. (beside "vero octo millia milites"); fol. 56. (beside "mane imperator movit").

a) turimaschis *c.* b) indignationem *c.* c) syctaīr *c.* sycta *i. q.* saetta, sagitta *esse videtur* multasque balistas et sagittarios iultres et epulas et victualia *Paveri habet.*

1) Piemont. 2) i. e. vehicula?

civitatem Parme post se cum multis ossidibus de marcha. Et mandans comitem Guidonem 1239. de Lomello cum militum comitiva ad civitatem Pergami, fecit ducere exinde 100 milites Mediolani et 28 milites Placentie quos tempore belli de Curtenova Pergamenses ceperant. Et inde semotus cum omnibus captivis et ossidibus per Mombardoni montes ad civitatem Pisis[a] accessit. In itinere quoque suo cum aput Pontremulum accessisset et dubitaret de eis, accepit fortitudines Pontremuli et plura eorum castella guarnire fecit. Et accipiens de melioribus Pontremuli 60 ossides, fecit eos ducere post se. Preterea episcopum Lune vinculatum ducere fecit post se; constituens Ubertum marchionem Pellavicinum suum vicarium in Lunexana et Pontremulensi. Et die Lune, 7. Kalendas Ianuarii, imperator ipsos captivos et ossides qui erant circa 400, ponere fecit in galeis et mandavit eos Neapolim, dividendo eos per totum regnum Apulie in custodiis. Et ipse imperator intravit in vallem Spoleti, et habuit eam. In proximo mense Februarii habuit civitatem Viterbii et Montefisconum et alia castella ecclesie. 1240. Interea domnus papa erat in Urbe; ad quem imperator multos ambaxatores mandavit, et omnes Romani clamabant: *Veniat, veniat imperator, et accipiat Urbem!* Unde papa audiens vociferationem eorum timuit valde, et congregatis Romanis extrasit foras reliquias[b] beatorum Petri et Pauli dicens: *Ecce reliquie pro quibus civitas vestra veneratur; ego autem non possum facere magis altero homine!* et alia verba consimilia, extrahens coronam de capite suo et imposuit super reliquias, dicens: *Vos sancti defendite Romam, si homines Romani nollunt defendere.* Quapropter maior pars Romanorum ibidem incontinenti levaverunt signum crucis in defensionem ecclesie. Et videns imperator nichil ibi posse facere, motus exinde equitavit in Apuliam, dimittens comitem Simonem cum 400 militibus in custodia Viterbii.

Interea marchio de Est et comes Sancti Bonefacii, episcopus Ferrarie, Paulus Intraversatus, cum Veneticis et Mantuanis, Ravanatibus, Bononiensibus venerunt ad ossiditionem Ferrarie cum maximo navigio, capientes Bondenos et Figarollum et turrem Periuto, et cathenam ferream que erat in Pado detruncantes. Preterea Gregorius de Montelongo legatus cum 200 militibus Mediolani ad ipsum exercitum accessit. In custodia vero civitatis erat Salienguerra cum civibus et 200 militibus Theotonicis et aliis militibus Cremone, Parme, Regii, Mutine atque Verone.

Eodem vero tempore Amizo Sachus et filii et alii Sachi de Lauda, quos imperator propter metum prodicionis illius civitatis direxerat ad standum Papiam et Pontremulum, statuerunt per eorum nuncios ut quilibet ipsorum prima die Lune quadragessime Placentiam accedere deberent. Qui omnes, sicut statuerunt, die Lune 13. Marcii illi qui erant in Pontremullo fugierunt in vallem Tarii, et illi qui erant Papie per navem Placentiam accesserunt. Preterea alii milites Sachorum et Abones qui erant in Lauda ea die dederunt castellum Binbrii Placentinis. Et die dominico proximo marchio Lancia cum Laudensibus et militibus Papie et Cremone ipsum castellum recuperaverunt preter turrem in qua maior fol. 57. pars hominum intraverat, et habuerunt 20 equos et duos milites Placentinos, et in platea Laude unum ex Abonibus qui ibidem captus fuit decapitaverunt.

Domnus Azo de Pirovalo erat potestas Placentie.

1240. indictione 13, die Veneris, 15. Kalendas Iunii, cum marchio Lancea vicarius imperatoris cum Papiensibus, Vercellensibus, Novariensibus, Terdonensibus, Astensibus, Cremaschis[c] atque marchione Malaspina exercitum preparasset[d] causa guastum faciendi Alexandrinis; et iam fuisset in partibus Basegnane, Alexandrini cum eis pacti fuerunt dantes eis Montemcastellum in custodia, ipsumque marchionem Lanciam per potestatem acceperunt. Eodem tempore imperator erat in Apulia.

Die sabbati, 2. mensis Iunii proximi, Salienguera reddidit civitatem Ferrarie domno legato et duci Venecie, data fidancia omnibus forensibus cum armis eorum. Cum autem legatus et dux Venecie, qui preerant exercitui, civitatem Ferrarie habuissent, predictum Salienguerram et uxorem et filium et quam plures magnates illius civitatis in custodiam Venetiam ducere fecerunt, introducentes marchionem de Est in ipsam civitatem, cui dominationem prebuerunt. Statim idem marchio castellum et palacium que idem Salienguerra habebat destruxit, expellendo magnam partem amicorum et fidelium Salienguerre de ipsa civitate, quorum alii intraverunt in Finale et alii iverunt Ravenam. Nam idem Salienguerra in carceribus obiit, filius vero eius de Venecia fugit.

a) Pisarum *supra scriptum littera tenuiori c.* b) requilias *c.* c) tcrimaschis *c.* d) pperasset *c.*

1240. Hic oritur sedicio in Cremona, Parma, Regio, Mutina, quia fauctores Yzolini volebant prestare iuvamina Salienguerre, fauctores vero marchionis de Est et comitis Sancti Bonefacii consuluerunt contrarium, et ob hoc fauctores marchionis et comitis ceperunt esse despectui imperatori.

In proximo mense Iulii imperator cum militibus venit in marcham Ancone, devastando civitates ecclesie. Defuncto enim Paulo Intraversato habuit Ravenam, misitque filium dicti Pauli et alios eiusdem civitatis in Apuliam.

Exeunte proximo mense Augusti imperator finxit sua castra aput Faventiam et combuxit burgos extrinsecos civitatis. Quo viso Faventini ceperunt ei resistere; erat enim in civitate comes Guidoguerra cum sua gente et circa 1000 pedites Bononie, Venecie et aliarum partium, et potestas eorum erat Veneticus. Imperator vero habebat in ossiditione milites Alamanie, Tuscie, Apulie. Erant enim cum eo Ymolenses, Furlinenses, Furinpolinenses[3], Cesenates, Ravanates, Riminenses, de Aricio et Bertenore, milites quoque Laude, Vercellarum, Novarienses. Preterea rex Hencius de versus Romagniam cum suo sedebat exercitu.

In proximo mense Octubris imperator credens ibi yemare, statuit fieri fossata in giro castris et spaldis et berteschis munita, et domos in ipsis fieri fecit, et in publica concione dedit fidanciam omnibus volentibus exire de ipsa civitate; quapropter multi nocturna nocte de civitate illa exibant. Dum imperator erat in illa ossidicione, Venetici in Apuliam intraverunt, civitates et loca iuxta mare sitas depredantes, et etiam duas naves imperatoris in quibus multi homines erant cum maximo thesauro comburentes. Unde imperator valde indignatus, mense Novembris proximo mandavit in Apuliam et fecit suspendere comitem Petrum Tepulum[a] filium ducis Venecie quem detinebat carceratum.

Preterea misit Hencium filium suum ad civitatem Pisis causa faciendi preparare galeas, et per totum regnum similiter misit ut facerent galeas ut prohiberent transitum euntibus ad concilium Rome, quod domnus papa convocaverat. Ad ultimum vero intrinseci de Faventia ceperunt carere sale vino et carnibus. Unde divites indigentibus qui victualibus carebant cadigium statuerunt dari, nolentes eis in aliquo subvenire. Qui indigentes de civitate exeuntes, venerunt usque ad circham[4] exercitus imperatoris fidanciam postulantes; quibus negata fidancia, iterum in civitate redierunt.

fol. 57'.

1241. Apr. Die sabbati 13. mensis Aprilis 1241. Faventini quia victualia non habebant et amplius nullus sufferre poterat de civitate egressi, discalciati cum nudis ensibus in manu reddiderunt se ipsos et civitatem imperatori, data fidancia potestati eorum et forensibus.

Eodem tempore in civitatem Ianue accesserant domnus Iacobus episcopus Prenestine et domnus Octo Portuensis Sancti Nicholai in carcere Tuliano diaconus, cardinales[b], venientes de partibus Francie cum multitudine prelatorum causa eundi Romam ad concilium. Qui cum in ipsam civitatem intrassent, nobiles Ianuenses qui pro imperatore fovebant, scilicet Spinuli, illi de Mari, illi de Nigro, illi de Piperis, Stergiaporci[c] et alii bellum in civitate incipere voluerunt; in quo bello Thomaxius Spinula sagitta vulneratus fuit. Deinde predicti cardinales cum clericis et prelatis et ambaxatoribus Ianue, Mediolani, Placentie, Brixie, Bononie intrantes in galeas et ligna Ianue numero 35 moti[d], cum magno clangore tubarum ceperunt navigare versus Romam. Qui cum in Tuscie marinis navigassent, in festo sancte Crucis, Ansaldus de Mari de Ianua, amiragius imperatoris, cum magno apparatu galearum insidiis existentes insultum fecerunt in ipsos, et statim galeis[e] Ianuensium in fugam conversis, 22 galeas et 12 sagiteas et alia ligna ceperunt cum hominibus qui intus erant. Inter quos capti fuerunt predicti cardinales et Gregorius de Campagna domni pape legatus, et multi archiepiscopi, episcopi, clerici, et ambaxatores, notici, marinarii, et galiote Ianuensium, cum maximo thesauro; qui fuerunt numero 3000. Quos captos omnes rex Hencius qui erat Pisis, in pontum[f] ducere fecit. Et ex ipsis eligens mandavit illos ad Sanctum Miliatum[5] in custodiam.

Interea imperator erat apud Ymolam, volens in episcopatum Bononie intrare; qui cum predicta audisset, motus inde, fecit illos captos ducere in Apuliam.

a) Tepum *c.* b) cardināī *c.* c) stergiaporti *c.* d) motis *c.* e) galeas *c.* f) *lege* portum. *Ita* in portum Pisarum *scribit Paveri.*

3) cives urbium Forli et Forlimpopoli. 4) i. e. circuitum, circulum; *cerchio* in statutis Placentinis. 5) Sanminiato.

Deinde imperator cum exercitu suo versus Romam ivit, et episcopatum Fani destinavit[a], et habuit Spoletum, et muros Beneventi funditus dissipavit. 1241.

Eodem tempore Mediolanenses pro comuni preliati sunt cum Papiensibus in partibus Pontislongi et Campi mortui, et Mediolanensibus in fugam conversis, Papienses ceperunt ex ipsis 140 milites, et Mediolanenses ex Papiensibus ceperunt 40 milites.

In proximo mense Iulii quoniam Pontremulenses cum Parmensibus litigabant occasione Grondele et non erant bene obedientes imperatori, Ubertus Pelavicinus vicarius imperatoris ex eis 60 ossides tullit, quos in Apuliam direxit; postea mandato imperatoris turres et portas Pontremuli diruit et destruxit, et magnam munitionem ab uno capite Pontremuli fecit.

Eodem vero tempore Ansaldus de Mari amiragius imperatoris cum 45 galeis cottidie aput portum Ianue navigabat iniuriando civitatem, semper in portum Saone declinando.

Preterea Ubertus Pelavicinus cum Pisanis et aliis episcopatum Ianue devastabat, cepitque Carpenum et Montemrussum; ex altera vero parte episcopatus Pa[·]ienses cum Terdonensibus et Alexandrinis ipsum episcopatum Ianue devastabant.

In proximo mense Augusti, domnus papa Gregorius de hoc seculo apud urbem Romam emigravit. Quod quidem intelligens imperator, qui in illius partibus civitates et loca ecclesie invadebat, motus inde cum exercitu in Apuliam properavit; constituens marchionem Lanciam vicarium eius in Lombardia, dedit ei 400 milites qui essent cum eo; ipsum quoque potestatem Cremone constituit. Et tunc temporis rex Hencius in civitate Faventie firmissimam munititionem fieri faciebat, mittens ex civibus eius quos maluit in Apuliam. Cessavit apostolatus per duos menses et sex dies *in m.* fol. 58.

Die Veneris, primo mensis Novembris, domnus Guifredus de Mediolano cardinalis electus fuit per cardinales appostolicus et cecinit primam missam, et vocatus Celestinus quartus. Qui die dominico, 10. mensis eiusdem proximo, de hoc presenti seculo emigravit. Quapropter omnes cardinales preter duos[a*] de urbe Rome fugierunt. Romani quoque ceperunt Iohannem de Collompna cardinalem, ipsumque in vinculis posuerunt. Visit autem iste papa 10 dies *in marg.*

Eodem tempore marchio Lancea cum Cremonensibus et Pergamensibus apud Robasachum cepit 1000 milites Brixie, qui cum militia Brixie ipsum locum ossedebant; deinde intravit cum Cremonensibus in episcopatum Placentie et combuxit Padernam, Placentinum et alia loca. Et in proximo mense Marcii cum Cremonensibus et Pergamensibus combuxit Sanctum Georgium, Gundi[7], Centueriam, Sanctum Dalmianum, et alia loca episcopatus Placentie.

Et Opizo Malaspina, Papienses et Terdonenses in episcopatum Placentie combuxerunt Gabianum, Moragum, Mondicinum, Montepavaranum[8], venientes usque ad Vidilianum et Pomerium[9], magnam predam ducentes.

Eodem tempore rex Henricus quem pater eius imperator in Apulia detineri iusserat, inter Nicastrum et Martiranam de hoc seculo emigravit. Quapropter imperator pater eius fidelibus suis prelatis direxit epistolam[10] continentem ita:

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, Ierusalem Scicilie rex etc. Misericordia pii patris severi iudicis exsuperante iudicium, Henrici primogeniti nostri fatum lugere[b] compellimur, lacrimarum ab intimis educente natura diluvium[c], quas offense dolor et iustitie rigor intrinsecus offirmabant[d]. Mirabuntur forsitan[e] diri patres, invictum publicis hostibus cesarem[f] dolore[g] domestico potuisse convinci[h]; subiectus est[i] tamen cuiuslibet principis animus, quantumvis rigidi, nature dominantis imperio, que dum[k] vires suas exerit[l] in quemlibet, reges et cesares non agnoscit. Fatemur quod qui[m] vivi regis superbia[n] flecti nequivimus, sumus tamen ipsius casu valde commoti. Sumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui transgredientium detrimenta filiorum pertullerunt et nichilominus postmodum funera deplorarint. Luxit namque David triduo primogenitum Absalonem, et in Pompegii generi[o] sui cineres, fortunam et animam soceri persequentis, magnificus ille primus Iulius Cesar paterne pietatis officium et lacrimas non negavit. Nolentes igitur et eciam non volentes circa funus predicti filii nostri omittere que[p] sunt patris, universitatem vestram sollicitamus attente, quatenus[q] ipsius exequias cum[r] decantatione*

a) *an* destruxit, devastavit? a*) duo *c.* b) luguri *c.* c) diliuium *c.* d) aff. *c.* e) fossitan *c.* f) *deest c.* g) dolere *c.* h) coniuncti *c.* i) *deest c.* k) *deest c.* l) excitet *c.* m) *deest c.* n) superbiā *c.* o) generis *c.* p) quē *c.* q) q̃ *c.* r) cui de cantantem *c.*

7) hodie Godi supra San Giorgio. *P.* 8) Pavarano. *P.* 9) Vidiano, Pomaro. *P.* 10) Habetur et apud Riccardum de S. Germano a. 1242 et inter Petri de Vinea formulas libr. IV, ep. 1.

1241. *missarum et aliis ecclesiasticis sacramentis ipsius animam divine misericordie commendetis, id ipsum manifestis*[a] *indiciis ostendendo*[b], *quod sicut*[c] *in nostrorum gaudiorum tripudiis exultastis, sic in nostris doloribus fideliter condoletis.*

1242. 1242. indictione 15. de mense Iulii rex Hencius, domni imperatoris naturalis filius, mandato patris cum magna militum comitiva Lombardiam intravit ad partes Parme. Qui statim accepta quantitate militie Parme et Regii cum Cremonensibus et marchione Lancia in episcopatum Placentie introivit, sua quoque castra desuper Fontanam frigidam ubi dicitur Brayda posuit et combuxit, per Valdeclavenam et Padernam cepit et combuxit; deinde motis castris in partibus Pontis Nurii combuxit Montale filiorum Raynerii, Mucinassium, Sanctum Bunicum, Turim, Pontem[d], Veranum, Vigolzonum et loca circumstancia. Deinde cum recederent, combuxit burgum pontis Nurii, et circa castrum Roncharoli sua castra finxit; statimque fecit fieri pontem navium ibi super Padum, ut si contingeret quod Mediolanenses ad civitatem Placentie accederent, quod ipse cum suis militibus citius Laudam equitasset et cum Papiensibus et aliis eis obviam fuisset. Qui cum per octo dies in obsidicione dicti castri moram habuisset cum trabuchis, homines qui erant in ipso castro reddi-
fol. 58'. derunt illud regi, data fidancia personis. Deinde rex fecit diruere turres ecclesiarum de Sparoiera[e] et Ronchalia et Albiano; et reperacto[12] ipso castro et guarnito, rex cum suo exercitu equitavit Cremonam. Et inde semotus cum suis militibus et Cremonensibus atque marchione Lancia equitavit Suncinum. Deinde Palazolum, et cum Pergamensibus et malexartis[13] Brixie per Flamacurtam in episcopatu Brixie devastavit, et apud rocham de Capriolo rex vulneratus fuit sagitta in coxa. Deinde rediit Suncinum, et apud Romanum castrametatus est, et combuxit Mixianum, Gusanum, Trivilium et alia loca Mediolani que sunt citra Adduam. Deinde venit in Cremascam, ibidem per sex dies devastavit.

Eodem tempore Ansaldus de Mari amiragius imperatoris cum multitudine galearum et Ubertus Pelavicinus cum Pisanis et aliis multis per terram et aquam episcopatum Ianue devastabant.

1243. In proximo mense Ianuarii marchio Montisferati cum marchione de Salucio Ianuam accessit, ibidem mandata ecclesie iuravit, quoniam Mediolanenses Placentini promiserant ei dare triginta milia librarum imperialium.

Preterea Vercellenses rebellaverunt non permittentes intrare regem in civitatem eorum, recipientes Gregorium[f] de Montelongo legatum cum 600 militibus Mediolani in ipsa civitate.

In proximo mense Marcii Ianuenses congregatis militibus Mediolani Placentie et ballistariis per terram et aquam, equitaverunt Saonam in obsidicionem. Rex vero misit in eam civitatem quantitatem militum et peditum Papiensium et illarum parcium, et Iacomus de Carreto marchio iuvabat Saonam. Et cum per sex ebdomadas Ianuenses ibi moram fecissent, intelligentes[g] marchionem Lanceam cum militibus in adiutorium intrinsecorum[g] accedere, dato sturmo civitati Saone in magna quantitate mortui et vulnerati, relictis trabuchis recesserunt.

1243. indictione prima de mense Madii imperator relaxavit cardinales et episcopos et prelatos omnes in mari captos prebendo cardinalibus plurima dona. Et in festo beati Prosperi cardinales omnes insimul in Urbe congregati elegerunt domnum Sygembaldum natione comitis de Lavagnia cardinalem in apostolicum, et vocatus est Innocentius quartus. Eodem tempore imperator erat in partibus Rome cum maximo exercitu terras Romanorum devastando; habebat enim in suo exercitu omnes milites Tuscie a fluvio Arni versus Romam et milites Theutonicos Apulie Lombardie et aliarum partium qui fuerunt 10,000 milites.

Cessavit autem apostolatus per tres annos et duos menses *in marg. alia manu.*

In proximo mense Iunii rex Hencius cum Papiensibus et Terdonensibus et militibus Theotonicis, Tuscie, Apulie facto ponte navium per medium Arenam transivit Padum, et sua castra apud hospitale Bardonesie fixit, et devastavit et combuxit per vallem Tidoni circa caminata de Castronovo et Vicummarinum, et Coranum, Fabianum, atque Zenevetrum. Et in vigilia sancti Iohannis baptiste posuit sua castra circa Olupram et dedit obsidicionem illi castro. Et ea die comes de Frandala[14] de Frandala venit ad exercitum regis

a) manifestetis *c.* b) ostẽdo *c.* c) sic *c.* d) Potentianum *Paveri. Sunt loca in sinistra Nurii. P.* e) sparoiã *c. hodie Sparavera. P.* f) G. *c.* g) m. L. c. m. in a. i. *bis scripta.*

12) i. q. reparato. 13) sunt milites Brixiae forinseci imperatoriae partis. 14) i. e. Flandria.

cum 100 militibus. Interea marchio Lancia vicarius imperatoris in partibus Cremone congre- 1243. gatis Cremonensibus, militibus quoque Parme et Regii, Tuscie, marche, cum carocio Cremone eorum temptoria apud Roncharolum posuerunt; factoque ponte navium ibi supra Padum transierunt Padum et ceperunt ire versus Laudam occasione Mediolanensium qui erant in exercitu apud Laudum vegium. Quo audito statim Mediolanenses apud Melagnanum reversi sunt. Marchio autem Lancea cum toto exercitu suo circa turrim de Bimbrio[15] castra posuit, et habita ipsa turre eam funditus dissipavit. Et in festo sancti Iohannis rex fol. 59. movit castra sua ab ossidicione Olubre, transivitque Padum per pontem navium de Areno; dimisso populo Papie cum miliciis equitavit in Laudexanam propter marchionem Lanciam qui cum suo exercitu sua temptoria apud Laudum vegium inficxerat. Mediolanenses autem circa eorum exercitum fossata fecerunt, mittentes Placentiam Cremam et Brixiam per auxilium. Qui cum fecissent, 600 milites Placentie, 300 Brixie, et 200 Creme ad exercitum Mediolani accesserunt, steteruntque uterque exercitus in campo per sex dies. Et cum rex vidisset quod non posset Mediolanenses in fossatis eorum debellare, mutatis castris suis inter Barganum et Fossadoltum, sequenti die marchio Lancea cum Cremonensibus et aliis suis militibus equitavit Laudam, rex vero cum suis militibus, Papiensibus, Terdonensibus, et comite de Frandala equitavit Papiam. Cum autem Papiam accessisset, omni mora ablata cum suis, militibus quoque Papie Terdone et comite de Frandala, equitavit in episcopatum Vercellarum, comburentes domos et villas, homines et bestias capientes, et stetit ibi usque ad Kalendas Augusti tunc proximi. Quoniam Petrus Becherius civis Vercellarum qui cum rege erat, sua castra dedit regi, iterum rex circa medium Augusti cum dictis militibus apud civitatem Vercellarum devastavit, atque pontem fluvii cui dicitur Sarvus incidere fecit; deinde equitavit in Monferatum et plurima loca marchionis devastavit.

Eodem tempore Ansaldus de Mari amiragius cum 160 galeis et Ubertus Pellavicinus vicarius in partibus Porti Veneri cum exercitibus per terram et aquam devastabant stando ibi per tres ebdomadas.

In proximo mense Novembris Viterbienses imperatori rebellaverunt.

Postea de mense Decembris Novarienses rebellaverunt ei, quia intellexerunt quod 20 milites eorum qui erant cum imperatore in partibus Apulie, fugientes intraverant Romam

In proximo mense Ianuarii Mantuani ceperunt castrum Hustilie Veronensium, et illud 1244. funditus diruerunt.

In proximo mense Marcii inceptum fuit tractare concordium inter Romanam ecclesiam et imperatorem. Unde imperator direxit ad domnum papam epistolam continentem ita:

*Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Scicilie rex,* Mart. 28. *per presens scriptum notum facimus universis quod nos R.*[16] *illustri comiti Tholosano dilecto affini et magistro P. de Vineis et T. de Suesa curie nostre iudicibus, dilectis fidelibus nostris, specialem et plenam concedimus potestatem iurandi in anima nostra et pro parte nostra stare mandatis domni pape et ecclesie super omnibus articulis iniuriis dampnis et offensis ante et post excommunicationis sententiam ecclesiis et ecclesiasticis personis illatis, pro quibus per Gregorium olim summum pontificem contra nos ipsa excommunicationis sententia noscitur fuisse prolata; ratum et firmum habentes quicquid super hoc predicti fideles nostri duxerint faciendum. Ad cuius rei memoriam et debitam firmitatem, presens scriptum aurata bulla nostro typario*[a] *maiestatis impresso iussimus*[b] *communiri. Data apud Aquam pendentem 28. Marcii.* Qui comes et magister P. de Vineis et T. de Suesa die Iovis que dicitur sancta in Romana urbe pro domno imperatore isto[c] tenore et modo iuraverunt observare mandata domni pape et ecclesie.

Deinde imperator dimisit omnes carceratos Rome quos tenebat. Interea in Lombardia *in marg.* Fama. fames vallida erat, ita quod multi venderunt sextarium frumenti[d] 20 solidis Placentinis. Valebant

1244. indictione secunda, die Martis, 7. mensis Iunii, rex Hencius cum marchione sester. fr'. Lancia et milicia Cremone, militibus quoque Parme et Regii atque militibus Theotonicis, 20 sol. Apulie, usque in quantitatem tria[e] milia militum cum modico populo Cremone atque carocio in episcopatum Placentie introivit, et castra sua posuit in territorio[f] Florenzole devastando. Et inde motus in partibus Sancti Protasii, deinde apud Padernam sua castra po- fol. 59'. suit. Interea Gregorius de Montelongo legatus et marchio Montisferati cum milicia Medio-

a) imperio *c.* b) impressimus *c.* c) istó *c.* d) fri *corr.* fri *c.* e) tria M. milia militum *c.* f) territorie *c.*

15) Brembio. *P.* 16) Raynaldo.

1244. lani, militibus quoque Vercellarum et Novarie in civitatem Placentie accesserunt. Set cum foret in hora meridiei, ceperunt albergare in civitate. Placentini autem cum 150 ballisteriis Ianue ad locum Pontisnurii accesserunt. Deinde rex sua castra in Travaciano posuit. Quod cum audissent Placentini, statuerunt exercitum regis persequi, equitantes cum Mediolanensibus et reliquis usque in castra de quibus se moverat. Cum autem vidisset legatus quod Placentini ad bellum cupiebant accedere, misit suos nuncios quatenus revertere deberent; alioquin nullum subscidium eis prestaret. Quo audito Placentini retro redeuntes, dolore magno apud Fontemfrigidam pervenerunt.

Quando rex guastavit episcopatum Placentie *in marg.*

Rex vero cepit et combuxit castrum Rezani et Corneliani et per illas partes, deinde rex mutavit sua castra apud Sanctum Protaxium. Placentini cum Mediolanensibus apud Florenzolam pervenerunt. Cum autem rex sua castra mutasset in partibus Sancti Laurencii, statim legatus et marchio Montisferati cum Mediolanensibus Vercellensibus et Novariensibus ea die venerunt Placentiam, et sine mora transeundo Padum equitaverunt Mediolanum. Hoc audito a rege, cum toto exercitu suo revertens combuxit Turrim, Porencianum[a], Veranum, Cervolim[17], Vigolizonum et alia loca multas segetes comburendo; et in festo sancti Iohannis baptiste per partes Roncharoli Cremonam properavit.

In proximo mense Iulii marchio de Osburgo[18] vicarius in illis partibus pro imperatore, cum Papiensibus Terdonensibus et 300 militibus Theotonicis intravit in vallem Tidoni et combuxit Campromoldum, Guagnanum[19], Mixianum, Lixignanum, Montebulzonum, Tranquilianum, Paxanum[20], Verdetum, Fargnanum[21] et Agazanum et multas segetes.

Interea dum concordium inter Romanam ecclesiam et imperatorem tractaretur, domnus Innocencius papa tam privatissime ut potuit apud Ianuam suos nuncios direxit ad Philipum Vicedominum de Placentia potestatem illius civitatis, quatenus sine mora galeas apud Civitatem-vegiam ei dirigeret. Cum enim domnus papa statuisset esse apud Civitatem Castellanam ut ibi cum imperatore concordium pertractaret, asumptis secum militibus quos voluit cum tribus cardinalibus apud Civitatem-vegiam equitavit. Inventisque ibi galeis Ianuensium sicut cum eis ordinaverat, per maris undas navigando mense Iulii proximo Ianuam accessit.

Imperator autem intelligens domnum papam taliter recessisse, vehementi ira turbatus iussit coram se venire multitudinem prelatorum et clericorum qui ex diversis mundi partibus a Romana curia discedebant[b], et coram eis conquestus est dicens, ut ipsi per partes eorum dicerent et divulgarent, sicut ipse in concordia cum Romana ecclesia procedere volebat. Deinde imperator ad civitatem Pisis accessit. Lombardi vero multos ambaxatores ad domnum papam direxerunt, postulantes ut imperatorem deponeret. In proximo mense Octubris domnus papa ad partes Montisferati accessit, et inde transiens aput Lugudinum properavit, statuitque concilium ad proxime futurum festum sancti Iohannis de Iunio.

Hec est forma citationis domni pape que dirigitur ecclesiarum prelatis et principibus universis pro concilio celebrando:

*Innocentius episcopus servus servorum Dei etc. Dei virtus et Dei sapientia dominus Ihesus Christus, cuius[c] ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, a fundationis inicio[d] splendore virtutum suam illustravit ecclesiam, et sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis[e], ut per eius ministerium suum iustitia consequatur effectum, et sedato guerrarum turbine mundo possit tranquillitas pervenire. Hec enim preminentia dignitatis dum nos reverenter attendimus[f] quod regimini generalis ecclesie licet inmeriti divina providentia[g] presidemus, credimus corde solliciti quod tempestas errore qua ipsa turbatio ecclesie et religio christiana concutitur, provisionis auxilio celesti pietate propina pulsetur.* fol. 60. *Hinc est quod nos in ipsa ecclesia per fidele salubre consilium et auxilium fructuosum statim debiti possit habere decorem, ac deplorando terre sancte discrimini et afflicto Romano imperio propere valeat subveniri, ac inveniri remedium contra Tartoros et alios fidei contemptores, ac persecutores populi christiani, necnon pro negotio quod inter ecclesiam et principem vertitur, reges terre et prelatos ecclesiarum et alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem suam et ortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus ad presentiam nostram omni prorsus occasione*

a) Potencianum *legendum esse videtur.* b) discēdebant *c.* c) cui *c.* d) uncio *c.* e) constantia *c.* f) accendimus *c.* g) pvidentia *c.*

17) Cervolo iam deletum. *P.* 18) Hohenburg? 19) hodie Gragnano. *P.* 20) hodie Passano. *P.* 21) Fargnano iam dirutum. *P.*

*postposita usque ad festum proximum sancti Iohannis baptiste personaliter procures, ut ipsa* 1244. *ecclesia ex tue visitationis honore speciale gaudium et ex tua industria consilium percipiat profuturum. Sciturus quod nos dictum principem in citacione nostra citavimus, ut per se vel suos nuncios in concilio celebrando compareat, responsurus nobis et aliis qui aliquid contra ipsum proponendum duxerint satisfactionem ydoneam prestiturus. Dat.* etc.

1245. indictione 3, die Iovis que dicitur sancta, apud Lugudinum domnus papa ex- 1245. communicavit imperatorem et regem Hencium et marchionem Lanceam. Apr. 13.

Eodem tempore domnus papa fratres et nepotes suos nacione comitum de Lavagnia maximis thesauris et fortissimis divitiis et dignitatibus de thesauro ecclesie et prelatorum ditavit[a].

Eodem millesimo et indictione, die 7. Kalendarum Iunii, imperator cum magno exercitu Mai. 26. ab Apulia versus Lombardiam veniens, ad partes Parme venit habendo multitudinem mullorum, camellorum, dromedariorum atque equorum deferentium thesaurum et camaram exercitus sui. Misitque iudicem Tadeum Lugudinum ad concilium quod domnus papa convocaverat; et motus a Parma, per pontem navium factum per medium Berselum cum honorabili militum comitiva transiens, Veronam equitavit, cum duce Austrie et aliis principibus Alamanie locuturus.

Interea die 11. mensis Iunii rex Encius iussu patris congregatis militibus Theotonicis, Iun. 11. Tuscie, Apulie, marche, Romagne, cum Cremonensibus et eorum carocio castrametatus est in partibus Roncharoli. Deinde motis castris in ripa Rigelli combuxit hospitale sancti Spiritus et domos infirmorum sancti Lazari Regellum et Pantanum devastando; deinde in partibus Potenziani[b], comburendo segetes et loca circumstancia, turrem[c] plebis Ponterziani[d] diruit, equitando usque intus castellum Carmiani et burgum Rivalgarii comburentes. Deinde castrametatus est supra Treviam per medium Ripaltam, et combuxerunt burgum Ripalte et circa Novelianum et per Valdeluretam. Deinde revertentes castrametati sunt in partibus Sancti Naboris; combuxerunt Septimam et Quartum et Plectulas et multas domos infra confinia. Deinde castrametati sunt apud locum de Turri domos et segetes devastantes. Deinde apud pontem lapidis Nurie, quem Placentini muniverant peditibus et balisteriis, circa tercium[22] homines qui erant super illum pontem recepta fidancia reddiderunt illum 22 regi; qui fortitudinem quam Placentini ibi fecerant statim destruxit. Et in festo beati Anto- Sept. 3. nini milicie regis revertentes per episcopatum usque in Potentianum, ceperunt magnam copiam hominum et bestiarum; inter quos captus fuit illo die Philipus Codeporcus per filium Guillelmi de Andito, qui inscio rege ipsum suspendi fecit per gullam ita quod obiit, ideo quia conscius steterat mortis quondam[e] Iununcini de Andito. Sequenti vero die recesserunt.

Imperator die dominico, 9. mensis Iulii, venit Cremonam, ordinavitque ibi quam plures Iul. 9. milites fieri, scilicet filios Ianoni de Andito et alios. Et inde semotus, cum rege Conrado filio suo et magna militum comitiva Papiam equitavit. Interea filius regis Castelle qui cum eo erat, fugit Mediolanum. Et inde semotus[23], Taurinum equitavit; statim comes Savolie cum reverentia* venit ad eum. Preterea marchio Montisferati obedivit ei. *fol. 60'.

Interea in concilio generali clericorum congregatio apud Lugudinum, domnus apostolicus post dilationes multas datas imperatori Frederico, contra eum sententiam promulgare volebat. Iudex Tadeus coram papa assistens, inducias pro imperatore petebat. Apostolicus vero dicebat: *Veniat dominus tuus.* Respondit iudex Tadeus dicens semper: *Veniet.* Interim die[f] statuto ipse apostolicus in ipso concilio contra imperatorem statuit sentenciam promulgare. Iudex vero Tadeus dixit domno pape ut differet, quoniam illa die qua ipsam sententiam tullerit, poterit dici: *Dies illa, dies ire, dies tribulationis, dies calamitatis et miserie, dies magna et amara nimis.* Preterea nuncii et procuratores regis Francorum, regis Anglorum aliorumque regum occidentalium insistentes supplicabant domno pape ut ipsam differet sententiam. Similiter patriarcha Aquilegiensis dixit domno pape quod due columpne erant que mundum substinebant, scilicet ecclesia una et imperium alia. Unde domnus papa dixit patriarche, ut taceret, alioquin aufferet ei anulum. Et ita domnus papa voluntate illius

a) dictavit *c.* b) Potenž *c.* c) turem *c.* d) ponteñz *c.* e) q̄dam *c.* f) de *c.*

22) scilicet diem. 23) scilicet imperator.

1245. Iul. 17. **concilii clericorum et maxime instigantium et instigatu archiepiscopi Galicie et clericorum Yspanie, Lombardorum aliarumque partium sentenciam depositionis contra imperatorem protulit ut inferius denotatur:**

*Innocentius episcopus servus servorum Dei. Sacro presente concilio ad rei memoriam sempiternam. Ad apostolicam dignitatis apicem licet indigni dignatione divine maiestatis asumpti, omnium christianorum cura vigili sedulaque solercia gerere ac intime considerationis oculo singulorum discernere merita et provide deliberationis statera librare debemus. Ut quos iusti vigor exegminis dignos ostenderit, congruis attollamus*[a] *favoribus, quos autem reos penis debitis deprimamus ad pendentes semper meritum et premium aequa lance retribuendo, cuique iuxta qualitatem operis pene vel gratie quantitatem. Sane cum dira guerrarum commocio non nullas professionis christiane provincias diucius affixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem et pacem dare ecclesie sancte Dei ac generaliter toto populo christiano, ad Fredericum precipuum principem scelerum huiusmodi dissentionis et tribulationis actorem a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro pro suis excesibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magne auctoritatis. Viros videlicet venerabiles fratres nostros P. Albanensem tunc Rothomagensem*[b] *archiepiscopum et Guillermum Sabinensem tunc quidem Mutinensem episcopum, ac dilectum filium nostrum Guillelmum basilice duodecim apostolorum presbiterum cardinalem tunc abbatem Sancti Secundi, qui salutem zellebantur ipsius duximus destinandos, facientes sibi proponi per ipsos, quod nos et fratres nostri quantum in nobis erat pacem per omnia secum habere nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati semper pacem et ranquilitatem dare ac mundo etiam universo. Et quia prelatorum clericorum omniumque aliorum quos detinebat captivos et omnium clericorum quam laycorum quos ceperat in galeis restitucio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum ut illos restitueret cum hoc idem tam ipse quam sui nuncii antequo ad apostolatus vocati essemus offitium promisissent, rogari et peti ab ipso fecimus per eosdem ac proponi. Insuper quod iidem pro nobis parati erant audire et tractare pacem ac etiam audire satisfationem quam facere vellet princeps de omnibus pro quibus vinculo excommunicationis erat astrictus et offerri. Preterea quod si ecclesia eum in aliquo contra debitum leserat, quod non credebat, parata*[c] *erat orrigere ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod in nullo contra iustitiam leserat ecclesiam vel quod nos eum contra iustitiam lesissemus, parati eramus vocare reges prelatos et principes tam ecclesiasticos quam seculares ad aliquem tutum locum ubi per se vel* *fol. 61. *sollempnes nuncios convenirent, eratque* parata*[c] *ecclesia de conscilio concilii satisfacere si eum lesisset in aliquo, ac revocare sententiam si quam contra eum iniuste tulisset, et cum omni mansuetudine ac misericordia quantum cum Deo et honore suo fieri poterat recipere de iniuriis et offensis ipsi et ecclesie suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso; volebat etiam ecclesia omnes amicos suos sibique adherentes in pace ponere plenaque secu itate gaudere ut numquam hac*[d] *occasione posset aliquod subire discrimen; set licet sic apud eum pro pace paternis modis et precum insistere curavimus lenitate, idem tamen Pharaonis immitatus duriciam et obturans more aspidis aures suas, huiusmodi preces et monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cene Domini proxime nuper preterita precedente coram nobis et fratribus nostris, presentibus vero Constantinopolitano imperatore illustri, cene quoque non modico prelatorum, senatoribus quoque Romanorum et maxima multitudine aliorum qui eadem die propter sollempnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad apostolicam sedem convenerant, quod staret nostris et ecclesie mandatis, per nobilem virum comitem Tholosanum et magistros P. de Vinea et T. de Suesa curie sue iudices, nuncios et procuratores suos speciales, super hoc ab ipso mandatum habentes, prestiterint iuramentum. Postmodum tamen quod iuraverat non implevit, quin immo ea intentione ipsum prestitisse probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, nec eidem ecclesie ac in nobis illuderet pocius quin pareret, cum anno et amplius iam elapso nec ad ipsius ecclesie gremium revocari potuerit nec sibi de illatis ei dampnis et iniuriis curavit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod nolentes absque gravi Christi offensa eius iniquitates amplius tollerare, cogimur urgente nos conscientia iuste animavertere in eundem. Et ut ad presens de ceteris eius sceleribus taceamus, quatuor gravissima que nulla possint cellari transgressione commisit. Deieravit enim multociens, pacem quamdam inter ecclesiam et imperium reformatam temere violavit; perpetravit etiam sacrilegium capi faciens cardinales sancte Romane ecclesie ac aliarum ecclesiarum prelatos et clericos religiosos et seculares venientes ad concilium quod idem predecessor duxerat convocandum; de huiusmodi quoque non dubiis et levibus set difficilibus et evidentibus argumentis suspectus habetur. Plurima siquidem eum commisisse periuria satis patet. Nam olim cum in Siciliae partibus morabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus, coram bone memorie G. Sancti Theodorici diacono apostolice sedis legato felicis recordationis Innocentii pape predecessori nostro et successoribus eius ecclesieque Romane pro concessione regni Scicilie ab eadem ecclesia sibi facta fidelitatis prestitit iuramentum; et sicut dicitur illud idem postquam ad eandem dignitatem electus extitit et venit ad Urbem coram eodem I. suisque fratribus et aliis multis presentibus ligium hominium in eius faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alamania esset idem*[e], *Innocentio ipso defuncto bone memorie Honorio pape predecessori nostro et eius successoribus ac ipsi ecclesie Romane presentibus imperii principibus atque nobilibus iuravit honores iura et possessiones Romane ecclesie*[f] *pro posse suo servare ac protegere bona fide, et quodcumque ad manus suas pervenerit sine dificultate procuraret restituere nominatis expressim dictis possessionibus in huiusmodi iuramento, quod postmodum confirmavit coronam imperii iam adeptus. Set eorum trium iuramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota et lese*[g] *crimine maiestatis. Nam contra prefatum predecessorem G. et fratres suos comminatorias*[h] *litteras eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres suos sicut apparet per litteras ab eodem tunc directas eidem, et etiam prout fertur per universum fere orbem terrarum multi-* *fol. 61'. *pliciter destinare presumpsit, ac venerabilem fratrem O. Portuensem, tunc Sancti Nichoali in carcere Tulliano* diaconum cardinalem et bone memorie I. Prenistrinum episcopos apostolice sedis legatos, nobilia et magna ecclesie Romane membra personaliter capi fecit, et bonis spoliatis ac per diversa loca non semel ignominose ducentes carceribus mancipari. Privilegium insuper quod beato Petro et successoribus eius in ipso tradidit dominus Iesus Christus, videlicet: „Quodcumque ligaveris super terram et cetera, et quodcumque absolveris" et cetera, in quo utique auctoritas et potestas ecclesie Romane consistit, pro viribus diminuere vel ipsi ecclesie aufferre sattagit, scribens*[i] *se prefati G. sentencias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum non solum contemptis ecclesie clavibus non servando, alias non servare. Possessiones*[k] *quoque prefate Romane ecclesie, videlicet marchiam, ducatum, Beneventum cuius muros et turres dirui fecit, ac alias quas in Tuscie ac Lombardie partibus et quibusdam aliis optinebat locis, paucis exceptis occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas tamquam ei non sufficeret, quod manifeste contra iuramenta premissa presumendo talia vovebat per se vel suos officiales eorumdem possessionum*[l] *homines deierare compulit, ipsos iuramentis fidelitatis quibus Romane tenebantur ecclesie de facto, cum de iure non posset, absolvens, faciens eosdem fidelitatem nichilominus abiurare, predicta sibi fidelitatis huiusmodi iuramenta prestare. Pacis vero violatorem existe e plene constat. Quia cum olim tempore pacis inter ipsum et ecclesiam reformare iurasset coram bone memorie*

a) actollamus *cod.* b) rothmagrum *c.* c) peracta *c.* d) ac *c.* e) eidem *c.* f) *vox deest.* g) nota ilese *c.* h) continuatorias *c.* i) Soribens *c.* k) posset *c.* l) posset *c.*

*I. de Abbatis villa episcopo Sabinensi, magistro Thomaxio tituli Sancte Sabine[a] presbitero cardinali, presentibus multis pre-* 1245. *latis principibus et baronibus quod staret et pareret[b] precise absque nulla condicione omnibus mandatis ecclesie super his pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis eidem expressis per ordinem coram eo tum omnibus Theodoricis, hominibus regni Scicilie ac quibuslibet aliis qui ecclesie contra ipsum adheserant, omnem remitlens offensam et penam, et quod nullo tempore offendere vel offendi faceret ipsis pro eo quod ecclesie astiterant, prestari in omnia sua comitem Acerarum faciens iuramentum. Postmodum pacem et iuramenta huiusmodi nequaquam erubescens irrecturi periuriis non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus tam nobiles quam alios captivari ac terras ecclesie contra promissionem quam eisdem I. Sabinensi episcopo et T. cardinali feceral irreverenter invasit, licet ipsi extunc in eum presentem si contra veniret excommunicationis sententiam promulgarent. Et cum iidem apostolica sibi auctoritate mandassent, ut nec per se[c] nec per alium impediret, quin postulationes, electiones et confirmationes ecclesiarum monasteriorum in regno prefato libere de celero fierent secundum statuta concilii generalis, et quod nullus deinceps in eodem regno viris[d] ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias vel collectas, quodque nullus clericus ibidem vel persona ecclesiastica de celero in civili vel criminali causa conveniretur coram iudice seculari nisi super feodis questio civiliter haberetur, ac Templariis et Hospitalariis et aliis personis ecclesiasticis de dampnis et iniuriis irrogatis eisdem satisfacere competenter, ipse mandatum huiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim aut plures archiepiscopales et multos episcopales, abbacias quoque ac alias ecclesias ad presens in regno vacare predicto, easque procurante ipso sicut aperte patet fuisset diutcius prelatorum regimine destitutas in grave ipsarum preiudicium et periculum animarum; et licet forte in aliquibus eiusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis celebrate, quia tamen per illa eiusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates et bona fecit prout voluit occupari, set etiam cruces turribula calices et alios eorum sacros thesauros et pannos sacros velut cultus divini contemptor aufferri, licet ut dicitur ipsis ecclesiis exacto tamen[e] prius pro eis certo precio in parte fuerint clerici quippe collectis taliis multipliciter affliguntur,* nec solum trahuntur ad iudicem secularem, set ut asserit coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur et* *fol. 26. *patibulis cruciantur in confusionem et obprobrium ordinis clericalis. Prefatis autem Templariis et Hospitalariis et personis ecclesiasticis non est de dampnis illatis eisdem et iniuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum prefati Portuensis et Prenestinus episcopi et quam plures ecclesiarum prelati et clerici tam gloriosi quam seculares ad apostolicam sedem pro celebrando concilio, quod ipse prius petierat convocari, per mare venirent, viis ipsis terre de mandato eius omnino preclusis, idem destinato Encio filio suo cum multitudine galearum et per alias quam plures longe anna serio preparatas, in partibus Tuscie maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius possel virus vomere preconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prelatorum ipsorum et aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis et aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis omnibus spoliatis, et de loco ad locum in regno Scicilie obprobriose deductis ac ibidem duris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus et inedia pressi miserabiliter[f] defecerunt. Merito insuper contra eum de heretica pravitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a prefatis I. Sabinensi episcopo et T. cardinali prolatam incureret, et dictus G. papa ipsum anathematis vinculo innodavit[g], claves ecclesie contempserit et contempnat, sibi faciens celebrari vel pocius quantum in eo est prophanari, se prefati G. pape sententias non vereri. Preterea coniunctus amicicia detestabili[h] Saracenis, nuncios et munera plures destinavit eisdem, et ab eisdem vicissim omni honorificentia et ylaritate recepit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in cottidianis eius obsequiis vocabiliter secum tenens, eorumdem etiam more, uxoribus quas habuit de stirpe[i] regia descendentibus eunuchos precipue quos ut dicitur serio castrari feceral non erubuit deputare custodes. Et quod execrabilius[k] est, olim existens in partibus transmarinis facta compositione quodam immo collusione verius cum soldano Macometi nomen Domini diebus et noctibus publice proclamari permisit. Et nuper nuncios soldani Babilonie postquam idem soldanus terre sancte christianis habitatoribus eius per se ac suos dampna gravissima et inextimabiles iniurias irrogaret, fecit per regnum Scicilie cum laudibus ad eiusdem soldani excellentiam sicut fertur honorifice suscipi et magnifice procurari, aliorumque infidelium perniciosos et horrendis obsequiis contra fideles ab uteris et illis qui dampnabiliter vilipendentes apostolicam sedem ab unitate ecclesie discesserunt, procurans affinitate ac amicicia copulari. Clare memorie ducem Baverie, specialem ecclesie Romane devotum, fecit sicut pro certo asseritur christiana religione despecta per assassinos occidi, et Vatacio Dei et ecclesie inimico a comunione fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus et consiliatoribus et fauctoribus suis sollempniter separato, filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero principum actus cum didiceret opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manus eius ut docet principem ad elemosinas non extenta, cum destructioni ecclesiarum institerit et religiosas ac alias ecclesiasticas iugiter actriverit afflictione personas, nec ecclesias nec monasteria nec seu alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hec non levia set efficacia sunt argumenta de suspicione heresis contra eum, cum tamen hereticorum vocabulo illos ius civile contineri asserat et latis adversus eum sentenciis debere subcumbere, qui vel levi argumento a iudicio catholice religionis et tramite decreti fuerint deviare. Preter hec regnum Scicilie quod est speciale patrimonium beati Petri, idem princeps ab apostolica sede tenebat in feodum iam ad tantum in clericis et laycis exterminationes servitutemque redegit, quod eis pene penitus nichil habentibus et omnibus ex inde fere probis eiectis, illos qui remanserunt ibidem sub servili quasi *condictione vivere ac Romanam ecclesiam, cuius principaliter sunt homines et vasalli, offendere multipliciter et hostiliter im-* *fol. 62. *pugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi quod nulle qui factorum annuam pensionem in qua pro eodem regno ipsi ecclesie Romane tenetur, per 9 annos et amplius solvere pretermissit. Nos itaque super premissis et quam pluribus aliis eius nephandis excessibus cum fratribus nostris et sacro concilio deliberatione habita diligenti, cum Iesu Christi vices licet inmeriti teneamur in terris nobisque in beati Petri persona sit dictum: „Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in celis“ et cetera, memoratum principem qui se imperio et regnis omnique honore ac dignitate reddit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo ne regnet vel imperet abiectus, suis ligatum peccatis et abiectum omnique honore ac dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus ac nichilominus sententiando privamus, omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur astricti a iuramento huiusmodi perpetuo absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de celero sibi tamquam imperatori ac regi, conscilium vel auxilium prestiterit seu favorem, ipso facto vinculo excommunicationis subiacere. Illi autem in eodem imperio quibus imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De prefato vero Scicilie regno providere curabimus cum eorumdem fratrum nostrorum consilio sicut videbimus expedire. Data Lugudini 16. Kalendas Augusti pontificatus nostri anno tertio, ab incarnatione Domini 1245. indictione 3.*

Cum autem imperator, qui erat apud Taurinum, talia audivisset, Conradum filium suum cum honorabili militum comitiva et maximo thesauro per terras comitis Savolie in

a) sci sabini *c.* b) pararet *c.* c) *deest c.* d) iuris *c.* e) tam *c.* f) mirabiliter *c.* g) innodatione *c.* h) de stabili *c.* i) stripe *c.* k) exacrabilius *c.*

1245. Alamaniam destinavit. Postea acceptis ossidibus in Alexandria, venit Cremonam. Qui cum de quibusdam militibus Parme dubitaret, equitavit cum Cremonensibus apud Burgum sancti Dompnini, dimissis ibi Cremonensibus equitavit cum militibus suis Fontanam-vivam, invenitque in secretario illius monasterii scripturas de proditione et morte sua et regis Hencii. Et inde semotus, intravit Parmam capiendo fortitudines civitatis. Quapropter statim Bernardus Rolandi Rubei, Bernardus de Cornazano, Mons et Guido et Rolandus fratres Lupi, et Girardus de Corrigio milites eiusdem civitatis absentantes, venerunt Placentiam, ubi recepti fuerunt cum magno honore.

Eodem tempore marchio Lancia cum maiori parte milicie Brixie intraverat Montem- 24 clarum rehedificans illud, et tenebant ipsi milites Pontemvicum, Senigam, Mosumlenni[24] et alia castella Brixie.

Sept. In proximo mense Septembris imperator congregatis suis militibus Theotonicis, Tuscis ac Apulie et 200 militibus Parme et 600 militibus Cremone et 50 militibus Laude et 200 mili- Oct. 10. tibus Pergami, equitavit Papiam. Et inde semotus, die 10. mensis Octubris proximi cum omnibus predictis militibus et Papiensibus cum carocio, Terdonensibus, Alexandrinis, Vallentinensibus, Astensibus, marchione Montisferati, Opizone Malaspina, atque marchione Lancia apud Ticinellum in partibus Abiate Grasse sua castra posuit. Statim Mediolanenses pro communi cum 200 militibus Brixie et 200 militibus Placentie et 100 militibus Creme supra Ticinellum ab alia parte per medium contra[a] castra imperatoris eorum temptoria infixerunt. Ex altero vero latere episcopatus Mediolani, rex Hencius congregatis Cremonensibus cum carocio, Parmensibus, Pergamensibus, Laudensibus, castrematatus est prope clusam Addue quam Mediolanenses fecerant. In cuius cluse custodia Mediolanenses miserant miliciam duarum portarum civitatis et omnes homines de ripa Addue et Symonem de Nov. 4. Locario et 150 ballisterios Ianue. Et die sabbati, 4. mensis Novembris proximi, rex Hencius cum suis militibus summo mane transivit per vadum flumen Addue in partibus de Caxano, et milites et pedites Mediolanensium qui ibidem in custodia cluse aderant usque ad locum Nov. 8. Grongunzole fugavit, atque Addue clusam destruxit. Et die Mercurii proximo idem rex *fol. 63. transivit* cavum Addue, quem scicaverat[25], equitando usque Grongonzolam, in quo loco Mediolanenses fugerant, preliando cum eis in ipsum locum intravit; ceperuntque milites regis inter pedites et ballisterios 1300, et 40 milites Mediolani, ipsumque locum et Caxanum et alia loca combuxerunt. Set ut rex Encius in primis cum paucis militibus in ipsum locum intrasset, incidit in manus inimicorum. Cum autem duxissent regem intus ecclesiam dicti loci, Simonus de Locario de Cumis et quidam miles capiteneus ballisteriorum Ianue qui in ipsam ecclesiam intraverant, cognoscentes regem, pecierunt ut ipse permitteret eos evadere cum ceteris qui ibidem intraverant et ipsi permitterent eum sanum abire; quoniam multitudo maxima militum et peditum regis ad locum accedebant, ipsum regem inquirentes. Cum autem rex vidisset multitudinem exercitus sui, clamavit alta voce ut secederent retro; quibus seccessis, rex permissit dictos Symonem et alium cum ceteris qui ibidem intra- Nov. 14. verant abire illesos. Et die 14. mensis Novembris imperator reversus est Papiam, et rex reversus est Laudam; et veniens imperator Laudam, iussit 38 ballisterios Ianue captos dextro oculo et manu dextra devastari. Et inde semotus cum toto exercitu et carceratis equitavit Cremonam, deinde Parmam. Et dimisso rege Encio in Lombardia, cum militum comitiva per Monbardonum in Tusciam equitavit, et apud Grosserum terram comitis Oddevandrini yemavit.

1246. Mart. In proximo mense Marcii comes Pandulfus, Armanus de Faxanella, Iacobus de Moro, Tebaldus Francischus et alii eius principes de regno, qui ad instigationem Bernardi Rubei et Lombardorum tractaverant mortem imperatoris, auffugerunt credentes ipsum scelus manifestum esse imperatori; quos imperator cum suis militibus est persecutus, capiendo plures ex ipsis, quos diversis penis cruciavit. Nam idem comes Pandulfus fugiens intravit Romam, et Tebaldus intravit intus rocham de Capacia in Apulia, in qua multum thesaurum imperatoris recolligerat; nam eius secretissimus[b] erat. Imperator autem statuit Tebaldum persequi; et data ossiditione ipsi roche de Capacia, fecit in giro claudere formissimis munitionibus.

a) *vox desiderari videtur, deest in c. Consentit Paveri.* b) secratissimus *c.*

24) Mosium et Lenum castella duo Brixiana explicat Ill. Odorici. *P.* 25) i. e. siccaverat.

Eodem tempore rex Encius cum marchione Lancia, militibus quoque Cremone et Papie 1246. intravit civitatem Parme accipiendo fortias turrium. Et in publica concione fecit recitari Ugoni Lupo marchioni, quomodo fratres eius et Bernardus Rolandi Rubei et alii tractaverant cum Tebaldo Francisco, qui in eodem anno in Parma extiterat per potestatem, mortem imperatoris et regis Encii, pollicentes ipsi Tebaldo se regnum Scicilie per domnum papam concessuros, sperantes habere magnam virtutem et potestatem a domno papa, quoniam ipse Bernardinus Rolandi Rubei erat cugnatus domni pape. Deinde rex destruere fecit turres et domos illorum de Parma qui absentaverant, mittens de parte illorum 60 milites in custodia Cremonam et Regium. Similiter ex parte Robertorum et illorum de Fogianno civitatis Regii in vademonium[a] usque in 20 milites in Apuliam direxit, diruens domos multorum de civitate illa qui aufugerant.

1246. indictione 4. de mense Madii Conradus et Opizo Malaspine marchiones imperatori rebellaverunt paciscentes cum Lombardis somas mercatoribus in camino[26] abstulerunt. Domnus Landulfus Crivellus.

Eodem mense Papienses cum Laudensibus nocte privatim habuerunt castrum Pontis novi de Pado quod Mediolanenses tenebant de versus eos: statim Placentini totum pontem destruxerunt usque in castellum eorum.

Eodem tempore Henricus antigratus[27] Durenghe a domno Innocentio papa in regem 27 Romanorum est vocatus.

In proximo mense Iunii rex Encius congregatis militibus et peditibus Parme, Cremone, Iun. militibus quoque Theotonicis et Tuscie cum carociis Parme et Cremone intravit in episcopatum Placentie, et sua castra posuit intus Pantanum in ripa Padi. Statim Placentini hoc viso miserunt milites et pedites duarum portarum et 150 ballisterios Ianue; timebant enim Placentini ne rex cum exercitu Fesustam[28] transiret; et factis in buca Fassuste munitionibus, restiterunt ibidem exercitui regis. Rex vero quarta die postquam ibidem sua castra fixit fecit fieri pontem navium supra Padum, stetitque ibidem per 12 dies devastando.

Interea Papienses cum Turdonensibus et Alexandrinis, cum bricollis circa castrum Olupre per sex dies steterunt nec illud habuerunt; deinde rex castra mutavit intus Regellum comburendo usque ad civitatem. Deinde castrametatus est in partibus Sancti Pauli et Sancti Georgii et Trabaciani et Castri Arquati devastantes. Placentini vero nullum adiutorium ab amicis habuerunt. In proximo mense Iulii imperator habuit rocham de Capacia et Tebaldum Franciscum et alios plures oculis fecit devastari et mulieres eorum comburi. Iul. In proximo mense Augusti Conradus Malaspina reversus est ex parte imperatoris capiendo Aug. somas plurimas mercatorum In proximo mense Augusti rex Encius congregatis suis militibus Theotonicis cum Cremonensibus et Laudensibus et 300 militibus Papie, cum multitudine navium Cremone et Papie, et novem trabuchis et bricollis et cum scollis[29] et cum scollis Ferrariensium, die 10. Kalendas[b] Septembris ad instigationem Alberti de Fontana, Aug. 23. qui nuper proditionem de civitate Placentie facere voluerat, sua castra posuit apud pontem Padi qui dicitur de Ramello. Placentini autem refecto quodam recepto quod habebant in capite ipsius pontis, ceperunt ibi resistere. Rex vero fecit fieri duo castella lignaminis et gatos et vias cohopertas, et preparare tres naves ponderatas lignorum, et die Martis 4. mensis Septembris iussit ponere ignem in navibus plenis lignis et dimitti ad pontem Sept. 4. venire. Set ante quam ad pontem accederent, Placentini cum fulconibus ferreis per vim illas tenuerunt a longe, ita quod illi ponti non nocuerunt. Et interim exercitus regis per terram et aquam sturmum dabat recepto, ubi multi ex utraque parte mortui et vulnerati fuerunt. Sequenti vero nocte Placentini combuxerunt castella lignaminis et gatos et vias cohopertas. Et die Veneris proximo recesserunt. Nullum adiutorium ab amicis Placentini Sept. 7. habuerunt.

Deinde rex cum suis militibus equitavit Regium, et data ossidicione castello Filini, in quo de parte Robertorum aliqui intraverant, data fidancia personis illud habuit. Deinde ad civitatem Mutine equitavit, et asumptis secum quantitatibus milicie Regii, Parme, Cremone, de mense Novembris mandato patris ad custodiam in partes Taurini equitavit, occasione prohibendi transitum militibus pape quos in subsidium Lombardorum destinare volebat. Set comes Savolie fidelis imperatoris eos venire non permissit.

a) in uadē *c*. b) mensis *c*.

26) i. e. strata. 27) i. e. lantgravius. 28) Fassuste prope Placentiam. *P*. 29) Paveri *scalis* scribit.

1247. In proximo mense Februarii antigratus obiit.

Domnus Manuellus de Madio potestas. 1247. indictione 5, die Mercurii, 10. mensis Aprilis, imperator Fredericus cum militum comitiva quiete per partes Pontremuli veniens, Lombardiam intravit ad partes Parme; et inde transiens veniens Cremonam, in qua civitate statuit colloquium in Kalendas Madii, ubi fuerunt ambaxatores omnium civitatum Lombardie sue partis; et Yzolinus de Romano de marcha, qui ad ipsum venit colloquium cum honorabili militum comitiva, cui imperator donavit tres milites Parme illorum de Yzola dampnatos ad mortem. Et tunc imperator filiam suam Iacomino de Careto copulavit in uxorem. Et motus a Cremona, cum magno thesauro 30 et multis militibus die festo sancti Syli[30] intravit Papiam. Et inde equitavit Taurinum et cum comite Savolie est locutus, cui plurima dona donavit; volens imperator ultra aggredi, cum principibus et baronibus Galicis qui eum expectabant locuturus.

Interea rex Encius cum Cremonensibus apud Guinzannum castrum Brixie sua finxit temptoria, castrum illud cum hedificiis expugnando. Dum autem castrum illud iam per Iun. 16. 10 dies oppugnasset, die dominico 16. mensis Iunii proximi summo mane, Girardus de *fol. 64. Corrigio, Mons Lupus, et Guido eius frater marchiones,* et Bernardinus de Cornazano et alii multi de Cornezano, de Yziola, de Sancto Vitali civitatis Parme numero 70 vel circa banniti ab imperio, qui absentaverunt de civitate eorum et apud Placentiam venerant moraturi, ad favorem et intellectum partis militum et populi Parme ceperunt equitare versus Parmam. Cum autem transirent fluvium Tari, obviaverunt potestati Parme cui nomen erat Henricus Texta de Arezio, cum multa militum comitiva ad obsistendum venientes; factoque impetu contra eos, ipsum potestatem prosternentes de equo et Manfredum de Cornazano, Ugonem Vicedominum et quendam militem potestatis interfecerunt ibidem. Quod cum vidisset magna pars milicie Parme qui cum potestate exierant, putantes Mediolanenses et Placentinos ibi esse pro communi voluntate rei, et causam ignorantes, ceperunt absentare; quorum alii fugientes intraverunt per castella Parme, alii equitaverunt Cremonam. Reliqua pars militie Parme, sicut sunt propinqui et amici extrinsecorum, veritatem et causam cognoscentes, cum predictis Girardo de Corrigio et ceteris aliis qui cum ipso[a] erant, versus civitatem Parme ceperunt equitare; et invento eius populo qui de civitate cum armis exierat, populares vexilla in manibus Girardi de Corrigio et marchionis posuerunt, vociferantes una hora[b] pacem, cum eis intraverunt civitatem Parme, eligentes prenominatum Girardum in potestatem et rectorem civitatis. Custodes vero qui palatium imperatoris custodiebant, sine mora de ipso exire compulerunt. Auditis[c] et intellectis a rege Encio que gesta erant, motis suis castris Cremonam properavit, et asumpto carratio, cum Cremonensibus intus episcopatum Parme apud Brancanisium sua castra finxit. Statim 400 milites Papie, 300 milites Pergami ad exercitum regis accesserunt. Preterea Burgenses[31] custodiam militum per regem receperunt. Similiter Mutinenses 45 milites Parme, qui illic erant in custodia, in vinculis possuerant. Interea Parmenses civitatem eorum fossis et spaldis die noctuque[d] incessabili mora aptabant. Sequenti vero ebdomada, comes Sancti Bonefacii cum 200 militibus civitatem Parme intravit. Decimo die post hec Gregorius de Montelongo legatus domni pape et Bernardus Rolandi Rubei cum 600 militibus Mediolani et 200 militibus Placentie per montaneas equitantes, ad ipsam civitatem accesserunt. Preterea Ianuenses ad ipsam civitatem 300 ballisterios miserunt.

Iun. 30. Die dominico ultimo mensis Iunii proximo imperator cum comitiva militum a partibus Taurini veniens, civitatem Cremone intravit. Invento enim ibi Eyzolino, qui in sua comitiva habebat 600 milites, die Martis proximo ad exercitum accessit. Qui statim transiens fluvium Tarii, castramentatus est apud Sanctum Brancaxium, capiens sex homines qui erant super turrim ecclesie, quos suspendere fecit. Preterea marchio Lanzia cum Cremonensibus intravit Furnovum et Medexanam. Erant enim cum imperatore circa 200 milites Parme qui de civitate exierant, scilicet Ubertus Pelavicinus et fratres, Rubinus marchio Pellavicinus, Bertolinus Tavernerius cum filiis, Ianinus Ugonis Rubei et fratres, filii quondam Manfredi de Cornazano, Girardus de Canali, Bonacursus et Iacominus de Paludi, Bassuli, de Guidobovibus, de Vicedominis, de Zochis, de Paganis, de Oliveriis, de Advocatis, de Scarpis et multis aliis.

a) *vocem supplevi.* b) *pro* uno ore. c) audictis *c.* d) notuque *c.*

30) i. e. Syri, d. 17. Mai. 31) habitatores Burgi sancti Domnini.

Et in die festi sancti Antonini proximi imperator occasione multorum ossidum Parme 1247. quos apud civitatem Regii habebat, statuit dirigere regem Encium cum militum comitiva ad ipsam civitatem Regii. Quod quidem senciens Gregorius de Montelongo legatus, statuit ut comes Sancti Bonefacii et Opizo Malaspina cum eorum militibus, militibus quoque duarum portarum Parme et aliis equitatoribus ipsum regem persequi deberent. Cum autem milites omnes qui de civitate Parme exierant persequendo regem fuissent[a], de subtus 4 castella Reginorum, rex Encius conscilio Eyzolini et Uberti Pelavicini cum suis militibus equorum capita versus* inimicos erexerunt; et bello incepto Parmenses terga vertentes, et militie *fol. 64'. regis ipsos insequentes per duo milliaria 45 milites Parme et 15 milites Placentie ceperunt, quos rex Encius Regium duxit et incarceravit. Deinde equitavit Mutinam. Hiis auditis ab imperatore, statim sua castra iuxta civitatem Parme finxit[33].

Interea Fredericus Malaspina in Lunexana imperatori rebellavit, et cum Bernabove filio Opizonis Malaspine 33 milites imperatoris cepit. Die vero 16. mensis Iulii rex Encius Iul. 16. ossides et captivos qui erant apud Regium et Mutinam ad exercitum imperatoris conduxit eosque ibi incarceravit. Deinde rex accepta militum comitiva cum Uberto Pelavicino equitavit Bercedum, in quo loco erant 200 pedites Valdetarii. Preterea Pontremulenses illuc in expedicionem venerunt; et data ossiditione, reddiderunt locum regi, permissis evadere personis que in ipsum locum intraverant. Deinde equitavit Pontremulum, in quo imperator fecit fieri firmissimam fortitudinem, et in ipso magnum thesaurum possuerat. Deinde equitavit Fillateram quam Bernabos tenebat, et ipso loco capto Fredericus Malaspina paruit mandatis regis. Unde operta fuit via euntibus et redeuntibus in Sarzanam. Bernabos autem in castrum quod dicitur Groppum sancti Petri refugit. Deinde rex Pontremullum est reversus. Pontremulenses congregati coram rege dixerunt: *Cognovisti*, inquid, *domine*, *amorem quem in vobis habuimus*. Quapropter postulaverunt regi ut portas eis restituere[b] liceret et Grondellam eis daret. Quod quidem rex sine mora eis concessit. Pontremollenses captis armis Grondellam perrexerunt, eamque funditus destruxerunt. Deinde rex cum suis militibus ad exercitum imperatoris est reversus. Interea Amadinus de Amatis et Maza de Oddevrandis et alii quam plures nobiles viri Cremone propter timorem imperatoris vel propter proditionem eorum absentaverunt.

Preterea Mantuani et Ferrarienses cum multitudine ballisteriorum Parme et Ianue venientes in navibus, locum casalis maioris Cremone combuxerunt.

Deinde imperator fecit fieri fossata in giro castris suis, fecitque ducere rivos per ipsa fossata de fluvio Tarii, et maior pars episcopatus Parme mercatum ad exercitum imperatoris deferebat.

In proximo mense Augusti rex Encius et Ezolinus mandato imperatoris accepta magna Aug. quantitate militie exercitus equitaverunt Bersellum, ibique eorum castra infixerunt. Imperator autem de captivis Parme quos habebat quatuordecim decapitari fecit ibidem.

Interea domnus Octavianus cardinalis congregatis 1000 militibus Mediolani, Vercellarum, Novarie et Creme equitavit Mantuam; deinde cum militibus Brixie, Bononie, marchione de Est, Alblico[34] de Romano, Beaquino et aliis viris nobilibus de marcha, et peditibus et militibus Mantue et Ferrarie, cum classe navium inter Padum et Taliatam[35] sua temptoria finxit. Rex vero rehedificata munitione in loco Berselli factoque ponte navium, ibi supra Padum apud Guastallam cum Eyzolino castrametatus, cardinali resistebat cum exercitu suo.

In proximis Kalendis Octubris imperator apud ecclesiam de Fargnana sua castra mu- Oct. 1. tavit, ibique fondavit civitatem quam Victoriam appellavit, eamque fossis et spaldis et domibus ordinavit, et in ea monetam fabricari fecit que appellabatur Victorinus. Exeunte vero mense Octubris Mantuani et Ferarienses cum navibus castellatis ceperunt pontem navium de Bersello, et mercatum grani et salis in castellum Collornii, quod intrinseci tenebant, conduxerunt.

In medio mense Decembris* cardinalis dato exercitui suo comeato, Mantuam equitavit. *fol. 65. Imperator autem direxit Fredericum abiaticum suum cum comitiva militum Alexandriam, deditque licentiam Eyzolino cum suis militibus et militibus et peditibus Pergami et Papie, Terdone et Alexandrie. Preterea magna pars militum et peditum Cremone qui in Victoria

a) fuissē *c.* b) restaurare *Paveri.*

33) i. e. fixit. 34) i. e. Alberico. 35) Tagliata prope Guastallam. *P.*

1247 erant, absentavit tunc propter tedium temporis longe more, tum[a] propter maiorem partem militum Mediolani et Placentie qui die noctuque de civitate Parme absentaverant.

Dec. 23. Die 10. Kalendas Ianuarii proximo Pontremolenses ceperunt 300 pedites Valdetarii, qui in ipsum locum cum Armano Buffa potestate[b] dicte vallis intraverant ad inductam quorumdam hominum dicti burgi, quos imperator ad exercitum ducere fecit.

Preterea marchio Montisferati imperatori rebellavit, et cum equitatoribus Mediolani Vercellarum et Novarie ad favorem hominum Taurini in ipsam civitatem intravit; quod quidem senciens[c] Bernardus Libererius de Papia qui ibidem cum equitatoribus in custodia erat, in palacio veteri quod est ab uno latere civitatis Taurini se receptavit; misitque Papiam per[d] auxilium, ipsorumque adiutorio superavit[37].

Imperator in Victoria usque ad diem destructionis eius yemavit, habens in sua comitiva 500 milites Alamanie, Tuscie, Apulie, et 400 milites et 2000 pedites Cremone, et 200 milites forestatos Parme, et Saracenos, et homines de episcopatu Parme qui vendebant victualia. Erantque ei plures filii legiptimi et naturales, videlicet Zarlotus, Rizardus, Conradus, Hencius, Manfredus et Fredericus, et ex quondam Anrico filio suo Fredericus tercius.

38 Eodem namque tempore rex Conradus in Suevia obtinebat, et Zarlotus[38] ex regina Anglorum genitus in Apulia, rex Encius apud Guastalam, rex Fredericus in Tuscia, qui nunc cum parte Gibilinorum civitatis Florentie superavit partem Guelforum illius civitatis qui partem ecclesie tenebant; et quilibet isterorum filiorum imperatoris habebat honorabilem comitivam militum. Manfredus vero in Victoria cum patre erat, comes Rizardus in Romagna et valle Spoleti optinebat.

1248. Ian. In proximo mense Ianuarii bestia que vocabatur elephans in Cremona obiit ex habundantibus umoribus, cuius corpus sepelitum fuit, ut ossa ad effectum avolii[39] pervenirent.

Intrante vero mense Februarii rex Encius cum Cremonensibus per medium Bugnum supra Padum pontem facere incepit, claudendo desuper naves Mantue et Ferrarie que mercatum Collornio deferebant; ad quem pontem faciendum imperator ballisterios et 1000 pedites Cremone ex illis quos habebat in Victoria destinavit.

Febr. 18. Die Martis 12. exeunte Februarii dum imperator summo mane cum aliquibus militibus suis deversus fluvium Tarii venatum equitasset, cum nichil adversi suspicaretur, securitas, que semper detrimentorum mater est, non modicum dampnum ei peperit. Hora eadem denique subito equitatores Mediolani et Placentie qui erant in Parma ad stratam de Colligio cucurerant. Quod quidem videns marchio Lancia, cum suis militibus ipsos equitatores insecutus ex ipsis 12 cepit. Cum autem intellexisset Gregorius[e] de Montelongo legatus, cum militibus qui erant in Parma in glarea[40] Parme exivit. Interea imperator Victoriam accessit. Preterea populares Parme et 600 pedites Mantue armata manu cupienti animo de civitate exeuntes, versus Victoriam per stratam de Sancto Brancaxio venire ceperunt; non enim distabat inter civitatem Parme et Victoriam ultra milliare. Set cum milites imperatoris qui cum arceriis et peditibus in magna quantitate extra Victoriam exierant, vidissent multitudinem populi Parme, in Victoriam volebant declinare. Quod quidem videntes Parmenses et Mantuani, Victoriam accedentes ignem iactantes in ipsam, spaldis prostractis in eam intraverunt. Cum autem imperator vidisset in Victoria ignem, ascendit equum qui[f] Draco dicebatur; videns Victoriam comburentem et resistere non posse, collecta sua milicia ut potuit Cremonam properavit. Multitudo vero Parmensium Victoriam intravit; pedites et Saracenos qui in Victoria remanserant capiendo, multos ex ipsis occiderunt et iudicem Tadeum. Carocium Cremone, quod erat in Victoria, in civitatem Parme conduxerunt. Capti vero fuerunt in Victoria ex gente imperatoris circa 100 milites et 1500 pedites diversarum partium, inter quos fuerunt 600 pedites Cremone; et equos et mullos qui causam exercitus deferebant, aurum et argentum et peccuniam multam habuerunt[41]; recuperantes circa 60 milites captos Parme et Placentie qui in Victoria in vinculis tenebantur. Eo namque die

a) cum *c.* b) potestatem *c.* c) sencius *cod.* d) *i. e.* pro auxilio. e) G. *c.* f) cui *c.*

37) scilicet adversarios. 38) Heinricus. 39) eboris. 40) i. e. arena. 41) Tunc etiam faldistolium imperatoris aureum perlis lapidibusque pretiosis ornatum in manus hostium pervenisse videtur, quod Conradus filius eius a. 1253. redemit. *Cf.* chartas ea de re registro Bartholomaei Fornari insertas, hodie Ianuae in tabulario Sancti Georgii adservatas, et a D. L. Mas-latrie annalibus *Bibliothèque des Chartes* Ianuar. et Februar. 1862. pag. 248—255 insertas.

Parmenses totam Victoriam combuxerunt, et castellum Colligii in quo homines imperatoris fugerant ceperunt. Et sic Deus pater omnipotens Parmenses adiuvavit; non enim plus durare poterant[a] quia salem non habebant et victualia nimis cara; vendebatur enim sestertius salis 30 solidis imperialium. Erat enim ipsa civitas Victorie in longitudine plus uno milliario, tenens a strata de Sancto Brancaxio usque ad stratam de Colligio, continens in se quinque stractas[42] amplas plus iactura unius balisti[b]. Sequenti die castella et loca Medexane, Furnovi, Caxi, Tarencii civitati Parme se[c] reddiderunt. Die sabbati proxime sequenti Gregorius de Montelongo legatus cum Parmensibus propter elationem predictorum sperantes in totum inimicos superasse, apud Bersellum equitavit, pontem de Bugno cupiens debellare. Et cum hora nona esset transacta, Mantuani et Ferrarienses numero 1500 qui cardinalem cum classe navium expectabant, in naves eorum intrantes versus pontem de Bugno navigare ceperunt, habentes septem naves magnas incastellatas et alias naves usque in 80. Set cum ipsi Mantuani et Ferrarienses non procul a ponte accessissent, voces venerunt inter Parmenses quod imperator per pontem de Turricella Padum transierat. Unde Parmenses terrore perterriti[d] ceperunt absentare; quod cum vidissent Mantuani et Ferrarienses qui erant in navibus, relictis omnibus apud Collornium pervenerunt; quas naves omnes Cremonenses habuerunt.

1248. — 42

In proximo Kalendis Marcii imperator congregatis suis militibus cum rege Encio et marchione Lancia, militibus quoque Cremone, Papie, Pergami intravit Burgum sancti Dompnini. Et die 4. mensis eiusdem castrum Medaxane cepit et combuxit et locum de Bercedo guarnivit. Deinde locum Medaxane rehedificavit. Et die Iovis 13. exeunte Marcio marchio Lancea cum milicia imperatoris equitavit ultra flumen Tarii in partibus Colligii, ceperuntque Bernardum Rolandi Rubei et alios qui versus Furnovum equitabant, ipsumque Bernardum milites imperatoris detruncaverunt in campo. Quo audito Parmenses quatuor de maioribus militibus Parme, quos ceperant in Victoriam, decapitaverunt.

Mart. 1. — Mart. 20. — fol. 66.

Die Veneris sequenti imperator collecta sua militia in locum ubi fuerat Victoria equitavit. Deinde versus Bercedum equitavit devastando per illas partes, maximum thesaurum recepit et milites et ballisterios de Tuscia venientes, debellando castrum Foxii quod statim ceperunt. Et dato comeato Papiensibus et Pergamensibus, equitavit Cremonam misitque regem Encium ad civitatem Regii.

1248. indictione 6. de mense Iunii imperator congregatis militibus et populo Cremone, et 300 militibus Pergami, et 400 militibus Papie, militibus quoque Theotonicis, Tuscie ac Apulie, devastavit segetes et vineas Parmensium usque ad fossata, preliando civitatem de versus portam Piogiosam. Deinde sua castra inter Colligium et Furnovum posuit. Et inde semotus apud Sarmorias episcopatus Placentie sua castra finxit. Monasterium de Columba cum granciis comburere fecit, propter quod noluerunt sibi dare stancias[43]. Deinde equitavit Cremonam. Interea civitates Romagne, scilicet Ymola, Ravena, Faventia, Ariminum, Furlinum, Furnipopulum, Cesena, de consensu Tomaxii de Mareca, Apulie vicarii et comitis pro imperatore illarum partium, domno Octaviano se tradiderunt. imperatori rebellantes. Preterea civitates vallis Spoleti[e] cardinali Raynerio se tradiderunt.

Iun.

In proximo mense Iulii imperator volens ad partes Montisferati accedere, quia Petrus Becherius civitatem Vercellarum intraverat, acceptis multis ossidibus Laude et Regii quos in Cremona habebat, duxit eos Papiam. Deinde cum ipsis apud Casale Sanuaxium[44] equitavit cepitque Pasilianum et Sanctum Salvatorem, Sanctum Georgium et alia loca que idem marchio Montisferati tenebat; quos ossides omnes in portum Saone receptos, in galeas in regnum Scicilie destinavit. Qui Petrus Becherius circa Kalendas Octubris proximi marchionem Lanciam cum milicia Papie civitatem Vercellarum introduxit. Post hec imperator qui erat apud Casale civitatem Vercellarum intravit. Ubi convenerunt comes Savolie et comes Frandale et alii comites et marchiones illarum partium atque nuncii plurimorum regum et comitum occidentalium, qui omnes marchionem Montisferati mandatis imperatoris parere fecerunt.

Domnus Lanterinus Pamlonus erat potestas Placentie.

a) *vox supplenda est.* b) *ita c.*; ballistri *ed. perperam.* c) *vox supplenda.* d) peterriti *c.* e) vallispoleti *c.*

42) i. e. stratas. 43) cameras vel statuta pretia explicit Cangius; fortasse hic loco *substantias* scriptum est. 44) i. e. sancti Evasii.

1248. Interea Gregorius de Montelongo legatus ecclesie cum Mediolanensibus et 200 militibus Placentie civitatem Novarie intravit. Preterea domnus Octavianus cardinalis cum 300 militibus Bononie civitatem Parme intravit, et cepit castella Gardexoni et Ripalte que extrinseci tenebant. In civitate vero Parme victualia erant cara nimis, scilicet sextarius frumenti octo solidis imperialium, sestarius sicalis totidem, sestarius salis 12 solidis; set ligna erant carissima [a]. Et hiis temporibus matrimonium contractum fuit inter unum ex filiis *fol. 66'. imperatoris[45] et unam neptem comitis Savolie[46]. *Imperator dimissa civitate Vercellarum in custodia Petri Bercherii et Iacomini de Careto atque marchionis Lancie, equitavit Cremonam, ubi capi fecit Petrum de Vinea eius proditorem. Quod quidem cum intellexissent populares Cremone, voluerunt Petrum per vim destruere; tamen nocte silenti imperator cum militum cohorte misit ipsum apud Burgum sancti Dompnini in vinculis. Interea rex Encius cepit castellum Airole, in quo aliqui ex bannitis Regii intraverant, et ex hominibus captis in dicto castro 112 suspendere fecit.

1249. Mart. In proximo mense Marcii imperator dimisso rege Encio in Lombardia cum sua milicia ad partes Pontremulis ad civitatem Pisis accessit, duxitque secum Petrum de Vinea cui oculos de capite erruere fecit in Sancto Minato, ubi suam vitam finivit; quod castrum tunc habuit.

Interea Fredericus, filius imperatoris naturalis, castrum quod appellatur Capragia in Tuscia, in quo multi ex Guelfis bannitis Florencie intraverant, ossedebant. Quo capto imperator alios ex ipsis captis suspendere fecit, et alios in Apuliam direxit. Deinde in portu Pisis in galeis intravit, et navigio perrexit in regnum.

Mai. 1249. indictione 7, die mensis Madii, rex Encius tunc potestas Cremone vocatus, congregatis suis militibus Theotonicis et militibus Papie, Pergami, cum comuni Cremone, intravit episcopatum Parme inter fluvium Henzi et fluvium Parme, combuxitque multa loca stetitque in partibus illis per octo dies.

Interea Octavianus et Gregorius de Montelongo cum ambaxiatoribus Lombardie in civitate Parme parlamentum faciebant. Exeunte mense Madii Bononienses cum bannitis Mutinensibus et aliquibus militibus Romagne hostiliter albergati sunt apud Castellum Francum volentes devastare Mutinenses. Quo audito a rege Encio qui erat in Cremona, accepta quantitate milicie Cremone et suis militibus, per pontem de Bersello transiens Mutinam equitavit. Et die Mercurii, 7. Kalendas Iunii proximi, cum ipsis Bononiensibus qui transierant Scotenam, non procul a ponte de Sancto Ambrosio preliatus fuit, et fracta militia regis, Bononienses ceperunt dictum regem cum omnibus militibus sue cohortis, et circa 200 milites Cremone inter quos fuit Bosius de Dovaria, et 40 milites Mutine; qui capti fuerunt numero 400 milites et 1200 pedites.

Iun. In proximo mense Iunii Parmenses intrinseci habuerunt castella Medexane, Seravallis, Ronchazonam, Galenganas, Vigolonum, et alia loca existentia citra flumen Tarii similiter ossederunt et ceperunt Bercedum. Milites vero extrinseci de Parma qui erant numero 400, apud Burgum sancti Dompnini se coadunaverunt, rebellantes civitatibus Parme et Placentie.

Iul. In proximo mense Iulii cum Placentini ex operatione plurium fratrum Predicatorum et quorumdam civium Placentie ad hoc deputatorum secretissime laborassent cum quibusdam hominibus Pontremuli, Bernabas Malaspina cum sua gente et 200 milites Placentie cum hominibus vallis Tarii et Ceni voluntate partis Pontremulli qui sex capitaneos ordinaverant, intraverunt Pontremulum. Marchio vero de Careto nomine Bonefacius et quidam capitaneus Apulensis cum Theotonicis et aliis usque in 150 inter milites et pedites in munitione se receptaverunt. Similiter Spagnolus, vir nobilis illius terre, cum suis amicis in suis domibus se receptavit; circa vero tercium diem proximum Spagnolus se reddidit. Deinde Pontremulenses elegerunt in eorum potestatem Ubertum Manchasolam.

Interea Cumani cum Mediolanensibus paciscerunt.

Aug. In proximo mense Augusti Amadinus de Amatis de Cremona cum aliis militibus Cre- *fol. 67. mone *bannitis ab imperatore intravit locum Pladane, et cum militibus Brixie, Mantue et Mediolani combuxerunt loca plurima per episcopatum Cremone, habendo Amadinus magnam partem in civitate que Capelleti appellabatur; alii intrinseci Barbarasi dicebantur.

a) carissima et hiis c.

45) Manfredum. 46) Beatricem, Amedei filiam.

Eodem tempore Cremonenses acceperunt in potestatem communis Cremone Ubertum 1249. Pellavicinum marchionem.

Eodem tempore Gregorius de Montelongo legatus congregatis Parmensibus et militibus Bononie, Placentie, et comite Sancti Bonefacii, et marchione de Este, et aliis hostiliter albergati sunt iuxta pontem de Bersello quem Cremonenses tenebant; in defensione cuius pontis 500 homines banniti de Ferraria moraturi accesserant et alii pedites Cremone residebant. Erat enim pars illius pontis in collumpnis, pars vero in navibus. Supra quem pontem navium Parmenses statim furore maximo cucurerunt, et ex operatione quorumdam Ferrariensium ex navibus pontis submersis Parmenses qui in ipsum pontem intraverunt capti sunt.

Eodem tempore Bononienses hostiliter prope civitatem Mutine eorum infixerunt temptoria, episcopatum Mutine[a] devastantes.

Interea Eyzolinus de Romano cepit et destruxit Estem et alia loca marchionis. Similiter comites de Bagnacavallo cum eorum parte pro imperatore intraverunt Ravenam.

Exeunte vero mense Novembris marchio de Careto percipiens victualia sibi deficere, Nov. pepigit cum Pontremulensibus et Placentinis, et exiens de dicta munitione cum 130 hominibus, equitavit apud Vilam Francam castellum Conradi Malaspine.

Interea Mutinenses, absque rege Encio et Cremonensibus qui capti erant eorum servicio, cum Bononiensibus pacti fuerunt.

1250. indictione 8. de mense Aprilis Ubertus marchio Pelavicinus potestas Cremone 1250. Apr. percipiens partem de Capelletis posse superare, direxit ex maioribus illius partis usque in quantitatem 30 ad civitatem Laude, facta prius in Cremona societate duorum milium de Barbarasis; et postea in continenti congregatis militibus et peditibus Cremone et militibus extrinsecis Parme et aliis, equitavit Pladanam, in qua Amadinus cum militibus Cremone bannitis et berueris[47] Mediolani et Brixie et Mantue residebat; et data ossiditione statim non 47 valentes communi resistere, affidatis foresteriis se ipsi marchioni et comuni Cremone reddiderunt; quem Amadinum et alios milites Cremone duxit Cremonam, deinde apud Laudam in carceribus destinavit. Et tunc marchio Lancia potestas Laudis et dominus et vicarius pro imperatore a Lambro superius, ipsos Capelletos ad Casale Sanuaxium destinavit, quos vel amore vel peccunia interveniente abire permissit; non enim bene se habebat cum Uberto Pelavicino ob invidiam.

In proximo mense Madii Mediolanenses pro comuni cum Cumanis ceperunt burgum de Leucho, ipsumque fonditus destruxerunt. Lecaschi vero pro maiore parte intus rochetam de Leucho et in Pergomascam fugierunt.

Domnus Matheus de Coregio erat potestas Placentie.

In proximo mense Iunii Mediolanenses equitaverunt cum exercitu in Lodexanam cum magna quantitate blave causa deferendi ad civitatem Parme, ubi erat maxima penuria[b], et ipsam blavam cum magna difficultate in ripam Padi per episcopatum Laude conduxerunt et consignaverunt Placentinis qui ibi erant; et stantes in episcopatu Laude ceperunt Gimidum et Bargamum et alia loca circumstantia; et Placentini debebant[c] esse et non fuerunt, — de quo adhuc Mediolanenses habent[d] odio Placentinos, — quia magnus calor erat, ita quod in regressu ipsorum tunc propter pulverem et etiam propter calorem plus 200 peditibus mortem perierunt; et appellatur exercitus ille exercitus de Caldana.

In proximo mense Iulii, 5. exeunte Iulio, videntes populares Placentie quod male tractabantur de victualibus, quia tota blava que ducta fuerat a Mediolano ducebatur Parmam, et etiam de alia que erat in Placentia forzando bubulcos[e] et alios ipsam blavam conducere sine mercedibus, et etiam homines Parme ibant per episcopatum Placentie emendo blavas per areas et intus medas[48], quod nimis grave videbatur hominibus Placentie; faciebant enim Parmenses hoc secure, quia Matheus de Corrigio, gener Petracii Palastrelli, civis Parme, *erat potestas Placentie, et dabat fortiam quantum poterat quod blava conduceretur *fol. 67'. Parmam: quo ita viso et cognito, quodam die Veneris summo mane, quinto exeunte Iulii proximi, Antolinus Saviagata ad instigationem Scotorum, quia eorum vicinus erat, et aliorum congregavit in ecclesia sancti Petri in foro circa 20 vel 30 consules societatum populi Placentie, causa eundi ad dicendum potestati ut se antifaceret[47] quod blava de Placentia non

a) mutune *c.* b) peccunia *c.* c) ibi *excidisse videtur.* d) haberent *c.* e) belbulcos *c.*, bubulcos *tenera scriptura superscript.* 47) apparitores, birri, sbirri. 48) acervus blavae, *miethe* theutonice. 49) i. q. opponeret.

1250. conduceretur Parmam; et stantes sic in ipsa ecclesia, iuraverunt se adiuvare si aliquid diceretur eis occasione dicte congregationis. Et stando sic denunciatum fuit potestati malo modo et ordine, quod Antolinus Saviagata et alii se adunaverant pro malo et detrimento civitatis Placentie in ecclesia sancti Petri. Unde idem potestas missit quendam suum iudicem nomine Bernardum de Gozo cum societate ad dictam ecclesiam, et cepit dictum Antolinum et detinuit, aliis omnibus permissis abire. Et potestas in continenti fecit conscilium generale, et dixit multum malum de ipso Antolino et de congregatione eius; et statim statutum fuit in ipso conscilio et firmatum, quod a tribus supra non convenirent simul in civitate Placentie, et quod potestas haberet plenam licentiam et potestatem inquirendi de facto et operibus dicti Antolini, et si inveniret eum dignum morte secure occideretur. Quo ita ordinato, alii qui cum dicto Antolino steterant in congregatione predicta, timentes ad mortem, quilibet suam societatem coadunavit, et narravit eis quomodo nullam culpam habebat in congregatione predicta; firmaverunt etiam societates suos consules adiuvare iuste et ratione. Et interim potestas dictum Antolinum detinebat in domo sua, non faciens sibi aliquod malum. Et dum hec geruntur, populares inflamati de eo quod acciderat et quod fiebat, illi de Canalibus et illi de Puteo Fuberto et alii de civitate armati cum signis eorum, pulsatis campanis ad martellum collegerunt se simul, et veniebant ad potestatem. Ipse vero potestas stans in domo sua volebat ipsum Antolinum relaxare pro securitate plus timore quam amore; ipse enim Antolinus nolebat, quia dicebat quod nullus manulevaret eum nisi illi pro quibus erat detentus, scilicet Symonus Ferus, Symonus de Sonagio, Ubertus Curtus, Palmerius de Mazachara et Martinus Ganganus; omnes isti extiterant proditores Guillelmi quondam[a] de Andito; isti enim non erant presentes set erant cum eorum societatibus adunati. Unde videns potestas multitudinem populi ad se venire et audiens campanas pulsari, permisit dictum Antolinum abire. Erat enim ipse Antolinus male indutus cum scarpis in pedibus et cruribus nudis. Instabat enim pater eius ut se permitteret manulevari. Erant ibi Petrus de Malvicino, Philipus Vicedominus, Iacobus Vicecomes, Ubertus de Iniquitate, et alii multi magnates volentes ipsum manulevare; ipse autem refutabat eos. Et dimisso ipso Antolino, statim non revertens domum set quod optabat cupiens ad effectum ducere, ivit bene adsociatus ad Puteum Fubertum, ubi invenit magnam multitudinem virorum armatorum ad bellum, et concionatus fuit inter eos provocans ipsos et inducens ad faciendum quod desiderabat, recordans eis multa mala que facta erant a quindecim annis citra populo Placentie, quomodo et qualiter extiterant mortui condepnati et expulsi de terra in terram, et quod mallent[b] amplius mori[c], et alia multa verba dixit eis. Et congregatis illis de porta sancti Antolini in ecclesia sancti Pauli fecerunt duos consules populi, silicet Bonum Iohannem de Philipo et Iohannem Calderarium, et in porta Nova Iacobum Burrinum et Girardum Bazochum, et in porta Gariverti Rogerum de Podiocalvo et Lanfranchum de Centenario, in porta Mediolani Iacobum de Celloris et Ubertum de Mascaro, in porta sancte Brigide Iacobum de Vicanino et Bernardum de Landrianno, et in porta sancti Laurentii Rolandum Scotum iudicem et Ugozonum Furnarium. Et die sabbati sequenti congregati omnes consules cum maxima quantitate populi venerunt ad conscilium comunis, et excusatus fuit per eos ipse Antolinus, dicentes et narrantes quod id quod factum erat per populum, non erat factum in obprobrium potestatis, immo ad honorem eius et ecclesie Romane et societatis comunis Mediolani et eorum amicorum, et alia publica verba dixerunt in eodem conscilio. Et statim congregati consules populi ad Sanctam Mariam de Templo, ordinaverunt statuta facere et conscilium populi sonare; quibus statutis in continenti factis, die dominico summo mane congregato eorum consilio in ecclesia sancti Petri, ubi fuit tam magna multitudo populi quod stare non potuerunt ibi, iverunt ad Sanctum Systum. Et in primis capitulis scriptis per Conradum de Potenziano[d] notarium erat capitulum de eligendo rectorem populi. Multi enim se intelligebant in regimine populi, scilicet Fredencius de Fontana, Philipus Vicedominus, Ubertus Zanardus, Guelfus Strictus, et alii qui magnam operam faciebant. Et lecto et audito ipso capitulo, magna divisio orta est in ipso populo; alii volebant unum, alii alterum, et magnus rumor fuit ibi. Et tunc Tadus de Tadis dixit: *Quare non accipitis vos Ubertum de Iniquitate; iam enim est multa dampna et iniurias passus pro vobis!* Et sic ad vocem electus fuit; et tunc illi qui extiterant proditores populi et Guillelmi de Andito, qui ibi erant in magna quantitate tam de consulibus populi quam de aliis, doluerunt ad

a) qdām c. b) vallent c. c) *scilicet* quam talia diutius ferre. d) potenz̄ c.

mortem, et voluerunt extra ecclesiam ad rumorem exire. Set quidam de illis qui intus 1250. ecclesiam non poterant intrare, clauserunt portas; itaque exire non potuerunt. Tenebant enim ipsum domnum Ubertum nimis imperialem hominem. Verumptamen sedato conscilio reversi sunt ad sedes, et ordinatim elegerunt consules populi, de qualibet societate unum vel duos secundum qualitatem societatis[a], cum aliquibus hominibus per portam, qui omnes in concordia elegerunt ipsum Ubertum de Iniquitate in potestatem et rectorem populi usque ad unum annum. Et destinatis nunciis et ambaxatoribus pro eo ad domum suam, ipse venit in continenti, et libenter non requisito alicuius parentis vel amici conscilio ipsum regimen iuravit facere usque ad annum; et illi de populo omnes qui erant in maxima quantitate adsociaverunt ipsum usque ad domum suam cum magna leticia et honore. Qui summo mane inductus[50] de scarleto cum vario de novo, erat enim male inductus, fecit magnam concionem in platea sancti Petri ubi fuit maxima copia virorum de populo Placentino, de qua recordatione multi de militia et populo timuerunt ad mortem propter mala que tractaverant et fecerant sibi et illis de populo. Et ab illo die in antea cepit regere populum. Et parva mora temporis interveniente sub dolo fecit consilium, dicendo in ipso consilio facto in ecclesia sancti Systi, quod aliqui dicebant sibi de amicis suis: **Vasallus unius anni parum proficuum et parum dampnum.* Et sic electus est in potestatem populi usque ad quinque annos, et post eius mortem Ianonum eius filium. Homines de parte populi qui habebant parentes et amicos extra Placentiam expulsos, ceperunt dicere et vocare: *Veniant, veniant fratres nostri, qui expulsi sunt de civitate Placentie!* Aliqui vero, sicut erant Ubertus de Mascaro, Ricardus de Agado, Roglerius Calderarius et consimiles, fortiter resistebant; tamen tanta erat aliorum multitudo quod nichil potuerunt nature[51]: gaudent enim novitate moderni. Tandem cohoperatione multorum amicorum placuit domno Uberto de Iniquitate et sapientibus, quod homines de populo qui banniti erant tantum redirent in civitatem[b]; illi de Andito, Albertus de Fontana et fratres, Vitalis Pallastrellus et alii milites starent extra; et sic de mense Octubris sunt in civitate Placentie omnes de populo pacifice et benigne, iurantes omnes mandata domni Octaviani cardinalis ecclesie qui in Placentia erat et mandata ecclesie. Interim Antolinus Saviagata, de quo superius enarravimus, ivit pro ambaxatoribus ad civitatem Mediolani cum Guillelmo Anguxola pro quibusdam factis; et promissa sibi peccunia, vel quod mestus erat de eo[c] quod fecerat, timens adventum banitorum, quorum etiam expulsor et persecutor exstiterat, recalcitrare voluit et malefacere contra populum; et habito tractatu cum Uberto Curto et Iohanne de Agado et aliis, putavit redire[d] civitatem et populum ad priorem statum. Quo scito per potestatem populi et populi viros, captus fuit ipse Antolinus et tormentatus valde. Set quia id quod faciebat placebat domno Uberto de Iniquitate, nolebat enim dictus Ubertus quod banniti de Andito et alii redirent in civitatem, permisit eum abire impunem[e] expelendo ipsum de civitate in confinibus, et ita pars orta est in populo; tamen illa que dicitur imperatoris obtinuit. Dum hec aguntur in Placencia in festo sancti Leonardi, tractate fuerunt littere false per aliquos inimicos Philipi Vicedomini et Petri de Malvicino, qui principatum illius civitatis per 15 annos obtinuerant male tractantes illos de Andito et homines de populo et partem populi, quod male debuerant dixisse de potestate populi et de ipso populo; et habitis ipsis litteris ad portam Strate levate sicut ordinatum erat, ipse domnus potestas populi, qui ipsos odio habebat, contra eos se opposuit, volens eos capere et destruere. Set ipsi absentaverunt; et destructis domibus et rebus eorum, expulsi de civitate Placentie banniti sunt. Res agitur in malum in dies, et populus in festo omnium sanctorum donavit domno Uberto de Niquitate[f] pro uno ansere 100 libras Placentinorum et domno Matheo* de Corrigio potestati pro comuni Placentie fecerunt sibi donari et ordinari ultra *fol. 69. feodum[52] suum 200 libras Placentinorum ut videretur se bene rexisse in facto populi. Et finito regimine suo electus fuit in potestatem comunis Placentie Nata de Grimaldis civis Ianue, qui iuravit secrete facere regimen civitatis Placentie ad statum et voluntatem populi et rectorum eius; quod totum denegavit et facere non curavit, et venit ad regimen civitatis et illud iuravit facere secundum ordinamenta et statuta civitatis Placentie, adiuncto sibi in sacramento eius, quod non teneretur super facto bannitorum qui adhuc contra civitatem

*fol. 68'.

a) socierat. c. b) civitatem illi de andito. Al. *codex.* c) eo quod mestus erat de eo quod *f. c.* d) restituere *Paveri.* e) impunens *c.* f) *ita hinc inde c.*

50) i. q. indutus. 51) i. e. nihil efficere potuerunt contra naturam. 52) stipendium.

1250. Placentie erant. Et intrans regimen illius civitatis, omne malum cepit facere contra partem populi. Cum autem quodam die in consilio vellet pontem Padi guarnire, dictum et concionatum fuit coram eo in ipso consilio, quod potestas populi et consules populi tantum ipsum pontem guarnirent ad eorum voluntatem sine requisitione potestatis[53] et aliorum. Quod valde displicuit ipsi potestati, et dixit omnibus astantibus: *Demisscio*[a] *michi venit;* et contra voluntatem populi ivit ad standum in domo Guillelmi Clerici, ut posset facilius cum militibus loqui et malum populo tractare. Illi vero de populo qui in civitatem intraverant, non cessabant laborare quod illi de Andito et alii qui extra Placentiam adhuc erant redirent ad 54 propria, faciendo fieri omnibus societatibus et omnibus paraticis[54] cartas atestatas: sicut eis placebat quod omnes venirent in civitatem et de omni banno extrarentur; que instrumenta detulerunt potestati populi et consulibus populi. Unde videns hoc potestas populi fecit consilium populi, et placuit omnibus nullo contradicente quod omnes redirent in civitatem. Unde parentes sui miserunt pro eis. Quo audito, in continenti domnus cardinalis Octavianus in vigilia beate Marie de mense Marcii recessit, et Nata associavit ipsum usque ad Montale. Et cum rediret potestas versus civitatem, vidit prope Mosas illos de Andito cum banderia qui veniebant; et reversus domum, in continenti fecit consilium volens prohibere ne venirent; et volens ponere terram ad rumorem, venit ad consilium armatus cum dextrariis cohopertis. Et in continenti cum consilium nollet facere voluntatem eius, ipse ascendens equum ivit per civitatem armatus, et non invenit aliquem secutorem ad eius maliciam; et ita exivit de civitate et recessit. Et celebrato die festo, in continenti congregato consilio in maiori ecclesia, ad vocem elegerunt Ubertum de Niquitate in potestatem comunis Placentie; nundum exiverunt milites de civitate. Qui iuravit facere regimen civitatis usque ad Kalendas Ianuarii cum iudicibus et militibus ordinatis in statuto, cum feodo 1000 librarum Placentinarum sibi ordinato.

Aug 18. In proximo mense Septembris[b. 55], die Iovis 14.[c] Kalendas Septembris[d] proxime preterito, Obertus Pellavicinus potestas Cremone congregatis Cremonensibus, militibus Pergami, Laude, et 300 militibus Papie atque militibus extrinsecis Parme, transacto fluvio Tarii, ceperunt devastare usque ad civitatem Parme. Parmenses vero furore magno accensi propter victoriam et elationem quam habuerant in Victoria, carocium eorum extra civitatem deducentes, inimicis se obviam prebuerunt. Cum autem milites Parme extrinseci vidissent ipsos extra civitatem exivisse, gavisi inter ipsos et civitatem ceperunt currere. Quod quidem videntes populares et milites Parme, terga vertentes fugam petierunt. Cum autem vellent in civitatem intrare, fracto ponte fossati civitatis plus 400 inter masculos et feminas perierunt, et Montem Lupum marchionem et Manfredum de Palu trucidantes, ceperuntque ex peditibus Parme 2000, ex militibus vero 50, et carocium Parme cum captivis in Cremonam duxerunt; et sic facta est vindicta de eis de facto Victorie.

Et statim Octavianus cardinalis cum 300 militibus Bononie et militibus Mutine et 200 militibus Placentie et cavalcatoribus[e] Mediolani Parmam intravit; qui si non ivissent, Parma erat in fortia eorum inimicorum redacta.

Eodem vero tempore de mense Decembris imperator Fredericus ab hac vita ad celestem curiam transmigravit, et in Palermo apud domnam Constantiam matrem eius est sepultus.

### Testamentum imperatoris quondam domni Frederici.

*In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. Amen. Anno ab incarnatione eius* 1250. *die sabbati,* 17. *Kalendas Decembris* 9. *indictionis. Primi parentis incauta transgressio sic posteris legem conditionis indixit, ut eam nec diluvii proclivis ad penam effusio efrenis abduceret*[f], *nec baptismatis tam celebris tam salubris unda liniret, quem felicitatis eventus mortalibus senescentis evi pre cinctis lascivia*[g] *transgressionis in pena culpa transfussa tamquam cicatricis ex vulnere remaneret. Nos igitur Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Scicilie rex, memores conditionis humane, quam semper comitatur innata fragilitas; dum vite nostre nobis instaret terminus, loquele et*

a) demucio *legi videtur.* b) Semptebris *c.* c) *corrige* XV *qui erat die Iovis, ut Salimbene habet.* d) Semptembris *c.* e) calvacatoribus *c.* f) adduceret *c.* g) pre cunctis lasiua *c.*

53) scilicet communis. 54) collegium. 55) Mensis initium igitur computat inde a die 19. Kalendas Septembris.

*memorie in nobis integritate vigentibus, egri corpore, sani mente, sic anime nostre consulendum* 1250. *previdimus, sic de imperio et regnis nostris duximus disponendum, ut rebus humanis asumpti vivere videamur, et filiis nostris quibus nos divina clementia fecondavit, quos presenti dispositione volumus esse contemptos sub pena benedictionis nostre, ambitione sublata, omnis materia scandali sopiatur. Statuimus itaque Conradum in regem Romanorum electum et regni Ierosolimitani heredem, dilectum filium nostrum, nobis heredem in imperio et omnibus aliis *empticiis* *fol 70. *quocumque modo acquisitis et specialiter in regno nostro Sicilie. Quem si decedere contingerit sine liberis, succedat ei Henricus filius noster. Quo defuncto sine liberis, succedat ei Manfredus filius noster. Conrado vero morante in Alamania vel alibi extra regnum, statuimus dictum Manfredum balium dicti Conradi in Ytalia et specialiter in regno Sicilie, dantes ei plenariam potestatem omnia faciendi, que persona nostra facere posset si viveremus: videlicet in concedendis terris castris et villis, parentellis, dignitatibus et beneficiis, et omnibus aliis iuxta dispositionem suam preter antiqua demania*[a] *regni nostri Sicilie. Et quod Conradus et Henricus predicti filii nostri et eorum heredes omnia que fecerint firma et rata teneant et observent. Item concedimus et confirmamus dicto Manfredo filio nostro principatum Taranti, videlicet a porta Roseti usque ad ortum fluminis Berondani cum comitatibus Montis Cinensi Tritariti et Gravine, prout comitatus ipse protenditur ad maritimam terre Bari*[b] *usque Polinianum, et ipsum Polinianum cum terris omnibus a Poliniano per totam maritimam usque ad dictam portam Roseti, silicet civitatibus castris et villis infra contemptis cum omnibus iustitiis pertinentibus et omnibus rationibus tam ipsius principatus quam comitatuum predictorum. Concedimus etiam eidem civitatem Montis sancti Angeli cum toto honore suo, omnibus civitatibus castris villis terris pertinentiis iusticiis et rationibus omnibus eidem honori pertinentibus, scilicet que de*[c] *demanio in demanium et que de servicio in servitium. Concedimus etiam et firmamus eidem quicquid sibi in imperio est a nostra maiestate concenssum. Ita tamen quod predicta omnia teneat et recognoscat pro Conrado filio nostro. Item statuimus quod Fredericus nepos noster habeat ducatus Austrie et Styrie*[d] *quos a prefato Conrado teneat et recognoscat. Cui Frederico iudicamus dari pro suis expensis decem milia uncias auri. Item statuimus ut Henricus filius noster habeat regnum Aralatense*[e] *vel regnum Ierosolimitanum quorum alterum dictus Conradus prefatum Henricum habere voluerit. Cui Henrico iudicamus dari* 100 *milia uncias auri. Item statuimus ut* 100 *milia unciarum auri*[f] *expendantur pro salute anime nostre in subsidium Terre Sancte, secundum ordinationem dicti Conradi et aliorum nobilium cruce signatorum. Item statuimus quod omnia bona milicie domus Templi que curia nostra tenet, restituantur eidem, ea scilicet que de iure debent habere. Item statuimus ut in omnibus ecclesiis et omnibus religiosis restituantur iura eorum, et gaudeant solita libertate. Item statuimus quod homines regni nostri sint liberi et exempti ab omnibus generalibus collectis, sicut consueverunt esse tempore regis Guillelmi secundi consobrini nostri, exceptis proditoribus. Item statuimus quod comites barones milites et alii feodotarii regni gaudeant iuribus et rationibus suis que consueverunt habere tempore regis Guillelmi predicti in ecclesiis*[g] *et aliis. Item statuimus quod ecclesie Lucerie et Sore et si que alie sunt lese per officiales nostros restituantur. Item statuimus quod tota masaria nostra quam habemus apud Sanctum Nicholaum de Aufido*[h] *et omnes proventus ipsius deputentur ad recuperationem et conservationem pontis ibidem constructi vel construendi. Item statuimus quod omnes captivi in carcere nostro deptenti liberentur*[i], *preter illos de imperio et preter illos de regno qui capti sunt ex proditione nota. Item statuimus quod prefatus Manfredus filius noster omnibus bene meritis de familia nostra provideat vice nostra in terris castris et villis salvo demanio regni nostri Sicilie; et quod Conradus et Henricus predicti filii nostri et heredes eorum ratum et firmum habeant, quicquid ipse Manfredus super hoc duxerit faciendum. Item volumus et mandamus quod nullus de proditoribus regni aliquo modo reverti audeant in regnum meum, nec aliqui de eorum genere succedere possint; imo heredes nostri teneantur de eis vindictam sumere. Item statuimus quod mercatoribus creditoribus*[k] *nostris debita persolvantur. Item statuimus ut sacrosancte*[l] *Romane ecclesie matri nostre restituantur omnia sua iura, salvo in omnibus et per omnia iure et honore imperii et heredum nostrorum et aliorum nostrorum fidelium, si ipsa ecclesia restituat iura imperii. Item statuimus ut si de presenti infirmitate nos mori contingerit, in maiori ecclesia Panormitana qua divi imperatoris Henrici et dive imperatricis Constancie parentum nostroram memorie recolende tumulata sunt corpora, corpus*

a) Preterea antiqua de maritima *c.* b) rari *c.* c) de de *desunt c.* d) Syrie *c.* e) aralacense *c.* f) l. st. ut C. m. u. a. *exciderunt in c.* g) *lege* collectis. h) Anfideo *c.* i) libenter *c.* k) debitoribus *c.* l) sacre sancte *c.*

1250. *nostrum debeat sepeliri. Cui ecclesie dimittimus uncias auri quingintas pro salute animarum parentum nostrorum et nostre per manus Beraldi Panormitani episcopi*[a] *familiaris et fidelis nostri in reparatione ipsius ecclesie erogandas. Predicta autem omnia que acta sunt in presentia dicti archiepiscopi, Bertaldi de Hohemburc dilecti consanguinei et familiaris nostri, Riccardi*[b] *comitis Casertini dilecti generi nostri, Petri Ruffi de Calabria marestalle nostre magistri, Rizardi de Montenigro curie nostre magistri iusticiarii, magistri Iohannis de Itrengo*[c] *nostri notarii, Fulconis Ruffi, magistri Iohannis de Procida*[d]*, magistri Roberti de Palarmo imperii et regni Sicilie et magne curie nostre iudicis, magistri Nicholai de Brondutio publici tabelionis imperii et regni Sicilie et curie nostre notarii, nostrorum fidelium; quos presenti dispositione*[e] *nostra mandavimus interesse, per predictum Conradum filium nostrum et heredem, et alios*[f] *successive sub pena benedictionis*[g] *nostre disponimus observari. Alioquin hereditate nostra non gaudeant. Idem autem universis fidelibus*[h] *nostris presentibus et futuris sub sacramento fidelitatis quo nobis et heredibus nostris tenentur iniungimus, ut predicta omnia illibata teneant et observent. Presens autem testamentum nostrum et ultimam voluntatem, quam robur firmitatis volumus obtinere, per magistrum Nicholaum de Brandusio*[i] *scribi et signo sancte crucis proprie manus nostre et sigillo nostro et predictorum subscriptionum iussimus communiri. Actum apud Florentinum in Capitaniatu anno mense die indictione predicta, anno imperii nostri* 32, *regni Ierusalem* 28. *et regni Scicilie* 51. ✠

✠ *Ego Robertus de Panormo*[k] *iudex.*
✠ *Ego Bertoldus*[l] *marchio de Hohenburg hiis interfui et subscripsi.*
✠ *Ego Riccardus comes Caserti hiis interfui et subscripsi.*
✠ *Ego Petrus Ruffus de Calabria imperialis magister subscripsi.*
✠ *Ego Riczardus de Montenigro imperialis curie iusticiarius subscripsi.*
✠ *Ego Iohannes de Procida*[m] *subscripsi.*
✠ *Ego Robertus de Russo subscripsi.*
✠ *Ego Iohannes de Tiranone subscripsi.*
✠ *Ego Nicholaus imperialis*[n] *notarius scripsi et presenti testamento manu subscripsi.*

fol. 71. 1251. In proximo mense Marzii milites Placentie pro maiori parte[o] extra civitatem exeuntes, rebelaverunt civitati faciende comites de Bardi esse rebelles civitatis, expelendo Ubertucium de Niquitate et eius notarium potestatem vallis Ceni[p] de rocha Bardi; contra quos Ubertus de Niquitate potestas comunis misit 200 pedites et 100 milites. Set ante quam pedites omnes illuc accederent, rustici valium Tari et Ceni servicio comitum et ipsi comites cum eis cum quibusdam militibus Placentie adsultum in pedites fecerunt, et spoliatos et derobatos ipsos venire permiserunt, militibus vero nullum dampnum inferentes.

Eodem tempore Mediolanenses et Papienses insimul pacem fecerunt absque[q] eorum amicis, in qua pace tenebantur appellare omnes Lombardos venire ad illam pacem, et ob[r] hoc per[s] quatuor ambaxatores, Mediolanenses duos Papienses duos, ipsa dicta ad civitatem Placentie direxerunt, inquirentes et appellantes Placentinos de pace ipsa; qui cum essent in discordia, ad illam pacem non venerunt.

1251. indictione 9.[t], interea tractabatur[u] de pace inter milites et populum civitatis Placentie, et ob hoc milites miserant in Placentiam sex ambaxatores pro pacem componendo, scilicet Rufinum de Mina, Petrum de Furnaria, Petrum de Abiatis, Guillelmum Radinum iudicem, Petracium Palastrelum et Ubertum Lecacorvum iudicem, et Rufinum de Breno pro notario. Et dum quasi essent in concordia in omnibus et firmare[v] vellent ipsam pacem, discordia orta fuit inter eos occasione unius copule, et ita distulerunt cunsilium[w] usque post nonas; et cum iam hora none esset, interim[x] presbiter Sancte Margarite de ponte novo

a) *sic c.* b) Rūz *c.* c) *lege* Ydronto. d) prodea *c.* e) *ita c.* f) aliorum *c.* g) benedictiorum *c.* h) fidelimus *c.* i) de brand'. k) Panēm *c.* l) bernardus *c.* m) Prondea *c.* n) ist's *c.* o) pate *c.* p) cerri *fortasse c.* q) abque *c.* r) *deest in c.* s) *deest in c.* t) XIIII. *c.* u) intera tratabatur *c.* v) omnibus infirmare *c.* w) *ita c.* x) interrum *c.*

accesit in Placentiam dicendo quod capitanei de Funtana intraverunt per vim et furtune[a] 1251. in dictum castrum; quo audito Placentini et omnis turba cucurerunt ad arma et ceperunt istos ambaxatores militum dicendo: *Reddite*[b] *nobis cast um, et nos permitemus vos abire*, set alii milites noluerunt, et sic incepta est guera inter milites et populum. Modo tractat populus, modo Ubertus de Niquitate, quomodo et qualiter posent se adiuvare et amicos acquirere quod sibi prestant auxilium contra milites. Die vero statuto et ordinato, in ultimo die mensis Aprilis, Ubertus marchio Pelavicinus potestas Cremone cum milicia Cremone Apr. 30. et militibus exstrinsecis de Parma equitantes cum populo et milicia populi Placentie ceperunt burgum Rivalgarii, et illud combuxerunt, et plures milites ibi ceperunt. Sequenti ebdomada ceperunt castrum Raglii per vim, in quo ceperunt plus 30 milites et multos servientes de Valdestafola qui illuc venerant in servitium militum Placentie, et plures rusticos ipsius loci, et ipsum castrum totum combuxerunt; redierunt in civitatem Placentie, et destruxerunt et pontem Padi propter timorem Mediolanensium.

In proximo mense Iunii Innocentius papa IV. sciens de morte imperatoris, venit a Iun. Lugduno[c] Ianuam, et in proximis Kalendis Iulii intravit Mediolanum. In proximo mense Iul. 1. Septembris Sucius de Vistadino qui erat magnus de parte[c*] Overgnagorum Laude habens tra- Sept. tatum cum Mediolanensibus fecit se capud aliorum, et introduxit Mediolanenses et Cremascos et bannitos Laude et illos de Sumariva in Lauda; et marchio Lancia, qui ibi erat pro imperatore, reclusit[d] se in forticiam quam ibi fecerat fieri[e] imperator. Quo audito in continenti Ubertus Pelavicinus cum Cremonensibus et 100 militibus et 500 peditibus populi Placentie illuc acceserunt, et albergati[f] sunt inter burgum et in civitate Laude de versus portam Cremonensem, curentes et preliantes inter civitatem Laude usque quasi in plateam. Mediolanenses pro comuni cum carocio erant in civitate Laude in burgis ipsius civitatis; Papienses pro comuni erant ibi, non tamen quod ipsi offenderent Mediolanenses nec Laudenses; pacem enim habebant cum Mediolanensibus, et ibat tota die unus in exercitum alteri absque aliquo dampno; erant enim ibi pro auxilio prestando Cremonensibus si necesse esset, et steterunt ibi per mensem. Unde videntes Cremonenses et marchio Pelavicinus nichil proficui ibi posse facere, diruptis funditus muris illius[g] civitatis quantum potuerunt et quarnito castelo imperatoris, absque prelio receserunt et venerunt Placentiam adsociando Papienses usque ultra Lambrum, quia licet pacem cum Mediolanensibus haberent, timebant[h] nichilominus ipsos, ne fraude eos deciperent.

In proximo mense Octubris castrum de Cario captum est a populo Placentie et de- Oct. structum afidatis personis.

In proximo mense Novembris rex Cunradus filius condam imperatoris ab Alamania per Nov. Veronam venit in Lombardiam, deinde Cremonam; et facto parlamento cum fidelibus suis de Lombardia, in Apuliam per mare Venecie properavit.

In proximo mense Februarii castrum Sancti Laurencii captum est et destructum per 1252. populum, captis intus multis de filiis Odonibus et aliis. Febr.

In proximo mense Martii Ferrarius Canis de Papia potestas illorum de Placentia, facto Mart. tratatu cum Bernardo Libererio qui optimus furator erat castrorum Papie[i], et Bernardus die ordinato cum suis amicis doctis de illa arte[46], intravit castrum Pontis novi, quod erat in forcia militum Placentie; et cum de nocte intrasent, timuerunt; expulsi fuerunt de illo castro; tamen Ubertanus Podizius et Guillelmus Scarferius qui erant capitanei dicti castri, timentes aufugierunt, relinquentes claves castri in porta; et sic unus de illis Bernardi Libererii habuit claves et venit in Placentiam ad potestatem. Quo audito in continenti equitavit idem potestas cum[k] militibus et populo universo ad dictum castrum, et invento disguarnito ipso castro, et illi qui intus remanserant erant timore perterriti[l], preliaverunt dictum castrum, et capti sunt omnes et ipsum castrum; erat enim funditus[m] muratum excepto ab uno latere[n], et captus est intus Frederecius[o] de Funtana et Abiaticus et Frederecius Bucamata et alii plures, et ipsum castrum, quod edificatum erat quondam[p] detrimento populi et comunis Papie, penitus destruxerunt.

a) *ita c., i. e.* fortunam. b) redire *c.* c) logu domini *c.* c*) parate *c.* d) reduuit *c.* e) fieri. Imperator quo audito. Incontinenti *c.* f) abbergati *c.* g) illis *c.* h) timebatur *c.* i) ppe *c.* k) et *c.* l) preteriti *c.* m) foditus *c.*; *i. q.* funditus. n) latare *c.* o) *i. q.* Fredericus, *v. infra.* p) ꝗ *c.*

46) furandorum castrorum.

1252. Iul. 1252. indictione 10, de mense Iulii, Ferarius Canis potestas Placentie cum militibus et populo Placentie equitavit ad osiditionem castri de Fontana[a]; ibi enim fuerunt Papienses in magna quantitate milicie et populi. Pepigerat enim Ubertus de Niquitate potestas tunc populi cum Papiensibus et dederat illis quinque castra[b], et ipsi debebant ipsum populum adiuvare contra milites Placentie, et steterunt in ipsa ossiditione Fontane[c] per 33 dies, et afidatis personis que intus erant habuerunt dictum castrum. Erat enim fortissimum valde, set cavatores venerant de Bergamo, et timuerunt eos intrinseci licet non oportet, et facta[d] concione per Ubertum marchionem[e] Pelavicinum potestatem Cremone qui ibi erat cum maxima quantitate militum Cremone, concionatum et dictum fuit[f] in ipsa concione per Allegrum de Magnano notarium, quod fulche ficarentur per girum et quod iuraretur in anima marchionis[g] et consilii, si usque ad 3 dies non rederent ipsum castrum, quod omnes qui intus erant suspenderentur. Quo scito et audito per illos de castro, timore perteriti et timentes de morte, illud castrum rediderunt[h] populo Placentie; quod fonditus destruxerunt. Erant[i] enim in ipso castro multi de capitaneis de Fontana, inter quos erat Iacobus de Acerbo qui eos nimis formidabat. Dicebat enim coram omnibus: *Murus tracinat*[48] *et terminus transit; ego nolo mori!* et alia debilia verba. Et habuit populus tamen furmentum[49] et blavam et rex[50] in isto castro, de quibus facte fuerant omnes expense exercitus. Et in continenti ipso castro habito, iverunt circa Olupram, in quo erat Ricardus de Funtana nepos Uberti de Niquitate; et facta illo castro osiditione et facto tractatu cum eo et datis sibi 100 libris, illud castrum infra 3 dies dedit et tradidit populo Placentie, qui illud cum Papiensibus penitus destruxerunt. Et dum starent circa osidicionem dictorum castrorum quasi omni die equitabant per Vallisdonum[51] vilas[52] et loca et predas et homines capientes; 
*fol. 72. combuxerunt multos domos et vilas* quas tenebant milites extrinseci de Placentia; et Nata de Grimaldis erat tunc potestas milicie extrinsece, quem milites Placentie acceperant in obprobrium populi.

Aug. 10. Die Iovis 10. mensis Augusti Ubertus marchio Pelavicinus congregato exercitu militum et peditum Cremone, et populo et militibus adherentibus populo et de populo Placentie et Theotonicis cum edificiis[k] apud turri Frederici Palastreli sitam iuxta Ripaltam finxit sua castra; et habita ipsa ture in continenti, sua temptoria fincxit in ossiditione Rivalgarii, in qua stetit per 67 dies cum 14 trabucis magnis valde; in defensione cuius castri erant 200 milites et rustici et soldaterii usque in quantitatem mile, in qua osidicione multi ex utraque parte mortui et vulnerati fuerunt de ballisteriis et lapidibus trabucorum; et habita mota[53] per vim per familiam Ubertini de Andito, que custodiebat et defendebat secasticum[54], cum plures non possent intriseci se tenere, die Veneris 8. Kalendas Novembris paciscerunt cum marchione et cum populo, iurantes fidelitatem regis Cunradi et pacem populo Placentie; quod munierunt de peditibus. Eodem tempore domnus Otavianus cardinalis cum 1500 militibus Romagnie et Bononie apud Travanum[l] erant; tamen nullum auxilium illis de castro dedit, et capto castro in continenti cum ipsis militibus recesit. Ipsi vero milites omnes de Placentia venerunt in Placentiam stantes obedientes Ferario Cani potestati Placentie[55].

1253. Ian. 1. In Kalendis vero Ianuarii marchio Lancia propter invidiam quam habebat de Uberto Pelavicino tractavit cum Mediolanensibus, et elegerunt ipsum in potestatem Mediolani; qui libenter suscepit illud regimen. Quod valde displicuit Papiensibus.

Eodem tempore Ubertus marchio Pelavicinus electus est potestas Placentie, ponens in loco suo Guidonem Scorsum de Papia; qui legaliter et bene dictum regimen fecit.

1253. indictione 10, de mense Madii, Gilbertus de Lagente civis Parme cum prudentibus viris populi illius civitatis cognoscens destitutionem[m] illius civitatis, coadunato populo locutus est in paratibus Sancti Branchasii cum Uberto Pelavicino potestate Cremone, et

a) font *c.* b) castri *c.* c) fort *c.* d) facte *c.* e) marchium *c.* f) fuerit *c.* g) marchio *c.* h) rediderunt *c.* i) Erat *c.* k) edificue *c.*; *sunt ballistae, trabuch et alia aedificia bellica.* l) *ita c. et Paveri.* m) desttucionem *c.*

48) i. e. trahit, vacillat. 49) i. q. frumentum. 50) i. e. res. 51) i. e. vallem Tidonum. 52) i. e. villas. 53) vallum, aut fossa, *moat* anglice, esse videtur. 54) opera obsidentium, fossae praecipue terrae insectae, esse videntur. 55) Pax ista die Martis 16. Kal. Ianuarii Paviae celebrata in registro Placentiae hodieque legitur. P.

cum ambaxatoribus militum extrinsecorum Parme, paciscentes ita quod die Martis 13. Kalendas Iunii prexonerii, qui erant in Cremona, milites et pedites Parme extrinseci, intraverunt Parmam in magna concordia. 1253. Mai. 20.

Eodem tempore rex Cunradus osedebat Napolim, ipsaque habita muros et tures[a] illius civitatis destruxerunt.

1254. indictione 12, de mense Madii, rex Cunradus obiit in Apulia, relicto unico filio Cunradino. Post cuius obitum Manfredus, frater eius, regnum pro filio Cunradi predicti suscepit. 1254. Mai.

In proximo mense Octubris dictus Manfredus domno pape Innocencio quarto obedivit, et domnus papa intravit in regnum, et intervallo modici temporis cum idem Manfredus princeps equitaret cum domno papa sive ad curiam domni pape, quidam baronus qui vocabatur Borelus de Agnono de prodictoribus regni, qui cum domno papa diu accesserat moraturus, ipsi Manfredo iniurias dicebat. Unde princeps prospiciens neque vallens substinere talia, die statuto ipsum Borelum interfecit. Quapropter domnus papa valde est indignatus contra eum et banivit eum. Ipse vero princeps cum sua familia a papali curia vellocissime fugit ad fratrem suum Fredericium de Anthiochia, et tunc papa habuit totum regnum Scicilie et Apulie in quieto; et Iohannes de Moro Saracenus erat cum marchione de[b] Hesburg[56] in Nuceria; obediebant pape, licet Saraceni dolerent ad mortem. Et ditus[57] Manfredus habitis 200 militibus a dito Frederico fratre suo, ivit ad Nuceriam; et clausis portis illius civitatis, ipse solus intravit civitatem per subtus portam, et cognito a Saracenis quod ipse erat discors a domno papa, receperunt ipsum, et aceptis armis ceperunt Iohannem[d] de Moro et marchionem qui ipsos Saracenos tradiderant; quos statim ipse Manfredus fecit decapitari. Et colecto exercitu suo, sicut melius poterat, cum Saracenis et aliis versus exercitum domni pape venit, et facto impetu[e] contra eos de ecclesia, ipsos continuo fregit et in fugam posuit, multos et multos occidendo et vulnerando et capiendo. Oct.

Domnus vero papa iacebat in magna infirmitate, et in mense Decembris proximo obiit[f] apud Napulim[g], et dictus Manfredus in continenti totam terram recuperavit et habuit ad suam voluntatem. Dec.

1255. indictione 14, de mense Decembris, mercatores Tuscie et Lombardie fecerunt facere monetas in terris marchionis de Careto et de Bosco et aliis partibus, que monete appellabantur Caratini, de quibus monetis Lombardi magnum dampnum habuerunt. 1255. Caratini facti fuerunt.

Eodem tempore domnus marchio Pelavicinus de voluntate Placentinorum ex tratatu illorum de populo vel qui adherebant illi parti, fecit destruere infrascripta castra, scilicet castrum Grontorti, castrum Arcelarum, Gropi. Pigazanni, Ripalte, Rivalgarii, Cagrani, Travani, Bubiani, Bardi, Preene muros, Vallis Tarii, Gonzanenguli, Montis sancti, et alia loca. Castri de Placentia fuerunt derochate.

1256. indictione 15, de mense Madii, Ezolinus de Romano cum maximo exercitu et domnus Ubertus marchio Pelavicinus cum militibus et peditibus Cremone et Placentie devastaverunt per episcopatum Mantue usque ad portas civitatis, et steterunt ibi per unum mensem; et stando ibi, quidam legatus cum Veneticis et aliis ingeniose faciendo illis de civitate credere quod Ezolinus erat mortuus, intravit civitatem Padue eamque cepit, introducens omnes forestatos illius civitatis in eam. Quo audito ab Ezolino, cum toto exercitu Veronam est reversus, cepitque et in carceribus posuit omnes milites et pedites Padue qui fuerant in exercitu, qui fuerunt numero circa undecim milia, quos omnes interfecit vel in carceribus vel alio modo; et continuo dictus Ezolinus congregato maximo exercitu usque ad portas civitatis Padue devastavit. 1256. Mai.

In proximo mense Dezembris Montenarius Grasus et Opizo Balbus et fratres alii Balbi cum illis de Calenzanno et aliis ad favorem hominum civitatis Placentie et specialiter quorumdam de Andito intraverunt Petram Dueriam que custodiebatur per comune Placentie, et captis custodibus eos in carcere posuerunt; de inde guarnierunt Barbazelatam et Petram Scremonam et alia aperta loca, iniuriantes civitatem; et Fredericus de Andito ob invidiam Dec.

a) *ita c.* b) et *c.* d) Iohannes *c.* e) irapetu *c.* f) obuit *c.* g) vixit autem XI annis et fuit sapientissimus papa *codex in margine.* 56) i. e. Hohenburg. 57) i. q. dictus.

1256. Uberti de Andito, qui maiorem locum habebat in Placentia quam ipse et frater, intravit Centenarium; unde dominus Obertus[a] Pelavicinus misit 100 milites et pedites cum militibus Placentie ad illas partes, qui statim locum Centenarii ceperunt et combuxerunt devastantes totum circa Petram Dueriam.

1257. 1257. de mense Madii milicia Papie pro maiori parte extra civitatem Papie exivit, volentes esse rebelles civitati. Quo audito ab Uberto Pelavicino, in continenti cum suis militibus et peditibus et peditibus Cremone et Placentie illuc accessit; milites vero Papie apud Caselas se receptaverunt. Videns autem marchio quod non placebat Papiensibus destruere suam civitatem, de eorum voluntate apud Placentiam est reversus.

Eodem tempore abbas de Mezanno et Ubertus advocatus ad favorem istorum predictorum de Placentia castrum Mezanni intraverunt, expelentes custodias de ipso castro.

Similiter Todiscus de Andito, qui erat capitaneus Speculi, ad favorem predictorum rebelavit. Verumtamen misus est contra eum Ubertinus marchio de Perregrino cum quantitate militum, qui dictum castrum cum dicto Todisco cepit et in forciam comunis Placentie dedit.

Iul. Eodem anno de mense Iulii Guillelmus de Petra civis Papie, potestas Placentie, moto fol. 73. exercitu cum 400 militibus domni Ezolini versus Vixirannum, in quo intraverant Fredericus de Andito, Homodeus Blancus, Guido Caput Porci, Razo de Rizolo et alii plures milites et pedites et forbaniti civitatis Placentie rebellantes civitati Placentie properavit; et data osidicione illi castro per girum, cum non posent habere potum, ipsi magrantes[b] habito tratatu die quadam de nocte absentaverunt, relinquentes in ipso castro servientes et rusticos, qui de eorum recessu nichil sciverunt; quibus fugientibus, capti sunt circa 37 quos ipse potestas statim suspendere fecit; et ipsum castrum penitus diruerunt.

Deinde cum toto exercitu ivit ad caminatam Uberti advocati que per eum guarnita erat, et data osiditione cum trabucho ipsam cepit et destruxit, afidatis personis que intus erant in custodia. Deinde cum toto exercitu ivit ad locum Mezanni et devastavit ipsum undique et alia multa loca. Interea Giraldus de Turano mercator civis Placentie, qui occasione cuiusdam mutui 10 librarum sibi impositi occasione predicti exercitus contra suam voluntatem, tractatum primo habuit cum Lanfrancho de Andito socero suo, deinde cum Flamengo de Andito, Vilano et Rufino de Andito et Guelfo de Andito, et Albrico de Grivago et Gandulfo de Andito et Nicholino de Andito, et cum Bergognono[c] Angoxola, Iohanne et Raynaldo de Scotis, et cum Uberto de Niquitate potestate populi, et Ricardo Rubeo et filiis Dondacii de Amico, et Alegro de Magnanno et aliis pluribus de Magnanis de parte predicta, et cum Alberto de Fontana et fratribus, qui Albertus erat potestas Papie; et ubi dictum tractatum fecerant, die statuto et ordinato fecerunt venire Albertum de Fontana de ipso regimine Papie contra voluntatem marchionis qui ipsum Albertum in ipso regimine posuerat. Qui Albertus fecerat Rumlandum de Manivertis iudicem suum vulnerari a Papiensibus, ut causam haberet discedendi de ipso regimine ut complere poset[d] proditionem tratatam[d]. Et cum marchio Pelavicinus cum preditis militibus domni Ezolini in Placentia esset, predicti proditores levaverunt arma contra dictum marchionem et Ubertinum de Andito; Iul. 23. et die Lune 10.[e] Kalendas Augusti ipsum de civitate Placentie expulerunt, derobantes ipsum et Veronenses de equis et aliis rebus eorum Et ad noctem[f], sicut aliqui de eis set non omnes ordinaverant, elegerunt in petra cuncionis[g] Albertum de Fontana in potestatem et rectorem comunis Placentie, expelentes Guillelmum de Petra de regimine Placentie. Et Ubertinus de Andito in castro suo quod habebat in latere civitatis, cum aliquibus de populo se receptavit; et tercio die paciscit, et afidatis cum filiis et rebus suis ivit Cremonam cum tota sua familia, quod castrum contra promisionem sibi factam penitus destruxerunt, et ceperunt male agere contra partem volentes introducere Mediolanenses et Laudenses in civitatem reduxerunt.

Quando marchio Pelavicinus et Ubertus de Andito, Veronenses fuerunt cazati de Placentia.

Aug. In proximo mense Augusti Papienses paciscerunt elegentes potestatem de Pergamo, et statim Alexandrini pacti sunt cum Papiensibus. Unde congregato exercitu iverunt ad ossidicionem pontis Cunioli quem marchio Lancia tenebat, ipsumque habuerunt et Caxale Sanuaxium.

a) O. *c.* b) magrantes *vel* magrantos *c.*; *fortasse i. q.* migrantes, forinseci; magnates *legit Paveri.* c) *ita c.* d) *ita c.* e) *ita c. et recte.* f) notem *c.* g) cũciois *c.*; *i. q.* concionis.

In proximo mense Septembris marchio Lancia de prexenti seculo emigravit. 1257. Sept.

Interea capitanei et valvasores Mediolani cum fratre Leone archiepiscopo Mediolani apud Lignanum congregati sunt cum Cumanis[a] et Novariensibus, ipsumque locum fosatis munitum .......[a*] resistebant civitatibus utiliter et potenter.

In proximo mense Marcii, exeunte ipso mense circa finem, forestati de Placentia qui apud Cremonam erant, intraverant in castrum Cavursii capientes homines et bestias illarum parcium, et ipsum castrum cum forcia comunis Cremone et marchionis et domni Bosii de Dovaria fortiter munierunt, rebelantes cotidie civitati; illi vero de civitate quotquot capiebant ex ipsis suspendebant, et illi de Cavursio semper pro uno duos suspendebant. 1258. Mart.

Eodem tempore Ubertinus de Andito causa habendi auxilium iverat in Apuliam[b] ad Manfredum principem Taranti; erat enim ipse Manfredus consanguineus germanus filiorum[b*]

Eodem tempore Manfredus princeps Taranti, filius imperatoris Frederici[c], cupiens regnum pro suo tenere et habere, convocatis principibus suis fecit caute et rex ingeniose divulgarizari per regnum, Cunradinum filium condam regis Cunradi esse mortuum. Quo ordinato fecit se regem Ierusalem et Scicilie vocari, et fecit comites et omnia alia sicut rex, et habuit totam terram sine contraditionem.

1257. die Iovis, 11. mensis Ianuarii, Albertus de Fontana habens tractatum cum militibus Placentie et aliquibus prodictoribus suis contra illos de Andito et alios de populo, die statuto cepit Guizardum de Andito quem ad tormentum posuit, et Giraldum de Turrano qui[d] steterat actor tante fraude et malicie, deinde cepit usque in 60 de parte domni marchionis quos super palacium posuit calceratos[59]; aliqui[e] volebant quod occiderentur omnes, alii vero non, propter parentes quos habebant; et facta concione condemnavit[f] lictum Guizardum de Andito nulla causa in eo inventa in 1200 libras Placentinorum et Giraldum de Turano in 1000 libras Placentinorum; dedit enim ipse Giraldus, ut dicitur, ut evaderet a tormento, Alberto de Funtana per disposicionem Iohannis Scoti et Guillelmi de Cario mercatorum facti 500 libras. Et Iacobum Vigulerium condemnavit[f] in 200 libras, et Albertum Crexiam notarium in 300 libras, et Guidonem de Turano in 25 libras, et Guillelmum[g] de Terdona in 60, et alios plures; alios vero captos in palacio in confinibus transmisit, et Nicholinum de Andito in 100 libras condempnavit, expelendo omnes de civitate Placentia.

1258. die Iovis, 11. mensis Iulii, dictus marchio Pelavicinus cum comuni Cremone et 300 militibus de Marcha atque 200 militibus Papie voluntate et consensu Benzonorum[h] de Crema intravit Cremam, et habuit ipsum locum capiendo plures de Gambazochis[i], et posuit ibi potestatem unum de Mandelo, et habiit[k] Cremonam.

Eodem tempore Brixienses rebeles erant comuni Cremone, quia illi de Concissio et alii de parte illa ceperant Orifolinum de Griffis et alios, quos in carceribus detinebant, et elegerant in potestatem Iacobum Paniciam cunfanonerium civem Placentie.

Eodem anno dictus Iacobus Panicia potestas Brixie cum Brixiensibus iverat ad Turizelam, ubi plures de parte Brixiensium exstrinseca se convenerant, et legatus ecclesie archiepiscopus[l] Ravanatis cum Mantuanis erat cum eis in ossidicione dicti castri. Et die Veneris, secundo mensis Augusti, marchio Pelavicinus et Ezolinus de Romano cum militibus suis et populo Cremone preliati sunt cum Brixiensibus et eorum exercitu, et ceperunt quasi omnes populares et multos milites et carra et boves et totum exercitum, que omnia conduxerunt Cremonam; similiter ceperunt ipsum legatum, quem Ezolinus Veronam destinavit; et paulo post dictus marchio et Ezolinus civitatem Brixie habuerunt ad eorum dominium[m], facientes Gandiolinum de Dovaria potestatem Brixie. Aug. 2.

Die primo mensis Decembris Iohannes et Guillermus filii condam Luxiardi de Perpini et alii nobiles Vallis Tarii ad favorem marchionis Pellavicini intraverunt burgum Vallis Tarii que custodiebatur per Placentinos intrinsecos[n], et Pelavicini ceperunt Speculum, et Albricus de Grivago et frater intraverunt castrum suum de Grivago, quod Placentini intrinseci eis astulerunt per vim et custodiri faciebant. Dec. 1.

Eodem tempore Ubertinus de Andito ex operatione eius habuit soldum a rege Manfredo pro[o] Placentinis extrinsecis,* ita quod quilibet extrinsecus de Placentia pro[o] uno equo habebat quolibet mense 3 libras imperialium, et pedes 20 solidos imperialium. *fol. 74.

a) caraīs *c.* a*) *supple* obsidebant, sed homines intus. b) Apulam *c.* b*) *scil.* eius. c) feq *c.* d) q̊ *c.* e) alicui *c.* f) condenavit *c.* g) Guillelmus *c.* h) *ita c.* i) Gambazothis *c.* k) *ita corrigo*, habuit *c.* l) archiepū *c.* m) domin' *c.* n) *ita correxi*; eastrinsecos *c.* o) q *c.*

59) i. e. carceratos.

1259. Guizardus de Petra sancta erat potestas Placentie.

In proximo mense Februarii et Marcii Placentini intrinseci[a] tempore Guizardi de Petra-sancta potestatis eorum refecerunt pontem super Padum in collopnis[60]; quam refici noluerunt Cremonenses et Papienses, mitentes totum navilium eorum; set non[b] prohibere non[b] potuerunt. Eodem tempore ortum est odium inter Ezolinum et domnum Bosium de Dovaria et domnum marchionem et Cremonenses propter dominationem civitatis Brixie, quam dictus Ezolinus sibi totam appropriaverat[c], tum propter castra Brixiensia que sunt in ripa Olii, que Cremonenses volebant destruere, et occasione carceratorum Brixie quos[d] petebat Ezolinus; et sic orta discordia inter eos valde magna, Ubertus Pelavicinus cum Cremonensibus societatem iuravit cum marchione de Est et comite Sancti Bonefacii et Mantuanis, Ferariensibus, Paduanis, Brixiensibus forestatis, postea cum Martino de Lature potestate populi Mediolanensis, Laudensibus, Cumanis et Novariensibus et aliis amicis eorum. Ipse enim Ezolinus ante contra marchionem et Bosium de Dovaria et comuni Cremone cum capeletis et capitaneis et valvasoribus Mediolani et cum Guizardo de Petra-sancta potestate Placentinorum intrinsecorum pollicendo eis auxilium consilium et iuvamen et magnum es, contra predictos coniurationem et societatem fecerat, putans se de hoc habere totum dominium Lombardie, quod bonis Lombardis valde displicebat.

Sept. 1259. intrante mense September Ezolinus venit ad ossidicionem castri de Ortis, quod Cremonenses tenebant; et Ubertus marchio Pelavicinus cum Cremonensibus Mantuanis et marchione de Est et comite Sancti Bonifacii et tota eorum parte et cum 200 militibus Theotonicis quos Ubertinus de Andito adsoldatos a rege Manfredo de Apulia secum duxerat, et cum 200 Placentinis extrinsecis hostiliter venerunt apud Surtinum[61]. Interea Ezolinus ad favorem capitaneorum et valvasorum de Mediolano[e] cum tribus milibus militibus per pontem de Caxano Aduam transivit, et intravit episcopatum Mediolani, et apud Vilmercatum resedit volendo civitatem Mediolani intrare. Intelligentes Ubertus Pelavicinus et Bossius de Dovaria qui preerant exercitu, cum Cremonensibus et Mantuanis et Ferrariensis et marchio de Est, equitantes pontem[f] Addue, per quem Ezolinus transierat, ceperunt. Cum autem hoc intellexisset Ezolinus et non posset per illum pontem versus Brixiam redire, inveniens se deceptum ab ipsis capitaneis Mediolani, per vadum cepit transire de subtus pontem, et
Sept. 27. die sabbati 5. Kalendas Octubris prelium inceptum est ibi, in quo prelio Ezolinus captus est et vulneratus ad mortem, et circa 400 milites cum eo, reliqui fugierunt Brixiam; et
Oct. 1. die Mercurii proximo dictus Ezolinus obuit in Suncino ubi sepelitus est. Iste enim Ezolinus fuit vir animo ferocissimus, qui circa 20 annos sic obtinuit civitates de marcha, quod nemo eorum ausus fuit ei rebellare; multos enim occidit in marcha, feminas incarceravit, eunuchos multos fecit. Si enim unus de una progenie contra eum peccabat, omnes de progenie illa occidebat[g]. Latrones et homicidis et raptores et prodictores et falsarios occidebat[h] taliter, quod nullus in ferocitate ei umquam fuit similis. Mortuo Ezolino statim Veronenses elegerunt quatuor capitaneos pro comuni illius civitatis regendo, et Vicentini similiter. Preterea Venetici intraverunt in Trivixium, et Albricus de Romano se receptavit in castris suis

Eodem tempore Mediolanenses miserunt Cremonam 24 ambaxatores cum trumbis[i] ad domnum Ubertum marchionem Pelavicinum ipsum rogantes, ut veniret ad Mediolanum ad capiendum dominium et segnoriam civitatis Mediolani; et nunc concordium tractabatur per dictum marchionem cum Brixiensibus, et facto concordio inter eos, dedit eis per potestatem Ubertinum Pelavicinum de Peregrino, qui tunc erat potestas Cremone, et ipsos Brixienses in concordia posuit.

Nov. 11. Postea die Martis, 11. mensis Novembris, dictus Ubertus marchio Pelavicinus cum 600 militibus, militibus Cremone et Theotonicis et aliis intravit civitatem Mediolani, ubi receptus fuit a Mediolanensibus cum magno honore et reverencia, et iuravit regimen et dominium[k] illius civitatis usque ad 4 annos, et[l] pro suo feodo quolibet anno 4000 libras imperialium[m]; et posuit in suo loco ad regimen illius civitatis Anricum de Sipiono marchionem[n] nepotem suum.

Et quia in precedenti mense Augusti compromissum erat factum in dominos Bosium

a) *ita correxi*; extrinseci *c.* b) *sic c.* c) appropauerat cum proter *c.* d) quis *c.* e) *quae sequuntur, omissa sunt in editis, adsunt in codice.* f) ponte *c.* g) occidebant *c.* h) occidedat *c.* i) argenteis *addit Petrus de Mussis.* k) dominum *c.* l) eo *c.* m) *scil.* habuit. n) māchī *c.*

60) i. e. columnis. 61) Sonzino.

de Dovaria de Cremona et Martinum de Lature de Mediolano de discordiis vertentibus inter comune Cremone et ipsum marchionem et forestatos Placentie ex una parte, comune Placentie ex alia, predicti arbritatores in concordia die sabbati, secundo mensis Marcii proximo, talem inter partes tulerunt sentenciam: 1259. Mart. 2.

*In primo quod fiat pax perpetua inter comune Cremone et comune Placentie, et fiat remissio et finis inter utrumque comune de omnibus iniuriis et ofenssionibus et dampnis datis in utrumque comune occasione presentis guerre.*

*Item quod omnes terre et possessiones et bona omnium de Pelavicinis et Ubertini de Andito et aliorum omnium qui sunt extra Placentiam de*[a] *parte ipsorum integriliter*[b], *ita quod omnia statuta et ordinamenta consilia facta contra rex*[63] *et bona preditorum et cuiuslibet eorum irritentur et cassentur per comune Placentie et penitus anullemptur. Item quod omnes qui sunt cives Placentie et episcopatus sive districtus qui sunt extra Placentiam et districtum Placentie, quocumque modo pro parte sive occasione partis*[c] *domni Uberti marchionis Pelavicini et Ubertini de Andito extrahantur de omnibus bannis et proscriptoribus comunis Placentie et posint reverti et revertantur in civitatem Placentie et episcopatum ad voluntatem ipsorum, restituti super possessionibus et bonis, que habebant tempore quo de Placentia vel districtu exiverunt. Salvo quod per hoc non intelligatur aliquid dictum super reversione Placentie domnorum marchionis Pelavicini nec Ubertini de Andito; ita tamen quod predicti Pelavicinus et Ubertinus de Andito posint et debeant possidere et gaudere et habere omnes possessiones et omnia iura et bona*[d] *quiete que habebant et soliti sunt in civitate et episcopatu Placentie hinc in retro, et precipue quando Placentiam exierunt. Item quod omnia castra comunis et hominum Placentie et loca que tenentur per comune Cremone sive per marchionem Pelavicinum sive per partem*[d'] *aut aliquem partis Cremone sive Pelavicinorum seu domni Ubertini de Andito, dimitantur et restituantur comuni et hominibus Placentie liberaliter et integriliter per predictum comune et Pelavicinum et predictum Ubertinum de Andito et quemlibet de parte ipsorum, attendendo et observando comune Placentie in totum et per totum quiquid*[e] *in istis et infrascriptis et quolibet istorum*[f] *et infrascriptorum capitulorum per sentenciam continetur, adtendento etiam et observando quiquid adhuc duxerint preceperint et sentenciaverint et arbitrati fuerint inter partes predictas, arbitri*[g] *predictarum super omnibus capitulis et quolibet eorum. Retinendo in se predicti arbitri dominium*[h] *quod possint adhuc dicere et cetera. Que omnia acta sunt per predictos*[i], *citatis et requisitis ambabus partibus super dictis perhenniter*[k], *et presentibus Petrizolo de Regio nuncio et procuratore domni Uberti Pelavicini, et Vilano de Gazis sindico comunis Cremone, et Uberto Lecacorvo iudice et Furnario Carexeto iudice civibus Placentie.*

Qua sentencia lata Placentini intrinseci habito eorum consilio recusaverunt ditam[64] observare sententiam, mitentes ambaxatores per civitates Lombardie dicentes se esse deceptos malo modo in ipsa sentencia, infamantes Martinum de Lature, asserentes etiam, licet non esset[l] verum, quod aliud in compromisso isto contineretur, scilicet quod forbaniti Placentie non debebant reverti a propria, et sic noluerunt[m] dictam sententiam observare.

Quapropter domnus Ubertus marchio Pelavicinus cum comuni Cremone et 1000 militibus Mediolani et 200 militibus Brixie* et 100 militibus Mantue et 50 militibus Aste et Cremaschis et 200 ballisteriis Cumarum et aliis, in *fol. 75.

1260. de mense Iunii ad ossidicionem Pontis Nurii sua fincxerunt temptoria cum quinque trabuchis, in qua ossiditione steterunt 18 dies cum cavatoribus. Interea 150 pedites Placentie, etiam Cremone et aliarum parcium ab exercitu secedentes, intraverunt Cagnanum, qui ibi omnes per illos de castro Aquarto et illarum parcium capti sunt et mortui; ex quibus Placentini extrinseci 25 decapitaverunt in campo Ferie, scilicet Guidonem comitem de Muntecucho, Antolinum Bacenderium, Guillermum de Roca notarium, Ymericum Spicigum et alios consimiles de parte extrinseca Placentie. Quo audito per illos qui in castro[65] osesi[66] erant, terrore perteriti[n], licet non[o] posent se tueri, die sabati, 10. mensis Iulii, dictum castrum reddiderunt[p] domno marchioni, data fidancia undecim, et reliquos in Cremona carceratos destinavit qui fuerunt numero 270 omnes fere de societate cumunie[67]; 1260. Iun. Iul. 10.

a) quod *c.* b) *ita c. scilicet* restituantur. c) patis *c.* d) et omnia iura *addit codex.* d') patē *c.* e) *ita c.* f) isterorum *c.* g) arbiter *c.* h) dominum *c.* i) prepredictos *c.* k) *i. q.* peremtorie. *Codex* perhēnt. l) esse *c.* m) voluerunt *c.* n) p̄teriti *c.* o) *ita c.* p) reddierunt *c.*

63) i. q. res. 64) i. q. dictam. 65) scilicet pontis Nurii. PAVERI. 66) i. q. obsessi. 67) scilicet Alberti de Funtana, ut infra a. 1261.

1260. Iul. 16. et die Veneris sequenti guarnito et infortito dicto loco, ad propria redierunt cum toto exercitu. In civitate Placentie erant Bernabos marchio et Fredericus marchio Malaspina cum 30 militibus, 100 milites capitaneorum Mediolani forestati ad soldos Placentinorum.

Eodem tempore marchio de Est et comes Sancti Bonefacii et Paduani ossedebant Albricum de Romano cum uxore et filiis et filiabus in castro de Sancto Zenono; quo capto ditum Albricum et filios suspenderunt, uxores et filias conbuxerunt.

Exeunte vero mense Septembris Florentini et Lucenses pro comuni hostiliter cum omnibus eorum amicis preparato maximo exercitu statuerunt guarnire Montem Alcinum; et cum fuisent apud civitatem Ssene[68] devastantes, comes Iordanus qui pro rege Manfredo cum 200 militibus in dicta civitate aderat cum milicia Sene, die sabbati 4. mensis Octubris[69] prelium cum Florentinis et eorum amicis inceperunt. Florentini et eorum amici pavore perterriti[a] fugam pecierunt, relinquentes omnia in campo. Inimici vero sequebantur eos occidentes et vulnerantes eorum; ex quibus ceperunt 22 millia, et octo millia occiderunt, et ceperunt omnes somerios qui fuerint numero 30 milia, et campannam Florentinorum, et Fredericum Malaspinam et Manfredum et Muruelum fratres eius, qui in suscidium[70] Lucensium iverant.

Eodem tempore Gibelini qui extra Florentiam[a*] erant, in continenti civitatem Placentie intraverunt, expelentes partem Guelforum[b] de illa civitate, ceperuntque in ipsa civitate Philipum Vicedominum civem Placentie, qui erat capitaneus populi Florencie.

Oct. Eodem tempore exeunte mense Octubri, Iohannes de Luxiardo cum 300 servientibus Vallis Tarii[c] voluntate Ubertini de Raiceto intravit Nucetum. Quo audito Placentini intrinseci miserunt illuc 300 milites et 1000 pedites civitatis et multos de episcopatu cum magno Nov. 6. exercitu; et preliando ipsum locum die sabbati 6. mensis Novembris, Anricus Pelavicinus et Vicecomes et Guido et Ubertinus Pelavicinus cum 400 militibus Cremone et cum militibus extrinsecis Placentie et servientibus Vallis Tarii fecerunt insultum in eos. Statim Placentini intrinseci in fugam conversi sunt; et ceperunt ipsi Pelavicini cum suis ex ipsis Placentinis intrinsecis circa 50 milites de melioribus civitatis et duos tubatores cum tubis et duo vexila comunis et circa 300 pedites civitatis et episcopatus, et plus 200 equos et omnia vitualia et ballistras comunis, interficientes ibi Ubertum Advocatum et Fulconem Gorgonum et alios plures, reliquos[d] omnes ad burgum Vallis Tarii in carceribus conduxerunt. Deinde combuserunt Gropalum, Centenarium, Conium, et alia loca Monteregium et Petram Cravunam[e] guarnierunt, deinde ipsos prexonerios omnes apud Cremonam conduxerunt.

Quando batuti venerunt. Eodem tempore inceperunt venire de versus Romam homines nudi, qui se de coriis verberabant, invocantes pacem et beatam Mariam; qui venerunt usque Bononiam. Quo viso Bononienses ceperunt et ipsi comuniter tam milites quam pedites et omnis turba se eodem modo verberare, et inde venerunt Bononienses usque Mutinam. Similiter Mutinenses[f] illud idem fecerunt veniendo usque Regium. Similiter Regini illud idem fecerunt venientes usque Parmam. Parmenses illud idem fecerunt volendo ire Cremonam. Hec omnia fiebant ut discordia et malum oriretur[g] in Cremona, ut marchio perderet dominium[h]. Verumtamen ipse, sicut sapiens, fecit fulchas in introitu episcopatus Cremone undique ficare, precipiendo quod quilibet qui veniret se verberatum illico suspenderetur. Unde nullus fuit ausus venire. Deinde isti Parmenses miserunt Placentiam verberatores, et ita Placentini, alii pro bono et alii pro malo ingenio, inceperunt se verberare invocantes pacem; et sic verberatores plures miserunt Papiam. Qui Papienses simili modo se verberarunt. Ad Mediolanum vero, quia marchio illud idem fecerat de fulchis, nullus fuit ausus ire; et sic ivit istud factum quasi per totum mondum. Verumtamen propter hoc multe paces inter discordantes facte fuerunt et multa bona acta sunt.

1261. Febr. 7. Die Lune, 7. mensis Februarii, Albertus de Funtana qui dominium[i] illius civitatis cum sua societate cumunie obtinebat, tempore domni Cathelani domni Guidonis de Domina Ostia civis Bononie potestatis Placentie, in sero congregatis viris consortibus sue nequicie in totum volens

a) pteriti *c.* a*) *lege* Florentia. b) parte guelfororum *c.* c) val'tarii *c.* d) *ita Paveri emendat;* quos *c.* e) trauunam *c.* f) Mutinam similiter. Mutinenses *c.* g) orietur *c.* h) dominum *c.* i) dnm̄ *c.*

68) i. q. Siene. 69) corrige *Septembris*, quae erat dies sabbati; ut in chronico Sanese Muratori SS. XV, 33. et chron. Pisano ibid. T. VI. 70) i. q. subsidium.

superare civitatem, armata manu ivit ad Sanctum Salvatorem cum hominibus illius con- 1261. tracte[73], debellando et ignem in domibus inponendo, et robando homines illius contracte. Quod utique senciens domnus Philipus Dei gratia episcopus Placentinus et domnus Ubertus Cagnolus archidiaconus Placentinus, asumptis[a] armis cum Manchasolis[b] et illis de Andito et aliis eorum amicis de parte extrinseca qui in Placentia erant et qui venerant de confinibus in quibus per istum[c] Albertum de Fontana positi erant, et reversi domum occasione verberatorum, stando domnus Cathelanus potestas in platea maiori cum armatis viris Placentie, ex quibus alii dicebant: *Date forciam episcopo!* et alii dicebant: *Date forciam potestati!* versus dictum Albertum de Fontana et eius sequaces[d] se opposuit eundo cum quot potuit ad Sanctum Salvatorem, ubi erat idem Albertus cum suis sequacibus[e]. Quo viso per ipsum Albertum, statim idem Albertus fugam petiit et aufugit de civitate, et cuntinuo domnus episcopus cum suis cum victoria venit in plateam maioris ecclesie ubi erat potestas; et dato consilio ipsi potestati pro bono ne per homines occiderentur, ipse ivit ad ospicium suum, et milites et pedites qui ibi erant elegerunt domnum episcopum in potestatem et rectorem civitatis Placentie, et Raynaldum Scotum in capitaneum populi; multa enim bona in expelendo dictum Albertum fecerunt Scoti. Qui domnus episcopus ipsum regimen iuravit et suscepit. Et post paucos dies miserunt ambaxatores Mediolanum pro eligendo potestate, et elegerunt Napoleonem de Lature in potestatem et rectorem illius civitatis[74], qui venit 74 ad regimen illius civitatis et habuit 2000 libras pro feodo.

Et die Veneris, 4. mensis Marcii, comes Ubertinus de Andito et Anricus et Guido Mart. 4. marchio Pelavicinus cum omnibus forestatis in magna pace intraverunt in Placentiam. Set dictus Napolionus potestas noluit quod venirent et displicebat sibi, tamen non dicebat palam, set ad ultimum noluit stare in ipso regimine; volebat enim feodum ex dono.

1261. die dominico, 3. mensis Aprilis, domnus Ubertus Pelavicinus cum honorabili Apr. 3. militum comitiva intravit *Placentiam, et illa die venit in civitatem Placentie domnus Mar- *fol. 76. tinus de Lature; et relicta in magna pace ipsa civitate, ipse Napolionus recesit; et dictus marchio in suo loco possuit vicecomitem Pelavicinum, iurando idem marchio dominium et segnoriam Placentie usque ad quatuor annos eo modo sicut habebat illam Mediolani, et redivit Cremonam.

Et in vigilia sancti Andree Anrichus Pelavicinus cum Anrico Scola et militibus et bal- Nov. 29. listeriis intravit Terdonam, et habuit totam civitatem ad voluntatem domni marchionis. Qui domnus marchio dedit eis in potestatem domnum Guillelmum de Petra civem Papie.

1262. de mense Iunii Alexandrini intrinseci — erant enim Lancievegii extra — de man- 1262. dato regis Manfredi cui se dederant, in qua civitate erat Berardus armarius Apuliensis Iun. capitaneus 200 militum Theothonicorum pro custodia illius civitatis —, in concordia cum extrinsecis elegerunt comitem Ubertinum de Andito in rectorem et potestatem illius civitatis; et sic omnes intraverunt civitatem qui extra erant. In magna pace et concordia rexit eos usque ad mensem Novembris, quo illi de Puteo exiverunt de civitate.

Eodem tempore Pergamenses ceperunt rebellare, tenentes bannitos Mediolani contra voluntatem marchionis et comunis Mediolani. Quapropter domnus Ubertus marchio Pellavicinus cum Cremonensibus et Mediolanensibus et aliis eorum amicis totam planuriam Pergami devastaverunt, et plura castela Pergami habuerunt, scilicet Gisalbam et Martinengum, que militibus et peditibus munierunt.

Interea Fredericus Malaspina, qui concorditer cum militibus domni marchionis castrum[f] Pontremuli ossedebat, rebellavit. Quapropter Placentini de mandato domni Uberti Pelavicini cum exercitu terras et vilas et loca dicti Frederici usque ad Crucem devastaverunt.

In proximo mense Marcii Otto Vicecomes, archiepiscopus Mediolani, cum 300 militibus 1263. forestatis Mediolani intravit in rocham Arene[75]. Quapropter Ubertus marchio Pellavicinus Mart. cum 200 militibus Cremone et 100 militibus Brixie et 50 militibus Placentie equitavit Mediolano, postea cum ipsis militibus et cum parte Mediolani hostiliter equitavit ad ossiditionem Arene; et data ossiditione statim se rediderunt[g] domno marchioni, data fidancia personis

a) aspūtis *c.* b) mācha sol' *c.* c) ist'um *c.* d) sequates *c.* e) sequatibus *c.* f) caserum *c.* g) redierunt *c.*

73) i. e. contradae. 74) scilicet Placentiae. 75) *Arone* Giulini.

1263. ut evaderent cum armis. Statim domnus[a] marchio castrum et rocham Arene destruxit, et alia castela circumstancia destrui fecit.

Iul. In proximo mense Iulii Parmenses pepigerunt cum marchione quod darent ei quolibet anno exercitum ad suam voluntatem et 1000 libras imperialium pro feodo.

Oct. De mense Octobris amici et fideles domni marchionis, silicet Petruzolus de Anriginis et alii, nocte privatim intraverunt Pontremulum et ceperunt ibi Fredericum marchionem Malaspinam et omnes qui cum eo erant, quos domnus Ubertus Pelavicinus ducere fecit in carceribus Cremone.

Insuper idem Ubertus Pelavicinus fecit pactum cum ipso Frederico et habuit planele Pontremuli et Montarzolum quod idem Fredericus tenebat, et fecit guarnire Carariam et 76 Petramgrogam, et dimisit ipsum Fredericum habire[76], faciens secum pacem et plurima pacta que nulla observavit; idem rex[77] et eciam recuperavit ipsa castra.

1264. 1264. indictione 8. de mense Dezembris Philipus de Lature civis Mediolani, qui successerat domno Martino de Lature fratri suo potestas populi Mediolani, cum aliis de Lature qui[a*] presidebant civitati Mediolani, contra voluntatem et pacta domni Uberti Pelavicini et comunis Cremone suscepit dominationem et regimen civitatis Pergami. Pro quo facto orta est maxima discordia inter comune Mediolani et comuni Cremone et marchionem et illos de Lature, sic quod in continenti Ubertinus de Peregrino qui erat potestas Mediolani pro ipso marchione, de nocte de illo regimine absentavit; volebant enim eum capere. Et exinde illi de Lature[b] receperunt nuncios Karoli comitis Provincie.

Aug. Eodem anno de mense Augusti aparuit stela versus orientem cum cauda magna et ibat versus occidentem; et oriebatur ipsa stela circa horam matutinam, et duravit bene per tres edomatas, de qua scriptum est, ut infra legitur:

Visa fuit stela, designans plurima bella.
Omen erit guere, mors et destrucio terre.
Marte perit Grecus, Ligurum undique cetus.
Regnum mutatur, Sciculus Kalabrusque fugatur,
Francia lectatur[78], demum devicta nectatur[79].
Tartarus adveniet, lis Rome maxima fiet.
Tartarus artatur, sic orbis pacificatur.

1265. Mart. In proximo mense Marcii comes Provincie misit ad civitatem Mediolani Hebaralem de Balcio cum 300 militibus et balisteriis, et rex Manfredus mandavit ab Apulia in Lombardiam 600 milites Theotonicos[c] et soldos mile militum Tuscorum et Lombardorum.

Mai. 1265. de mense Madii comes Provincie vocatus ab Urbano papa rex Scicilie, cum comitiva sua militum absque equis cum 22 galeis per mare intravit Romam, recipiendo senatum Urbis, et uxorem et filios et filias post se venire fecit per mare, et multi alii per terram[d] per Lombardiam a Capinaci retro iverunt ad pedes et ad equos.

Eodem tempore domnus Ubertus marchio Pelavicinus[e] civitates Terdone et Alexandrie in sua custodia, ubi preerat Ubertinus de Sipiono, nepos eius, pro vicario. Qui de mense Augusti proximo preterito cum 600 cavalcatoribus equitavit apud castrum Nicie, et obviavit milites marchionis Montisferati et milites Provinciales qui illuc venerant; et preliando cum eis fugam petiit; et fuerunt in ipso prelio capti Alimpertus[f] de Marcha cugnatus domni marchionis et 200 milites cum eo, quos idem marchio Montisferati duxit in Provinciam.

Oct. In proximo mense Octubris Philipus de Laturo civis Mediolani obuit[80], et ei successit Nov. in dominacionem suam Napolionus de Lature nepos eius. Insequenti mense Novembris comes Frandale et alii comites et barones Francie cruce signati per evocationem ecclesie contra regem Manfredum cum militibus Francie Pichardie et Provincie et aliis in maxima quantitate militum et peditum per civitate Albe intrantes acceserunt in Monferatum, postea in episcopatum Vercellarum; et cum fuerint apud Vercelas, episcopus Vercelarum et Advocati et alii de parte que dicitur ecclesie, contra iuramenta promissa et facta super *fol. 77. reliquias sancti Eusebii, *confesoris illius civitatis, eos intraxerunt[81] in civitatem Vercelis,

a) armis statim. Domnus *c.* a*) q̄ *c.* b) ture *c.* c) theotonicis *c.* d) terrā *c.* e) *scilicet* recepit. f) Alimptus *c.*

76) i. e. abire. 77) i. e. res. 78) i. e. laetatur. 79) i. e. necatur. 80) i. e. obiit. 81) i. e. introduxerunt.

expelendo de ipsa civitate Iacopum Tizonum et suos et partem suam. Postea iverunt 1265. Novariam, deinde Mediolanum. Mora enim ibi facta per 10 dies, cum Mediolanensibus et Pergamensibus et aliis equitaverunt super flumen Ogii in partibus Pallazoli; et transeuntes illud flumen cum fuisent per medium castrum Caprioli, stulticia illorum qui intus castrum erant in custodia, illum locum ceperunt, et homines et feminas et pueros in ipso loco inventos occiderunt. Postea transierunt per episcopatum Brixie iusta civitatem Brixie absque Mediolanensibus, et iverunt apud Montem Clarum[a. 83], et ipsum locum habuerunt, quoniam 83 ibi erant Mantuani, Ferrarienses et alii de illis partibus usque in duabus milibus militibus ipsos expetantes[84].

Tunc Ubertus marchio Pelavicinus cum Cremonensibus et Placentinis cum eorum caroziis et milicia Papie apud Suncinum et Urcium residebant, permitentes ipsos abire sine prelio; timebant enim de Brixiensibus.

Interea homines Palazoli et castrum et fortitudines Mediolanensibus[b] et Pergamensibus dederunt, capientes pedites et milites Cremone et Brixienses qui ibi erant in custodia.

Ultramontani per Bononie et marcham Ancone transerunt[85] apud Romam, in qua erat comes Provincie et expectabat eos.

Eodem 1265. in ultima ebedomata Ianuarii Brixienses rebellaverunt domno Uberto 1266 Ian. marchioni Pelavicino et comuni Cremone, capientes custodias civitatis que erant de Cremona, introducentes in ipsam civitatem miliciam Mediolani et bannitos eorum contra sacramenta et pacta facta.

Quo audito per Cremonam, statim marchio et Cremonenses fonditus dirruerunt castela Brixie que erant[c] in ripa Ogii, videlicet Urcium, Quinzanum, Pontevicium, Ustilianam, Canetum, cupientes homines et bestias illorum et alliorum circumstancium. Que loca Cremonenses habebant in custodia.

Eodem tempore Iacobus Tizonus Vercellis hora statuta et habito tractatu cum capitaneis et valvasoribus bannitis Mediolani, cum Papiensibus intraverunt civitatem Vercellarum summo mane tali modo videlicet, quod habebant carra palee[d] in quibus homines armati latebant; et aperta porta Vercellarum statim intrantes, interfecerunt custodes portarum, curendo milites usque ad palacium civitatis, ubi invenerunt Paganinum de Lature potestatem Vercellarum armatum, qui venire volebat ad rumorem, et ceperunt ipsum; et illi qui ceperunt ipsum[e], ducebant eum extra civitatem per eandem portam qua intraverant, et multi sequebantur eos volendo ipsum interficere, et ipsum extra civitatem interfecerunt. Unde cives illius civitatis, videntes milites qui intraverant reverti, putantes etiam quod fugerent, asumptis[f] armis insequentes ipsos usque ad portam civitatis unde intraverant, extra clauserunt ipsos et ceperunt ex ipsis Mediolani forestatis 13, et multos occiderunt. Milicia vero Papie que sequebatur, ad favorem quorum intraverant, nundum accesserat.

Audictis ab illis de Lature et a Mediolanensibus que gesta erant in Vercellis, equitantes illuc acceperunt illos 13 captos, et ducentes ipsos Mediolanum, super sepulturam dicti Paganini omnes occiderunt illi scilicet de Lature cum eorum manibus, et alios 42 milites captos ad Capiagum de parte capitaneorum bannitorum Mediolani quos habebant in carceribus, ad Tricium simili modo occiderunt.

Interea comes Provincie coronatus de corona regni Scicilie per domnum Clementem papam qui pape Urbano successerat, coadunata sua gente in urbe Rome transivit per pontem de Ceperanno sine prelio, et habuit Sanctum Germanum ubi parum bellum fuit, et comitatum Bonafrie[86], et civitas Gaythe[g] et Neapoli se sine bello tradiderunt comiti. Fertur enim quod idem comes habebat in sua comitiva decem milia milites et magnam multitudinem peditum male tamen armatorum. Rex vero Manfredus erat apud Capuam cum quatuor millibus militibus, quia gens sua et principes sui nundum acceserant; et exivit[h] rex Manfredus obviam comiti Provincie in partibus Beneventi, et prelio incepto con- Mart. 1. fracta est gens regis Manfredi, et fugit per campum. Dictus rex Manfredus interfectus est ibi, et multi milites cum[i] eo et Saraceni. Comes enim Caserti et comes Arccerarum[87]

a) olarum *c.* b) Mediolani *c.* c) erat *c.* d) palē *c.* e) et i. q. c. i. *bis scripta.* f) asptis *cod.* g) gaythe *c.* h) exivit. Rex *c.* i) cō *c.*

83) Montechiaro. 84) i. e. expectantes. 85) i. q. transierunt. 86) Venafro. 87) Acerrae.

1266. Mart 1. dicuntur fuise prodictores regis Manfredi relinquentes ipsum in campo; et fuit bellum istud die Veneris[88], primo mensis Marcii.

Eodem die rex Karolus habuit Capuam et universa loca et castela illorum partium, capiendo uxorem regis condam Manfredi cum filiis, que erat filia Michilucii Romane, et magnum thesaurum ei abstulit. Postea habuit civitatem Nucerie, in qua magna multitudo Saracenorum erat, pasciscendo cum eis; maximum thesaurum ei contulerunt, et promiserunt se daturos exinde, et postea in continenti sine bello habuit totum regnum et totam Sciciliam. Et comes Fredericus. Lancia rebellavit in Calabria; tamen ad ultimum pepigit secum, et habuit totam Kalabriam.

89 In libro enim Iohachim[89] talia inveniuntur: *Quia neccesse est a sanctuario Dei cedes incipiat, a quo velud a capite ad membra languencia vulnus livoris emanat. Potens enim est Deus Franchos repelere et Alamanos contra ecclesiam revocare; et que magis de humana quam divina potentia confidit, iusto iudicio amicorum destituta subsidiis*[a], *sub incursibus hostium conculcetur. Futurum enim est prorsus ex proximo, ut orta discordia inter principes, non tantum ab imperio ecclesia corruat*[b], *set etiam a Francorum regno diffidat Videat itaque generalis ecclesia, si non fiet ei baculus arundineus potentia Galicanna. Cui siquidem si quis nititur, perforat manum eius. Vicinum namque est, quatinus posterus Francos Egiptios in futura congressione collidet, ut per quos regnum mater ecclesia de ursi dentibus contendit erruere, versa vice nequeat in stragem forcium respirare, donec*[c] *Dominus ex alto prospiciat, ut perfecte malicie finem ponat* et cetera.

Mortuo vero rege Manfredo, inter Ytalicos magna exultacio et leticia fuit, scilicet clericis et illis qui dicuntur de parte ecclesie; aliis vero qui sunt de parte inperi, dolor et angustia supervenit.

Eodem tempore Ubertus marchio Palavicinus timens de predictis, custodiam Alexandrie relaxavit et custodiam Terdone dedit in manibus comunis Papie, et custodiam Pontremuli dedit Isnardo marchioni Malaspine et comitibus de Lavania cum quibus pactum fecit.

Occiso[d] condam rege Manfredo Scicilie superius nominato et multis Theotonicis et Tuscis ac Lombardis gladio interemptis[e] in prelio isto, et mortuo Anrico de Sipiono nepote Uberti *fol. 78. marchionis Pelavicini, et captis* comite Iordano et comite Bartolomeo, Petro Asino de Florencia et multis aliis magnis, timor crevit et fuit in Tuscia et in Lombardia. Et primo Gibelini de Florencia obediverunt domno pape et ecclesie, et sic omnes de Tuscia qui ecclesie rebellos extiterant, ecclesie mandatis parruerunt. Quod factum pervenit ad auros Lombardorum. Unde videntes aliqui de Placentia, et qui licet magnum proficuum et utilitatem et honorem haberent cum Uberto marchione et comite Ubertino de Andito sicut volebant, eorum dominium[f] et segnoriam non afectabant nec volebant; et videntes quod filii dicti comitis Ubertini capti erant et in forcia regis Karoli detinebantur, putaverunt tempus et conveniens esse verba de concordia ecclesie incipere. Hii scilicet domnus Robertus de Roncoveteri iudex, et Flamengus de Andito fuerunt actores et inceptores verborum. Hii tota die instabant predicto[g] comiti de cuncordia ecclesie, dicentes ei ut facilius declinaret: *Domine, per hanc viam melius quam*[h] *per aliquam potestis recuperare filios vestros. Domine, nimis gravis est ad sustinendum furor ecclesie. Cruce signati venient super nos; non enim volumus esse destructi. Unde facite si vultis hoc quod dicimus vobis; alioquin aliud fiet.* Et tantum per se et alios instituerunt penes ipsum comitem Ubertinum, quod ei placuit sapientes de Placentia super hoc habere; inter quos fuerunt isti[i] docti de hac arte et instructi de facto; et placuit omnibus, quod comes predictus procederet ad concordiam ecclesie. Comes enim nolebat facere hoc sine Cremona; et ita factum fuit consilium comunis Placentie generale, et per ipsum conscilium in concordia dacta[90] fuit licentia et potestas comiti Ubertino de Lando et 12 sapientibus illius civitatis tratandi ordinandi et faciendi quicquid eis placuerit super factis Placentie in omnibus. Quibus ita partis, idem comes ivit Cremonam ad loquendum de predictis cum Uberto marchione Pelavicino et sapientibus Cremone, narrando et dicendo domno marchioni quod amici eius de Placentia volebant concordiam[k] cum eclesia et domno papa; et si ipse volebat esse cum Cremonensibus placebat sibi; alioquin Placentini nolebant concordium pro se; et tamen instigavit dictus comes ipsum marchionem.

a) subdiis *c.* b) ecta[9 *delet.*] corruat (9 = con) *c.* c) donet *c.* d) Occisio *c.* e) itēptis *c.* f) dnm̄ *c.* g) predicti *c.* h) *deest in c.* i) ifti *c.* k) concordium *ed.*

88) Dies Veneris erat 3. Kal. Martii. 89) capite secundo. „Abbatis Ioachim divina prorsus in Ieremiam prophetam interpretatio" prodiit Coloniae 1577. in 8vo. 90) i. q. data.

quod sibi placuit facere predictam concordiam. Unde de consilio dicti comitis ipse marchio 1266. elegit sapientes Cremone 24 sine consensu et sciencia Bosii de Dovaria, et coram ipsis sapientibus proposuit dictus comes predicta verba, que placuerunt omnibus. De quo facto multum diplicuit domno Bosio, qui tunc dixit marchioni: *Domine, istud bene erat tale factum, quod ego debebam ante illud scire et audire quam esset expositum coram sapientibus.* Verumtamen vel nolet vel velet, oportuit quod velet; et hec fuit prima causa odii quod crevit inter domnum marchionem et domnum Bosium. Set nichilominus consilio[a] generali placuit sicut placuerat conscilio Placentie. Et rediens in Placentiam idem comes habuit electos, et placuit sapientibus hominibus destinare domnum Iacopum de Pecoraria et Guillelmum Rivolum[b] cives Placentie ad curiam domni pape pro concordia inquirenda. Similiter placuit Cremonensibus alios suos nuncios ad ipsam curiam destinare.

1266. de mense Aprilis predicti ambaxatores instructi de omnibus vadunt ad curiam Apr. domni pape pro predictis complendis. Modo est divulgatum per totam civitatem Cremone et Placentie, et pax et concordia tratatur cum ecclesia; illi qui dicunt se esse de parte ecclesie, exaltantur et dicunt multa verba et elavatis[91] capitibus incedunt. Magnates vero 91 Placentie qui se dicebant esse de parte marchionis et qui multos honores pro eo et ipsa parte habuerant, sicut sunt Iohannes de Porta de Salincio, Iohannes Reus de Porta, Opizo Balbus, Odo Manchasola et consimiles, incipiunt male dicere de marchione et de comite isto, cum quo cotidie comedebant et magnam familiaritatem et habebant, et eius consorcium evitare; et cum eius inimicis uti amici eius omni die deprimuntur, et inimici se exaltant. In curia domni pape hec aguntur. Marchio pro se laborat cum Petruzolo de regio procuratore suo, ut pro ecclesia adhuc[c] poset obtinere dominia civitatum. Domnus Bosius pro se laborat; ut posset marchionem deprimere. Comes pro se laborat, ut posset filios suos habere et dominium quod habet retinere. Sed domnus papa Clemens, cuius nomen ab efectu non modice distat, nullum intellectum dabat eis, nisi quia dicebat se esse specialem amicum domni marchionis, et quod se ex toto deberet se et suos committere in manus eius, habendo in eo omnem bonam spem et fiduciam. Et cum per longum tempus duraret hoc factum in curia, transmissum fuit ambaxatoribus qui erant in curia, quod inpetrarent a domno papa quod trasmiteret legatos bonos et legales in Lombardiam, quod Cremonenses et Placentini erant parati facere in totum voluntatem domni pape et ecclesie Romane. Qui domnus papa transmixit duos legatos in Lombardiam cum literis suis, scilicet Bernardum de Castegneto canonicum Aurialensem natione Provincie, et magistrum Bernardum abbatem Sancti Theodori de Tebris canonicum regularem, capelanos suos; et antequam essent in Lombardia, actum est istud.

Die sabati[92], 5. Kalendas Iulii, C. Bergognonus Angoxola[d] civis Placentie, Albertus Bufa Iun. 26. de Andito, facto tractatu in Placentia contra dictum comitem Ubertinum de Andito et partem eius, cum iam de consensu eorum et aliorum de Placentia Albertus de Funtana et alii banniti de Placentia die preterita adscenderant in Petram Scremonam, rebellantes civitati de quo magnus timor erat in populo, levatis armis ad rumorem congregaverunt, scilicet Bergognonus cum suis ad Sanctum Antolinum[93], Albertus Bufa de Andito[e] ad domum Bu- 93 forum cum ipsis Bufis et eorum amicis. Comes Ubertinus de Lando cum suis et parte sua et cum Roglerio de Bellotis potestate Placentie, cum armis se reduxerunt in plateam maioris ecclesie, et quasi tota civitas ibi cum ipso comite se convenit in auxilium dicti comitis; et relicto populo armato in platea ista[f], potestas cum militibus et populo porte Nove ivit ad Sanctum Antolinum ubi dictus Bergognonus et sui se convenerant, qui statim conversi in fugam omnes fugierunt et absentaverunt; plures vulnerati et plures mortui sunt ubi ex parte dicti Bergognoni et suorum; et tota nocte illa steterunt in platea milites et pedites armati. Die orta domnus marchio cum militibus Cremone venit et intravit Placentiam, et[g] Albertus Bufa fugierunt Papiam, ubi capti sunt a Papiensibus, quos[h] dederunt marchioni afidatis personis a morte. Multi de civitate Placentia fugierunt ipsa de causa. Set magnates de Placentia non permiserunt potestatem Placentie inquirere de predicta dicentes: *Domine, legati veniunt, et sedabunt!* et huiusmodi verba; vel quia timebant de parentibus suis qui in dicta prodictione erant, vel forsitan ex ipsismet aliqui erant culpabiles;

a) consio *c.* b) Bruolum *ed.* c) hunc *c.* d) Anguxala *ed.* e) A. B. de A. *desunt in codice, sed suppleantur necesse est.* f) ißo *c.* g) Bergognonus et *excidisse videntur.* h) quo *c.*

91) i. e. elevatis. 92) quae erat d. 26. Iunii. 93) i. e. Antoninum.

1266. verumtamen Armanus, Guillelmus et Arduinus de Bufis capti fuerunt; Armanus fortiter tormentatus ita quod obuit, alii in carcere sunt reclusi in civitate Cremone. Iohannes Bufa, videlicet[a] frater eorum, positus fuit in confinibus. Interea Balbi adscenderunt in Petram Dueriam rebellantes civitati, predando et derobando homines et vilas illarum contratactarum; set Montenarius qui se fingebat esse de parte comitis et qui magnum honorem habuerat pro ipsa parte, cum Opizone Balbo erat in custodia Cogni, quod intrinseci de Placentia munierant ut obstarent illis de Petramscremona.

fol. 79. Eodem tempore Mediolanenses cum magno exercitu, Pergamenses, militia Brisiensium, Laude, Vercellarum, Novarie et aliis eorum amicis venerunt in episcopatum Cremone ad castrum de Covo; et data ossiditione illi castro per girum cum trabuchis et cavatoribus, venerunt ad Suncinum. Habuerunt illud per cavatores affidatis personis; quod penitus dirruerunt. Cremonenses vero cum milicia Papie et milicia et populo Placentie erant apud Suncinum; tantum non fuerunt ausi Mediolanenses et eorum exercitum obviare, et reversi sunt exercitus ad propria.

Iul. In proximo mense Iulii predicti legati venerunt in Lombardiam, et primo recepti fuerunt cum magno honore in Cremona a domno marchione et a Cremonensibus; et nichil ibi facientes de legatione sua, venerunt in Placentiam, ubi simili modo et honorifice recepti fuerunt. Et domnus marchio venit cum eis, et iverunt domni legati ad hospitandum in palatio domni episcopi. Et die statuto facta magna concione in platea maioris ecclesie sive in curia domni episcopi, ipsi legati receperunt ab ipso domno marchione et a potestate et comuni Placentie promissiones et obligationes quascumque voluerunt, compromitendo ipsi Placentini in eos nomine domni pape et ecclesie de omnibus ad eorum voluntatem sine aliquo intellectu, dando fideiussores mercatores et alios divites Placentie ad eorum voluntatem; et comune Cremone insuper iurando quilibet de civitate et districtu sacramenta ecclesie per fratres Predicatores et Minores, qui per civitatem et episcopatum homines iurare faciebant. Illud idem fecerunt in Cremona: multi maliciosi religiosi et alii vadunt ad legatos, inducentes eos ad omne malum contra marchionem et illos de parte sua.

Sept. In proximo mense Septembris predicti legati extraserunt dictum marchionem et comitem et homines de Placentia de omni excommunicatione in platea maioris ecclesie, verberantes domnum marchionem et potestatem Placentie et comitem Ubertinum de virgis, sicut consuetum est.

Interea predicti legati receperunt promissiones et sacramenta ab Alberto de Fontana, et a suis qui erant in Petrascremona, dantibus pro eorum securitatibus Capelletos, et Capelleti forestatos Placentie pro eorum securitatibus dederunt.

Interea legati cum duodecim sapientibus Placentie de parte comitis iverunt ad Carmianum ad loquendum cum Alberto de Fontana et sapientibus suis, inquirentes per scrutinium de bono statu civitatis Placentie sicut dicebant, et reversi sunt Placentiam; volentes factum quod desiderant prius compiere in Placentia quam in Cremona.

Dec. 3. Die Veneris, 3. mensis Decembris, cum ambaxatores Cremone et Papie essent in Placentia causa copulandi inter ipsa comunia societatem pro bono ipsorum comunium, et essent ipsi ambaxatores in consilio comunis Placentie causa complendi predictam societatem, iurandi et firmandi stando in ipso consilio, predicti legati qui tractatum fecerant in Placentia de opprimendo comitem et partem suam, et qui iam tantum fecerant, quod Ubertus Pellavicinus marchio propter odium quod creverat inter ipsum et domnum Bossium expulsus erat et divisus de Cremona ubi per 16 annos dominium habuerat[c], et qui tunc erat in Placentia, cui Placentini magnates insistebant ut refutaret dominium civitatis Placentie, quod refutavit in manus domni episcopi Placentie nomine domni pape; qui facta ista[d] refutatione, in concordia cum Placentinis Burgum ivit. Et circa medium diem cum Bonefacius de Peccoraria iret ultra Treviam, obviavit capitaneos de Fontana, illos de Arcellis[e], archipresbiterum de Campagnola cum magna quantitate rusticorum de Valle Tidono amicorum, venientes versus Placentiam ex precepto legatorum ut caperent forciam tocius civitatis Placentie. Et reversus fuit idem Bonefacius versus Placentiam clamando et dicendo: *Banniti intrant civitatem!* Et venit ad palacium ubi[f] consilium predictum erat colletum occasione predicta. Et sic in continenti tota civitas fuit sub armis. Comes Ubertinus cum potestate comunis et cum sua parte reduxit se in plateam maioris ecclesie.

a) uide *c.* c) habuerl *c.* d) ifth *c.* e) Arcillis *ed.* f) ubi palacium ubi cons. *c.*

1266. Iohannes Palastrellus, qui est secundus germanus dicti comitis et qui iam steterat capitaneus partis sue, et Guido de Fontana consanguineus germanus dicti comitis, et Zagnus eius frater, qui maximam utilitatem habuerant occasione dicte partis tam in dotibus uxorum eorum quam in beneficiis ecclesiarum ex tractatu legatorum, contra ipsum comitem et partem suam se opposuerunt cum armis, congregantes se in burgo Placentie cum magna quantitate inimicorum partis ipsius comitis, introducentes illos de Valle Tidoni cum aliis in civitate Placentie, guarniendo turrem Gotemteste et Sancte Brigide et palatium mercatorum. Et dictus Iohannes Pallastrellus et Guido de Fontana per legatos facti sunt capitanei fidelium ecclesie de Placentia, introducentes Albertum de Fontana et alios bannitos in civitatem illa nocte per stractam de Sancto Francisco; et tota illa nocte predicti (Dec. 4.) habuerunt totum burgum usque ad Sanctum Stephanum, stando homines armati per stratas cum magnis ignibus. Comes vero Ubertinus stando cum suis miserat ad Burgum sancti Dompnini pro auxilio et Cremonam. Interea erat magnus rumor in platea maiori; alii dicebant: *Fiat sicut volunt legati*, alii *non*. Unde comes videns periculum suum et partis sue, dixit ad legatos: *Placet mihi pro bono pacis et concordie quod domnus episcopus Placentinus sit potestas Placentie*. Et omnes dixerunt: *Placet nobis*. Et sic idem domnus episcopus de voluntate legatorum iuravit regimen civitatis Placentie; et ivit creda per civitatem ex parte eius, ut quilibet se desarmaret: quod nullus facere voluit, timendo una pars alteram quod non deciperetur. Et stando sic in contratis primi sompni, Ubertus de Sipiono cum militibus (Dec. 5.) de burgo circa 200 milites aplicuit in Placentia cum trombeto bene armati, de quorum adventu magnum gaudium fuit domno comiti et illis de parte sua. Et circa matutina potestas Cremone et milicia et populus Cremone applicuerunt in Placentia, mittendo semper litteras et nuncios legati eis precipiendo quod non venirent; qui propter hoc non dimiserunt, set fracta porta civitatis de versus Cremonam civitatem, intraverunt et venerunt in plateam maioris ecclesie. Quo audito per illos qui in burgo Placentie erant, pavore conterriti alii fugierunt et alii venerunt ad comitem; et sic pars comitis crescit, et altera decrescit. Et orto die per vim contra voluntatem comitis pars sua ivit ad illos qui erant congregati in burgo Placentie; et cum fuerunt apud domos Bufforum que guarnite erant de rusticis vallis Tidoni et rosta[94] erat facta in via, capta rosta et domo Bufforum, multos ibi occiderunt, silicet circa 17; et iverunt ultra usque ad turrem Gotemteste, ubi erat facta una rosta ubi alteri se defendebant viriliter et potenter. Comes Ubertinus non erat presens; pauci milites; ibant enim magnates de parte comitis predicando pacem, sicut erant Opizo Balbus, Oddo Manchasola, Iohannes de Porta et alii consimiles. Cremonenses vero qui in mandatis habebant a domno Bossio quod facerent ad sensum legatorum, nolebant se intromittere. Set mediatores se faciebant, sicut erant Iohannes Ohdonus, Bonefacius de Albertanis et alii consimiles proditores domni Bosii; et dixerunt isto[a] comiti, quod faceret partire gentem suam et suos a sturmo in continenti, alioquin ipsi ibunt ad alteram partem et adiuvabunt eam; et ita oportuit quod idem comes faceret suos dividere a sturmo, non enim poterant plus durare illi de altera parte quod non essent mortui. Compromitendo se ambe partes in domnum Rochum de Strata potestatem Cremone et comune Cremone; et sic diviso sturmo, quilibet ivit ad propria, et Albertus de Fontana et sui de civitate exiverunt et rustici de valle Tidoni. Et milicia Papie circa vesperas applicuit in Placentia et populus retro per terram et aquam, pro quibus non remansit de inimicis vindictam sumere. Magnus terror est in illis de parte Iohannis Pallastrelli; quilibet putat fugere et absentare se et sua; et steterunt ibi Cremonenses et Papienses per 8 dies vel circa; et iurata pace et societate facta in consilio generali, die dominico recesserunt Cremonenses et Papienses, relictis in Placentia 200 peditibus pro custodia, relicto toto facto Placentie in manibus legatorum, quia volebant ita Cremonenses et domnus Bossius. Qui legati fecerunt et ordinaverunt in Placentia pro rectore domnum Bossium de Dovaria et in Cremona * domnum (*fol. 80.) Rochum de Strata civem Papie, propter quod ad sensum legatorum se rexerat in factis Placentie.

Qui legati in continenti, divisis Cremonensibus et Papiensibus de civitate Placentia, in publica concione tullerunt sentenciam inter intrinsecos et extrinsecos de Placentia, et iusserunt eos venire et intrare civitatem, ita quod omnes in vigilia nativitatis Domini in civitatem venerunt.

a) istō c.

94) Barricade.

1266. **Et interea dicti legati ordinaverunt et fecerunt in Placentia ad instigationem aliquorum de Placentia et specialiter Roberti de Ronchoveteri et Flamengi de Andito societatem consortii, qui debebant esse boni et comunales et homines, qui fuerunt demones; non enim ipsi Robertus et Flamengus hoc dicebant pro malo set pro bono, facientes in qualibet porta duos consules et banderias pinctas cum clavibus et confanonerium; et capitaneum dicti consorcii fecerunt domnum episcopum, facientes ipsos iurare dictum officium usque ad festum omnium sanctorum, quod penitus non fecerunt; quod quidem fuit mors et destructio Placentie. Substinebant ipsi consules factum Placentie[a] bono modo, ita quod una pars alteram non poterat molestare.**

Girardinus de Dovaria potestas Placentie.

Qui domnus Bosius, qui voluntatem habebat marchionem et comitem et partem eius tunc temporis destruere propter odium marchionis, misit ad civitatem Placentie Girardinum de Dovaria pro rectore. Qui in introitu sui regiminis fecit de voluntate legatorum consilium comunis tam fraudulenter quam malimodo, quod due partes consiliatorum fuerunt de parte Iohannis Palastrelli et tercia et minus de parte comitis Ubertini. Quod fuit mala inceptio in destructione civitatis. Postea[b] in presentia legatorum facti fuerunt offitiales et potestarie locorum ita et tali modo, quod nullus de parte comitis potestas fuit vel offitialis; et omne malum quod poterat idem potestas faciebat contra partem et homines de parte dicti comitis Ubertini. Fecit etiam ipsemet bannire domnum marchionem, et arma eius ubique aradere, et litteras scultas in campana comunis de nomine eius destruere fecit, et omne malum quod potuit contra facere fecit.

Interim Parmenses intrinseci ossedebant Montem Pallonem, castrum istius marchionis. Quo capto ipsum penitus diruerunt, et circa 74 decapitaverunt, quos in ipso castro ceperunt. Et Girardinus de Dovaria nuncium qui ipsa nova apportavit, de avere comunis ad arma sua induere fecit pre gaudio quod habuit.

Interea legati venerunt ad Cremonam causa complendi simile factum ibi; et cum esset consilium comunis Cremone in palacio congregatum, predicti legati iverunt ad plateam maioris ecclesie. Multi convenerant de proditoribus Cremone invocantes pacem; et ascenderunt ipsi legati super lapidem concionis, volentes ad rumorem habere fortiam illius civitatis, ut possent facere quod optabant. Unde potestas Cremone et domnus Bossius et illi de consilio descendentes de palatio expellerunt dictos legatos de platea, et cucurrit tota civitas ad arma; tamen domnus Bossius et sua pars obtinuit, ita quod nullus fuit ausus contra eum ire; et sic oportuit quod legati recederunt de Cremona et venerunt Placentiam. Et stantes ibi per aliquot dies propter partem que orta erat in Cremona in parte domni Bossii propter odium marchionis — multi enim dolebant de marchione qui recesserat de Cremona, qui ob hoc domnum Bossium odio habebant — et sic voluerunt in concordia quod dicti legati redirent in Cremona[c], mittentes ambaxatores ad eos ut properarent Cremonam. Et iverunt in continenti, et illam eamdem[d] viam in omnibus quam tenuerant in Placentia, tenuerunt in Cremona tam in consortio quam in officialibus et omnibus aliis; quod domnus Bossius non credebat sibi posse modo aliquo evenire.

Eodem tempore existentes legati in Placentia, ad instigationem aliquorum de Placentia et illorum de consortio qui consules erant consortii, fecerunt canere missam super reliquias sancte Iustine maioris ecclesie, presentibus fratribus Predicatoribus et Minoribus et Heremitanis et aliis multis clericis civitatis Placentie, fecerunt congregari in ecclesia ista[e] in eorum presentia usque in 60 de magnatibus ipsius civitatis, quos inter se vicissim fecerunt
95 obsculari, et sacerdotem cum munere[95] in ore, et iurare super reliquias sanctorum et crucem sanctam et euangelium Domini pacem inter eos perpetuo observare, renunciantes omni adiutorio Dei si quis contra faceret; quod male observatum fuit.

Et tunc predicti legati cum fratribus Predicatoribus ad illud offitium per summum pontificem deputatis multos hereticos in civitate Cremone et in civitate Placentie ceperunt et combuxerunt, et multos in Provinciam de lingua Provinciali direxerunt vinculis alligatos.

Preterea predicti legati de discordiis Parme, Mediolani, Mantue, Ferrarie, Laudis, Vercellarum, Novarie, Cumarum et aliarum civitatum se nullo modo intromiserunt, set quod plus est, omnes bannitos istarum civitatum iterum de novo rebannire iusserunt, ita quod quilibet bannitus esset cuiuslibet civitatis.

a) substinebant ipsi consules factum Plac' *bis scripta*. b) Postmodum *ed.* c) Cremonam *ed.* d) eadē *c.* e) istā *c.*
95) scilicet eucharistia.

1266. Interea predicti legati statuerunt facere colloquium apud Romanum episcopatus Pergami cum omnibus Lombardis; in quo colloquio ordinaverunt capere domnum Bosium de Dovaria et comitem Ubertinum de Lando, quos ad ipsum colloquium invitaverunt. Set Bossius noluit ire. Comes vero ivit usque ad Sunccinum; qui fingens esse egrum, non ivit ultra. Et completo colloquio, ubi multa mala ordinata fuerunt contra partem imperii in Lombardia, reversi sunt omnes ad propria.

Raynaldus Scotus potestas Placentie.

Tunc legati statuerunt et voluerunt, quod Rochus de Strata, qui erat potestas Cremone, recederet ab ipso regimine, et elegerunt in loco suo Raynaldum Scotum civem Placentie mercatorem. De quo multi magnantes civitatis Placentie doluerunt ad mortem propter odium quod habent versus populum. Et venerunt ad civitatem Placentie, deposuerunt de ipso regimine Gerardinum de Dovaria, et loco eius possuerunt Guidotum de Archidiaconis civem Cremone.

Et tunc temporis predicti legati revertentes Cremonam, statuerunt confines domno Bossio de Dovaria et tribus cum eo de parte sua[a] et domno Amadino de Amatis cum tribus aliis de parte sua; qui statim, sicut preceperunt, iverunt ad confines sibi ordinatas.

Interea domnus papa absque conscientia cardinalium transmisit in Tusciam quingintos milites, qui ignorantes[96] Gibilinis intraverunt[b] Florentiam et ipsos Gibilinos extra Florentiam expulerunt.

1267. Apr. 1267. indictione 10, de mense Aprilis, postquam predicti legati compleverant omnia ista, venerunt Placentiam, et habito tractatu cum inimicis comitis istius[c], petierunt isto[d] comiti ut sibi darent in fortia comunis Placentie castra sua. Qui respondens dixit, quod nolebat ei dare nisi haberet bonam securitatem. Ipsi vero dixerunt ei, quod facerent sibi dare bonam securitatem de 20 marchis argenti ad suam voluntatem; et scriptis contractibus et ordinatis promissionibus, tractatu facto in Placentia per quosdam capiendi comitem in vigilia ascensionis Domini, comes hoc intellecto per amicos suos qui erant de adversa parte, cum licentia legatorum, qui tunc ibant Cremonam ut non viderentur consii de tanto scelere — qui iam cum ipsis legatis equitaverat usque ad Roncharolum, rediens venit in Placentiam; et habito colloquio cum Grimerio Brachioforte, Uberto Bagaroto, Raynaldo Mazaferato, presbitero Bocio, qui tunc erant consules consorcii et facti rectores et potestates comunis Placentie, donec Guidotus de Archidiaconis electus potestas Placentie veniret; quibus valde displicebat si comes recederet: asscendens dextrarium suum cum tota familia sua equitavit ad rocham de Bardi, circa tertiam exiens de Placentia. Et tunc illa hora obscuratus est sol et passus est eclipsim. Et tunc Placentini inciderunt sibi[e] Iardinum de Argine, et illi de Florentiola abstulerunt sibi oves et boves, qui conducebantur ad Senum, et alia multa mala inferebant eidem.

Eodem tempore Parmenses pro comuni erant in ossiditione Burgi sancti Dompnini, ubi steterunt per mensem; in quo loco erant marchiones Pelavicini cum forestatis Parme. Similiter Cremonenses dederunt bannum marchioni Pellavicino.

Eodem tempore legati existentes in Cremona iusserunt Bossium de Dovaria a rocha sua ubi erat, ire in confinibus ad Corrigiam viridem, invenientes causam contra ipsum quod homines Cremone ibant ad loquendum secum; qui ire noluit set stetit ad rocham ubi est cor suum; ubi etiam infinitum thesaurum habebat; *ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum* teste Salomone[97]. Quare domnus Bossius talia audiens et videns, considerando quod sui amici de civitate Cremone cottidie condempnebantur, direxit suos nuncios Veronam ad loquendum et tractandum cum domno Mastino* de la Scala de auxilio habendo si necesse esset. *fol. 81.

Interea quidam de parte domni Bossii erat rector et potestas Tezollarum, et propter malicias que fiebant illis de parte domni Bossii die statuto cum hominibus dicti loci rebellavit comuni Cremone. Quo facto Raynuldus Scotus potestas Cremone consilio stabilito statuit cum exercitu cum trabuchis et aliis illuc dirigere milites et pedites Cremone, et misit Placentiam pro auxilio. Qui Placentini dederunt in suscidium totam miliciam comunis Placentie, et cernam 1000 peditum de civitate fecerunt, qui omnes fuerunt electi de parte

a) ad rocham suam de Coni quam edificaverat *addit Paveri*. b) intraverunt *bis scriptum*. c) iſtũ *c.* d) iſtõ *c.* d) *scil.* comiti. 96) i. e. ignorantibus. 97) immo Matth. 6, 21.

1267. domni comitis Ubertini de Andito. Qui omnes exceptis peditibus Placentie electis iverunt ad ossiditionem castri Tezolarum.

Iun. 20. Die vero Lune, 20. mensis Iunii, cum milites Placentie essent inter Pladanam et Tezolas, Mastinus de Lascala cum quingentis militibus Verone obviavit eis apud Cavatonum, cridando miles: *Rex Conradus!* et facto impetu contra eos multos ceperunt, ceteros fugaverunt, et equos et arma eis abstulerunt. Qui Veronenses cum domno Bossio ad exercitum Cremone accedentes, Cremonenses statim fugam arripientes caris[98] et bubus et temptoriis relictis in campo, magna pars cum domno Bosio usque ad civitatem Cremone ipsa die pervenerunt expugnantes. Et cum domnus Bosius non posset introire civitatem, quia intrinseci previsi erant et portas civitatis munierant, cum illis de Cremona qui eum sequi voluerunt et cum Veronensibus ad rocham suam[a] est reversus. Illi vero de civitate Cremone male laborant, capiunt homines et depredant, quilibet sua auctoritate capit quem vult et ducit in carcerem; multos enim ceperunt, quorum partem miserunt Placentiam et partem Mantuam in carceribus. — Placentini vero hoc audito quod milites eorum capti et rupti erant, in continenti cernam quam fecerant de peditibus civitatis Placentie, in continenti transmiserunt Cremonam; et postquam ipsi pedites fuerunt in navibus, illi de consortio et de porta Mediolani et porta sancte Brigide cum Guidotino de Archidiaconis potestate Placentie stantes armati in platea militum, inceperunt capere de maioribus et melioribus civitatis Placentie de parte dicti comitis Ubertini, scilicet domnum Iacobum Passacalderam, Robertum de Rochoveteri iudicem, Rufinum Vicecomitem, Bernardum Vicedominum, Fredentium Bocardum, Actonem Blancardum, Albertum de Rusio, Marchisium Girvinum, Bonefacium de Peccoraria, Ugatium de Porta, Raynaldum de Concorigio[b], Girardum Sandonum, Petrum Sanctum, Rangonem de Monte Canino, Iohannem de Verano, Iohannem Tinctorem, Rubinum Firem[c], Guillelmum de Terdona, Gaymerium Gaytanum, Vilanum de Andito, Flamencum de Andito, Girardum Barbamrubeam de Andito, Iohannem Manchasolam. Et in Cremona ceperunt Albertum Cirexiam[d], Opizonem Gattum, Fulchinum de Maloparente, Azonem de Vallonga et Iacobinum eius filium, quorum partem transmiserunt Mediolanum et partem in Cremonam in carceribus. Multi fugierunt de civitate Placentie et de civitate Cremone quos capere voluerunt.

Modo incipiunt dare banna fugitivis, accipiunt eorum bona, dirruunt turres in Cremona, destruunt domos, fatiunt omne malum, ponunt homines in confinibus.

Interea sequenti ebdomada dum Veronenses qui venerunt in suscidium domni Bossii redirent ad propria cum magna preda et lucro, et essent in transitu fluminis Chesii volentes ire Veronam, perterriti in ipso fluvio neccati sunt et capti a rusticis Brixie et Mantue circa 200 milites.

Iul. 6. Die Martis[e], 6. mensis Iulii, predicti legati fecerunt magnum concionem in civitate Cremone, in qua excommunicaverunt domnum Bossium de Dovaria et omnes quicum erant, ortantes eos ire ad bellum et ad ossiditionem roche, absolventes omnes de parte ecclesie qui in prelio deficerent a peccatis eorum. Et congregatis in Cremona 100 militibus Pergami et ballisteriis et 500 militibus Mediolani et 1000 peditibus Placentie, die Mercurii sequenti Cremonenses et eorum sequaces eorum castra apud rocham domni Bosii posuerunt, ibique levaverunt 15 trabuchos, cottidie in ipsam rocham trahentes, facientes in giro roche fossatum, pluries sturmum dantes. Similiter venerunt ad ipsum exercitum 100 milites Brixie, 200 milites Parme, 100 milites Bononie, 200 pedites Laude.

Preterea Mantuani et Ferrarienses cum navibus incastellatis venientes, dabant sturmum ponti quem domnus Bossius habet iuxta rocham super flumen Ogii; et facto[f] ponte navium de substus supra Ogium Brixienses et Mantuani in magna quantitate eorum temptoria ultra flumen Ogii fixerunt.

In custodia vero roche erant 300 milites et multi pedites Cremone et ballisterii et multe bone baliste et victualia multa.

In proximo[g] mense Iulii posito igne, guerra et discordia in Cremona et Placentia sicut plus poterant predicti legati, cum ambaxatoribus Cremone, Placentie, Mediolani, Brixie et aliarum civitatum ad curiam domni pape equitaverunt. Ambaxatores vero[h] civitatum ibant ad curiam ad laudandum ipsos legatos de bonis operibus que fecerant in Lom-

a) Coni *addit Paveri.* b) ccorigio *c.* c) firẽ *c.* d) *ita et Paveri.* e) *lege* Mercurii. f) *ita codex; fracto ed. perperam; cf. infra.* g) Eodem *emendat Paveri.* h) equitaverunt ambaxatores. uero *c.*

98) i. q. carris.

bardia coram domno papa. Qui domnus papa loco ipsorum posuit archiepiscopum Ravene 1267. pro complendo malum quod ipsi legati non poterant adimplere. Cremonenses vero ante destruxerant Gibellum et Ragazolam et alia castra domni Uberti marchionis Pelavicini que habebat in fortia Cremone.

Eodem tempore Terdonenses se tradiderunt marchioni Montisferati rebellantes comuni Papie, potestatem eorum qui erat Papiensis de regimine expellentes, tractatu et operatione militum Papie qui Fallabrini dicuntur.

In proximo mense Augusti Mantuanni et Ferrarienses hostiliter cum navibus incastellatis et edifficiis venerunt ad ossiditionem loci Tezolarum, in quo erant 100 milites et pedites Cremone pro parte domni Bosii; et mora ibi facta quadam die posito igne in quodam castello lignaminum quod fecerant, proicientes ipsum castellum versus locum, accensus est undique locus, ipsum locum ceperunt; et multos ex eis detruncantes, ceteros in carceribus deduxerunt Mantuam: in quo loco multi prexonerii[99] Cremone Placentie et Mediolani erant capti, qui a dictis carceribus sunt penitus relaxati.

Die dominico, 9. mensis Octubris circa vesperas, Cremonenses et omnes quicum erant Oct. 9. in ossiditione roche, relictis ibi carris, vegetibus cum vino, tensis et trabuchis, et pontem navium quem super Ogium construxerant, recesserunt; quia intellexerant, quod rex Conradus secundus erat apud Bolzanum cum magna quantitate principum et militum, et quia nichil facere poterant vel nocere domno Bossio. Cremonenses vero muniunt civitatem, fatiunt fossata per burgos, fatiunt spaldos, timent ad mortem de adventu regis Conradi.

Die Veneris, 21. mensis Octubris, rex Conradus intravit Veronam cum maxima quan- Oct. 21. titate principum et militum. Erat enim etate 16 annorum, formosus et magnus de persona valde, et habebat in sua comitiva ducem Bayguerie, ducem Austrie, eius avunculos, comitem de Tirali et alios principes; fertur enim habuisse ibi 12 millia milites.

Et tunc rex Conradus dum esset Tridenti, episcopo Cumano et fratribus misit litteras continentes ita:

*Conradus secundus Dei gratia Ierusalem et Sicilie rex, dux Suevie, venerabili viro Raymondo de Lature episcopo Cumano, Napolioni et Francisco eius fratribus, universis etiam de cognitione[1] predicta spiritum consilii sanioris. Novit enim mundus nec est ut credimus a vestra noticia peregrinum, in quantum Urbanus tertius[a] episcopus urbis Rome diu perceptum[b] odium erga parentes nostros tunc effuderit contra nos[c] quum hereditatem nostram, videlicet regnum Scicilie, filiis contulerit alienis. Qui non solum hoc fatiens propriam ipsius conscientiam lexit[2], verum etiam contra voluntatem omnium cardinalium tunc temporis fratrum eius memoratum perpetravit excessum[d]. Tandem supervenit novissimus Clemens, cuius nomen ab effectu non modice distat, qui electionem factam de regno per predictum Urbanum in personam Karuli Provincie comitis, adeo funditus executioni mandavit. Cui predicto Karulo ipsius regni imposuit diadema; eidem suggerens quod tam regni quam corone collactio ad Romanam ecclesiam pertinebat. Ipse vero invasor publicus in facinore confortatus, in tantam pervenit audatiam furoris, quod non solum regnum Scicilie verum etiam principatum Taranti invasit, occisso Manfredo quondam principe Tarentino. Qui princeps etsi predictum regnum de iure non tenebat, quia tamen* per ipsum nulla fiebat comiti iniuria, non spectabat ad ipsum vindictam su-* *fol. 82. *mere de eodem. Cum igitur simus Tridenti cum quibusdam regibus et nonnullis principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et aliis militibus infinitis, et per eos qui iuxta nostrum latus[e] militant nobis assidue consulatur, quod ante quam progrediamur ad recuperationem regni nostri, provinciam Lombardie iugo imperii supponamus, idcirco vobis mandamus et tam corporis quam anime consulimus ad salutem, quatenus nostris velitis parere mandatis; quod facientes inter alios Lombardos confratres vestros[f] vos habebimus cariores. Alioquin in proximo nostrum expectetis[g] triumphalem adventum, quia militibus et peditibus sic nostram vallabimus civitatem, quod illi quos hactenus offendistis, de vobis tute poterunt sumere ultionem. Nec quisquam vestrum miretur, si vos in principio litterarum nostrarum non salutavimus. Non est moris, quoniam huc usque rebelles fuistis imperii; quos et hodie eadem labe polutos credimus, nisi que vobis mittimus faciatis. Non igitur a rege salutari meretur, qui contra regem tociens est molitus. Data Tridenti* etc.

a) *quartus.* b) preceptum *c.* c) nos quum *exciderunt in c.* d) excelsum *c.* e) lacus *c.* f) nostros *c.* g) expetetis *c.*

99) i. e. prisonniers. 1) i. e. cognatione. 2) i. e. laesit.

1267. Iterum misit potestati consilio et comuni Papie litteras continentes ita:

*Conradus secundus Dei grâtia Ierusalem et Scicilie rex, dux Suevie, dilectis amicis suis et fidelibus potestati consilio et comuni Papie, salutem et bone voluntatis affectum. Devotioni vestre presentibus declaramus, quod nos desideriis nostrorum fidelium annuentes, iam de Theotonice partibus in Ytaliam venimus et apud Bolzanum prope Veronam sumus; abinde sine mora venientibus principibus et aliis potentibus viris innumerabilibus cum multitudine gentium infinita qui nostram excellentiam cottidie subsequuntur, versus Karulum Provincie comitem, inimicum nostrum, cum tam ingenti gentium potentatu magnifice procedemus, quod faciente Deo nobis, non dubitamus ullatenus, quod eum totaliter prosternemus in terra quod imperpetuum non resurget, adversariis nostris et rebellibus ubique potenti brachio conculcatis. Ita quod sicut firma mente proponimus, ad honorem Dei per universam Ytaliam faciemus pacem et concordiam generalem. Vos igitur fideles ex adventu nostro pòtentissime fideles nostros ipsarum partium confortetis. Data Bolzani 4. mensis Octubris 10. indictionis.*

Eodem tempore comes Karolus Provincie castrum Podiibonizi in Tuscia ossedebat cum parte Guelforum de Tuscia, moram ibi faciendo a medio Iulii usque ad festum sancti Andree proximum. In deffensione cuius loci erant 1200 milites de parte Gibilinorum; et facto pacto interponente domno Octaviano cardinali, omnes forestati cum armis et rebus eorum evaserunt. Cui Karulo contradicebat dompnus Anricus frater regis de Castella senator urbis Rome cum Romanis et Gibillinis, Senensibus et Pisanis et aliis. Qui Karulus ira motus misit in Provinciam, et fecit comiti Iordano et comiti Bartholomeo, Petro Asino de Florentia, Aliprato et aliis quos in carceribus habebat, cuilibet ipsorum amputare pedem et manum, propterea quod de carceribus evadere volebant interficiendo custodes eorum; quibus ita devastatis, adhuc ipsos detinet carceratos aput Asiam[3] civitatem Provincie; erant enim primo in rocha Castellanne.

Eodem tempore Cremonenses et Placentini acceperunt per comitem Karulum potestates; et erat Guillelmus Standardus vicarius istius comitis Karuli in Lombardia cum 400 militibus Provincialibus.

Eodem tempore Papienses erant in magno tumultu, quia milicia Papie quibus dicitur Fallabrini, propter odium populi tractabant concordium cum Mediolanensibus omnimodo et Napolione de Lature, inimicis comunis Papie. Qui Mediolanenses in extate[4] proxima de mense Iunii ceperant castrum de Vegivalle et tenebant.

Interea domnus Detesalvus Bottus iudex, vir iam senex nobilis prudens et bonis moribus decoratus, fidelis semper imperii civis Papie, tractatum habens cum domno Ianono de 1268. Beccaria potestate populi Papie et aliis sapientibus Papie, prospiciens statum et conditionem Papie, in vigilia nativitatis Domini cum equitatoribus per Laudexanam ad rocham domni Bosii de Dovaria equitavit; deinde Veronam ad regem Conradum. Qui ab ipso rege et a principibus eius alacriter fuit receptus. Et habito tractatu et colloquio cum rege et principibus, in quo promisit regi se daturum ei securum transitum usque ad civitatem Pisis, ubi desiderabat esse super omnia, cum in Verona essent nuncii et magnates Apulie promittentes regi maximum thesaurum in Pisis se daturos; dux enim Bayguerie, comes de Tirali volebant regem in Alamaniam reducere, summa vi operam dantes ut reverteretur cum Ian 17. tota gente sua. Qui rex Conradus die Martis[a] 17. mensis Ianuarii cum quantitate militum suorum circa 3000 de gente Theotonica, Apulie, Tuscie et aliarum partium motus a Verona, venit Dexenzannum, et erat in sua comitiva dux Austrie. Sequenti die venit Gambara episcopatus Brixie, et transiens flumen Ogii per pontem de rocha domni Bosii, loquendo cum domno Bosio, ipsa die per episcopatum Cremone transiens venit Adduam, et transacto flumine Adue per Laudexanam, et transacto flumine Lambri pervenit apud Sanctam Christinam nemine sibi obviante neque contradicente, licet Mediolanenses magnum fecissent apparatum cum carocio contradicendi sibi et obviandi.

Ian. 20. Et die Veneris, 20. mensis Ianuarii, summo mane motus venit Papiam; honorifice a Papiensibus receptus fuit palium eidem desuper deferendo. Et domnum Mastinum de la Scala, civem Verone qui cum rege venerat, Papiensibus dedit et constituit in rectorem.

Ian. 29. Die dominico, 3. exeunte Ianuarii, milicia regis cum Papiensibus ceperunt et combuxerunt Laudem vegium, et tunc rex misit suos nuncios ad civitates et marchiones ut obedirent ei, set nullus de Lombardia excepto Alberto marchione Malaspina obedire voluit.

a) *recte*

3) Aix? 4) i. e. aestate.

Eodem tempore rex missit suos nuncios et litteras ad civitates Pisis et Sene et ad Gibillinos 1268. in Tuscia confortando ipsos de adventu suo.

Eodem tempore ambaxatores Pisarum venerunt Papiam ad regem Conradum, offerentes ei ex parte comunis Pisarum 17 millia uncias auri, ex quibus stipendiariis suis soldum persolvit. Similiter comune Papie donavit regi 12 milia libras Papiensium.

Eodem tempore dompnus Fredericus de Castella et Fredericus Lancia, Conradus Capitius, Nicola Maleta et alii fideles regis, servicio dicti regis navigio venientes auxilio regis Tunicani, intrantes in Sciciliam, invaserunt multa loca castra et civitates, capientes milites Karuli qui ibi erant pro eo. Similiter Saraceni de Nuceria et pars de Apulia et Callabria rebelles ceperunt esse Karulo, milites et rectores eius capientes et detruncantes.

Die Iovis, secundo mensis Februarii, comes Ubertinus de Lando qui erat ad rocham Febr. 2. suam de Bardi, civis Placentie, cum 70 militibus forestatis de Placentia de parte sua intravit civitatem Papie ad regem Conradum iurando ei fidelitatem et consilium eius, et domnus rex confirmavit ei totum comitatum Bonafrie adiuncto sibi comitatu Murisii[5].

Eodem tempore Ubertus Pellavicinus marchio cum suis nepotibus erat apud Burgum sancti Dompnini cum 200 militibus Parme forestatis, et tenebant Scipionem, Peregrinum, Gisaligium, Landaxium, Buxetum et Pisinam et alia loca. Et comes Ubertinus de Lando et pars sua tenebat rocham Bardi, Gazium, et Planum[a], et Montemarsitium, Monteregium, Petramcravunam, Senum, Zavatarellum, Gravagum, rebellantes civitati Placentie.

Similiter Brixienses erant in maxima divisione, quia dederant codigium Francisco de Laturi civi Mediolani potestati eorum, occasione 24 ossidum quos Mediolanum direxerat et aliis[6] extrahere volebat de Brixia, ita quod frater Tagionus de Manervio capitaneus partis sue cum multis magnatibus civitatis Brixie in castella episcopatus Brixie intraverat, et civitati Brixie rebellabat.

Die Mercurii, 8. mensis Februarii, comes Ubertinus de Lando cum 100 militibus fore- Febr. 8. statis de Placentia et 1000 militibus Theotonicis et milicia Papie ad tractatum prepositi de Fontana et Guidonis et Zagni fratrum eius qui nuper de civitate Placentia exierant, equitavit nocte silenti usque ad portas civitatis Placentie. Guido de Fontana habebat cum militibus pennonum pinctum ad arma sua, et Zagnus eius frater cum navibus et populo cum alio pennono per aquam ire debebat; set populus Papie noluit ire sicut ordinatum erat a Monticellis infra; bene enim intrassent omnes in civitate ab[b] aliqua contradictione; fuerunt *milites usque ad portas civitatis quod intrinseci non perpenderunt, magnus enim timor et *fol. 83. tremor fuit in civitate. In defensione cuius civitatis erant 400 milites Provinciales pro comite Karulo. Unde cum viderent quod non possent ibi aliquid facere, reversi sunt homines et bestias capiendo et domos quam plures comburendo.

Eodem tempore Karolus comes Provincie cum magno exercitu erat in episcopatu Pisarum devastando portum Pisanum; Multronum cepit, Sarzanam, et facto pacto cum Ysnardo Malaspina et comitibus de Fisco qui tenebant Pontremullum, dederunt sibi fortiam Pontremulli, et dimisis 400 militibus in Pontremulo et Sarzana et Lunensi, cum suo exercitu intravit Lucam volens et preparans se ire ad domnum papam qui erat apud Viterbium.

Eodem tempore Karolus misit suas litteras in Lombardiam continentes ita:

*Karolus Dei gratia rex Scicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Ardengavorum, Provincie et Fulcherii comes, dilecto suo Guillelmo Ostendardo senescalsco suo Provincie et Fulcherii, tenenti locum suum in Lombardia, gratiam suam et bonam voluntatem. Intellectis que nobis venerabilis pater archiepiscopus Ravanatis apostolice sedis legatus karissimus amicus noster et tu excellentie nostre vestris litteris intimastis, tibi facimus manifestum, quod nos dirupto fonditus castro porti Pisani et incensis omnibus aliis forticiis Pisanorum existentibus ultra Arnum, intelleximus Conradinum venisse Papiam cum illo exfortio quod habere potuit intendens venire in auxilium Pisanorum. Quamvis ante auditum adventum eius proposuissemus versus domnum papam et regnum nostrum dirigere gressus nostros, tamen volentes ipsi Conradino et omnibus quos secum ducere posset opponere obstaculum preliando contra eum viriliter et potenter, venimus Lucam, omnibus terris Pisanorum supra Arnum positis ignis incendio concrematis. Et intendimus in brevi aufferre terram Pisanis quam habent inter Lucam et Pontremullum, ita quod passus de Luca in Lombardiam et inde Ianuam sit aperte securus nobis, nostris venientibus et redeuntibus pro nostro servitio et nostrorum fidelium Lombardie et Tuscie.*

a) Complanum *ed.* b) absque *ed.* 5) i. e. Molisii. 6) i. e. alios.

1268. *et quod per viam brevem fideles nostri de Tuscia quando opus fuerit veniant in Lombardiam et Lombardi in Tusciam pro faciendis servitiis Romane ecclesie atque nostris; et iam gens nostra quatuor castra existentia in passu Pisanis abstulit et ea tenet comune Lucanum, scilicet castrum Leonis quod est in Petra sancta, et castrum Montisperfecti, et castrum Castelionis, et castrum Montis Cornaci, et plures*[a] *alias villas. Et cito venire Pontremullum, et ibi deliberabimus secundum quod conditiones terre tunc erunt, qualiter melius possimus Conradinum et Papienses et alios infideles ecclesie inimicos nostros fortius agravare, ossiditione vel alio modo, taliter quod amici exaltabuntur et inimici depressi remanebunt. Tu autem studeas more solito custodire terras, et passus quas tenes ipsi Conradino in quantum poteris impedire. Et si contingat eum de Papia exire et venire versus Tusciam, credimus et intendimus firmiter contra ipsum et gentem suam prelium facere viriliter et potenter; in quo prelio bene volumus personam tuam et aliorum nostrorum militum qui sunt tecum, et omnium aliorum de Lombardia quos habere poteris bono modo. Et bene vellemus quod Lombardi amici nostri ita facerent posse suum in servicio Dei et ecclesie atque nostro et suo proprio sicut facimus posse nostrum, et sicut faciunt inimici in servicio diaboli stando in excommunicatione et in servicio Conradini. Nam Papienses et Veronenses et homines Burgi sancti Dompnini sunt soli in Lombardia; nichilhominus cum Pisanis et parte Senensium et aliquibus pauperibus Gibillinis nutriunt Conradinum et militiam suam, et nostri Lombardi nullam militiam extraneam suis expensis habere voluerunt. Quare facta sua minus valent, et possent adhuc minus valere, nisi provideant sibi melius quam fecerint usque modo. Unde mandamus tibi, quatenus loquens cum legato et inducas eum ut convocet eos sine mora omnes de Lombardia ut mitant ambaxatores eorum ad parlamentum generale in Placentia vel alibi ubi viderit expedire, qui habeant plenam potestatem ordinandi et firmandi ossiditionem Papie et alia gravamina inimicorum et habendi militiam ultramontanam iusta posse eorum. Nam si voluerint ita facere suum posse sicut faciemus nostrum, nos ponemus omnes inimicos nostros in tali statu quod erunt confusi, ita quod imperpetuum non resurgent. Et nos erimus ita prope Domino concedente, quod mittemus de nostris sapientibus ad dictum parlamentum nostre conscios voluntatis; et si ambaxatores nostri ita cito non venirent, nichilominus procures predicta cum legato et ambaxatoribus quam cicius poteris. Data* etc.

1268. In proximo mense Marcii rex Conradus volens ad civitatem Pisarum accedere, cum non posset habere transitum de versus Pontremullum neque per Ianuam, habito consilio
Mart. 22. suorum magnatum, die Iovis, 22. mensis Marcii, de civitate Papie exiens, cum quatuor milibus militibus ad locum de Bosco districtus Alexandrie equitavit, et receptis 2000 peditibus illorum partium asoldatis per regem, quibus preerat Iacobus Amorotus de Lanzavegiis civis Alexandrie, cum toto exercitu suo equitavit in terras filiorum quondam Iacomi de Careto. Et inventis ibi undecim galeis Pisanorum, sicut ordinaverat cum Pisanis, in porto de Vay[7] prope Saonam intravit.

Mart. 29. 1268. die Iovis, 29. mensis Marcii, galeas asscendentes cum quantitate suorum magnatum militum quos secum voluit, licet mare esset in magna ferocitate, cepit navigare usque ad Portum Dalfinum; ubi magnates Ianue scilicet Spinulli, de Auria, de Castello, et alii venerunt ad eum loquentes sibi et faciendo sibi honorem sicut decuit.

Apr. 7. Die sabbati sancto qui fuit 7. mensis Aprilis civitatem Pisarum intravit, ubi fuit receptus honorifice a Pisannis maribus et feminis. Et contulerunt sibi equos vestes et arma et thesaurum magnum. Et quia galee non fuerant sufficientes ad tantam gentem portandum, iussit gentem suam Papiam reverti, dans eis pro rectore et capitaneo ducem Austrie. Qui dux cum tota gente sua die Veneris, 6. mensis Aprilis, Papiam est reversus.

Eodem tempore Karolus cum tota gente sua iam motus erat a Luca et equitaverat Viterbium ad domnum papam, vendendo Multronum Lucensibus pro 13 milibus libris, et Florentinis vendidit Podium Bonizum pro 20,000 libris, nec illud habuerunt.

Apr. 23. In vigilia sancti Georgii, die Lune 23. mensis Aprilis, Karolus comes Provincie facto tractatu in Viterbio cum domno papa et aliquibus forestatis Rome, missit privatim nocte marescalchum suum cum 2000 militibus Francie Provincie Picardie et comite de Anguileria et Bertoldo Rubeo et aliis militibus illorum parcium, et intraverunt urbem Romam. Quo facto rumor magnus insonuit in Urbe, ita quod dompnus Henricus senator Urbis, qui iam de tractatu sencierat, cum Iacobo de Napoliono et Petro de Vico et Anibalibus et populo

a) et plures *bis scriptum c.*

7) Vado. P.

Romano, prelium incipientes cum ipsis qui intraverant, ceperunt et interfecerunt ex ipsis 1268. circa 1000 milites. Qui Karolus dolore tactus, videns non posse facere quod optabat, neque posse in Tuscia regi Conrado resistere, et quod Saraceni in Nuceria rebellabant, in Apuliam equitavit.

Et in eadem vigilia sancti Georgii dux Austrie et comes Ubertinus de Andito cum om- Apr. 23. nibus forestatis de Placentia qui erant numero secum 100 milites cum tota gente regis Conradi, volentes ire ad regem Conradum qui erat in Pisis, intraverunt in episcopatum Placentie, facientes primam albergariam in Buriono, combuxerunt Olubram, Fontanam, Burgumnovum, Sarmadum, homines et bestias multas capiendo, et domos de Fargnanno combuxerunt, ubi multa victualia invenerunt ex dono Sequenti die Tolleriam, multas domos in itinere comburentes et homines et bestias capientes. Deinde Bardi albergaverunt in terra istius comitis. Postea per Valdetarium non attingentes Pontremulo, et Albertus Malaspina cum ipsis equitavit usque Sarzanam. Deinde ceperunt Massam equitando sine aliqua contraditione ad civitatem Pisarum, ubi rex Conradus eos expectabat. Et Iohannes de Luxiardo qui dictum comitem associaverat, et regressus, interfectus est a filio Alberti comitis de Fisco sine aliqua causa.

In proximo mense Iunii rex Conradus cum toto exercitu suo et cum Pisanis per epi- Iun. scopatum Lucanum usque ad pontem Sergii devastavit, et ibi stetit per 10 dies; in qua civitate erat magnus marescalcus Karoli cum 1000 militibus.

Interea ambaxatores Rome venerunt ad regem Conradum, rogantes ut Romam accederet sine mora. Qui motus cum toto exercitu suo, ad civitatem Sene[8] equitavit volens Romam accedere; ubi receptus fuit cum maximo honore a Senensibus, qui ei donaverunt 60 milia librarum illius monete, ex quibus militibus suis soldum persolvit trium mensium. Et moram faciendo ibi, prelium et disconfita facta fuit per gentes regis Conradi contra marescalcum Karuli et gentem suam, prout in litteris infrascriptis continetur:

*Conradus secundus Dei gratia Ierusalem et Sicilie rex ac dux Suevie, universis et singulis Lombardie fidelibus suis salutem et intime dilectionis puritatem. Ad leticiam cordis quod in exultatione nostra pro certo novimus[a] exultare, qualiter[c] et quibus successibus processus* fol. 84. *nostros divina potentia fortunavit hiis diebus, devocioni vestre presentibus enarramus. Cum enim Iohannes de Brassilia magnus Karuli marescalcus in Tuscia vicarius generalis, qui pridem ad depopulationem civitatis Lucane se nobis, licet a longe, semper opponere sattagebat, de Florentia civitate recedens die Lune 25. presentis Iunii versus Ariminum[9] se conferret cum Francigenis, Provincialibus et Picardis, et Guelforum multitudine numerosa: nos ipsius transitum prescientes, tempore noctis igneis intersignis magnificum principem Fredericum Austrie ducem, marchionem palatinum Verone, karissimum avunculum nostrum, Guidonem Novellum karissimum affinum[10] nostrum, Vescontem Pelavicinum marchionem, Croffum Teothonicorum in Ytalia morantium marescalcum, condilectos devotos et fideles nostros, cum quadam milicie nostre parte et honorabili milicia Sene curavimus mittere contra eos, quod ubicumque invenirent eosdem, invaderent viriliter et potenter. Qui cum eos in valle Arni ad pontem scilicet de la Valle per suum infortunium invenissent, aciebus instructis utrimque in eos tamquam leones esurientes ad predam audactiter irruerunt; qui licet se in principio tuerentur, ingentem tamen nostrorum molem et impetum nequeuntes sustinere ullatenus, fracti victique sunt omnes. Innumerabiles sunt interfecti, fuitque ibi strages mirabilis et cedes hominum inaudita qui per nostrorum gladios corruerunt. Marescalcus predictus cum multis aliis magnis viris in nostrum carcerem est deductus, plerisque per[b] fuge refugium absentatis, qui[c] per Gibillinos fideles nostros in illis partibus circumstantes sic occissi sunt postmodum quod aliquis eorum non evasit. Vos igitur fideles nostri assumentes ex predictis mentis constanciam et spiritum felliciorem, cum in hac parte dederit Deus nobis presagium manifestum et arras certissimas generalis nostre victorie secuture, totis viribus gaudeatis, firmam et indubitatam fiduciam obtinentes de victoria nostra, de qua subito habebitis dante Deo nostri desiderii efficaciter complementum. In quo prelio 600 milites de parte comitis[d] Karuli sunt interfecti, de parte regis Conradi tantum tres. Data Sene etc.*

Eodem tempore Karolus erat in ossiditione Nucerie, in qua civitate magnates de regno in defensione erant; et factis castellis ligneis a Karulo, intrinseci cavam facientes ipsa

a) *ita legendum;* noveritis *c.* b) qui *c.* c) *vocem inserui.* d) regis Karuli *in marg. addita eadem manu;* comitis Karuli *legendum esse videtur.*

8) scil. Senae. 9) Arretium? 10) i. e. affinem.

1268. castella combuxerunt, et prelio incepto gentes Karuli in fugam converterunt Reperitur in
hiis partibus cecidisse de gente Karuli duo milia milites.

Interea comune Pisanum et Fredericus Lancia et alii magnates de regno paraverunt
35 galeas et alia ligna, in quibus ascenderunt circa sex millia homines navigantes in Apuliam et Siciliam servicio regis Conradi. Et motus rex Conradus a civitate Sene, cum tota
gente sua equitavit Grossetum ducendo post se Iohannem de Bramsillia marescalcum
Iul. 24. Karuli et Amelium de Curbano vinculatos. Et die 24. mensis Iulii intravit Romam cum tota
gente sua; fertur enim tunc secum habere quinque millia milites. Cui regi dompnus Henricus senator Urbis cum Romanis venit obviam, et ipsum regem Romani honorifice receperunt; et mora facta in Urbe per 26 dies, habito consilio dicti senatoris et principum
Romanorum, ducis Austrie, Conradi de Anthiocia, comitis Galvagni et aliorum suorum
curie magnatum et dominorum exercitus, cum rex Conradus non posset per pontem de
Ceperano iter facere, per terram de Bruzio cepit festinare gressus suos. Et cum fuisset in
Aug. 22. valle Albe die Mercurii, 10. exeunte[a] Augusti, Karulus cum gente sua ultra aquam cui
Riale dicitur apparuit; fertur enim secum habere quatuor milia milites Francie, Provincie
Aug. 23. et Picardie, Campanie, Apulie et aliarum partium. Et die Iovis sequenti, in vigilia sancti
Bartholomei, dux Austrie et Croffus cum Theotonicis et Conradus de Anthiocia et comes
Gavalgnus, dompnus Henricus cum 300 militibus Yspanis et cum Romanis, vicecomes
marchio Pellavicinius cum Lombardis transeuntes aquam in hora tercie, primitus Iohanne
de Brasilia marescalco Karuli decapitato, inceperunt prelium cum duabus scheris militum
Karuli, et ipsis omnibus mortuis et disconfitis et fugatis, Karulus cum schera venit in campum ad bellum habens in sua comitiva 1000 milites. Ad personam cuius Karuli dompnus
Henricus de Castella cum Yspanis et aliis intendebat; et prelio fortiter existente, fuga intravit in gentes regis Conradi, propter quod ille Theotonicus qui ferebat vexillum crucis
cepit fugam, ille vero qui ferebat aquilam in prelio fuit mortuus; et reperientes suum regem
qui cum paucis militibus post eos remanserat, ipsum cum omnibus in fugam converterunt,
et habuit Karulus victoriam de campo toto. Qui rex Conradus cum militibus qui secum
erant ad castrum Vegium se reduxit. Karulus cum suis militibus in campo remansit. In
quo prelio magnus marescalcus Karuli armatus ad instar Karuli mortuus fuit a gente
dompni Henrici vel per ipsum dompnum Anricum, putantes Karulum interfecisse. Et dicitur quod utriusque partis tam gladiis quam pulvere et conculcatione equorum plus quatuor
milibus militibus et peditibus perierunt. Maior pars gentis regis Conradi que ex prelio evaserat, per gentes circumstancium partium sunt derobati et capti. Et in ipso prelio dompnus Henricus et Conradus de Anthiocia, consanguineus germanus regis Conradi, sunt capti.
Et Croffus istus[b] mortuus. Et tunc rex Conradus venit Vicoarium[11] cum quingintis mili-
Aug. 28. tibus qui ex prelio evaserunt; deinde intravit Romam die Martis, 28 mensis Augusti. Et
cum idem rex fuisset Rome reversus, voluit intrare in Capitolium quod comes Guido de
Montefeltro tenebat pro dompno Henrico; qui ipsum noluit ei dare, set ipsum dedit postea
parti adverse, scilicet parti ecclesie que in Urbem intraverat, pro quatuor milibus libris
Primnixinorum[12]. Que pars ecclesie habebat tantum[13] qui appellatur Guastum, et pars
contraria ecclesie tenebat Colliseum, et Ysolam sancti Petri, et castellum Iacobi Napoleoni, et castellum Sancti Angeli, et domum papalem, et domum Stephani Alberti. Et die
Aug. 31. Veneris sequenti proximo rex timens de forestatis Rome qui intraverant Romam, cum duce
Austrie et comite Galvagno et cum militibus qui secum aderant de Roma exiens, equitavit
ad castrum Saracenum quod uxor Conradi de Anthiocia[c] tenebat; et volendo ire in regnum
cum duce Austrie, comite Galvagno et Alioto eius filio, Napoliono filio Iacobi de Napoliono,
Rizardo de Anibalibus et parva Theotonicorum comitiva, in porto de Sture[14] capti fuerunt
per Iohannem Frangipanem. Postea ducti sunt in Prinistinum in fortia Iohannis de Collumpna. Et tunc marescalcus Karuli qui ibi erat, fecit comiti Galvagno et Alioto eius filio
et aliis captis in prelio capita amputare.

Eodem tempore domnus papa habito consilio suorum prelatorum, transmisit tres cardinales Neapolim, et Romani vocaverunt Karulum in senatorem Urbis. Et sic Karulus venit
Romam, et intravit Capitolium. Et intelligens regem Conradum cum aliis captum et detemptum, dimisso vicario suo in Roma cum Bertoldo Rubeo et aliis Romanis et suis militibus,

a) eunte c. b) istůs c. c) anthicia c.

11) Vicovaro. 12) privisinorum. 13) scilicet locum, i. e. Romam desertam. 14) Astura.

in Prinistinum equitavit, ita quod operatione cardinalium et proditione Romanorum dictum 1268. regem Conradum et ducem Austrie et dompnum Henricum et comitem Girardum de Pisis in carceribus Neapolim duxit. Cui Karulo tanta iniquitas et furor et malicia supervenit, quod predicto regi Conrado et duci Austrie et comiti Girardo de Pisis fecit in publico capita detruncari* — heu quis sustinere potest tantam malitiam et tantam iniquitatem factam per Karulum! Deus sit vindex[a] in iram — die Lune tercio exeunte Octubris. Oct. 29. Et dompnum Henricum de Castella in carceribus posuit.

Eodem tempore de mense Iunii et Iulii Parmenses cum toto exercitu suo erant in ossidicione Burgi sancti Dompnini, ubi steterunt per duos menses facientes guastum et trabucantes locum, et nichil facientes redierunt retro; in custodia cuius loci erant marchiones Pellavicini et 100 milites forestati de Placentia.

Eodem tempore Placentini erant in ossiditione castri de Seno comitis Ubertini de Lando, et steterunt ibi per 17 dies, et illud habuerunt affidatis personis; timor enim prevenit rusticos qui ibi erant, et ita timore perterriti reddiderunt castrum. Et habito ipso castro venerunt ad Sypionum, quod statim habuerunt ex pacto quod non debebant illud destruere. Verumtamen illud in continenti destruxerunt[b] et caminatam de Iocho.

Eodem tempore dompnus Fredericus de Castella, Conradus Capitius, Nichola Maneta cum aliis magnatibus Sicilie civitatem Palermi ossedebant, iam capta civitate Catanie in qua milites ex Francis et Picardis occiderunt.

Similiter marescalcus Karuli cum 1000 militibus equitavit versus Nuceriam, et preliando cum eis apud Foziam quinginti milites Karuli in ipso prelio per milites Nucerie sunt interfecti.

In proximo mense Novembris homines Burgi sancti Dompnini cum milicia forestata Parme, cum illis de civitate Parme concordium fecerunt et reversi sunt omnes in Parmam, et marchio Pellavicinus ivit ad Gisaligium. Et tunc Parmenses destruxerunt omnes muros Burgi et explanaverunt fossata.

Eodem tempore milicia Papie qui dicuntur Fallabrini intraverunt Bassignanam, et iuraverunt cum illis de Lature et cum comuni Mediolani, Placentie, Terdone[c], rebellantes civitati. Postea de mense Februarii proximi fecerunt pacem cum populo, et die[15] dominico 1269. Febr. 6. mensis Marcii pacifice intraverunt civitatem, existentibus dominis *Guillelmo de Petra *fol. 85. potestate populi, et Iacobo Butigella potestate militie, promittentes populo Papie dare pacem bonam cum omnibus circumvicinis comunis Papie.

In mense vero Augusti proximi comes Ubertinus de Lando et sui sequaces extrinseci de Placentia intraverunt et munierunt Petram Silleriam[16], et posuerunt in ipsa custodia 21 servientes de eorum parte. *Quando illi de Petra Sillaris fuerunt morti.* Qui tunc illam contractam robaverunt et combuxerunt. Quo audito per Placentinos intrinsecos, illuc in continenti equitaverunt; ipsi vero de lapide propter eorum stulticiam descederunt volentes cum illis de civitate preliari, et sic illi de civitate possuerunt homines de retro ipsos, ita quod in sumitate lapidis ascenderunt et ipsos de ipso lapide expulerunt, interficiendo omnes gladio ita quod nullus evasit.

De eodem mense comes Ubertinus de Lando volendo disturbare exercitum quem[d] Placentini intrinseci volebant facere ad Kalenzannum quo ire volebant tractatu habito in civitate Papie, cum suis sequacibus intravit in locum Montisdopnici rebellando civitati Placentie. Quo audito milites Placentie intrinseci illuc equitaverunt, et habuerunt ibi dedecus et recesserunt. Et die Iovis ultimo mensis Augusti iterum cum militibus Cremone et cum populo Placentie et hominibus vallis Tidoni illuc venerunt, et per tres vices illud castrum preliaverunt, et dapnum passi sunt et recesserunt. Et quia milites Papie illo tempore intraverunt Bassignanam, dictus comes et eius sequaces non potuerunt habere auxilium a comuni Papie; et quia locus ille debilis erat, ideo ipsum relinquerunt et combuxerunt.

De mense vero Septembris Placentini intrinseci propter securitatem quam habebant a militibus Papie qui Fallabrini dicuntur, iverunt cum toto eorum exercitu ad Kalenzannum,

* *In margine eadem manu haec adduntur:* In Sibilario talia reperiuntur: Veniet filius aquile, astur capiet illum, et murus antiquus destruet eum. Filius aquile id est heres imperatoris, Astur id est locus ille in quo captus fuit, murus antiquus id est quidam murus vetus antiquus in quo dampnatus fuit ad mortem extra civitatem Neapolis.

a) iudex *ed.* b) construxerunt *c.* c) Turdone *c.* d) qp *c.*

15) erat dies Mercurii. 16) Pietra Persciglieria hodie. *P.*

1269. in Municione cuius erat Razo de Kalenzano et alii multi usque in 60 de parte extrinseca de Placentia, et steterunt ibi per plures dies. Unde cum intrinseci de castro non possent plus se tueri, quia multi ex ipsis vulnerati erant ad sturmum, nocte silenti dictus Razo cum aliis de ipso loco privatim exivit; quod persencientes illi de civitate, ceperunt ex eis qui fugiebant circa 22, quos omnes suspenderunt et decapitaverunt.

Et in continenti moto exercitu iverunt ad Monteregium, ubi capitaneus erat pro comite isto[a] Zima de Boli; qui tum propter iniquitatem quam habebat tum propter fratrem eius qui captus erat ad Kallenzanum, affidatis personis ipsum locum Placentinis intrinsecis tradiderunt, et factus est Zima de parte eorum non corde set verbo.

Deinde moto exercitu venerunt ad Petram Clavunam, et in continenti Girardus de Cugulo qui erat capitaneus pro comite tracto de banno, illud castrum affidatis personis reddidit et tradidit eis.

Deinde iverunt ad rocham de Bardi ubi nichil fecerunt; set per vallem Zeni multas villas domni comitis combuxerunt; munierunt Gazium, quod dictus comes reliquerat quia non erat forte. Et Iohannes de Callamello et filii, qui erant familiares comitis istius, rebellaverunt comiti et parti sue; et munitum est Callamellum pro Placentinis intrinsecis; et moto exercitu reversi sunt in Placentiam.

Et post paucos dies illi de Bardi cum eorum gente per vim ceperunt Callamellum, et ipsum Iohannem et filios in carcere posuerunt, et multos interfecerunt et locum combuxerunt.

Die Martis, 12. mensis Marcii, in civitate iurata et firmata fuit pax tractata per milites Papie cum illis de Turre et comuni Mediolani, hoc[b] quod Papienses debent expellere omnes forestatos de Mediolano cum omnibus eorum familiis de civitate et districtu Papie, et comune Mediolani debet destruere Vegevallum et pontem; et alia multa pacta facta sunt inter eos.

Item iuraverunt pacem cum comuni Vercellarum, hoc modo quod Iacobus Tizonus et frater non debet intrare civitatem et episcopatum Vercellarum; alii qui sunt cum extrinsecis debent intrare episcopatum et non civitatem, gaudendo res suas; et alia pacta inita sunt inter eos.

Item iuraverunt eodem modo cum comuni Novariensi, et Torellus Torniellus non debet ingredi civitatem nec districtum, alii forestati cum eo debent intrare episcopatum, gaudendo res suas; et alia pacta sunt inter eos.

Item iuraverunt pacem cum comuni Laude, set eorum forbanniti in illa pace non sunt nominati.

Item iuraverunt pacem cum comuni Terdone, et Ribaldus Granone et alii non debent civitatem intrare set gaudere debent res suas; et alia pacta inter eos facta sunt.

Item iuraverunt pacem cum marchione Montisferati, et pacta multa sunt inter eos.

Item iuraverunt pacem cum Placentinis intrinsecis, verumtamen treuga[c] debet esse cum eis et suis forestatis cum multis initis inter eos, et iterum de pace debet tractari.

In proximo vero mense Ianuarii preterito Karulus comes Provincie ad defensionem Mixine[17] et Palermi et aliarum civitatem Sicilie que pro eo tenebantur, ultra illos milites quos ibi habebat circa 800 milites, misit illuc 1500 milites et multos sagitarios et alios bellicosos; et transierunt in Siciliam, et iverunt in Mixinam, deinde Cataniam. Ex altera parte ei obstabant don Fredericus de Castella frater regis de Castella, Conradus Capitius, Nichola Maleta et alii plures de Scicilia fideles quondam regis Conradi, quem dictus Karulus interfecerat; qui erant in Lintino[18] cum magna quantitate militum circa 3000; et cum illi de Karulo essent ad Caxam[19] in ossidicione, illi barones de Sicilia venientes versus illos de Karulo armata manu, prelio incepto multis ex utraque parte gladiis interemptis fecerunt magnum prelium; tandem don Fredericus de Castella qui retro remanserat cum schera 500 militum de Yspania, qui milites de morte appellantur, cum equis eorum cohopertis de coriis bovum, inpetum facientes in illos de Karulo, in fugam versos omnes[d] interfecerunt, omnes ceperunt, et habuerunt ipsi barones victoriam in totum. Et fuit ibi mortuus Guillelmus Standarius magnus senescalcus dicti Karuli, et Iohannes de Belmonte et alii multi principes et magnates dicti Karuli: et statim Mixina et Palermum et cetere civitates ad eorum precepta venire ut ferebatur tractaverunt, quod quidem ad finem non duxerunt.

a) ita c. b) scilicet modo. c) treugra c. — in marg. treuga scribitur. d) eos ed.
17) i. e. Messinae. 18) Lentini. 19) Sciacca.

De mense vero Novembris 4. exeunte domnus papa Clemens quartus ab hac luce expiravit 1268. indictionis 12. 1268. Nov. 27.

Eodem tempore Placentini intrinseci de mense Marcii iverunt ad Molfaxium, et ipsum locum munierunt et aspaldaverunt, et possuerunt in custodia dicti loci 80 milites de Placentia et episcopatu et de forestariis et pedites de civitate et episcopatu, ut possent illos qui morantur ad rocham Bardi offendere et dapnum facere. Quo scito et intellecto per Fredericum de Andito et alios forestatos de Placentia cum servientibus de valle Ceni et Tarii, die Lune, 19. mensis Marcii, illuc equitaverunt, et dato sturmo illi loco per girum, ipsos qui in ipso loco erant ceperunt et interfecerunt; et loco combusto ad rocham Bardi carceratos duxerunt, et multos equos et equas de armis habuerunt, et fuerunt captivi 60 milites et alii pedites multi. 1269.

In proximo mense Marcii domnus Bossius de Dovaria cum maximo thesauro exivit de rocha, et ivit Veronam pro habendis militibus in offensione civitatis Cremone; et stando ibi privatim misit milites suos de Papia assoldatos ad rocham, ubi relinquerat domnum Cavalcam de Amatis loco sui ut preesset illis de rocha. Unde cum predicti milites clam essent ibi de dicto mense, summo mane emisit de rocha somerios ponderatos; quos videntes illi de mota que appellatur castrum Gualterium situm iuxta rocham per duas sytatas[20], putantes thesaurum esse exiverunt de castro ut haberent illud; illi vero de rocha videntes ipsos longe a castro esse, exiverunt de rocha et possuerunt se inter ipsos et castrum, et inpetum facientes in eos, multos occiderunt, et multi necati sunt in flumine Ogii, et 77 ceperunt, quos statim Veronam conduxerunt carceratos. Et 38 in carris mortui conducti sunt in Cremonam, ubi fuit magnus fletus et stridor gentium. Plus enim a Cremonensibus intrinsecis timetur Bossius postquam de rocha exivit quam quando erat in rocha. Timent enim eum ne ipsos ex inproviso cum militibus Theotonicis decipiat et aufferat eis[a] terram.

1269. indictione 12, die dominico ultimo mensis Marcii, audita sunt tonitrua in *orbe terrarum. *fol. 86.

Comes Rizardus de Anglica qui dudum de voluntate ecclesie electus erat rex Romanorum per eos quibus spectat electio, transmisit litteras potestati Verone et comuni continentes[b] ita:

*Rizardus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, egregiis viris B. de castello Barcho potestati Verone, Uberto de Tabula-maiori capitaneo populi, Mastino de Scalis potestati mercatorum, ancianis, consilio et comuni Verone, dilectis devotis suis, gratiam suam et benivolam voluntatem. Prescripta fidei vestre devocio qua Romani decus imperii colitis et decorem, in vos a vestris generosis progenitoribus propagata, prout per litteras vestras nuper nobis transmisas gratanter accepimus et per fidos[c] interpretes alias fuit culmini nostro lucide patefatum, eo habundancius nostram revera letificat animam, eoque tripodius mentem nostram exylarat et fecundat, quo plenius ex oblatione vestra placidius nobis facta coniecimus[d], quod nequaquam a sanguine generoso degeneres[e], virtuosos patrum vestrorum inducti animos progressibus nostris gratanter aplaudatis, et obsequia graciora spondetis. Super hiis igitur obsequelis gratuitis ad quas[f] fidei pure ferventia[g] plene vos excitat, vobis ad grates uberimas inclinantes, vos universos et singulos loco et tempore dignis disponimus magnificare favoribus et benivolentie nostre[h] muneribus augere. Vos itaque culminis nostri dominium[i] leti et ylares ampletantes, de nostre benivolentie graciositate confidite, que in cuntis vestris egendis procul dubio universitati et singularitati vestre non deerit, prout locorum et temporum exigerit altitudo. Cum itaque cum strenua milicia Theotonice duce[k] Domino ingredi disponimus Ytaliam, petimus obsecrantes, quatenus coadiutorum vestrorum animis indagatis[l] per simplicem nuntium nobis quam citius[m] remandetis, quod et quale a vobis et eis subscidium expectare possimus. Dat. Gormacie 20. mensis Marcii, indictionis 12, regni nostri anno 12.*

Die Mercurii, 8. mensis Madii, domnus marchio Ubertus Pelavicinus obiit, et sepultus est in castro suo de Ghisaligio[21]. Fuit enim sapiens multum in operibus seculi plus quam 21 umquam fuerit aliquis Lombardus Lombardie, largus, curialis, probus, et sagax in prelio; rexit enim per longum tempus totam partem imperii in Lombardia et in Tuscia. Fuit enim uno eodem tempore dominus civitatum Cremone, Mediolani, Brixie, Placentie, Terdone, Alexandrie, et pro eo faciebant sicut volebat Papienses, Pergamenses, Parmenses, Regini,

a) ei *c.* b) continenti *c.* c) fides (e *adscripto alia manu*) *c.* d) coniectimur *c.* e) degeneret. Virtuosos *c.* f) quis *c.* g) freuentia *c.* h) nostris *c.* i) dominii *c.* k) dicte *cod.* l) indegatis *cod.* m) citius *deest.*

20) ictus sagittarum, sagittata. 21) Piave di Gusaliggio. *P.*

1269. Mutinenses; et per dominationem quam habebat de civitate Mediolani, faciebant pro eo Laudenses, Novarienses, Cumani; et multe partes aliarum civitatum Lombardie pro eo faciebant, et magnum honorem ab eis consuetus[a] fuit in Lombardia tempore vite sue. Et reliquit post se filium unum nomine Manfredum, et tres filias quas dimisit in custodia domínorum Ubertini et vicecomitis Pelavicinorum nepotum suorum; recommendavit ipsos domno comiti Ubertino de Andito et domno Bossio de Dovaria et parti Cremone et parti Placentie, et comuni Papie, et parti Parme. Finis eius bonus fuit, cum ministris ecclesie fratribus Predicatoribus et Minoribus et prelatis ecclesie multis confessus fuit peccata sua, absolucionem peccatorum eius recipiens; et omnia sacramenta ecclesie sane mentis compos[b] recepit; pro quibus creditur eius animam ad celestem curiam pervenisse.

De mense Madii marchio Montisferati cum tota gente sua, et 100 militibus Terdone cuius dominus erat, et cum 50 militibus de parte Fallabrinorum Papie qui eorum expensis 22 cum eo iverunt, ivit super homines Ubree[22], volens ipsos suo dominio superare et subponere, devastando ipsos per girum; et stetit ibi per 10 vel 8 dies, et redivit; et multi de Vercellensibus et de civitate Papie et episcopatu in auxilio illorum de Yvrea fuerunt.

Mai. 28. Die Martis[23], 27. Madii, potestas partis[c] Sumarivorum de Lauda cum bene 200 de parte illa, discordes a Sucio de Vistadano et a populo Laude, exiverunt de civitate; alii iverunt Mediolanum, alii Castelionum, et alii per alia loca. Quorum occassione orta est discordia maxima inter Suzium de Vistadino[d] et populum Laude ex una parte, et Napoleonem de Turre civem Mediolani potestatem Laude qui ipsos adiuvabat ex alia, que crescit de die in diem.

Die Veneris, ultimo mensis Madii, cum due porte militum Cremone, silicet porta Natalis et porta Sancti Laurentii, ivissent ad rocham domni Bossii de Dovaria causa standi super laboratores qui fodebant circam[24] quam faciebant fieri Cremonenses intrinseci iuxta rocham ut ipsam ossederent, et cum in hora none milites assecurati sic starent, alii dormiebant et alii ludebant ad umbras, videntes hoc illi de rocha. caute exiverunt de rocha cum maxima audacia et impetum fecerunt in ipsos, ita quod ipsos in fugam vertentes multos ceperunt et multos occiderunt de illis de civitate; et fuerunt illi de rocha numero 25 milites et multi pedites et ballistarii, et multos de laboratoribus occiderunt; et reversi sunt in rocham cum magno gaudio.

Postmodum predicti de rocha in octava predicti diei, cum illi de castro Gualterio exivissent extra causa offendendi illos de rocha, insultum in eos fecerunt et interfecerunt ex eis quatuor milites, et 15 equos ceperunt; et unus de illis de rocha captus fuit et alius interfectus.

Iun. 4. Die Martis, 4. mensis Iunii, Placentini intrinseci nolentes treuguam ordinatam per milites Papie inter ipsos et domnum comitem Ubertinum de Lando et eius sequaces extrinsecos de Placentia, cum tota eorum milicia et cum populo trium portarum civitatis et cum hominibus episcopatus Placentie, et cum 61 militibus sive cavalcatoribus Bononie qui in eorum secursum venerant, propterea quod Albertus de Fontana civis Placentie de parte intrinsecorum de Placentia erat eorum potestas, et cum 40 ballisteriis Mutine, et cum aliquibus militibus Parme, et cum hominibus forensibus de episcopatu Parme, iverunt ad ossiditionem roche de Bardi, que optime guarnita erat per dictum domnum comitem et partem eius de omnibus neccessariis et probis viris, tam burgum quam castrum sive rocham; et erant ibi in municione dicte roche quatuor trabuca et turicia multa et 315 boni et probi viri, inter quos erant 25 ad equos et 8 capitanei, scilicet Girardus de Superchо de Andito, Ubertus de Piris, Albricus de Boli, et Ianacius de Andito, et Fulcho de Albuzanno, et Albertus Cirexia; et comes Ubertinus cum bene 100 militibus de parte illa erat ad Gravagum offendendo exercitum quantum poterat, defendendo terram suam. Guillelmus vero de Sancto Nazario sive de Petra, cugnatus dicti comitis, tantum fecit et operatus fuit in Papia, quod per comune Papie assoldati fuerunt ducentum cavalcatores[e], qui stando ad Bronas multas offensiones et dampna fecerunt Placentinis intrinsecis, domos et villas episcopatus eorum usque in Treviam comburendo et oves et boves et homines capiendo et derobando per quindecim dies[f].

a) *ita codex;* consecutus *ed.* b) compons *c.* c) par' *c.* d) *ita c. hic.* e) calcascatores *c.* f) *alia manus in quaternione alio incipit.*

22) i. q. Ivreae. 23) erat d. 28. Madii. 24) circulus.

Die Lune, 15. mensis Iulii, comes Ubertinus de Lando venit in Papiam pro petendo auxilio et succursu a comuni Papie; et habito consilio comunis Papie dederunt sibi in auxilio 1000 libras Papiensium, quibus habitis adsoldavit 200 milites et 50 ballisterios quibus solvit soldum 15 dierum; cum quibus ivit ad Zavatarellum die Martis, 30. mensis Iulii, pro faciendo guerram Placentinis intrinsecis de versus partes illas. Papienses enim nolebant quod de versus terras suas faceret guerram. Illi vero de rocha Bardi videntes burgum Bardi non posse tenere, timentes de victualibus propter multitudinem virorum qui intus erant qui erant 400 inter magnos et parvos, die Iovis, 22. Augusti, in nocte deliberato conscilio cum illis de Gravago, 318 ex eis extra miserunt, qui libere et secure iverunt, ita quod illi de exercitu non perpenderunt, et rocham Bardi de bonis et probis viris bellicossis guarniverunt et de omnibus victualibus; et illis qui extra exiverunt non multum longe a rocha distantibus, intus burgum et per turicia et per spaldum et berteschas illi de rocha ignem posuerunt, reducentes se super rocham sine aliquo dampno; de quo facto Placentini intrinseci condoluerunt. 1269. *fol. 87.

De mense vero Iulii cum domnus Bossius de Dovaria sciret rocham suam male guarnitam de victualibus, congregatis bene 1000 militibus Verone et soldateriis suis cum magno mercato victualium venit in episcopatu Brixie; et cum vellet per Senigam transire ad rocham guarniendam, Bochacinus de Manervio et Taionus de Manervio et pars Brixiensium extrinsecorum noluerunt sibi transitum exhybere; et relicto mercato victualium in quadam villa ibi prope, ipse cum militibus suis redivit ad Pescheriam; non enim poterat Ogium transire pre multitudine aquarum. Quo scito per Cremonenses intrinsecos, illuc[a] equitaverunt et dictum mercatum ei abstulerunt. Unde Gandilionus de Dovaria et Cavalca de Amatis capitanei pro domno Bossio in dicta rocha et alii qui ibi erant, videntes quod non poterat habere victualia, quia consumata erant omnia victualia in ipsa rocha ita quod non poterant se plus tenere, habito tractatu cum Cremonensibus intrinsecis mediantibus Pergamensibus, contratis[b] omnibus qui ibi erant de banno ita quod possent eorum bona gaudere stando extra districtum Cremone et eorum familie in episcopatu, conductis omnibus rebus que in ipsa rocha erant ad civitatem Pergami sane et secure, ipsam rocham dederunt Cremonensibus intrinsecis, qui[c] illam illico destruxerunt. Actum est hoc die Iovis, 25. mensis Iulii.

Eodem tempore orta est discordia inter comitem Sancti Bonefacii ex una parte et marchionem de Est ex alia, occasione quod marchio volebat quod Rufinus de Ianuchallis et pars sua que expulsi erant de civitate Mantue per Planamontem et per partem[d] suam rediret in civitatem, comes et ipse Plenamons et Matheus de Corigio resistebant; qui habito tractatu venire fecerunt in civitatem milites Parme circa 200; et incepto prelio expulsus de civitate Mantue dictus marchio et omnes illi qui cum eo tenuerunt, et ivit Ferrariam; et hoc fuit in mense Aprilis proximo preterito. Comes et Plenamons et pars eorum obtinent dominatum Mantue, et Marchus de Corugio civis Parme, qui erat tunc potestas Mantue, cum eis partem eorum fovebat.

Eodem tempore rex Karulus asedebat[e] Nuceriam cum maxima quantitate militum et peditum, et fecit castrum unum valde magnum prope Nuceriam; illi de Nuceria fortiter resistebant ei, et multa prelia facta sunt ibi. Illi de Nuceria nichil timent eos.

Eodem tempore maxima discordia erant inter cardinales Rome qui erant 17; 11 ex ipsis, scilicet domnus Ricardus de Anibalibus, domnus Octavianus, domnus Ubertus de Coconaria et alii, fovebant partem imperii, alii, scilicet domnus Iohannes de Gaytanis, domnus Octobonus de Fisco et alii, fovebant partem Karoli, et erant in Viterbio ita discordes; una pars volebat pastorem de ultramontanis partibus scilicet illa Karuli, alia volebat pastorem Ytalicum et imperatorem, ut unus in spiritualibus et alius in temporalibus mundum, sicut ius postulat, gubernaret.

Die Iovis, 8. mensis Augusti, Mediolanenses ad instanciam Napolionis[f] de Lature et illorum de domo sua qui dominium[g] illius civitatis Laude obtinebant, propter quod Laudenses Monseti[25] nolebant dominium dicti Napolionis plus habere quod per multos annos obtinuerant, 25 et quia videbant illos de Lature contra eos partem Sumarivorum suorum inimicorum fovere et substinere et ipsos velle penitus destruere, eorum carocium extra civitatem conduxerunt ipsos diffidantes, in publica contione provocantes omnes amicos suos de Lombardia ad

a) illud *c.* b) *scilicet* omnibus extractis de banno. c) quod *cod.* d) artem *c.* e) *ita c.*; *i. q.* obsidebat. f) Napalionis *c.* g) dominum *c.*

25) pars ab olim Overgantis, et iam Summarivis opposita.

1269. exercitum cum eis super Laudenses venire. Laudenses vero preparant se tueri ad bellum et amicos acquirere, firmantes inter se quod pars Overgnagorum, que extra civitatem Laude steterat per 18 annos, veniat in civitatem; qui Overgnaghi maximum faciunt apparatum intrandi in civitatem Laude, et in maxima concordia cum domno Sucio et populo Laude.

Aug. 10. Die sabbati, 10. mensis Augusti, congregatis in civitate Laude ambaxatoribus Cremone, Placentie, Parme, Pergami, Creme, Cumarum[a], Brixie, Novarie et Verzellarum, ad instantiam et tractatum illorum de Lature, in consilio generali civitatis Laude propossuerunt et narraverunt magnitudinem illorum de Lature et potentiam eorum, petentes ab eisdem[b] de Laude ut se compromiterent in eos de questionibus et discordiis que sunt inter ipsos et illos de Lature, et quod de facto Overgnagorum et parte ipsorum exlinquerent arbitrio illorum de Ture, multas minas inferentes illis de populo Laude et illis de Vistadino, diffidentes etiam eos si non facerent predicta que petebant; de quibus verbis magnus rumor fuit in illis de cunsilio Laude dicentibus: *Non, non.*

fol. 88. Et responso accepto a domno Sucio quod illi de Vistadino et populus Laude non erant homines alicuius, set erant sui, et quod illi de Lature facerent facta sua; quod nolebant aliquo modo eorum dominium; recesserunt et iverunt omnes Mediolanum; et familia vicum Laude quod illis de Lature, cum eis recessit, et illo die post nonas consilio generali ellegent[c] in potestatem Laude donec aliud fiet domnum Sucium[d] de Vistadino, et miserunt pro

Aug. 14. Overgnaghis. Qui facientes magnum apparatum sicut poterant, die Mercurii, 14. Augusti, honorifice intraverunt in civitatem, ubi cum magno gaudio a domno Sucio et illis de populo Laude recepti sunt; et continuo nocte venienti equitaverunt ad Maleum, quod totum combuxerunt, multos occiderunt et multos ceperunt, oves et boves et multas robas lucrati sunt.

Die Veneris, 9. mensis Augusti, congregato consilio generali comunis Mantue, more solito placuit omnibus nullo contradicente quod omnes illi de Riva et illi de Savile et qui pro eorum parte erant, extra Mantuam diu expulsi, sane et libere et secure possint et eis liceat morare civitate Mantue; qui[e] maximum facientes aparatum, die Iovis, 30. Octubris, intraverunt civitatem Mantue.

*Magnifico et egregio viro domno Uberto marchioni Pelavicino suo tamquam patri, Conradus Capicie Dei et regia gratia comes Esculi, in regno Scicilie magister iusticiarius et per totam Sciciliam capitaneus generalis, cum recommendatione[f] se totum et paratum ad grata servicia et obsequia voluntatem. Per multas litteras nostras magnitudini vestre transsmisas, per quas personam nostram devocionem obsequia et negotia nostra vobis affectuose commendavimus tamquam patri, et eciam per famam volatilem ad audienciam vestram credimus pervenisse, qualiter super exaltacione regii nominis et honoris in insula Scicilie ad quam de mandato et commissione illustris domini nostri regis Conradi secundi accessimus, tam longo tempore iam transacto in recuperatione ipsius insule ad demanium regium de manibus Karoli hostis humani generis, regni publici invasoris, ac[g] relevacione iusticie totius prolis cesaree, ultra spem hominum manus Altissimi, que patrona est iusticie regie, nos actenus prosperavit et fecundat assidue felicibus incrementis. Nunc autem quia credimus quod in audienda felicitate successuum regie celsitudinis vestra magnificencia delectatur, vobis ad gaudium nunciamus, quod cum quidam exercitus Francigenarum Provincialium et Picardorum ab eodem Karolo destinatus in Sciciliam accessisset tam suis quam quorumdam proditorum[h] Scicilie sibi complicium agregatis viribus copiosis, et ad obsidendam civitatem Agregenti ubi cum toto regio exercitu morabamur,*

26 *tamquam audax et temerarius presumpsisse fixerunt*[26] *castra sua, nos in Dei nomine et virtute et fortuna regie maiestatis una cum toto regio exercitu die sabbati primo mensis Iunii 12. indictionis in ipsos et eorum castra potenter inivimus, et inmisso igne in temploriis et teguriis eorumdem eos debelantes in momento de campis eicimus, infinitis eorum occisis gladio, igne combustis, et reliquis in fugam dispersis. Trecentos vero[i] de Francigenis in conflictu captos capite fecimus decollare; que iudicii severitas in omnibus Francigenis et prodictoribus quos habere possumus propter eorum nequiciam exercetur. Ad insequendas etiam reliquias ipsorum proditorum[h] fugientium et conterendam nequiciam aliquorum proditorum[h] qui adhuc in rebellione perdurant sic potenter procedimus[k]; quod speramus in Domino totam eandem insulam*

a) cunarum *c.* b) eydem *c.* c) ellegerunt *ed.* d) sucius *c.* e) q *c.* f) ne *abscisum.* g) a *c.* h) prodictorum *c.* i) dispersis trecentos § vero *c.* k) poterunt quod cedimus *c.* 26) i. e. presumpserunt fixisse castra.

*regis mandatis in proximo subiugare. Verum quia de sacro adventu illustris domini nostri* 1269.
*regis Frederici ad hereditarium regnum suum nova felicia nostris desideriis et expectationibus advenerunt, ad cuius sacrum conspectum nuncium nostrum domnum Crirenbene latorem presentium super acceleracione adventus sui et aliis que*[a] *extollunt sue solium dignitatis presencialiter destinamus, nobilitatem vestram deprecamur attente, quatenus nos et eundem nuncium nostrum ac nostrorum expedictorem negotiorum aput benignitatem vestram recipientes, si dignemini, commendare*[b] *vobis placeat nos et consciencie*[c] *fidem et devocionem, ac super*[d] *nostra merita in occulis consciencie predicti domni regis veritatis testimonium presentare et suo conspectui commendare. Et si mandatis vestris servire possumus ad has partes, ad ipsa exequenda nos offerimus devotione et promptitudine datos et paratos. Scripta Agrigenti* 11. *mensis Iunii,* 12. *indictionis*[27]. 27

Die Iovis, 15. mensis Augusti, prepositus de Fontana, Guido et Cagnus de Fontana, fratres consanguinei germanii comitis Ubertini de Lando, qui forbaniti[e] erant cum ipso comite de civitate Placentia, absque consciencia dicti comitis et partis extrinsece de Placentia pepigerunt cum Placentinis intrinsecis, et iverunt ad standum[f] in confinibus in civitatem Mediolani, et familie eorum iverunt ad standum in civitatem Placentie.

Die Lune, 19. mensis Augusti, potestarie[g] Mediolani cum milicia et populo exuntes de civitate Mediolani, cum eorum caracio versus civitatem Laude exiverunt, et conduxerunt ipsum carocium usque ad Sanctum Stephanum longe a civitate Mediolani per 7 milliaria expectando ibi gentem suam et amicos eius; die Iovis 22. mensis cum carocio et gente sua iverunt usque ad Mellegnanum, expectantes ibi gentem suam[h] et amicos[i] suos.

Eodem tempore Laudenses operabantur et dabant studium pro posse ut haberent comune et homines Papie pro amicis; qui miserunt Papiam duos ambaxatores, scilicet Raynum de Vistadino et Bernardum Rizonum, pro iurando et firmando pacem et fraternitatem inter se, taliter ordinantes licet displicetur[k] militibus Papie qui Fallabrini dicuntur; quod conscilium generale comunis Papie in concordia fuit isto die Iovis, ut homines Laude reciperentur in fratres et amicos et socios a comuni Papie; et die Lune, 26. mensis Augusti, iuraverunt societatem et fraternitatem cum hominibus Papie in consilio generali comunis Papie, ad quod conscilium domnus Iacobus Butigella[l], potestas militum Papie, esse noluit, nec milites Papie qui Fallabrini[m] dicuntur; alii omnes interfuerunt cum magna leticia atque gaudio Marchaboti milites et populus.

Eodem tempore Mediolanenses cum toto eorum exforcio et cum carocio erant prope Laudem vegiam devastantes per episcopatum Laude; cum quibus erant parva quantitas militum *Vercellarum et parva quantitas militum Novarie, verumtamen expectabant Perga- *fol. 89.
menses et Cumanos[n].

Eodem tempore rex Castelle et infans dom Petrus primogenitus regis Aragonensis transmiserunt in Lombardiam Raymundinum de Mastagiis, civem Cremone, cum litteris credencie ad amicos imperii in Lombardia et in Tuscia in malum et decrementum[o] regis Karoli comitis Provincie. Ille rex Castelle propter don Anricum fratrem suum, quem in carceribus detinet, et infans dom Petrus propter regem quondam Manfredum socerum eius quem ipse Karolus occidit aufferrendo sibi regnum Scicilie, quod ad se dicit pertinere pro uxore eius. Qui tantum operatus est in Lombardia pro ipsis regibus, quod amici omnes imperii de Lombardia suos syndicos et procuratores ad regem Castelle et ad infantem dom Petrum pro factis et imperii transmiserunt, scilicet Gualterium Rognam civem Papie.

Die Mercurii, 18. mensis Septembris, Mediolanenses factis guatis[28] arborum et vinearum iuxta civitatem Laude cum amicis eorum quos habere potuerunt, scilicet 50 militibus Novarie et totidem[p] Vercellarum et peditibus ipsarum civitatum et peditibus Creme in parva quantitate sicut plus poterant, redierunt ad Laudum vegium, et capta custodia fortitudinis que ibi erat per pactum custodiencium, factis[q] fossatis et spaldis circa Laudum vegium et relicta ibi custodia militum et peditum civitatis Mediolani, cum sumariis et banitis civitatis Laude ad propria sunt reversi.

a) qui *c.* b) commendant *c.* c) condicione *c.* d) *deest in c.* e) fontaniti *c.* f) stadum *c. hic.* g) Poteie *c.* h) sua *c.* i) amico *c.* k) *ita c.* l) Burigella *c.* m) faclabrini *c.* n) cumanos *c.* o) *ita c.*; an detrimentum? p) tardē *c.* q) facis *c.*

27) Epistola defuncto iam Uberto Placentiam venit. 28) i. e. guastis.

1269. Eodem tempore de mense Augusti proxime preterito rex Aragoni cum quantitate militum armatorum transivit ultra mare pro danda filia sua in uxorem regi Tartarorum sicut publice ferebatur, set propter turbationem maris[a] reversus est ad propria quod non potuit ire.

*Pactum quod fecerunt Ianuenses cum rex Kallo manu scribae. Aevius quaternionis in marg.*

Eodem tempore de mense Augusti Ianuenses pro comuni federati sunt cum domno Karulo[b] comite Provincie qui se regem Scicilie appelabat, promitentes sibi 10 galeas armatas, eorum expensis, tribus mensibus anni propter penuriam blave quam habebant, dantes etiam codigium de districtu[c] Ianue omnibus Pisanis et Senensibus et omnibus Gibilinis et omnibus de regno inimicis dicti Karoli; et ipsi Ianuenses in terra dicti Karoli debent esse liberi et habere blavam precio, sicut tempore condam regis Manfredi habebant.

Eodem tempore de mense Septembris comune Alexandrie precio 15 millium librarum Papiensium emit a domno Fallavello de Fallavellis cive de Terdona castrum et forticiam Seravallis contra voluntatem comunis Terdone et marchionis Montisferati; propter quod videtur orriri maxima discordia inter Alexandrinos et Terdonenses et marchionem Montisferati qui tunc erat dominus Terdone.

Eodem tempore de mense Septembris maximus terre motus ortus est in civitate Anchone, ita quod turres et muri et domus illius civitatis cadunt et dirruunt mirabiliter, et timor et tremor valde est in populo et gente illius civitatis, ita quod omnes illius civitatis magni et parvi exiverunt de civitate ad travachas et pavilionos sicut essent in exercitu, et tam terribilis est ille terre motus quod numquam fuit auditus a recordatione hominum citra.

Eodem tempore de mense Septembris illi de Nuceria propter longam obsidicionem quam Karolus dictus rex Scicilie eis fecit deficientibus sibi victualibus, se tradiderunt in forcia et virtute dicti regis. Qui Karolus atrocitate sceleris inflamatus, Conradinum filium naturalem condam regis primi Conradi quem ibi invenit, cui illi de Nuceria obedibant propter 29 amorem patris, fulchis[29] suspendit, christianos quem[d] ibi invenit variis penis cruciavit[30].

Die Veneris, 4. mensis Octubris, infrascripte littere transmise sunt in Lombardiam per illustrem virum domnum Fredericum[e] tertium, habiaticum[f] quondam[g] domni Frederici imperatoris, continentes ita: *Fredericus tertius Dei gratia Ierusalem et Scicilie rex, dux Suevie, lantigravius Dhurengie et Saxonie comes palatinus, comiti Ubertino de Lando dilecto amico suo salutem et amorem sincerum. Cognita nuper nobis devocionis et fidei puritate quam ad quondam predecessores nostros habuisti, et qualiter circa eorum servicia te gessisti sollicite et devote, et ad nostra*[h] *te geris viriliter quantum potes*[i]*, firma mente proponimus et numquam ab isto proposito recedemus, te et heredes tuos tamquam bene meritum et fide dignum ampliare gratia beneficiis et honore*[k]*. Quapropter devocionem tuam hortamur attente rogantes, quatenus circa nostra servicia et alia omnia que nostrum tangunt commodum et honorem, sic in ipsis partibus*[l] *insistas viriliter et ferventer, sicut de industria tua semper confidimus et speramus. Et ut de felici*[m] *processu et adventu nostro ad partes*[n] *ipsas tuus animus gratuletur, noverit devocio tua quod ecce assistentibus nobis excellentissimis et potentissimis principibus domno marchione Missinensi et Orientali, avo nostro karissimo, domno lantigravio Duringie*[o] *ac Saxonie comite palatino, dilectissimo patre nostro, domno Thoderico marchione de Landesburge*[p]*, patruo*[q] *nostro dilecto, necnon magnifico principe domno rege Boemie, reverendo socero nostro, venire proponimus duce Deo et*[r] *magnifico potentatu, ut amicos devotos et fideles nostros ad felicem statum et prosperum reducamus, innimicos eciam siqui contra nostram potenciam oponere se voluerunt taliter conculcantes, quod per potencie nostre brachium feriantur ut corruant et de cetero non resurgant. Dat apud Lubentale*[31] 10. *Kalendas Septembris.*

*Albertus Dei gratia Dhurengie lantigravius et comes Saxonie palatinus, nobili viro comiti Ubertino*[s] *de Lando karissimo amico suo salutem et sincerum amorem. Super fidelitate sincera*[t] *nobis et filiis nostris et filiorum nostrorum progenitoribus exhibita temporibus ex antiquis serenitati*[u] *vestre ad plenum gratiarum refferre non possumus actiones. Set litteras quas misistis karissimo filio nostro tertio Frederico*[e]*, satis recepimus honorifice et gratanter. Ideoque dilectioni*

a) marii *c.* b) Kallo *cod.* c) distructu *c.* d) quos? e) *ita correxi; codex hic et aliis in locis* Rex. f) habiacicum *c.* g) qdā *saepius c.* h) nr̄a *c.* i) petes *c.* k) honere *c.* l) ipsa paratibus *c.* m) filici *c.* n) parates *c.* o) durigie *c.* p) laudesburḡ *c.* q) paneio *c.* r) cum? s) Albertino *c.* t) *ita emendavi;* seuena *c.* u) serenitari *c.*

29) i. e. furcis. 30) Litterae hunc ad locum ab editore Parisiensi Cl. Huillard laudatae et in Commentariis Academiae regiae Belgicae a. 1850. in fine, p. 16 a Cl. Kerwyn de Lettenhove evulgatae parvam fidem sibi conciliant, dum ibi et Conradinus a Saracenis Luceriae Karolo traditus fuisse scribitur. 31) Liebenthal in Thuringia.

*vestre presentibus innotescat, quod ob spem litterarum et legationum vestrorum nobis per vestros*[a] 1269.
*nuncios directorum, ad viam veniendi ad partes vestras nos interposito conscilio omnium amicorum nostrorum, videlicet principum comitum et baronum insuper manu fortissima bellatorum cotidie et continue pro viribus preparamus, volentes intenti esse animo ex libenti ad omnia que vestram et filiorum et amicorum vestrorum exaltationem respicere dinoscuntur. Dat.* etc.

*Margaretha*[b] *Dei gratia Dhurengie et Saxonie comitissa palatina nobilissimo viro comiti Ubertino de Lando se totam ad quevis beneplacitam voluntatem. Litteras et nuncium quas nobis et*[c] *karissimo filio nostro tercio Frederico*[d] *misistis, satis recepimus honorifice et gratanter, per quas antiquam fidem et devocionem quam semper toto posse omnibus nostris precessoribus contulistis, sibi benigne et devotissime prestolastis; propter quod de tanta fidelitate ad multas gratiarum assurgimus actiones; et quod vobis* nunciamus ad gaudium, ecce quod dictus filius* * fol. 90.
*noster ex consciencia et voluntate multorum Germanie principum qui sibi assistunt toto posse, sicut per suas litteras vobis scribitur manifeste, ad hereditaria regna sua Ierusalem et*[e] *Scicilie optinenda venire paratur viriliter et potenter contra omnes qui sibi illo negocio voluerint contraire. Quapropter vestram amiciciam rogamus attente, quatenus sicuti semper consuevistis esse nostris precessoribus fidelissimi et devoti, ita magis assistatis karissimo filio nostro ope consilio et auxilio oportuno; sperantes quod faciente divina clemencia*[f] *ac vestro interveniente auxilio, dictum suum hereditarium regnum valeat optinere et vos possit in omni favore et gratia benignius ampliare. Dat. Varburc*[32] *6. Idus Semptembris.*

Consimiles litteras transmiserunt potestati consilio et comuni Papie et omnibus amicis fidelibus inperii in Lombardia et Tuscia et alibi in Ytalia.

Eodem tempore Mantuani cum certa[g] quantitate militum Cremone, Parme, Ferrarie, Bononie erant in ossiditione castri Nugarolli comunis Verone[h], quod per pactum habuerunt Mantuani.

Eodem tempore ambaxatores domni Karoli erant in Lombardia, et fecerunt coloquium de parte domni Karoli in civitate Cremone[i], petentes pro ipso domno Karolo dominatum civitatum Lombardie que se appelant partem ecclesie.

Placentini, Cremonenses, Parmenses, Mutinenses, Mantuani, Ferrarienses, Regini volebant segnoriam et dominationem domni Karoli; Mediolanenses, Bononienses, Cumani, Vercellenses, Novarienses, Alexandrini, Terdonenses, marchio Montisferati, Fallabrini Papie et Pergamenses noluerunt eius dominationem, set ipsum volebant pro amico et non pro domino; et ita discordes se diviserunt.

Eodem tempore vicarius domni Karoli pro ipso domno Karolo existens in Alba, requisivit comune Aste ut sibi fidelitatem iurarent, quod ipsi Astenses nullo modo facere voluerunt; et sic ipsi diffidati sunt ab ipso vicario, et guerra incipitur inter eos. Et comune Papie statuit comune Aste ab ipsa guerra adiuvare et manutenere Astenses, sicut bonos et veteres amicos, licet displicetur pluribus de Papia.

Cum Placentini intrinseci cum exercitu et aliquibus militibus Parme et parti cum 200 militibus Mediolani stetissent per longum tempus in obscidicione roche de Bardi que tenebatur per domnum comitem Ubertinum de Lando et partem extrinsecam de Placentia, trabucantes die noctuque ipsam rocham cum septem trabuchis et quinque ad minus valde magnis, preliantes eciam illos de rocha de multis ballistis tam de turno quam de duobus pedibus et uno pede, fecerunt ibi in obsidicione multas domos et multa ingenia ad habendam ipsam rocham; in qua obscidicione passi sunt Placentini intrinseci multa dampna averis[33] et personarum, multi vulnerati, multi occisi ab ipsis de rocha; et cum Asmanus de Albuzano de Castro Arquato qui erat in ipsa rocha de sectariis[34] victualium, propter quendam eius filium qui ibi mortuus fuit de lapide trabucorum, tactus a diabolo, exivit de rocha et ivit ad potestatem et narravit sibi et sapientibus suis omnes conditiones roche et illorum qui ibi erant, dicendo potestati quod non erant in rocha de victualibus ultra quinquaginta dies, et mala omnia que potuit dicere de ipsis dixit. Quo audito Placentini intrinseci, qui recedere volebant cum ibi nichil possent facere, statuerunt ibi et adhuc usque ad 50 dies manere[k]; et stantes ibi, quasi per vim tenentes ibi homines maximis ingeniis, quadam die

a) quos *c.* b) M. *c.* c) uobis k. *c.* d) Rex *c.* e) *deest c.* f) clemencia *c.* g) cta *c.* h) v'rone *c.* i) Cremonie *c.* k) marē *c.*

32) Wartburg arx supra Eisenach. 33) avere = habere = quod habent, facultates. 34) i. q. distributoribus, quod et Pavori habet.

1269. dominico 13. mensis Octubris illi de rocha descenderunt de petra ad deffendendum quadam turicia que erant de subtus rocham, ubi multi de illis de rocha vulnerati fuerunt et quatuor mortui, scilicet Girardus Furnarius[a] domesticus et familiaris et fidelis dicti domni comitis qui preerat victualibus, pro quibus illi de rocha timore perteriti[b] et videntes conditione victualium licet adhuc bone per 20 dies possent se tenere, absque consciencia comitis cuius rocha erat et absque consciencie partis pepigerunt cum Placentinis intrinsecis, ita quod quilibet qui erat in rocha et pater et fratres eorum exirent de bannis et de carceribus ubicomque essent, et possent redire in civitatem Placentie ad eorum voluntatem, non solvendo extima necque caritas nec in ius vocari usque ad annum; et die Iovis 17. Octubris (Oct. 17.) ipsam rocham dederunt et tradiderunt potestati et hominibus Placentie. Quorum pactorum actores fuerunt Girardus de Supercho de Andito, Flammenus de Andito et Ubertus de Piris et Albertus Cirexia: alii ex ipsis iverunt in Placentiam, alii ad Gravagum. Steterunt ibi Placentini computatis diebus itineris et reversus per 20 septimanas cum magno gravamine temporis, expensarum, et mortis virorum, vulneracionis militum et peditum, atque penuria victualium.

Oct. 27. Die dominico 27. mensis Octubris propter exaltationem Placentinorum intrinsecorum qui in custodia roche Barde dimiserant 40 milites tam de Cremona[c] Parma et Mediolano ad soldas etiam comunis Placentie, qui nimis infestabant illos de Gravago et illos qui pro parte extrinseca Placentie in illis partibus aderant, Albericus de Gravago de Andito et frater et Fredericus de Andito et alii Placentini qui in illis partibus erant, positis insidiis iuxta rocham Bardi isto die nocte silenti miserunt 10 milites cum quantitate servientum de Gravago et illarum partium, qui iverunt iuxta rocham ad comburendum domos que ibi erant. Quo viso per illos[d] de rocha contrario[e] exierunt de rocha ad equos et pedes quot ibi erant, et insultum facientes in illos de Gravago fugaverunt ipsos usque in Cenum. Unde illi qui in insidiis erant, posuerunt se inter illos de rocha et rocham, et ipsos in fugam vertentes multos[f] ex eis ceciderunt circa 36, et 22 ceperunt quos ad Gravagum in carceres duxerunt; et 10 equos et boves et bestias ceperunt, et domos et caxinas que ibi erant combuxerunt.

Nov. 8. Die Veneris 8. mensis Novembris Papienses in generali consilio eligerunt in eorum potestatem et rectorem domnum Albericum de Xoardis civem Pergami. Electioni cuius milites Papie qui Fallabrini dicuntur interesse noluerunt, magnam vim facientes per se et illos de Ture ne ipse in regimen[g] reciperetur; qui propter hoc non dimisit set ipsum regimen facere iuravit, et recepit de voluntate comunis Pergami die Iovis 14. mensis Novembris.

Nov. 15. Die Veneris 15. mensis Novembris domnus Bossius de Dovaria qui erat in civitate Verone, cum toto thesauro suo et cum militibus quos habere potuit intravit[h] civitatem Laude, ubi receptus fuit libenter et cum magno honore.

Die Iovis 14. mensis Novembris domnus Raymundus de Lature episcopus Cumarum, qui multa mala in Lombardia operatus est, cum aliquibus militibus Cumarum de parte Vicanorum cum tota sua familia captus fuit et detentus personaliter per domnum Conradum de Venosta, et ductus est in carceribus ad Buffamloram castrum eius longe a civitate Cumarum per 130 milliarum; pro quo facto Napolionus de Lature et fratres eius dolentes de dicto[i] episcopo fratre eorum, congregaverunt exercitum causa eundi super ipsum domnum Conradum de Venusta, silicet cum quantitate militum Cremone, Placentie, Novarie, Vercellarum, Cumarum et aliarum civitatum que sunt amici eorum; et facta composicione ('fol. 91.) cum ipso domno Conrado[k] 'liberatus est ipse domnus episcopus pro redemptione decem millium librarum Terzolorum, et die Martis 10. mensis Decembris intravit Mediolanum.

Eodem tempore Mediolanenses, Placentini, Cremonenses, Parmenses, Mutinenses, Vercellenses, Cumananses et alii plures de Lombardia publice iuraverunt fidelitatem domno regi Karulo cum pluribus pactis et conventionibus inter eos initis.

Eodem tempore de mense Decembris Astenses federati sunt cum vigerio regis Karuli, qui erat in Alba cum certa[l] quantitate militum Provincie, cui ex pacto promiserunt sibi dare pro tribus annis et 4 diebus quibus treuguam fecerunt quindecim millia libras Astensium.

Eodem tempore aliqui ex militibus Papie qui Fallabrini dicuntur, scilicet domnus Iacobus Butigella potestas eorum, Guizardus Zazus et fratres, et Rogerius Zorzus et alii plures,

a) *ita Paveri;* Für *c.* b) pteriti *c.* c) Cremone *c.* d) illas *c.* e) Strano *c.* f) multas *c.* g) ipsū regimē *c.*
h) *ita corrigo;* miravit *c.* i) duto *c.* k) coradi *c.* l) circa *c.*

pro eo quod populus Papie et Marchaboti civitatis contra eorum voluntatem eligerunt domnum Albericum de Xoardis de Pergamo potestatem comunis Papie, intraverunt Basignanum volentes rebellare comuni et civitati[a] Papie. 1269.

Die sabbati 8.[b] mensis Decembris comes Ubertinus de Lando qui in partibus Gravaghi erat cum certa quantitate militibus partis extrinsece de Placentia et cum ballesteriis et servientibus vallis Tarii et Ceni equitavit ad rocham Petre Travine que per Placentinos intrinsecos[c] tenebatur, ubi erat pro capitaneo Iohannes filius quondam Alberti Graguelli[d] cum soldateriis et aliis servientibus suis; et prelio inter eos incepto, illi de rocha defecerunt ad prelium, et sic comes cum suis per vim viriliter et potenter eos superavit interficiendo ipsum Iohannem capitaneum et alios qui cum eo erant, paucis evasis qui in[e] carceribus dicti comitis detempti sunt; quam[f] rocham idem comes guarnivit de bonis servientibus et omnibus necessariis. Dolent ad mortem Placentini intrinseci, gaudent extrinseci et amici eorum.

Littere transmisse a domno Frederico[g] tercio Ierusalem et Scicilie rege, habiatico quondam dive memorie domni Frederici imperatoris nato ex domna Margarita filia eius, quam habuit ex sorore regis Anglie uxore sua, quarum tenor talis est:

*Fredericus tertius Dei gratia Ierusalem et Scicilie rex, dux Suavie, landegravius Turigie et Saxonie comes pallatinus, potestati consilio et comuni Papie dilectis[g*] devotis et amicis suis salutem et amorem sincerum. Crebra relatione auribus maiestatis nostre frequenter innotuit, quod vos, civitas vestra Papie, qui inter alios devotos et amicos Ytalie sicut aurum devocionis opere[h] prelucetis, numquam retroactis[i] temporibus immutacione seu varietate temporum devotionem et legiptimum zelum quem erga quondam progenitores divos nostros devocius habuistis, minis[k] seu terroribus, muneribus seu promisionibus aliquorum voluistis ad alia commutare, set ipsam semper illesam servantes aput heredes et successores eorum ferventer, viriliter, ostendistis, multis propterea ab emulis qui erga eosdem predecessores nostros gesserant contrariam voluntatem, vobis[l] et territoriis vestris dampnis quam pluribus incendiis et adversitatibus hostiliter irrogatis. Que omnia in nostris cogitacionibus continue revolventes, merito sollita meditacione pensamus, vos et vestram civitatem tamquam predictorum predecessorum nostrorum inter alias civitates Ytalie predilectam pro predictis omnibus digne retribucionis meritis amplexari et amplioris gratie[m] beneficiis favere[n], ut vos et civitas vestra pro vestra devocione et amore sincero quem eisdem nostris predecessoribus inviolabiliter observastis, nostro felici tempore valeatis potenter de vestris hostibus triumphare[o]. Et ecce quod ad reformacionem et relevacionem vestri status et aliorum devotorum et amicorum nostrorum ipsarum partium deliberato consilio intendentes, assistentibus nobis ad hoc excellentissimis et potentissimis principibus domno marchione Missinensi et Orientali avo nostro karissimo, domno landegravio et Saxonie comite pallatino dilectissimo patre nostro, domno marchione de Landesburgo patruo nostro dilecto, necnon magnifico principe domno rege Boemie serenissimo socero nostro, ope[p] consilio et auxilio oportunis, et quam pluribus aliis principibus, marchionibus, ducibus et magnatibus Alamanie, ad partes ipsas duce Deo venimus cum magnifico potentatu, deinde versus hereditarium regnum nostrum felliciter processuri. Quapropter devocionem et[q] amicitiam vestram, quam inter alias civitates Ytalie novimus esse firmam, hortamur attente rogantes, quatenus de adventu nostro celeri audaciam assumentes[r], inimicis vestris, qui nostri sunt, potenter et viriliter resistatis. Propterea ut adventus noster iocundus et proximus per[s] vos veraciter prenoscatur, ecce Guazonum de Marcha et Marsibium de Scurano et iudicem Pellegrinum de Sumaria dilectos familiares et fideles nostros ad vos[t] tamquam nostri itineris precursores previdimus destinandos, quibus omnia que vobis pro parte nostra retulerint viva voce de nostris serviciis et honore indubitanter credentes, ea opere[u] compleatis. Dat. Lunbetas[35] 20. mensis Octubris 13. indictione.*

Qui iudex Pellegrinus pro se et sociis nomine et vice dicti domni regis Frederici[v] die dominico ...[w] mensis Decembris in generali consilio comunis Papie predictas litteras presentavit potestati et comuni Papie: consilio[36] quod dictus domnus rex debet sine dubio movere cum maximo exercitu[x] de mense Marcii proximo venturi.

a) civitate c. b) *lege* VII. c) intrinsecis c. d) *hic prior manus iterum pergit.* e) es c. f) qua c. g) Rex *saepius* c. g*) dilectus c. h) cepê c. *v. infra not.* i) retractis c. k) nimis c. l) *excidit vos in* c. m) *amplatur* gratia c. n) favore c. o) triumphari c. p) cipe c. q) *deest* c. r) assumentis c. s) qui c. t) uas c. u) apê c. v) Rex *deletum* c. w) *spatium vacat.* x) exercitum c.

35) Liebenthal in Thuringia. 36) i. e. eo consilio, ea intentione

1269. Infrascripti sunt baroni qui iuraverunt secum venire preter alios qui venire debent. Domnus lantegravius pater, dux de Bruxuvyca, dux de Saxonio, dux de Polana, marchio de Brandeburgo, comes Armanus[a], infans de Ast, archiepiscopus de Salsimburgo, archiepiscopus de Magentia, episcopus Constancie, vicarius regis Boemie cum quatuor milibus militibus. Set orta discordia inter principes, non venit.

Item 1269, indictione 13. Eodem tempore milites Papie qui Fallabrini dicuntur existentes in Bassignana contra populum et civitatem Papie, eligerunt in eorum potestatem
1270. et rectorem marchionem Montisferati; ad tractatum ipsorum militum die Martis 7. mensis Ianuarii abstulit comuni Papie locum et castrum Pomarii expellendo rectores qui pro comuni Papie ibi erant de ipso loco, deinde post paucos dies venit Bassignanam et iuravit regimen ipsorum militum appellando omnes milites civitatis et episcopatus ut iurarent eius sequellam; quorum alii iuraverunt, alii non.

Ian. 2. Die Iovis 2. mensis Ianuarii cum[b] Brixienses intrinseci reverterentur a civitate Cremone, ubi conduxerant Paxium de Buca et Patucium de Conzissio et alios carceratores de civitate Brixie quos in civitate ipsa ceperant causa conducendi ipsos in Provincia in forcia regis Karuli, domnus Tagionus de Manervio cum parte extrinseca Brixie hoc intellecto, collecta ex omni parte tota milicia quos habere potuit, positis insidiis insultum fecit in ipsos, et ipsis fractis in prelio magna vi cepit[c] ex Brixiensibus intrinsecis 160 milites et 300 equos, quos in carceribus suis in Tezolo et alibi possuit[d] et detinet carcerates.

Eodem tempore Mantuani reductis omnibus forestatis suis in civitate excepto Ruffino
* fol. 92. *de Zanuchallis et parte sua, et stantes in magna concordia, omnes carceratos Cremone quos ceperant in Tezolis et alibi relaxaverunt, qui fuerunt bene numero circa 300 de parte[e] domni Bossii de Dovaria, et statuerunt stare in concordia cum omnibus vicinis suis et specialiter cum Veronensibus.

Eodem tempore Albertus de Fontana extra Kalendas Ianuarii retro potestas Bononie, propter fraudem quam in ipso regimine[f] commiserat, ab ipsis Bononiensibus captus est et detemptus ultimo die mensis Decembris cum iudicibus et militibus suis; tamen cito relaxatus fuit privatim de nocte.

Ian. 13. Eodem tempore die Lune 13. mensis Ianuarii ordinata et facta est treugua inter comune Papie et Placentinos intrinsecos usque ad octavam pasche, et die Mercurii 29. mensis Ianuarii iurata fuit et firmata fuit pax inter eos cum condicione tali, quod illud comune quod noluerit dictam pacem interveniente causa tenere, debet per mensem ante alteri comuni denunciare de pace non tenenda; que condicio adiecta fuit pro domno comite Ubertino de Lando et illis de parte sua. Que pax valde displicuit militibus et Fallabrinis qui erant ad Basegnanam et eorum sequacibus.

Febr. 1. Die sabbati primo mensis Februarii Placentini extrinseci, scilicet illi de Gravago et Luxiardi et alii de parte extrinseca de Placentia qui sunt in partibus vallis Ceni et Tarii, cum eorum gente de nocte ante diem aura magna flante ignem possuerunt in burgum roche Bardi, ubi erant milites adsoldati pro Placentinis intrinsecis, et ipsum burgum totum combuxerunt et equos et arma eorum habuerunt, scilicet 12 equos, et 15 combuserunt, et 8 homines ceperunt et 4 occiderunt, et 7 carceratores qui in burgo tenebantur recuperaverunt, et bene habuissent rocham nisi esset ignis.

Febr. 4. Die Martis 4. mensis Februarii milites Papie qui in civitate remanserant, scilicet Marcaboti et alii, in palacio comunis Papie eligerunt in eorum potestatem domnum Franciscum de Canevanova, qui a Bassignana cum fratribus suis, discors ab illis qui ibi erant rebellantes comuni Papie, in civitate venerat, quia noluit consentire quod marchio Montisferati haberet[g] locum Pomarii, quem dicti milites qui in Bassignana erant eidem marchioni dederunt ex pacto ut eorum regimen reciperat. Qui Franciscus in palacio comunis in presencia potestatis comunis Papie dictum regimen milicie Papie iuravit et recepit, et iuravit manutenere populum Papie in omni suo honore et statui; quod valde displicuit militibus Papie qui Fallabrini dicuntur, qui paulo ante iuraverant per eorum sindicos et ambaxatores in civitate Mediolani societatem cum illis de Lature et cum comuni Mediolani et fidelitatem domno Karulo regi Scicilie.

Febr. 7. Die Veneris 7. mensis Februarii Laudenses intrinseci et comune Papie iuraverunt societatem cum domno Bossio de Dovaria et parte Barbarasorum extrinseca de civitate Cremone,

a) *codex hic distinguit.* b) Cō *c.* c) cepii *c.* d) possint *c.* e) paco *c.* f) regiminem *c.* g) habetur *c.*

1270. promitentes[a] ipso domno Bossio et parti sue facere gueram comune[37] Cremone per terram et aquam undique ad eorum voluntatem; et domnus Bossius et Cremonenses extrinseci promiserunt Laudensibus manutenere in civitate Laude continue[b] ad minus 200 milites et 500 pedites de parte sua; et alia multa pacta inter se formaverunt.

Febr. 20. Die Iovis 20. mensis Februarii milites et pedites extrinseci de Placentia qui sunt ad Gravagum et in illis partibus[c] cum servientibus vallis Tarii et Ceni equitaverunt ad castrum Carpenassis, quod per vim ceperunt et combuxerunt totum, et multas domos et caxinas similiter illarum parcium combuxerunt, boves et bestias multas habuerunt, et robas multas et homines illius loci ceperunt. Quo facto homines illarum partium audito crido[38] ad equos et pedes in magna quantitate cucurerunt insequendo ipsos. Unde illi de Gravago impetum fecerunt in ipsos et fregerunt ipsos, ex quibus ceperunt 60 ad pedes et 12 ad equos, et 16 interfecerunt; ipsi vero de Gravago sani et leti cum prexonis[39] et tota preda ad Gravagum redierunt cum magno lucro.

Eodem die milites et pedites extrinseci de Placentia qui morantur ad Zavatarellum, cum servientibus illius loci equitaverunt ad castrum Montisventani, et ipsum ceperunt et combuxerunt[d] totum, et multas robas[40] lucrati sunt.

Mart. 5 Die Mercurii 5. mensis Marcii Laudenses et milites domni Bosii de Dovaria et cavalcatores[e] Papie in magna quantitate equitaverunt in episcopatum Cremone versus Sanctum Baxianum, et elevaverunt magnam predam hominum et bestiarum. De qua cavalcata[f] premoniti[g] erant Cremonenses intrinseci et homines Mediolani; unde cum redirent cum preda, milites Cremone impetum fecerunt in ipsos Qui Laudenses viriliter preliando cum eis, evaserunt ab eis cum preda tribus ex ipsis captis, inter quos erant unus filius naturalis domni Bosii quem statim in civitate Cremone decapitaverunt. Et cum dicti cavalcatores cum preda essent in partibus[h] monasterii de Cerreta, sibi obviaverunt Guillelmus Lanbertus et cavalcatores[i] Mediolani cum trumbis et insigniis comunis Mediolani et impetum fecerunt in ipsos; et facto maximo prelio multi ex utraque parte prostracti fuerunt ex equis, et plures ex parte Laudensium; circa 27 capti viles tamen persone[k], et multi equi capti; scilicet et multi ex Mediolanensibus, multi ex Cremaschis extrinsecis vulnerati ad mortem; illi vero de parte Laudensium multos equos lucrati sunt ita quod parum dampni habuerunt.

Eodem tempore cum per sentenciam compromissi facti in Napolionum de Lature per Gambazochos et Benzonos de Crema, ipsi Gambazoni scilicet magnates cum parte ipsa qui extra remanserant, deberent reverti in Cremam in Kalendis Marcii proxime preteritis, Benzoni vero et pars eorum videntes fraudes multas factas in Lombardia per illos qui se appellant et dicunt partem ecclesie, qui in veritate non sunt set fauctores et allumpni omnis heresis, fecerunt maximas continentias et asmencias[41] se deffendendi et manutenendi ab illis de Gambazonis inimicis suis, qui multas minas et multa mala verba contra Benzonos dicebant et operabantur. Qui Gambazochi videntes continencias quas faciebant Benzoni, intrare noluerunt Cremam; verum etiam illi de parte ipsorum qui iam intraverant per plures annos, de Crema exiverunt.

Eodem tempore paulo ante, primo mensis Marcii, Iohannes Pallastrellus de Placentia, qui erat potestas Mediolani, habito tractactu cum aliquibus civitatis Laude, ad diem et horam[42] ante diem cum milicia et populo Mediolani fuit in cerchis[43] civitatis Laude, et milites civitatis Cremone et civitatis Placentie similiter, et Franciscus de Lature cum Brixiensibus extrinsecis similiter de versus Cremam venit, putantes ingredi civitatem Laude ex tractatu aliquorum. Verumtamen Laudenses intrinseci previsi bene erant, et portas civitatis optime munierunt, et civitatem deffenderunt cum domno Bossio de Dovaria et gente sua que ibi erat; quo audito per Mediolanenses, reversi sunt omnes ad propria nichil ibi lucrantes.

Eodem tempore frater Tagionus de Manervio capitaneus partis extrinsece de Brixia, que pars quasi totum episcopatum Brixie tenet contra illos de civitate, et Vallcamonica et cetera loca exceptis quatuor vel quinque castris que illi de civitate tenent, illi vero de civitate dati sunt et recommendati domno regi Karulo, illi vero qui sunt extra dati sunt et

a) permitentes c. b) 9tinue c. c) patibus c. d) 9buxerūt c. e) caluacatores c. f) caluacata c. g) pmōiti c. h) patibus c. *saepius.* i) caluacatores c. k) psiere c.

37) i. e. communi. 38) i. e. clamore, *grido* italice. 39) i. q. prexoneriis, captivis. 40) res, *robba* italice. 41) fortasse i. q. armencias, armamenta. 42) scilicet constitutas. 43) i. q. circis.

1270. recommendati Francisco de Ture qui eos deffendet et regit pro suo posse, tractatum habebat cum aliquibus de civitate, et credebat firmiter ingredi cum tota parte sua in civitatem. Illi vero de civitate dubitantes, continuo ceperunt Philipum de Ugonibus et alios plures usque in 50 de maioribus civitatis, quos statim in Albam in forciam regis Karoli carceratos transmiserunt, quod est grande nephas.

Eodem tempore incepta est guerra inter comune Papie et comune Mediolani, propterea quod Mediolanenses miserunt ad Bassegnanam in servitium militum Papie qui Fallabrini dicuntur 200 cavalcatores[a] contra pacta pacis inter utrumque comune facta, et propterea fol. 93. quod Mediolanenses omni die faciebant curere terram Papie, dicentes quod erant cavalcatores[a] qui morabantur[b] ad Laudem veterem et Laudenses extrinseci; et ideo versa vice Papienses faciebant curere terram Mediolani, et dicebant quod erant Laudenses intrinseci; et istis de causis incepta est guerra inter eos.

Mart. 19. 1270. indictionis 13. a nativitate, die sabbati 19. mensis Marcii Papienses milites et populus qui erant in civitate equitaverunt in Lumilinam usque ad Lomellum contra illos milites Papie qui erant in Bassignana, et derobaverunt plures ex parte adversa, et habuerunt Valligium, quod munierunt, et die Lune redierunt, guarnitis castris Durni Garlachi Apr. 2. et Gropelli. Die[c] Merecurii secundo mensis Aprilis equitaverunt similiter usque ad Dornum et Gropellum et Gralascum, et ceperunt caminatam Ollegie Girardini de Strata et consortum, et derobaverunt ipsos, populus scilicet contra voluntatem aliorum, et Roglenium Georgium similiter derobaverunt, et sic guerra incepta est inter utrasque partes; et die Iovis 3. mensis Aprilis redierunt ad propria. Milites vero qui sunt in Basignana cum militibus Mediolani qui in eorum sucursum venerunt, circa 500 vel 400 milites, venerunt in Lomellum; et interim tractatur de concordia.

Die Mercurii secundo mensis Aprilis Mediolanenses extraserunt eorum carrocium, facientes pparatum eundi ad faciendum guasta Laudensibus, et invitaverunt omnes eorum amicos ad dictum exercitum.

Die Iovis 3. mensis Aprilis audita sunt tonitrua in orbe.

Apr. 7. Die Lune 7. mensis Aprilis luna quasi tota in rotonditate sua passa est eclipsim[d], id est defectum.

Eodem mense rex Francie qui crucem adsumens pro redemptione peccatorum suorum pro recuperatione terre sancte de ultra mare cum principibus et ducibus, comitibus et baronis Francie Picardie et illarum parcium cruce signatis venit in Provinciam, deinde transire cupit ad Aquas mortuas, ubi fit maximus apparatus navium occasione transitus predicti. Est enim maximus transitus iste, plus quam fuit magnum tempus est elapsum; transiunt enim in presenti pasagio tres reges coronati cruce signati cum omnibus baronis suis, scilicet rex Francie, rex Arogone, rex Navare, et dicitur quod Oddoardus filius regis Anglie debet similiter cum magnatibus eiusdem Anglie transire; et rex Aragonensis qui presenti estate[e] transire voluit et non potuit propter ferocitatem maris, secum ducit filiam suam, quam copullavit in uxorem regi Tartarorum vel eius filio, qui Tartarus est inimicus[f] Saracenorum. Et ambaxatores Venecie Pisis et Ianue debent esse coram predictis regibus ad illas partes pro componendo inter se pacem vel treuguam occasione dicti transitus; et die Mercurii 2. mensis Iulii navigium adscenderunt.

Die Lune 7. mensis Aprilis cum ambaxatores regis Karoli essent in civitate Pisis pro componendo concordiam inter regem Karolum et Pisanos, ad instigacionem iudicis de Galuro et illorum de parte sua qui partem dicti regis Karoli fovebant, die isto ipse iudex de Galuro cum parte sua armati ad domum eius erant; et incepto prelio inter ipsos et populum[g] illius civitatis, captus fuit idem iudex et vulneratus septem vulneribus ad mortem, et capti sunt cum eo plures et vulnerati similiter; et sic civitas Pisis stat in magna constancia in amore et fidelitate imperii. Quo audito ambaxatores regis Karoli recesserunt. Potestas Pisis erat Andalous de Andalois, civis Bononie de parte[h] inperii fidelis; qui ambaxatores statim rediverunt in civitate.

Die Lune 21.[i] mensis Aprilis cum multi Galli redirent a curia Romana circa 100 et plures, et essent in civitate Papie volentes ire ultra montes ad partes suas, et cum non multum longe a civitate Papie adessen malefactores multi de Papia iverant post ipsos et

a) calvacatores *c.* b) morebantur *c.* c) foie *c. ita et infra p.* 546. d) eclispim *c.* e) extrate *primo scriptum erat.* f) inimicis *c.* g) p. et i. *c.* h) pate *c.* i) XXII. *c.*

deroberaverunt ipsos aufferentes eis omnia eorum bona, dicentes quod ipsi erant Francigene et Picardi, multos ex ipsis occidentes et multos vulnerantes[a]. Quo audito in civitate Papie, multi ultra trecentum[b] ad equos et ad pedes, villes tamen persone, quidam ex ipsis per heresim vel malo modo dixerunt, stantes ante portam fratrum Predicatorum, ad ipsos malefactores: *Huc accedite, huc accedite, quia in hac domo vel religione sunt multi ex Picardis sive Francigenis receptati.* Unde predicti malefactores per vim adscendentes supra domos fratrum et frangentes portas domorum eorum, ipsos fratres derobaverunt de eorum bonis et rebus, percucientes fratres et conversos; eorum tamen nulli sanguinem fecerunt. Fratres vero super turem ecclesie adscendentes, cum lapidibus se viriliter sicut poterant deffendebant. 1270.

Potestas vero Papie, cui predicta omnia displicebant[c] ad mortem, ad rumorem istum cum tota sua familia venit et fecit omne bonum quod potuit, set prohybere non potuit propter multitudinem gentium armatarum. Et in veritate nullus Francigena vel Picardus aderat in ipsa religione nec inventus fuit. Hoc factum orribile valde displicuit potestati et sapientibus Papie; fuerunt tamen viles persone que predicta commiserunt. Ultra modum enim Papienses comuniter odiunt Francigenas Provinciales et Picardos multis de causis; una scilicet quod multi de civitate Papie mortui[d] fuerunt in conflictu[e] quondam regis Conradini quem Papienses super omnia dilligebant, et quia nimis sunt imperiales homines et fideles heredum quondam dive memorie domni Frederici quondam imperatoris. Contra vero malefactores predictos potestas Papie domnus Albericus de Xoardis civis Pergami de voluntate consilii comunis Papie ad ipsos capiendos et puniendos procedit, et facit quantum potest de bono.

Eodem tempore paulo ante orta est maxima discordia inter Albertum de Fontana et illos de domo sua ex una, et Iohannem Pallastrellum et illos de domo sua[f] ex alia, propter odium diu preconceptum ortum inter illos de Fontana et Pallastrellos pluribus de causis; una scilicet quia diu est quod Vitalis Pallastrellus adulteravit filiam quandam Antonii Leccafarine de Fontana, postea occidit filium dicti Antonii; altera scilicet quia idem Albertus de Fontana pro conservando concordiam inter se et dictum Iohannem tradiderat iuramentis ab utraque[g] parte prestitis filiam suam uni ex filiis Iohannis Pallastrelli quam idem Iohannes recipere noluit nec habere pro nuru; alia vero quia idem Iohannes et Albertus contendunt de pari in dominacione civitatis Placentie, propter que unus versus alium multa turpia verba et mala dicit, et crescunt verba de die in diem[h], licet adsconsa[43] sint verba et odium occultum. Idem vero Albertus de Fontana plures habet secutores quam ipse Iohannes, pro eo quod ipse Iohannes, qui[i] est potestas Mediolani, ad instigacionem illorum de Lature volebat et petebat a Placentinis[k] quod facerent guerram Papiensibus ad postulationem[l] militum Papie qui Fallabrini dicuntur, et quod diffidarent civitatem Laude et homines habitantes in ipsa, et quod darent exercitum pro comuni eorum carrocio ad exercitum quod comune Mediolani vult facere super Laudenses, et in hoc laborabat toto posse Iohannes Pallastrellus et sui sequaces et illi de Lature potestas Placentie ex eis[m]; Albertus vero de Fontana et sui viriliter resistabant; et quia homines plus affectant pacem* quam guerram, ideo plures habuit in consiliis et alibi secutores quam idem Iohannes, et omnia partita[n] in consiliis vincebat. Quelibet pars istorum acquirit amicos quantum potest; Albertus et sui populum Papie et eius sequaces, Iohannes vero illos de Lature et alios, quantum licet privatim. *fol. 94.

Eodem tempore Pisani comuniter et concorditer pepigerunt cum rege Karulo, pollicentes sibi dare tributum in tribus annis 12 millia unzias auri cum certis pactis et conventionibus inter eos adiectis, ita tamen quod rex Karulus nullum dominium vel segnoriam debet habere in civitate Pisis, verumtamen Pisani debent a Kalendis Ianuarii in antea accipere rectorem de illis civitatibus et hominibus qui sunt ex parte ecclesie, salvo quod si imperium apparuerit, quod Pisani non tenentur ad predicta.

Die Veneris 26. mensis Aprilis Cremonenses servicio comunis Mediolani et illorum de Lature qui super Laudenses volunt facere exercitum, eorum carocium[o] extraserunt; quod Apr. 26.

a) uubrates *c.* b) ulĩ trentũ *c.* c) dispicebant *c.* d) *vox bis scripta.* e) conflictu *c.* f) sua usque sua *exciderunt in codice; ea supplevi.* g) ultraque *c.* h) diẽ diẽ *c.* i) quod *c.* k) placentini *c.* l) postulant *c.* m) ex eis *rubro colore.* n) paratita *c.* *scilicet* omnia partita, *quando in partes ibatur*, *vincebat Albertus.* o) caro cui *c.*

43) i. e. absconsa.

1270. cum fuit extra ecclesiam, perrita[44] eius cecidit et banderie et confanoni in terram, de quo multum sunt mesti Cremonenses.

Die dominico 4. mensis Madii domnus Bossius de Dovaria cum 100 cavalcatoribus Papie et cum militibus suis, militibus quoque Laude et cum quingintis peditibus Cremone qui secum erant in civitate Laude, ad tractatum illorum de Manchastruvio de Cremona qui de Fraganesco dicuntur, equitavit usque ad castrum novum de buca Abdue; et positis insidiis iuxta illud castrum ut haberet[b] illud, sentitus[c] fuit ita quod nil facere potuit; et revertens guarnivit castrum illorum de Manchasturvio[d], qui usque ad illum diem steterant cum illis de civitate Cremone in concordia ita quod unus alterum non offendebat, et ab illa die in antea facti sunt palam inimici Cremonensium intrinsecorum et amici publici et fideles domni Bossii et partis sue, et recipiunt omnes in castro ipso volentes guerram facere comuni Cremone; de quo facto multum sunt strinuti[45] Cremonenses intrinseci et timent ad mortem, quia castrum illud est situm prope civitatem Cremone per octo milliaria, et est valde forte et optime guarnitum de omnibus necessariis.

Mai. 9. Die Veneris 9. mensis Madii milites Papie cum cavalcatoribus Papie ingeniose et sapienter equitaverunt versus Bassegnanam; milites Papie cum signis et trumbis steterunt in insidiis iuxta fluvium Agonie de subtus Lomellum, cavalcatores vero eligerunt ex ipsis cursores circa centum, qui cucurerunt per campaniam[f] levantes magnam predam. Unde levatis insignis et visis per illos de Bassignana, cucurerunt ad cridum milites de Bassignana cum 200 cavalcatoribus Mediolani qui per comune Mediolani adsoldati erant in sucursum militum de Bassignana, et venerunt usque in ripam fluvii Agognie, illi scilicet ab una parte[g] fluvii, cavalcatores vero ab alia obstanbant. Milites vero Papie qui in insidiis latebant, exeuntes venerunt ad dictum fluvium. Unde illi milites de Bassignana cum tota gente eorum in continenti visis militibus et signis comunis Papie fracti fuerunt, et duravit fuga usque in locum Carii, et ceperunt ex militibus Bassignane qui Fallabrini dicuntur plures, scilicet Galvagnum de Campisio et Gayferium eius fratrem, Campanixium de Zazis, Domdedeum filium Ferrarii Canis, et filium comitis de Gambarano, et filium Guillelmi de Cario, et unum de Zorzis, et unum de illis de Gambolato, et unum de illis de Strata, et plures cavalcatores Mediolani, et multos[h] equos, quos omnes habent et tenent carceratos; et plures et plures capti fuerunt, et quia nox erat multi evaserunt; de quo facto multum sunt exaltati Papienses.

Mai. 10. Die sabbati 10. mensis Madii Mediolanenses conduxerunt eorum carrocium extra civitatem usque ad Sanctum Iulianum causa eundi super civitatem Laude ad faciendum guastum sicut ordinaverant; et die 19. mensis Madii cum eorum carrocio et toto exercitu suo intraverunt in terram Laude iuxta civitatem, devastantes quantum poterant; erant enim in exercitu Mediolani cerna[i] militum et peditum et ballisteriorum Novarie, Verzellarum, Pergami, Cumarum, Placentie, Cremonenses cum carocio et tota eorum gente devastantes circa civitatem Laude. In municione vero civitatis Laude erant 500 pedites Papie et domnus Bossius de Dovaria cum militibus et peditibus forestatis Cremone, qui viriliter deffendebant civitatem et burgos civitatis Laude, offendentes exercitum Mediolani die noctuque quantum poterant. Qui Mediolanenses et Cremonenses cum toto exercitu eorum, devastatis omnibus vineis arboribus segitibus leguminibus et omnibus fenibus terre circa Laudam tam ultra Adduam quam citra Adduam, die sabbati 7. mensis Iunii quilibet ad propria sunt reversi.

Mai. 16. Eodem tempore Papienses de civitate in concordiam ex una parte, et illi de Bassignana ex alia, die Veneris 16. mensis Madii sese compromiserunt per transactionem et omni modo quo melius fieri potest in ambaxatores comunis Pergami et in ambaxatores comunis Aste et in ambaxatores comunis Casalis, de omnibus litibus et contraversiis et questionibus que inter utrasque partes vertuntur; qui ambaxatores arbitri constituti, concorditer tullerunt sententiam inter istas partes: Primo quod pax et finis et remisio iniuriarum sit inter eos; ita quod Albericus de Xuardis qui erat potestas Papie habito sallario suo et ultra 500 libris Papiensium recedat, et loco sui eligerunt potestatem comunis Papie voluntate partium domnum Lanfrancum de Xoardis potestatem Papie, qui iuravit regimen die Iovis 5. mensis Iunii. Item quod Bassignana perveniat in forcia domni Ulivi Georgii potestatis militum Papie et domni Guillelmi de Petra potestatis populi, et debet durare regimen potestatis

a) calvacatoribus *c. saepius.* b) habef *c.* c) sentitur *c.* d) Manchasturino *c.* f) capaniam *c.* g) parate *c.* h) multo *c.* i) cerua *c.*

44) i. e. pertica. 45) vox Itala, i. q. expavefacti.

comunis et potestatis militum et populi a Kalendis Ianuarii usque ad unum annum. Et die 1270. sabbati 7. mensis Iunii intraverunt milites Papie.

Eodem tempore de mense Aprilis proxime preterito homines Taurini totaliter se et civitatem suam et castra et iurisditiones et honores civitatis dederunt et recommendaverunt regi Karulo cum multis pactis et conventionibus inter eos adiectis; quod valde displicet hominibus Aste qui ipsam civitatem habebant in sua custodia, expelentes potestatem et totam familiam suam qui erat de Aste de civitate Taurini; quod etiam valde displicet comiti Savolie, qui homines Taurini maxime odio habet.

Eodem tempore die Iovis, 22. mensis Madii, in adsensione Domini Alexandrini comu- Mai. 22. niter se et civitatem suam et quinque castella et honore et iurisdictione civitatis totaliter dederunt et condesserunt regi Karulo, scilicet domno Roberto de Avena eius vicario pro eo, expelentes de civitate Alexandrie iudices et familiam domni Francischi de Lature qui erat potestas Alexandrie, imponentes signum sive vexillum regis Karoli super turim comunis cum trumbis et cunbanis[a] et magno gaudio cum multis pactis et conventionibus inter eos adiectis; quod factum valde displicet illis de Lature et hominibus Mediolani, propter quod videtur manifeste quod odium debeat nasci inter regem Karolum et homines Mediolani: displicet etiam factum istud marchioni Montisferati, qui dicit homines Alexandrie suos homines esse.

Die Martis, 27. mensis Madii, cum Mantuani hostiliter cum 200 militibus Parme, Mai. 27. 100 militibus Bononie, 50 militibus Mutine et 25 militibus Regii *et aliis suis amicis ivis- *fol 95. sent in episcopatum Verone causa offendendi, de quorum adventu Veronenses premoniti[b] cum eorum insidiis toto exfurcio insultum in eos facientes viriliter cum milicia et populo universo Verone, ipsos Mantuanos et totam eorum gentem fregerunt, et occiderunt multos milites, et ceperunt ex ipsis 150 milites et 240 equos preter illos qui fuerunt fugati, et bene circa 30 milites qui in quadam paludem fugerunt occasione evadendi a Veronensibus tam ab irrudinibus[c] quam ex aqua omnes in[d] armis mortui sunt inventi.

Die Iovis 29. mensis Madii Albertus de Fisco et alii comites de Lavania cum 150 mili- Mai. 29. tibus et omnibus pedutibus et ballisteriis quos habere potuerunt, et centum militibus Placentie propter guerram quam ipsi comites habent cum Luxiardis, venerunt hostiliter in vallem Tarii ad locum Complanini; et cum starent ultra Tarium iuxta castrum expectantes exercitum Placentinorum qui se congregabant ad castrum Arquatum, die Veneris 20. mensis Iunii cum milites illorum de Fisco ivissent ad burgum Vallantarii pro habendo mercatum, tunc archipresbiter Bedognie Sachetus et Recius de Luxiardis cum militibus et hominibus de Gravago et hominibus vallis Tarii, qui fuerunt 40 milites et 500 servientes probi et fortes, quando illi de exercitu ibant ad prandium, positis insidiis insultum viriliter in eos fecerunt et ceperunt domnum Albertum de Fisco, Nicolaum de Auria, Mazam de Fisco et alios, et plures usque in 100 et 60 occiderunt, et 80 equos et totam arnixiam exercitus habuerunt.

Die Lune 16. mensis Iunii operatione militum Papie firmata est pax et credata[e] palam Iun. 16. inter comune Papie ex una parte, et comune Mediolani. Terdone, Novarie, Verzelarum, Placentie; in qua pace et concordia adiectum fuit, quod homines Papie non debebant offendere per se nec per alios homines Laudes Veteris nec illos qui sunt extra Laudem; quod factum valde displicuit hominibus civitatis Laude cum quibus Papienses pactum fecerant de adiuvando ipsos et de non facere pacem cum inimicis suis absque eis; propter quod ipsi Laudenses insistunt ad habendum pacem cum Mediolanensibus et illis de Lature.

Eodem tempore homines Uvree[46] se dederunt ex toto ob infestacione marchionis 46 Montisferati, qui ipsos guerriebat, in forcia et virtute regis Karuli, quod factum valde displicuit ipsi marchioni; propter quod et alia videtur quod oriatur discordia inter regem Karulum et ipsum marchionem et homines Mediolani; et in hoc quasi tota Lombardia intendit, alii non; et sic discordia est inter civitates Lombardie, et ad pugnandum contra Karulum homines Mediolani et marchio istus publice se opponunt, et continuo marchio Montisferati cum toto exercitu suo ivit ad vastandum homines Uvree[f] qui illico secum pepigerunt.

a) i. e. tympanis; cimbanis ed. b) ita P. recte; primo c. c) i. e. arundinibus (ed.). d) ut c. e) cridata ed. f) Vuree c.

46) i. e. Ivreæ.

1270. Eodem tempore comune Papie fecit pacem cum hominibus Mediolani expelentes capitaneos et valvasores de Papia, et cum hominibus Terdone, Verzellarum, Novarie et Placentie secundum quod prius habebant.

Eodem tempore homines Cherii se dederunt in forcia regis Karuli, propter quod vigerius de Alba et allii vigerii Karuli volebant facere exercitum super ipsos.

Iun. 23. Die Lune 23. mensis Iunii cridata est publice treugua inter homines Mediolani et homines civitatis Laude, et inter eos interim tractatur de pace; et est domnus Sucius de Vistadino potestas populi Laude cum ambaxatoribus Laude in civitate Mediolani ad tractandum de pace. Die[a] Mercurii 25. mensis Iunii in civitate Mediolani iurata est pax et ordinata; in qua pace homines Laude debent habere domnum Napolionem[b] de Lature pro eorum potestate et domino et rectore cum certis pactis, et debent expelere domnum Bossium de Dovaria et omnes forestatos Cremone et Placentie de civitate et districtu Laude et bannitos[c] Mediolani, contra pacta et promisiones facta domno Bossio et eius sequacibus, qui civitatem Laude paulo ante deffenderant viriliter et potenter. Et die Veneris 27. mensis Iunii domnus Bossius cum suis Cremonensibus venit in Papiam. Hanc enim pacem et concordiam Ovregnaghi de Laude in opprobrium domni Bossii quem diu odio habent tractaverunt et fecerunt, et quia Papienses cum Mediolanensibus pacem fecerant relinquentes homines Laude contra promisiones eis factas, predicta omnia fecerunt postquam guasta et dampna multa passi sunt a Mediolanensibus. Unde versus:

*Lombardus pactum[d] post dampnum suscipit actum.*

Et continuo domnus Napolionus misit vicarium suum in civitatem Laude.

Die vero Veneris 4. mensis Iulii, in festo sancti Antolini, domnus Napolionus de Lature cum 600 militibus Mediolani cum omnibus Sumarivis et parte eorum qui erant extra civitatem Laude propter dedictam guerram circa terciam intravit in civitatem Laude sine armis causa conferendi eis honorem. [Cui occurrunt Laudenses[e]] extra civitatem cum magna leticia atque gaudio. Et statim domnus Napolionus cum fuit in civitate, fecit de gente sua guarnire turres et fortilicias civitatis, et fecit cridari quod quilibet deponetur arma. Unde illi de parte domni Sucii de Vistadino et Ovregnagorum volentes in totum observare precepta domni Napolioni statim depossuerunt arma, alii vero de parte Sumarivorum non depossuerunt sua arma; et stantes ita, sumpto prandio iuxta nonas illi de parte[f] Sumarivorum cum armis insultum fecerunt in illos de parte Ovregnagorum; et primo interfecerunt domnum Ubertum de Bellocis, postea Raynum de Vistadino et Francum de Vistadino filium domni Sucii, et multos et multos alios usque in 70, et quasi omnes de parte illa derobaverunt, et multi de parte ipsa plus de 1000 absentaverunt et fugierunt sicut melius poterant. Domnus vero Napolionus stabat in palacio, et milites qui secum erant stabant et ibant per civitatem et dimitebant facere et confortabant homines ad faciendum omne malum, et facit fieri domnus Napolionus in civitate Laude inter portam Mediolani et portam Regalem de versus Mediolanum ad expensum comunis Laude unum castrum.

Eodem tempore orta est discordia in Allamania inter filios marchionis de Misna[g], propter quam discordiam dilatatus est sive retardatus adventus regis Frederici tertii.

Eodem tempore Placentini intrinseci dolore conflictus exercitus illorum de Fisco tacti, exercitum congregaverunt de[h] rocham de Bardi causa eundi super Placentinos extrinsecos
46 vel ad Petram Travinam[i] vel ad Gravagum vel ad Complaninum, ubi steterunt cumpetrando[46] auxilium amicorum per tres ebdomadas et plus; et interdum[k] domnus comes timens de Petra Travina fecit ipsam igne cremari et derelinquit ipsam. Unde Placentini cum 200 cavalcatoribus Mediolani, et cum 50 militibus Parme et 200 peditibus et 50 ballisteriis eiusdem
fol. 96. civitatis, et cum omnibus militibus Placentie, et cum 1500 peditibus de civitate Placentie et cum ballisteriis et gente de episcopatu, die Iovis 10. mensis Iulii iverunt ad guastum Gravaghi, ubi erat comes Ubertinus de Lando cum 100 militibus Papie adsoldatis ad soldos eius et cum 180 militibus de parte sua. Veruntamen domnus Fredericus de Andito et Ricius de Luxiardis cum militibus adsoldatis venerunt statim de versus Zavatarellum, et facto guasto ab una parte Gravaghi arborum et domorum in parva quantitate quia parvus exercitus erat, die Lune 21. mensis Iulii ad propria redierunt.

a) foie *c. ut supra p.* 542. b) Napū *saepius c.* c) bannitus *c.* d) *ita correxi;* patrum *c.; cf. supra ad a.* 1237. *p.* 476. e) C. o. L. *inserui, nam eiusmodi aliquid desideratur.* f) parate *c.* g) misia *c.* h) ad *ed.* i) petramuinam *c.* k) interum *c.*

46) i. e. expectando.

Eodem tempore Philipi de Pontremullo, qui erant extra Pontremullum expulsi, tractatu 1270. hominum Parme et domni Manfredi marchionis Malaspine et cum gente eorum privatim intraverunt Pontremullum volentes invandere Anrighinos et Oddobertos et partem eorum. Qui Anrigus Odeberti et pars eorum resisterunt viriliter et potenter, et eos extra locum proiecerunt et multos ex ipsis occiderunt, inter quos fuit mortuus[a] Bonacursus de Philipiis, et multos ceperunt, et sic remanet dominium dicti burghi in forcia Petrazoli de Anrighinis et Oddobertorum et partis eorum.

Eodem tempore Conradus Capicia qui dominabatur civitate[b] Centorbi in Scicilia et in aliis pluribus civitatibus atque locis rebelando contra regem Karulum, tamdem traditus est a suis de Centurbo in manus regis Karuli; cui Conrado iussit errui oculos de capite. Qui indignatus et ductus in disperationem noluit comedere et mortuus est; quem trassinari iussit per civitatem et postmodum per gullam[47] suspendi. Et ipsa civitas cum omnibus existentibus in ipsa affidatis[c] paruit mandatis domni regis Karuli.

Eodem tempore orta discordia inter marchionem de Est et eos qui eum sequebantur in civitate Ferrarie ex una, et filios quondam domni Adhedegherii de la Fontana et eos qui illos sequebantur in dicta civitate ex alia, taliter quod habito tractatu, filii domni Adhegherii et quotquot sequebantur eos expulsi sunt de civitate Ferrarie, et remanet civitas in manibus et dominio marchionis de Est.

Die dominico 3. mensis Augusti Cremonenses pro comuni congregato exercitu sicut plus poterant, facto etiam ponte navium super Adduam iuxta castrum de Manchasturmis, transierunt ad ossiditionem dicti castri, facientes ibi cavum ut per ipsum cavum ducerent aquam de fluvio Addue ut melius possent obsedere dictum castrum, quod valde munitum est de omnibus neccessariis et probis viris de parte extrinseca Cremone, ubi erant pro capitaneis Cabrielus de Vegiis et Ysachinus de Dovaria. Et fecerunt ibi per girum 6 turres[d]. Et die Veneris 30.[e] mensis Augusti domnus Bossius cum 150 cavalcatoribus Yvree et 50 militibus partis extrinsece Placentie et cum aliis cavalcatoribus extravit usque ad exercitum Cremone, et nichil faciens rediit, et Cremonenses cum toto exercitu die dominico ultimo mensis Augusti ad propria redierunt, et illo die illi de castro ceperunt tres ex istis turribus et 13 homines.

Rex vero Francie cum toto exercitu suo, qui secundo die intrante[f] mense Iulii navigium per mare adscendit, primo aplicuit in Sardena in insula Sancti Petri, deinde de mense Augusti versus terram regis Tunixi iuxta stagnum ubi Cartago civitas illa fuit prope Tunicem per 10 milliaria applicuit et terram accepit, et congregat totum posse suum volens regem Tunicis et gentem et regnum eius subiugare, et se ibi fossis et spaldis circumdedit. Die vero sabbati 30. mensis Augusti rex Francie Deo[g] vocante ad eternam gloriam con- Aug. 30.
volavit, et filius eius Iohannes Tristanus per duos dies[h] ante similiter in prelio defecit. Die vero Lune primo mensis Septembris rex Karolus cum gente sua ibi navigio applicuit Sept. 1.
et factus est capitaneus totius exercitus. Est enim ibi maxima caristia victualium; timent enim christiani[i] ad mortem Saracenos propter multitudinem equitum armatorum. De mense vero Octubris Oddoardus filius regis Anglie cum quingentis militibus et alia gente sua cum navigio ibi applicuit. Unde videntes rex Philipus filius quondam regis Francie et rex Karolus et rex Navarie et dictus Oddoardus non posse ibi moram facere propter victualia et propter multitudinem Saracenorum et propter dompnum Fredericum de Castella et comitem Fredericum Lancum[48] qui cum multa quantitate militum christianorum ad soldos regis Tunicis ibi erant, pactum fecerunt cum rege Tunicis promitente eis dare censum illum quem solitus erat dare quondam domno Frederico imperatori; et ita recesserunt omnes relicta bene ibi medietate christianorum in campis sepulta; qui illuc fraudulenter contra Deum et iusticiam iverant, cum deberent ire ad recuperationem terre sancte; et hoc fuit de mense Novembris.

Eodem tempore tota Tuscia in concordia perseverat cum rege Karulo non dando sibi dominium civitatum.

Eodem tempore comes Ubertinus de Lando et illi de Gravago et Luxiardi pacem fecerunt cum domno Alberto[k] de Fisco et aliis comitibus de Lavania datis ossidibus per dictum domnum Albertum de Fisco. [Qui scilicet domnus Albertus de Fisco[l]] debet relaxari a

a) morrus *c.* b) in cãtirate *c.* c) affadatis *c.* d) curea *c.* e) *est* XXIX. f) intrente *c.* g) *vox deest in c.* h) die *c.* i) expiani *c.* k) Vlberto *c.* l) *haec supplevi.* 47) i. q. gulam. 48) i. e. Lanceam.

1270. carceribus; qui promitit filios dicti domni comitis, scilicet Galvagninum et Conradinum qui sunt in forcia regis Karuli, a dictis carceribus liberare et Manfredum filium quondam domni Uberti marchionis Pellavicini, quem ipse domnus Albertus habet in sui forcia, cum parentellis inter eos adiectis.

Die Veneris 22. mensis Augusti Terdonenses pro comuni cum trabuchis et manghanis vadunt ad ossiditionem Seravallis cum marchione Montisferati et gente sua, quod castrum tenet domnus Fallavellus. Papienses vero vadunt in cursum dicti domni Fallavelli hostiliter milites et populus, licet displiciat militibus Fallabrinis, et moverunt se die Martis 26. Augusti, et steterunt per sex dies, et iverunt usque ad Seravallem, set propter victualia redierunt nichil ibi facientes. Terdonenses vero qui erant super quemdam montem ibi prope cum trabuchis, die nottuque trabucabant castrum stantes in fortitudine. Post paucos dies Terdonenses et domnus Fallavellus compromiserunt[a] se in domnos bastardinum de Monteferrato et Guillelmum de Petra; qui tullerunt per sententiam, quod Terdonenses debeant dare isto Fallavello pro castro Seravalle tredecim millia libras Papiensum cum alliis pactis, et ipse domnus Fallavellus debet tenere dictum castrum donec integre fuerit ei satisfactum.

Sept. 15. Die Lune 15. mensis Septembris illi de Gravago cum Luxiardis et illis de valle Ceni et Tarii ad equos et ad pedes, et fuerunt numero equites circa 50, milites et servientes circa 400, et equitaverunt ad Guxanam, et ipsam villam totam derobaverunt de bovibus et bestiis in magna quantitate; et cum recederent cum preda, Iacobus Strictus qui erat capitaneus 40 militum adsoldatorum pro comuni Placentie in illis partibus, cum tota gente *fol. 97. illarum *partium propter cridum cucurit post ipsos; quo viso et multos ibi occiderunt et ceperunt. In sucursu quorum domnus Franciscus de Lature cum milicia Mediolani equitavit; deffendunt enim Mediolanenses Brixienses extrinsecos et partem eorum contra regem[b] Karulum et illos de civitate Brixie.

Sept. 26. Die Veneris 26. mensis[c] Septembris indictionis 14. Cremonenses extrinseci cum militibus et populo qui iverant ad Malgratum positis insidiis iuxta fortilicias quas Cremonenses de civitate fecerant pro ossiditione castri istius, illi de Malgrato ad equos et ad pedes iverunt ad illos qui in fortiliciis erant, qui erant numero bene 1000 pedes armati. Qui vero exiverunt extra obviam illis [de Malgrato. Illi vero[d]] de Malgrato cum illis qui in insidiis latebant, insultum fecerunt in ipsos et eos in fugam possuerunt, et ceperunt ex ipsis 33 omnes capelletos bene armatos ex omnibus armis, et alii[49] ex ipsis occiderunt. Ad quod factum milites Cremone et Parme cum Placentinis fuerunt; nichil ibi facientes, reversi sunt ad propria. Unde illi de Malgrato continuo ceperunt omnes turres quas Cremonenses fecerant, excepta una que est in ripa Addue, et ipsas penitus destruxerunt et fossata explanaverunt, et nullum dampni passi sunt illi de Malgrato.

Sept. 29. Die Lune 29.[e] mensis Septembris cum comes Ubertinus de Lando et milites qui erant in Zavatarello facerent apparatum magnum preliandi burgum Zenevreti ubi morabantur[f] quinquaginta milites adsoldati pro comuni Placentie quorum erant capitanei Sagius de Nebiano et Oddinus de Rocha, pro deffensione vallis Tidoni et hominum illius vallis quos multum infestabant illi de Zavatarello, quod factum vel per aliquos de Zavatarello prodictorie vel alio modo propallatum sive manifestatum fuit potestati et comuni Placentie. Unde ipsi Placentini miserunt ad civitatem Cremone pro duabus portis[g] militum Cremone, qui illico die dominico in sero applicuerunt in Placentia, et continuo milites Placentie cum illis Cremone equitaverunt in valle Tidoni versus Zenevretum. Qui ante quam essent ad Zenevretum, illi de Zavatarello iam per vim ceperant totum burgum Zenevreti et ipsum igne cremaverant, recedentes cum magna preda hominum et bestiarum et massariciis rusticorum. Et cum recederent cum preda et lucro et essent inter Zenevretum et Nebianum, isti Sagius de Nebiano et Oddinus de Rocha, capitanei istorum militum, cum ipsis militibus insequebantur ipsos de Zavatarello; et illi milites Placentie et Cremone post ipsos cum rusticis et hominibus vallis Tidoni, tamen a longe; unde illi de Zavatarello milites et pedites videntes istos Sagium et Oddonum et ipsos milites sic longe a scheris Placentinorum[h] et Cremonensium incedere, insultum audacter fecerunt in ipsos, et eos in fugam vertentes ceperunt ex ipsis militibus filium Alberici de Peccoraria, filium Iohannis Aginoni, Guillelmum Surdum de Nucceto, Iacobum de Rocha de Arcellis, Ubertum de Silvestro,

a) qui promiserunt *c.* b) legem *c.* c) menses *c.* d) d. M. I. v. *supplenda esse videbantur.* e) XXXI. *errore amanuensis manifesto.* f) morebantur *c.* g) porcis *c.* h) placentinos *c.*

49) i. e. alios.

Addobatum de Ziliano et alios usque in 22 inter milites et pedites et 10 equos et 5 panzerias 1270 et multa alia arma et 4 banderias, et sine dampno cum preda et lucro reverssi sunt ad Zavatarellum, et alii cum dampno reversi Placentiam.

Eodem tempore ambaxatores regis Castelle erant in Lombardia pro ipso domno rege, et locuti fuerunt marchioni Montisferrati et aliis pluribus magnatibus Lonbardie[a].

Die Martis ultimo mensis Septembris pretereunte, die Mercurii primo mensis Octubris adveniente, in hora medie noctis luna quasi tota passa est eclipsim, id est defectum in rotunditate[b].

Cremonenses de civitate videntes quod non possent tenere turres et pontem quos fecerant in obscidicione castri de Malgrato, ipsum pontem et omnes fortilicias quas ibi fecerant destruxerunt et relinquerunt. Unde illi de Malgrato pontem faciunt ut possint ultra Adam per ipsum pontem in episcopatu Cremone offendere et currere.

Eodem tempore de mense Octubris Placentini intrinseci cum centum cavalcatoribus Mutine et cum 50 Cremone et cum aliquibus militibus et gente de episcopatu equitaverunt in vallem Ceni et circa rocham Varsii, domos et villas, fenum et paleas combuxerunt, ne illi de rocha Varsii et de Gravago ab illis haberent necessaria.

Die[50] Martis 28. mensis Octubris circa tertiam domnus Ubertus Spinulla et allii Spinule 50 et illi de Auria et illi de Volta et alii magnates de Ianua cum hominibus armatis quos in domibus eorum privatos habebant, cucurerunt ad domos Grimaldorum et devicerunt eos, et iverunt ad domum potestatis comunis qui erat de civitate Parme nomine Rolandus de Putagiis, et per vim ceperunt ipsum et detinuerunt; et postea iverunt ad domum domni Iacobi de Fisco qui potestatem deffendebat, et posito igne per vim ceperunt ipsum, et obedivit eorum preceptis, et facti sunt domni Ubertus Spinula et Ubertus de Auria capitanei civitatis Ianue; ita quod omnes de civitate et districtu Ianue eorum precepta iuraverunt ad honorem imperii. Grimaldi vero et alii plures de civitate Ianue quolibet die se presentant coram eis. Obtinet in totum pars imperii in Ianua, pars vero ecclesie oppressa est. Omnes carceratos qui erant in carceribus comunis relaxaverunt, et omnia statuta et ordinamenta facta contra eos et partem imperii combuxerunt; et facti sunt capitanei comunis Ianue et populi usque ad quinque annos.

Eodem tempore Bononienses pro comuni cum illis de Ravena[c] et cum illis de Romagna in contrarium Veneticorum hostiliter erant ad redificationem castri Alberti in deffensione Olochie super mare.

De mense vero Novembris filius quondam Domaffalli Scarpe et homines castri Concilis se dederunt in forcia et virtute illorum de Gravago et partis extrinsece de Placentia, de quo multum sunt tristati Placentini intrinseci.

Die vero Veneris 28. mensis Novembris Rolandinus Granellus et fratres et Ubertinus de Nuceto et alii Placentini extrinseci intraverunt et adscenderunt super Petram Travinam, et ipsam petram spaldis et berteschis munierunt; quo audito per Placentinos de civitate, continuo illuc[d] equitaverunt, scilicet milites, et reverssi sunt nichil facientes ibi.

De mense vero Decembris cum Galici qui erant in Cartagine facta pactione cum rege Tunicano et gente Saracena et vendita cruxata pro peccunia, cum reverterentur versus Sciciliam in navibus in magna quantitate, Deus qui vindex est in iram, et qua nullum malum impunitum et nullum bonum inremuneratum, in portu de Trapanis circa 60 ligna cum omnibus *cruce signatis qui in eis aderant perierunt, et fuerunt numero plus quindecim *fol. 98 millibus, et rex[e] Navarie evasus a naufragio obiit in Trapanis.

Eodem tempore iam sunt 12[f] anni transacti quod duo magnates in orbe contendebant de imperio, scilicet rex Castelle et comes Rizardus de Anglia, quorum quilibet vocabat et appelabat se regem Romanorum, et electionem habebant a principibus Alamanie qui electionem habent de imperio; set integre nullus ipsorum voces electorum habebat, et ecclesia Romana cuilibet dabat intendimentum set non plenum.

Eodem tempore de mense Decembris populus Cremone de citanova[51] et populus de civitate insimul iuraverunt contra voluntatem domni Amadini de Amatis et illorum militum Cremone, et fecerunt ancianos per quamlibet portam, et eligerunt in eorum capitaneum

a) Lombardia *c.* b) *sequentia primo ita edidit:* Cremonenses de civitate videntes quod non possent tenere fortilicias. c) et cum illis de Ravena *bis in c.* d) illud *c.* e) res *c.* f) *vel potius* XIV, *dum uterque Riccardus et Alfonsus a.* 1257. *electus erat.* 50) v. supra pag. 270. 51) i. e. civitate nova Cremone.

1270. quemdam militem de Pistoria nomine, et habent totum dominium civitatis; et ultimo mensis Decembris venit dictus potestas ad regimen dicti populi, et speratur quod vellint dictam civitatem in pace reformari.

Dec. 29. Die Lune 29. mensis Decembris illi de parte extrinseca de Placentia qui sunt ad partes Gravagi intraverunt in castrum de septem sororibus[a] et ipsum muniverunt de omni apparatu; pro quo facto illuc[b] equitaverunt milites Placentie et circa 300 peditum de civitate volentes eis resistere, et redeuntes nichil ibi fecerunt.

1271. Febr. 13. Die Veneris 13. mensis Februarii domnus comes Ubertinus de Lando et illi de parte extrinseca Placentie qui morantur ad Zavatarellum intraverunt sive adscenderunt super petram Sylleriam, et ipsam petram guarniverunt de victualibus et omni apparatu, constituentes ibi pro capitaneis Razonem de Calenzano, Ubertum de Perduca, Iacobum advocatum et Ulmerium Manchasolam Guerri ante illos de civitate.

*Alfonssus[c] Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Castelle, Tolleti, Legionis, Galicie, Sibilie, Cordube, Iohannem et Algarbi rex, egregio viro comiti Ubertino de Lando dilecto vasallo suo gratiam suam et omne bonum. Nobilem virum Raymundinum de Mastaliis dilectum militem nuncium et fidelem nostrum latorem presencium ad tuam presenciam destinantes, nobilitati tue mandamus quatenus ea omnia que de nostris serviciis et honore ac tuo et fidelium nostrorum partis Placentie commodo et salute duxerit oretenus referendum, indubitanter credas et efficaciter exequaris. Sciturus quod te, quem favor noster et gratia digne prosequitur, desi-*
52 *deramus et volumus ad statum securum et prosperum promovere. Dat. apud Gualazafaris[52] 1271. a nativitate Domini die 15. mensis Ianuarii.*

Die Veneris 27. mensis Februarii audita sunt tonitrua[d] magna[d] morte.

fol. 99. 1200.[e] septuagesimo primo, de mense vero Marcii cum domnus rex Philipus Francorum cum gente sua reddiret ab exercitu Cartaginis et esset in civitate Viterbii ad missam cellebrandam, et secum esset Henricus filius comitis Rizardi de Anglia qui se regem Romanorum appellat, Guido filius condam Symonis de Monforte quem domnus Oddardus filius regis Anglie interfecit cum uno filio eius propter gentes regni Anglie quas concitaverat contra regem Anglie et ipsum Oddoardum, habito tractatu cum comite Guidone Rubeo de Maritima socero suo et aliis amicis suis, ipsum Henricum gladiis interfecit, et aufugit in Montemfisconum. De morte cuius multum doluit et tristatus est rex Philipus, quia eius germanus erat et vindictam facere non potuit. Deinde rex Philipus properat gressus suos per Tusciam, deinde per Lombardiam. Primo accessit Bononiam, postea Mutinam, deinde Regium, postea Parmam. Noluit venire Placentiam propter caminum strate quem comex[f] Ubertinus de Lando et pars extrinseca Placentie gueriant et offendunt, et propter timorem comunis Papie; et sic transivit Padum et ivit Cremonam, et ibi quinto mensis Aprilis cellebravit pascha; deinde Suncinum, postea Mediolanum, ubi recepit maximum honorem et stetit ibi per unam diem; et postea ivit Abiatemgrassam, deinde Vercellas, postmodum gradatim exivit de Lombardia. Habebat enim sexcentum somerios, milites circa 400, et deportabat secum ossa condam domni Lodoyci regis patris sui, et ossa Iohannis Tristani fratris sui, et ossa uxoris sue, et ossa comitis de Navara cognati sui, et ossa Anrici filii condam comitis Rizardi consanguinei germani sui quem interfecerat Guido de Monforte, et multa alia ossa baronum comitum et marchionum qui in exercitu Cartaginis obierunt, sicut mox est.

Domnus vero Oddoardus filius regis Anglie cum magna comitiva militum cruce signa-
53 torum, et comex Piyte[53] frater condam regis Francie[54] cum gente sua causa transeundi ultra mare in recuperatione terre sancte, et sine fallo transibunt, nisi remanserit pro morte Anrici filii comitis Rizardi de Anglia qui erat consanguineus germanus dicti domni Oddoardi et quem domnus Oddoardus recommendaverat domno Philipo regi Francorum.

*Alfonsus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et Castelle, Tholeti, Legionis, Galicie, Sibilie, Cordube, Murcie, Iehonnem[g] et Algarbii rex, eggregio viro comiti Ubertino de Lando karissimo vasallo suo gratiam suam et omne bonum. Sollicitudinis et ferventis fidei tue zellum quem habere probabili experimento te novimus ad procurandum et totis tuis viribus*

a) *passim scribitur* septum sorribus. b) illud *c.* c) Alfonſſus *c.* d) *voces supplendas duxi, spacio in codice vacante.* e) *pergit in folio* 99 *c. pagina* 98' *tunc vacua relicta.* f) *ita c.* g) *v. supra lin.* 14.

52) Guadalaxara? 53) Poitiers. 54) scilicet remanserunt.

*proſequendum nostri promotionem nominis et honoris cognoscit nostra serenitas evadenter, ex quo sic te habemus in conspectu nostro merito graciosum, ut de te tanquam de precipuo et dilecto fideli nostro in nostris et imperii agendis potissime confidimus. Quare dilectionem tuam ortamus*[a] *et sollicitamus attente, quatenus adventum nunciorum et sindicorum comunium et partium imperii Lombardie quos intelleximus ad nostram presentiam accessuros ut nobis faciant fidelitatis debite iuramenta, accellerare procures: ut nobis ius ipsum quod habemus in imperio prosequentibus cum effectu, dillaceratum reformetur imperium, civitates in plena iusticia foveantur, honorentur nobiles, vivant in unitate populi, et optata quiete gaudeant singulariter singuli et universaliter universi. Et ecce viri nobiles Agonus, Martellinus et Guillelmus Burrus, ambaxatores partis extrinsece Mediolani, latores presentium fideles nostri, nostre voluntatis et propositi in predictis*[55] *tibi clarius poterunt explicare. Dat. apud Valenciam 21. Februarii* 55 *14. indictionis.* 1271.

Die Veneris 20. mensis Marcii Veronenses habuerunt ad eorum voluntatem castrum Soavi et duo alia castra que tenebat domnus abbas Sancti Zenonis, qui rebellabat comuni Verone. Mart. 20.

Eodem tempore comes Ubertinus de Lando tractatum habuit cum Guillelmo de Fredencio et Montenario Grasso et ceteris Balbis, et facta pactione cum eis, data filia domni Guizardi de Andito cum quatuor centum libris Placentinorum, de quibus pars extrinseca de Placentia solvit 300 libras et domnus Guizardus centum libras, in uxore filio Guillelmi de Fredencio; et datis istis Balbis 300 libris Placentinorum pro parte ista, causa emendi equos et arma et guarniendi castra eorum; et aliis parentellis factis inter illos de Andito et dictos Balbos, facti sunt dicti Balbi ipsi et eorum homines amici dicti domni comitis et partis eius, ita quod die Veneris 17. mensis Aprilis archipresbiter et Ricius de Luxiardis cum eorum servientibus intraverunt petram Dueriam ubi recepti fuerunt a Balbis cum magno honore; et Gerardus de Maxerata et Ubertinus de Nuceto cum eorum servientibus de parte ista cum gente Balborum intraverunt in petram Scremonam munientes ipsam petram omnibus neccessariis. Similiter guarniverunt Ozolam, et quasi omnes de Montanea obediunt domno comiti et parti extrinsece de Placentia. Et die dominico 19. mensis Aprilis domnus comes cum illis militibus de Zavatarello quos secum ducere voluit, transivit ad partes petre Duerie pro multis et variis negociis que sibi et parti iste imminebant ad faciendum; die vero Lune 4. mensis Madii domni Guizardus de Andito et Razo de Kalenzano cum militibus qui erant ad Zavatarellum circa 70 equitaverunt ad partes petre Duerie, et die Mercurii 6. mensis Madii predicti milites et Montenarius Grassus et ceteri Balbi cum gente eorum et illi de Gravago et illi de Varxio et illi de septem sororibus[b] cum bene quingentis servientibus expectantes diu domnum comitem cum Luxiardis et illis de petra Cravuna et gente eorum qui esse debebant ad locum statutum, qui non venerunt sicut per domnum comitem ordinatum fuerat, insultum fecerunt in villam de Tolleria predantes et comburentes totam villam et illam contractam. Placentini vero intrinseci scientes de dicta cavalcata, illuc cum omnibus eorum militibus equitaverunt; et facto prelio magno cum eis, terga vertentes fugam petierunt. Unde predicti Placentini extrinseci multos ceperunt et multos ex ipsis occiderunt et predam magnam et campum habuerunt: tamen maior pars militum partis extrinsece auffugit propter impetum societatis Luporum, qui ipsos in fugam posuerant omnes preter servientes, qui postea campum recuperaverunt.

Placentini intrinseci cunctorum auxilio destituti propter mala opera que[c] fecerunt et faciunt omni die, et quia inter se ad invicem multa scismata nata sunt, videntes non posse resistere violencie *comitis Ubertini de Lando et partis extrinsece de Placentia, statuerunt se daturos in forcia domni regis Karoli; de quo facte sunt magne divisiones[d] inter eos; alii volunt dominium dicti regis, alii non, denique maior pars sicut sunt Scoti et ceteri mercatores et peratici affectant dominium regis ut evictent dominium Alberti de Fontana et ceterorum scelus, et ob hoc tota civitas est in maxima confusione quod nesciunt quid faciant. Verumtamen suos ambaxatores miserunt ad domnum Robertum de Lavena qui est vicarius domni regis Karoli in Lombardia, et ad domnum archiepiscopum de Axia[56] nacione Placentie, nomine domnum Vicedominum de Vicedominis, scilicet domnum Ianonum Leccacorvum canonicum Placentinum, et domnum Iohannem Gobbum prepositum Sancte Euphenie de Placentia, ut predictos dominos nomine domni regis introducerent in civitatem Placentie. *fol. 100.

a) *ita c.* b) sorribus *c.* c) qui *c.?* d) sunt *hic additur in c.* 55) scilicet contenta. 56) Aix.

1271. Qui domini cum essent in civitate Alexandria, causa eundi ad civitatem Placentie fidantiam petierunt a comuni Papie. Set Papienses operatione amicorum comitis Ubertini noluerunt sibi dare fidantiam. Unde iverunt per Nuxedanam[a] et postea per Parmexanam, et die Lune 27. Aprilis intraverunt in Placentiam. Exeuntes vero Placentini obviam eis, sibi maximum honorem fecerunt. Die vero Veneris 8. mensis Madii iuraverunt fidelitatem domno Roberto de Lavena recipienti nomine domni regis Karoli, usque ad 10 annos cum certis pactis 57 et conventionibus[57], statuentes in eorum statutis quod quilibet forbannitus comunis Placentie posset reddire in civitatem Placentie usque ad unum mensem ad precepta domni regis. Quo audito per Placentinos extrinsecos, paulatim inceperunt ire in Placentiam; et orta discordia inter eos, quasi omnes iverunt ad precepta domni regis. Domnus Albertus Manchasola, Iacobus de Peccoraria, Gerardus de Turano, qui dudum contra comitem conspirationem fecerant, incitabant homines, et ipsi similiter iverunt. Isti erant in Papia. In Zavatarello Guizardus de Andito et Ugozonus Furnarius[b]; illi de Gravago Robertus de Ronchoveteri, Fredericus de Andito, Balbi et Flamengus de Andito: isti fuerunt actores destructionis partis, et iverunt isti omnes et quasi tota pars, excepto comite et Luxiardis et aliquibus paucis, penitus et sine aliquibus pactis ad precepta domni regis Karoli et comunis Placentie. Fredericus de Andito habitis 150 libris dedit comuni castrum de septem sororibus[c] et captivos, et comes propter expensas reliquit Petramsillariam. Balbi omnes iverunt ad precepta comunis.

Apr 29. Die Mercurii 29. mensis Aprilis Cremonenses vero intrinseci factis cepatis lignorum et facto omni apparatu per terram et aquam, cum navibus cohopertis venerunt ad castrum de Malgrato, quod tenetur per domnum Bossium de Dovaria et Cremonenses extrinsecos; et undique preliantes ceperunt burgos duos dicti castri, et pontem quem super Adduam construxerant in offensione civitatis Cremone ceperunt et destruxerunt. Et ibi circa castrum ordinatis amicis eorum in ossiditione steterunt faciendo ibi cavas ad murum castri et erigendo ibi tria eddifficia magna; et die dominico 24. mensis Madii non per vim set per debilitatem illorum de castro, affidatis personis et rebus cum certis pactis quod quilibet posset reddire in civitatem Cremone restitutus in omnibus suis bonis, dictum castrum habuerunt: alii iverunt in Cremonam et alii noluerunt ire; et ipsum castrum fonditus destruxerunt.

Iun. Eodem tempore de mense Iunii Mediolanenses cum exercitu ad postulationem Gambazochorum de Crema iverunt ad devastandum Cremam cum hominibus episcopatus Mediolani et cum eorum amicis, et undique ipsum locum devastaverunt, blavas vineas et arbores: Cremaschi fortiter resistentes viriliter tuti sunt.

Eodem tempore de mense Iunii homines de Ovrea[58] propter odium quam[d] habebant contra marchionem Montisferati qui ipsos guerriabat, se cum certis pactis dederunt domno regi Karolo.

Iun. 20. Die sabbati 20. mensis Iunii comes Guido de Monte Feltro, qui in marchia Ancone rebellabat pro parte imperii contra Malamtestam de Riminis, qui partem ecclesie et regis Karoli cum suis sequacibus de marchia deffendebat[e]; qui cum esset cum hominibus Rimini in ossiditione cuiusdam castri de parte dicti comitis Guidonis, ipse comes cum toto suo exforcio militum et peditum insultum fecit in ipsos fortiter et potenter, et ipsos posuit in fugam et circa 200 milites iam per eum et suos captos, cridavit: *Ad civitatem! ad civitatem!* et posuit cum suis inter civitatem et illos de Riminis; et cum crederet habere civitatem, equus super quem sedebat cecidit in terram, et captus ipse comes fuit ibi, et quotquot cum eo erant capti sunt et mortui et ducti sunt in Riminis, et sic victor a victo devictus est.

Eodem tempore Robertus de Lavena qui pro domno rege Karolo dominabatur in civitate Placentie, detineri iussit Albricum de Gravago de Andito qui iverat ad precepta eius, et fecit sic quod habuit pro comuni Placentie castrum Gravago dando sibi et fratri septem milia libras Placentinorum; quo habito comune Placentie ipsum castrum vendidit Raynaldo Scoto pro tribus milibus libris Placentinorum; et sic ipse Albricus et Guillelmus eius frater

a) Lunexanam *Paveri.* b) *ita Paveri,* Fu? *c.* c) sorribus *c.* d) quod *ed.* e) descendebat *c.*

57) Conditiones lege in G. B. Adriani Documenti di storia patria, Torino 1855. et in Monument. Parm. l. c. p. 293. 58) i. e. Ivrea.

vendiderunt ipsum castrum et omnes presonerios partis extrinsece qui ibi erant in magna 1271. quantitate, et totam partem et honorem partis[a] eorum vendiderunt; de quo tota pars tam intrinseci quam extrinseci dolent ad mortem, et odio habent dictos Albricum et Guillelmum. Et Balbi dederunt petram Dueriam et guarnita est pro comuni, et petram Scremonam et Ozolam habita promissione 200 librarum; Manfredus de Rizio et pater dederunt rocham de Varxio comuni Placentie; Armanus de Pexola dedit Agnelinam[b] castrum suum; marchiones Pellavicini dederunt castrum Peregrini in forcia comunis et castrum de Belvedere. Vicecomes marchio Pelavicinus qui pro herede condam Uberti marchionis Pelavicini castra dicte[c] heredis tenebat, pepegit cum comuni Placentie tenendo castra illa.

De medio mense Iulii Regini et Parmenses[d] iverunt in ossiditionem castri de Corvaria Iul. quod tenet Iacobinus de Palude pro parte imperii, et die Iovis 17. mensis Septembris affidatis personis habuerunt illud castrum, quod penitus destruxerunt.

Eodem tempore domnus rex Castelle eius ambaxatores, scilicet comitem Guillelmum de Vinctimilliis et fratrem Oddemarium ordinis fratrum Predicatorum, dilectos fideles et consciliares transmisit[e] in Lombardia ad tractandum super facto imperii ad quod spirat; et factis pactis et conventionibus cum comuni Papie et sollempniter cellebratis, comune Papie in concordia fecerunt suos syndicos, scilicet domnos Laurengum de Bucentauris iudicem et Gualteronum, quos ad presentiam domni regis Castelle ad iurandum sibi fidelitatem tamquam imperatori duxerunt destinandos[f], qui[g] moverunt ad eundum die Veneris ultimo mensis Iulii. Et domnus Bosius de Dovaria pro se et parte extrinseca de Cremona, comes *Ubertinus de Lando pro se et parte extrinseca de Placentia, Iacobus Tavernerius *fol. 101. pro se et parte extrinseca Parme, Iacobus Tizonus pro se et parte extrinseca Vercellarum, Ribaldus Garnonus pro se et parte extrinseca Terdone, Torellus Torniellus pro se et parte extrinseca Novarie, capitanei partis extrinsece Laude, consimiles syndicos ad dictum domnum regem transmiserunt. Qui domnus rex promisit se daturum in defensione istorum omnium et partis imperii usque ad Kalendas Martii bis mille milites. Et fecit multas parentellas in contrarium regis Karoli. Primo dedit et dare debet domno Guillelmo marchioni Montisferati unam suam filiam, et debet accipere filiam dicti marchionis in uxorem Iohannis filii dicti domni regis, et hoc fecit propterea quod dictus marchio est inimicus domni Karoli pro Alexandria quam ei tenet et pro civitate Ovree quam sibi tenet; alteram vero filiam dat pro uxore domno Thomaxino comiti Savolie inimico domni Karoli propter civitatem Taurini quam sibi occupavit et quia semper extitit fidelis imperii. Alteram vero filiam dare debet filio ducis Bayverie inimico dicti domni Karoli propter quod[h] occidit regem Conradinum secundum nepotem dicti ducis. Alteram vero filiam dare debet filio Palialoghi imperatoris Grecorum inimico dicti regis Karoli propter quod dictus domnus rex Karolus cambium fecit cum domno Balduino condam imperatore Grecorum qui expulsus est per dictum Palialogum de Constantinopoli et vult dictus Karolus dictum imperium Grecorum occupare. Unam autem filiam eius naturalem dare debet magno cani imperatori Tartarorum qui est inimicus regis Ungarie cum quo dictus Karulus duplices parentellas fecit, dedit et accepit. Unam vero neptem suam dare debet iudici Arboree inimico dicti regis Karoli quia intendit sibi aufferre iudicatum Arboree in Sardenia et quia est magnus et potens in civitate Pisis. Marchio vero Montisferati cum filia sua intendit ad presens et facit apparatum quem potest eundi ad curiam regis Castelle ad copullandum dictum matrimonium et ad accipiendum uxorem suam; et Iohannes filius dicti domni regis cugnatus eius debet venire pro capitaneo dictorum militum in Lombardia.

Eodem tempore comes Anrigetus de Sparroeria civis Papie pro comuni Papie ivit in Alamaniam ad ortandum et adcellerandum adventum domni Frederici tertii regis Scicilie et Theutonicorum, qui cotidie prestollantur. Et predicta omnia acta sunt et tractata per marchionem Montisferati de voluntate domni Ricardi de Onibalibus[59] et domni Octaviani et Oberti de Cotonaria et aliorum cardinalium ecclesie Romane, ad quorum curiam dictus marchio de mense Madii perrexit. Factum vero adventus Theotonicorum et domni regis Castelle qui[i] ad imperium spirat, unum non contradicit alteri; unus vero venit pro imperio, alter vero pro recuperatione regni sui Scicilie; tamen ignoratur ad quem finem predicta veniant.

a) patris *c.* b) Agnelmam *c.*; Agnelinam *supra et Paveri.* c) dicti *ed.* d) Regini Parmenses et *c.* e) *vox deest in c.* f) duxerit destirandos *c.* g) *bis scripta* qui moverunt ad eundum. h) *deest c.* i) q *c.* 59) i. e. Annibalibus.

1271. Aug. De mense vero Augusti rex Karolus misit in Lombardiam in auxilium suum et Lombardorum 500 milites cum duobus equis et 100 ballistrerios ad equum ad soldos tamen Lombardorum, cum uno suo vicario nomine Iohanne de Claridi. De mense vero Augusti Bononienses cum carocio hostiliter iverunt super terram Mutenensium ad Castrum Francum, propterea quod Mutinenses noluerunt introducere forestatos eorum in civitatem Mutine sicut promiserunt Bononiensibus et ipsi Bononienses tenentur ex forma statuti ipsos introducere in civitatem Mutine; qui habitis pluribus castris Mutine et vastatis, ad propria sunt reversi.

Aug. 21. Die Veneris 21. mensis Augusti comes Tholoxie et Piyte[60], frater condam regis Francie et regis Karoli, cum reddiret a Brandicio ubi erat causa transeundi ultra mare in auxilio terre sancte et esset in Saona, ibi obit et delata sunt ossa eius in terram suam, et uxor eius filia condam comitis Thelose erat secum infirma de persona, de qua infirmitate obiit.

Aug. 23. Die dominico 23. Augusti Luxiardi et alii amici et fideles domni comitis Ubertini de Lando ex tractatu dicti domni comitis intrant[a] castrum de Gravago, et habent pro ipso domno comite in sui forcia et virtute, de quo multum dolent Placentini inimici sui, et specialiter Rainaldus Scotus qui ipsum castrum emerat a comuni Placentie pro tribus milibus libris, et comune Placentie emerat ipsum castrum a filiis condam Ianuncini de Andito pro septem milibus libris; et die Iovis 3. mensis Septembris dictus comes cum militum comitiva ivit ad castrum Gravagi causa accipiendi tenutam dicti castri et ordinandi facta amicorum illarum partium.

Eodem tempore marchio Montisferati adscendens[b] navigium in portu de Vay iuxta Saonam vadit ad regem Castelle pro accipienda filia dicti regis in uxorem; qui adscendit navigium cum ambaxatoribus Papie die Lune 24. Augusti.

Sept. 1. Die Martis primo mensis Septembris comes Fredericus de Triforti vicarius generalis illustris viri domni Frederici tertii regis Scicilie, cum sollempnibus ambaxatoribus eiusdem domni regis cum signis victricibus aquile et cum tubis argenteis applicuit in Verona, ubi recepti sunt a Veronensibus cum magno honore, et ibi expectant dictum domnum, langravium patrem eius, cum ingenti militum Germanie comitiva causa recuperandi regnum suum Scicilie quod domnus rex Karolus sibi tenet occupatum; et stetit ibi per magnum tempus, et nichil faciens redivit retro.

Eodem tempore de mense Septembris Mediolanenses cum exercitu iverunt ad vastandum homines Creme, et steterunt ibi per 10 dies.

Cum cardinales urbis Rome diu stetissent in magna divisione in electione summi pontificis per duos annos et plus, ad ultimum in concordia eligerunt sex ex eis, scilicet tres de qualibet, videlicet ex una parte primo domnum Ricardum de Anibalibus cardinalem, domnum Octavianum cardinalem, domnum Guidonem de Castella cardinalem, ex altera parte domnum Iohannem Gaytanum et domnum Ottobonum et domnum Symonem de Padua cardinales; in quibus se omnes in concordia compromiserunt, ut in quem quinque ex ipsis sex sese concordaverunt, esset papa et pontifex populi Romani. Unde predicti arbitri quinque ex ipsis sex, scilicet domni Ricardus, Iohannes Gaytanus, Octavianus, Octobonus et Symonus de Padua, per formam dicti compromissi presentibus convolentibus[c] omnibus cardinalibus in civitate Viterbii, qui cardinales erant 18, ex quibus *10 erant ex una parte et 7 erant ex alia et unus renuntiaverat electioni eorum, die Martis primo mensis Septembris in festo beati Egidii confessoris 1271 indictione 14. eligerunt domnum Tedaldum Vicecomitem natione Placentinum archidiaconum Lodoeti[61] in summum pontificem et appostolicum populi Romani. Qui domnus Tedaldus non erat ad presens, set erat in civitate Acri ultra mare pro redemptione anime sue in defensione terre sancte cum domno Oddoardo filio regis Anglie. Unde cardinales miserunt galeas et nuncios pro eo, et expectatur de die in diem. Et cessavit apostolatus urbis Rome a morte domni pape Clementis quarti per duos annos et 10 menses et 26 dies; et die primo mensis Ianuarii applicuit domnus papa in Brandicio, deinde Viterbum, et vocatum est nomen eius Gregorius decimus; et die dominico 13. mensis Marcii cum tota curia intravit[d] Romam, et die sabbati sequenti factus est presbiter, et die dominica sequenti in civitate Roma[e] coronatus cecinit et cellebravit missam.

*fol. 102.

De mense vero Septembris Brixienses de civitate cum vicario et gente domni regis Karoli iverunt ad ossiditionem castri de Manervio quod tenent Brixienses extrinseci, quo-

a) in c. b) adscendes c. c) et volentibus ed. d) int' c. e) romam c. 60) Poitiers. 61) i. e. Leodii.

rum caput est domnus Franciscus de Laturre civis Mediolani, et ipsum castrum undique 1271. trabucant et ossedunt; propter quod Mediolanenses indignati ad postulationem et requisitionem partis extrinsece de Brixia, quam domni de Lature et homines Mediolani deffendunt et adiuvant licet Brixienses de civitate dati sunt domno Karulo, die Lune 21. mensis Septembris extraserunt extra eorum carocium, precipientes exercitum generalem contra Brixienses de civitate militie et populi, et provocantes eorum amicos in eorum auxilium; et homines Pergami eorum carocium extraserunt in servitio hominum Mediolani, dantes eis auxilium militum et populi. Mediolanenses vero eorum carocium extra civitatem usque ad Piotelam die sabbati 26. Septembris conduxerunt, deinde usque ad Palazolum in auxilium partis extrinsece Brixie; qui Mediolanenses postulaverunt[a] auxilium pro dicto exercitu a comuni Cremone, Parme, Regii et Placentie, a quibus nullum auxilium habere potuerunt nisi verba pro verbis. Unde cum Mediolanenses nimis tardarent prestare auxilium et succursum illis de castro, cum non possent plus se tenere, die Mercuri ultimo mensis Septembris castrum dederunt Brixiensibus ex pacto quod possent stare in episcopatu.

Eodem tempore Venetici habuerunt castrum de Marchamo[b] quod erat situm iuxta mare in buca Padi in districtu Ravene, quod ibi fecerant Bononienses volentes ibi habere portum in mari de voluntate Ravanensium, quod etiam eisdem Bononiensibus dederant ob festationem[62] Veneticorum qui eos molestabant. In obsciditione cuius castri trabucantes ipsum cum trabuchis et manghanis per aquam die noctuque, steterunt per 10 menses et plus; quod penitus destruxerunt.

Die Veneris 13. mensis Novembris domnus comes Ubertinus de Lando capitaneus generalis partis extrinsece de Placentia habito tractatu[c] cum Francischino Balbo cum illis de parte ipsa qui morantur ad Zavatarelum, intravit castrum Montarzoli, et ipsum castrum habet et tenet in sua fortia et virtute; de quo multum dolent Placentini. Nov. 13.

Eodem tempore paulo ante Palialogus imperator Grecorum per vim occupavit civitatem Negropontis[d] et totam insulam que vocatur Niciropons habet in sua potestate, quam deffendebat rex Karolus.

Eodem tempore Suris et Barut et tota terra de ultra mare quam christiani tenebant excepta civitate Acri occupata est a soldano Damaschi et Alep et Babilonie aut per vim aut per pacta; et nisi domnus Oddoardus cum gente sua esset in civitate Acri, ipsa[e] civitas esset occupata similiter a Saracenis.

Die Lune 7. mensis Decembris Luxiardi et illi de Gravago et de valle Tarii et Ceni de parte extrinseca Placentie habito tractatu obviandi et inveniendi Provinciales et Picardos et Placentinos qui stabant in rocha de Bardi, collecta omni eorum gente ipsos in contractis Scalugie invenerunt, et insultum facientes in eos ipsos fregerunt, et interfecerunt ex ipsis 27 inter Provinciales et Placentinos, et 50 equos habuerunt et quinque ex Picardis de melioribus ceperunt, et tres Placentinos, scilicet Bosonem comitem de Bardi et filium Loreti Granelli et Pancaldum de Burgo, et magnam victoriam adepti sunt. Disconfitta Picardi et Provinciales ab illis de Gravago.

Eodem tempore primo mensis Ianuarii domnus papa qui erat ultra mare in civitate Acri in suscidium terre sancte cum domno Oddoardo filio regis Anglie, navigans per ferocitatem maris applicuit in Brunditio[63], deinde successive venit Viterbium, ubi receptus est honorifice ab omnibus, euntes cardinales et ceteri clerici obviam sibi per plures iornatas, et vocatum est nomen eius Gregorius papa decimus. 1272. Ian. 1.

Eodem tempore de mense Ianuarii marchio Montisferati venit de Yspania cum uxore sua filia regis Castelle, et cellebravit magnam curiam in Clavasio, et habuit magnam dotem ex dicta uxore sua scilicet 40 milia Tornensium.

De mense vero Februarii Franciscus Torta de Parma et Bernardus Scarpa et alii Parmenses et de Burgo sancti Dompnini qui stabant in Gravago, absque conscientiam domni comitis Ubertini et Luxiardorum et aliorum de parte intraverunt in forticiam Agneline; quo scito per Placentinos et Parmenses, illuc continuo cum gente episcopatus Placentini et Parme equitaverunt, et per vim ipsum locum et homines habuerunt, qui erant numero circa 24. Illi de Placentia habuerunt suos scilicet quos die Lune ultimo mensis Februarii suspenderunt per gulam, et Parmenses suos similiter suspenderunt per gulam Febr.

a) *vox deest in codice.* b) Marchenio *ed.* c) revocatu *c.* d) negropontis *c.* e) ipse *c.*

62) i. e. infestationem. 63) v. supra p. 554.

1272. excepto isto Francischo, qui detinetur vivus in carceribus, de quo fama est quod alios per avere[64] traddidit.

Mart. De mense vero Marcii, intrante ipso mense, vicarius regis Karoli qui erat in civitate Alexandria habito tractatu cum hominibus Aquie quam marchio Montisferati tenebat, in burgum civitatis Aquie cum hominibus Alexandrie intravit, et ossedit forticiam istius civitatis Aquie, in qua sunt homines dicti marchionis; et sic orta est guerra inter domnum regem Karolum et marchionem Montisferati. Marchio vero Montisferati colligit gentem suam et amicos, et invitat homines Mediolani et alios eius amicos in suum suscidium, ut suis qui sunt in forticia Aquie prestet succursum; et cum non possent ibi aliquid facere, seccesserunt. De mense vero Madii habito tractatu intraverunt civitatem Aquie, et facta ossiditione circa fortiliciam, ipsam habuerunt ad eorum mandata captis omnibus qui in ipsa fortilicia erant.

Mart. 22. Die 22. mensis Marcii rex Hencius, qui in Bononia captivus diu detinebatur, ab hac luce dicessit et sepultus est cum maximo honore.

Eodem tempore domnus Octavianus cardinalis, cum iret Romam cum domno papa, subito obiit.

*fol. 103. *1200. septuagesimo secundo, de mense vero Iunii domnus papa misit in Lombardiam pro suo legato et sedis appostolice domnum Vicedominum archiepiscopum Aquilensem[65], et die Martis 21. Iunii applicuit in Placentia; et post eum venerunt 250 milites et 100 balisterii domni regis Karoli. Qui domnus legatus die Iovis ultimo mensis Iunii habuit colloquium pro componenda pace cum domno comite Ubertino de Lando iuxta Zilianum, petens ab eo ut se compromittetur in domnum papam de litibus quas habet cum Placentinis intrinsecis; et cellebratis multis colloquiis ad invicem, nil fecerunt de pace: qui domnus legatus, qui erat natione Placentinus de proienie Vicedominorum amicus domni regis Karoli, nolebat ipsum domnum comitem et partem eius recipere nisi in totum se et castra sua daret in forcia et virtute istius domni regis et domni pape, quod quidem domnus comes facere noluit. Unde idem domnus legatus ipsum domnum comitem excommunicavit, de qua excommunicatione ad summum pontificem appellavit. Qui domnus legatus cum deberet venisse pro componendis pacibus inter civitates Lombardie, venit tantum ad augendum dominium et segnoriam predicti domni regis Karoli in Lombardia et ad provocandum homines Mediolani ad guerram faciendam hominibus Papie et predicto domno comiti; et homines Mediolani federavit cum dicto domno rege usque ad quinque annos. Verumtamen homines Mediolani propterea noluerunt facere guerram comuni Papie.

Die Veneris 23. mensis Iulii Terdonenses repudiaverunt dominium et segnoriam marchionis Montisferati expelentes vicarium eiusdem civitatis, et acceperunt rectorem pro domno legato.

Iul. 28. Die Iovis 28. mensis Iulii Mantuani dederunt codigium domno Guidoni de Corrigio eorum potestati, et factus est dominus contra Plenamons, et comes Sancti Bonefacii depositus est de dominio civitatis.

De eodem mense Alexandrini cum vicario regis Karoli per vim ceperunt civitatem Aquie quam tenebat marchio Montisferati, et multra castra abstulerunt per vim isto domno marchioni cum auxilio dicti vicarii.

Aug. De mense vero Augusti Papienses exercitum fecerunt super Valentinos devastantes ipsos, ad quem exercitum ivit domnus comes Ubertinus de Lando cum 50 militibus partis sue qui erant in Zavatarello.

Sept. 26. Die Lune 26. Septembris Manfredus Malaspina et fratres ceperunt caute domnum Albertum marchionem Malaspinam, et ipsum captum duxerunt in castrum Mulacii; de mense Novembris exivit de carceribus auxilio vicarii regis Karoli qui erat in Nudexana.

Oct. De mense vero Octubris orta discordia inter partem extrinsecam Brixie sub pretextu pacis volentes godere bona sua, iverunt ad precepta domni legati et domni regis Karoli, et pepigerunt cum illis de civitate; et soluto feodo domni Francischi qui extiterat potestas Brixie, partim ex ipsis, scilicet viles homines, intraverunt in civitatem, et partim extra steterunt; et positis magnatibus in confinibus extra districtum Brixie, omnia castra et forticilias dederunt[a] in forcia illorum de civitate, qui illa que voluerunt destruxerunt; et sic pars extrinseca penitus devicta est, et illi de civitate in eos[b] habent dominium.

a) deterea *c.* b) *vox deest in c.* 64) i. e. propter aviditatem. 65) i. e. Aquensem.

Die Veneris 10. Februarii audita sunt tonitrua in orbe. 1273.

De eodem mense apparuit stella in occidente caudata, que per multos dies apparuit.

De eodem mense domni Albertus de Flisco et Nicholaxius de Flisco comites et Grimaldi, forbaniti Ianue, sua castra et homines de versus orientem rebelaverunt comuni Ianue, et habito auxilio a rege Karolo intraverunt in terram Ianue cum militibus dicti regis; propter quod Ianuenses adsoldatis militibus Papie et Lombardie et peditibus, versus predictos hostiliter cum marcha Ianue et cum medietate populi civitatis Ianue iverunt, et recuperaverunt omnia castra comunis Ianue, et ceperunt Spessam et Brugnatam et Sanctum Salvatorem et multa alia castra illorum de Fisco; et de mense Marcii reddierunt in civitatem Ianue, relictis militibus de Lombardia in custodia et in chomarcha eorum. Qui milites die Veneris ultimo mensis Marcii cum militibus dicti domni regis Karoli prelium commiserunt iuxta Vezanum in glarea Vayre, et ipsis disconfictis ceperunt ex ipsis 40 milites et equos et arma ipsorum et 8 occiderunt.

De mense vero Marcii Valcamonica contra comune Brixie et regem Karolum rebellavit, ita quod 30 castra uno die se voluerunt, capientes Palmerium de Surexio qui erat pro domno legato in regimine dicte vallis.

1273. indictione prima, die Martis 4. mensis Aprilis Placentini intrinseci cum militibus adsoldatis equitaverunt ad castrum Corneti, quod Granelli et Ubertus de Nuceto et ceteri de parte extrinseca Placentie de voluntate domni comitis Ubertini de Lando construxerant in yeme proximo preterita iuxta Petramcravunam, et ipsum castrum undique preliaverunt, et per vim ipsum et quot in ipso erant preter unum qui aufugit ceperunt; quos omnes interfecerunt, qui fuerunt 22 numero. Inter quos fuerunt Ubertinus de Nuceto, Opizo Granellus et Aiorfus de Petracravuna et frater, et alteri erant boni servientes de valle Ceni.

De mense vero Aprilis intrante ipso mense Alexandrini habito tractatu cum hominibus Apr. Sancti Salvatoris castri marchionis Montisferati, dictum castrum intraverunt; de quo facto multum contristatus fuit marchio Montisferati. In cuius custodiam homines Alexandrie miserunt quarterium civitatis de Marencho; et die Iovis 13. mensis Aprilis pretereunte Bastardinus de Monteferato cum hominibus suis habito tractatu cum aliquibus hominibus dicti castri, dictum castrum intravit et devicit, et multos occidit et 350 pedites de Alexandria cepit.

Eodem tempore domnus Oddoardus filius regis Anglie qui ultra mare in auxilio terre sancte erat, cum nichil posset ibi facere propter potenciam soldani que maxima erat, venit ad curiam domni pape que erat in Urbe veteri, volens sumere vindictam de comite Guidone filio comitis Symonis de Monforte, cui dictus domnus Oddoardus occiderat patrem et fratrem eius, qui comes Guido interfecerat Henricum filium Ricardi de Anglia consanguineum germanum dicti domni Oddoardi qui veniebat de exercitu Cartaginis cum rege Francie, petens a domno papa succursum prestandum terre sancte, que tota terra sancta federata est cum soldano usque ad 10 annos dans ei tributum pro testa unum bisancium. Qui domnus Oddoardus rex Anglie de mense Iulii transiens per Lombardiam, ubi recepit maximum honorem a Lombardis, reversus est ad propria.

De mense vero Madii Papienses pro comuni exercitum fecerunt circa Valentiam deva- Mai. stantes eos.

De eodem mense Alexandrini exercitum fecerunt circa Niciam, devastantes Niciam, quod castrum marchio Montisferati tenet.

De eodem mense Bononienses cum illis de Romagna exercitum fecerunt ad civitatem Furlini, quam civitatem deffendebant Gibilini extrinseci et Venetici.

De mense Iunii marchio Montisferati venit Papiam honorabiliter, et de mense Iulii Iun. concordium et pacta et societatem fecit cum comuni Papie et cum comuni Ast; quod factum displicuit aliquibus Fallabrinis Papie qui ipsum marchionem solebant diligere; et hec omnia fiebant contra regem Karolum, et dedit comuni Papie * Pomarium et Olzimianum. *fol. 104.

Die 18. mensis Iulii domnus Plenamons de la Fontana civis et potestas Mantue cum Iul. 18. suis sequacibus et parte sua expulit Lugarum de Summo de Cremona potestatem Mantue de civitate Mantue, et Rufinum de Ianucalis et partem suam de civitate Mantue, interficiendo plures de parte illa, qui se reduxerunt in castrum Marcharie.

De eodem mense illi de castro Olzimiani qui odio habent marchionem Montisferati

1273. habito cum Alexandrinis tractatu[a] ipsum locum dederunt comuni Alexandrie. Unde Papienses illuc comuniter et hostiliter equitaverunt et steterunt per multos dies ibi, et nichil facientes reddierunt ad propria propter Mediolanenses qui extraserant eorum carocium invitatis eorum amicis ad eundum cum exercitu super Papienses in servicium domni regis Karoli.

Aug. 17. Die Iovis 17. Augusti Ianuenses hostiliter ceperunt et habuerunt castrum Godani et homines qui intus[b] aderant, et exercitus domni regis Karoli, qui per tres menses et plus in illis contractis steterant, retro se fecit et recessit penitus.

De mense Iulii proximo preterito domnus papa movit se de Urbe veteri ubi erat cum tota curia sua et venit Florentiam, et habito compromisso a Guelfis et a Gibilinis de Florentia, tulit sentenciam inter eos malam pro Gibilinis qui erant extra Florentiam; ossides et castra Gibilinorum accepit et dedit in forcia domni regis Karoli, et iussit Gibilinos stare extra civitatem Florencie godiendo sua bona usque ad decem annos. Deinde se movit cum tota curia et venit ad Sanctam Crucem prope Bononiam, et ibi habuit magnam infirmitatem, et stetit ibi usque ad 10 dies exeunte Septembris; deinde habita cum convalexencia[66] de persona se movit et intravit Lombardiam, et successive refertur super equos de loco ad locum causa eundi Legudinum, ubi statuit facere concilium regum et baronum et prelatorum de ultra montibus causa faciendi transitum ultra mare in recuperatione terre sancte. Die Lune 2. mensis Octubris in hora tertie intravit Placentiam, et statim misit domno comiti Ubertino de Lando suas litteras fidancie usque ad 10 dies ut secure possit ire ad eum, et cartam fidancie potestatis et capitanei comunis Placentie et suos milites obvia ei ut ipsum adsociarent. Comes vero non erat in Papia set erat ad Petram, et visis litteris domni pape et comunis Placentie statuit ire in Placentiam die Veneris sequenti. Quo audito per Albertum de Fontana et sequaces eius, taliter ordinaverunt cum domno Roberto de Lavena et domno Ottobono cardinali, quod domnus papa die Veneris qua comes ire debebat, transiens Padum ivit Laudem, deinde die dominico 8. mensis Octubris intravit Mediolanum, et habita fidancia domnus comes predictus a comuni Mediolani et a domno papa, illuc ivit cum sex amabaxatoribus comunis Papie; tamen in Mediolano non potuit loqui domno pape, qui die Iovis proximo se movit de Mediolano et ivit ad Mirimundum ad hospitandum, et domnus comes sequitur eum cum ambaxatoribus comunis Papie causa loquendi sibi. Qui domnus papa in temporalibus[67] proximis preteritis[c] fecit quinque cardinales, scilicet domnum Vicedominum archiepiscopum Aquileie natione Placentinum, item Bonamventuram ordinis Minorum, item archiepiscopum Legudinensem, item archiepiscopum Nerbone, item magistrum Petrum de Yspania qui habetur pro philosopho. Deinde proficiscitur Legudinum causa ordinandi concilium pro factis ultramarinis.

Oct. 1. De dominico primo mensis Octubris principes Alamanie qui ellectionem habent de imperio convenerunt ad Burgumfortem[68] in Alamania causa eligendi regem Romanorum, scilicet dux Bayverie qui habet unam vocem et dimidiam, rex Boemie mediam vocem, marchio Brandeburghi unam vocem, dux Sanxonie unam vocem, archiepiscopus Collonie unam vocem, archiepiscopus Magancie unam vocem, archiepiscopus Trevie unam vocem. Omnes predicti in concordia unanimiter invocato nomine Salvatoris, eligerunt domnum comitem Rodulfum de Albopuro[69] in regem Romanorum, et in festo sancti Luce in Asia[70] ad capellam fuit coronatus cum uxore eius.

Dec. 8. Die octavo mensis Decembris domnus Torellus Torniellus et pars sua orta discordia inter Cavalatios et Bruxatos Novarie, cum sua parte intravit in civitatem Novarie; cui maximum succursum prestiterunt Papienses et marchio Montisferati; propter quod orta est discordia et guerra inter comune Mediolani et comune Papie, quia domnus Franciscus de Lature erat domnus illius civitatis.

1274. Ian. 11. Die Iovis 11. mensis Ianuarii facta est pax sive treugua inter comune Placentie ex una parte et comitem Ubertinum de Lando et suos ex alia, cum certis pactis et conventionibus: si dederint domno comiti filiis[71] eius qui sunt in fortia domni regis Karoli, debet esse pax; sin autem non. Et duravit treugua usque ad medium Septembris.

a) *deest in c.* b) unus c. c) ptis c.

66) i. e. convalescentia. 67) i. e. in ieiunio quatuor temporum. 68) i. e. Francofurtum. 69) i. e. Habspurc. 70) i. e. Aquis. 71) i. e. filios.

**Die sabbati 24 mensis Marcii Astenses qui erant hostiliter ad Coxonum causa guastandi, fracti sunt et disconficti ab illis de Alba et a militibus domni regis Karoli, et capti sunt bene 2000 et 180 mortui.** 1274. Mart. 24.

**1274. indictione secunda. Littere destinate a domno rege Romanorum cardinalibus ecclesie, continentes hanc formam:**

*Venerabilibus in Christo patribus universis divina providentia sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus, Rodulfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus prontam et paratam eorum beneplacitis voluntatem. Principes in Romani electione regis ad quos de iure et approbata consuetudine ius eligendi ab antiquo pertinet*[a] *per multa tempora desides et discordes, non multis diebus elapsis die locoque prefixis*[b] *ab omnibus qui debuerunt potuerunt*[c] *et voluerunt interesse convenientes in unum, post varios de futuri regis electione tractatus tandem sub deliberationis prolixe conscilio que negotii magnitudinem condecebant, licet poterint in quam plures alios claritatis meriti dotibus redimitos et amplioris prestancie luminositate conspicuos consensisse, in nos tamen ad tam precelse dignitatis fastigium nullo prorsus ambitu aspirantis occulos suos concorditer direxerunt, nos ad imperii regimen erigentes. Nos itaque quanquam*[d] *stupidi trepido revolverimus in animo que et qualis esset huiusmodi dispositionis divine vocatio, nostre insufficiencie non ignari, et inspecta deorsum subiacentis abissi facie, timuerimus*[e] *adeo preheminentis adscendere speculam dignitatis: in eo tamen qui indagabili dispensationis sue*[f] *conscilio conditiones*[g] *statusque terestrium prout vult alternat et variat, quique*[h] *ponit humiles in sublimi et infirma corroborat, spiritum fortitudinis assumentes, ad laudem et gloriam Regis regum ob reverentiam sancte matris ecclesie et exaltationem catholice fidei, sub illius fiducia qui dat omne per gratiam forcia que sunt fragilia per naturam, tam inportabile honus in umeris nostris* assumpssimus, et tam formidabilis curam regiminis, ne contingeret infirmari ruptura*[i] *fol. 105. *dispositionis, que divine sapientie altitudo decreverat, nostro ministerio duximus alligandam. Sperantes immo pro firmo tenentes*[k]*, quod vos qui estis ecclesie cardinesque*[l] *et columpne mundique lumen et speculum sine ruga, nobis fidelem causam Dei et ecclesie sue sancte gerentibus exoptatis aspirare favoribus et benivolencie gratiose dulcoribus nostro processui debeatis adesse. Quocirca paternitatem vestram piissimam omni qua possimus precum instancia duximus exorandam, quatenus provida consideratione pensantes quantum*[m] *quietis et tranquilitatis et pacis ex nostra sublimatione*[n] *universali catholice fidei poterit provenire, altissimo Creatori hostias placabiles afferentes tam debitas quam congruas persolvatis, quod sacrum imperium*[o] *ob peccata et transgressiones*[p] *hominum per multa tempora debiti rectoris solacio destitutum in fidei*[q] *catholice obprobrium, in exultationem et gaudium gentilium et quorundam perfidorum, in nostra persona licet inmerita duxerit misericorditer reformandum; certo certius habentes, quod sacrosanctam Romanam ecclesiam semper intendimus honorare veluti filius devotissimus piam matrem, universum clerum protegere, viduas et orfanos et pupillos et alias personas miserabiles deffensare, pacemque disponere cunctis subiacentibus Romano imperio, hostibus fidei nos murum*[r] *opponere, et in omnibus per omnia sanctissimi in Christo patris ac domini Gregorii divina providentia summi pontificis iussionibus vobisque universis et singulis conplacere. Precipiat igitur pater sanctissimus nobis filio suo devotissimo, vestrique cetus reverenda universitas nobis iniungat aliquid horum facere que vestrum commodum et honorem respiciunt*[s]*. Ecce enim parati sumus iugum suave Domini et onus*[t] *nobis levissimum licet in se difficilimum substinere. Super hiis itaque honorabilem virum O. Sancti Guidonis Spirensis prepositum, nostrum secretarium et conscium mentis nostre canzelerium nostre curie, vobis duximus destinandum, cui in omnibus que vobis ex nostra parte retulerit*[u] *adhybere dignemini plenam fidem. Dat. Haganowe*[v] *11. Kalendas Ianuarii regni nostri anno primo.*

Domnus papa de voluntate cardinalium in civitate Luguduni electionem factam de predicto domno rege Rodulfo publice nono intrante Iunio confirmavit et approbavit.

Die Veneris 26.[w] mensis Aprilis 200 milites domni regis Castelle in succursum mar- Apr. 28. chionis Montisferati applicuerunt Ianuam; deinde iverunt ad marchionem predictum, et videtur quod domnus rex Castelle vellit se intromittere de imperio et contendere contra predictum regem Rodulfum; et quilibet ipsorum se appellat regem Romanorum, et iam

a) *vox deest in c.* b) *ita restitui;* die noctuque perfisis *c.* c) punierunt *c.* d) *ita correxi* tanquam *c.* e) monierimus *c.* f) suo *c.* g) conditionis *c.* h) Quinque *c.* i) rupture *c.* k) tenentis *c.* l) cardinique *c.* m) ltum *c.* n) sublimatent *c.* o) imquirium *c.* p) nostros gresuonis *c.* q) fide *c.* r) fidem nos morrum *c.* s) *vox deest c.* t) cusus *c.* u) retulerunt *c.* v) hazañ *c* w) XXVII *vere.*

1274. naves multe cum domno Bosio de Dovaria mote sunt et vadunt in Yspaniam pro ducendis militibus domni regis.

Mai. De mense Madii Mediolanenses cum eorum carocio et cum amicis suis de Lombardia hostiliter iverunt super Novarienses, et Papienses cum eorum carocio et suis amicis ibant in succursum Novarie; et ante quam guastum fierit, concordati sunt Novarienses et Mediolanenses bono modo, et quilibet reversus est ad propria.

Dicit prophetia abbatis Ioachini heresses philosoforum dimicant et in propria viscera convertuntur[a].

De mense Iunii orta magna discordia in Bononia. Pars de Lambertaciis expulsa est de civitate et fuerunt numero plus 10,000, et reduxerunt se ad castrum Sancti Petri et ad Ymolam et Faentiam et per castra episcopatus Bononie guerriando civitati, et bene sexta pars Bononie combusta est et studium[b] recessit de Bononia, et relicto castro in Bononia[c] se reduxerunt.

De eodem mense marchio Montisferati habuit castrum Olzimiani per vim, et de eodem mense cum Astensibus exercitum fecerunt super Albam devastantes ipsam.

De mense Septembris Bononienses convocatis amicis suis de Lombardia, de Tuscia et de marchia exercitum fecerunt iuxta Faentiam, ubi Bononienses extrinseci erant reducti, devastantes ipsam. Et comes Guido de Montefeltro et comes Guido Novellus cum Gibelinis et eorum amicis erant cum magno exercitu in civitate et extra obviam eis.

Eodem tempore paulo ante, ambaxatores Grecorum magni et sapientes litterati iverunt ad curiam domni pape in Legudinum ad imquirendum de conditione ecclesie Romane, portantes ibi tabulas argenteas in quibus scriptum est antiqui cuius *credo in Deum,* et invenerunt ecclesiam Romanam in illo *credo in Deum* errasse sicut dicitur, et sicut scriptum est in tribus capitulis; tamen pollicentes pro imperatore Grecorum dare succursum terre sancte a curia se diviserunt.

Nov. De mense Novenbris nono intrante dicto mense 800 milites Spagnoli optime guaraniti de bonis equis et armis applicuerunt Ianuam, et de mense Decembris venerunt Papiam, ubi honorifice a Papiensibus[d] recepti sunt. De mense Ianuarii Papienses comuniter iuraverunt fidelitatem domno regi Castele tamquam regi Romanorum, et de eodem mense Novarienses iuraverunt similiter fidelitatem isto domno regi, et Astenses similiter et Ianuenses, et ambaxatores Verone et Mantue, et videtur quod facta imperii augmententur in bonum; set ad ultimum ad nichilum devenerunt facta eiusmodi. Prophecia dicit: *Yspani delusi eiciunt arma.*

1275. De mense Ianuarii Guillelmus de Pusterla exivit de civitate Mediolani cum multis magnatibus illius civitatis, propter quod orta est guerra inter comune Papie et comune Mediolani et Laude.

De mense Marcii comes Ubertinus de Lando habet tractatum cum aliquibus de Placentia intrandi in civitatem; quo scito per Placentinos ceperunt Gerardonum de Asplando magnatem de ripa Padi et divitem, et Roglerium Ferri, et Rubeum de Sconzeno, quos decapitaverunt; Gerardum Ferri de Strata levata mercatorem, et Raynaldum Mazaferatum, Guidonem Corvum iudicem, Guillelmum Peldericium, Palmerium Ayguarium, Obertum de Regio, Ugonem de Viviano[e] malo modo et alios plures tormentaverunt. Plures fugierunt, scilicet domnus Tenerinus Coxadocha, Vitalis Pallastrellus, Bonizo de Andito et Lanfrancus de Vegia et alii plures.

Apr. 7. 1275. die 7. mensis Aprilis Papienses et Spagnoli voluntate et concordia intraverunt in civitatem Verzelarum, qui similiter iuraverunt fidelitatem domno regi isto.

Mai. 2. Die Iovis 2. mensis Madii Alexandrini existentibus super terram eorum ad guasta comuni Papie, milicia Ast, Vercelarum, Novarie, Ianue et ballistariis, milicia Cherii et Spagnolis, domno marchioni Montisferati et aliis eorum amicis hostiliter, iuraverunt societatem Papie et fidelitatem istius domni regis.

De eodem mense Bononienses confricti[72] sunt in contractis Faentie a comite Guidone de Monte Feltro et militibus Faentie et a Gibilinis Tuscie, et capti sunt 400 milites de melioribus Bononie.

*fol. 106. *Die Iovis 13. mensis Iunii Bononienses cum toto eorum exfortio in contractis Faentie a comite Guidone de Monte Feltro et comite Guidone Novello et a Gibilinis Tuscie et ab

a) *in margine eadem manu scripta.* b) et studium *bis scripta in c.* c) Faventia, *v. infra.* d) p̄p. *c.* e) Virviano *ed.*
72) i. e. conflicti.

aliis militibus illius contracte confricti sunt, et capti bene 8000 inter milites et popularis[a], 1275.
et mortui bene 4000 cum omnibus carris et vexilis et pavelionis et armis et omnibus rebus
et bovibus et bestiis quas in dicti exercitu habebant; et de 300 militibus quos Parmenses
ibi habebant non evaserunt nisi 14. Et ita prophecia que diu scripta est affirmatur, que
sic dicit: *Enses philosophos dimicant et in propria viscera convertuntur.*

De mense Madii domnus papa colloquium habuit cum domno rege Castelle in Belli- Mai.
cadio, in quo colloquio discordes seccesserunt sicut in litteris domni regis continetur, qua-
rum forma hec est:

*Alfonsus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, Castelle, Tholeti, Legionis, Galicie, Sibilie, Cordube, Murcie, Iemhne et Algarbi rex, nobilibus et discretis viris Lanfranco Pignatario potestati, conscilio et comuni Papie, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Quamquam ex deliberato conscilio ad summum pontificem nuper accesserimus secum habituri colloquium prout intelligere potuistis, nullactenus tamen potuimus experiri quod erga nos mansuetudinem paternam ostenderet*[b]*, quam in ipso patre patrum nos utpote devotionis et obedientie filius meruimus invenire, tam progenitorum nostrorum quam nostris exigentibus meritis, qui cunctis diebus nostris ad exaltandam matrem ecclesiam pro catholica fide pugnavimus. Qui non nisi iustum ab eo et solam iusticiam postulamus, non pro speciali commodo, Deus novit, set ad honorem Dei specialiter et pro statu pacifico populi christiani. Invenimus autem omnem austeritatem in eo, non velut in pio patre set sicut in domino carnali qui vult et nititur prorsus, si poterit nostram iustitiam suffocare, Deum non habens pre occulis qui fas et iustitiam reddi voluit unicuique. Nec compaciens christianorum naufragii*[c]*, qui se ipsos continue destruunt et occidunt, cum non sit qui eorum iniquitatibus obviet et disenssionibus ponat finem. Verumtamen huius colloquii fuit intentionis nostre causa precipua, ut per hoc mundus cognoscat et videant universi, quod ille qui fons iusticie debetur esse in terra, iustitiam nobis denegat sic lucidam, sic apertam, sicque in omnibus manifestam, quod nec fides nostra nec devotio prodest, nec que hactenus fecimus nec que facere volumus et valemus, tam ultra quam citra mare, ad Dei servicium adeo acceptantur, quod inde nobis sola iusticia tribuatur. Propter quod sperantes in ipso qui nullum deserit confidentem, confisi etiam de vestro speciali et aliorum nostrorum fidelium favore, imperiale negocium tam de iure quam de facto prosequi volumus modis omnibus, personaliter et potenter in Lombardiam venire penitus absque dilatione aliqua. Cupientes, ut in vestris brachiis nos ponamus, cum quibus vivere ac mori nobis in laudem et gloriam maximam reputamus. Quapropter fidei vestre constantiam, de qua plenissime confidimus et ab experto speramus, ortamur affectuose rogantes, quatenus quicquid tam in hiis quam aliis discretus vir Iordanus de Podio camerarius et procurator imperii generalis dilectus fidelis noster, voluntatis nostre plene conscius et instructus, vobis pro parte nostra dixerit, firmiter credere tanquam nobis vellitis, et efficaciter ut confidimus adimplere. Dat. in Bellicadio* 21. *mensis Madii* 3. *indictione.*

De mense Iunii Papienses cum Spagnolis et Novariensibus et eorum amicis habuerunt Iun.
castrum Galiaro per vim, quod tenebatur per Mediolanenses, et multa alia castra Novarie.

Item 1275. de mense Augusti Astenses et marchio Montisferati exercitum fecerunt Aug.
super civitatem Albe et in Pedemontis usque ad Cunium, devastando et capiendo multa
loca contra vigerium[73] domni regis Karoli, et ibi steterunt per unum mensem et plus. 73

De mense Septembris Papienses hostiliter cum eorum exercitu, milites Novarie, Ver-
zellarum, comes Ubertinus de Lando cum centum militibus de Placentia partis extrinsece, Sept.
Bosius de Dovaria cum militibus et peditibus partis extrinsece de Cremona, Laudenses
extrinseci, et Terdonenses extrinseci cum quingintis militibus Spagnolis ad instantiam et
requisitionem capitaneorum et valvasorum extrinsecorum de Mediolano qui dicebant se
habere tractatum in civitate Mediolani, exercitum fecerunt super Mediolanenses in partibus
Ticinelli; tamen non transierunt Ticinellum propter Mediolanenses intrinsecos et eorum
amicis de Lombardia qui adstabant, et steterunt ibi per 11 dies et reddierunt ad propria
unusquisque.

De mense Octubris populus Papie ad vocem ellegit domnum Guillelmum de Sancto Oct.
Nazario eorum rectorem et potestatem. Qui post paucos dies, scilicet die sabbati 16. No-
vembris, introduxit episcopum Papie — de Zazis erat — in Papiam contra voluntatem
domni Ianoni de Beccaria qui erat potestas populi Papie, et contra voluntatem domni Conradi

a) *ita c.* b) ostendetur *c.* c) neufragii *c.*

73) i. e. vicarium.

1275. de Beccaria qui erat electus Papie; et sic dictus domnus Guillelmus cum militibus et populo Papie qui Fallabrini dicuntur habet totum dominium civitatis Papie.

Nov. De mense Novembris domnus Gregorius papa decimus habito colloquio cum domno rege Castelle et diviso ab eo, ivit ad Lusanam et habuit colloquium cum domno Rodulfo in regem Romanorum electo; et die Martis 12. mensis Novembris applicuit in civitate Mediolani, et die Veneris 22. Novembris applicuit in civitate Placentie nil pacis ibi tractans, et die tertio Decembris exivit de Placentia et successive graditur versus Urbem.

1276. Die Veneris[a] 10. mensis Ianuarii domnus papa predictus in civitate Aretii obiit.

Ian. 21. Die Martis[a] 21. mensis Ianuarii cardinales in concordia elegerunt episcopum de Hostia in summum pontificem, et vocatum est nomen eius Innocencius quintus, et die 22. Iunii obiit; vixit autem iste papa 5 menses et 1 diem.

Tunc domnus Rodulfus in regem Romanorum electus misit suum canzelerium in Lombardiam, et iuraverunt domno regi isto fidelitatem.

Eodem tempore marchio Montisferati habuit locum Montis Viti et Turinum.

De eodem mense capitanei et valvasores extrinseci de Mediolano cum Conrado de Casteiono cive Mediolani intraverunt in castrum Seuri et habuerunt rocham Hengerie et Vaurim et multa alia castra. Illuc equitaverunt Mediolanenses intrinseci cum eorum amicis et cum 200 militibus Theotonicis et ipsos fregerunt a[74] Guasam[b], et multos occiderunt in campo, et 33 ceperunt quos decapitaverunt iuxta Galleratam, et omnia castra recuperaverunt et[b] interfecerunt comitem Gifredum de Languscho eorum potestatem.

(Quando fuit rupta de Guasa; *manu Mutii additur:* MCCLXXV in vigilia ani-novi (*i. e. anni novi*).)

Die Martis 21. mensis Ianuarii domnus comes Ubertinus de Lando pro se et parte extrinseca de Placentia compromisit se in dominos canzalerium et comitem Henricum de Fustiberch et primicerium Mediolani tanquam in arbitros, et Placentini intrinseci similiter; *fol. 107. et die sabbati[c] 13. mensis Marcii predictus comes Ubertinus cum aliis de parte *sua intravit in civitatem Placentiam ubi receptus fuit honorifice, et die Lune[d] 21. mensis Marcii in domo comunis Placentie, ubi fiunt conscilia, presentibus partibus tullerunt dicti arbitri sententiam inter ipsas partes; domnus Bernardus de Lanfredis de Luca erat potestas Placentie.

Mart. 26. 1276. indictione quarta, die Iovis 26.[e] mensis Marcii capitanei et valvasores et alii extrinseci de Mediolano et archiepiscopo Mediolani intraverunt in castrum Seurim et multa loca habuerunt ad eorum precepta; ad ultimum orta discordia inter eos qui exierunt de banno, omnia dimiserunt et iverunt in terram domni Symonis de Lucario, quem Cumani rebellantes dominis de Laturre extraserunt de prexona Mediolani se reduxerunt, et multi ex eis iverunt ad precepta comunis Mediolani propter dictam discordiam; qui Mediolanenses nullum adiutorium potuerunt habere a comuni Placentie, requirentes comune Placentie per litteras et ambaxatores.

Mai. 19. Die Martis 19. mensis Madii cum homines Terdone hostiliter essent circa castrum Serevalis quod tenebatur per marchionem[f] Montisferati, et iam ibi steterant per plures dies, et habito per eos castro Puzoli, marchio Montisferati cum suis militibus et militibus marchionis de Sallucio, et Nanos de Zeva cum suis militibus et cum militibus Spagnolis qui sunt ad soldum marchionis Montisferati, et cum milicia Ast, insultum fecerunt in exercitum Terdonensium, et ipsos posuerunt in fugam et multos occiderunt, et Ianonum filium domni Guillelmi de Sancto Nazario qui erat potestas Terdone, cum tota sua familia ceperunt, et ex Dertonensibus ceperunt Astexani 550, inter quos fuit predictus Ianonus, quem statim cum tota sua familia relaxaverunt; et marchio Montisferati cum sua gente cepit ex Terdona 643, preter alios qui fugati et privati tenentur; tunc domnus Guillelmus de Sancto
75 Nazario cum Fallabrinis Papie intravit civitatem Terdone, et marchio[75] est in Novis cum tota gente sua.

Iun. 26. Die Veneris 26. mensis Iunii orta discordia in civitate Papie pro eo quod domnus Guillelmus de Petra videbatur fovere partem illorum de Laturre et Fallabrinorum Papie, Ianonus de Beccaria et milites Marchabeti de Papia qui fovent partem[g] imperii, armatis manibus insultum fecerunt in Zazos de Papia et in episcopum qui erat de Zazis Papie[h], et

a) *recte.* b) a guasam *et infra* et interfecerunt comitem G. d. L. e. p. *postea addita sunt manu Mutii.* c) Veneris, *et sic aliis locis erratur* d) sabbati. e) *ita corrigo* XXIIII c f) marchio c. g) *deest in c.* h) p̄p c.

74) i. e. ad. 75) scilicet Montisferrati.

ipsum episcopum et Zazos expulerunt de Papia, et deroberaverunt episcopum et alios plures, et Mutium Bastonum qui erat de sequacibus domini Guillelmi de Petra occiderunt et plures de ipsis vulneraverunt; et videns huiusmodi[a] domnus Guillelmus de Petra exivit de civitate cum tota familia et ivit ad Petram; et tunc Papienses fecerunt quatuor ancianos in civitate Papie, scilicet domnum Ricardum Georgium, Rochum de Strata, Roglerium de Curte et Guillelmum de Sicheriis, qui introduxerunt marchionem Montisferati cum magno triumpho in civitatem Papie. 1276.

Die Iovis 18. mensis Iunii pax iurata et confirmata inter domnum regem Karulum et forestatos Ianue ex una parte et commune Ianue ab alia. Iun. 18.

Die Lune 22. mensis Iunii domnus papa Innocentius quintus ab hac luce ad celestem curiam transmigravit in civitate Rome. Et die sabbati 11. mensis Iulii sequentis cardinales in concordia eligerunt in civitate Rome in appostolicum domnum Ottobonum de Fisco cardinalem de genere comitum Alavanie, et vocatum est nomen eius Adrianus quintus, et die Martis 18. Augusti obiit. Vixit iste papa 5 menses et 1 diem. Vixit autem iste Ottobonus papa 38 dies.

De mense Iulii pars Lanzevegiorum de Alexandria expulsa est de Alexandria, et reduxit se ad castrum Nove et ad Puzolum et ad castra domni marchionis Montisferati et ad castrum Boschi.

Eodem tempore quasi per totum mensem Iulii Augusti Septembris et Octubris Deus tantum pluit super terram in Ytalia, quod quasi omnes segetes de plano guastate sunt et perdite, et timetur multum de caristia temporis in Ytalia, et propter multas aquas quasi omnes boves et vache et oves et capre mortue sunt in Ytalia.

Die Iovis 29. mensis Iulii in domo comunis ubi fiunt conscilia, lecte fuerunt in ipso conscilio presentibus Iohanne Pallastrelo, Uberto Bosono, Ricardo de Fontana, Dondacio de Amico, Palmerio Aghinono et aliis pluribus de ipso conscilio, presentibus domno Bernardo de Lanfredis de Luca potestate Placentie et Scurta de la Porta capitaneo societatum mercatorum et paraticorum populi Placentie, littere transmisse a domno imperatore, quarum tenor talis est[76]:

*Rodulfus Dei gratia Romanorum rex semper augustus nobilibus viris potestati capitaneo conscilio et comuni civitatis Placentie dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. In nostri cordis angulo reportantes fidem et devotionem quas*[b] *in vobis inter singulas Ytalie civitates ipsarumque civitatum fideles et devotos nostros erga maiestatem nostram nostreque maiestatis grata et devota obsequia experientia*[c] *operum cognovimus manifeste, prout ad vestre fame preconium satis sufficiunt testimonia laudatorum, vos vestramque fidei et devotionis et puritatis constanciam, que in conspectu maiestatis regie clarius et radiancius*[d] *elucescit, utpote bene meritos et condignos familiaribus nostris amplexibus habemus annessos*[77]*; propter quod nequaquam dimittere possumus, quin vos ad ea litteris et monitis inducamus que honori vestro vestroque commodo conveniant et saluti. Demum cum inter cetera sollicitudinum honera in ipsis partibus Ytalie nostris incumbencia umeris hoc nobis inhereat, desiderantes pacem nostram per dilectos nostros R. imperialis aule canzelerium et honorabilem comitem de Fustimberh, Ardicionum primicerum Mediolani domni pape capellanum, dudum in ipsa vestra civitate*[e] *actore Domino factam ad honorem Dei et sacrosancte Romane ecclesie et Romani imperii per vos teneri et observari in totum, eandemque civitatem vestram et vos gubernari et deffendi in statu pacifico et tranquillo, vos requirimur*[f] *et ortamur attente, quatenus dictam pacem et sententiam seu sententias latas per ipsos vel aliquos ipsorum singulamque ipsius pacis sententiam et capitula sub obtentu gratie nostre observare curetis. Dat. Ulme 12. Kalendas Augusti nostri regni anno tertio.*

De mense vero Augusti intrante ipso mense, domnus marchio Montisferati, qui est factus vicarius comunis Papie per ipsos Papienses a Lambro superius, cum militibus Papie equitavit Novariam, deinde cum militibus Novarie et populo eius et cum militibus Verzelarum et militibus Ast, et marchione de Saluzio, et Nanno de Zeva et cum tota gente sua unumcumque habere potuit, et cum capitaneis et valvasoribus de civitate et comitatu Mediolani, et cum domno archiepiscopo Mediolani, et cum domno Symone de Lochario qui cum militibus Theotonicis et alia magna gente in contractis de Arono et de Hengeria, 800 de Aug.

a) hoi c. b) quos c. c) expertentia c. d) *ita emendavi* radicius c. e) ciuitatem c. f) *ita* c.

76) Campi II, 490. 77) i. e. annexos.

1276. Mediolano, qui illuc equitaverant causa custodiendi terras Mediolani et forbanitorum Novarie, in burgo Arone incluserunt; inter quos sunt Gottofredus de Laturre et Paganinus de Terzago de maioribus Mediolani pro capitaneis, qui nullo modo possunt habere succursum a communi Mediolani; qui ossidentur per terram et aquam; qui ipsi eorum inimici habent forciam terre et aque, quia abstulerunt sibi naves que erant in lacu. Et propter habundantiam aque lacus crevit, ita quod exercitus marchionis et Novariensium recessit; ita evaserunt
[78] dictos[78] milites Mediolani.

Die Martis 18. mensis Augusti domnus papa Adrianus quintus in civitate Viterbii obiit,
*fol. 108. qui vixit 38 dies, et nomen eius erat Ottobonus *comes de Allavania.

Vixit autem iste papa 8 menses et 13 dies. Die Martis 8. mensis Septembris domni cardinales in concordia ellegerunt in summum pontificem domnum dom Petrum de Yspania cardinalem episcopum Toscolane, et vocatum est nomen eius Iohannes XXI.

Die Veneris 18. mensis Septembris milites intrinseci de Papia in contractis de Monteferato ad caput ville confricti sunt a domno Guillelmo de Petra et ab Alexandrinis intrinsecis et a militibus intrinsecis Terdone et a militibus extrinsecis Papie; et capti sunt per eos de militibus intrinsecis Papie 50 milites, inter quos sunt Rochus de Strata, Ricardus Georgius, Rogerius de Turre, Guillelmus de Sicheriis, qui erant capitanei populi Papie, et alii sunt de maioribus Papie; et facta et condictiones Papie videntur procedere in malum civitatis Papie.

Oct. De mense Octubris ambaxatores Mediolani Cremone Parme et Terdone, et ambaxatores militum Papie, ad instanciam ipsorum militum fuerunt in conscilio comunis Placentie, postulantes a Placentinis ut sibi placeret recipere milites Papie in socios et amicos suos, et quod bene placebat hominibus Mediolani Cremone Parme et Terdone et Alexandrie si placebat Placentinis. Tamen ipsi Placentini hoc noluerunt, et sic recesserunt omnes et nichil lucrati fuerunt, quia videtur in Placentia quod Albertus de Fontana et sui amici attendant plus servire Ianono de Beccaria et Papiensibus intrinsecis quam militibus Papie; et Iohannes Pallastrellus et sui videtur quod vellint deffendere et adiuvare milites Papie, licet parum iuvat.

Eodem tempore orta discordia inter principes et castellanos Navarie propter filiam dicti regis quam domnus rex Francie copulavit in uxorem filio suo, quod videbatur displicere regi Castelle, et ita rex Francie cum toto suo exforcio equitavit hostiliter illuc.

Nov. De mense vero Novembris, in principio mensis, Papienses inceperunt destruere turres Zazorum et domos et hospicia eorum, domos et turres domni Guillelmi de Petra, Iacobi Butigelle, Galvagni de Campixio et aliorum multorum magnatum de terra ipsa qui rebellabant civitati, et ita videtur quod perniciosa discordia oriatur in illa civitate. Cremonenses et Parmenses adiuvant Guillelmum de Petra et milites extrinsecos Papie.

Eodem mense domnus rex Rodulfus Romanorum cum magna comitiva militum intravit Alamaniam, et primo subiugavit totum ducatum Osteriche et totum ducatum Carentane; deinde intravit in regnum Boemie cuius rex ei rebellabat, et ipsum regnum quasi totum sibi subiugavit, ita quod rex Boemie fugit in unam suam civitatem que est ultra Donogiam, et habuit quasi totum thesaurum dicti regis Boemie; et hoc factum est ad instigationem ducis Bayverie et regis Ungarie et aliorum multorum ducum marchionum et principum, quos ipse rex Boemie detinebat iniuste opressos et mollestabat assidue propter potenciam suam. Ad ultimum vero concordati sunt ad invicem, patrimonium[a] vicissim inter se facientes. Rex dat sibi 60000 marchas argenti et 2000 milites ad coronandum et 1000 milites ultra mare et alia multa pacta.

Die Veneris 27. mensis Novembris archiepiscopus Mediolani, Symon de Locario, Conradus de Casteliono et alii capitanei et valvasores et extrinseci de Mediolano cum tota eorum parte intraverunt in civitatem Cumarum contra illos de la Turre qui illam civitatem tenebant, et in continenti illi habuerunt Vallesoxium et Leuchum et multa alia loca; et illi de la Turre et Mediolanenses intrinseci male auxiliantur ab amicis eorum de Lombardia, ita quod vadunt capitanei et valvasores invadendo totum comitatum Mediolani. Unde dicti capitanei cum tota eorum parte die Mercurii 20. mensis Ianuarii venerunt ad quendam locum prope Mediolanum per 10 milliaria. Quare potestas Mediolani et Napolionus de la Turre et Franciscus de la Turre et alii intrinseci Mediolani cum tota eorum milicia, et erant bene 1400 milites, inter quos erant circa 400 cohoperti, die isto Mercuri equitaverunt ad locum Dezii,

Quando illi de la Turre fuerunt ructi ad locum de decem, et Franciscus de la Turre fuit mortuus.

a) *ita c.*; pactimonium *ed. perperam.*

78) i. e. dicti.

et die Iovis summo mane capitanei et valvasores cum 400 ballistariis Cumarum et cum toto 1277.
eorum exforcio inceperunt equitare versus Dezium ubi erant illi de la Turre et alii de Mediolano; quo viso per illos de la Turre et sequaces eorum, noluerunt exire de dicto loco obviam eis, set st tuerunt expectare ibi Caxonum de la Turre, qui erat in loco Canturi cum bene quingintis militibus; et sic postea exirent et preliarent cum inimicis eorum; propter quod firmaverunt et statuerunt se in loco deffendere, et posuerunt eorum custodias super berteschis et rostis, ét firmaverunt portas dicti loci, in quo erant bene 500 homines armati ad bellum. Unde videntes capitanei et valvasores quod non exibant de loco, statuerunt eis dare prelium cum ballistariis et alia eorum gente; et descendentes de equis omnes milites preliabantur eos, et ballistarii in continenti expulerunt custodes de berteschis, et sic in continenti die Iovis 21. mensis Ianuarii summo mane circa mediam tertiam intraverunt per violentiam in dictum locum. Quo viso per terrerios dicti loci, coadunati sunt in simul et in unum impetum fecerunt in eos de la Turre, et primo interfecerunt Franchiscum de la Turre et alios omnes ceperunt et alios occiderunt. Quo facto Caxonus de la Turre cum suis militibus per inde transivit et ivit festinanter versus civitatem Mediolani, et intravit civitatem et ivit usque in Brodetum et per totam civitatem, et non invenit gentem ibi que vellet sibi dare favorem, et ivit ad domum suam ubi multi erant predatores, et ipsos expulit de domo; et statim cum suis militibus qui secum erant et qui eum sequi voluerunt per portam Romanam exivit de civitate et ivit Laudem, deinde Cremonam. Et in continenti illo die capitanei et valvasores cum tota eorum parte intraverunt civitatem Mediolani, et illam civitatem totam ad eorum precepta habuerunt, et ellegerunt in eorum potestatem et comunis Mediolani domnum comitem Ricardum de Langusco, et Guillelmum de Pusterna potestatem mercatorum, et domnum Symonem de Locario potestatem populi Mediolani. Post hec venerunt littere de facto continentes ita: *Nova talia sunt, quod cum Malexarti Mediolani cum Cumanis et Theotonicis quos habebant forte* 150, *et stipendariis domni archiepiscopi forte* 300, *et Papiensibus* 200, *ita quod in summa potantur*[79] *esse* 1200 *milites, et pedites* 10 *milliaria* 79
*tam de episcopatu Cumano quam de episcopatu Mediolani qui eis adheserunt, extra civitatem Cumarum versus Mediolanum per* 5 *vel per* 7 *milliaria appropinquassent*[a], *Turiani*[80] *in festo beatorum Fabiani et Sebastiani exierunt de Mediolano omnes ita quod unus solus non remansit, et iverunt ad quendam locum sive burgum ubi dicitur Dexium. Est autem prope Dexium alius burgus a duo milliaria qui vocatur Socenum, homines cuius eo die quo Turiani applicuerunt Dexium miserunt pro Malexartis, quia volebant se eis dare; ad quem locum accipiendum illo eodem sero venit quidam nepos episcopi Cumani cum paucis de suis; et cum illuc applicuissent et audivissent quod Turiani ibi in loco Dexii essent bene* 500 *milites* **quia nec dum plures equita-* *fol. 109.
*verant de Mediolano, timent sibi quia valde prope eos erant; et statim misit exercitum totum quod in continenti veniret ad eum quia multum timebat. Quod audiens domnus archiepiscopus existens in quodam burgo Marlianum, cum toto exercitu surrexit, et cepit venire fortissime versus terram in qua erant Turiani; et cum illuc applicuisset, in sequenti die circa tertiam scilicet in festo beate sancte Agnetis, Turiani clauserunt se in burgo et posuerunt super ripam fossati satis per vim ad defensionem terre; set tamen propter multitudinem ballistariorum de foris existentium non possunt impetum substinere, et cum*[b] *ipsi nec ballisterios nec pedites haberent, ceperunt aliquamtulum recedere. Et statim populus de foris existens natando*[c] *pedibus et manibus super fossatum cepit ingredi burgum, et valde cito in tanta quantitate introierunt, quod aperierunt portam unam burgi per quam omnes libere introierunt; et sic factum est quod quidam percussit Francischum de la Ture et proiecit eum de equo, et multi venientes super eum conculcaverunt eum pedibus eorum et finaliter amputaverunt caput eius et Andrioli de la Ture fratris Herech, et amborum capita presentaverunt comiti Ricardo de Langusco in vindictam comitis Gifredi quem illi de la Turre occiderunt. Domnus autem Napolionus venit ad manus potestatis Cumarum et liberavit a morte, domnus Napolionus*[d], *Carnelevarius, Musca, Herech, Lombardus, et Guidotus filius Francischi capti sunt et non vulnerati, et sunt Cumis assignati comuni. Salvinus venit ad manus avunculorum suorum scilicet illorum de Birago, unde creditur quod evaserit bene. Perditi sunt per Turrianos et suos* 600 *equi, et quasi omnes qui erant cum eis capti sunt, pauci vero mortui fuerunt forte usque in* 20, *inter quos sunt Poncius Admatus de Cremona, potestas Mediolani, comes Napolionus de Crema, Manfredus de Trebiago,*

a) *vocem supplevi.* b) *deest c.* c) *ratando c.; cf. supra p.* 460 *ratis.* d) dominum Napum *ed.*

79) i. e. putantur. 80) i. e. pars eorum de la Turre.

1277. *Guillelmus Lambertus et quidam alii; capti sunt etiam de parentibus Turrianorum, set non sunt de magna domo. Dum autem extra civitatem res sic se haberet, venerunt nova ad civitatem, et fuit totus populus ad arma in festo beate Agnetis. Et potestas Mediolani alia que erat de Brixia, et stipendarii Parme et Cremone hoc audientes et videntes, fugierunt de civitate, multis eorum dum fugerent per civitatem expoliatis. Et populus per singulas portas civitatis fecit duos capitaneos qui deberent eos regere et deffendere ne fierent predatores per civitatem; et cum aliqui de istis capitaneis essent simul cum populo multo et milicia, adsumptis quibusdam fratribus per civitatem euntibus ceperunt omnes pariter clamare „pacem" altissimis vocibus, et ad ipsam vocem cepit totus consulere[a] populus et ad plateam civitatis sive comunitatis unanimiter convenire. Et dum ibi erant, statim elegerunt decem ambaxatores qui iverunt pro domno archiepiscopo et ceteris Malexartis qui adhuc erant ibi ubi facta fuerit[b] strages dicta; et dum ista sic se haberent, occurit multitudo muniti populi ad domos Turrianorum, dominabus et parvulis omnibus absconditis, et ipsos domos expoliaverunt et diruere ceperunt, ita quod in paucis diebus absque ordinatione comunis quasi omnes destructe sunt. Sequenti autem die, hoc est in festo beati Vicentii, venit domnus archiepiscopus cum omnibus Malexartis et gentibus suis, euntibus sibi obviam omnibus religiosis personaliter et clericis et militibus et populo universo unam solam vocem omnes „pacem" videlicet adclamantes. Cum autem venisset domnus archiepiscopus, data sibi libertate faciendi potestatem quem vellet, fecit comitem Ricardum de Langusco, et domnum Symonem de Locario potestatem populi, et fecit cridari per civitatem quod unusquisque secure staret excepta domo Turrianorum propter multos amicos illorum qui absconditi erant, ita quod illi qui erant quasi unum cum Turrianis modo vadunt secure per civitatem. Istis paucis diebus ita factum est, quod nec villa nec terra rebellat civitati Mediolani, et Novarienses de foris iverunt Ypartiam relicto suo episcopatu. Tamen domnus archiepiscopus dicit, se velle componere inter eos. Laudenses volunt facere quod placeat archiepiscopo et Cumanis. Pax facta est cum Papiensibus Novariensibus, et tanta est exultatio et tantum gaudium est Mediolani ut[c] vix possit exprimi. Misit domnus archiepiscopus et comune Cumarum pro omnibus captivis, et vult quod omnes dimittantur Turrianis exceptis; de illis autem quod fieri debeat ignoratur. In festo autem beate Agnetis cum Caxonus de la Turre et Gotofredus cum bene 200 equitatoribus essent in Canturo, audita strage facta aput Dexium, venerunt Mediolanum circa sero et intraverunt civitatem, facientes clamare qui secum erant „Vivat domnus Caxonus!" et per hunc modum ivit ab uno capite civitatis usque ad aliud vulnerando quam plures. Set cum populus hoc audito venisset ad arma, ipse de civitate cum paucis fugit, ceteris dispersis per civitatem et captis, et equis pluribus interfectis, et sunt Cremone domnus Gotofredus, domnus Caxonus et domnus Advena.*

Die dominico 21. mensis Februarii domnus Symonus de Loccario potestas populi Mediolani cum magna quantitate militum transiens per civitatem Laude intravit in Cremam et accepit Cremam pro comuni et populo Mediolani, de quo facto multum timent homines Cremone, ne ibi ponantur Boxius de Dovaria et Cremonenses extrinseci de Cremona ad guerriandum comune Cremone, et sedata illa terra, homines Creme pro comuni obediunt comuni Mediolani in totum.

De mense Februarii Laudenses acceperunt a comuni Mediolani duas potestates sive rectores, scilicet domnum Ottonem Vicecomitem in primis sex mensibus et domnum Agonum Marcelinum in ultimis sex mensibus.

De eodem mense Placentini, Cremonenses, Parmenses, Regini, Mutinenses, Bononienses intrinseci, Cremonenses, Brixienses, milites extrinseci de Papia qui Fallabrini dicuntur, et Veronenses extrinseci in simul parlamentum in civitate Parme fecerunt; iurantes in simul societatem de se adiuvando et manutenendo contra quamcunque personam; imposuentes[d] inter se super dictas comunitates 400 milites adsoldatos non de Lombardia ad soldos ipsarum comunitatum, et statuerunt mittere ad curiam domni pape et domni regis Karoli suos sollempnos ambaxatores.

De mense vero Marcii Mediolanenses, Papienses, Pergomaschi, Cumani, Laudenses, Cremaschi, Ianuenses, Astexani, Albexani, Turinenses, Vercellenses, Novarienses, Vallentini, Brixienses extrinseci, Terdonenses extrinseci. Veronenses, Mantuani, Cremonenses extrinseci, Allexandrini extrinseci, Laudenses extrinseci, Parmenses extrinseci, marchio Montisferati in civitate Papie parlamentum magnum fecerunt, in quo ordinaverunt se ad

a) consulem *c.* b) fuerat *ed.* c) *deest c.* d) *ita c.*

invicem manutenere et deffendere et exaltare sanctam Romanam ecclesiam et domnum 1277. Rodulfum Romanorum imperatorem sive regem; et Mediolanenses suos ambaxatores ad summum pontificem transmiserunt quatuor honorifice.

1277. indictione 5. in principio mensis Aprilis Papienses de civitate cum eorum amicis scilicet cum 700 militibus Mediolani et militibus Novarie, Verzelarum, Ast et marchione Montisferati et aliis eorum amicis hostiliter exierunt cum trabuchis et manganis extra civitatem, et vadunt ad castra domni Guillelmi de Petra et aliorum Papiensium qui Fallabrini dicuntur qui sunt extra *Papiam, et die Veneris 16. mensis Aprilis et iverunt in obsciditionem *fol. 110. castri Petre domni Guillelmi, quod munitum est per ipsum domnum Guillelmum et milites Papie melius[81] quam poterant. In succursum militum Papie extrinsecorum venerunt milites 81 et populus cum carretis et navibus Cremone et circa 60 milites Brixie et potestas et milites Parme et 100 milites Mutine et Caxonus de la Turre cum 50 militibus. Omnes sunt[a] in Placentia, tamen Placentini nolunt se intromittere. Et die Lune 3. mensis Madii omnes isti diviserunt se de Placentia ad propria redeuntes, de quo multum contristati sunt Papienses extrinseci. Mediolanenses extraserunt eorum carocium, et cum illo Papie venit ad exercitum usque ad Bronas; die dominico 9. mensis Madii diviserunt se Mediolanenses et Papienses de exercitu quia ibi stare non poterant propter penuriam rerum victualium, et locum habere non poterant quia bona et militia[b] erat intus de Placentina et de terra Papie. Item in succursum comunis Papie venerunt 400 milites cohoperti de Ast.

Littere transmisse a domno Rudolfo Romanorum rege episcopo Brixiensi: *Rodulfus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, venerabili viro episcopo Brixiensi principi suo karissimo gratiam suam et omne bonum. Ut de fortunatis et prosperis nostre felicitatis eventibus tue sinceritatis precordia nova nove leticie renovet plenitudo, ecce quod tibi ad incrementum gaudii lacioris duximus intimandum qualiter illustrem S.*[82] *regem Boemie contra nos et Romanorum imperium indurato corde et animo diucius*[c] *decrassantem sub potenti manu Dei nostre subiugavimus potestati. Idem enim rex Boemie statim dum nos terram Austrie intrasse percepit, cum exquisita malicie comitiva post aliquorum dierum treuguas ad nostram venit presentiam, et resignatis in nostre maiestatis manibus Austria, Stiria, Carinthia, Carniola*[d]*, marchia Portonahonis*[e] *et Egra, principatibus et terris ceterisque in preiudicium imperii occupatis, de regno Boemie marchionatuque Moravie*[f] *se penituit fracto quidem animo et genibus incurvatis, humiliter, et optinuit prestito fidelitatis homagio investiri. Postmodum vero idem rex mutabilitate conscilii minus sani vesano ductus spiritu, contra compositiones fornam inter nos initam temere se erexit; propter quod omnia que bono pacis et amicitie sibi assignavimus nostre retractavimus potestati, principum nostrorum super hoc prius requisita sententia et optenta. Et sic contra predictum hostem nostrum cum fellicitate processimus et salubriter prevaluimus, et omnibus bonis que ab eodem fuerant occupata receptis*[g] *cum tranquilitate regnamus. Et ad ipsius regis exterminium tantum laboravimus, quod nunquam nobis poterit rebellare. Ceterum predictis terris in statu pacifico collocatis, de principum nostrorum conscilio nos ad partes Ytalie transferemus, rogantes attente ut ipsam terram in tuis confinibus tibi habeas recommissam. Dat. Vienne* 10. *Kalendas Aprilis regni nostri* 4. *anno.*

Die Veneris 7. mensis Madii pars de Gambazochis de Crema expulsa est per partem Mai. 7. Benzonorum multos interficiendo, et reduxerunt se Gambazochi in Cremona et episcopatu Laude; et Mediolanenses habuerunt dominium illius terre, et multos habent in carceribus.

Die Martis 18. mensis Madii luna quasi tota passa fuit eclisum[h], id est deffectum.

De eodem mense pars Bononie extrinseca[i] cum Gibelinis de Tuscia cum amicis de Romagna et comite Guidone de Monte Feltro et comite Guidone Novello et cum magno auxilio Veneticorum sunt in obsciditione castri de Bagnacavalo, quod tenebatur per Bononienses intrinsecos; qui cum eorum amicis colligunt se in civitate Ymole ut succursum prestent illis do castro predicto; tamen ad ultimum illi de Bagnacavallo pacti sunt cum parte extrinseca Bononie, et die octavo mensis Iunii aput Ymolam multi ex Bononiensibus intrinsecis per comitem Guidonem de Monte Feltro et comitem Guidonem Novellum et alios Bononienses extrinsecos capti sunt in maxima quantitate.

a) *bis scriptum c.* b) multa *c.* c) diulcius *c.* d) carinola *c.* e) portonasonis *c.* f) narravit *c.* g) *eiusmodi vox desideratur in c.* h) eclisim *ed.* i) extrinsecā *c.*

81) i. e. quam melius poterant. 82) Otakarum scilicet.

1277. Mai. 20. Die Iovis 20. mensis Madii in civitate Viterbii domnus papa Iohannes quartus[a] cadente super eum pallacium in quo habitabat obiit, et sepultus est ibi. Vixit autem ipse papa 8 menses et 13 dies.

De mense vero Madii illi banniti de Cremona et alii plures de diversis civitatibus intraverunt in castrum Furnovi situm in territorio et districtu Creme, per quod castrum guerriant et faciunt magnam guerram comuni et hominibus Cremone et Brixie; et Benzoni de Crema de hoc facto non impediunt sed stant in pace cum Cremonensibus.

Iun. De mense vero Iunii Papienses cum toto eorum exforcio et cum militibus Mediolani et Novarie et marchione Montisferati et gente sua et aliis eorum amicis iverunt causa depopulandi civitatem Alexandrie; et die Veneris 11. mensis Iunii homines de Bergolio, qui sunt unus quarterius Alexandrie, nolentes guastum substinere, absque consensu aliorum de civitate Alexandria, marchionem[b] Montisferati et Papienses introduxerunt in dictum locum, qui ipsum tenent et possident in eorum forcia et virtute; et tractantes de concordia cum aliis de civitate Alexandria cum non possent perficere concordiam, fecerunt pontes super fluvium Tanari, qui est in medio ipsorum locorum, causa transeundi ad destructionem segetum et arborum et rerum hominum de Alexandria; et cum per girum per aliquot dies fecissent guastum, ipsi Papienses et marchio Montisferati cum tota eorum gente guarnito loco Bergolii iverunt ad locum Castelacii, qui distat a civitate Alexandria per 4 vel 5 milliaria, causa faciendi guastum. Quo scito et viso et per homines Alexandrie habito tractatu inter se, 200 milites de Alexandria transierunt unum ramum fluvii Tanari. Videntes hoc homines de Bergolio et qui in ipsa custodia remanserant, exiverunt de dicto loco illi qui habebant equos, et alii pedites extra similiter exierunt, et illi de civitate Alexandria qui remanserant in civitate, pontem Tanari quem destruxerant propter metum Papiensium, construxerunt de assidibus et gratibus, ita quod populares Alexandrie ultra versus Bergolium transierunt. Quo viso per illos de Bergolio qui extra exierant, ipsi voluerunt se recolligere in locum Bergolii; et tanta fuit audatia illorum militum de Alexandria persequendo ipsos, quod omnes pariter ex utraque parte per vim intraverunt in dictum locum, et populares de Alexandria transierunt et simul intraverunt in dictum locum, et quotquot ibi invenerunt tam de hominibus marchionis quam de aliis ceperunt et occiderunt. Capti fuerunt bene 300, mortui bene 50 et plures, et multi evaserunt exeuntes per fossata illius loci, et bene ceperunt de hominibus Bergolii quos suspectos habebant circa 200 et derobaverunt ipsos, et habent totum locum in sua forcia et virtute; et hoc fuit die Martis 22. mensis Iunii; quo scito per Papienses et marchionem in continenti reddierunt ad propria. Alexandrini Bergolium funditus destruxerunt.

Iun. 23. Die Mercuri 23. mensis Iunii in contractis de Faentia ubi equitaverant Bononienses intrinseci, scilicet 800 milites tam adsoldati quam de civitate Bononie, ab eorum inimicis de civitate Bononie extrinsecis confricti fuerunt et disconficti et capti in maxima quantitate.

*fol. 111. Quando fuit carissimum tempus. *Sicut in preterita estate propter multas aquas fuit magna caristia rerum victualium in Lombardia, ita quod sestarius frumenti venditus fuit et valuit 14 solidos et plus, et omnia alia victualia nimis cara fuerunt, carnes, ova, caseus et ligna, et magna mortalitas bestiarum: ita in hac presenti estate propter nimiam siccitatem et asperitatem temporis, quia quasi nichil pluit per totum mensem Aprilis Madii Iunii et Lugii[c], propter quod magna caristia temporis st in Lombardia. Venditur enim et valet sestarius frumenti 12 solidos dum excutitur. Unde timent homines ad mortem propter quam humiditatem[d] temporis preteriti morbus creatus fuit in hominibus, ita quod in tota Lombardia magna mortalitas hominum fuit tam virorum quam mulierum, et in omnibus maxima pestilentia est orta et speratur fieri in mondo; et hoc fit propter iniquitatem hominum et malitiam que tantum crevit in orbe, et ita videtur quod prophecia que legitur in Apocalisi adveniat in mundum

Apoc. 9, 15. que sic incipit: *Et soluti sunt quatuor angeli qui parati erant in horam et diem et annum ut occiderent tertiam partem hominum* etc.

Iul. De mense vero Iulii per domnum archiepiscopum Mediolani et comune Mediolani lata est sentencia inter Laudenses intrinsecos et extrinsecos, tali modo quod omnes familie Ovregnagorum et extrinsecorum Laude a 15 annis infra debent intrare et stare in civitate Laude godiendo sua bona, alii debent stare omnes extra districtum Laude usque ad certum tempus.

a) *ita c.; est* XXI. b) marchione *c.* c) Luglio *italice.* d) humilitatem *c.*

1277. Eodem tempore maxima discordia erat inter cardinales Rome de electione pastoris in civitate Viterbii, et ibi sunt tantum 7 cardinales; tres tenent unam viam, scilicet domnus Iohannes Gaytanus, Iacobus de Sivello et Matheus Rubeus; alii tres, scilicet domnus Anzerius, Symonus de Tursso et domnus Guillelmus cardinales[a], tenent aliam viam. Dicit prophecia Merlini:

*Ecclesie sancte pacem non recipit ante,*
*Nisi per funus moriatur de tribus unus.*

Episcopus vero Sabinensis cardinalis tenet mediam viam, nec declinat ad unam nec ad aliam.

Aug. De mense vero Augusti Papienses cum marchione Montisferati et gente sua cum cerna militum Mediolani, Ast, Novarie et aliorum suorum amicorum iverunt cum exercitu ad guastandum vineas et alias res hominum Terdone; in qua civitate Terdone sunt milites extrinseci de Papia cum eorum gente et 125 milites adsoldati pro comuni Cremone; et tunc Terdonenses, Guillelmus de Petra et milites Papie extrinseci et Alexandrini eligerunt pro eo capitaneo domnum Murruelum marchionem Malaspinam.

Sept. 1. Die Mercuri primo mensis Septembris Papienses intrinseci cum eorum sequacibus, et Guillelmus de Petra potestas Terdone pro se et comuni Terdone, et milites extrinseci de Papia cum eorum sequacibus, de litibus et discordiis et guerris pro se et comuni et hominibus Alexandrie compromiserunt se in comune Ast, et habitis ossidibus ab utraque parte illis quos voluerunt et quos in Ast conduxerunt, statuerunt treuguam inter ipsas partes de comuni eorum concordia et voluntate; et die Lune 8. Novembris in loco Vogerie tullerunt sententiam inter ipsas partes; et die Lune 22. Novembris intraverunt in civitatem Papie in magna concordia atque pace; qui reduxerunt in civitatem Terdone Granonos et eorum partem qui erant extra. Item in civitatem Alexandrie Lanzaveias et partem eorum qui erant extra.

Oct. De mense Octubris aliqui magnati de Verona tractate et meditate interfecerunt domnum Mastinum de la Scalla; quo audito et intellecto per domnum Albertum de la Scalla fratrem suum qui erat in potestaria Mantue, continuo cum militibus Mantue equitavit Veronam, et continuo captis illis de quibus suspicabatur et positis ad tormentum, continuo illos fecit decapitari, et habuit dominium ipse domnus Albertus illius civitatis Verone ad suam voluntatem, et fuerunt 60 numero illi qui decapitati fuerunt.

Nov. 25. De mense Novembris, die Iovis 25. Novembris, in civitate Viterbii cardinales in concordia invocato nomine Salvatoris elegerunt in summum pontificem domnum Iohannem Gaytanum cardinalem, et vocatum est nomen eius Nicholaus tertius. Et cessavit apostolatus per sex menses et 6 dies, et in festo beati Stephani in Urbe coronatus est per cardinales.

1278. Mart. 26. 1200. septuagesimo octavo, die sabbati 26. mensis Marcii, Ianonus de Beccaria civis Papie cum populo Papie ex rumore nulla causa interveniente fuit ad arma, et ceperunt Campanixium Zazum et sex alios de proienie Zazorum, et Iacobum Butigellam et 7 de Butigellis, et Roglerium Tortum et multos alios milites Papie circa 27, et multi fugierunt.

De mense Marcii circa finem marchiones Malaspine de valle Trevie, habito tractatu cum Grimaldis et comitibus de Flisco et aliis forbanitis de Ianua, cum eorum gente in magna quantitate intraverunt in Clavarum; quo audito per capitaneos populi Ianue illuc equitaverunt, et dicti marchiones non expectaverunt eos et reversi sunt ad propria, et sic orta est guerra inter Ianuenses et dictos marchiones.

Mai. De mense Madii in principio Ovregnagi et alii banniti de Laude ad inductam et ad tractatum hominum Mediolani pro eo quod homines Laude nolebant se supponere dominationi hominum Mediolani, intraverunt in castrum de Bargani situm iuxta flumen Lambri, guerriantes illos de civitate Laude; propter quod homines Laude maxime indignati introduxerunt in civitatem Laude Caxonum et Gotofredum de la Turre et alios bannitos communis Mediolani, ita quod ipse Caxonus et ceteri intraverunt in dictam civitatem Laude die Mercuri 11. mensis Madii.

Mai. 5. Die Iovis 5. mensis Madii marchio Montisferati de voluntate comunis et hominum Alexandrie intravit honorifice in civitatem Alexandrie ponendo partes illius civitatis ad concordiam, et ipsi de civitate Alexandrie eorum dominum constituerunt.

a) cardines c.

1278. Mai. 14. Die sabbati 14. mensis Madii fratres Minores de civitate Placentia intraverunt in tenutam et possessionem cassamentorum domorum que fuerunt domni comitis Ubertini de Andito, ponentes ibi crucem et capientes ex ipsis plenariam possessionem, et die dominico sequenti ibi cellebraverunt misterium.

Mai. 16. Die Lune 16. mensis Madii marchio Montisferati intravit in civitatem Terdone de comuni voluntate hominum illius civitatis, reducens Granonos et partem eorum qui erant extra civitatem in pacem et in concordiam in ipsa civitate; qui omnes in concordia fecerunt ipsum domnum marchionem dominum illius civitatis Terdone et districtus.

Mediolanenses indignati contra illos de civitate Laude propterea quod introduxerunt in civitatem Laude illos de la Turre et alios bannitos Mediolani, extraserunt eorum carocium et faciunt exercitum contra Laudenses; et Papienses in servicio comunis Mediolani et Novarienses et Cumani eorum carocia similiter extraserunt et hostiliter cum Mediolanensibus vadunt super Laudenses; et die Martis 17. Madii hoc fecerunt invictando omnes eorum amicos de Lombardia. Cremonenses adiuvare statuerunt illos de civitate Laude et illos de la Turre adiuvare, et eorum carocium extraserunt ad eundum in servicium eorum, et die sabbati 11. mensis Iunii domnus patriarcha Aquilee frater domni Napoleoni de la Turre cum certa quantitate militum applicuit in Cremonam causa prestandi auxilium illis de la Turre *fol. 112. *et illis de Laude, et quando[a] patriarcha venit, Mediolanenses cum Papiensibus et aliis eorum amicis sunt in depopulatione Laude devastantes vineas et segetes usque ad portas civitatis; et die Martis 14. Iunii receserunt quilibet ad propria, et Laudenses extrinseci relinquerunt castrum Bargani.

Iul. De mense vero Iulii Mediolanenses, Papienses, Verzelenses, Novarienses, Cumani, Ianuenses, Terdonenses, Alexandrini, Veronenses, Mantuani, Taurinenses, Albexani, pars Brixie extrinseca, Bosius de Dovaria cum parte extrinseca de Cremona, pars extrinseca de Laude et alii eorum amici a Lambro superius colloquium fecerunt in civitate Verzelarum cum domno marchione Montisferati; in quo colloquio fecerunt et constituerunt eorum capitaneum et tocius partis eorum dictum domnum marchionem usque ad quinque annos, pollicentes sibi dare quolibet anno decem milia libras imperialium, et quolibet die quo steterit in exercitu eorum servicio centum libras Papiensium cum aliis pactis. Et die dominico ultimo mensis Iulii intravit in civitatem Papie, ubi receptus fuit honorifice cum maximo honore, et intravit in palacio comunis Papie capitaneriam istius civitatis. Et die Iovis 8. mensis Augusti domnus Guillelmus de Petra civis Papie et alii milites Papie qui erant extra Papiam, venerunt ad civitatem Papie in prato Ticini tractantes pacem dicte civitatis cum domno marchione, et post paucos dies de mense Augusti omnes carcerati extracti sunt de carceribus, et sunt in magna concordia. Marchio Montisferati die dominico 7. mensis Augusti intravit civitatem Mediolani, et intravit dominium et capitanariam illius civitatis ad totam suam voluntatem.

De mense vero Iulii in fine mensis, Bononienses adconcordati sunt et omnes extrinseci intraverunt, et sunt in civitate in concordia per sententiam domni pape in quo sese ambe partes compromiserunt; et tota Romagna data est per domnum Rodulfum electum in regem Romanorum ecclesie Romane. Qui domnus papa posuit in Romagna et Bononiense[b] unum suum nepotem pro domino et comite tocius Romagne, et omnes iuraverunt eius precepta et ecclesie.

Aug. De mense vero Augusti marchio Montisferati, qui est capitaneus et dominus civitatum Mediolani, Papie, Cumarum, Novarie, Verzellarum, Ast, Taurine, Albe, Ovree, Alexandrie, Terdone et aliorum qui sunt factores eius, ad instanciam comunis et hominum Mediolani super Laudenses exercitum hostiliter ordinavit cum carocio Mediolani et Papie et cum tota gente et amicis eius quos ad hoc habere potuit, et fuit factus magnus exercitus per predictos super civitatem Laude; et de mense Septembris venit ad Laudem Veterem loca et terras et castra et villas devastando et comburendo. Cremonenses pro comuni, Parmenses inceperunt adiuvare et manutenere civitatem Laude et illos de la Turre et alios extrinsecos et forbanitos Mediolani, et hostiliter cum toto eorum exforcio se congregant ad Pizum Guitonum causa prestandi auxilium hominibus civitatis Laude. Homines vero Placentie propter pacem et concordiam quam simul habent noluerunt se intromittere, licet in ipsa civitate Placentia sint multi qui se vellent intromittere et adiuvare illos de la Turre et

a) *supplenda vox videtur.* b) Boñ *c.*

1278. civitatem Laude, sicut sunt Iohannes Pallastrelus et sui sequaces. Albertus vero de Fontana et illi de Fontana et confanonerii et filii Oddoni[83] et Vicecomites et Scoti et alii eorum sequaces noluerunt se intromittere; illi vero de parte domni Ubertini de Lando evictant omne gravamen quod evenire possit civitati Placentie averis et personarum; et diruptis fonditus castro Monbrioni, Fossadoto, Bargano, et aliis multis locis et villis combustis et guastatis, die Iovis 15. mensis Septembris recceserunt.

De mense vero Augusti domnus rex Karolus volens observare pacta et conventiones que sunt inter ecclesiam Romanam et ipsum domnum regem facta per domnum papam Urbanum felicis memorie, in manibus domni Nicholay tercii Romane ecclesie summi pontificis repudiavit ei senatoriam et dominatum urbis Rome et quicquid habet a ponte Zeperani citra. Qui domnus papa posuit pro se senatorem in Urbe ad suam voluntatem unum suum parentem, et unum vicarium pro ecclesia in Tuscia, et die 22. Septembris in manibus fratris Latini per suos procuratores in Viterbo predicta repudiavit.

Aug. 26. Die Veneris 26. mensis Augusti domnus Rodulfus Romanorum rex interfecit regem Boemie et habuit totum regnamen eius ad sua precepta et mandata cum toto thesauro suo infinito. Fertur enim condam regem Boemie habere quatuor castra, in quorum quolibet habebat unam turrim et in qualibet turri habebat 200 millia marchas auri et 800 marchas argenti, et omnia vasa quibus utebatur in ministerio ad edendum et ad vina fondenda omnia erant argentea et aurea, et alia mirabilia in camera eius et lectulo, et lapides preciosos et ornamenta habebat infinita et mirabilia, que omnia habuit domnus rex Rodulfus ad suam voluntatem[a].

Nov. 7. Item 1278. die Lune 7. mensis Novembris per Laudenses intrinsecos et aliquos de Cremona captum fuit castrum de Furnovo quod tenebatur per domnum Bosium de Dovaria et alios Cremonenses extrinsecos, qui illud castrum quasi relinquerant propter auxilium quod non poterant habere a comuni Mediolani, et capti sunt in ipso castro multi et aliqui interfecti, et illud castrum remanet in custodia comitum de Canuxano, quorum est.

De mense vero Novembris Caxonus de la Turre et alii forbanniti de civitate Mediolani et Laudenses intrinseci cum eorum exforcio transierunt Adduam, et intraverunt in locum de Vauri munientes ipsum sicut melius poterant. Mediolanenses intrinseci timent ad mortem, propter quod miserunt pro domno marchione Montisferati; qui illuc de mense Decembris venit et factus est per Mediolanenses dominus civitatis Mediolani imperpetuum. Ita quod de mense Ianuarii cum toto exercitu suo, scilicet cum Mediolanensibus, Papiensibus, Verzelensibus, Novariensibus, Cumanis, cerna militum Alexandrie, Terdone et aliis quos habere potuit, circa locum Vauri hostiliter obssedit faciens pontem super Adduam et transiens ultra fluvium ut vectet[84] illis de loco victualia.

1279. Die vero sabbati 21. mensis Ianuarii videntes illi de loco Vauri mercatum sibi defficere, compromiserunt se in domnum marchionem Montisferati et relimquerunt locum in forcia domni marchi nis, et illi de la Turre reduxerunt in civitate Laude, et post paucos dies domnus marchio fecit explanari castrum Vauri.

Die Iovis 16. mensis Februarii domnus marchio in civitate Mediolani tullit sententiam inter istas partes: primo quod omnes carcerati ab utraque parte detenti usque ad 8 dies remittantur liberi et expediti, et confinati in civitatem Mediolani reddire debent, similiter et banniti, exceptis illi de la Turre de quibus marchio debet suo loco et tempore arbitrari.

De mense vero Martii[b] in medio mense, domnus marchio ordinavit parlamentum omnium civitatum que sibi obediunt in civitate Mediolani, in quo parlamento debent esse ambaxatores Ianue, Terdone, Alexandrie, Papie, Aste, Ovree, Albe, Vercellarum, Novarie, Cumarum, Laude, Verone et Mantue.

Mai. 1279. de mense Madii multa castra et loca in marchia Ancone diluvio inefabili submersa sunt usque ad Furlinum, et magna pars illius civitatis, ita quod homines et bestie magni et parvi interempti sunt.

Eodem millessimo die sabbati 6. mensis Madii in civitate Cremone morte naturali mortuus est quidam homo qui fuit portator vini et blave, bonus homo timens Deum et visitans sepe et sepius limina Sancti Petri, faciens helemosinas, perseverans in orationibus in civi-

a) *fol.* 112' — *fol.* 116 *sequitur:* Item 1278. indictione 7. incipit de ystoria Romana ante istum millesimum. Romanum igitur imperium *etc.* — et de Dalmatia eo tempore triumphatum est. b) madii *c.*

83) Filioddoni antiqua Placentiae familia sunt. ED. P. 84) i. e. vetet.

1279. tate Cremone in ecclesia, et sicut dicitur non potuerunt pollimones eum sepellire nec terram ligonibus perfodere, et sic solitus erat orare, in choro ecclesie ipsum sepellierunt; qui bonus homo vocabatur Albertus, et sic in continenti divino miraculo vox sonuit in Lombardia, quod ipse erat sanctus et quod faciebat multa miracula; et taliter crevit vox et fama de eo, quod omnes debiles et male habentes et innumerabiles persone undique illuc accedunt, et dicitur quod multa miracula facit, et vocatur sanctus Albertus.

Iul. De mense Iulii marchio Montisferati hostiliter cum milicia et populo Mediolani venerunt ad faciendum quemdam cavum ut possent auferre Adduam de loco suo et ipsam derivare in fluvium Lambri et claudere sic episcopatum suum, ne Laudenses currerent et dampnum facerent in episcopatu Mediolani. In auxilium vero Laudensium de mense Augusti iverunt Cremonenses populus et milicia, et cerna militum et peditum Parme et Regii et Mutine. In auxilium Mediolani venerunt Papienses, Novarienses, Vercellenses, Cumani, Astenses, Terdonenses, Alexandrini et comites et marchiones de Pemonte et alie gentes et comunitates a Papia supra.

Oct. Item 1279. de mense vero Octubris, Conradus de Casteiono civis et potestas Mediolani cum domno Uberto de Ozio expulsi sunt per domnum marchionem Montisferati de civitate Mediolani, et facti sunt amici et de parte illorum de la Turre, et eorum bona publicata comuni Mediolani.

Dec. De mense vero Decembris iuxta nativitatem Domini orta discordia in civitate Bononie, preliati simul pars de Lambertactis qui[a] in civitatem nuper intraverant, de civitate expulsa est, ita quod multi mortui sunt; de quo facto domnus papa indignatus est contra Gereminos de Bononia.

De eodem mense homines de Mediolano elegerunt in eorum potestatem et rectorem domnum Cabrium de Trexio civem Laude, qui Cabrius contra voluntatem comunis Laude ivit ad regimen dicte civitatis Mediolani; propter quod Laudenses dederunt ei et suis sequacibus bannum, *fol. 121. et ipse rebelavit castrum de Sancto Florano comuni* Laude. Unde Laudenses venerunt de mense Martii in obsciditionem dicti loci cum trabuchis, et stantes ibi per 15 dies habuerunt illud; quod penitus dirruerunt.

1280. 1280. de mense Madii marchio Montisferati cum iret in Yspaniam cum uxore et filia sua quam copulavit in uxorem filio regis Castelle, captus fuit et datus in forcia comitis Savolie, qui eum tenet in carceribus; de mense Augusti sequentis exivit de carceribus et continuo ivit in Yspaniam.

Mai. 31. Die Veneris ultimo mensis Madii Galvagnus filius comitis Ubertini de Lando relaxatus a carceribus domni regis Karoli, in quibus stetit per 14 annos et plus, operatione domni Campanixii de Cazis civis Papie applicuit in Placentiam, ubi receptus est a patre alacriter et benigne, et post paucos dies copullavit in uxorem filia[b] condam Raynaldi Scoti.

Aug. 22. Die Iovis 22. mensis Augusti domnus Nicholaus papa tertius in castro Serariani ab hac luce transmigravit. Vixit autem iste papa per duos annos et 8 menses et 23 dies.

Audito in Romagna de morte domni pape, in continenti pars Gibilinorum de Faencia, Furlini, Furnipopuli, Cesene, Cervie et plurium aliarum civitatum de Romagna partes Guelforum de ipsis civitatibus expulserunt.

Nov. 22. Die Martis 22. mensis Novembris Bononienses cum eorum amicis intraverunt in civitatem Faentie, multos de parte Gibilinorum occidendo et capiendo.

De mense vero Septembris pars Advocatorum de Vercellis de civitate expulsit partem Tizonorum, multos occidendo et capiendo.

Dec. De mense vero Decembris Gibilini de Senegalia expulserunt partem Guelforum de dicta civitate, occidendo Palmerolum de Fano et multos alios.

De eodem mense Templarii de Placentia intraverunt in ecclesia sancti Egidii de misericordia, et ipsam habuerunt.

1281. Mart. 16. Die sabbati 16. mensis Marcii ecclesia sancti Bertolomei de Placentia propter palacium quod Placentini intendunt ibi facere dirrupta et destructa est, et die Lune 12. mensis Madii summo mane cantato ibi euangelio sancti Iohannis per fratres Minores, inceptum est dictum palacium existente rectore civitatis Placentie Bruxato de Brixia, et Girardino de Buschetis de Mutina capitaneo mercatorum et paraticorum.

a) quem c. b) ita c.

1281. Febr. 22. Die sabbati 22. mensis Februarii in civitate Viterbii cardinales in concordia ellegerunt in summum pontificem domnum Symonem de Turso cardinalem[a] Francigenam, et vocatum est nomen eius Martinus quartus. Cessavit autem appostolatus per 6 menses.

Mai. 1281. de mense Madii domnus patriarcha venit in succursum illorum de la Turre et hominum Laude cum honorabili militum comitiva de Friolanis ad equum, et die dominico 18. mensis Madii equitaverunt illi de la Ture et Laudenses in comitatum Mediolani ad locum Vauri et per illas contractâs. Mediolanenses de civitate cum Papiensibus, Cumanis Novariensibus et eorum amicis cum eorum populo et milicia exierunt extra civitatem Mediolani versus illos usque ad locum Piotele. Die dominico 25. mensis Madii in festivitate sancti Urbani incepto prelio inter istas partes prope locum Vauri, illi de civitate Mediolani obtinuerunt in totum; in quo prelio illi de la Turre cum Laudensibus et cerna militum Cremone et cum militibus domni patriarche quos de Friore[85] secum duxerat penitus disconfiti sunt, et mortuus fuit in dicto prelio Caxonus de la Turre, et multi neccati in fluvio Addue, et bene 700 mortui in campo, et multi capti plus quam mille inter milites et pedites.

Iun. 11. Die Mercurii 11. mensis Iunii domnus patriarcha cum Friolanis qui ex prelio evaserant de civitate Laude versus Cremonam se divisit.

De mense vero Iunii Bononienses intrinseci cum militibus domni regis Karoli et cum militibus ecclesie et cum militibus Regii Parme et Mutine et cum omnibus eorum amicis hostiliter iverunt super civitatem Furlini, in cuius deffensione erat comes Guido de Monte Feltro cum Gibilinis de Tuscia et aliis pluribus eius amicis; et de eodem mense facto guasto reversi sunt ad propria.

Iul. 16. Die Mercuri 16. mensis Iulii domnus Guillelmus marchio Montisferati applicuit in civitatem Ianue cum magna quantitate militum et ballisteriorum de Yspania adsoldatorum per domnum regem de Castella, et vadit de die in diem versus Mediolanum cuius est dominus. Primo ivit Vercellas et reduxit partem Tizonorum, que extra expulsa, in civitate; deinde Mediolanum.

Aug. 18. Die 18. mensis Augusti existens marchio Montisferati in civitate Mediolani, iussit extrahi carocium Mediolani ad eundum super terram Laude, deinde venit Papiam et iussit extrahi carocium, et extraserunt die Iovis 28. Augusti. Die Iovis 4. mensis Septembris dictus marchio cum carocio Mediolani et suis admistatis venit ad hospitandum ad Meregnanum, deinde in guastis Laude, et stetit ibi per 15 dies guastando castra et villas et loca, vineas et arbores undique usque ad fossata civitatis Laude; et die Mercuri 17. Septembris reccessit. Cremonenses cum populo et milicia eorum et Parmenses similiter cum populo et milicia eorum et milites Regii et Mutine qui civitatem Laude deffendere tenebantur et volebant, venerunt ad Pizumleonem, et non fuerunt ausi transire Adduam ad succurendum Laude; et sic reversi sunt omnes ad propria.

Aug. 30. Die sabbati 30. mensis Augusti de nocte, die dominico adveniente, prope diem luna quasi tota in rotunditate sua passa fuit eclixim, id est deffectum.

Oct. 18. Die Lune 18. mensis Octubris vel circa, cum Bononienses cum milicia et populo suo et cum militibus adsoldatis per ecclesiam Romanam et per domnum regem Karolum ivissent ad faciendum guastum hominibus civitatis Furlini, facto ipso guasto sicut poterant, populus illius civitatis redivit Bononiam, et milites omnes equitaverunt ad civitatem Cesene, et intraverunt burgum illius civitatis, et habuerunt illud ex toto ad eorum voluntatem. Illi vero de civitate Cesene, que sita est in monte, facientes eorum signa pro petendo et habendo auxilium, scito hoc et cognito per comitem Guidonem de Montefeltro qui est dominus et capitaneus partis Gibilinorum de Romagna, cum magna quantitate militum quam secum habebat in continenti et festinanter equitavit versus Cesenam, et per vim intravit in dictum burgum, et omnes quot intraverunt non valentes sibi resistere disconficti sunt et mortui pro maiori parte, nisi illi qui per fugam evaserant. Inter quos mortuus fuit domnus Guidoguerra Salvaticus, qui erat capitaneus dictorum militum pro ecclesia Romana.

Dec. 10. Die Mercuri 10. mensis Decembris circa vesperas, domnus Bosius de Dovaria et alii forbanniti de civitate Cremone, de consensu et voluntate domni marchionis Montisferati et comunis Mediolani, intraverunt in locum Creme causa guerriandi comune et homines Cremone, cum talia militum civitatum a Lambro superius, videlicet cum 100 militibus Papie, 200 militibus Mediolani, 60 militibus Cumarum, et 40 militibus Novarie; et ipse

a) cardinale c.

85) i. e. Friole.

1281. domnus Bosius et pars extrinseca Cremone debet ibi manutenere 200 milites, et homines *fol. 122. Creme debent* habere et tenere 100 milites, et domnus marchio Montisferati dedit eis ad introytum Creme 100 milites de suis adsoldatis.

Pax inter comune Mediolani ex una parte, et comune et homines Laude facta est; et illi de la Turre qui ibi erant se exinde diviserunt et iverunt versus Cremonam et in alias partes, et in civitatem Placentie applicuerunt multi die sabbati 27. Decembris; et Cabrius de Trexio et frater et omnes illi qui eius occasione banniti erant, die dominico 21. mensis Decembris extracti de banno comunis Laude in civitatem Laude intraverunt.

1282. Ian. 9. Die Veneris 9. mensis Ianuarii Rolandus Granellus et Luxiardi cum aliis eorum amicis intraverunt in Petram Scremonam rebellantes comuni Placentie; in cuius obsciditione iverunt Placentini cum magna vi ballisteriorum et peditum et equitum; tamen interim tractatur de pace inter domnum comitem Ubertinum de Lando et partem suam ex una, et comune Placentie ex alia, et facta et iurata fuit die dominico primo mensis Februarii.

Ian. 30. Die Veneris 30. mensis Ianuarii circa tertiam Bossius de Dovaria et pars extrinseca de Cremona intraverunt in locum Sunzini, et ipsum locum totaliter habuerunt de tractatu illorum de Fonducis, qui sunt magnates illius loci et qui erant et solebant esse inimici domni Bosii et partis sue; et die Martis 3. mensis Februarii habuit Ruminengum per voluntatem hominum dicti loci in festo beati Blaxii.

Apr. 1282. de mense vero Aprilis Cremonenses intrinseci cum cerna militum Parme, et peditum et militum Placentie, et peditum Brixie Regii et Mutine, iverunt ad depopulationem hominum Sunzini et Rumenenghi hostiliter iverunt, reducentes quolibet die in castro Iovis Alte et per alia eorum loca, et devastatis dictis locis die Veneris 8. mensis Madii ad propria sunt reversi.

Die Iovis ultimo mensis Aprilis comes Tadeus de Montefeltro qui erat capitaneus 600 militum Francigenarum, cum hominibus Faencie Ymole et aliis eorum amicis per proditionem aliquorum qui utramque partem tradebant intraverunt in burgum civitatis Furlini, et ipsum burgum totaliter habuerunt multos occidendo. Unde comes Guido de Montefeltro qui est capitaneus illius partis et homines Furlini conscii de dicto facto, ordinate insultum fecerunt in ipsos die Veneris primo mensis Madii circa terciam cum essent in prandio, et ipsos penitus disconfixerunt, ita quod omnes quasi aut mortuos aut in vinculis aligatos ceperunt, et recuperaverunt totum burgum ad eorum voluntatem.

De mense Aprilis rex Aragonis fecit magnum apparatum navigii, et creditur quod ipse fecit tam magnum apparatum cum auxilio et conscilio regis Castelle et regis Anglie et cum auxilio et avere Palialoghi regis et imperatoris Grecorum, et creditur quod vadat in Sciciliam, ubi multe civitates rebelles facte sunt domno regi Karolo; qui rex totam Sciciliam perdidit. Et stans rex Aragonis per litora maris versus Tunicam civitatem, die octavo mensis Augusti intravit in Sciciliam habendo totam Sciciliam ad sua precepta, de quo facto multum timet rex Karolus.

Iun. De mense vero Iunii marchio Montisferati cum certa quantitate militum et populi Mediolani, Papie, Cumarum, Novarie, Vercellarum, Ast, Alexandrie, Terdone et militum et peditum Montisferati hostiliter venit in districtum Cremone causa eundi. Unde sencientes Cremonenses cum eorum amicis statuerunt extrahere carocium Cremone, et extraserunt et iverunt cum ipso carocio usque ad locum Palerni cum milicia et populo Cremone, et Parmenses et Placentini extraxerunt eorum carocia et conduxerunt ipsa usque in civitatem Cremone, adsociantes ipsa carocia cum universo populo et milicia eorum, causa obviandi marchionem Montisferati et comune Mediolani et Papie, qui eorum carocia similiter extraxerant. In auxilio vero comunis Cremone erant Parmenses cum populo et milicia eorum, Placentini cum populo et milicia eorum cum carociis eorum, item milicia Brixie, cerna militum Regii, Mutine et Bononie et marchionis de Est. In auxilio vero marchionis et Bosonis de Dovaria et Cremonensium extrinsecorum qui sunt in Sunzino et Ruminengho, erant primo dictus marchio cum militibus suis et peditibus Montisferati, cum milicia et populo Papie, Mediolani, Cumarum, cerna militum et peditum Novarie et Vercellarum, Ast, Terdone, Alexandrie, et cerna militum Dalphine et aliis pluribus marchionibus et baronibus de Pedemonte; et ivit carocium Papie usque super fluvium Serii cum populo et milicia sua; carocium vero Mediolani ivit usque ad Scaravacium. Et die sabbati 11. mensis Iulii orta

discordia inter homines Papie qui in exercitu erant ex una parte, et homines Mediolani ex alia, quia homines Mediolani non venerant ad exercitum sicut debebant, reccessit marchio Montisferati cum toto exercitu suo nullum dampnum faciens in districtum Cremone, et sic carocia Parme et Placentie cum populis die lovis 16. mensis Iulii ad propria reccesserunt cum magna leticia et honore. 1282.

Die Martis 25. Augusti in civitate Mediolani iurata et facta est concordia inter comune Mediolani et domnum marchionem Montisferati ex una parte, et comune et homines Cremone Placentie et Brixie ex alia, cum certis pactis et condictionibus, et maxime quod predicta comunia Cremone Placentie et Brixie debent illos de la Ture et bannitos Mediolani expellere de ipsis civitatibus et districtubus, et comune Mediolani debet expellere bannitos Cremone de eorum districtu et civitate, et non dare conscilium nec iuvamen Bosio de Dovaria et bannitis Cremone. Aug. 25.

De mense vero Septembris Bononienses cum militibus ecclesie, quorum capitaneus est domnus Muruelus marchio Malaspina, et eorum amicis erant super homines Furlini in obsciditione cuiusdam castri eorum quod nominatur Medolana, in cuius obsciditione steterunt per tres menses et plus; et relicto castro ad propria sunt reversi de mense Novembris.

De mense vero Septembris domnus rex Karolus cum tota gente militum et peditum quos habere potuit, ivit navigio in Scciliam et applicuit ad splaciam de Mixina[86]. Rex vero Aragonensis stat cum Sciculis et cum militibus et peditibus quos secum duxit in Sciciliam, qui fuerunt numero 3000 milites et 12,000 pedites cum 150 lignis cum vellis[87], et applicuit ad Trapanum, et habet totam Sciciliam in sua potestate, et fecerunt Sciculi eorum regem Manfredinum filium regis Aragonensis, qui fuit habiaticus condam regis Manfredi. Quo audito per domnum regem Karolum, transivit in Sciciliam cum magna quantitate militum et peditum de regno Apulie, et obscedebat civitatem Mixine per terram et aquam. Et rex Aragonensis erat in civitate Palermi cum magna quantitate militum et peditum et cum magno navigio, et veniens in succursum Mixine potenter sicut plus poterat. Audiens domnus rex Karolus et videns quod non posset ei ressistere, tractatim adscendit naves cum quibus potuit, et venit in Apuliam relicto ibi exercitu suo, qui a rege Aragonensi disperssus est; et hoc fuit in festo sancti Michaelis.

Die Lune 17. Septembris adveniente festo beati sancti Michaelis pars illorum de Puteo de civitate Alexandrie cum Squarzaficubus preliati sunt de nocte, et non valentes rexistere parti Lanzaveiorum recceserunt; *et stans domnus marchio Montisferati in Alexandria, populus illius civitatis fecerunt ipsum domnum marchionem et eius heredem dominum et segnorem civitatis et districtus Alexandrie imperpetuum, et positis 15 de magnatibus partis illorum de Puteo in confinibus sedata est illa civitas ad mandata domni marchionis, et potestas qui erat de Pisis recessit, et domnus marchio fecit potestatem illius civitatis domnum Bonefacium de Pusterna civem Mediolani. Sept. 17. *fol. 123.

De mense Novembris in festo sancti Martini 11. intrante Novembris Cremonenses intrinseci habito tractatu cum Rubeo de Fondulis de Sunzino traditore Bossii de Dovaria, intraverunt in locum Sunzini expellentes Bossium de Dovaria et partem extrinsecam de Cremona de dicto loco, et ipsum locum totaliter habuerunt ad eorum voluntatem. Nov. 11. Rubeus de Fondulis traditor.

De mense eodem orta discordia inter domnum marchionem Montisferati ex una et homines Mediolani ex altera, propter quam discordiam Mediolanenses federati sunt cum hominibus Placentie Brixie et Cremone, et iuraverunt simul.

De mense Ianuarii cum domno marchione tenent homines Papie et homines Terdone, Alexandrie, Vercellarum, Novarie et Cumarum, et tota gens a Papia supra. 1283. Ian.

Eodem tempore domnus rex Karolus stans cum suo exercitu in Scicilia iuxta civitatem Mixine, appellavit domnum regem Aragonensem de prodimento, dicendo quod male fecerat quod intraverat in terram suam Scicilie sine diffidendo eum; et sic rex Aragonie tuendo se dixit, quod paratus erat per prelium cum 100 militibus suis cum totidem militibus dicti domni regis Karoli; et tantum creverunt verba illa inter eos, quod iuratum est per 40 milites ex utraque parte facere prelium in civitate Bordelle[88] super Girondum in Anglia, in hunc modum scilicet, quod domnus rex Karolus personaliter cum 100 ex suis militibus, et domnus rex Aragonensis personaliter cum totidem debent esse in dicta civitate Bordelle in

86) i. e. Messina. 87) i. e. velis. 88) Bordeaux.

1283. Kalendis Iunii proximo venturis. Qui domnus rex Karolus de mense Marcii per mare ivit in Provinciam; et debent sicut fertur personaliter preliari. Set ultrum[89] esset verum hoc vel falsum, rex Aragonensis transivit in Calabriam cum magna quantitate militum et peditum et subiugare eam sibi intendit; ad quam deffendendam princeps filius domni regis Karoli toto suo posse laborat. Certissime vero rex Aragonensis et rex Karolus quilibet cum suis 100 militibus guarnitis iverunt ad locum ordinatum; set quia domnus rex Francie causa videndi prelium iverat cum maxima quantitate militum armatorum, timens rex Aragonensis de eo, fecit sibi dici quod recederet, quia pugnam nolebat facere si presens esset; et sic domnus rex Francie noluit se dividere de inde; et quia quidam cardinalis legatus domni pape presens erat, qui precipiebat partibus quod non deberent preliari sub pena excommunicationis, et quia non placebat prelium vicario domni regis Anglie, remansit prelium ab utraque parte.

Mai. 28. 1280. tercio, die Veneris 28. mensis Madii comes Guido de Montefeltro et homines Furlini Cesene et illarum partium concordium fecerunt cum domno papa et ecclesia Romana cum certis pactis et condictionibus.

Die dominico 16. mensis Madii potestas Placentie cum militibus et peditibus civitatis et episcopatus, orta discordia inter comune Placentie et comitem Ubertinum de Lando, ivit ad obsciditionem castri Complanini, et stans ibi per multos dies, licet castrum illud non esset obssesum, quod non possent ire et reddire intrinseci die noctuque ad eorum voluntatem, Sachus de Luxiardis et Vicecomes eius frater qui in ipso erant pro comite Ubertino, sicut dicunt quod non poterant servientes ibi plus tenere, et sic facto colloquio cum domno Vicecomite Pellavicino qui in exercitu erat, illud castrum reddiderunt cum certis pactis ipsi domno Vicecomiti nomine comunis Placentie die Martis 22. mensis Iunii; et die Mercuri sequenti iverunt ad montem Arsicium, et faciendo ibi guastum et dando illi prelium, die Veneris cum certis pactis illud castrum dederunt comuni Placentie, quod totum illico combuxerunt; in quo loco erant Ricius de Luxiardis et fratres et Rolandus Granellus et fratres et multi alii servientes.

Iun. 8. Dum hec geruntur in partibus vallis Tarii, die Martis 8. mensis Iunii Zagnus de Monte Piogio et Lovatus filius Egidii de Petra Cravuna cum aliis de Zavatarello furtive de nocte circa diem intraverunt in castrum de Monte Piogio, capientes filium Lombardi de Vixirano qui ibi erat pro capitaneo pro comuni Placentie in quo habuerunt 800 bestias minutas et 60 bovinas quas duxerunt ad Zavatarellum. Ad quod expugnandum equitaverunt milites qui remanserant in Placentia, et totus populus porte Nove et porte Mediolani, et postmodum totus populus porte Sancte Brigide et porte Gariverti, et data ossiditione illi castro et sturmo, orta est discordia inter Zagnum de Monte Piogio et Lovatum de Petra Cravuna propter parlamenta, quod ipse Lovatus fecerat illo die contra voluntatem dicti Zagni cum filiis Nigri Rubei et Osato de Fontana, quia ipse Lovatus volebat exire de banno et dare locum comuni Placentie. Unde dictus Zagnus clam nocte silenti cum suis servientibus quibus displicebat colloquium, fracto muro castri ubi erat unum segiarium reccessit et auffugit de ipso castro sanus et salvus inscio Lovato isto, qui custodiam faciebat cum suis per sortem que sibi acciderat. Qui Zagnus cum fuit a longe sonavit tubetam; et sic ipse Lovatus perpendens de facto ivit ad circandum ubi erat Zagnus et non invenit eum nec servientes eius, et sic ipse Lovatus sicut stultus cridavit: *Venite et tollite castrum!* et sic totus exercitus fuit ad arma, et habuerunt castrum, et ceperunt ipsum Lovatum et 8 cum eo quos suspenderunt, et multos ceperunt illa nocte, quos omnes occiderunt die Martis in nocte 15. Iunii, et locum combuxerunt non serio set ignorantibus.

Iul. 16. Die Veneris 16. mensis Iulii marchio Montisferati stans cum magno exercitu in ossiditione Castellacii de Alexandria, situm[a] iuxta civitatem Alexandrie per 4 milliaria, in quo pars illorum de Puteo de Alexandria guerriando civitatem se reduxerunt, trabucando ipsum habuit castrum et homines ad suam voluntatem cum certis pactis et condictionibus. Ita quod domnus est Alexandrie, et acceptis obscidibus illorum de Puteo reversus est in Alexandriam, deinde Terdonam.

Aug. 19. Die Iovis 19. mensis Augusti homines Terdone tractatim stans domnus marchio Montisferati in civitate Albe, rebellaverunt se et civitatem Terdone ipsi domno marchioni expellendo domnum Guillelmum de Monte Merlo et filium de civitate Terdone, qui erat rector

a) *ita c.*

89) i. q. utrum.

pro domno marchione in ipsa civitate. Quo audito per domnum marchionem, dolore magno 1283. cum tota gente sua et amicorum eius se reduxit in civitatem Alexandrie, et facit maximum apparatum veniendi ad partes Terdone. De mense Octubris circa finem domnus marchio Montisferati cum cerna militum Cumarum, Novarie, Verzellarum, Albe, et militum et peditum civitatis Alexandrie et terre sue venit ad depopulationem terre Terdone, comburendo mollendina et aufferendo ab eis aquam que labitur per civitatem Terdone. In cuius deffensione erant 100 milites Mediolani et 50 milites Placentie et milites extrinseci Alexandrie.

De mense Decembris comune Placentie ex una *parte et domnus comes Ubertinus *fol. 124. de Lando ex alia compromiserunt sese in domnum Guillelmum de Petra civem Papie et in domnum Albertum Scotum tanquam in arbitros de omnibus litibus et controversiis et questionibus. Qui arbitri in concordia die Veneris ultimo mensis Decembris tullerunt sentenciam in conscilio generali comunis Placentie inter istas partes secundum modum pacis facte occasione Petre Scremone, et dederunt ipsi domno comiti pro redemptione Palmerii de Fontana, filii domni Alberti de Fontana quem habebat in carceribus, 80 libras Placentinorum.

De mense Ianuarii illi de Erboe de civitate Vercellarum et Advocati de Vercellis intraverunt in quoddam castrum districtus Vercellis quod vocatur Mongranum, pro quo facto domnus marchio Montisferati cum Vercellensibus intrinsecis et gente sua et Alexandrinis et Novariensibus et Papiensibus hostiliter ad illud castrum properavit, et factis bastitis illi castro ossedit ipsum. Unde Mediolanenses cum cerna militum Placentie Cremone et Brixie in succursum illorum de castro properant, quod castrum affidatis personis intrante mense Februarii habuit domnus marchio die Iovis 3. mensis Februarii. 1284.

Die Martis 8. mensis Februarii Guillelmus de Monte Merlo civis forbannitus de Terdona cum 300 militibus domni marchionis Montisferati intravit in castrum de Ponte Corono situm iuxta civitatem Terdone per quinque milliaria rebellando civitati Terdone.

Die sabbati 22. mensis Ianuarii in civitate Rome Ursini et alie magne proienies cum Ian. 22. populo Romano insultum fecerunt in senatorem Rome qui ibi erat pro senatore domni regis Karoli, et ipsum ceperunt et posuerunt in carcerem, et multos milites Francie qui ibi erant pro custodia eiusdem civitatis interfecerunt, et sic facti sunt rebelles domno regi Karolo.

Eodem tempore domnus rex Karolus suos ambaxatores misit in Lombardiam pro petendo auxilium et iuvamen a civitatibus Lombardie qui sunt eius amici; et Placentini donaverunt eis 2000 florinos auri in verbis; tamen nundum illos florinos ei dederunt.

1284. die Martis 2. mensis Madii homines de loco Boschi districtus Alexandrie, qui est Mai. 2. prope civitatem Alexandrie per 5 milliaria, se dederunt in forcia illorum de Puteo forbannitorum comunis Alexandrie, qui stant in civitate Terdone rebellantes comuni Alexandrie et domno marchioni Montisferati.

De mense vero Madii 23 galee comunis et hominum Ianue invenerunt unam navem guarnitam comunis Pisarum, quam preliati fuerunt et eam ceperunt per vim, et ipsa navi cum hominibus et rebus que intus aderant captis, 13 guarnite pro comuni Pisarum venerunt in subscidium dicte navis; quam cum ipsi viderent captam, perteriti voluerunt fugere, et non potuerunt. Illi vero de Ianua videntes et cognoscentes a longe galeas Pisarum, timentes posuerunt ignem in navi capta, et quotquot in ipsa vires ceperunt et occiderunt et submerserunt, et sic impetum facientes in istas 13 galeas, ipsas per vim ceperunt, occiderunt et submerserunt quotquot ibi invenerunt, detentis circa 1000 viris ibi captis, quos in carceribus Ianue conduxerunt. Novem vero galee de Pisis veniebant post istas 13, qui videntes navem magnam et galeas Pisanorum captas, abierunt retro et evaserunt.

De mense vero Madii circa medium mensem, marchio Montisferati cum militibus et populo Alexandrie et cum militibus Vercellarum, et cum cerna militum et peditum Novarie et cum militibus et peditibus terre sue et aliis suis amicis de Pemonte, ivit ad depopulationem civitatis Terdone que rebellabat ei, in cuius deffensione sunt 300 milites Mediolani et 100 ballisterii, et 100 milites Placentie et 50 ballisterii, et 100 milites Cremone et 80 ballisterii, milites[a] Brixie et milites extrinseci Alexandrie, scilicet illi de Puteo et Albertus marchio Malaspina et consortes sui. Et habuit domnus marchio ibi in dicto exercitu 1000 milites et plus, et bene 20,000 pedites; in quo guasto stetit per 20 dies, et postea ivit cum toto exercitu suo ad guastandum Boschum, in quo erant illi de Puteo et pars extrinseca

a) nil c.

1284. Alexandrie. In quo exercitu Terdone marchio Montisferati celebravit societatem tractatam inter se ipsum[a] ex una parte et illos de la Ture ex alia.

Mai. De mense vero Madii in fine mensis, domnus rex Karolus cum 50 galeis et duabus navibus magnis armatis per mare Ianue[b] ivit in Apuliam pro recuperando Sciciliam.

Iun. 5. Die Lune 5. mensis Iunii frater naturalis regis Aragonensis qui in Scicilia pro ipso rege dominatur, cum hominibus Mixine et Scicilie armatis omnibus galeis et lignis sicut plus poterat, et fuerunt galee numero 52, et cum aliis navibus venit iuxta civitatem de Napulis per tria milliaria; quo cognito et scito per domnum principem filium domni regis Karoli, deliberato conscilio cum suis baronibus et sapientibus statuit ire ad prelium, pugnaturus cum illis de Scicilia, et armatis 36 galeis et aliis lignis sicut melius potuit, ipsemet princeps cum omnibus Francigenis militibus qui secum erant intravit in ipsas galeas, qui fuerunt 300 milites bene armati, et fuerunt sue dictorum militum numero 9 galee. Qui primo ivit ante alios, et alie galee et naves sequebantur; et sic ipse domnus princeps sicut probus et valens insultum fecit in eos viriliter et potenter; et illi se aperierunt, et clauserunt infra se dictum domnum principem et omnes de dictis galeis, quos omnes ceperunt. Unde visis ipsis captis per illos de Napuli, in continenti illi de Napuli terga vertentes fugam petierunt, et ipsi de Scicilia cum captis recesserunt; et post paucos dies domnus rex Karolus cum galeis et lignis armatis applicuit in civitatem Napoli, ubi receptus fuit cum magno honore.

Aug. De mense vero Augusti homines Pisarum cum 120 lignis armatis de bona gente Pisanorum venerunt super mare Ianue et iverunt Alberganam et Saonam et per illas contractas, ardendo et devastando loca et villas comunis Ianue, ubi steterunt per multos dies; et homines Ianue non potuerunt eis ressistere, quia non habebant armaturam navium preparatam.

De mense vero Augusti illi de Savigiono et illi de Saxolo cum aliis eorum amicis extra civitatem Mutine exierunt, intrantes in plura castra illius civitatis, rebellantes et offendentes illos de civitate Mutine; et sunt propterea cum illis de civitate de una parte scilicet de parte ecclesie; et post paucos dies illi de civitate Mutine exierunt extra civitatem hostiliter; exierunt euntes ad quoddam castrum[c] in quo illi de Savigiono cum eorum amicis erant rebellantes illis de civitate. Unde illi de Savigiono et alii extrinseci de Mutina insultum fecerunt in illos de civitate, et ipsos in fugam posuerunt fugando ipsos versus civitatem, et ceperunt ex ipsis bene 400 inter milites et pedites, et multos occiderunt.

Die dominico 6. mensis Augusti in festo beati Systi, cum homines Pisarum redirent de super terras Ianue cum tota armatura lignorum que habebant, et essent prope portum Pisanum per 5 vel 6 milliaria, homines Ianue cum toto apparatu galearum et lignorum que habere poterant, ex omni parte secuti sunt Pisanos cum tota armatura ipsorum iuxta istum locum; et insultum facientes in ipsos Pisanos, ipsos fregerunt, et ceperunt ex galeis Pisanorum 29 et 2 naves platas cum hominibus qui intus erant, et multos occiderunt, et
*fol 125. ceperunt potestatem *eorum, et alia ligna eorum submerserunt, et conduxerunt captivos ex Pisanis ut fertur bene 10,000 viros. Ianuenses vero magnum dampnum mortuorum habuerunt.

De mense vero Augusti domnus Guillelmus marchio Montisferati dedit unam filiam suam quam habuit ex filia regis Castelle in uxorem imperatori Constantinopolis filio condam Palialoghi; quam ipse misit ad accipiendum suos milites bene guarnitos de pulcris vestibus cum quatuor galeis in portu[d] Ianue; ubi recepti fuerunt ab hominibus Ianue honorifice adsociandum dictam dominam per mare cum multis galeis; et marchio Montisferati bene adsociatus cum militibus suis ivit Ianuam, et ibi tenere magnam curiam ordinaverat; tamen homines Ianue noluerunt eum recipere in civitatem Ianue, et sic ivit ad Finale castrum domni Iacomini de Coreto[e], et ibi stetit et fecit quicquid voluit de dicta filia sua, et comune Ianue dedit sibi 10 galeas causa adsociandi eam.

Sept. 19. Die Martis 19. mensis Septembris intrinseci et extrinseci de Mutina fortiter simul preliati sunt, tamen illi de civitate in fugam conversi usque ad civitatem fugierunt; de quibus intrinsecis multi capti fuerunt et multi occisi.

Oct. 30. Die Lune 30. mensis Octubris summo mane marchio Montisferati habens tractatum cum Symone Corolo potestate populi Terdone et cum aliquibus de illa civitate, intravit in

a) *vox excidit in c.* b) Iañ *c.* c) *vox excidit c.* d) portum *ed.* e) Careto *ed.*

civitatem Terdone capiendo domnum episcopum Terdone, et quasi omnes de parte illorum de Puteo[a] erant in custodia Terdone, de quibus capti fuerunt quatuor vel 5 de maioribus; et die Iovis 9. mensis Novembris domnum episcopum Terdone quem dictus marchio conduci fecerat ad quoddam castrum dicti domni episcopi quod promiserat se daturum dicto domno marchioni, quod erat in fortia parentum et amicorum ipsius domni episcopi, cum illi qui habebant illud in fortia nolent illud dare marchioni, Niger de Monte Merlo, qui erat inimicus dicti domni episcopi, interfecit et occidit; et redierunt Terdonam. Et marchio se ostendit multum mestum de morte dicti domni episcopi, et fecit detineri Guillelmum de Monte Merlo et qui[b] ipsum credidit culpabiles, quos omnes ad preces illorum de parte Terdone relaxavit. 1284.

De mense vero Novembris domnus Simonus de Lochario qui noluit adsentire concordio facto per domnum marchionem Montisferati et Cumanos cum illis de la Ture, propter quod ipsum tenuerunt in carceribus in civitate Mediolani, intravit in castrum de Lugano rebellando comuni Cumarum. Mediolanenses intrinseci dant ei succursum et auxilium contra Cumanos, et sic videtur incepta guerra inter comune Mediolani et comune Cumarum, et domnus marchio adiuvat Cumanos et facit apparatum gentis eundi ad partes Cumarum. Nov.

Eodem tempore domnus papa Martinus ad instanciam et requisitionem domni regis Karoli statuit vehementer procedere contra regem Aragonensem quem deposuit de ipso regno; videlicet quod ordinavit et statuit magnam cruxatam per christianos, ita quod generaliter predicatur per eius nuncios ubique magna cruxata contra eum et terram suam quam tenet, occasione quia ipse Petrus de Aragono invasit et occupavit terram Scicilie quam domnus rex Karulus tenebat pro ecclesia. Et regnum et terram ipsius regis Aragonensis dedit et concessit et tradidit regi Francorum, qui congregat et facit exercitum super ipsum regem Aragonensem; et de mense Madii sequentis ivit super terram regis Aragonensis cum maxima quantitate militum et ballisteriorum et cruce signatorum, et domnus rex Francie magnum apparatum facit navium per mare pro habendo mercatum et exercitum suum, et rex Aragonensis similiter magnum navigium galearum et aliorum lignorum habet in mari ad contradicendum regi Francorum et genti sue; et exercitus domni regis Francorum est sicut fertur in ossiditione civitatis Gironde trabucando ipsam. Rex vero Aragonensis per mare cum galeis infestant multum regem Francie prohibendo victualia portari ad exercitum regis, in quo est maxima caristia victualium, ita quod nomata[c] panis valet unum Tornensem grossum[d].

## Epistola presbiteri Ianelli.

*Presbiter Ianellus potencia Dei et domini nostri Iesu Christi rex regum terrenorum et dominus dominantium universe terre Enmanuelli Romeon salutem gaudere et gratia dictandi ad veritatis ora transire. Nuntiatum est apud maiestatem nostram quod diligebas excellentiam nostram et mentio altitudinis nostre erat apud te. Sed per apocrisarium nostrum cognovimus quod quedam ludicra et iocunda volebas nobis mittere ut delectatur iusticia nostra. Etenim si homo sum pro bono habeo, et de nostris per apocrisarium nostrum tibi aliqua transmittimus. Quia scire volumus et dexideramus si rectam fidem nobiscum habeas, et super omnia credis in domino Iesu Christo. Cum enim te esse hominem cognoscimus, Greculi tui te deum existimant, cum te mortale et humane corruptioni subiacere cognoscamus. De consueta largitatis nostre munificentia si aliquorum que ad gaudia pertinent ullam habes indigentiam, per apocrisarium tuum et per secludum dilectum tuum nos certifica, et impetrabis. Accipe Ieracham in nomine meo et utere tibi, quia libenter utimur lecito tuo, ut sic confortemur et corroboremur virtutes nostras ad invicem; omnia quoque nostra respice et considera. Quod si ad dominationem nostram venire volueris, maiorem et digniorem domus nostre te constituemus, et poteris frui habundantia nostra ex hiis que apud nos habundanter. Et si redire volueris, locuplectatus reddibis. Memorare novissima et in eternum non peccabis. Si vero vis cognoscere magnitudinem et excellentiam nostre magnitudinis, et in quibus terris dominetur potentia nostra, intellige et sine dubitatione crede, quia ego presbiter Ianellus dominus dominantium precello in omnibus divitiis que sub celo sunt et virtute et potentia omnes reges universe terre. Septuaginta*

a) qui *addit ed.* b) quos preter ipsum *ed.* c) somata *ed.* d) *editores Parmenses ex Paveri libro aliquas annorum* 1285 *et* 1286 *notitias nullius momenti subiecerunt, quarum auctor anni initium in Kalendas Ianuarii ponit; ideoque ad nostrum librum minime pertinentes minime recipiendas statuimus.*

*duo reges nobis sunt tributarii; devotus sum christianis, et ubique pauperes christianos clementia nostra invenit, quos regens per imperium deffendimus et helemosinis nostris substentamus. In voto habemus visitare sepulcrum Domini cum magno exercitu prout decet gloriam maiestatis nostre, humiliare et debellare inimicos crucis Christi et nomen eius benedictum exaltare. In tribus Indiis dominatur magnificentia nostra et transit terram ab ulteriori India, in qua corpus sancti Thome appostoli requiescit, per desertum, et progreditur ad ortum solis, et rediit per declivium in Babilonem desertam iuxta turrim Babel. Septuaginta due provincie serviunt nobis, quarum pauce sunt christianorum, et unaqueque habet regem per se qui omnes nobis sunt tributarii. In terra nostra oriuntur elephantes, dromidarii, camelli, ipotarii, corcodrilli, metacalmarii, caxiatenis, tersitere, panthere, onagri, leones albi et rubei, ursi albi et urse albe, cicades, mute, grifones, tigres, lamie, hiene, equi agrestes et asini agrestes, boves agrestes et homines agrestes, homines monoculi, homines habentes occulos ante et retro, sagitarii, fauni, satiri, pigrei, zenofali, gigantes quorum altitudo est 40 cubitorum, ciclopes et mulieres* *fol. 126. *eius generis, et avis que vocatur fenix, et fere omne *genus animalium que sub celo sunt; habemus alias que solummodo vescuntur carnibus tam hominum quam brutorum animalium et abortivorum que numquam timent mori, et cum ex eis aliquis moritur, tam[a] parentes eius quam extranei avidissime comedunt eum dicentes: „Sanctissimum est comedere humanas carnes"; nomina quarum sunt hec: Gog et Magog, Amic, Vegec, Agenus, Defar, Conei, Samante, Agrimandi. Istas nempe et alias multas generationes Alexander puer magnus rex Macedonum conduxit inter altissimos montes in partibus aquilonis, quas cum volumus ducimus super inimicos nostros; et data est eis licentia a maiestate nostra quod eos devorent, continuo nullus hominum, nullum animalium remanet quin statim devorent. Inimicis namque devoratis, reducimus eas ad propria loca, et ideo reducimus quia si absque nobis reverterentur, omnes homines et omnia animalia que invenirent penitus devorarent. Iste siquidem pessime generationes ante confirmationem seculi tempore antichristi egredientur a quatuor partibus terre, et ardebunt universa castra sanctorum et civitatem magnam Romam, quam propossuimus dare filio nostro qui primo nascetur nobis, cum universa Ytalia et tota Germania et utraque Galia cum Anglia, Britania et Scocia; et dabimus ei Yspaniam et totam terram usque ad mare coagulatum. Nec mirum, ita numerus eius est sicut arena maris, quia certe nulla gens, nullum regnum resistere poterit. Hec vero generationes sicut propheta quidam prophetant, propter abhominationes non erunt in iudicio, set Deus mittet super eas ignem de celo, et ita consumabit eas quod nec etiam cinis ex eis remanebit. Terra nostra melle fruit, lacte ubique habundat. In alia terra nostra nulla venena nocent, nec rana garula coassat, serpens nullus serpit in herba nec scorpio, venenata animalia non possunt habitare in eo loco nec aliquem ledere. Inter paganos per quamdam provintiam nostram transit fluvius qui vocatur Ydorius. Fluvius iste de pardiso progrediens expandit sinus suos per universam provinciam illam diversis meatibus, et ibi inveniuntur naturales lapides, scilicet siragides, saphiri, carbonculi, topazii, grisoliti, onichini, berili, ametesti, sardini et plures preciosi lapides. Ibidem nascitur herba que vocatur asidios, cuius radicem si quis super se portaverit, aereum spiritum effugat, et cogit eum dicere quis sit vel unde sit et nomen eius, et quare inmondus spiritus neminem in terra illa audet invadere. In alia quadam provincia nostra universum piper nascitur et colligitur quod in anonam et furmentum convertitur et corruit pannos. Est autem terra illa nemorosa ad modum salici, plena per omnia serpentibus, et cum piper maturescit, veniunt universi populi de proximis regionibus secum ferentes paleam stipullam et ligna aridissima quibus totum nemus cingunt undique, et cum ventus vehemens sibillaverit, ponunt ignem infra nemus et extra ne aliqua serpens extra nemus possit exire, et sic omnes serpentes in igne fortiter accensso moriuntur preter illos qui intrant suas cavernas. Ecce igne consumato viri et mulieres, parvi et magni, portantes furchas in manibus, intrantes nemus et omnes serpentes arssas furchis extra nemus eitiunt et ex eis densissimos acervos componunt, vellut fit in area de paleis granis exculsis; sic piper sicatus de arbunculis combustis colligitur; set qualiter coquatur, nullo extraneo scire permittitur. Quod nemus situm est ad radicem montis Olimpi, unde fumus[b] perspicuus exoritur, omnium in se soporem specierum retinens. Variatur autem sapor per singulas horas diei et noctis, et progreditur in itinere dierum trium non longe a paradiso unde Adam fuit expulsus. Si quis de illo fonte ter ieiunus gustaverit, nullam infirmitatem in illa die pacietur, semper erit in etate 30 annorum quam diu vixerit. Ibi sunt lapilli qui vocantur nudiosi, quos*

a) ta c. b) finis c.

*frequenter aquile solent ad partes nostras deferre per revivescunt et lumen recuperant; si quis illum in digito portaverit, lumen ei non deficiet; et si est inmutatum, restituetur; et cum plus inspicitur, magis lumen acuitur; legiptimo carmine consecratus reddit hominem invisibilem, fugat odia, concordiam parat, pellit invidiam. Inter cetera que mirabiliter in terra nostra contingunt, est mare arenosum sine aqua; arena movetur et tumescit in unda ad similitudinem maris et numquam est tranquillum. Hoc mare neque navigio nec aliquo modo transiri potuit, et ideo cuiusmodi transitus sit ultra sciri non potest; et quamvis omnino careat aqua, inveniuntur tamen iuxta ripam a nostra parte diversa genera piscium ad comedendum. Tribus diebus longe ab hoc mare sunt montes quidam ex quibus descendit fluvius lapidum eodem modo sine aqua, et fluit per desertum nostrum usque ad mare arenosum, deinde postquam mare intrat fluvius iste, lapides evanescunt nec ultra apparent; et quam diu fluit, aliquis eum transire non potest; aliis vero quatuor diebus patet transitus. Est etiam inter mare arenosum et predictos montes in quadam planicie fons amirande virtutis vim in se habens fere incredibilis medicine. Curat enim tantum christianos vel id fieri volentes a quacumque detinentur infirmitate. In hoc loco est quidam lapis cavatus ad modum conche enee, in quo semper est aqua in altitudine quatuor digitorum, et custoditur semper a duobus senibus reverende sanctitatis viris; hii primo interrogant venientes, si christiani sunt vel si id fieri volunt, deinde si sanitatem toto corde desiderant. Qui quidem si fuerint professi, vestibus propriis exuti, intrant concham; et si vere professi sunt, aqua*[a] *incipit crescere in tantum quod cooperit eum totum, ita quod super caput eius adscendit. Idque facit tertio. Paulatim descendit et rediit ad cotidianam mensuram; et sic qui intraverit adscendit de aqua sanus factus a lepra vel a quacunque detinebatur infirmitate. Iuxta desertum inter montes inhabitabiles sub terra fluit rivulus, ad quem non patet additus nisi ex fortuito casu. Aperitur enim aliquando terra, et si quis inde transit tunc potest intrare et sub velocitate exire, ne forte terra claudatur et quicquid de arena rapitur lapides preciosi et gemme preciose. Rivulus iste fluit in aliud flumen amplioris magnitudinis, in quod homines terre illius intrant et colligunt lapides, nec audent illos vendere, nisi excellentie nostre ipsos demonstrent; et si eos in thesauros nostros volumus retinere, dato eis precio accipimus, sin autem libere vendere possunt. Nutriuntur autem pauci in terra illa taliter ad lapides inveniendos, ut aliquando tribus vel quatuor diebus continuis sine cibo ieiunant in aqua. Ultra flumen lapidum sunt decem tribus Iudeorum, qui quamvis fingunt se habere reges, servi tamen nostri sunt et tributarii terre nostre. In alia quadam provincia nostra iuxta torridam zonam sunt vermes qui in lingua nostra salmandre dicuntur. Isti vermes non possunt vivere nisi in igne, et faciunt pelliculas quasdam circa se sicut vermes qui faciunt siricum. Hec pellicula a dominabus nostri palacii studiose operatur, et inde vestes habemus et pannos ad omnem usum excellentie nostre. Isti panni non lavantur nisi in igne fortiter accenso*[b]

a) aquā c. b) *finis fol.* 126; *folia* 127 *et* 128 *exciderunt.*

# OTTO MORENA, ACERBUS MORENA, ANONYMUS DE REBUS LAUDENSIBUS.

## EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ.

*Tripertitum est gravissimum hoc opus, quo rerum a Friderico I. imperatore annis* 1153—1168 *in Italia gestarum largiter adiuvatur cognitio.* ***Et prima pars ab Ottone Morena litteris mandata est, altera ab Acerbo Morena, tertia a quodam Laudensi cuius nomen ignoramus.***

1 *Otto Morena, ex honesta stirpe*[1] *Laudensi natus inclinato saeculo undecimo*[2], *puer vidit tristissimos casus patriae urbis, Laudis veteris, qua post cruentum quadriennii bellum anno* 1111. *a Mediolanensibus eversa, cives expilati pulsique in sex burgis sive locis immunitis multos annos habitare omnemque perferre cruciatum cogebantur. Hinc nimirum Otto una cum reliquis civibus Laudensibus quum violentam Mediolanensium dominationem odio habuit, tum spe salutis in imperiali patrocinio posita, caesares regesque Germanicos propenso animo amplexus est. Itaque quum iudicis munus obiisset, in imperii quoque rebus procurandis adhibitus est et a Lothario III. imperatore annis* 1133—1137 *et a Conrado III. (Italicis II.) rege annis* 1438—1152. *Nec sine grata tenacitate etiam posterius sese „missum domni tertii Lotharii imperatoris et secundi Conradi regis" appellabat*[3]. *Deinde Friderico I. regnum adepto Italiamque anno* 1154 *ingresso,*

1) Morenianae gentis nobilitas ex honoribus facile perspicitur, quibus et Ottonem et filium eius Acerbum ornatos esse ostendemus. Alter porro Ottonis filius, Manfredus Morena, fuit eques Laudensis (v. ad a. 1161 Aug. 7. et ad 1167 Mai. 23.); perinde miles Bregundius, filius Oldradi Morenae (v. ad 1161 Aug. 7.); consul praefuit Laudensibus Rasius Morena anno 1158 (v. ad 1158 Aug. 3.). 2) Id ex eo accipi potest, quod et ipse Otto iam spatio annorum 1133—1137 missus Lotharii III. imperatoris (v. annotat. 3) et filius eius Acerbus annis 1138—1152 sub Conrado III. rege munere eodem functus est (v. annotat. 8). 3) In exordio operis enim, post diem 3. Aug. 1158 scripti (v. infra annot. 10), invenimus haec: *Hunc libellum a me Ottone iudice, qui dicor Morena, ac misso domni tertii Lotharii imperatoris et secundi Conradi regis scriptum.* Cf. etiam annotat. 8. — Dignum memoratu est, Molossium (Memorie d'alcuni uomini illustri di Lodi I, 26) docere, tabulis anno 1147 datis Lanfrancum episcopum Laudensem „laudante atque confirmante Otthone Laudensi iudice" Matutino abbati coenobium Cerretense contulisse. Aliam chartam autem, ab eodem Ottone nostro exaratam anno 1149, reperi apud Carolum Morbium Mediolanensem; cuius exordium exitusque sunt haec: *Anno ab incarnatione domini nostri Ihesu Christi millesimo centesimo quadragesimo nono, secundo die mensis Agusti, indictione duodecima, presentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, promisit et guadiam dedit domna Perpetua, abatissa monasterii sancti Vicencii de Laude, in pena dupli, quod ipsa vel eius successix dabit in terra Argent. denariorum bonorum Mediolanensium de veteri moneta solidos viginti et octo, quos ipsa accepit ab domna Colonba abatissa monasterii sancte Rethegonde per Guidum Guinterium missum suprascripte abatisse et quod faciet cartam de ipsa terra venire in suprascriptam abatissam sancte Rethegonde* cet. *Actum est in caneva suprascripti monasterii sancti Vicencii feliciter. Signum manus suprascripte Perpetue abatissa que ut supra suprascriptam promissionem sub suprascripta pena fecit et suprascriptam guadiam dedit et hoc breve fieri rogavit. Signum manus suprascripti Iohannis de Iuviraga, qui ut supra suprascriptam guadiam sub suprascripta pena accepit et suprascriptam obligationem fecit. Signa manuum Iohannis Blancani, Filipi Codecae, Iohannis de Tavazano testium. Ego Otto iudex et notarius sacri palatii hoc breve scripsi et tradidi.*

*licet fuerit, quod Laudenses de allevanda miseria bene sperarent, interim tamen tantopere Mediolanensium in potestate vertebantur, ut Otto, vixdum Friderico post destructam Dertonam ex superiore Italia Romam profecto, in illo Mediolanensium exercitu moraretur, qui Dertonae restituendae gratia missus, a Papiensibus imperatoris studiosis die* 25. *Maii* 1155 *non longe a Dertona accepta clade*[4], *in eodem oppido ad diem* 28. *Maii usque obsidebatur*[5]. *Sed Fridericus quum anno* 1158 *iterum in Italiam pervenisset, Laudensibus ex diuturna servitute in libertatem tandem vindicatis agrum ad Adduam fluvium die* 3. *Augusti assignavit, consulibusque Laudensibus, in his Rasio Morena quem existimo Ottonis fuisse propinquum, per vexillum de loco investitis*[6], *ut Laudem novam ibi conderent concessit. Inde commutatio tanta rerum facta est, ut iam subsequente anno Otto circiter trecentos milites Mediolanenses, prope Setezanum die* 15. *Iulii* 1159 *ab imperatore captos, in Laudenses carceres coniici videret*[7]. *Eundem in Friderici imperatoris ministeriis fuisse, demonstrat tabula*[8] *ab illo scribi iussa, in qua consignanda Otto die* 6. *Octobris* 1161 *usus est Acerbo filio, de quo quidem plura dicam infra, praeter quemque etiam alterum filium Ottoni fuisse scimus, Manfredum equitem*[9]. — *Nec vero ullo officio Otto est cumulatius de Friderico meritus, quam quod ad acta eius Lombardica posteritati prodenda se applicavit. Condita enim Laude nova, ideoque post diem* 3. *Augusti* 1158 *ad rem aggressus*[10], *quae et ipse coram viderat et erat percontatus ab aliis hominibus*[11] *et ex publicis eius aetatis actis didicerat*[12], *candide exposuit. Qui ad quem ipsum operis locum usque relationem produxerit, haud ambigue indicare perdifficile est, quum praesertim is, qui illam longius contexuit, filius eius Acerbus pari ac pater in imperatorem amore similique dicendi genere usus sit. Hunc enim licet iam de die* 8. *Martii* 1162 *egisse fidem faciat locus iste:* Et ego Acerbus Morena, filius Ottonis Morenae, qui hanc hystoriam deinceps dictavi — fui unus de predictis duodecim, *tamen ab iis ipsis verbis eundem velle principium sumpsisse, non mediocris levitatis esset, propterea quod ea cum antecedentibus tam arte cohaerent, ut illud probanti ad mediam fere periodum accessisse Acerbum placeret. Itaque quum totam etiam anni* 1160 *memoriam ab Ottone esse, ex huius relationis exitu intelligamus, ubi is* Manfredum Morenam suum filium *die* 28. *Octobris captum a Mediolanensibus esse protulerit, certum nihil est, nisi in expositione, diebus* 12. *Martii* 1161 *et* 8. *Martii* 1162 *interiecta,*

4) V. infra ad anni 1155 mensis Maii diem 25: *quoniam ipsi (Mediolanenses) fere omnes et cum me ipso in brolio episcopi et alibi extra civitatem (Dertonam) hospitati fuerant.* 5) V. infra ad 1155 Maii 28: *sicut egomet, qui tunc in ipsa civitate Terdone cum Mediolanensibus eram obsessus, vidi et cognovi* —. 6) V. ad 1158 Aug. 3. 7) V. ad 1159 Iul. 15: *quos omnes per civitatem Laude egomet captos et vinctos in carcerem vidi detrudi.* 8) ap. Muratorium Ant. Ital. VI, 243: *Anno ab inc. domini nostri Ihesu Christi* 1161, 2. *Non. Octobris indictione* 10. — *Actum in civitate Laude — Ego Acerbus iudex ac missus domni secundi Conradi regis, rogatu infrascripti Ottonis iudicis hanc convenientie cartulam scripsi. Ego qui supra Otto, iudex et missus domni tercii Lotharii imperatoris et secundi Conradi regis, hanc cartulam concordie precepto suprascripti domni imperatoris (Friderici) — tradidi, et iam dictum notarium Acerbum scribere rogavi et subscripsi.* 9) V. infra ad 1160 Oct. 28: *Ubi de Laudensibus quatuor sunt capti, videlicet . . . atque Manfredus Morena meus filius.* Cf. ad 1167 Maii 23: — *Manfredo Morena et Petracio Moncio — Laudensium equitibus.* 10) Eius rei documento sunt exordii verba haec: *quomodo etiam hostes — subiugaverit (Fridericus) suosque amicos et maxime Laudenses sublevaverit ipsosque multimodis honoribus atque divitiis repleverit.* 11) *In quo (libello),* inquit in exordio sui libri, *supra dicta omnia et alia multa compendiose ac veraciter, prout melius ab aliis discere potui ac meis propriis oculis vidi, scripta reperies.* Praeterea saepius ad earum quas tradit rerum testes aperte provocat hoc pacto: *sicut ipsemet Albernardus mihi retulit* (ad 1153, de conventu Constantiensi); *ut mihi relatum fuit* (ad 1155 Iul. 28, de casibus Spoletanis); *prout ipsimet Cremenses post ipsam Cremam captam sepe mihi multisque aliis retulerunt* (ad 1159 Iul.). 12) Nam eius de concilio Papiensi anno 1160 habito relationem videmus totam in eiusdem concilii epistola sitam esse.

*latere laborum confinium. Quocirca in constituendis terminis controversis probabilitate usus, Ottonem conieci ad mensem Septembrem* 1161 *pervenisse, Acerbumque exorsum esse verbis his:* Peritissimus autem imperator *cet., ob id ipsum quia inde narratio ad deditionem Mediolanensium apertissime convertitur, cui quidem peragendae hic sese interfuisse declaravit illis, quae supra scripsi, verbis:* Et ego Acerbus *cet. Cuius rei quasi confirmationem quandam inesse iudicaveris in tabula illa, quam componendam die* 6. *Octobris* 1161 *Acerbo filio* 13 *delegavisse Ottonem antea memoravi*[13], *ut is nescio an propter urgentem senectutem eodem propemodum temporis vestigio etiam historici munus a sese ad filium reiecisse videatur. Mortem autem quando obierit Otto, nihil indicii invenimus.*

*A c e r b u s M o r e n a, Ottonis filius, civis Laudensis*[14], *eandem quam pater vitae viam ingressus, ipse quoque et iudex factus est et Conrado tertio regi (annis* 1138—1152*) „missus“ operam navavit*[15]. *Patri notarium die* 6. *Octobris* 1161 *affuisse, ex ea, cuius supra facta mentio est*[16], *tabula animadverti potest. Iam tum autem Acerbum oportet in praecipuam Friderici imperatoris fiduciam gratiamque pervenisse. Subsequente enim anno* 1162 *potestas urbi Laudensi praefuit*[17]. *Quo munere fungens, quum Mediolanenses se imperatori dedidissent, inter duodecim illos nuncios fuit, qui ad iurisiurandi adactionem sunt Mediolanum missi, simulque cum Friderico de Asia (de Aquisgrano), camerario imperatoris, incolas eius vici Mediolanensis, qui porta Nova dicebatur, spatio dierum* 8—10. *Martii religione obstrinxit*[18]. *Post paullo Papiae die* 8. *Aprilis inter sollemnia paschalia invitatus epulis interfuit, quibus imperator et eius uxor Beatrix, capitum insignibus decori, Italiae proceres honorabant*[19]. *Ibidem die* 10. *Aprilis, obsidione Placentiae indicta, Acerbus, oppugnationis participes fore Laudenses, sacramento confirmavit*[20]. *Idem anno* 1167, *quum paullo ante imperator Italiam tertium intrasset, in publicis negotiis exsequendis industrius fuisse reperitur. Nam praesidente procuratore imperatoris, Daniele episcopo Pragensi, ius dixit die* 17. *Ianuarii una cum aliis quatuor curiae iudicibus in viculo Camporinoldi,* 21 *a Laude ad meridiem sito*[21]. *Exinde imperialis curiae iudex in Friderici exercitu versatus, ut Romani, duplici clade et prope Tusculanum et in civitate Leonina affecti, die* 1. *Augusti pacem petierunt, cum aliis imperatoris legatis in Urbem missus, „per plures dies innumerabiles fidelitates imperatori factas suscepit“*[22]. *Sed haec extrema eius officiorum fuerunt. Pestilentia enim atrocissima, quae exercitum imperatoris, iam die* 2. *Augusti in media victoriae laetitia subito atque improviso perfusum, totum fere brevi tempore delevit, Acerbo quoque perniciei fuit. Qui morbo Romae implicitus, quum ei domum revertendi potestatem imperator aegre fecisset, in Tusciam vectus Senaeque complures cubans hebdomades, decessit die* 18. *Octobris et ibidem apud ecclesiam sancti Petri conditus est*[23]. *Eius de virtutibus praedicavit Laudensis is, qui tum fuit tertiamque operis nostri partem absolvit. Tribuit ei nobilitatem, sapientiam, eloquentiam, religionem, liberalitatem, probitatem humanitatemque tantam, ut*

13) in annotat. 8 supra.

14) V. Anonym. Laudensem ad 1167 Aug. 1.

15) V. supra annot. 8.

16) ibidem.

17) V. ad 1162 Mart. 8—10: *Et ego Acerbus Morena — qui tunc eram potestas Laude;* et ad 1162 Apr. 8: *Inter quos fui ego Acerbus — qui tunc eram potestas Laude.*

18) V. ad 1162 Mart. 8—10.

19) V. ad 1162 Apr. 8.

20) V. ad 1162 Apr. 10.

21) V. tabulam ap. Muratorium Ant. Ital. IV, 39: *Domno Daniele episcopo Pragense sedente pro tribunali in loco qui dicitur Campus Rimoldi* (Camporinoldo s. Camporinaldo prope S. Columbanum, a Laude ad meridiem) — *Otto de Cassali Morano iudex curie, consilio aliorum iudicum eiusdem curie Guldi de Bernardo et Ugonis de Rassi et Mediipresbyteri et A c e r b i absolvimus* cet.

22) V. Anonymi Laudensis cont. ad 1167 Aug. 1.

23) V. Anonymi Laudensis cont. ad 1167 Oct. 18.

*militans in imperatoris exercitu a manubiis rapinisque non ipse solum abstinuerit sed scutigerulos suos etiam studiosissime prohibuerit. Sed id, quod addit, est scriptoris praeconium profecto grandissimum, „verum semper dicere desiderantem, mendacium loqui maximam verecundiam habuisse“*[24]. *Imperatoris rebus Acerbum intente studuisse, et ex vita eius abunde suspicari licet et idem Laudensis plane pronunciat*[25]. *Est vicissim a caesare habitus carissimus, qui de Acerbi obitu magnum cepisse dolorem fertur*[26]. — *Quo loco Acerbus videatur paternum opus excepisse, iam est prolatum superius. Finem autem ubi scribendi fecerit, quamquam in ipso libro non docemur, tamen ea res ambigua nequit existimari. Etenim quae scriptori sibi ipse Acerbus omnino assignat, ea sunt animo tantopere imperatoris studioso pronunciata, quum praesertim ad vitae exitum dicto summe audientem Friderico eum fuisse viderimus, ut illic loqui Acerbus prorsus negandus sit, ubi relatio narratorem patefacit caesari adversarium. Memoria autem ad mensem Augustum anni* 1164 *progressa, quum continuo talis sententiae alienatio una cum evidente sermonis commutatione appareat serveturque deinceps, non est infitiandum, illic scribi ab Acerbo desitum esse. In editione Boldoniana quidem (de qua cf. infra) posita ad* 1167 *Aug.* 1. *haec sunt:* Hucusque pertinet historia Acerbi Morenae, quam morte correptus ulterius producere non potuit, *et haec ad* 1167 *Oct.* 18*:* Tunc etiam mortuus est „huius libelli hucusque auctor“ Acerbus Morena. *At eae adnotationes, inter sese ipsae quodammodo repugnantes, quoniam omnibus quos habemus codicibus scriptis absunt, sine ulla dubitatione manu adventitia inculcatae, pondere omnino carent. Acerbi igitur non est nisi trium annorum memoria, quae quidem a mense Septembri* 1161 *proficiscens ad eundem anni* 1164 *mensem pertinet; cuiusque partem vel gratissimam eam duxeris, qua Friderici imperatoris, Beatricis augustae, Heinrici Leonis, Reinaldi archiepiscopi Coloniensis aliorum hominum excellentium imagines repraesentantur.*

*Morenarum fastis res gestas a mense Septembri* 1164 *ad mensem Aprilem* 1168 *subiecit sine nomine quidem* *s c r i p t o r t e r t i u s*, *quem tamen item et Laudensem et eorundem temporum aequalem fuisse*[27], *indiciorum ubertas legenti suppeditat. Is iam refrigerata erga Fridericum nec tamen opinor a vero abducta mente describit dilucide et copiose, quibus de causis societas Lombardorum inter ipsos armorum imperialium triumphos paullatim corroborata, quoque modo, accedente prope Romam naturali illa anni* 1167 *calamitate, vitae Friderici flexus peractus sit, ut haec libri pars partibus prioribus gravitate nequaquam cedat.*

*Exemplorum operis classes duae reperiuntur, quarum neutra totam relationem integram complectitur. Differunt enim inter se frequenter non modo et collocatione et constructione verborum et ipsis vocabulis, sed etiam ceteroqui tum omissionibus tum vitiis, ut earum utraque ad supplendas et corrigendas lacunas mendasque alternas valeat. Maximum autem discrimen in eo situm est, quod altera classis* (A) *de quatuor iuris interpretibus Bononiensibus additamentum*

24) V. Anonymi Laud. cont. ad 1167 Aug. 1. Qui quum ibidem Acerbum *quasi monachum regularem semper vivere disposuisse* affirmet, is nunquam uxorem duxisse censendus est. 25) ibidem: *imperatorem ac imperii honorem multum in Deo diligens, extra Deum vero eum obedire multum dolens ac trepidans.* 26) Anonymus Laud. ad 1167 Oct. 18: *De quo quum imperator audivit, ipse et omnes qui cum eo usi fuerant — valde condoluere.* 27) Cf. ad 1164—1166 verba haec: *nec aliquis Lombardus fuit, quod ego tamquam vidissem vel ab aliquo audissem, qui aliquam vindictam inde sumeret;* ad 1167 Maium haec: *Videlicet sicut in veritate mihi ab his, qui in ipso exercitu fuerant, relatum fuit;* ad 1167 Maii diem 27. haec: *Nam sicut in veritate ab illis, qui tunc ibi in illo exercitu aderant, mihi relatum est;* ad 1167 Maii diem 29: *sicut mihi ab ipsis Romanis postea in veritate relatum est.*

*posterius tenet ad* 1158 *Novembris* 11, *deinde ea praeterit, quae Acerbus, non nullos exercitus imperialis homines deformans, de Ottone comite palatino de Wittelsbach comitibusque Redulfo de Lindo et Gabardo notavit, denique quod in Anonymi continuatione plura aut omittit aut coartat. Tametsi altera igitur classis* (B) *et additicia illa de quatuor professoribus narratione vacat et omnino pleniorem textum servat, tamen illam classem poni priorem oportet, propter id quod in ea inest vetustissimus* (A 1) *e quatuor quos habemus codicibus, quem quidem ad priores duas operis partes castigandas longe plurimum esse accommodatum intellexi.*

*Singula vero editionis nostrae accurandae adminicula ex classe priore haec sunt:*

A 1) Codex Pommersfeldensis 2802 *membranaceus forma quadrata, in cuius fol* 1—31 *posita sunt manu saec. XIII Arnulfi Gesta archiepiscoporum Mediolanensium (v. supra SS. VIII,* 4) *et fol.* 32—95 *alia eiusdem saeculi manu opus nostrum Laudense (cf. Archiv IX,* 533). *De huius codicis, quem quidem adire in ipsa bibliotheca Pommersfeldensi mihi licuit humanitate illustrissimi comitis de Schönborn, et virtutibus et vitiis iam proxime memoravi. Nec veri dissimile mihi videtur, eundem esse illum „pergamenum Morenae codicem", quem Saxius ap. Muratorium SS. VI,* 953 *Leibnitium asseveravit „accepisse ab inclytae memoriae P. Mazucchello e congregatione Somasca", quemque idem evolasse ex Italia in obscuroque delitescere acerbe tulit.*

A 2) Editio princeps, *quae Venetiis anno* 1629 *prodiit inscripta sic: „Historia rerum Laudensium tempore Federici Aenobarbi cęsaris, Othonis Morenae et Acerbi Othonis F., cum notis et emendationibus Felicis Osii." Quibus verbis decepti Leibnitius*[28], *Muratorius*[29], *Saxius*[30] *hanc ab ipso Osio procuratam esse senserunt. Verum in epistola editioni praefixa, qua Dominico Molino senatori Veneto die* 19. *Maii* 1628 *a Papia librum dicavit Sigismundus Boldonus, iste sese editorem dilucide ita significat:* „Eadem lex me admonuit, ut cum historia Othonis Morenae mihi in manus venisset, non mihi soli eam natam putarem, sed in publicum eam edendam deferrem". *Osii autem notae et emendationes verbosissimae, Molini auctoritate conscriptae*[31], *neque ultra diem* 23. *Iulii* 1158 *procedentes, nihilominus ut in titulo promittantur, et principi editioni desunt et editioni Nicolai Crassi anno* 1639 *Venetiis factae, quae quidem a principe nullo prorsus modo discedit, quum praeter sex folia prima, novum titulum praefationemque Crassi et alias res minores complexa, nihil praebeat nisi ipsas Boldonianas plagulas non divenditas. Idem Boldonianum operis exemplum repetitum est una cum Osii annotationibus anno* 1704 *a Graevio in Thes. antiq. Ital. III, II,* 945—1136, *et sine annotationibus illis anno* 1707 *in SS. Rer. Brunsv. I,* 806—849 *a Leibnitio, qui quidem, quum liber praelum iam reliquisset, codicem a Mazucchello tardius acceptum adhibere non potuit*[32]. — *Codicem Boldonianum, de quo editor ne verbum quidem affert, ex eodem quo cod.* A 1 *ductum esse patet; fuit autem hoc non solum multo deterior sed etiam fucosis admixtionibus auctior.*

A 3) Codex Caroli Morbii Mediolanensis *chartaceus saec. XV. forma quadrata, de quo cf. supra p.* 384. *Cuius exemplaris mendosissime exarati varietatem non duxi afferendam*[33].

28) SS. Rer. Brunsv. I, in introductione LIX. 29) Rer. It. SS. VI, 951. 30) ibid. p. 953. 31) V. Osii ad Molinum litteras datas Patavii d. 20. Martii 1629 in Graevii Thes. antiq. Ital. III, II, 1019. 32) V. Saxii praefationem ap. Muratorium Rer. It. SS. VI, 953. 33) Qui in bibliotheca Parmensi servatur codex H. H. IV, 82, eo nihil contineri vidi, nisi exemplum ex editione Boldoniana sumptum.

*Alterius classis codices superiore anno Mediolani consului hos:*

B 4) **Codicem bibliothecae Ambrosianae I, 46** *sup. chartaceum forma quadrata saec. XV, ubi terminato opere fol.* 68' *adiecta haec sunt:* **Scriptum et expletum per me Bernardinum de la Rupere anno Domini 1494 die 11. Augusti;** *et*

B 5) *Codicem eiusdem bibliothecae* H, 121 *inf. chartaceum forma maxima saec. XVI. Quibus duobus codicibus, ex communi fonte arcessitis, Saxius anno* 1725 *in recentissima curanda editione ap. Muratorium Rer. It. SS. VI,* 955—1164 *usus, quum discrepare Boldoni et codicum Ambrosianorum recensiones animadvertisset, earum utramque una proponi iussit.*

*Qua via relicta, ne duo nec lacunis nec mendis vacantia eiusdem operis exempla taedio lectorem afficerent, commodissimum duxi editionem nostram secundum eas, quas supra ostendi codicum proprietates, ad unam formam, quantum fieri potuit, revocare. Atque ita in Ottonis et Acerbi relationibus recognoscendis codicem* A 1 *pro fundamento adhibui, maculis lacunisque ex aliis subsidiis medicinam et refectionem admovens; anonymi autem continuationem proposui ex codice* B 4, *narrationesque codicum classis* A *in angustum coactas partim subter textum partim a latere eius describendas curavi.*

*Berolini* 2. *Idus Martias* 1861.

# OTTO MORENA DE REBUS LAUDENSIBUS

Quicunque res, a sanctissimo domno nostro imperatore Frederico[a] religiosissimo ac prudentissimo seu[b] dulcissimo viro, divina favente misericordia, in Lombardia[c] prospere gestas ac[d] sapienter, audire desideras; quasque[e] etiam[f] civitates et que loca sua potentia ceperit atque destruxerit; quasque[e] etiam civitates et que[g] loca destructa sua sanctissima[h] pietate ac benignitate ad imperii totius honorem in suo statu relevaverit ac pleniter in suo honore reformaverit; queque[i] etiam et quanta bella et quo tempore in Ytalia peregerit; quomodo etiam hostes imperii sue ditioni[k] subiugaverit, suosque[l] amicos, et maxime Laudenses, sublevaverit ipsosque multimodis honoribus atque divitiis repleverit; quantas etiam[m] calamitates et tormenta, Laudensibus a Mediolanensibus fere per quinquaginta annos[33] illata, ipsi Laudenses sustinuerint; hunc libellum, a me Ottone[n] iudice, qui dicor Morena[o], ac misso[p] domni tertii Lotharii imperatoris et secundi Conradi[q] regis, scriptum[r], perlege. In quo supra dicta omnia et alia multa compendiose ac veraciter, prout melius ab aliis discere potui ac meis propriis oculis vidi, scripta reperies.

Itaque[s] a primo initio pietatis ac benignitatis, quam sanctissimus domnus imperator Fredericus circa Laudenses[t] primum exibuit, incipiens, causam et occasionem, quare[u] predictus imperator in amorem Laudensium ac odium Mediolanensium primum exarserit, oblivioni tradere non putavi.

Accidit namque, quod non post multum tempus, quo sanctissimus Fredericus in regno 1153.
fuit electus, ipse rex maximum colloquium cum suis principibus apud Constantiam se habere ac tenere disposuit. Evenerat etenim[v] eo tempore, quod quidam[w] duo Laudenses Ian. Febr.
cives, Albernardus[x] Alamanus[34] videlicet et Homobonus Magister nomine, rogatu

a) Federico 2. 4; Federicho 5. b) ser 4; et 5. c) Longobardia 4. 5. *hic et infra.* d) ac *deest* 1. 2. e) quascunque 2. f) *deest* 4. 5. g) *deest* 4. 5. h) *deest* 2. i) quae 2. k) dictioni 4. 5. l) quosque 2. m) quantasque 4. 5. n) Othone 2. o) editum *addunt* 4. 5. p) admissa 4. 5. q) Corradi 2. r) scriptura 4. 5. s) Iamque 4. 5. t) *deest* 1. 2. u) quia 2. v) et est 4. 5. w) *deest* 2. x) Albernandus *hic et infra* 4. 5.

33) Initium belli, quod Mediolanenses cum Laudensibus gesserunt, anno 1107 factum est. V. Landulfi de S. Paulo Hist. Med. c. 24 (XVI) infra.

34) quem liquet cognomine Alamanum ideo appellatum esse, quod, ut legimus infra, *linguam Theotonicam optime didicerat.*

1153. Constantiensis episcopi, Erummanus[a. 35] nomine, apud Constantiam civitatem in Alamaniam[b] iverant. Et in veritate dico, non propterea, quod ipsi iam dictum colloquium ibi[c] tunc fieri debere[d] scirent, nec[e] quod ipsi in toto illo anno se predictum regem visuros extimarent[f], Constantiam ambulaverant[g], sicut ipsemet Albernardus mihi retulit; sed divino quasi spiritu eos illuc tunc ducente, ut apertius ex postfacto[h] apparuit, pro quodam servitio Constantiensi episcopo faciendo[i] Constantiam perrexerant.[k] Cum autem ipsi Laudenses predictum[l] regem aliosque principes Constantiam venturos ibique colloquium habituros presenserunt, apparuit[m] eis bonum esse, si colloquio interessent et regem sanctissimum viderent, quem nondum[n] viderant, et que in ipso colloquio dicta aut[o] facta cognoscerent, civibus de Laude notificarent. Mart. Itaque rege aliisque principibus Constantie existentibus, maximum inceptum est[p] colloquium, in quo multi tam pauperes quam divites de iniuriis eis illatis regi conquerebantur; rex vero iustitiam illis[p] faciebat plenarie. Quod[q] predicti Laudenses qui ibi aderant considerantes, placuit eis[r], de mercato, quod Mediolanenses Laudensibus Mart. 4 abstulerant[s], ante ipsum regem querimoniam proponere. Statimque in quandam ecclesiam introeuntes duasque inde maximas cruces ad humeros levantes, coram ipso rege ceterisque principibus redierunt[t] et pedibus ipsius regis cum ipsis crucibus prostrati sunt, maxime lugentes. Et hoc fuit in quadam die Mercurii capitis ieiunii[u. 36], que fuit anno ab incarnatione Domini 1153. Principes vero, ante regem cruces portari cernentes, quod videre usi[v] non fuerant, valde mirati sunt. Tandem autem rex ait illis, ut sursum levarent et, ob quam causam cruces ante ipsum detulerant[w], sibi dicerent[x]. Ipsis vero sursum erectis et coram ipso rege plorantibus, tandem iussu ipsius[y] regis Albernardus qui linguam Theotonicam optime didicerat, in[z] vocem[*] prorumpens sic ait: *Domine rex sanctissime, nos pauperes cives de Laude Deo et vobis universeque[a] vestre[b] curie conquerimur de Mediolanensibus, qui nos ac omnes cives de[c] Laude, qui vestri eramus, olim de ipsa civitate Laudensi[c] iniuste expulerunt ac omnes[d] maiores nostros tam masculos quam feminas expoliaverunt et[e] multos etiam ex ipsis interficientes, ipsam civitatem nostram penitus destruxerunt[f. 37] ac cives Laudenses, ne amplius in ipsa civitate vel eius suburbiis habitarent, iurare compulerunt. Postea vero, multis ex ipsis Laudensibus per universas terras euntibus, reliqui, ibi remanentes extra burgos ipsius civitatis, circa ipsam civitatem in sex burgis novis[g] habitare ceperunt; et mercatum, quod intra civitatem in[h] unoquoque die Martis habere consueverant[i], in quodam ipsorum burgorum[k], qui vocatur burgus Placentinus et qui maior est omnibus aliis burgis, similiter in unoquoque die Martis fieri constituerunt. Ad quod ipsi Mediolanenses atque Papienses, Placentini quoque atque Cremonenses et[l] Cremenses ac[m] Pergamenses in omni ebdomada venientes, in Laudensium[n] domibus hospitabantur; unde ipsi Laudenses multum proficientes, inde ditabantur. Cum autem, karissime domine, Mediolanenses prospexerunt[o], ipsos Laudenses in rebus et[p] personis valde multiplicari[q], maxime condoluerunt, atque quorundam sapientum Mediolani convocato[r] consilio, ad diminutionem Laudensium et[s] ut in rebus et[t] personis decrescerent, iam dictum mercatum de burgo Placentino, in quo prius[u] fieri solitum fuerat, abstulerunt et in quodam campo aperto, ubi nullus habitabat, ipsum fieri constituerunt[v] ac ipsos Laudenses ibi mercatum deinceps facere compulerunt[w]. Ob quam causam[x], rex sanctissime, ego et quam plures[y] homines de Laude ad inopiam devoluti[z] sumus[*]. Quapropter deprecor vos, clarissime[a] rex, ac universos principes vestros hic astantes, quatenus rogent vos[b], ut per litteras vestras ac nuntium vestrum Mediolanensibus precipiatis, quod predictum mercatum Laudensibus restituant ac in eum locum, in[c] quo fieri solitum fuerat[d], adhuc eis facere permittant.* Quod namque omnes principes annuentes, unanimiter regi persuaserunt,

a) Euumanus 2; Erimanni 4. 5. b) Alamania 4. 5. c) ubi 1. d) deberet 1. e) non 2. f) existimarent 2; extimarunt 4. 5. g) ambulaverunt 2. h) ex prefato 4. 5. i) fiendo 2. k) 2 *addit lemma hoc:* Qualiter Laudenses impetraverunt literas contra Mediolanenses. l) ipsum 2. m) comparuit 1; visum fuit 2; apparuit 4. 5. n) nundum 4. 5. o) vel 4. 5. p) *deest* 2. q) Quae 2. r) eisdem 2. s) abstulerunt 2. t) adierunt 4. 5. u) Iunii 5. v) ausi 2; soliti 4. 5. w) detulerunt 2. x) narrarent 2. y) *deest* 2. z) *deest* 2. *) voce 2. a) universe 1. 2. b) *deest* 1. 2. c) Laude 4. 5. d) *deest* 1. 2. e) *deest* 2. f) destruxere 4. 5. g) *deest* 2. h) ex 2. i) censuerant 5. k) burgo 4. 5. l) ac 2. m) et 2. n) Laudensibus 2. o) prosper 1; perspexerunt 2; prospexerunt 4. 5. p) ac 2. q) multiplicare 1. 2. r) communicato 4. 5. s) *deest* 2. t) ac 2; atque 4. 5. u) primitus 2. v) decreverunt 2. w) coegerunt 2. x) rem 4. 5. y) complures 2. z) deducti 2. *) fuimus 4. 5. a) carissime 2. b) carissime *addit* 2; clarissime rex ac universos principes vestros *addunt* 4. 5. c) *deest* 1. 2. d) consueverat 2.

35) Hermannus I. 36) 1153. Mart. 4. 37) anno 1111, Mai. 24. V. Not. S. Mariae Med., Ann. Mediol. brevissimos, Annal. Cremonenses.

ut, sicut Albernardus dixerat, ita perficeret. Rex itaque, qui pius fuerat et misericors, 1153. statim canzellarium suum[38] vocavit ac litteras, que sic dicerent, sicut[a] Albernardus dixe- Mart. 4. rat, eum statim facere precepit; et cuidam suo legato, Sicherius[b] nomine, iussit, quatenus litteras susciperet Mediolanumque deferret[c] ac viva voce Mediolanensibus ex parte ipsius preciperet[d], ut, sicut eis littere nuntiaverint, ita omni modo[e] peragant.

Quo sic peracto, predicti Laudenses a curia discedentes Laudeque[f] redeuntes, ac communicato[g] consulum consilio aliorumque sapientum de Laude, qui credentiam[39] consulum iurarent[h], omnia, que ad regem fecerant ac[i] ea, que ab ipso impetraverant[i], per ordinem eis patefecerunt. Cum autem Laudenses consules aliique de Laude sapientes hoc audierunt[k], quamvis non firmiter crederent[l], tamen valde omnes ipsos increpaverunt[m] ac multas iniurias et turpia verba ipsis dixerunt; ipsos etiam de terra se deiecturos, si verum esset, minati fuerunt; insuper etiam illis firmiter preceperunt, ne cui[n] unquam illud amplius dicerent, nisi statim mori desiderarent.

[o]Post paucos vero dies predictus Sicherius, regis legatus, cum litteris[40] ipsius sigillatis set tamen apertis Laude[p] magno cum gaudio venit et[q] omnes consules aliosque de Laude sapientes, qui de credentia fuerant, ad se insimul venire precepit. Quibus insimul[r] congregatis, propter quod venerat, dixit[s] litterasque sanctissimi domni[t] Frederici regis publice ostendit atque, Mediolanum se[u] eas debere deferre, ait. Laudenses autem, ipsas litteras videntes et, quod prius per verba predictorum Albernardi et Homoboni non crediderant, oculata fide videntes et per litteras regis nunc[v] firmiter credentes, quasi semivivi omnes effecti, valde dolentes, quid[w] facerent vel dicerent nescientes, pernimium obstupuerunt; ac unus versus alium prospiciens, per quoddam tempus quasi[x] mutefacti[y] omnes forent[z], pre nimia tristitia et[*] maximo[a] Mediolanensium timore nichil loquentes steterunt. Tandem unus ex consulibus surgens, quasi lugendo et voce mutata versus Sicherium sic ait: *Domne Sicheri, de hiis verbis*[b] *que protulistis*[c], *nos omnes valde*[d] *miramur, quia, ipsum Deum in veritate testamur, Albernardum nec*[e] *eius socium in Alamaniam*[f] *nostro consilio nec*[g] *etiam scientia unquam*[h] *venisse neque*[i] *has litteras, quas nobis ostendistis, a domno nostro rege unquam impetrasse, in veritate sciatis*[k]. *Unde multum admiramur*[l], *quod duo tam stultissimi viri tam maximam*[m] *et periculosam rem, que non solum ad amissionem rerum omnium nostrarum pertinet, verum etiam ad destructionem et interitum omnium personarum nostrarum spectat, sine nostro consilio unquam*[n] *ausi perpetrare fuerunt;* dicens[o] etiam[p] insuper ei, quoniam[q], si hec res fieri deberet, non tamen apto[r] adhuc tempore facta foret. Quia, postquam Mediolanenses hoc cognoverint pro certo, rege pernimium[s] a nobis adhuc distante nec aliquod auxilium nobis tunc[t] prebere valente, statim nos omnes, quos capere poterunt[u], interficient, reliquos vero, qui manus ipsorum effugerint, de terra eicient ac omnia ipsorum bona sine dubio eis auferent. Quapropter valde ipsum Sicherium rogavit[v], quatenus Mediolanum non pergeret[w] nec litteras illas, quas secum attulerat, illuc deferret, nisi[x] ipsos omnes mori desideraret. Set omni modo[y] deprecatus est[z] eum, ut ipse ad regem rediret gratesque multas de hoc, quod erga eos[*] fecerat, ab eorum parte referret timoremque, quem in Mediolanensibus[a] habebant, regi notificaret et litteras ipsas, quas a curia reportaverat, ipsis Laudensibus dimitteret; dicens[b] ei, ut si aliquod tempus venerit, quod ad ipsas litteras Mediolanensibus ostendendas[c] aptum fore ipsis videatur, rege videlicet in Lombardiam[d] veniente et ad ipsos Laudenses appropinquante, satis ipsi illas litteras Mediolanensibus tunc sine aliquo timore ostenderent. Que verba ut ipse Sicherius talia a Laudensibus proferri audivit ac eorum voluntatem, ne Mediolanum appropinquaret[e],

a) ut sicut 4. 5. b) Sicherio 4. 5. c) differret 4. 5. d) precipiat 4. 5. e) omnino 4. 5. f) Laudamque 2. g) convocato 2. h) pararent 2; iurarant 4. 5. i) ac — impetraverant *desunt* 1. 2. k) audierint 2. l) crediderunt 4. 5. m) increparunt 2. n) cuiquam 2. o) 2 *addit lemma hoc:* Qualiter imperator misit legatum cum eis literis Mediolanum. p) Laudam 2. q) ac 4. 5. r) *deest* 2. s) aperit 2. t) sanct. dom. *desunt* 2. u) *deest* 2. v) *deest* 1. 2. w) quidve 1. 2. x) *deest* 1. y) muti obstupescentes 2. z) *deest* 2; effecti *addit* 1. *) effecti sunt praeque 2. a) maxime 4. 5. b) istis rebus 2. c) q. p. *desunt* 2. d) *deest* 2. e) et 4. 5. f) Alemaniam 2; Alamania 4. 5. g) neque 4. 5. h) numquam 4. 5. i) nec 2. k) scias 2. l) miramur 4. 5. m) magnam 2. n) *deest* 2. o) dicentes 2. p) *deest* 2. q) q̄m 1. 4. 5; quod 2. r) aperto 2. s) praenimium 2. t) nunc 4. 5. u) poterīt 1; potuerint 4. 5. v) rogant 2. w) proficisceretur 2. x) preterquam si 4. 5. y) omnino 4. 5. z) deprecantur 2. *) eis 4. 5 *pro* erga eos. a) Mediolanenses 4. 5. b) dicentes 2. c) dandas 2. d) Lungobardiam 4. 5. e) ac contra eorum voluntatem in Mediolanum propinare 4. 5

38) Arnoldum, post paulo archiepiscopum Moguntinum (1153—1160). 39) taciturnitatem. Cf. Hegel, Gesch. der Städteverfassung von Italien II, 213 sqq. 40) quae utinam superessent.

1153. cognovit — quia[a] multum eis[b] servivisse ac maxima dona a Laudensibus reportare putabat et eos magis offendisse quam[c] ipsorum gratiam acquisivisse[c] presensit — quamvis inde multum dolens, tamen ait illis, se pro[d] centum marchis[e] argenti[f] non dimissurum, quin[g] Mediolanum pergeret legationemque domini sui[h] adimpleret; quod si aliter faceret, se ad ipsum amplius redire nullatenus fore ausum, dixit. Quo dicto, quamvis valde inde mestus foret, tamen ab eis discessit Mediolanumque perrexit; et ad consules veniens, ipsas litteras eis representavit. Consules vero, palam et in communi cetu litteris ipsis perlectis, valde ira et furore commoti, ipso Sicherio aliisque omnibus[i] videntibus, ipsas litteras pariter cum ipsarum[k] sigillo in terram proiecerunt et[l] pedibus suis fregerunt atque conculcaverunt. Insuper etiam super ipsum Sicherium omnibus unanimiter irruentibus, ipse fugiendo se abscondens vix evasit[m]. Nocteque proxima veniente extra Mediolanum exiens, Laude[n] venit et omnia, que ei acciderant, per ordinem Laudensibus narravit; indeque[o] ad regem reversus est.

Laudenses vero, hoc audito, in[p] tantum[q] maximo timore perterriti[r] sunt, quod aliqui eorum de Laude ad habitandum alibi processerunt; alii autem, in die ibi morantes et in nocte circumquaque iacentes, quasi latrones vagabantur; alii namque, in die fugientes, in nocte quasi fures veniebant et die veniente recedebant. Hoc vero tormentum et passionem miserabiles[s] Laudenses usque in adventum iam dicti domni[t] Frederici regis sustinuerunt. Mediolanensibus[u] itaque de interficiendis Laudensibus ac omnibus bonis ipsorum auferendis valde machinantibus[v] et multa consilia ineuntibus[w], tandem Dominus sua divina providentia[x] atque misericordia eos utpote miseros semper liberavit.

Sicherius autem cum ad curiam venit, regis pedibus se prosternens, omnia, que et qualiter sibi contigerant[y], per ordinem regi omnibusque principibus[z] astantibus exposuit, rogavitque ipsum ac universos curie principes, quatenus eum et se ipsos de hac iniuria vindicarent. Hoc autem rege et universis principibus audientibus, maxima ira et dolore commoti sunt; altiusque in corda[*] eorum hec verba ascenderunt, quam quisquam[a] ratus[b] unquam foret[c], et sicut scintilla[d] ignis totam domum incendit[e], ita hec verba cor regis omniumque[f] principum[e] accenderunt. Statimque, se in Lombardiam[g] cum exercitu magno venturos esse, decreverunt.

Interea Laudenses quandam clavem, ex bono et purissimo[h] auro factam, per marchionem Guilielmum[i] de Monte-Ferato[k], qui eos adiuvare promiserat, clam regi direxerunt, mandantes ei[41], quod se ipsos et civitatem Laudensem[l] sibi[42] commendaret[m]; et in sua protectione, utpote sui[n], semper esse et manere vellent. Ipse vero rex cum magno gaudio suscipiens Laudenses et eorum civitatem, quamvis destructam, in sua custodia et protectione[o] suscepit. Mediolanenses autem similiter[p] et ipsi unam coppam[q, 43] auream[r] et[s] denariis plenam ipsi regi portaverunt, quatenus[t] suam[u] gratiam et bonam voluntatem recuperarent; quamvis hoc facere minime potuerunt. Cremonenses quoque ac Papienses et ipsi sua munera regi offerentes[v], et privatim Mediolanenses inculpantes ac pro ipsis Laudensibus sepe regem deprecantes, ipsum regem[w] infestum[x] esse Mediolanensibus reddebant. Rex itaque suos legatos per Alamaniam, Saxoniam, Provinciam, Burgondiam[y], Lombardiam[z], Tusciam[*], Romaniam[a] et per universum Romanum imperium misit, iubens archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, marchionibus, ducibus ac universis aliis dictarum[b] provinciarum principibus, quatenus ipsi cum suis equitibus[c], quam[d] honorifice possent, de inde[e] usque ad festivitatem sancti Michaelis proxime venientis

a) qui 4. 5. b) ei 4. 5. c) quam — acquisivisse *desunt* 1. 2. d) per 4. 5. e) marchas 4. 5. f) *deest* 2. g) quo M. non 4. 5. h) non *add.* 4. 5. i) *deest* 2. k) ipso 1. 2. l) ac 4. 5. m) evadit 4. 5. n) Laudam 2. 4. 5. o) Ideoque 2. p) *deest* 2. q) tam 1. 2. r) proteriti 4; preteriti 5. s) miserabilem 2. t) *deest* 1. 2. u) Mediolanenses 4. 5. v) machinantes 4. 5. w) inientes 4. 5. x) prudentia 5. y) contingerant 4. 5. z) *deest* 1. 2. *) cordibus 4. 5. a) quisque 4. 5. b) iratus 1. 2. c) faceret 2. d) sintilla 1. e) incendit — principum *desunt* 2; accendit 4. 5. f) et omnium 4. 5. g) Longobardiam 4. 5. h) pretiosissimo 2. i) Guilermum 2; Gulielmum 4. 5. k) Monte Ferrato 2; Monferato 4. 5. l) Laudae 4. 5. m) commendarent 4. 5. n) suos 4. 5. o) et protectione *desunt* 4. 5. p) *deest* 2. q) copam 2; cuppam 4. 5. r) auri 2. s) ex *addunt* 4. 5. t) ipsam *addunt* 4. 5. u) tam 2; ipsam gratiam suam 4. 5. v) afferentes 2. w) *deest* 1. 2. x) infensum 2. y) Durbandiam 2; Bergondiam 4. 5. z) *deest* 2; Longobardiam 4. 5. *) Tusiam 4; Tussiam 5. a) *deest* 1. 2. b) predictarum 4. 5. c) militibus 4. 5. d) prout 4. 5. e) de inde *desunt* 1. 2.

41) marchioni. 42) regi. 43) calicem, Ital. *coppa*.

et unum annum[44] cum ipso in Lombardia in Ronchalia essent, qui[a] locus est inter Pla- 1153. centiam et Cremonam[a]. Que res, Deo annuente, sicut iussit, ita bene peracta est.

Venit itaque[b] domnus Fredericus rex[c] in Lombardiam in[d] 1154 ab incarnatione Do- 1154. mini anno[e], mense Novembris[45], inditione[f] secunda[g]. Hospitatusque est[h] in die Mercurii[46], que[i] fuit secundo die[k] ante Kalendas Decembris, in qua[l] fuit vigilia sancti Andree Nov. 29. apostoli, apud Sanctum Vitum et[m] ad Castilionem[n, 47] in Lothesana[o, 48]. Et ipso die venerunt Theotonici Laude[p] a predictis albergariis[49], et expugnaverunt burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii burgi insimul convenerant; set ipsi Laudenses tunc viriliter se defenderunt[q]. Sequenti vero die Iovis[50], in quo tunc fuit festivitas predicti sancti Nov. 30. Andree, ivit predictus rex cum omni exercitu suo in Ronchaliam[r] et hospitatus est ibi mansitque illic per sex dies; residente etiam tunc in honoris apostolicatu[s] domno Eugenio papa Nov. 30.—Dec. 5. tertio[51]. Mediolanenses vero regi obviam tunc[t] euntes et secum fraudulenter[u] fedus inientes, quatuor milia marchas argenti ei dare spoponderunt[v]; ac in Ronchalia[w] cum ipso fuerunt.

Interea rex[x], in Ronchalia[w] existens[y], misit quendam suum capellanum Laude, qui fidelitatem ab omnibus ipsis Laudensibus exigeret. Laudenses[z] etenim alii suas uxores et filios[*] cum ipsorum mobilia[a, 52] timore Alamanorum ad Pizoghetonum[b, 53] fugierunt[c], alii autem ad Mediolanum, plerique etiam ad Cremonam et Placentiam[d]; set ipsi fere omnes Laudenses[e] cum suis personis idcirco redierunt[f], quia predictus rex suam propriam tensam[54] in ipso predicto[g] burgo Placentino posuerat. Postremo cum predictus regis capellanus Laude venisset et fidelitatem ab ipsis Laudensibus petiisset, responderunt ei Laudenses dixeruntque sibi[h], se non esse ausos hoc sine consilio et parabola[i, 55] Mediolanensium, in quorum potestate et virtute erant[k], peragere. Datoque[l] eis termino, venerunt[m] Laudenses ad Mediolanensium[n] consules et eis, qualiter rex legatum ad eos Laude miserat, qui ab eis fidelitatem exigebat, per ordinem narraverunt; et dixerunt, se omnes ipsi legato respondisse, ipsam fidelitatem sine consilio et voluntate ipsorum Mediolanensium nullo modo se facere velle[o]. Ipsi vero Mediolanenses, maximo consilio valde diu inter eos agitato, tandem Laudensibus respondentes, parabolam eis dederunt, quod ipsi de[p] eorum bona voluntate fidelitatem regi facerent, referentes insuper etiam[q] eis gratias de tali responsione, quam regis[r] legato fecerant. Laudenses itaque Laude reversi sunt et nuntiantes[s] aliis, que a Mediolanensibus audierant, omnes leto animo fidelitatem regi fecerunt.

Postremo in Ronchalia expleto parlamento, petiit rex a Mediolanensibus, quatinus ipsi Dec. per optima et meliora loca eum usque ad pontem Ticini[t] ducerent. Ipsi vero sic se facere velle respondentes, duxerunt ipsum et eius exercitum per loca vasta[u] et que deserta fuerant propter[v] guerram[w], que incepta[x] fuerat inter Mediolanum et Papiam preterito proximo mense Augusto.

In quo mense ipsi[y] Mediolanenses cum Comensibus[z] et Laudensibus et Cremensibus Aug. super Papiam equitaverant et tam maximum[a] exercitum super eam duxerant, quod nec ipsi nec aliqua[b] alia civitas[c] Lombardie[d] recordatur[e] unquam amplius talem insimul habuisse nec collegisse. Et hoc fuit in die Mercurii, que fuit undecimo[f] die[g] mensis Augusti Aug. 11.

a) qui — Cremonam *desunt* 4. 5. b) Venitque 4. 5. c) *deest* 1. 2. d) *deest* 2. e) *deest* 1. f) de indictione 4. 5. g) prima 2. h) *deest* 4. 5. i) qui 2. k) secunda dies 4. 5. l) quo 2. m) *deest* 2. 4. 5. n) de Castilione 2; Castelionem 4. 5. o) Lodexana 2; Laudesana 4. 5. p) *deest* 1. 2. q) defendunt 2. r) Roncaliam 2; Runcaliam 4. 5. *hic et infra.* s) honore apostolicatus 2. t) *deest* 1. 2. u) fraudolenter 2. 4. 5. v) spoponderant 2. w) Roncaliam 2. x) rege 4. 5. y) existente 4. 5. z) Laudensium 4. 5. *) cum suis uxoribus et filiis 2. a) mobiliis 5. b) Pizighitonum 2; Picighitonem 4. 5. c) fugerant 4. 5. d) Plecentiam 1. e) Laude 4. 5. f) redierant 4. 5. g) proprio 2. h) *deest* 2. i) parabl'oa 1. k) essent 4. 5. l) Dato igitur 2. m) iverunt 4. 5. n) Mediolani 2; Mediolanenses 5. o) *deest* 4. 5. p) *deest* 4. 5. q) et 2. r) regio 4. 5. s) renuntiantes 4. 5. t) de Ticino 4. 5. u) guasta 4. 5. v) per 4. 5. w) bellum 2. x) quod inceptum 2. y) *deest* 1. 2. z) Comacinis 4. 5. *) Cremonensibus 2. a) magnum 2. b) ulla 2. c) persona 1; persona vel 2. d) civitates *addunt* 1. 2. e) recordentur 2. f) decimo 1. 2; undecima 5. g) *deest* 1. 2; dies 5.

44) 1154. Sept. 29. Cf. Annal. Colonienses max. 1154 supra SS. XVII, 765. 45) Iam die 22. Oct. 1154 Lombardiam intrasse Fridericum, tradunt Ann. Mediol. minores supra 393. 46) immo Lunae. 47) Castiglione prope Adduam fl., inter Cremam et Placentiam; S. Vito a Castiglione ad orientem. 48) in agro Laudensi. 49) mansionibus. 50) immo Martis. 51) immo Anastasio IV, qui obiit d. 3. Dec., et Hadriano IV, qui d. 4. Dec. electus est. 52) rebus mobilibus. 53) Pizzighettone ad Adduam fl. 54) tentorium. 55) assensu, Ital. *parola*.

1154. in festivitate sancti Tiburtii martiris, scilicet[a] primo die post festivitatem sancti Laurentii.
Aug. 11. Qui[b] castra metati sunt ad Lardiragam[c, 57] super[d] flumen Olonne[e] ex illa parte fluminis[f]
Aug 12. versus Papiam. Altera vero die, scilicet[g] Iovis, factum fuit[h] tunc prelium ad Lavernagolam[58] inter Mediolanenses et Papienses[i], in[k] quo prelio[l] multi homines mortui, alii vulnerati, alii autem[m] capti ab utraque parte fuerunt. Dirempto[n] itaque prelio, quod a mane usque ad vesperas tenuit[o], Mediolanenses ad castra remeaverunt. Ipso vero die[o*] Iovis, cum omnes fere Mediolanenses iam cenassent[p], quoddam divinum miraculum super Mediolanenses et omnem[q] eorum exercitum evenit. Accidit[r] quippe[s], quod cum quidam ex Mediolanensibus, qui in prelio vulneratus fuerat, a sociis ipsius Mediolanum duci vellet[t], ipsi socii eius[u] tentorium eorum, quod in capite albergarie versus Papiam fixum[v] fuerat, defixerunt et in terram proiecerunt[w]. Hoc[x] autem videntes omnes alii equites et pedites, et quid in veritate ageretur ignorantes, putantesque[y], Papienses omnes exercitum Mediolanensium[z] invasisse et illos timore Papiensium tentorium eorum defixisse, omnes[*], maximo timore perterriti, in fugam versi sunt, nichil fere portantes nisi sola arma; et[a] multi etiam sine armis usque[b] Mediolanum abeuntes fugierunt[c]. Reliquerunt itaque omnia fere plaustra tentoriis, loricis atque[d] pane seu[d] vino aliisque etiam[d] rebus, quas[e] secum portaverant, onusta. Per[f] viam autem omnes simul euntes, dum flumen[f] Olonne transire festinarent ac invicem se prepedirent, magna plaustrorum multitudo in ipso flumine corruebat; bobulci[g, 59] vero ibi morari non audentes cum solis bobus, plaustris relictis, fugiebant. Pauci vero ex Mediolanensibus in campo per totam noctem steterunt et maximam predam, que a recedentibus dimissa in campo[h] fuerat, recuperaverunt; set tamen et[i] ipsi ante diem fugientes, plus quam[k] decem millia[l] marcharum argenti valentia in campo reliquerunt. Revertamur itaque[m] ad ystoriam.

Dec. Cum autem Mediolanenses per loca, ut diximus, deserta ipsum regis exercitum duxissent[n], in ipso die castra metati sunt prope Landrianum[60]; in illa vero nocte equi eorum[o] nichil fere ad comedendum habuerunt. Alia vero die duxerunt eum prope castrum, quod Rosate[p, 61] dicitur, ibique tentoria fixerunt[q]; morantes vero ibi per duos dies, fere omnia victualia, sibi eorumque equis necessaria, eis[r] defuerunt nec ad comedendum ad sufficientiam unquam invenire potuerunt. Viso autem hoc a rege, scilicet quod Mediolanenses eum deceperant et fraudulenter per loca deserta eum duxerant, tunc rex Mediolanensibus ait iussitque eis[s], quod ipsi extra predictum castrum de Rosate exire facerent omnes Mediolanenses, qui causa custodiendi illud intus[t] habitabant[u], quoniam ipse et sui equites, cum[v] aliter miseram[w] famem[x] evadere non possent, omnia que infra[y] ipsum[z] castrum fuerant[*] ad comedendum apta auferre volebant. Mediolanenses autem, hec[a] audientes et inde valde se contristantes nec regis preceptum infringere audentes, statim omnibus illis, qui in ipso castro erant[b], preceperunt[c], quatenus de ipso castro exirent[c] et omnia, que intus erant[d], regi eiusque[e] exercitui dimitterent[f]. Quod audientes hii, qui intus erant[g], quamvis sol ad occasum iam ivisset et quasi[h] sero esset[i] et insuper[k] etiam fortiter[l] tunc plueret, omnes de terra illa[m] tam[n] masculi quam[o] femine et tam magni[p] quam[q] parvi[r] cum maximo dolore et luctu foras exeuntes, omnia, que intus erant[s], lacrimabiliter dimiserunt. Mane autem facto, Theothonici, in ipsum castrum[t] prosilientes,

a) in *addunt* 4. 5. b) *deest* 4. 5. c) Lardiragum 2. d) supra 4. 5. e) Olonae 2. f) fluvii 4. 5. g) *deest* 1. 2. h) *deest* 1; est 2. i) Mediolanum et Papiam 2. k) ex 4. 5. l) *deest* 4. 5. m) etiam 2. n) Direpto 1. o) Prelio itaque, cum — tenuisset, dirempto 4. 5. o*) Tunc etenim in ipso die 4. 5. p) cenaverant 4. 5. q) *deest* 1. 2. r) Acciderat 4. 5. s) namque 2. t) volebat 4. 5. u) et *addunt* 4. 5. v) *deest* 4. 5. w) deiecerunt 2. x) Hec 4. 5. y) putantes etiam 4. 5. z) Mediolanensem 2. 4. 5. *) sic omnes 2. a) *deest* 1. 2. b) atque 2; usque ad 4. 5. c) fugientes abierunt 2. 4. 5. d) *deest* 1. 2. e) quae 2. f) *pro* Per — flumen *habent* 4. 5: Nam cum omnes simul per guadum fluminis. g) bubulci 2; bibulci 4. 5. h) in campo *desunt* 2. i) *deest* 1. 2. k) de 4; *deest* 5 l) milibus 4. 5. m) At revertamur 2. n) duxerint 4. 5. o) ipsorum 2. p) Roxate 2. q) affixerunt 2. r) *deest* 2. s) *deest* 2. t) iter 4. 5. u) erant 2. v) non *addunt* 4. 5. w) et inopem *addunt* 4. 5. x) famam 4. 5. y) intra 2; iuxta 4. 5. z) dictum 2. *) erant 2. a) hoc 4. 5. b) fuerant 4. 5. c) *pro* preceperunt — exirent *praebet* 2: ut exirent iusserunt. d) fuerant 4. 5. e) et eius 2. f) dimiserunt 2. g) Hoc itaque ab ipsis, qui intus fuerant, audito 4. 5. h) quam 2. i) sero ut dicam fuisset 4. 5. k) *deest* 1. 2. l) fortiter 1. 2; quod bene 4. 5. m) de — illa *desunt* 4. 5. n) tamen 4. 5. o) et 4. 5. p) et — magni *desunt* 4. 5. q) ac 4. 5. r) parvuli 4. 5. s) fuerant 4. 5. t) ipso castro 4. 5.

57) Lardirago a Papia inter orientem et septemtrionem. 58) ad Vernavolam fl., qui prope Papiam in Ticinum effunditur. 59) bubulci. 60) Landriano inter Mediolanum et Papiam, ad fl. Lambrum meridionalem. 61) a Mediolano inter meridiem et occidentem.

omnia, que intus reperierunt, cito abstulerunt, posteaque totum castrum comburentes[a], penitus[b] dissipaverunt. Mediolanenses vero, quamvis tunc regi ostendere palam non auderent, tamen maximo dolore et ira commoti[c], equo animo se ferre, publice demonstrarunt. 1154. Rex itaque inde[d] discedens venit ad castrum, quod Abbiate Grassum[e. 62] dicitur, ibique ipso die resedit. Dec. 14. Alio vero[f] die equitavit rex[g] cum omni exercitu suo[h] ultra pontem Ticini[i]. Dec. 15. Cumque ipse[k] omnisque[l] eius exercitus pontem pertransissent[m], statim ipsum pontem destrui[n] fecit[63], et ibi ultra omnes hospitati sunt. Deinde rex, ad castrum quod Biandrate[o. 64] dicitur pergens, ibi[p] etiam castra metatus est. Mediolanenses vero, ad ipsum regem pergentes et peccuniam, quam sibi dare promiserant in Ronchalia, offerentes, ei[q] dare voluerunt. Rex autem dicens[r], eos mala fide erga se versatos fore[s] ac ea, que sibi promiserant non[r] observasse[t], et quia eos subdolos et malitiosos ac deceptores et[u] parve[v] fidei esse cognoverat[w], nec cum tam perfidis et nequissimis hominibus aliquid agere se velle refferens, peccuniam eorum[x] omnimodo reffutavit ac eos de curia sua statim exire precepit; dicens etiam insuper eis, ipsos deinceps nullam fiduciam in se habere nec tenere, nec ullum fedus seu pactum cum ipsis[y] amplius se facturum, nisi de Laudensibus atque Comensibus[z] absque ullo[*] tenore[a] se omnes sibi submitterent. Mediolanenses vero[b], cum hoc facere noluissent[c], quamvis[d] tristissimi, statim abierunt Mediolanumque reversi, omnia, que[e] egerant[f] et audierant, narraverunt. Mediolanenses itaque his auditis[g] nolentes quidem, quod[h] Laudenses vel[i] Cumenses[k] de ipsorum iugo vel potestate aliquo modo[l] exirent[m], valde condoluerunt. Rex autem[n] post paucos[o] dies una cum Papiensibus et Novariensibus duo nobilia[p] castra Mediolanensium, que ultra Ticinum habebant, unum quorum, ut vulgariter dicam[q], Galliate vocabatur[r], alterum vero Trechate[s. 65], c. Dec. 22. cepit et ea[t] penitus usque in fundamentum[u] destruxit. Quo cognito, Mediolanenses[v], pro mortuis se repputantes[w], deinde omnia quecumque potuerunt mala de rege, utpote hoste, dicere conati sunt.

Rex vero[x] inde[y] discedens[z], cum marchione Guilielmo de Monte Ferato ad Astem[*] 1155. Ian. perrexit. Astenses autem[a], civitatem ipsam[b] deserentes, ad quandam eorum rocham[66], que vocatur Noni[c. 67], in[d] quodam monte supra[e] ipsam civitatem non multum longe positam, cum omni ipsorum mobilia fugierunt[f]. Rex itaque ipsam Astem[g] civitatem capiens, tradidit eam predicto marchioni, pro quo ipsos[h] Astenses in bannum posuerat; civitatemque ipsam propterea ceperat, quia per ipsum[i] iustitiam eidem marchioni facere renuerant[k]. Ipse vero marchio partem muri ac quam plurimas turres ipsius civitatis destruens[68], fedus Febr. 1. cum ipsis[l] Astensibus fecit.

Preterea[m] Papienses, qui tunc cum Terdonensibus guerram habebant, ad predictum regem venientes, graviter de Terdonensibus conquesti fuerunt[n], dicentes, ipsos maximas iniurias eis intulisse et[o] castra[p] eorum invasisse, petieruntque[q] ab eo, ut[r] faceret eos iustitiam sibi[s] facere. Rex autem ut hec[t] audivit, Terdonenses ad iustitiam Papiensibus plene faciendam per suos legatos convocavit, dicens eis[u] ammonensque[v] eos, quatenus se de huiusmodi negotio[w] sub ipso et curia sua ponerent iustitiamque Papiensibus facerent[x].

a) exarserunt et 4. 5. b) illud *addunt* 4. 5. c) perciti 2. d) *deest* 4. 5. e) Abiadgrassus 4. 5. f) namque 4. 5. g) *deest* 2. h) *deest* 4. 5. i) de Ticino 4. 5. k) *deest* 2. l) omnis 2. m) pertransisset 2. 4. 5. n) destruere 4. 5. o) Viandrate 2; Brandenade 4. 5. p) ibique 4. 5. q) sibi 4. 5. r) dicens — non *desunt* 2. s) *deest* 1. t) quia observasset 2. u) ac 4. 5. v) parum 2. w) cognovisset 2. x) ipsorum 2. y) Mediolanensibus *addit* 2. z) Cremonensibus 2; Cumensibus 4. 5. *) *deest* 1. 2. a) timore 2. b) *deest* 4. 5. c) voluissent 1; noluissent 2; noluerunt 4. 5. d) *deest* 2. e) sicut 4. 5. f) egerunt et audierunt 2. g) Quibus auditis Mediolanenses 1. h) quia 4. 5. i) nec 1. k) Cremonenses 2. l) aliquo modo *desunt* 2. m) gloriarentur 4. 5. n) namque 4. 5. o) quatuor 2. p) nobilissima 2. q) ut vulgariter dicam *desunt* 1. 2. r) *deest* 2. s) Trecate 2; Tercade 4. 5. t) eaque 2; ac — ea 4. 5. u) usque in fund. *desunt* 1. 2. v) Hoc autem a Mediolanensibus cognito 4. 5. w) reputaverunt ac 4. 5. x) autem 4. 5. y) *deest* 4. 5. z) deridens 4. 5. *) Asten 2. a) vero 2. 4. 5. b) suam 2. c) Novim 2; Noń 4; Nun 5. d) *deest* 2. e) super 2. f) fugiere 2; confugerunt 4. 5. g) *deest* 1. 2. h) iamdictos 4. 5. i) quia pro eo 1. 2. k) renuerat 2. l) *deest* 2. m) Propterea 1. 2. n) fuere 4. 5. o) ac 4. 5. p) castrum 2. q) etiam *addunt* 4. 5. r) ipse *addunt* 4. 5. s) ipsis 4. 5. t) hoc 4. 5. u) dicens eis *desunt* 1. 2. v) ammonens 1; admonens 2. w) de h. negotio *desunt* 4. 5. x) iustitiamque P. facerent *desunt* 1. 2.

62) Abbiategrasso a Mediolano ad occidentem. 63) die 15. Decembris; v. Annales Med. breves 1154 supra p. 390 n. 87. 64) a Novaria ad occidentem. 65) Galliate et Trecate inter Novariam et Ticinum fl. 66) arcem, Ital. *rocca*. 67) Annone ab Asta ad orientem. 68) Astam d. 1. Febr. 1155 „destructam esse incendio quasi totam per Federicum imperatorem", docet Chron. Astense ap. Murator. SS. XI, 141.

1155. Terdonenses vero, tum[a] quia[b] regem amicum Papiensium[c] esse[d] sciebant[e] et[f] ideo eum in hoc suspectum habebant[f], tum[g] quia forte de iustitia diffidebant, tum etiam[h], quod magis verum[k] est, quia[l] in virtute et[m] potentia Mediolanensium, qui eos acriter adiuvabant, confidebant plurimum, tali iudici colla[n] subponere omnino[o] repudiaverunt. Rex vero semel et pluries[p] in ius vocatos ipsos Terdonenses et[q] semper venire recusantes publice bannivit, minans postmodum sepe eis[q], quod nisi resipiscerent, super[r] eos equitaret et ipsos et eorum[s] civitatem caperet ac penitus destrueret. Set Terdonenses[t], multa inientes[u] consilia, tandem ortatu et consilio maximoque Mediolanensium impulsu verba ipsius regis vilipendentes, ac ad eorum perniciem et interitum sua pessima fortuna[v], ut ex postfacto apparuit, properare cupientes, regi parere aliquatenus[w] noluerunt. Rex igitur super ipsos cum exercitu suo se iturum[x] proposuit, bellumque super eos[y] se facturum indixit. At[z] Mediolanenses, hoc audientes, cito[*] se preparaverunt et multos[a] equites Ter-
Febr. donam[b] regi obviam miserunt. Rex itaque Fredericus una cum duce Henrico de Saxonia, qui in Lombardiam[c] cum ipso rege fere cum non minori[d] copia equitum quam ipse rex venerat, nec non etiam[e] cum Papiensibus versus[f] Terdonam veniens, ibidem[g] castra metatus est circa ipsam civitatem in anno ab incarnatione Domini 1155.[h] primo die[i] qua-
Febr. 13. dragesime, que fuit tunc 13. mensis Februarii[k] inditione tertia, obseditque eam cum machi-
Apr. 6. nis[l] et pretheriis[m] usque in diem[n] . . . sequentis mensis Aprilis[69]. In[o] ipso vero die, Ugone Vicecomite[p][70] aliisque quam pluribus Mediolanensibus et Terdonensibus machinis[q] et pretheriis[71] aliisque armis iam[r] interfectis, vivis etiam maxima aquè penuria constrictis, Terdonenses et Mediolanenses, qui ibi aderant et infra[s] solam civitatem se omnes reduxerant, quia dux Henricus cum suis Saxonibus iam dudum[t] burgum ipsius civitatis[u] ceperat et illum comburendo[v] penitus destruxerat, se amplius regis manus evadere non posse cernentes, regi se omnes penitus[w] tradiderunt, eo videlicet pacto, quod ipsi omnes tam[w] masculi quam[x] femine extra civitatem cum omnibus rebus, quas ipsi portare possent, exirent, alias vero res omnes[y], quas inde[z] portare non possent, ipsi regi eiusque exercitui penitus dimitterent. Cumque omnes foras exissent cum rebus illis, quas portare potuerunt, exercitus regis ac ducis et Papiensium, intra[*] ipsam[a] civitatem pergens totamque eam[b]
Apr. 10–16. expolians ac postea comburens, eam penitus usque ad fundamentum dissipavit[72]. Hiis itaque peractis, rex, Terdonam deserens Papiensesque ibi ut ipsam[c] civitatem bene dissiparent relinquens, Romam cum exercitu perrexit.

Papienses vero muros civitatis et[d] turres ac domos omnes destruentes, post ipsum
Apr. regem ibi per octo dies steterunt ac[e] deinde Papiam cum magno gaudio reversi sunt. Mediolanenses igitur, qui in auxilium[f] Terdone, antequam capta fuisset[g], ambulaverant, cum infra[h] ipsam civitatem intrare non possent[i], apud castrum quod Sarzanum[73] dicitur, quod a civitate[k] distat per duo milliaria[l], morati sunt[m]. Cum autem[n] Papienses a Terdona recessissent[o], statim illi Mediolanenses, qui apud Sarzanum[p] fuerant, in destructam civitatem Terdone intraverunt[q], Mediolanumque[r], quid egerant[s], miserunt[t]. Mediolanenses vero[u], hoc[v] audientes et ob id valde dolentes, quia eam[w] invitis Papiensibus se tenere posse diffi-

a) partim 4. 5. b) quod 4. 5. c) *deest* 2; Papiensibus 4. 5. d) fore 4. 5. e) putabant 4. 5. f) *pro* et — habebant *praebent* 4. 5: idcirco fingentes se eum habere suspectum, hoc renuebant. h) tamen etiam 4. 5. i) quidem 4. 5. k) in veritate 4. 5. l) idcirco quia 4. 5. m) ac 4. 5. n) eorum *addunt* 4. 5. o) *deest* 2. p) ac per plurimas vices 4. 5. q) *pro* et — eis *habent* 4. 5: cum et ipsi venire noluerunt, in banno eos publice posuit, minaturque etiam eis sepe. r) supra 4. 5. s) *deest* 1. 2. t) Terdonenses namque 4. 5. u) ineuntes 2. v) suam proximam fortunam 2. w) ipsi regi omnino parere 4. 5. x) iterum 5. y) eis 2. z) Ac 4. 5. *) *deest* 1. 2. a) Mediolanensium *addunt* 4. 5. b) Terdonae 2. 4. 5. c) Longobardia 4. 5. d) minima 4. 5. e) et *addunt* 4. 5. f) *deest* 4. 5. g) *deest* 1. 2. h) in *addunt* 4. 5. i) Lune *addunt* 4. 5. k) de *addunt* 4. 5. l) manganis 4. 5. m) precheriis 2; pritheris 5. n) diem .... que fuit .... dies 4. 5. o) *deest* 2. p) Vesconte 4. 5. q) manganis 4. 5. r) *deest* 2. s) intra 2. t) totum *addunt* 4. 5. u) *pro* ipsius civitatis *praebent* 4. 5: de Tertona. v) ardendo 4. 5. w) *deest* 4. 5. x) et 4. 5. y) *deest* 1. 2. z) inde 1. 2; in semel 4. 5. *) infra 4. 5. a) *deest* 1. 2. b) *deest* 4. 5. c) eam 4. 5. d) *deest* 2. e) et 2. f) occursum 4. 5. g) foret 4. 5. h) *deest* 1. 2. i) potuerunt 4. 5. k) Terdone *addunt* 4. 5. l) quod per duo miliaria longe a civitate Terdone distat 4. 5. m) fuerant 4. 5. n) vero 4. 5. o) recesserunt 4. 5. p) a Terdona *add.* 2. q) intraverant 2. r) Mediolanoque 4. 5. s) egerunt 2; agitaverunt 4. 5. t) mandaverunt 4. 5. u) *deest* 1. 2. v) haec 2. w) iam 2.

69) Dortonam die 6. Apr. 1155 captam esse, docent Not. S. Georgii Mediol. supra p. 386. 70) Mediolanensi. 71) sive petreriis, machinis bellicis. 72) „Tertia post paschalem solemnitatem hebdomada“ (Apr. 10—16.) Dertonam destructam esse, tradidit Otto Fris. Gest. Frid. II, 20. 73) Sarezzano a Dertona inter orientem et meridiem.

debant, miserunt[a] illis, qui erant[b] Terdone, quatenus eam desererent Mediolanumque redirent. 1155. Qui hoc agere penitus[c] recusaverunt. Papienses itaque cum cognovissent, Apr. Mediolanenses intrasse Terdonam ac eos velle rehedificare illam[d], Terdonam cum[e] suo non tamen magno exercitu[e] revertentes, ipsos tamen invadere non sunt ausi[f]; denique[g] nichil proficientes reversi sunt. Cum autem Mediolanenses, qui erant Mediolani[h], audissent, Papienses cum eorum[i] exercitu ivisse Terdonam nec eos[k] fuisse ausos invadere Mediolanenses, qui in Terdona pauci erant[l], tunc corda omnium Mediolanensium ad Terdonam, que[m] de novo[n] destructa fuerat[m], eorum[o] proprio dispendio restituendam[p] mirabiliter exarserunt; quare[q], eligentes omnes equites et pedites portarum Ticinensis atque Vercellensis[q], statim illos[r] miserunt Terdonam. Qui muros[s] civitatis suis propriis expensis rehedificare confestim ceperunt ac[t] ibi per tres ebdomadas permanserunt[u]. Postea vero[v] aliarum Apr. Mai. duarum portarum, videlicet porte[w] Romane et porte Arienze[x] [74], omnes equites et pedites 74 iverunt Terdonam et primum in quodam die Mercurii, in quo fuit festum[y] sancti Fidetii[z] [75] pape[*] et que fuit 14. die[a] ante Kalendas Iunii, apud Terdonam in brolio episcopi extra Mai. 18. civitatem fere omnes castra metati sunt[b]. Sequenti vero die Iovis omnes equites[c] pre- Mai. 19. dictarum[d] quatuor portarum multique[e] etiam[f] pedites[g] ipsarum[h] iverunt[i] ad Salam[k] [76], ut eam caperent. Set rustici[l] et pauci etiam equites, qui in ipso loco erant[m], ita viriliter se defenderunt, quod[n] villam ipsius loci capere minime[o] potuerunt; multis[p] tamen utrinque vulneratis, Terdonam redierunt[q]. Alio vero die, scilicet[r] die[s] Veneris, omnes equites et Mai 20 pedites porte Ticinensis et porte Vercelline Mediolanum redierunt; aliarum duarum portarum equitibus et peditibus Terdone remanentibus[t] cum magno gaudio, quamvis hoc[u] postea versum sit eis in gemitum[v] et dolorem[w]. Sequenti itaque[x] proximo die Mercurii, in Mai. 25. quo fuit festum[y] sancti Urbani pape, Papienses cum magno exercitu Terdonam iverunt. At[z] Mediolanenses, robusto et alacri animo extra fossatum burgi ipsius civitatis exeuntes, usque ad ecclesiam sancti Martini et etiam ultra fores[*] obviam eis[a] in campo exierunt[b], ibique in manus[c] Papiensium inciderunt[d]. Set in primis omnes ex utraque parte sibi obviam concurrentes[e], ita acriter se invaserunt, quod ultra centum milites inter utramque partem[f] ex equis eorum deiecti fuerunt[g]. Tandem omnibus[h] ab utraque parte viriliter[i] dimicantibus, cum Mediolanenses tantis viribus resistere non possent, in fine terga verterunt, et, usque in civitatem Terdone fugientes, fere omnia tentoria omnemque eorum mobiliam totumque etiam mercatum, quod in castris habebant, amiserunt; quoniam ipsi fere omnes et cum me[k] ipso in brolio episcopi et alibi extra civitatem hospitati fuerant[l]. Maximamque copiam[m] equitum et peditum Mediolanensium Papienses ceperunt multosque etiam[n] ibi in campo interfecerunt. Altera[o] vero die, scilicet[p] Iovis, Papienses, qui[q] primo die per tria mil- Mai. 26. liaria longe a civitate Terdone hospitati fuerant[r], iuxta burgum[s] prope ipsam civitatem hospitium[t] permutaverunt[u]; ac postea in ipso die tam maximum ab omni parte civitatis prelium cum Mediolanensibus iuxta ipsam civitatem inierunt[v], quod ipsi ultra Mediolanensium voluntatem in loco, ubi Turris Blanca dicitur, deinde[w] in civitatem cum duobus vexillis intraverunt. Quapropter[x] multi[y] ex Mediolanensibus ita[z] perterriti[*] tunc fuerunt, quod, bello[a] ab eis derelicto, cum omnibus armis in ecclesiam maiorem confugierunt. Set alii Mediolanenses, acriter tunc pugnantes et maxime cum lapidibus se defendentes, extra

a) mandaverunt 4. 5. b) fuerant 4. 5. c) *deest* 1. 2. d) ac eis illam velle reaedificare 2; ac eam reedificare se velle audissent 4. 5. e) cum — exercitu *desunt* 1. 2. f) non auderunt 4. 5. g) deinde 2; domique 4. 5. h) Mediolani existentes 4. 5 *pro* qui — Mediolani. i) suo 4. 5. k) *deest* 2. 4. 5. l) fuerant 4. 5. m) que — fuerat *desunt* 2. n) de novo *desunt* 4. 5. o) ex novo eorum 4. 5. p) restaurandam 1; restituendam 2. 4. 5. q) *pro* quare — Vercellensis *praebent* 4. 5: porteque Ticinensis et porte Vercelline omnes equites et pedites eligentes. r) ipsos 4. 5. s) murum 4. 5. t) ipsi *addunt* 4. 5. u) steterunt 4. 5. v) namque 4. 5. w) vid. p. *desunt* 2. x) Arentiae 2. y) festivitas 4. 5. z) *deest* 2; Federici 4. 5. *) *deest* 2; papie 5. a) *deest* 1. 2. b) fuerunt 4. 5. c) pedites 2. d) dictarum 2. e) *deest* 2. f) et 2. g) equites 2. h) ipsorum 4. 5. i) ivere 4. 5. k) Sallam 1; Salam 2. 4. 5. l) villani 4. 5. m) fuerant 4. 5. n) nec etiam *addunt* 4. 5. o) non 2; *deest* 4. 5. p) multisque 4. 5. q) rediere 4. 5. r) *deest* 2. s) *deest* 2. 4. 5. t) remeantibus 4. 5. u) *deest* 4. 5. v) luctum 4. 5. w) merorem 4. 5. x) ita 2. y) festivitas 4. 5. z) Et 2; ac 4. 5. *) foris 2; foras 4. 5. a) *deest* 4. 5. b) exiere 4. 5. c) manibus 4. 5. d) incidere 4. 5. e) excurrentes 2. f) utrasque partes 4. 5. g) fuere 4. 5. h) omnes — dimicantes 4. 5. i) *deest* 1. 2. k) mecum quoque 2 *pro* et cum me. l) fuerunt 2. m) etiam *addunt* 4. 5. n) et 4. 5. o) Altero 2. p) *deest* 1. 2. q) cum in 4. 5. r) T. castrum posuerant 4. 5. s) iuxta burgum *desunt* 1. 2. t) castra 4. 5. u) mutaverunt 2; permutavere 4. 5. v) fecerunt 2. w) *deest* 4. 5. x) et 4. 5. y) etiam *addunt* 4. 5. z) taliter 2. *) pertriti 4; preterriti 5. a) tunc *addunt* 4. 5.

74) i. e. portae Orientalis. 75) immo Marci papae. 76) Sale a Dertona inter septemtrionem et occidentem.

1155. Mai. 26. civitatem maxima vi eos repulerunt. Papienses vero[a] iterum viriliter pugnantes, omnes Mediolanenses[b] postea[c] debellassent ac maxima virtute[d] eos cepissent, nisi Dominus sua pietate et clementi misericordia quandam pluviam eis tribuisset adeo[e] magnam[f], que[g] statim[h] sic terram madefecit, quod Papienses ultra supra[i] fossatum civitatis inherere non Mai. 28. valuerunt. Itaque[k] Papienses, circa civitatem morantes[l], usque ad proximum diem sabbati[m] Terdonam obsederunt. Ipso vero die sabbati Papienses[n] a Terdona recedentes, cum magno gaudio Papiam sunt reversi. Set in eo quidem die tam magna[o] panis et vini inopia ceterarumque[p] rerum comedendarum fuit[q] in Terdona, cum[r] aqua etiam fere tota penitus in[s] ipsa civitate[t] tunc[u] defecerit[v], quod vix aliquid ad comedendum in ea inveniri posset[w]; ita quod[x], si[y] quatuor dies solummodo[z] Papienses adhuc ibi stetissent — sicut egomet, qui tunc in ipsa civitate Terdone cum Mediolanensibus eram[*] obsessus, vidi et cognovi — quod[a] sine omni[b] prelio[c] Papienses[d] potuissent capere omnes Mediolanenses ibi tunc[e] existentes[f]. Set quia hoc tunc[g] fieri non erat[g] a Deo dispositum, ideo[h] nullatenus est impletum[i]. Mediolanenses itaque, Terdone morantes, totum murum ipsius civitatis ex[k] propriis eorum[l] facultatibus rehedifficaverunt et ipsam civitatem, ubi oportebat, fossato aliisque rebus necessariis optime munierunt. Sequenti igitur festo[m] sanctorum Gervasii Iun. 19. et Protasii[n], quod[o] fuit 19. die[p] sequentis mensis Iunii, ceperunt Mediolanenses scaranos[q, 77] de Papia, qui Setezanum[r, 78] depredati fuerant[s] pluresque[t] ipsius loci domos[t] exarserant, et multos[u] ex ipsis interfecerunt. Ab[v] eo autem[w] die, cum fere per totam guerram omnia prospere[x] Papiensibus accidissent[y], mutata[z] est[*] adversus eos fortuna ita, quod fere semper postea, donec domnus Fredericus imperator in Lombardiam[a] redivit, omnia bene Iun. Iul. et[b] prospere Mediolanensibus evenerunt[c]. Post paucos vero dies factum est prelium ad Pozolum[79] inter Mediolanenses, qui erant in guarda[d] Terdone, et Papienses, qui ad iam[e] dictum locum de Pozolo[f] causa custodiendi eum iverant. Ibique in eo prelio multi ex Mediolanensibus et Papiensibus ab utraque parte capti, in carcerem reducti[g] sunt; set tamen plurimi ex Papiensibus tunc sunt[h] capti.

Apr. Iun. Interea rex Fredericus cum a[i] Terdona discessit[k], tunc eo[l] Romam pergente[m], multa castra multique principes Lombardie, Tuscie, Romanie se ei subdiderunt. Qui[n] rex cum Romam pervenisset, ibi[n] a domno papa Adriano honorifice susceptus[o] et apud sancti Petri Iun. 18. basilicam coronatus[p], Romanorum[q] Dei favente misericordia imperator est effectus. Qui[r] ibi postea[r] permanens[s], a senatoribus Rome aliisque ipsius civitatis maioribus suum ius et rationem seu etiam[t] usum plane et humiliter exigebat[u], mali[v] aliquid eis facere non intendens[v]. Romani vero[w] omnino[x] id ei[y] facere recusantes et colla eorum[z], iugo quasi abiecto, temere adversus eum erigentes[*], non solum in civitate[a] ultra Tyberim se nolle[b] vel[c] non debere ei hoc facere pretenderunt[d], set maxima superbia commoti, ex hac parte Tyberis[e] per pontem, qui est supra ipsum flumen in Ysolella[f, 80], cum armis ad bellum faciendum preparati[g], ipsi imperatori obviam venerunt[h]. Imperator vero cum exercitu suo[i], ut eos omnes tam[k] equites quam[l] pedites sic armatos contra[m] se venire[m] prospexit,

a) namque 4. 5. b) Papienses 1. c) tunc 2; et tunc etiam postea 4. 5. d) curtesta 2. e) *deest* 4. 5. f) maximam 4. 5. g) quod 1. h) *deest* 1. 2. i) super 2. k) ibique 4. 5. l) commorantes 2. m) proximi sabbati diem 4. 5. n) *deest* 2. o) maxima 4. 5. p) etiam *addunt* 4. 5. q) fuerat 4. 5. r) quod 2. s) infra ipsam civitatem 4. 5. t) penitus *iterum sequitur in* 1. u) *deest* 4. 5. v) defecerat 4. 5. w) potuisset 2; poterat 4. 5. x) ita etiam ut 4. 5. y) per *addunt* 4. 5. z) tunc *addunt* 4. 5. *) fueram 4. 5. a) *deest* 2. b) *deest* 2. c) sine periculo *addit* 2. d) *deest* 4. 5. e) *deest* 4. 5. f) astantes 4. 5. g) *pro* tunc — erat *habent* 4. 5: nondum fuerat. h) idcirco 4. 5. i) perpetratum 4. 5. k) *deest* 2. l) ipsorum 4. 5. m) festivitate 4. 5. n) Prothasii 4. o) que 4. 5. p) *deest* 1. 2. q) staranos 2; scaronos 4. 5. r) Serexanum 2. s) depredaverant 4. 5. t) et plerasque casas ipsius loci 4. 5. u) multosque etiam 4. 5. v) Ex 4. 5. w) namque 4. 5. x) prospera 4. 5. y) acciderant 4. 5. z) mutataque 4. 5. *) *deest* 1. a) Longobardia 4. 5. b) ac 4. 5. c) accesserunt 4. 5. d) custodia 2. e) iam ad 1. 2. f) de P. *desunt* 1. 2. g) detrusi 4. 5. h) fuerunt 4. 5. i) *deest* 1. k) discescit 1; discessisset 2. l) *deest* 4. 5. m) pergens 4. 5. n) At ipse rex Romam pergens ibique 4. 5 *pro* Qui — ibi. o) est *addunt* 1. 2. p) incoronatus 4. 5. q) *deest* 4. 5. r) Postremo ipse imperator ibi 4. 5 *pro* Qui — postea. s) ac *addunt* 4. 5. t) *deest* 2. u) exigens 4. 5. v) nec eis aliquod malum facere volens, ipsi 4. 5 *pro* mali — intendens. w) *deest* 4. 5. x) omnimodo 4. 5. y) eidem 4. 5; se ea 2 *pro* id ei. z) *deest* 2. *) exigentes 4. 5. a) sed *addit* 2. b) nole 1. c) ut 4. 5. d) protenderunt 4. 5. e) Tiberim 4. 5. f) Insula 2. g) parati 2. h) venerant 4. 5. i) eius 4. 5. k) *deest* 4. 5. l) et 4. 5. m) ad bellum venientes 4. 5 *pro* contra se venire.

77) scarae participes; copias. 78) Siziano a Mediolano ad meridiem, inter Landrianum et Lacchiarellam. 79) Pozzola a Dertona ad meridiem. 80) insula Tiberina (itaque per pontem Fabricium, *ponte di quattre capi*, et per pontem Cestium, *ponte S. Bartolomeo*, venerunt Romani).

omnes suos protinus[a] armari[a] precepit. Qui cum arma omnes[b] festinanter accepissent, in 1155. Iun. 18. bellum[c] omnes alacriter[d] prosilientes[e], se cum ipsis Romanis[f] commiscuerunt. Imperatore[g] itaque cum Theothonicis aliisque omnibus[h], qui[i] in eius exercitu erant[k], dimicantibus[l] acriter cum Romanis, multi[m] ab utraque parte in campo[n] interfecti multique vulnerati plerique etiam ex equis sunt deiecti[m]. Tandem Romani, vim imperatoris eiusque exercitus sustinere non valentes, terga ad fugiendum[o] verterunt. Imperator vero cum suo exercitu eos acriter persequens et multos viros[p] in ipsa fuga vivos[q] capiens multosque[r] interficiens, usque in Tiberim eos fugare non cessavit. Romani vero[s] cum ad Tiberis fluvium pervenissent, eorum[t] multa millia[u] cum armis, alii vero sine armis in ipsum flumen[v] se precipitanter proiecerunt[w]. Quorum[x] plurimi in ipso flumine perierunt; eorum vero[x], qui in ripa[y] fluminis remanserant[z], multi[*] capti fuerunt, alii vero per predictum[a] pontem ultra Tyberim in Ysolellam[b] fugientes, in Roma se recollegerunt[c]. Postera vero[d] die imperator Iun. 19. cum Romanis fedus iniens, a[e] Roma discessit[f]. Qui[g] procedens usque[h] Anchonam, multas civitates multosque principes sue ditioni et potentie subiugavit. In[i] Appulia[k] Iun. Iul. autem[l] et Romania per totam estatem et etiam per yemis partem[81] versatus, tandem in 81 Alamaniam reverti proposuit.

Itaque cum ipse imperator in Alamaniam rediret, Spoletum veniens[m, 82], ibi non mul- Iul. 28. tum longe a civitate ipsa hospitatus est. Qui[n] quamvis Spolitanis nullum adhuc dampnum[o] intulisset[n], illi tamen[p] tamquam stulti[q], imperatore cum suis ad prandium sedente, Spoletum[r], ut mihi relatum fuit[s], exierunt armati et[t] cum hominibus imperatoris statim se commiscuerunt[t]. Imperator vero[u] hoc audiens, valde turbatus[v] suis[w] precepit, quatenus in continenti[x] arma sumerent[y] et cum eis[z] viriliter pugnarent. Ipse vero imperator cum exercitu suo sic[*] robuste pugnavit, quod ipsorum[a] Spolitanorum multos cepit multosque, campi victor existens[b], in prelio interfecit; denique[a] ipsos intra[c] civitatem fugientes sic[d] persecutus est, quod una cum eis[e] civitatem[f] ipsam intrans, eam cum[f] hominibus cepit. Quam exercitus eius primum[g] spolians, postea[h] totam combussit, cives vero ipsius civitatis, qui capti fuerunt, ligatos ad tentoria[i] deduxit. Set imperator, tamquam[k] pius et misericors[l], cum ipsis postea fedus iniit, et multa peccunia ab eis sibi[m] prestita, captos abire civitatemque intrare permisit.

Post[n] hec vero imperator[n] inde discedens, ac iter suum pacifice faciens, cum[o] Vero- Sept. nam appropinquasset[p] indeque humiliter pertransire vellet[q], Veronenses[r], qui iam eorum[s] mala fortuna cum Mediolanensibus convenerant et peccuniam ab ipsis, ut imperatori obstarent, acceperant, extra civitatem venientes[t] armati in viam[u], per quam transiturus erat[v] exercitus imperatoris, obviam ei[w] se ponentes[x], ne inde transiret, prohibere[x] voluerunt. Imperator autem[y] et omnis eius exercitus, valde[z] ira commoti, arma robuste ceperunt et super Veronenses acriter irruentes, fortiter cum eis pugnaverunt. Qui[*] imperatoris viribus

a) ad arma accipienda festinare 4. 5 *pro* protinus armari. b) *deest* 4. 5. c) bello 4. 5. d) *deest* 4. 5. e) prosilierunt ac 4. 5. f) fortiter *addunt* 4. 5. g) imperator 4. 5. h) aliique etiam omnes 4. 5. i) cum eo *addunt* 4. 5. k) fuerant 4. 5. l) dimicantes 4. 5. m) multis — interfectis, multis etiam vulneratis, plerisque — ex equis deiectis 4. 5. n) in campo *desunt* 2. o) ad fug. *desunt* 1. 2. p) *deest* 4. 5. q) *deest* 2. r) etiam *addunt* 4. 5. s) autem 4. 5. t) *deest* 4. 5. u) ex eis *addunt* 4. 5. v) in ipso flumine 4. 5. w) praecipitavere 2; precipitarunt et proiecerunt 4. 5. x) Ex quibus maxima copia necata est, multique etiam ex his 4. 5. *pro* Quorum — vero. y) rippa 1. z) remanserunt 2. 4. 5. *) *deest* 4. 5. a) dictum 2. b) Insulam 2; Isolella 4. 5. c) recolegerunt 1; recolligerunt 4. 5. d) namque 4. 5. e) *deest* 2. f) discescit 1. g) Et 4. 5. h) ad *addit* 2. i) ibique in 4. 5. k) Epulia 4. 5. l) etiam 2; *deest* 4. 5. m) inveniens 4. 5. n) Ac cum ipse nihil mali illis de Spoleto adhuc illatum haberet 4. 5 *pro* Qui — intulisset. o) dapnum 1. p) *deest* 4. 5. q) furiosi et sine mente aliqua 4. 5. r) cum imperator — sederet, foris Spoletum 4. 5. s) est 4. 5. t) et — commiscuerunt *desunt* 1. 2. u) igitur 4. 5. v) perturbatus est ac 4. 5. w) militibus *addunt* 4. 5. x) in cont. *desunt* 4. 5. y) susciperent 2; caperent 4. 5. z) cum eis *desunt* 4. 5. *) ita 4. 5. a) multis ipsorum de Spolito captis et interfectis, eos omnes devicit, ac 4. 5 *pro* ipsorum — denique. b) exiens 2. c) infra 4. 5. d) ita 4. 5. e) ipsis 4. 5. f) in ipsa civitate cum exercitu suo intravit, totamque ipsam civitatem cum ipsis 4. 5 *pro* civitatem — cum. g) *deest* 2. Ac imperatoris exercitus primum eam 4. 5 *pro* Quam — primum. h) *deest* 2. i) in tentoriis 4. 5. k) ipse 4. 5. l) existens *addunt* 4. 5. m) *deest* 2. n) Imperator namque 4. 5 *pro* Post — imperator. o) dum 2. p) propinquasset 1. q) voluisset 4. 5. r) quidem *addunt* 4. 5. s) ipsorum 4. 5. t) exeuntes 4. 5. u) via 4. 5. v) transire debebat 4. 5. w) imperatori 4. 5. x) posuerunt se ipsi viam, ut inde non progrederetur, vetare 4. 5 *pro* ponentes — prohibere. y) itaque 4. 5. z) *deest* 1. 2. *) Veronenses equidem 4. 5.

81) Immo iam mense Septembri 1155. in Germaniam pervenit imperator.

82) In hist. Farf. 1155. supra SS. XI, 590, ubi Spoletum captum esse reperimus *mense Iulio die* 23. *feria* 4, legendum videtur *die* 28, in quem quidem diem incidit a. 1155. feria 4.

1155. Sept. nequeuntes[a] resistere, in[b] fugam turpiter sunt conversi[b]. Imperator vero[c] ipsos graviter[d] persequens, ex eis cepit fere mille; quorum[e] pluribus[f] ducentis nasos[g] cum labiis amputavit, et totidem plures in arboribus suspendit ibidem[h], ceteros[e] vero captos in tentoria[i] ducens[k], cathenis firmiter alligavit. Ceteri namque[l] Veronenses omnes[m], qui in civitate remanserant, maximo[n] timore[o] perterriti, mox[p] cum imperatore fedus inierunt, et ei[q] magnam peccuniam tribuentes, suos[r] captivos[s] de carcere liberaverunt[t]. Quo peracto[u], imperator inde discedens, in Alamaniam est profectus.

1157. Iun. Interea dum[v] Mediolanenses maximam guerram facerent[w] cum Papiensibus[w], ipsorum[v] Mediolanensium equites et pedites per[x] commune ultra Ticinum ad devastandum Lomelinam[y] perrexerunt. Quibus[z] venerunt obviam Papienses. Tunc vero redeuntibus[*] Mediola- Iun. 18. nensibus[z], Papienses super eos irruerunt[a], maximumque cum[b] ipsis prelium commiserunt. In quo prelio utriusque partis multi equites fuerunt interfecti multique[b] capti et retenti. Denique[c] Papienses, quia multo pauciores Mediolanensibus[d] erant, bellum tam grave sub- 85 stinere[d] non valentes, usque ad castrum Vigevini[e. 83] fugierunt, semper tamen prout melius poterant[f] se[g] defendendo[h]; ubi[i] se colligentes viriliter Mediolanensibus[i] obstiterunt. Et[k] Mediolanenses ad[l] ipsum castrum venientes et[m] eum obsidentes, manserunt per tres dies circa illud[m]. Tandem, quia Papienses[n] ibi victualium maximam patiebantur[n] inopiam, fedus cum Mediolanensibus inierunt[o]; inique[p] tamen postea predicti Mediolanenses[p] in ipso federe sunt versati. Hoc autem contigit anno Domini 1157, mense Iunii, inditione quinta.

Mediolanenses igitur, quia[q] tunc[r] eis cuncta[s] prospera accidebant, super[t] opprimendos Laudenses nimium ardescebant[u], videntes illos multiplicari cottidie in personis pariter et in rebus[t]. Inter[v] cetera mala[w], que ipsi Mediolanenses Laudensibus intulerunt, hoc terribile et iniquum atque in seculo inauditum indixerunt noviter super eos[w]. Preceperunt enim[x] publice in ipsorum concione, quod nullus[y] hominum Laudensium terram suam propriam, et quam pater seu[z] avus eius sibi[z] dimiserat et per 60 annos et etiam ultra quiete possederat[*], deinceps sine consilio et licentia[a] consulum Mediolanensium[b] aliquatenus[c] venderet nec aliquo alio modo in alium transferre[d] presumeret[e]; contra quod preceptum si quis[f] faceret[g], tam emptor quam venditor in[h] bannum publicum ponerentur[h], et insuper etiam, venditore pretio carente, emptor rem ipsam amitteret, et quod deterius erat[i], pretium et res vendita[k] communi[l] Mediolanensi[m] devenirent[n]. Hoc[o] autem audientes ipsi Laudenses, quamvis de re tam gravi valde dolerent, putantes tamen, se magnis servitiis posse vincere Mediolanenses, nichilominus eis postea plurimum servierunt[o].

a) nequientes 2; non valentes 4. 5. b) tandem terga verterunt 4. 5 *pro* in — conversi. c) itaque 4. 5. d) acriter 2; valde 4. 5. e) et nasos cum omnibus labris plus de ducentibus Veronensibus scapellavit; item ultra ducentos etiam ex ipsis Veronensibus in arboribus, que ibi aderant, suspendit, reliquos 4. 5 *pro* quorum — ceteros. f) *deest* 2. g) nasum 2. h) *deest* 2. i) tentoriis 4. 5. k) deducens, eos 4. 5. l) vero 2. m) *deest* 1. 2. n) maxime 4. 5. o) *deest* 4. 5. p) statim 4. 5. q) ipsi imperatori 4. 5. r) *deest* 2. s) qui capti fuerant 4. 5. t) liberarunt 1. u) Quo pacto 1. 2. Deinde hoc peracto, imperator in Alamaniam (statim *add.* 5) discessit 4. 5 *pro* Quo — profectus. v) *deest* 4. 5. w) cum Papiensibus facientes, accidit quod 4. 5. x) pro 2. y) Lumellinam 2. 4. 5. z) Papienses vero e contra ivere. Cum autem Mediolanenses redierant 4. 5 *pro* Quibus — Mediolanensibus. *) volentibus 2. a) irruentes 4. 5. b) prelium inter se inientes, multi equites ex utraque parte interfecti, plurimi etiam 4. 5 *pro* cum — multique. c) Tandem 4. 5. d) quam Mediolanenses fuerant, resistere 4. 5 *pro* Mediolanensibus — substinere. e) Vigfevani 2; Vigenali 4. 5. f) prout m. p. *desunt* 4. 5. g) *deest* 1. h) deffendentes 4. 5. i) ac intus se recipientes 4. 5 *pro* ubi — Mediolanensibus. k) At 4. 5. l) circa 4. 5. m) per tres dies eum obsiderunt 4. 5 *pro* et — illud. n) in ipso loco Papienses rerum comedendarum maximam habebant 4. 5 *pro* Papienses — patiebantur. o) coierunt 2. p) quamvis ipsi Mediolanenses inique postea 4. 5 *pro* inique — Mediolanenses. *In* 2 *desunt* predicti Mediolanenses. q) cum 4. 5. r) temporis *add.* 2. s) omnia 4. 5. t) et ipsi magis ac magis super Laudenses opprimendos exardebant, idcirco maxime, quia eos in personis et rebus augere cernebant 4. 5 *pro* super — rebus. u) *deest* 2. v) enim *addit* 2. w) denique terribilia alia mala, que Mediolanenses sepe ac sepius Laudensibus intulerunt, unum tam pessimum atque orribile super eos induxerant, quod nullum tam neffarium ac detestabile inter christianos amplius factum fore a seculo nusquam est auditum 4. 5 *pro* mala — eos. x) namque ipsi Mediolanenses 4. 5. y) scilicet *addunt* 4. 5. z) ac etiam eorum avus emerat, et ipsis 4. 5 *pro* seu — sibi. *) in qua nullam rationem nullumque ius se habere dicebant *add.* 4. 5. a) parabola 4. 5. b) deinde in antea *add.* 4. 5. c) nullatenus 4. 5. d) transferret 4. 5. e) *deest* 4. 5, *qui addunt* alioquin qui. f) si quis *desunt* 4. 5. g) agerent 4. 5. h) utrinque ipsi et eorum res in bannum publice forent 4. 5 *pro* in — ponerentur. i) fuerat 4. 5. k) *deest* 4. 5. l) in fiscum 2. m) Mediolanensium 2; de Mediolano 4. 5. n) pervenirent 2; deveniret 4. 5. o) His autem a Laudensibus auditis, quamvis valde, ut de tam detestabili re esse poterant, mesti fuere, tamen ipsi ex bono optimoque servitio Mediolanenses vincere se posse putantes, nihilominus eis etiam postea serviere 4. 5 *pro* Hoc — servierunt.

83) Vigevano. Cf. Notae S. Georgii Mediol. supra p. 386, unde proelium d. 18. Iunii 1157. commissum esse intelligimus.

Aliud[a] quoque nimis detestabile statuerunt super ipsos Laudenses, videlicet quod quicunque 1157. inveniret aliquem Laudensem[a], qui extra Laude ad habitandum exiret vel[b] aliquid de[c] rebus suis alio[d] deferret, ipsum[e] capere et omnia eius bona auferre posset[e], et insuper[f] Laudensis, qui deferebat, et[g] omnes eius res in publico banno essent[g]. Propter quam[h] sceleratissimam[i] occasionem ipsi Mediolanenses[k] plus[l] trecentis[m] libris valentia[n] Laudensibus abstulerunt. In[o] sequenti vero[p] mense Novembris[q] anni supradicti[r], inditione sexta, Nov. Mediolanensium consules Laude venerunt[s] et[t] fodrum ipsis Laudensibus petierunt, minantes[u] eis, quod nisi darent, ipsos in bannum publice[v] ponerent et insuper recusantes[w] de terra eicerent sine spe aliqua redeundi[u]. Laudenses autem[x], eorum bannum et minas valde timentes ac eorum adversum[y] se[z] malam voluntatem scientes, adeo sunt perterriti, quod statim plures eorum de Laude recedentes, per diversas terras postea sunt vagati. Qui autem ibi remanserunt[y], quamvis nolentes[*], dolentes tamen[*] nimium[a], quia[b] veteres et nobiles Lombardie cives se existimabant, eis ipsum fodrum denegare timore Mediolanensium non sunt ausi; quod si qui forte dare recusarent, eorum domos intrantes, ipsas expoliabant, auferentes inde omnem mobiliam, quam poterant, et[b] vinum ipsorum[c] per terram effundentes[d], eos de terra penitus eiecerunt[e].

Hiis itaque sic peractis, Mediolanensium consules iterum[f] anno 1158.[f] mense Ianuarii 1158. Ian. Laude venientes ipsis Laudensibus dixerunt, quatenus[g] omnes eorum[h] a quindecim annis supra[i] usque ad centum absque[k] ullo tenore[l] iurarent stare sub illis[m] et eorum precepta omnia observare[n]. Laudenses vero inde[o] maximo timore perterriti[p], cognoscentes, illos occasiones[q] adversum[r] eos[s] querere, quibus[t] ab eorum amicitia possent[u] sine ignominia recedere eosque[v] de terra sua[w] eicere ac[x] ipsos bonis suis spoliare, quasi exanimes sunt effecti. Tandem dixerunt eis, se super hoc velle consilium habere cum sapientibus de Laude et eis cum ipsorum consilio respondere[x]. Cumque[y] Laudenses super hoc[z] consilium habuissent, consulibus Mediolanensium responderunt, se velle iurare stare preceptis[*] eorum, et quecunque sibi preciperent, observare[*], salva tantummodo fidelitate domni Frederici imperatoris, quam ei[a] iam dudum fecerant ipsorum[b] Mediolanensium[c] parabola et consensu[d]. Mediolanensium autem consules[e] predictum sacramentum cum[f] illa conditione, scilicet „salva domni imperatoris fidelitate“, recipere penitus noluerunt; set graviter eis minantes, dixerunt[f], quod nisi ipsum sacramentum absque[g] ullo tenore facerent, eos[h] in bannum publice ponerent ac eos de terra eicerent et omnia sua[i] bona eis auferrent. Hiis autem dictis, Mediolanum reversi sunt. Consules itaque Laudensium, accipientes domnum[k] Lanfrancum[l], Laudensem episcopum, et alterum[m] domnum Lanfrancum[l], ecclesie maioris prepositum[n], et[o] alios omnes prepositos[p] et abbates ac presbyteros de

a) Praeterea quoque aliud nefandissimum ius insuper Mediolanenses super Laudenses statuere, hoc videlicet, ut si quis aliquem ex Laudensibus inveniret 4. 5 *pro* Aliud — Laudensem. b) aut 4. 5. c) ex 4. 5. d) alibi 4. 5. e) quod omnis, quicumque eos inveniret, eos caperet et omnia eorum bona auferret, ac deinde suum proprium foret 4. 5 *pro* ipsum — posset. f) etiam *add.* 4. 5. g) in banno eorum publico ipse et omnis res ipsius forent 4. 5 *pro* et — essent. h) propinquam etiam 4. 5. i) *deest* 2. k) bona *add.* 2. l) pluri 1; plus 2; plus de 4. 5. m) auri *add.* 2. n) ipsis *add.* 2. o) Insuper etiam in 4. 5. p) *deest* 4. 5. q) eiusdem *add.* 4. 5. r) de *add.* 4. 5. s) venientes 4. 5. t) *deest* 4. 5. u) et nisi eis darent, in bannum eos publice posuerunt, et insuper etiam omnes illos, qui dare recusarent, sine ulla spe recuperationis de terra se deiecturos fore spoponderunt 4. 5 *pro* minantes — redeundi. v) publicum bandum 2. w) accusantes 2. x) vero 4. 5. y) nequitia super ipsos quacumque possent arte vel occasione libenter exercere se velle scientes, valde pertimuerunt et per diversas terras multi ex ipsis statim fugierunt. Illi autem qui steterunt 4. 5 *pro* adversum — remanserunt. z) adventum ac 2. *) *deest* 2. a) prenimium 4. 5. b) quod, cum gentiles fuerant cives, ipsum fodrum sicut pessimi villani timore Mediolanensium ipsi tribuerent; illis vero, qui dare recusaverunt, Mediolanenses perfidiam eorum exercentes in domibus eorum introeuntes, ac ipsas omnes expoliantes et omnem mobiliam, quam portare potuerunt, auferentes 4. 5 *pro* quia — et. c) etiam eorum 4. 5. d) effuderunt et 4. 5. e) eiiciebant 2; deiecerunt 4. 5. f) in *add.* 4. 5. g) ipsi *add.* 4. 5. h) *deest* 4. 5. i) et *add.* 4. 5. k) sine 4. 5. l) timore 2. m) ipsis 2. n) attendere 4. 5, *qui addunt haec:* de quibuscumque causis vel rebus ipsi eis preciperent. o) *deest* 4. 5. p) videntes etiam et *add.* 4. 5. q) occasionem 4. 5. r) *deest* 4. 5. s) illis 4. 5. t) quatenus 4. 5. u) possunt 4. 5. v) ac eos 4. 5. w) *deest* 4. 5. x) et omnia eorum bona, ut ex prefacto apparuit, eis auferre. Tandem quasi exanimes facti, eis respondere, se velle cum sapientibus de Laude inde consilium habere 4. 5 *pro* ac — respondere. y) vero *add.* 4. 5. z) inde 4. 5 *pro* super hoc. *) in eorum precepto, et omnia facere et attendere, quecumque eis de quibuscumque causis preciperent 4. 5 *pro* preceptis — observare. a) ipsi 4. 5. b) *deest* 4. 5. c) consulum *add.* 4. 5. d) per consensum et parabolam 4. 5. e) *deest* 2. f) sic recipere se recusantes, et hoc verbum, scilicet „salva imperatoris fidelitate“ in ipso sacramento ponere eos non dimittentes, dicentes etiam et omnimodo minantes 4. 5 *pro* cum — dixerunt. g) eis sine 4. 5. h) quod ipsi eos 4. 5. i) eorum 4. 5. k) dictum 2. l) Lafrancum 4. 5. m) item 4. 5. n) propositum 4. 5. o) nec non etiam 4. 5. p) propositos 4. 5.

1158. Laude una pluribus[a] sexaginta[b] sapientibus de Laude, nec non et[c] domnum abbatem[d]
84 Claravalensem[e 84] et domnum[f] abbatem de Ceredo[85] et domnum Albertum priorem de Pontia[86] una[g] cum domno tunc temporis[h] de Clunea[i, 86*], venerunt[k] Mediolanum cum eis. Quibus omnibus existentibus[k] in palatio domni Uberti[l] Mediolanensis archiepiscopi[m, 87], predicti Laudenses tam clerici quam layci[n] se pedibus[o] ipsius[p] domni[q] archiepiscopi et omnium[r] consulum Mediolani ac[s] quam plurium aliorum Mediolanensium civium tam maiorum quam minorum[s] flendo amarissime[t] prostraverunt[u], deprecantes eos suppliciter[u], quatenus ipsos non cogerent periurare[v]; dicentes et promittentes, se omnino[w] paratos esse[x] stare et obedire omnibus eorum preceptis, dum tamen periurium[y] non committant[y]. Et recordantes[z] eis, quomodo[*], sicut bene sciebant, ipsi Laudenses imperatori fidelitatem iuraverant, requisita prius ab eis de hoc licentia et concessa, dicebant, quod si ipsi supradictum iuramentum facerent[*] et imperatoris fidelitatem, quam prius iuraverant, non anteponerent[a], ipsi deierarent et postea[b] interfici[c] et omnia sua bona perdere[d] mererentur[e]. Archiepiscopus itaque et Laudensis episcopus una[f] cum predictis abbate Claravalensi, et priore de Pontia, et domno de Clunea[f] omnes unanimiter[g] rogaverunt[h] et ammonuerunt[i] predictos Mediolanensium consules, quatenus[k] ab infestatione Laudensium cessarent[k] et, quod eis volebant facere, libenter acciperent, quia sibi[l] sufficiens videbatur[l]. Sed[m] neque preces, neque lacrime aliquid profuerunt[n]. Quare predicti Laudenses, cognoscentes, quod sic apud ipsos Mediolanenses nichil proficerent, Laude cum magno dolore sunt reversi[n].

Interim[o] duo cardinales[p] Romane sedis legati, scilicet domnus Ardizio de Rivoltela[88]
89 et domnus Otto de Brixia[89], Laude venerunt[90]. Ad quorum pedes prostrati, Laudenses eos valde deprecati fuerunt, quatenus Mediolanenses rogarent, ne ipsos[q] cogerent ad predictum periurium faciendum[q]; recitantes eis[r] ea, que ipsi Mediolanenses ab eis requirebant et ea, que sibi facere volebant, et causam, quare predictum sacramentum eo modo, quo petebant[r], facere[s] recusabant. Cardinales autem[t], misericordia moti[u] ad[v] ea[w], que sibi Laudenses de Mediolanensibus retulerunt, et pro[x] nimis gravi[y] reputantes ea, que Mediolanenses a Laudensibus sibi fieri requirebant, specialiter periurium tam[z] indecens et iniquum[v], promiserunt[*] eis, quod quam[a] cito Mediolani, quo tendebant, essent, statim pro eis ipsos Mediolanenses precarentur, quantum possent; qui si eorum[a] precibus obtemperare nollent[b], ex parte omnipotentis[c] Dei et domni pape[c] ipsis[d] preciperent, quod ipsos

Aug. 9. Sequenti vero die Martis, in quo fuit festum[i] sanctorum Firmi et Rustici et vigilia beati Laurentii, factum est prelium inter imperatorem et Mediolanenses apud castrum Carcani[94]. Ibi[k] etiam Brixienses[l] equites[m] in occursum Mediolanensium venerant[m*], ad[n] cuius castri obsessionem Mediolanenses iverant in ultima ebdomada[o] suprascripti[p] mensis Iulii[q] et[r] castellum ligneum[q] magnum et manganos construxerant ad castrum ipsum Carcani capiendum, quod erat de[s] parte imperatoris. Quapropter imperator sanctissimus cum[t] suis fidelissimis[u] ad auxilium illorum de Carcano iverat[v] cum paucis equitibus[w] Papiensibus et cum equitibus et peditibus Novarie atque cum[x] Vercellensibus et Cumensibus[y] et parte illorum de Seprio[z] et de[*] Martesana et cum marchione de Monteferrato[a] [95] et comite de Blanderate[96] et cum[b] paucissimis Theotonicis, inter quos fuit dux Bertoldus de Zaringo[c], qui[b] cum paucis suis militibus venerat ad imperatorem de terra Theotonica cuiusdam sui negotii causa, et[d] dux Boemie[97] et comes Conradus de Ballamixe[e] et[f] quidam alii. At vero[g] Mediolanenses et Brixienses[h] ita circumdederat imperator, quod victus eis ferri nullatenus poterat. Quapropter[i] Mediolanenses multum[k] perterriti, quia[l] Mediolanum reverti non poterant nec ibi stando victum habere valebant, quid facere deberent ignorantes, tandem tamen, ut sepe solet accidere, necessitas consilium reperit, et[m] fortunam pugne potius temptare proposuerunt, quam ibi morantes fame perire. Unde[n] ipsi Mediolanenses in ipso[o] die Martis in[p] quo fuit vigilia beati Laurentii[p] prelium cum imperatore ceperunt. Imperator vero cum suis Theotonicis et aliquibus aliis, robuste contra Mediolanenses irruens, fere usque ad carozolum ipsorum, ubi erat multitudo peditum Mediolanensium, eos impulit, et magnam ipsorum peditum copiam[q], maxime de[r] porta Romana et porta Orientali, que vulgariter dicitur porta Arienza[s], interfecit, et boves ipsius carozoli occidit ipsumque carozolum incidit et crucem deauratam, que super[t] perticam carozoli erat[u], atque vexillum ibi positum abstulit; et multos ex ipsis tam equites quam pedites ad tentoria duxit. Ex alia vero parte prelii, ubi maior pars equitum Mediolanensium et Brixienses[v] erant[w] contra Novarienses et Cumenses et alios multos, qui erant[w] ex eo capite prelii, unanimiter irruentes cohortes Brixiensium ac Mediolanensium[x] maximam de eis stragem fecerunt, et maxime[y] de Novariensibus, et[z] ipsos capientes et multos interficientes[*], plures[a] duobus millibus[b] fugaverunt[c]. Interea orta maxima[d] pluvia redeunt[e] ad castra. Paulo vero post iterum[f] Mediolanenses et Brixienses, armis resumptis[g], ad prelium currunt. E contrario imperator videns se cum paucis Theotonicis et non multis aliis relictum, decrevit potius[h] bello fore[i] cedendum[k] quam pugnando superari. Sicque versus Cumas[l] cum illis, quos adhuc secum habebat, profectus est, multa tentoria multosque, quos ceperat in bello, ibi relinquens[m]. Mediolanenses vero[l] et Brixienses, castris imperatoris expoliatis et multis de suis recuperatis, qui capti fuerant, desertoque eis campo,

a) fossato 4. 5. b) *deest* 2. c) festivitate 4. 5. d) Ciriani 1. e) *deest* 1. 2. f) ab eis *desunt* 2. g) partimque 4. 5. h) aqua 4. 5. i) *deest* 1; festum 2; festivitas 4. 5. k) quo 2; atque 4. 5. l) Brixiensium 4. 5. m) qui *add.* 4. 5. m*) illuc iverant 4. 5. n) ad — iverant *desunt* 1. 2. o) ebdoma 1. p) sti 1; praedicti 2; istius 4. 5. q) *deest* 2. r) ibique 4. 5. s) ex 4. 5. t) et 4. 5. u) amicis ivit *add.* 2. v) *deest* 1; iverat 4. 5. w) militibus 4. 5. x) *deest* 1. 2. y) Vercellarum et Cremensibus 2. z) Sepio 5. *) *deest* 4. 5. a) Monferrato 2. 4; Monferato 5. b) et cum — Zaringo, qui *desunt* 4. 5, *qui addunt* atque etiam. c) Bertaldus de Zarugo 2. d) *deest* 4. 5. e) Balamixe 2. 4; Balamise 5. f) et — alii *desunt* 4. 5. g) Atque 4. 5 *pro* At vero. h) *deest* 5. i) quo victu 4. 5. k) maxime 4. 5. l) qui 1. 2. m) *deest* 1. n) Quocirca 4. 5. o) predicto 4. 5. p) in — Laurentii *desunt* 2. q) et *add.* 4. 5. r) ex 4. 5. s) Rienza 2. t) supra 4. 5. u) fuerat 4. 5. v) Brixiensium 2. w) fuerunt 4. 5. x) Brixienses et Mediolanenses 2. y) specialiter 1; et maxime 2. 4. 5. z) multos ex ipsis 2. *) ut *add.* 2. a) plus de 4. 5. b) miliaribus 4. 5. c) fugaverint 2. d) magna 2. e) redierunt 2. f) *deest* 2. g) reassumptis 2; desumptis 4. 5. h) melius 5. i) esse 4. 5. k) cedere 4. 5. l) *deest* 4. 5. m) deserens 4. 5.

93) Gropello in sinistra Adduae ripa, a Treviglio inter septemtrionem et occidentem. 94) Carcano a Como ad orientem, prope lacum Alseriensem.

95) Guillelmo. 96) Guidone. 97) Theobaldus, frater Wladislai regis.

cum ingenti gaudio et[a], ut in talibus[b] fieri solet, cum[c] magno clamore ad castra redeunt[d], 1160. suorum cadavera colligunt et[c] multa plaustra ex eis honerata Mediolanum mittunt[e]. In[f] Aug. 9. illo autem prelio Mediolanensibus exorta[g] est magna letitia atque magna tristitia[f]; puto tamen, gaudium tunc[c] superasse dolorem.

Interea Cremonenses equites et pedites erant Laude parati[h] ad occursum imperatoris, sicut eis ab ipso litteris mandatum fuerat[i]. Qui[c] hec, que gesta erant[k] apud Carcanum omnino[l] ignorantes, timentes etiam tam[m] ipsi quam[n] Laudenses, utrum secure et sine obstaculo Mediolanensium[o] ad imperatorem possent accedere, et avidi nimis[m] honoris et victorie imperii, multum[p] dolebant, si imperator sine eis cum Mediolanensibus bellum inciperet[q]; quocirca maxime desiderabant ad imperatorem[r] quam citissime proficisci. In hac tamen ambiguitate de[m] communi consilio Cremonensium et[s] Laudensium decernunt[t], ut ducenti equites de Cremonensibus et octoaginta de Laudensibus in[u] imperatoris auxilium pergant, aliis omnibus tam militibus quam peditibus[v] Laude remanentibus. Die igitur[w] Mercurii, in quo fuit festum[x] sancti[y] Laurentii, omnes predicti equites circa ve- Aug. 10. speras iter arripiunt, copiam victualium imperatori maxime necessariorum, sicut per litteras Laudenses[z] acceperant, secum ducentes. Quod equidem[*] in[a] maximum eorum detrimentum[b] redundavit. Propter enim[c] asinos[d] pane onustos et pigriter[e] incedentes[e] tantam in itinere moram fecerunt, quod ipsa die et in nocte proxima tota ambulantes, non potuerunt ire nisi ad[f] Marlianum[98]. In quo loco quidam miles Mediolanensis, videns eos ire ad imperatorem et belli peracti conscius, per aliam viam subito ad exercitum Mediolanensem[g] currendo equitavit et[h] eis aperuit[h], qualiter Cremonenses et Laudenses, belli[i] peracti nescii, ad imperatorem pergerent. Quo audito, Mediolanenses dato signo statim[k] ad eos equitant et ipsos inveniunt[l] inter locum Canturii[m] [99] et castrum, quod dicitur Baradellum[n] [1], quasi circa horam[o] tertiam die[p] Iovis super[q] quandam aquam et paludem, ubi dicitur ad Aug. 11. Aquam nigram[2]. Ibi[r] clamore magno super eos irruentes ex improviso, cum[s] aliquibus Cremonensibus et Laudensibus subito revertentibus[t] bellum inceptum est, et aliquibus utrinque mortuis aliis vero captis, Cremonenses[u] et Laudenses, non valentes[u] resistere, in fugam sunt[v] prorupti. Quorum aliqui fortuitu per quandam viam fugientes bene evaserunt; alia[w] vero magna pars per medium aque[x] paludis, quam parvam extimabant, transeuntes, pre magnitudine luti, quod erat in aqua, vix transire poterant, equis et armis in luto relictis. Ibi[y] fuerunt capti de Laudensibus decem equites et quatuordecim de Cremonensibus, ducentis equis ibi amissis. Imperator vero, qui tunc erat in Baradello[z], subito que gerebantur cognoscens, confestim in succursum Laudensium et Cremonensium venit[a], quatuorque[b] cepit de Mediolanensibus, qui paludem transiverant, reliquis in fugam conversis. Quidam[c] miles[d] Laudensis, qui dicitur Carnevalis de Cuzego[e], inter frondes cum equo suo pre timore latitans, quendam probum militem, qui vocatur[f] Rugerius de Sancto Sceptiro[g], de Mediolano cepit et in terra eum suffocavit, ut[h] a suis — qui erant ibi circa[i] multa[k] querentes inter frondes[l], quos[m] possent capere — non posset[n] auxilium proclamare. Laudenses itaque et Cremonenses, qui evaserant[o], cum imperatore Cumas iverunt, Mediolanensibus ad sua[p] castra redeuntibus. Et[q] accepta ab imperatore licentia, predicti[r] Cremonenses et Laudenses in[s] die Veneris discedentes a Cumis, per Novariensem Aug. 12. episcopatum Papiam veniunt[t] Laudeque reversi sunt.

a) *deest* 1. 2. b) tali re 4. 5. c) *deest* 4. 5. d) redierunt 2. e) mittentes 4. 5. f) summaque letitia et maxima mestitia Mediolanensibus in illo prelio exorta sunt 4. 5 *pro* In — tristitia. g) orta 2. h) partim 1; parati 2. 4. 5. i) erat 2. k) fuerant 4. 5. l) *deest* 2; omnimodo 4. 5. m) *deest* 4. 5. n) et 4. 5. o) Mediolanenses 4. 5. p) maxime 4. 5. q) inceperit 4. 5. r) eum 4. 5. s) Cremone atque 4. 5; Crem. et Laudensium *desunt* 2. t) decreverunt 1; decernunt 2. 4. 5. u) ad 4. 5. v) tam peditibus quam equitibus 2. w) Igitur in die 4. 5. x) festivitas 4. 5. y) beati 2. z) Laudensium 4. 5. *) quidem 2. a) et 4. b) damnum 5. c) *deest* 4. 5. d) qui *add.* 4. 5. e) pigre incedere valentes 4. 5. f) usque 4. 5. g) Mediolanensium 4. 5. h) eis aperiens 4. 5. i) prelii 4. 5. k) impigre 4. 5. l) invenerunt 4. 5. m) Canturis 4. 5. n) de Baradello 2; Bathalellum 4; Batalellum 5. o) *deest* 1. p) diei 4. 5. q) supra 4. 5. r) Ubi 2; ibique 4. 5. s) aut 4. t) revenientibus 4. 5. u) non valentibus Cremonensibus et Laudensibus 4. 5. v) *deest* 4. 5. w) alii 1. 2. x) medium aquam 4. 5. y) ibique 4. 5. z) Bathalello 4; Bachalello 5. *) occursum 4. 5. a) veniens 2. b) quatuor 1. 2. c) Et quidam 4. 5. d) milex 1; *deest* 2. e) Erzago 2; Cuzigo 4. 5. f) dicitur 2. g) Rugerius de Sancto Seprio 2; Rogerius de Sancto Sceptrio 4. 5. h) ubi 4. 5. i) ibi circa *desunt* 2. k) multum 2. l) intra frontem 4. 5. m) si quos 2. n) possunt 4. 5; posset habere auxilium proclamando 2. o) evaserunt 4. 5. p) *deest* 4. 5. q) Ibique 2 *pro* et. r) predicti — Laudenses *desunt* 4. 5. s) *deest* 1. 2. t) venerunt 2.

98) Mariano, media via inter Modoetiam et Comum. 99) Cantù. 1) Baradello prope Comum, ad meridiem. 2) Acqua nera fl.

1160 Aug. 19. Tertio decimo[3] autem die[a] Kalendas Septembris, qui fuit dies Veneris, illi[b], qui obsidebantur in castro Carcani, ex improviso castrum egredientes et ignem supponentes in castello ligneo, quod Mediolanenses ibi construxerant Carcani[c] capiendi causa, totum combusserunt, Mediolanensibus, qui illud custodiebant[d], defendere nequeuntibus. Quo dolore Mediolanenses commoti et ipsum castrum se[e] nequaquam posse capere cernentes[f], timentes etiam, ne iterum[g] imperator resumptis[h] viribus cum Cremonensibus et Papiensibus atque Laudensibus aliisque Lombardie civitatibus ibi eos comprehenderet vel ad civitatem Mediolani devastandam, ipsis[i] absentibus, pergeret, Aug. 20. sequenti die sabbati Carcanum deserentes, Mediolanum revertuntur.

Aug. 24. Sequenti vero die[k] Mercurii, in quo fuit festivitas[l] sancti Bartholomei apostoli, ivit imperator cum maximo exercitu Cremonensium[m], Papiensium[n], Laudensium[m], marchionum et[o] comitum et cum Papie navigio et cum pretheriis Laudensium duabus ad pontem Placentinorum, quem ex navibus per mediam Placentiam construxerant, destruondum. Et in Aug. 25. die Iovis summo diluculo cepit pontem expugnare. Quem Placentinis ab initio viriliter[p] defendentibus, due petrerie subito eriguntur. Quapropter[q] Placentini pontem sic integrum se non posse defendere[r] considerantes, ipso toto destructo naves omnes integras ad suam ripam conduxerunt. Petrerie[s] tamen, ab una parte Padi usque ad aliam lapides[t] prohibientes, duos de Placentinis interfecerunt[s].

Ipso quoque die[u] maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, et maxime illis[v] de porta Romana, scilicet[w] quod bene tertia pars totius Mediolani combusta est[4]. Nec fuit aliqua porta in toto Mediolano, que[x] ex aliquo latere non combureretur; et magna aura tunc ventilante, multe domus optime, in quibus valde confidebant et[y] idcirco omnem ipsorum suppellectilem reponebant[y], combuste[z] sunt. Et multi[*] nobiles equites idcirco ad inopiam et summam necessitatem pervenerunt[a], amissis in igne omnibus victualibus, tam hominum quam iumentorum[b], et vestibus.

Aug. 26. In sequenti vero[c] die Veneris reversus est imperator Papiam. Ubi[d] fecit ipse[e] imperator eo tempore iurare episcopum Novariensem[5] et[f] Vercellensem[6] ac Astensem[7] et marchionem Guillelmum de Monte Ferato[g] et marchiones dal Guasto[h] et marchiones dal Busco[i, 8] et marchionem Obizonem Malaspinam et[k] comitem de Blandrate et[l] comites de Cavaliate[l] aliosque multos Lombardie prelatos[m] et principes ad dandum[n] sibi milites et[o] archatores atque balistarios[p], qui secum Papie habitarent a festo sancte Marie de mense[q] Septembris ad[r] pasca maius[s, 9].

Oct. 19. Post hec autem[t] imperator cum Cremonensibus et[q] Papiensibus parteque Laudensium et cum Papie navigio ac cum[u] duabus Laudensium[v] pretheriis iterum ivit ad pontem Placentinorum capiendum et destruendum in die Mercurii, que fuit tercio decimo[10] Kalendas[w] sequentis mensis Novembris, inditione octava. Quod Placentini presentientes, ipsum pontem statim[x] destruxerunt, reducentes omnes naves integras[y] usque ad ripam Padi, que est versus Placentiam. Set Laudenses ibi[z] in quodam mezano, que Insula dicitur, prelium cum Placentinis incipientes, unum ex ipsis[*] interfecerunt. Eodem[a] die captus est Bagnagatta[b] in itinere Papie, qui latitabat die et nocte[c] in nemoribus cum multis aliis suis sociis ad capiendum[d] Theotonicos et omnes, qui erant[e] de[f] parte imperatoris; et qui audacissimus depredator erat et multos ceperat et etiam interfecerat[g] de hiis, qui fuerant amici

a) autem die *desunt* 4. 5; qui *add.* ante. b) *deest* 2. c) Carcanum 1; Carcani 2. 4. 5. d) prospiciebant 4. 5. e) *deest* 2. f) ac *add.* 4. 5. g) *deest* 1. 2. h) reassumptis 2. i) se 4. 5. k) In sequenti die 4. 5. l) festum 2. m) et *add.* 4. 5. n) atque *add.* 4. 5. o) atque 4. 5. p) *deest* 2. q) Quocirca 4. 5. r) tueri 4. 5. s) Petrerie — interfecerunt *desunt* 2. t) lapidem 4. 5. u) Et eo die 4. 5 *pro* Ipso q. die. v) his 4. 5. w) videlicet 4. 5. x) quod 4. y) et — reponebant *desunt* 1. 2. z) exarse 4. 5. *) multi nob. equites *desunt* 1. 2. a) deducti sunt 4. 5. b) equorum 4. 5. c) *deest* 2. d) ibique 4. 5. e) *deest* 4. 5. f) *deest* 2. g) Monferato 4. 5. h) de Alguasto 1; de Langusco 2; dal Guasto 4; del Guasto 5. i) de Albusco 1. 2; dal Busco 4; del Busco 5. k) atque 4. 5. l) et — Cavaliate *desunt* 4. 5. m) prelatos et *desunt* 4. 5. n) dandos 4. 5. o) *deest* 4. 3. p) balistrarios 4. 5. q) *deest* 2. r) Septembri usque ad 2. s) resurrectionis 2 *pro* maius. t) Preterea quoque 4. 5 *pro* Post — autem. u) *deest* 4. 5. v) *deest* 1. 2. w) Septembris vel sequ. m. Novembris de 4. 5; sequ. mensis *desunt* 2. x) *deest* 2. y) *deest* 1. 2. z) *deest* 4. 5. *) Placentinis *add* 4. 5. a) Et eodem 4. 5. b) *sequitur* qui *in* 1. 2. c) noctuque 4. 5. d) capiendos 4. 5. e) fuerant 4. 5. f) ex 4. 5. g) etiam morti conaverat 4. 5.

3) immo quarto decimo. 4) Cf. Not. S. Georgii Mediol., supra p. 387. 5) Guillelmum. 6) Ugutionem. 7) Anselmum. 8) De marchionibus de Vasto et de Busca cf. San Quintino Osservazioni critiche in Memorie della academia di Torino, serie II. T. XIII, 241, et S. Giovanni Dei marchesi del Vasto. 9) ab 8. Sept. 1160 ad 16. Apr. 1161. 10) immo quarto decimo.

imperatoris; et qui magis[a] timebatur quam aliquis alius Mediolanensis. Cumque[b] Laude captus[b*] duceretur, quidam Papiensis pedem sibi[c] truncavit[d]. Imperator vero considerans, se tunc Placentinos non posse multum ledere, Cremonam profectus est. 1160. Oct.

In die vero Veneris, que fuit quarto[11] Kalendas suprascripti[e] mensis Novembris, Mediolanenses, qui pontem custodiebant de Pontirolo, qui tunc levabatur, cum comite Henrico de Crema aliisque militibus Cremensibus a Dovaria[12] versus Laude venientes, fere usque[f] portum publicum velociter cucurrerunt[g], maxima ipsorum parte infra villam[h] Dovarie relicta, ut ibi latitarent et Laudenses ex[i] improviso[i] caperent. Laudenses autem, ut clamorem audierunt, cum magno fremitu ultra pontem Adue[k] subito armati equitantes et acriter Mediolanenses insequentes, antequam Dovariam redire possent, eos ceperunt. Et cum de Laudensibus nondum[l] essent ibi congregati plures[m] viginti, qui alios precesserant, inter[n] Mediolanenses ferientes, aliquos ex eis prostraverunt[o] de equis et[p] Albertum de Arzago[q] ceperunt[r], reliquis Mediolanensibus in fugam conversis[s], quia nolebant resistere, donec ad suos latitantes confugissent. Interea latitantes, aspicientes quia[t] Laudenses iam appropinquaverant, repente prosilierunt, super Laudenses unanimiter[u] irruentes. Quibus, utpote magne multitudini, Laudenses[u], qui adhuc ibi pauci erant[v], resistere non confidentes, terga subito verterunt[w]. Ibi[x] de Laudensibus quatuor sunt[y] capti, videlicet Arialdus de Arziago, qui fuit Mediolanensis set post captionem Creme civis Laude fuerat effectus, et Bernardus[z] de Bagnolo, qui de alia captione iam fuerat redemptus, et Otto Denarius atque Manfredus Morena, meus filius. Quibus captis, Mediolanenses et Cremenses[*] reverti ceperunt. Interea Laudenses tam hii, qui precesserant[a], quam hii[r] qui sequebantur[b], insimul collecti, usque prope castrum Ripalte[c, 13] post Mediolanenses equitaverunt. Quos Mediolanenses conspicientes, revoluti ab eis[d], steterunt; Laudensibus quoque stantibus et eos a longe prospicientibus et[e] utraque acie[f] alteram formidante[g], neutra fuit alteram ausa invadere. Laudenses denique[h] cum per aliquod tempus sic dubii stetissent, videntes, quod nichil possent ledere Mediolanenses, tum quia plures illis erant tum etiam quia castrum Ripalte erat[i] eis ad tutelam, cum iam nox esset, domum revertuntur. In tota autem illa[k] yeme stetit imperator Papie cum militibus, quos episcopi et alii principes Lombardie sibi tribuerant, et cum[l] paucis Theotonicis. Oct. 28.

Dominica[m] autem prima quadragesime, que fuit anno ab[n] incarnatione Domini[n] 1161 duodecimo die[o] mensis Martii[o], inditione nona, et in qua fuit tunc festum[p] sancti Gregorii, venerat militia Placentinorum in Laudesanam et se occultaverat[q] in quodam nemore, quod dicitur in Bulchegnano[r] prope Meregnanum[s, 14], ut Laudenses caperent, si quos invenirent. E contrario vero Laudenses precedenti nocte equitaverant versus easdem partes, ut Placentinos offenderent, si quos invenissent[t] in Laudesana[u]. Et cum ipsi quoque in predicto nemore se deberent occultare, in primo diei ortu[v] viderunt Placentinos in nemore latitantes. Placentini[w] quoque cernentes Laudenses inhermes adhuc[x], utpote huius latitationis ignaros, velociter bene armati super eos currunt. Qui[y] improvidi huius rei et sine dextrariis[z] et absque armis venientes[*], non valentes[*] Placentinorum multitudini resistere, in fugam convertuntur[a], et ex eis multi capiuntur. Inter quos fuit Ogerius[b] de Villa, Oldratus Mundilianus[c], Petratius[d] de Pusterla, Gualterius de Richo[e], Oliverius et[f] Iacobus et Zerlus[g] de Abonis, Castellus de Cuzego[h], Maldotus[i] de Vignate, Mussus[k] Circamuolus[k], 1161. Mart. 12.

a) magisque 4. 5 *pro* et — magis. b) Et dum 4. 5. b*) *deest* 2. c) tunc *add.* 2. d) detruncavit 4. 5. e) sti 1; *deest* 2; istius 4. 5. f) ad *add.* 2; iuxta *add.* 4. 5. g) concurrere 2; cucurrere 4. 5. h) in villa 2. i) *deest* 2. k) adue 4; adhuc 5. l) non 1, 2; nundum 4. 5. m) plus de 4. 5. n) intra 4. 5. o) prosternaverunt 4. 5. p) atque 4. 5. q) Enxago 2. r) *deest* 2. s) prorumpentibus 4. 5. t) quod 4. 5. u) unanimiter — Laudenses *desunt* 2. v) cum essent 2; fuerant 4. 5. w) vertunt 2. x) Ubi 2; Ibique 4. 5. y) fuerunt 4. 5. z) Buardus 1. *) Cremonenses 4. 5. a) processerant 4. 5. b) persequebantur 4. 5. c) Ripalde 4. 5. d) revolutis habenis 4. 5. e) *deest* 4. 5. f) enim acies 4. 5. g) formidans 4. 5. h) vero 4. 5. i) forêt 4. 5. k) et in ea tota 4. 5. l) *deest* 4. 5. m) Preterea in prima dominica 4. 5. n) ab — Domini *desunt* 2. o) autem *add.* 2. p) festivitas 4. 5. q) occultaverant 4. 5. r) Butognano et 2; Bulchignano 4. 5. s) Marguanum 4. 5. t) invenirent 4. 5. u) Lodesana 2; Laudezana 4. v) octo 2. w) Tunc videntes 2 *pro* Placentini — cernentes. x) ad hoc 2. y) Quibus improvidis 4. 5. z) dextreriis 2; destrariis 4; destreriis 5. *) venientibus non valentibus 4. 5. a) in fugam sunt promoti 4. 5. b) Ugerius 2; Egerius 4. 5. c) Mondalianus 2; Mondalmus 4. 5. d) Petrucius 2. e) Riccho 2; Rico 4. 5. f) *deest* 2. 4. 5. g) Zerbus 2; Gerlus 4. 5. h) Enxago 2; Cuzigo 4. 5. i) Maldottus 4. 5. k) *deest* 1. 2.

11) immo quinto. 12) Dovera a Crema ad occidentem. 13) Rivolta a Mediolano ad orientem, in sinistra Adduae ripa. 14) Melegnanello a Laude nova inter orientem et meridiem.

1161 Mart. 12. Otto Medius-parens[a], Vivianus de Vaveri[b], Albertus Bardonus[c], Anselmus de Conello[d], Mussus Garbanus, Zanucillus[e] de Guasco; et de servitoribus communis de[f] Laude fuerunt capti Gratianus Bonus, Iohannes[g] qui dicitur[h] de la[i] Turre, Gufredus Aravitus[k] et quam plures alii; Albertus vero de Sexto[l] fuit ibi occisus. Ex Placentinis autem duo a[m] Laudensibus[m] capiuntur[n], Ubertus scilicet[o], qui dicitur[p] de la Porta et quidam[q] alius, et quinque ipsorum equi.

Mart. 17. Deinde[r] sequenti die Veneris, que[s] fuit 17. die[t] predicti mensis Marcii, proficiscuntur Mediolanenses, obsidere castrum de Castelione[u, 15], quod est in comitatu Sepriensi, cum manganis et pretheriis et gattis, ipsumque graviter[v] expugnare ceperunt[w]. E converso hii, qui erant[x] in castro, se pro posse muniunt[y], suos hedifficantes manganos[z] et cum optimis balistis sepe sagittantes ac Mediolanenses multotiens ex inproviso aggredientes, multos sauciant plerosque[*] occidunt et[a] quosdam[b] capiunt. Postremum autem[c] non valentes resistere[d], intra castrum se reducunt. Denique Mediolanenses[d] usque ad murum castri gattum deducentes[e], adeo coartant[f] eos, quod ipsi non poterant accedere ad aquam, que erat extra castrum, nec intra castrum quicquam aque habebant. Quocirca ipsi[g] opidarii[h] ad maximam necessitatem[i], aqua deficiente, deducti sunt. Gattum tamen Mediolanensium summa vi[k] incendunt, multosque ex hiis, qui erant intus, capiunt et[k] alios detruncant. Legatos deinde ad imperatorem nocte[l] mittunt, qui ea, que geruntur ad castrum, sibi denuncient, ab eo auxilium subitum implorando.

Apr. 11. Imperator igitur ut hec audivit, Laude venit[m] die Martis sancti et ibi maximum colligens exercitum ex[n] Parmensibus et illis[o] de Regio, Cremonensibus quoque ac Pergamensibus[p] et hiis de Vercellis et de[k] Novaria et de[k] Papia, ex[q] ducibus[r] etiam et marchionibus atque comitibus aliisque principibus[r], ad castri auxilium ire[s] disposuit. Quod[t] Mediolanenses intelligentes, quia[u] putabant, quod imperator parvum exercitum congregasset, factum imperatoris parvi pendere ceperunt, palam[v] in contione dicentes[w], se ab obsidione castri non discessuros propter[x] imperatorem nec eius[y] exercitum, quem posset de Lom-
Apr. 14. bardis colligere, donec ipsum castrum[z] caperent. Die[*] vero Veneris sancti cum predicto[a] exercitu, qui[b] supra Lambrum castra metatus fuerat, inclitus imperator etiam[c] cum comite de Barcellona[d, 16], qui ad ipsum venerat cum 60[e] militibus, ad prefati[f] castri tendit auxilium. Cum autem Mediolanenses hoc[g] pro certo cognovissent; scientes, imperatorem esse[h] tam robusti animi, quod nullatenus dimitteret, quin prelii fortunam cum
Apr. 15. ipsis experiretur, metu maximo compulsi, reversi sunt Mediolanum[i] die sabbati sancti[k], relictis apud castrum manganis et pretheriis atque gattis aliisque eorum machinis[l] igne
Apr. 16. combustis. In[m] die autem[b] pasce maioris, Cremonensibus aliisque militibus multis, qui cum imperatore iverant, Laude reversis, in sero magna pars porte imperialis usque ad ipsam[b] portam combusta est per[n] scutiferum cuiusdam milites Cremonensis[o], qui[p] non sapienter in quadam domo portabat ignem.

Mart. Eodem[q] mense Martii[r] fuit inceptum palatium christianissimi Frederici imperatoris in civitate[s] Laude prope monasterium sancti Iohannis supra[t] costam fluminis Adue.

Apr. 4. Post hec vero[u] die Martis, que fuit quarto die sequentis mensis Aprilis in festo[v] sancti Ambrosii, Placentini equites, qui venerant usque ad Sanctam Mariam[17], que dicitur in

a) Medius parente 4. 5. b) Vavri 4. 5. c) Barbonus 4. 5. d) Corello 2. e) Zamuillus 2; Zanucellus 4. 5. f) *deest* 2. 4. 5. g) Ponitannes 2 *pro* Bonus, Iohannes. h) q. d. *desunt* 4. 5. i) della 4. 5. k) Guffredus Aramtus 2; Gofredus Atonitus 4. 5. l) Sesto 4. 5. m) *deest* 2. n) capti sunt 2. o) *deest* 2. p) q. d. *desunt* 2. 4. 5. q) unus 2. r) Denique 1; Deinde 2. 4. 5. s) qui 4. 5. t) *deest* 1. u) Castillione 2; Castilione 4. 5. v) fortiter 4. 5. w) expugnant 4. 5 *pro* exp. ceperunt. x) fuerant 4. 5. y) minuunt 4. 5. z) maganos 1. *) pluresque 2. a) *deest* 4. 5. b) alios 4. 5. c) Et postremum 4. 5. d) resistere — Mediolanenses *desunt* 2; enim *add.* 4. e) reducentes 1. 2. f) coarctant 2; coartantur 4. 5. g) *deest* 4. 5. h) oppidani 2; oppida 4. 5. i) in *add.* 4. 5. k) *deest* 4. 5. l) noctu 4. 5. m) in *add.* 4. 5. n) et 4. 5. o) his 4. 5. p) ac Pergamensibus ac Cremonensibus 4. 5. q) et 2; *deest* 4. 5. r) ducum — marchionum — comitum aliorumque principum 4. 5. s) ut 4. 5. t) Et 4. 5. u) quod 4. 5. v) quoque *add.* 4. 5. w) dicente 4. 5. x) per 4. 5. y) nec per illum 4. 5. z) *deest* 4. 5. *) In die 4. 5. a) dicto 2. b) *deest* 4. 5. c) et 2. 4. d) Barollona 2, Barcellona 4. 5. e) quinquaginta 4. 5. f) predicti 5. g) *deest* 2; hec 4. h) fore 4. 5. i) in *add.* 4. 5. k) *deest* 2. l) et *add.* 4. 5. m) Et in 4. 5. n) quemdam *add.* 4. 5. o) Cremone 4. 5. p) que 4. q) Et in ipso eodem 4. 5. r) Madii 4. 5. s) in civ. *desunt* 1. 2. t) supra 1; super 2. 4. 5. u) in *add.* 4. 5. v) festivitate 4. 5.

15) Castiglione a Varisio ad meridiem. 16) Raimundo. 17) Santa Maria a Laude ad meridiem, a S. Angiolo ad orientem.

1161. Apr. 4. Strata, prope fossatum oltum[a] causa depredandi, ex[b] Laudensibus eis[c] occurrentibus ceperunt Trincafoliam[d] de la Pusterla, qui[e] tunc erat[f] potestas Laudensis, et Ugonem de la Pusterla[e] et Iohannem de Overgnaca[g] et tres alios. Laudenses vero quendam nobilem militem de Placentia, qui vocabatur Iacobus Vicedominus, interfecerunt.

Interim[h] gens Theotonica, maxime fremens, quod imperator adeo[b] cum paucis Theotonicis relictus erat[i] in Lombardia, quod plenarie non valebat expugnare Mediolanum, ad eius auxilium obnixe[k] se preparavit[l]. Inter quos fuit lantgravius[m. 18], cognatus[n. 19] imperatoris, et Conradus comes pallatinus de Reno, frater imperatoris, atque Fredericus, filius[o] condam regis Conradi, qui fuit patruus imperatoris, dux de Rottemburgo[p]; qui duxerat[q] secum ultra sexcentos[r] milites bene armatos. Raynaldus quoque, canzellarius et tunc electus archiepiscopus Colonie, duxit secum ultra quingentos milites. Filius quoque regis Boemie[20] una cum duce Boemie[21], patruo suo, ultra trecentos equites[s] secum duxerunt[t]. Alii etiam[u] multi episcopi, marchiones, comites et alii nobiles[v] in Lombardiam ad imperatoris auxilium veniunt[w].

Mai. 29. Imperator itaque in die Lune, que fuit tertio[22] Kalendas[x] sequentis mensis Iunii in festivitate[y] sancti Maximini[z], cum predictis[*] principibus et maxima multitudine[a] Lombardorum supra Mediolanum tendit ob[b] eorum segetes devastandas. Et devastaverunt ipsas segetes usque ad Sanctum Caremalum[c], et ad ecclesiam Omnium sanctorum, que est in capite broyli, et ecclesiam sancti Barnabe et etiam monasterium sancti Dyonisii. Fixeruntque castra ea die a Cassina Guazine de Aliate usque ad Morcengiam[d. 23]; Mai. 30. ibique per biduum stantes, omnes segetes ex ea parte[e] Mediolani devastaverunt.

Mai. 31. In sequenti vero die Mercurii castra metantes[f] apud[g] Sanctum Dyonisium hospitati sunt. Et tunc Mediolanensibus ab illa[h] parte armatis exeuntibus, magnoque prelio[i] cum Papiensibus aliisque Lombardis incepto[i], captus est quidam nobilis Mediolanensis, qui vocabatur Adam de Palatio[k]. Quem[l] statim fecit imperator, videntibus Mediolanensibus, suspendi. Aliquibus vero[m] utrinque captis et aliis vulneratis, quibusdam quoque[n] mortuis, prelium est diruptum[o].

Iun. 1. Item sequenti die Iovis Mediolanenses[p] usque ad castra pergunt. Quibus Papiensibus aliisque Lombardis acriter obstantibus, post magnam inter eos pugnam commissam[n], tandem ipsi[p] Mediolanenses, utpote pauciores, usque ad fossatum violenter expulsi[q] sunt. Ex eis aliqui capiuntur, alii morti donantur magnaque pars vulneratur, alii vero in fossatum corruentes[r] necantur, ceteris[s] intra[t] propugnacula[u] receptis. Ex parte[v] quoque Papiensium aliorumque Lombardorum, qui fuerunt ad prelium, alii capti, plerique vulnerati, alii[w] etiam mortui sunt. Theothonici[x] vero, timentes preceptum imperatoris, qui preceperat, ne quis prelium cum Mediolanensibus inciperet, ad prefatum[y] prelium non accesserunt.

Imperator vero[z], inde discedens, ad portam Cumacinam[*] et portam Vercellinam cum exercitu suo[a] consedit. At Mediolanenses denuo belli fortunam temptantes, cum exercitu imperatoris prelium incipiunt. Multi ibi[a] utrinque[b] sauciantur, gladiis res geritur, maxima vi certatur, alii confodiuntur[c], plerique[d] de equis dehiciuntur, alii vero[a] neci traduntur[d] Postremo tamen[e] Mediolanenses, qui civitatem exiverant, non valentes resistere tante multitudini, intra portam repelluntur; alii in vallum precipitantur, ut solet[f] in angustis

a) album 2; fossatellum 4. 5. b) *deest* 4. 5. c) eius 4. 5. d) Trincafolium 2; Trichafoliam qui (que 5) dicitur della 4. 5. e) qui — Posterla *desunt* 4. 5. f) esset 2. g) Overgnate 2; Overgnagha 4. 5. h) Interea 4. 5. i) fuerat 4. 5. k) abire 4. 5. l) preparant 4. 5. m) lantgravus 4. 5. n) cugnatus 4. 5. o) frater 2, *ubi deest* condam. p) Rotoburgo 1; Rotemburgo 2; Rottemburgo 4. 5. q) duxerunt 1; duxerat 2. 4. 5. r) sexcentum 2. s) viros 5. t) duxit 2; duxere 4. 5. u) Aliique 4. 5. v) et principes *add.* 4. 5. w) venerunt 2. x) Septembris *add.* 4. 5. y) festo 2. z) Maximi 2; Maximiani 4. 5. *) dictis 2. a) quantitate 2; magna copia 4. 5. b) ad 2. c) Ceremolum 2. d) Morsengiam 2; Morzengiam 4. 5. e) ac partem 2 *pro* ex ea parte. f) castra mutantes 4. 5. g) ad 2. h) Mediolanenses ab alia — armati exeuntes 2. i) magnum prelium — incoeperunt et 2. k) Palatino 4. 5. l) eumque 4. 5. m) Al. vero *desunt* 2; et aliquibus 4. 5. n) *deest* 2. o) dirumpitur 4. 5. p) *deest* 4. 5. q) expincti 4. 5. r) currentes 2. s) cunctis 4. 5. t) inter 1. 2. u) pugnacula 1. v) dictorum *add.* 2. w) aliqui 4 5. x) Teutonicis imperatoris preceptum timentibus, non accedentibus ad bellum, preceperat eis ne quis cum Mediolanensibus prelium inciperet 4. 5 *pro* Theotonici — accesserunt. y) *deest* 2. z) Preterea imperator 4. 5. *) Cumacinam *deest* 1; Cumacinam et portam *desunt* 2. a) *deest* 4. 5. b) utriusque partis 2. c) alii *add.* 4. 5. d) plerique — traduntur *desunt* 2. e) inde 2. f) assolet 4. 5.

18) Ludewicus II comes provincialis Thuringiae. 19) sororis maritus, Ital. *cognato;* duxerat enim Iuttam, sororem Friderici I imp. 20) Fridericus, filius Wladislai I regis. 21) Theobaldo. 22) immo quarto. 23) Morsenchio a Mediolano ad orientem.

1161. Iun. 1. locis[a], dum omnes properent[b] invicem sibi nocere[c]. Deinde imperator circa Mediolanum usque ad portam Ticinensem proficiscens, totas segetes devastavit, vites et arbores succidit; et circa Mediolanum fere per decem dies se revolvens, omnia que circa Mediolanum erant devastavit. Denique a civitate secedens[d], blavas[e], vites et arbores ac loca, per decem et etiam[e*] per[e*] quindecim milliaria a civitate distancia, dissipando, cum omni suo exercitu Comazum[24] et Cornelianum[25], quod dicitur Bertari revertitur. Ibique pene toto exercitu Theotonicorum relicto, Cremonensibus et Papiensibus aliisque Lombardis licentiam domum redeundi concessit; et[e*] cum paucis suis principibus Laude venit[f] ad concilium, a domno tertio Victore papa ibi[g] constitutum. Venitque Laude ipse domnus papa[g] die sab-
Iun. 17. bati, que fuit 17. die mensis Iunii.

Iun. 19. Sequenti vero die, in quo fuit festum[h] sanctorum Gervasii et Protasii, inceptum est sacrum concilium, quod a principio Papie deinde Cremone fieri dispositum fuerat, postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate imperatoris Laude est celebratum. In quo domnus imperator cum suis principibus et dux Boemie et domnus Pellegrinus Aquilegiensis patriarcha et domnus Guido electus Ravenne archiepiscopus et domnus Raynaldus electus archiepiscopus Colonie[i] et domnus archiepiscopus[i] Treverensis[k, 26] et domnus Vianensis[l] archiepiscopus[27] et[m] multi episcopi et magna copia priorum, abbatum, prepositorum aliorumque clericorum, qui venerunt[n] ad synodum seu concilium, unanimiter confirmaverunt[o] electionem et illam confirmationem, que in preterito anno Papie iam facta fuerat de ipso domno[p] papa Victore. Fuerunt autem[q] in ipso concilio recitate littere excusatorie regis Datie[28] et regis Norvegie[r] et regis Ungarie et regis[s] Boemie et rex archiepiscoporum et viginti episcoporum multorumque abbatum, tam Claravallensium[t] quam aliarum congregationum atque prepositorum. In quibus omnibus litteris continebatur[u], ipsos reges cum universis eorum provinciis et predictos archiepiscopos, episcopos[v], abbates et prepositos velle se tenere prefatum domnum Victorem pro papa et domino et se velle ratum habere hoc totum, quod domnus Victor statuerit[w] in ipso concilio cum aliis ibi presentibus.

Iun. 22. In[x] ipso etiam concilio fuerunt excommunicati[x] domnus Ubertus[y] Mediolanensis, archiepiscopus una cum consulibus Mediolani et[z] omnes eorum consiliarii[z] et episcopus Placentinus[29] et episcopus[v] Brixiensis[30], et Placentie et Brixie consules omnesque ipsorum consiliarii, ac etiam[v] omnes illi, qui interfecerunt[*] Maguntinum archiepiscopum[31], et qui in eius morte consenserunt, et episcopus Bononiensis[32] et[v] ...... depositi[a] fuerunt irrecuperabiliter. Episcopus vero Paduanus[33] et[v] episcopus ...... usque ad Kalendas Augusti termino eis dato, ab officio suspenduntur. Et hec acta sunt in die Iovis, cum concilium usque ad ipsam diem perdurasset, in qua[b] die[v] fuit tunc festum[c] sancti Iacobi Alphei.

Iun. 23 —24. Finito denique[d] concilio, domnus Vercellensis episcopus[34] una cum multis aliis episcopis, Papiam tendere volentes, a potestatibus Laude postulant, ut[e] secum Laudenses mittant[e] milites, ut[f] securius incedere valeant. Quibus ad episcoporum placitum a potestatibus missis, cum iam per decem miliaria equitassent versus Papiam, apparuerunt eis viginti[g] quatuor milites Mediolanensium. Post[h] quos currere ceperunt. Mediolanenses vero putantes, quod Laudenses, qui non erant nisi viginti duo, satis plures essent, terga subito vertunt, ad nemora fugientes, et Laudensibus eos cum magno clamore persequentibus, de equis se deiciunt[i], ut in nemore se occultent, et ab oculis Laudensium, qui adhuc longe distabant, penitus disparuerunt. Laudenses vero ad nemus pervenientes, de equis descendunt et Mediolanenses inter frondes[k] querunt. Postremo[l] novem de equis ipsorum

a) fieri *add.* 2. b) properant 2; prepararent 4. 5. c) officientes 4. 5 d) recedens blada 2. e) et *add.* 4. 5. e*) *deest* 4. 5. f) veniens 4. 5. g) ibi — papa *deest* 2. h) tunc festivitas 4. 5. i) Colonie — archiepiscopus *desunt* 1. 2. k) Traverensis 1; Travariensis 2; Treveneriensis 4. 5. l) Viavensis 2. m) una cum plus de ..... episcopis 4. 5 *pro* et multi episcopi. n) venerant 4. 5. o) confirmationem approbaverunt 2 *pro* confirmaverunt — confirmationem. p) *deest* 4. 5. q) Fueruntque 4. 5. r) Novegie 1; Norvegie 2; Norguegie 4. 5. s) regis quoque 4. 5. t) Clarae Vallensis 2. u) reponebant 4. 5. v) *deest* 4. 5. w) statuit 2. x) Fuerunt alii in ipso concilio excommunicati, id est 4. 5 *pro* In — excommunicati (examinati 2). y) de Pirovano *add.* 2. z) et — consiliarii *desunt* 1. 2. *) interfecerant 4. 5. a) positi 1. b) quo 4. 5. c) festivitas 4. 5. d) quoque 4. 5. e) *deest* 2. f) quo 4. 5. g) et *add.* 4. 5. h) et ceperunt post eos currere 4. 5. i) deiecerunt 2. k) interficiendos 2; per frondes 4. 5. l) Postremo quoque 4; Postremoque 5.

24) Comazzo ad Adduam fl., a Mediolano ad orientem. 25) Cornegliano ad Adduam fl., a Mediolano ad orientem. 26) Hillinus archiep Treverensis. 27) Stephanus archiep. Viennensis. 28) Waldemari I. 29) Hugo. 30) Raimundus. 31) Arnoldum. 32) Gerardus. 33) Iohannes. 34) Ugutio.

inveniunt et quatuor Mediolanenses captos in carcerem Laude ducunt[a], videlicet Flamengum 1161 Iun. de Herminulfis[b] et Sicardum de Corezo[c] et Ottonem Faroldum de Mulinaxo[d].

In sequenti vero die dominico[e], in quo fuit festum[f] sanctorum Prosperi et Severe virginis, Iun. 25 cepit domnus imperator rocham, que dicitur de Cornu[g][35], cum pluribus[h] centum hominibus, qui erant intus inter rusticos et[i] cives Mediolani. Unicuique eorum[36] fecit truncare manus[k], decem septem aliorum. Reliquos[i], tota[l] rocha exarsa et dissipata, fecit in carcerem detrudi.

Sequenti etiam mense Iulio cepit comes Gozolinus[m] Theotonicus, et quem imperator Iul. preposuerat[n] illis de Seprio[o] et de Martesana, castrum de Blandrono[p][37], et omnibus dimissis, quos intus invenit, totum ipsum[q] castrum[q] combussit[r] et omnino[q] destruxit.

Postea[s] quoque die Lune, que fuit septimo die sequentis mensis Augusti, ceperunt Aug. 7 Placentini 14 milites Laudenses in Runchalia[t], videlicet Maxgotum[u] et Guillelmum[v] de Abonis et Guilielmum de Fuxiraga[w] et Bregundium[x] filium Oldrati Morene, et decem alios.

Ipso[y] eodem die, cum imperator inclitus cum suo dumtaxat Theotonicorum exercitu et Boemensium[z] prope locum, qui dicitur Cerrum[*][38], hospitatus esset[a], Mediolanenses ad lantegravum[b] et ducem Boemie et ad[c] palatinum comitem fratrem imperatoris legatos[d] mittunt denuntiantes, Mediolani consules velle cum ipsis principibus colloquium habere. Et sic utrinque fide data invicem, consules Mediolanenses nichil molesti timentes[e], dum ad prefatum colloquium[f] veniunt, milites canzellarii, colloquii statuti et fidei date ignari, consulibus[g] occurrentes, prope monasterium de Bagnolo[h][39] eos ceperunt. Milites autem Mediolani[i] putantes, consules suos esse proditos[k], post[l] milites canzellarii pro suis consulibus recuperandis velociter currunt, preliumque inter eos inceptum est. Quibus sic dimicantibus, predicti[m] lantegravus et dux Boemie atque comes pallatinus de Reno audientes, consules esse captos quibus fidem tribuerant, non modice indignati, canzellarium huius rei ignarum, qui adhuc erat in castris, proposuerunt[n] interficere. Quod canzellarius audiens, ad imperatorem subito proficiscitur et, quomodo[o] se inscio consules Mediolani[p] a suis militibus capti fuerant[q], asseverat. Imperator itaque[r] predictis principibus imperat[s], ne quid molesti contra canzellarium presumant. Postmodum[t] ipse imperator cum suis et ducis Frederici de Rottemburgo aliorumque principum militibus ad prelium currit. Dux[u] vero Boemie et lantegravus propter iram et indignationem ipsum[v] imperatorem secuti non sunt. Cum prope prelium venisset imperator, precepit duci de Rotumburgo, ut a montis[w] parte via[x] per campos[y] cum suis curreret et[z] hostes a latere invaderet; et quibusdam aliis principibus precepit[*], ut ab alio latere[a] per campos cum vexillis currerent, hostes[b] intrepide[c] aggressuri. Ipse vero per viam, in qua bellum fiebat fortissimum, prope locum ubi dicitur ad cassinam[40] Guazine[d] de Aliate[41] cum suis hostes invadere disposuit. Quibus omnibus sic secutis ut statuerat, Mediolanenses ex transverso ab utroque latere videntes properare Theotonicos et se non posse ipsis resistere cognoscentes, quia maxima pars militum[e] et peditum Mediolani detinebatur intra[f] portas a consulibus et ab aliis sapientibus civitatis quod exire non[g] dimittebantur[f], versus civitatem fugiunt. Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad portam fossati et ex eis octoaginta[h] milites et ducentos

a) duxerunt 4. 5. b) Erminulfis 4. 5. c) Concorezo 4. 5. d) Othonem de Faroldis de Mulinaxo etc. 2; Ottonem Faroldum et ...... de Mulinaro 4. 5. e) *deest* 2. f) festivitas 4. 5. g) Corva 4. 5. h) plus de 4. 5. i) et alios; quos 1 (quos 2) *pro* et — Reliquos, *quae verba recepi ex* 4. 5. k) *quaedam excidisse videntur.* l) ita 4. 5. m) Gazolinus 2. n) proposuerat 2. 4. 5. o) Sepro 4. 5. p) Blandrone 2; Blandron 4. 5. q) *deest* 4. 5. r) exarsit 4. 5. s) Preterea 4. 5. t) in Runchalia *desunt* 1. 2. u) Margotum 2; Maxigotum 4. 5. v) Gruelam 2. w) Fissiraga 2. 5; Fixiraga 4. x) Vergondium 2; Bregondium 4. 5. y) Et ipso 4. 5. z) Boemicorum 4. 5. *) Cirus 4. 5. a) foret 4. 5. b) lantgravium 2. c) *deest* 4. 5. d) legatum 2. e) metuentes 4. 5. f) ad prefatos principes 4. 5. g) consules 4. 5. h) Lugnolo 4. 5. i) Modiolani 1. k) perditos 2. 4. 5. l) postea 4. 5. m) *deest* 1. 2. n) proponunt 2. o) quo gesta fuerunt ipsi aperiens et 4. 5 *pro* quomodo. p) *deest* 4. 5. q) captos fuisse 4. 5. r) *deest* 1. 2. s) *deest* 2. t) et 4. 5 *pro* Postmodum — imperator. u) duce — lantegravvo — non sequentibus 4. 5. v) *deest* 4. 5. w) monti 4. 5. x) vie 4. 5. y) ipsos 2; campum 4. 5. z) et — invaderet *desunt* 2. *) precepit ut *desunt* 2. a) similiter *add.* 2. b) ex duabus partibus alacriter et *add.* 2. c) *deest* 4. 5. d) Grazive 2. e) equitum 2, *ubi deest* et peditum. f) intra — dimittebantur *desunt* 2. g) *deest* 1. h) ex ipsis triginta 2.

35) Corno vecchio a Placentia inter orientem et septemtrionem, a Pizzighettone ad meridiem. 36) civium Mediolanensium. 37) Biandrone a Varisio ad occidentem, in occidentali lacus Varisiani ripa. 38) Cerro ad Lambrum fl., a Laude ad occidentem, a Melegnano ad meridiem. 39) Bagnolo a Mediolano inter orientem et meridiem. 40) casam, Ital. *casina*. 41) In Annalibus Med. maior. 1161 locus „Cassinum Thome" vocatur, proeliumque ad diem 8. Augusti refertur supra pag. 372.

1161. Aug. 7. sexaginta sex pedites cepit. Quos omnes postea Laude in carcerem detrusit[a]. Plures vero[b]
milites et pedites cum gladio tum[c] in fossato[d] precipitando interfecit. Et super[e] pontem
fossati, dum acriter imperator inter hostes preliaretur, equus eius ibi confoditur et ipse
aliquantulum vulneratur[f]. Tandem[g] Mediolanenses intra portas[h] se recipiunt et ipsorum
quam plures[i] in ecclesiam sancti Laurentii[k] confugiunt, non audentes[l] ad pontem[m] accedere;
et in ipsa ecclesia, tum quia nox fere erat, tum etiam quia non poterant expugnari
nisi per hostium ecclesie, viriliter se defendentes, illesi permanserunt. Imperator igitur
cum suis militibus[n] ad castra cum ingenti gaudio revertitur.

Aug. 9. Sequenti vero[o] die Mercurii prope Sanctum Donatum[42] castra metatus est, segetes
Aug. 12. Mediolanensium cottidie devastans. Deinde proximo die sabbati, prelio commisso[p] inter
Theotonicos et Mediolanenses ante portam Mediolani, tres milites Mediolani interfecti
sunt, scilicet Cazaguerra de Sorresina[q] et filius Guarnerii Grassi et quidam alius.

Aug. 14. Sequenti vero die Lune imperator in broylo non multum longe a fossato Mediolani a
porta Ticinensi usque ad portam Lenzam[r, 43] castra collocari precepit. Deinde omni die[s]
Mediolanensium segetes depopulans, civitatem circuibat[t]; et si quos de Mediolanensibus,
qui pro lignis accipiendis exibant civitatem[u], capiebant illi de exercitu imperatoris[t], manum
cuique ipsorum detruncari precipiebat, ut[u] tam pauperes quam divites terreret[v], ne civitatem
egrederentur. Et sic quasi omnes Mediolanensium segetes et vineas atque arbores[w]
Sept. devastans[x], fere omnem vivendi spem abstulit eis. Et Papiam postea[y] reversus est.

## ACERBI MORENAE CONTINUATIO.

Peritissimus autem[z] imperator, considerans, se plenarie inhibere[*] non posse Mediolanensibus, quin a Placentia et Brixia mercatum victualium haberent, si Papie moraretur, statuit yemare Laude cum Beatrice serenissima[a] coniuge sua et cum filio ducis Guelfi[44] et cum duce[b] Frederico de Rotemburgo[c] consobrino suo et cum[d] comite Redulfo[e] de Lindo[f] et episcopo Pavinbergi[g, 45] et cum aliis paucis principibus. Nam landegravo[h], qui duxerat[i] secum quingentos milites, et fere omnibus militibus canzellarii, qui fuerant similiter plures quam quingenti, et militibus ducis Boemie licentiam domum redeundi concesserat. Conradum vero palatinum comitem de Reno fratrem suum et Guillelmum marchionem[k] de Monteferato[l] atque Guidonem comitem de Blandrate castrum de Mombrione[46] munire ipsumque custodire cum[m] ipsorum militibus precepit. Circa ecclesiam quoque[n] de Ripalta-Siccha[o, 47] magna propugnacula fossatorum aliarumque machinarum ad defensionem utilium fecit fieri; relictis ibi quibusdam suis militibus, qui ea die noctuque[p] custodirent. Comitem vero Marcoardum[q] de Grumbac[r] posuit cum aliquibus militibus in castro de Sancto Gervasio[48], quod est prope Trezum[s]; ut, sic undique viis quasi obclusis, non auderent[t] Mediolanenses mercatum ducere a Brixia vel a[k] Placentia, neque Brixienses vel[u] Placentini, amicissimi Mediolanensium et hostes imperii, quicquam victualium auderent ipsis Mediolanensibus afferre[v].

Dec. Proximo vero mense[w] Decembris, dum imperator esset[x] Cremone, venit serenissima[y] imperatrix[z] Papia Laude. Et infra proximos tres dies venerunt ultra quingentos milites Mediolani, ut Laudenses invaderent. Quorum parte plurima[a] latitante in nemore, quod[b] dicitur sancti Iohannis, quasi centum de ipsis usque ad lavanderium de Pulegnano[c], quod

a) detrusit 1. b) Plerosque etiam 4. 5. c) *deest* 1. 2. d) inter fossata 4. 5. e) supra 4. 5. f) vulneratus est 4. 5. g) tamen *add.* 4. 5. h) portam 2. i) magna pars 4. 5. k) *deest* 4. 5. l) valentes 4. 5. m) portam 2. n) *deest* 2. o) et sequenti 4. 5. p) omisso 4. 5. q) Cacciaguerra de Sorocina 2; Sorezino 4. r) Rentiam 2; Arienzam 4. 5. s) in unoquoque die 4. 5. t) capere poterat 4. 5 *pro* circuibat — imperatoris. u) eos *add.* 4. 5. v) timerent nec 2. w) arboresque 4. 5. x) devastavit et 4. 5. y) *deest* 4. 5. z) ibi 4. 5. *) nocere 4. 5. a) *deest* 4. 5. b) *deest* 1. 2. c) Rutemburgo 1; Rotemburgo 2. 4; Rotembergo 5. d) *deest* 1. e) Rodulpho 2. f) Lando 2; Luido 4. 5. g) Parvilengi 2. h) lantgravio 2; lanterguo 4. 5. i) conduxerat 2. k) *deest* 2. l) Monferato 4. 5. m) *deest* 4. 5. n) *deest* 1. 2. o) Ripalta cricam magnam 1; Ripalta magna 2; Ripalta-Siccha magna 4. 5. p) die et nocte 1. q) Marcoaldum 2; Maridardum 4. 5. r) Gambac 1; Gambarama 2; Grumbac 4. 5. s) Tricium 2. t) accederent 5. u) neque 4. 5. v) deferre 2. w) mensis 2. x) foret 4. 5. y) *deest* 2. z) a *add.* 2. *) quingenti 2. a) Et maxima parte ipsorum 4. 5. b) qui 4. 5. c) Pulignano 4. 5.

42) San Donato media fere via inter Mediolanum et Meleguanum. 43) Orientalem. 44) Welfo VII. 45) Eberhardo II. 46) Hoc castrum fuisse inter Papiam et Cremonam prope Lambrum fl., intelligimus ex Notis S. Georgii Med. 1212 supra p. 388. 47) Rivolta v. supra p. 629, n. 13. 48) S. Gervasio in sinistra Adduae ripa, a Trezzo ad septemtrionem.

1161 Dec. non[a] est multum longe a civitate Laude, currentes, magnam predam levaverunt. Laudenses autem et dux de Rotomburgo cum suis militibus et milites[b], qui cum felicissima augusta venerant, aliique milites Theotonici, qui erant tunc[c] Laude, velociter egredientes, eos ita persecuti sunt, quod fere totam predam recuperaverunt, aliquibus de Mediolanensibus captis. Et eos[d] fugaverunt usque dum viderunt, Mediolanenses, qui latitaverant, in auxilium suorum occurrere[e]. Deinde vero[f] Mediolanenses, fugantes[g] Theotonicos atque Laudenses[g], fere totam predam quam[h] habuerant, iterum[h] recuperaverunt, pluresque[i] de Theotonicis ac Laudensibus capientes, unum bellicosissimum militem imperatricis[k] occiderunt. Prope vero[l] ecclesiam sancti Martini de Casatis[m] utraque[n] acies inter[o] se diu dimicavit[p], set neutra parte super alteram plenarie currere audente, utpote se invicem timentibus, prelium tandem diremptum[q] est.

Imperator vero[r] Laude hyemans, nocte[s] dieque tam Laudenses quam Theotonicos stratas[t] custodire facit[u], per quas a Brixia et a Placentia consueverant[v] victualia Mediolanensibus afferri. Et si qui mercatum aliquod Mediolanum deferre inveniebantur, dextre manus amputabantur[w] eis. Sicque perterriti[x] sunt Mediolanenses, Brixienses et Placentini — tum quia strate, per quas ire consueverant[y], a Papiensibus et ab hiis, qui morabantur apud Montembrionem[z], et a Laudensibus et equitibus imperatoris Laude habitantibus et a Marcoardo[*] assidue custodiebantur, tum etiam quia manus amputabantur hiis, qui mercatum inveniebantur deferre[a] Mediolanensibus, — quod[b] ad se invicem proficisci non[b*] audebant. Et ad tantam inopiam victualium devenerunt Mediolanenses, quod in sextario[c] salis dabant[d] solidos[e] duodecim denariorum[f] Mediolanensium novorum[g], in sextario[c] vero frumenti dabant[h] duos solidos[i] ad sextarium[k] Mediolanensem.

a) est 2a. b) reliquerat 2a. c) *sic* 4. 5; *an* iura? *v.* 1. 2; huiusmodi ...... imperatoris 2a. d) *sic scripsi pro* septem tantum 4. 5; septem 2a; *cf.* A. 1. 2. e) obroprio 4; obrobrio 5: opprobrio 2a. f) Cremonenses 2a. g) *deest* 2a. h) potius *add.* 2a. i) veteres 2a. k) quod 2a. l) macinabat 2a. m) quicunque — molendinorum *desunt* 2a. n) macinantium 2a. o) et — faciebant *desunt* 2a. p) distracta 4. 5; districta 2a. q) ipsos 2a. r) ut 4. 5, nec 2a. s) permittebant 2a. t) ipsi 2a. u) indicabant 2a. v) Sed *scripsi pro* Si 4. 5; *deest* 2a. w) *deest* 2a. x) redderetur 2a. y) districtu 2a. z) alicuius visui 4. 5; alicuius in sui 2a. *) excogitari 2a. a) tentum 4. 5; tamen 2a. b) ne 4. 5: nec 2a. c) tanquam 4; tantum 5; unquam 2a d) esset *add.* 2. e) ibique 2. f) plurimum *add.* 2. g) comprimerentur 2. h) magis 2. i) veniret 2.

82) *macinare* Italice idem quod molere valet 83) puniri. 84) iudicia.

*Codd.* B. 4. 5.

qui aliquam vindictam inde sumeret; quoniam semper imperatoris adventum [1164] quottidie expectabant, dicentes insimul: *Non credimus, hoc malum et dedecus,* [1166.] *quod*[a] *missi imperatoris nobis inferunt, ipsos ex voluntate*[a] *imperatoris facere*[b]. *Sed bene credimus, quod cum imperator venerit, sibi*[c] *displicebit et omnia mala, que nobis ingerunt, penitus removere faciet. Nec unquam sit aliquis interim*[d], *qui ante imperatoris adventum aliquod malum alicui*[e] *ingerat; sed totum pro imperatoris amore, donec venerit, in pace sustineamus.*

Interea, cum[f] hec in Longobardia sic a procuratoribus imperatoris agitarentur, et hoc malum quasi pro gravissimo morbo fere super omnes Lombardos iam adoleverat, tandem imperator cum sua nobili coniuge in millesimo centesimo sexagesimo sexto[g] anno [1166. Nov.] in mense Novembri de indictione quintadecima in Longobardia cum magno exercitu reversus, ipso exercitu in ...... relicto, Laude cum sua[h] coniuge multisque etiam suis principibus tam Teutonicorum quam Longobardorum venit[i], ibique[k] maximum colloquium Lombardorum et Theotonicorum[l] fecit[m], et ibi[i] in ipso colloquio, cum toto suo[n] exercitu Romam ire, disposuit. Itaque[o] episcopi, marchiones, comites, capitanei aliique etiam[p] proceres[q], ac[r] quam plures etiam alii[r] Longobardie homines[s], tam magni quam etiam parvi, alii cum crucibus alii sine crucibus[s] ante imperatorem venientes, de predictis[t] imperatoris[u] procuratoribus ac missis[v] valde[w] conqueruntur, et mala ab illis[x] ipsis[y] illata, sicut[z] eis facta fuerant[z], imperatori eiusque curie per ordinem[*] referunt[a]. Imperator namque[b], hec[c] audiens, multum se inde condolere[d] in principio[e] demonstravit[f]; sed tamen in fine querimonias Longobardorum quasi vilipendens ac pro nihilo habens, nihil inde fecit. Igitur[g] Longobardi hoc videntes ac maximum dolorem exinde reportantes, quasi pro mortuis se habuere; ac exinde maximum timorem mixtum cum dolore habere ceperunt, timentes etiam ac putantes, imperatoris procuratores consilio et voluntate imperatoris hoc, quod super Lombardos egerant, fecisse; insuper etiam magis timentes, ne in posterum eis deterius contingeret, quam retro adhuc contigisset[g].

Colloquio[h] itaque separato, imperator, sua coniuge Laude relicta, ad exercitum rediit. Ac post paucum tempus Laude cum toto suo exercitu revertens, deinde Papiam perrexit, atque exinde in ....... pergens, sanctissimam Domini nativitatis festivitatem celebravit[85]. [Dec. 25.] Igitur ipsa festivitate transacta, imperator Laude reversus est[86]. Ac postea in die Mercurii, [1167.] que fuit undecima mensis Ianuarii de millesimo centesimo sexagesimo septimo anno, de [Ian. 11.] indictione quintadecima, a Laude cum sua coniuge suoque exercitu omni versus Romam profectus est[h]. Cum[i] autem ad Bononie civitatem pervenisset, a Bononiensibus obsides [Febr.] petiit. At[k] illi libenter suo iussu obedientes de his, quos postulavit, plus de triginta ei cum magna etiam pecunia obtulerunt; imperator namque apud civitatem Parme eos omnes in custodiam haberi iussit. Deinde a Bononia discessit[k]. Cum vero[l] apud Imolam per- [Mart.] venisset, et ibi[m] ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, et a Faentinis[n] et ab illis de Forlivio[o] atque[p] Forlipopolo[q] multas pecunias exegit. Ibique etiam[r] circumquaque

a) permissu 2a *pro* quod — voluntate. b) fieri 2a. c) hoc *add.* 2a. d) iterum 4. 5; interim 2a. e) alteri 2a. f) Interea dum hec in Lombardia agerentur, tandem imperator cum sua nobili coniuge in 1166. anno mense Novembris indictione 15. reversus est. Et Laude veniens 1. 2 *pro* Interea cum — relicto, Laude. g) tertio 5. h) *deest* 2. i) *deest* 1. 2. k) ibi 1. 2. l) Lomb. et Theot. *desunt* 4. 5. m) habuit 1. 2. n) *deest* 2. o) Tunc vero 1. 2. p) *deest* 1. 2. q) magnates 1; proceres et magnates 2. r) ac — alii *desunt* 1. 2. s) homines — crucibus *desunt* 1. 2. t) supradictis 1. u) suis 1. 2. v) nunciis 1. 2. w) durissime 1. 2. x) eis 1. 2. y) sibi 1. 2. z) sicut — fuerant *desunt* 1. 2. *) ordine 2. a) retulerunt 1. 2. b) autem 1; vero 2. c) hoc 1. 2. d) dolere 1. 2. e) in primis 1. 2. f) monstravit 1. 2. g) Hoc autem videntes Lombardi, plurimum doluerunt, et quasi existimantes, quod de imperatoris voluntate et consilio, qui de suis querelis parum curare videbatur, tantas iniurias sibi fecissent procuratores sui, timuerunt nimis, ne sibi maiores fierent in posterum 1. 2 *pro* Igitur — contigisset (2 *addit:* deteriusque contingeret). h) Finito itaque colloquio et transacta sanctissima dominice nativitatis festivitate, imperator cum coniuge sua et cum toto suo exercitu die Mercurii 11. (16. *cod.* 2) mensis Ianuarii in 1167. anno indictione quintadecima, versus Romam profectus est 1. 2 *pro* Colloquio — profectus est. i) Qui cum Bononiam 1. 2 *pro* Cum — civitatem. k) Bononienses vero petitioni suo libenter obtemperantes, ei plures triginta obsides cum magna peccunia (cum — peccunia *desunt* 2) concesserunt; quos omnes imperator Parmam misit, mandans, eos ibi diligenter custodiri. A Bononia vero discedens 1. 2 *pro* At — discessit. l) *deest* 1. 2. m) et ibi *desunt* 1. 2. n) Faventibus 1. 2. o) Furlinio 1; Forlini 2. p) et a 1. 2 *pro* atque. q) Fornipopulo 1; Forlipopulo 2; Forpplo 4. 5. r) et ibi 1. 2.

85) „per unum miliare a Brixia in parrochia Banol“ (Bagnolo a Brixia ad meridiem), ut tradidit Vincentius Prag. 1167. supra SS. XVII, 683. 86) post d. 6. Ian. 1167. V. Vincent. Prag. l. l.

1167. Mart. Apr. 17? usque ad quadragesimam et postea[a] etiam per[b] totam quadragesimam tempus protraxit et in illis partibus fere[b] usque ad festivitatem[c] sancti Petri cum[d] suo exercitu permansit. Deinde ad civitatem Anchone[e] perveniens[f] ibique cum ipsis civibus, quia eam capere volebat, prelium commiscens, cives ipsi tamen, quia civitas ipsa natura fortis erat, tum etiam quia menibus bene munita fuerat, ipsam civitatem[f] viriliter defenderunt. Sed tamen, ut[g] in preliis sepe accidere solet[g], quam pluribus ex eis mortuis[h] et vulneratis multisque etiam captis, secum[i] fedus de magna pecunia ei tribuenda inierunt atque obsides quindecim pro solvenda ipsa pecunia imperatori tradiderunt. Sed cum imperator fere per tres
Mai. hebdomadas Anconam obsedisset multaque etiam propugnacula, ad ipsam civitatem capiendam necessaria, ibi fabricari fecisset, tandem federe cum ipsis inito discessit ac[i] versus Romam ire[k] incepit[l].

*Codd.* B. 4. 5.

Interea namque dum ea, que supra diximus, in partibus Tuscie et Romanie ab imperatore sic agitabantur, procuratores imperatoris, quos in Longobardia relinquerat, nihilominus immo etiam multo magis ultra, quam soliti fuerant, super Longobardos seviebant et multis ac diversis iniuriis eos opprimebant. Longobardi igitur sic sibi fieri cernentes ac nullus eorum nullaque etiam civitas per se vindictam inde sumere audens, cum tanta mala sibi fieri vita comite nullo modo pati poterant nec eis, ne sibi fierent, resistere audebant, tandem necessitas consilium inde reperit.

A. 1. 2.

Dum hec autem in partibus[o] Tuscie et Romanie ab imperatore agerentur, procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos iniquius solito sevientes, ipsos tantis et tam gravibus contumeliis et iniuriis affligebant, quod nullo modo sic gravati[p] se posse vivere extimabant[q].

Mediolanenses namque, cum multo magis quam alii Longobardi ita opprimerentur, quod nullo modo evadere aut vivere posse putarent, tandem cum Cremonensibus et Pergamensibus atque Brixiensibus seu[m] Mantuanis ac Ferrariensibus colloquium fecerunt. Qui omnes cum insimul coadunati fuissent ac mala et incomoda, a procuratoribus imperatoris et missis sibi illata, vicissim inter se retulissent, melius esse cum honore mori, si opporteret et aliter fieri non posset, quam turpiter et cum tanto dedecore vivere, statuerunt. Quapropter illi statim fedus omnes inter se inierunt et concordiam. Atque pactum, hoc videlicet quod unaqueque civitas adiuvaret alteram, si imperator aut eius procuratores vel missi aliquam iniuriam vel malum amplius sine ratione eis inferre vellent, firmiter inter se firmaverunt ac iureiurando, salva tamen, sicut dicebatur palam, imperatoris fidelitate, corroboraverunt. Ac certum terminum inter se statuerunt, in quo omnes, Mediolanum pergentes, ipsos Mediolanenses in ipsa Mediolani civitate ponerent, et cum eis tam diu in ipsa civitate manerent et eos ad[n] fossata ipsorum relevanda adiuvarent, quam diu ipsi Mediolanenses secure stare per se solos posse in ipsa civitate confiderent. Quo quidem sic peracto, omnes leto animo ab ipso colloquio separati sunt.

Quare Mediolanenses, qui durius aliis opprimebantur, cum Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus, Mantuanis, et Ferariensibus colloquium statuerunt. In quo cum omnes insimul essent[r] congregati et[r] mala, sibi a nuntiis imperatoris illata, ad invicem retulissent, magis cum honore mori, quam tam[r] miserabiliter vivere eligentes, hoc pactum ibidem cum iuramento inter se firmaverunt, videlicet: unaqueque civitas alteram adiuvaret, si imperator aut procuratores eius vellent[r] de cetero eis vel alicui earum aliquam malitiam inferre[s] vel eos[t] contra rationem in aliquo molestare[u], salva tamen semper[r] imperatoris omni fidelitate, quam sibi[r] per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam colloquio certum terminum statuerunt, in quo omnes Mediolanum pergerent et ipsos Mediolanenses in sua civitate ponerent et cum eis in ipsa tam diu manerent et eos[v] ad fossata eorum relevanda iuvarent[w], quam diu ipsi Mediolanenses se solos ibi manere securiter posse minime dubitarent. Quibus sic peractis, omnes ab ipso colloquio recedentes, ad suas civitates cum ingenti gaudio redierunt.

Statuto vero termino propinquante, predicte civitates, Mediolanum venientes cum vexillis et armis multis, Mediolanenses in

Appropinquante vero ipso termino, predicte civitates Mediolanum venientes cum vexillis et armis, ipsos Mediolanenses in civitate Mediolani cum magna letitia mense Aprilis introduxerunt; et eis omnia, que promiserant, impleverunt.

a) *deest* 1. 2. b) per — fere *desunt* 1. 2. c) festum 1. 2. d) cum suo exercitu *desunt* 1. 2. e) Ancone 1. 2. f) perrexit et eam capere volens fortiter expugnavit, set quia civitas ipsa fortis erat valde, et etiam bene munita, cives ipsius eam 1. 2 *pro* perveniens — civitatem. g) ut — solet *desunt* 1. 2. h) vulneratis multisque mortuis et 1. 2 *pro* mortuis — multisque. i) cum imperatore fedus inierunt; magnam sibi peccuniam promittentes, pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc vero federe inito, imperator inde recedens 1. 2 *pro* secum — discessit ac. k) *deest* 1; iter 2. l) cepit 1. 2. m) et 5. n) ad *scripsi pro* de 4. 5. o) in partibus *desunt* 2. p) gravatos 2. q) existimabant 2. r) *deest* 2. s) inferrent 2. t) eos 2. u) molestarent 2. v) *deest* 1. w) adiuvarent 2.

*Cod.* B. 4. 5.

ipsam Mediolani civitatem cum magno gaudio magnaque letitia mense Aprilis introduxere[67], et omnia, que eis promiserant, bene ac leto animo ipsis adimpleverunt. Cum autem Mediolanenses secure se ibi remanere posse putaverunt, multas gratias civitatibus a celo usque ad terram referentes, domum reverti eos omnes concesserunt. Cum vero, Cremonenses et Brixienses atque Pergamenses seu Mantuanos insimul coniuratos fore ac ipsos Mediolanenses in civitate Mediolani, quam imperator destruxerat, vi aut clam posuisse, imperatori nunciatum est, quamvis in corde ultra etiam, quam quisque ratus sit, graviter accepisset, tamen vilipendere ac pro nihilo se habere palam demonstravit.

A. 1. 2.

Quando vero Mediolanenses putaverunt, se ibi posse manere 1167.
secure, predictis civitatibus[e] maximas gratias refferentes, Apr. 27.
omnes redire domos suas concesserunt. Hec autem omnia cum ad imperatorem pervenissent, palam se habere pro nichilo et quasi de hoc non curare monstravit. Tamen hec clam graviter accipiens, doluit vehementer

*Cod.* B. 4. 5.

Interea Cremonenses legatos Laude miserunt. Qui cum Laude venissent, qui[a] consilium ac totam Laudensium credentiam insimul convocassent, in principio, sicut moris est, omnes Laudenses a parte suorum consulum deinde omnium Cremonensium salutavere. Ac postea id totum, pro quo venerant, per ordinem nuntiantes dixerunt, quatenus ipsi Laudenses cum Cremonensibus aliisque civitatibus omnibus secum coniuratis fedus, salva tamen imperatoris fidelitate, inirent; dicentes eis, quia omnes predicte civitates, si imperator vel[b] eius missi seu procuratores aliquod malum amplius eis facere vellent, omni modo et per omnia eos adiuvarent. Laudenses vero id, quod audire nunquam volebant nec putabant, audientes et in magnum dedecus maximumque dolorem ipsa verba tunc accipientes, insimul omnes una eademque voce multum vociferati sunt[c], dicentes etiam, se magis velle mori et omnia eorum bona amittere, quam hoc tale scelus perpetrare. Nullo etiam bono verbo nec quieto a Laudensibus tunc audito, tandem consilio sic direpto, Cremonenses, qui bene putabant Laudenses omnia, que vellent aut eis suggererent, procul dubio facere, mesti ac dolentes Cremonam rediere. Qui cum Cremonam venissent ac omnia, que a Laudensibus audierant, Cremonensibus per ordinem narrassent, valde omnes inde condoluerunt. Ac post parvum tempus iterum legatos Laudensibus misere, qui hoc idem similiter postulavere, quod primi postulaverant. Laudenses vero, maximo dolore commoti, acrius etiam, quam in primis fecerant, responderunt. Legati quidem hoc audientes, quamvis mesti, cito rediere domum. Postremo igitur Cremonenses multum irati ac dolentes, convocatis Mediolanensibus et Pergamensibus atque Brixiensibus seu Mantuanis, insimul colloquium fecerunt. Quibus insimul collectis, Cremonenses omnia, sicut cum Laudensibus egerant qualiterque Laudenses eis responderant, per ordinem eis narravere. Qui omnes tam acerrimam Laudensium responsionem audientes, ac quasi se nihil fecisse, si concordiam et amorem Laudensium non haberent, opinantes, et maxime propter Mediolanenses, quos alie predicte civitates iam, ut supra dictum est, in civitatem crescerant[d], et quos in ipsa civitate Mediolani sine Laudensium amore et

A. 1. 2.

Post hec vero Cremonenses ambaxatores[f] Laude miserunt. Qui cum venissent Laude et totam insimul Laudensium credentiam habuissent, rogaverunt eos ex parte Cremonensium, quod ipsi cum Cremonensibus et aliis civitatibus secum coniuratis fedus inirent, salva tamen imperatoris fidelitate, dicentes eis, quod si imperator vel eius nuntii vellent eis de cetero aliquod malum inferre, predicte civitates eos in omnibus adiuvarent. Laudenses vero id, quod nunquam audire volebant, audientes et in magnum dedecus magnumque dolorem ipsa verba tunc accipientes, inde insimul[g] omnes vociferati sunt dicentes, se magis velle mori et eorum bona omnia amittere, quam hoc tale scelus perpetrare. Et sic nullo bono verbo a Laudensibus super hoc tunc habito nec audito, Cremonenses, qui putabant, Laudenses omnia sine dubio facere, quecunque sibi suggererent, Cremonam[h] dolentes dirupto dicto consilio[h] redierunt[i]. Qui cum pervenissent Cremonam et omnia, que a Laudensibus audierant, per ordinem enarassent, omnes inde valde condoluerunt. Post parvum[k] tempus iterum Cremonenses alios ambaxatores[f] Laude miserunt, quibus hoc idem quod primi[l] sibi[m] persuadentibus, acrius, quam primis[n] responderant. Ambaxatores[f] vero talia audientes, quamvis mesti, cito[o] domum sunt reversi. Postremo igitur Cremonenses, multum inde turbati, convocatis aliis civitatibus et secum colloquium habentibus, sicut cum Laudensibus egerant et qualiter eis responderant, narraverunt. Qui omnes tam gravem Laudensium responsionem audientes, statim communicato consilio statuerunt exercitum, quam magnum poterant, facere super ipsos Laudenses.

a) *an* atque? b) vel *scripsi pro* illis 4. 5. *Cf.* 1. 2. c) vociferantes 4. 5, *cf.* 1. 2. d) crescerant 4. 5. *Saxius scripsit*: crexerant. *Fortasse* conduxerant. *P.* e) predictas civitates 2. f) ambasciatores 2. g) simul 2. h) Cremonam — consilio *desunt* 2. i) discesserunt 2. k) paucum 2. l) primis 2. m) *deest* 2. n) prius 2. o) statim 2.

67) die 27. April. V. Annal. Mediol. maiores et minores 1167. supra p. 377 et 395.

*Codd.* B. 4. 5. A. 1. 2.

1167. adiutorio, et maxime pro victualibus eis prestandis, remanere non posse putabant; dicentes etiam, quod oporteret Mediolanenses iterum de ipsa civitate exire, si Laudenses eis alimenta non preberent ac alias civitates prebere eis non dimitterent, quod nullo modo facerent, si eorum discordiam haberent; insuper etiam putantes, quod si imperator a Roma cum suo exercitu rediens, in ipsa civitate tractaret, amplius Mediolanenses succurrere non possent, nec ipsos sine eorum decursu et maxime victualium, manus imperatoris effugere valerent; dicentes insimul, quod si imperator Laude civitatem intraret, quoniam natura civitas fortissima est et bene munita menibus, totam Longobardiam adhuc acquirere sueque dictioni, sicut et antea fuit[a], penitus subiugare[a*] — his itaque et aliis multis verbis in colloquio habitis, ibi statim communicato[b] consilio exercitum tam peditum quam equitum, prout magnum colligere ac facere poterant, cum navibus etiam aliisque machinis, que ad bellum peragendum civitatemque capiendam necessarie fuerant, super Laudenses indixere.

Antea tamen ex eis nobiles et sapientes ambaxatores[h] miserunt, qui ipsos Laudenses ex parte eorum omnium intime rogarent, quatenus pro totius Lombardie sustentatione et honore cum eis fedus inirent, et pactum et concordiam, sicut etiam per alios ambaxatores[h] rogati fuerant, secum firmam in perpetuum facerent; et hoc si facere renuerent, scirent, ipsas omnes civitates super eos procul dubio venturas et totum episcopatum Laudensem[i] igne, preda omnique alio dampno, quo poterunt, vastaturos; et cives ipsius bello[k], manganis et aliis omnibus, ad prelium faciendum et civitatem capiendam necessariis, prout melius poterunt, oppressuras[l] et si civitatem per fortiam[m] caperent, sicut bene posse facere putabant, totam ipsam in primis expoliarent, deinde eam igne succenderent[n] et penitus dissiparent, homines insuper et feminas, quas in ipsa civitate invenirent, occiderent. Ambaxatores autem cum ipsis Laudensibus colloquium facientes, narraverunt sibi per ordinem omnia supradicta. Laudenses vero, hoc audito, quamvis mesti nimis inde forent, tamen propositum suum firmiter tenentes, hiis ambaxatoribus hoc idem, quod aliis responderunt. Qui tali responsione habita, statim ad eos a quibus missi fuerant revertentes, eis voluntatem et responsionem Laudensium narraverunt.

Postremo namque alios legatos nobiles ac sapientes adhuc iterum Laudensibus miserunt, qui eadem verba, que primi et secundi legati dixerant, a Laudensibus postularent ac genuflexi eos rogarent, quatenus pro Dei amore et eorum servitio atque totius Longobardie honore et sustentatione cum eis fedus inirent, concordiamque ac pactum, sicut eis pluribus vicibus iam per alios etiam legatos mandaverant, in perpetuum facerent; quod si hoc facere renuerint[c], sciant, omnes predictas civitates cito cum omni exercitu, quem unquam colligere aut habere poterunt, procul dubio super eos esse venturas et totum Laudensem episcopatum et igne et preda alioque omni, quo poterunt, damno devastaturas atque Laude civitatem undique obsessuras ac cives ipsius bello manganisque et petreriis aliisque omnibus machinis, ad bellum faciendum civitatemque capiendam oportunis, prout potuerint, tam per aquam quam per terram omni modo oppressuras, et si civitatem per vim capere possent — quod facere posse bene putabant —, totam expoliarent, deinde eam igne comburerent ac ipsam civitatem totam in[d] terram prosternerent, atque penitus dissipabunt, homines insuper et feminas, in ipsa civitate inventas, omnes interficient. Legati igitur Laudam venientes, colloquium cum Laudensibus habuere ac omnia supradicta verba singulatim[e] Laudensibus per ordinem renuntiaverunt. Laudenses itaque, hoc audito, quamvis inde mestissimi forent, tamen propositum, quod predixerant, quasi legatorum dicta vilipendentes ac pro nihilo habentes, nullo modo remutaverunt nec aliter[f], nisi sicut antea per ordinem aliis nuntiis dixerant, his presentibus legatis respondere; dicentes insuper etiam: Se valde mirari nec unquam, donec viderint, credere posse, quod predicte civitates, et maxime Cremonenses — qui, imperatore ante posito, ipsam civitatem Laude partim suis propriis impensis partim etiam manuum suarum labore magis edificaverant, quam ulla alia civitas vel[g] persona, que foret in toto orbe terrarum, unquam edificasset — ad destruendam vel obsedendam civitatem Laude nec ad suos proprios homines et amicos intimos interficiendos venirent, qui etiam a multis retro temporibus et veteri civitati Laude,

a) *an* fecit? a*) *intellige* acquireret .. subiugaret. b) communicato *deest* 4. 5; *recepi ex* 1. 2. c) renuerunt 5. d) in *addidi.* e) *in* 4 *iterum leguntur haec:* cum Laudensibus habuere ac omnia supra dicta verba sigilatim. f) alter 4. 5. g) vel *scripsi pro* ut 4. 5. h) ambasciatores 2. i) Laudensium 2. k) belli 2. l) oppressuros 2. m) violenter 2 *pro* per fortiam. n) accenderent 2.

*Codd.* B. 4. 5. | A. 1. 2.

donec destructa fuit, et post ipsam civitatem a Mediolanensibus captam dudum 1167. et usque ad solum destructam, burgis de Laude, et post destructionem ipsorum suburbiorum, huic nove civitati Laude semper opitulaverunt; dicentes insuper etiam, quod si totam civitatem comburere ac penitus destruere et omnes homines in ipsa habitantes interficere deberent, nunquam hoc tale fedus secum contra honorem imperatoris, qui eos reedificaverat, inirent nec aliquid contra illius decus[a] fidelitatemque, se scientibus, molirentur. Legati itaque, hoc audientes et voluntatem Laudensium sic firmam esse cernentes nec verba eorum aliquid proficere posse videntes, mesti valdeque[b] irati lugentesque abierunt, atque his, qui eos miserant, sicut a Laudensibus audierant, per ordinem narraverunt.

Qui omnes[c] valde graviter suscipientes, statim ubique per omnes eorum terras causa legendi exercitus miserunt, ac tempore inter eos statuto exercitum maximum insimul collegere. Postremo namque Mediolanenses et Pergamenses, Brixienses quoque et Mantuani nec non et Cremonenses cum navibus coopertis et discoopertis atque cum plaustris et arcatoribus et balestreriis nec non et fronzatoribus[88] seu petreriis et manghanis aliisque omnibus ad bellum faciendum instrumentis in die Veneris, que fuit 88 Mai. 12. duodecima dies mensis Madii eiusdem anni et de inditione quintadecima, ad Laude civitatem obsedendum venerunt.

Qui cum hec audivissent, adversus Laudenses multum irati, in continenti super eos exercitum facere decreverunt. Tempore vero inter eos statuto, Mediolanenses, Pergamenses, Brixienses, Mantuani et Cremonenses, maximum exercitum insimul colligentes, cum navibus cohopertis et discohopertis atque cum plaustris et balisteriis et archatoribus et cum manganis et aliis, ad prelium faciendum necessariis, die Veneris duodecimo mensis Madii eiusdem anni, inditione decimaquinta, venerunt ad obsidendam civitatem Laudensem.

Cremonenses namque[d] fere[e] per totam Silvam Grecam cum navibus et tentoriis hospitati sunt, Mediolanenses autem[f] cum omnibus aliis, exceptis Pergamensium[g] peditibus, a curte[h] que dicitur de Ysella[i], usque ad hospitale sancti Blasii, quod est situm supra costam paludis de Silva Greca, ante portam imperialem et portam Papiensem atque[k] portam Cremonensem omnes[l] castra metati sunt ibique[m] multos papiliones multaque tentoria fixere[m]. Pergamensium[n] quoque[o] pedites ex alia parte Abdue post plures dies postea venerunt[p]. Sequenti itaque die Veneris maximum prelium inter Cremonenses et Lau- Mai. 19. denses ad cantonem[q][89] de Serravalle[r] iuxta flumen Abdue[s] et in ipsa etiam aqua Abdue[t] commissum est, in quo multi ab utraque parte vulnerati fuere[u]. Sed tamen Laudenses fortiter pugnantes viriliter se defenderunt. Ipsoque[v] etiam die Veneris predicte civitates[w] quemdam pontem supra[x] ipsum flumen Abdue prope portum publicum fabricare ex navibus insimul confixis inceperunt[y]. Sequentibus autem diebus sabbati et dominice semper[z] Mai. 20. 21. cum pilotis[*] et lapidibus, ac[a] plerumque etiam cum lanceis et ensibus[b] die noctuque[c] quottidie[a] ipsos Laudenses infestabant.

*Codd.* B. 4. 5.

Interea namque Cremonenses aliique Laudensium inimici circumstantes ac vinum et blavam et vegetes atque tinas scrineosque[90] etiam et alias res 90 omnes, que portari poterant, rapientes, domosque etiam villanorum et res illas, que portari non poterant, comburentes, paleam quoque et fenum, quod extra civitatem fuerat, auferentes totamque terram expoliantes, tandem maxima pars Laudensium, et maxime villanorum ac pauperum, qui in ipsa civitate cum maxima copia bovum atque pecorum seu etiam porcorum fugerant nec habebant aliquid, quod eis ad manducandum preberent, et fame necabantur, tum etiam propter aliud maximum damnum atque guastum quem quottidie in rebus eorum fieri videbant, tum etiam propter minas quas eorum inimici quottidie faciebant — quoniam minabantur omnes ipsos occidere, nulla remissione eis habita, quia dicebant, ipsos Laudenses totam Longobardiam cum imperatore velle destruere —, tum etiam quia tante multitudini, cum ipsi quantum ad ipsam

a) decus *scripsi pro* dedecus 4. 5. b) mestrualdeque 4. 5. c) hec *excidisse videtur*. d) quoque 1. e) *deest* 2. f) *deest* 4. 5. g) Pergamensibus 2. h) curte 1. 2; turre 4. 5. i) *sic* 1; de Isola 2, daysella 4; daisella 5. k) et 1. 2. l) *deest* 1. 2. m) ibique — fixere *desunt* 1. 2. n) Bergamensium 4. 5; Pergamenses 2. o) vero 1. 2. p) applicuerunt 1; applicuere 2. q) cantonum 1. r) Servalle 1. s) Adue 1. t) *deest* 1. 2. u) sunt 1. 2. v) ipso 1. 2. w) Veneris pred. civ. *desunt* 4. 5. x) super 1. 2. y) ceperunt 1. 2. z) indesinenter 1; ex improviso 2. *) pillotis 1. 2. a) *deest* 1. 2. b) plurimum *add.* 1. 2. c) die noctuque *desunt* 1.

88) funditoribus. 89) lapidem angularem, Ital. *cantone*. 90) arcas.

*Codd.* B. 4. 5.

1167. Mai. 20. 21. paucissimi forent nec adhuc bene aptati fuerant, circumquaque resistere se non posse putabant, et si per virtutem caperentur, omnia ipsorum bona ammitterent, et[a] adhuc deterius foret, omnes mori timebant; una etiam bene ac firmiter credebant et maximeque[b] bene sciebant, Mediolanenses nullam pietatem de ipsis habere, quam de rabiosis canibus haberent, et si manus aliorum inimicorum effugerent, ipsorum tamen Mediolanensium manus nequaquam evadere valerent — postremo fedus cum ipsis eorum ini-
Mai. 22. micis in proximo die Lune veniente, mesti ac prenimium dolentes, propter mortis timorem evadendum, salva imperatoris fidelitate, sicut palam tunc dicebatur, inierunt. Sequenti vero
Mai. 23. Martis die omnes ab obsidione civitatis cum magno gaudio maximaque letitia recessere.

A. 1. 2.

Denique Laudenses cum tante multitudini se nequaquam posse resistere cernerent, viderentque, sibi imminere periculum mortis, quam eis minabantur ipsorum inimici, si eos per fortiam[c] vincere contingeret, post dampna plurima eis in rebus et personis illata pactum et concordiam cum predictis civitatibus, salva semper imperatoris fidelitate, proximo die Lune sequente[d] fecerunt, prout ab eis ipse civitates antea[e] requirebant. Sequenti vero die Martis omnes ab obsidione civitatis Laude cum magno gaudio recesserunt.

Aliis autem[f] omnibus[g] domum[h] revertentibus[i], Mediolanenses et Pergamenses cum manganis et petreriis[k] ad obsidendum Tritii castrum, in quo imperator quendam suum equitem[l] Teutonicum[l*], Ruinus[m] nomine, dimiserat, et ipsum castrum bene[n] et optime muro grossissimo[o] ac turre altissima muniri[p] fecerat ac in ipso castro multas[q] pecunias aliasque etiam divitias congregaverat, valde leti perrexere.

Ipsoque[q*] etiam Martis die Lambertus, in Laude procurator imperatoris ac missus, et[r] una cum comite Lantelmo[s] de Crema eiusque filiis, et Iohanne de la[s*] Montagna, atque Bellone Piscenpulte[t], qui et[u] de Curte etiam[u] dicitur, tunc consule de[u] Papia[v], qui omnes[w] in occursum Laudensium[x] tunc[y] venerant, et[u] una etiam cum Medio-Presbytero de Summarriva[z] et Manfredo[*] Morena et Petracio[a] Moncio[b] atque Airoldo[c] Pocalodo[d], et Malfaxado[e] de Valarano[f] Laudensium[g] equitibus tensa Cremonensium[h] ad Papie civitatem recesserunt[i]. Sed[k] predicti Laudenses equites, quamvis cum predicto Lamberto amore imperatoris ac ipsius Lamberti Papiam iverint[k], tamen[l], parvo tempore cum ipso Lamberto Papie morantes[m], domum reversi sunt.

His itaque Laude sic peractis, Mediolanenses et Pergamenses, qui ad castrum Tricii obsidendum, sicut[n] iam dictum est[n], perrexerant[o], castro[p] ligneo et manganis et preteriis quam pluribus ibi hedificatis seu[q] etiam ponte quodam ligneo super flumen Abdue, quod[r] fere circumquaque deambulabat, post castellum fabricato, fere[s] usque ad festivi-
Aug. 10. tatem[t] sancti Laurentii proximam[u] venientem, antequam ipsum capere possent, ad ipsum obsidendum[v] steterunt. Sed cum ipse[w] Ruinus, imperatoris[x] procurator ac missus, aliique[y] Teutonici ac Longobardi, qui in ipso castro[z] causa defendendi ipsum[*] amore imperatoris intraverant, viderent[a], se ab imperatore nec ab aliis ipsius amicis aliquem occursum habere, maxime cum ipsi multoties imperatori iam mandaverant, se non posse ad ultimum resistere, nisi in occursum eis veniret, tum etiam quia[a] Mediolanenses et Pergamenses firmiter statuerant[b], omnes ipsos[c] interficere, si per virtutem[d] eos caperent, tandem[e], multum dolentes, fedus tale cum inimicis fecerunt: quatenus ipsi[e] omnes, qui in castro fuerant[f], masculi[g] et femine, relicto eius[h] castro omnibusque etiam aliis[h] rebus que intus fuerant[f] dimissis, sani et incolumes extra castrum abirent[i], preter iam dictum Ruinum et

a) quod *excidisse videtur*. b) maxime quod 5. c) vim 2. d) sequenti 2. e) *deest* 2. f) Set aliis 1. 2. g) *deest* 1. 2. h) sic letanter *add.* 1. 2. i) redeuntibus 2. k) pretheriis 1. l) militem 1. 2. l*) Theotonicum 1; Theutonicum 2. m) Ruinum 1. 2. n) bene et *desunt* 1. 2. o) grosissimo 4. 5. p) *deest* 4. 5. q) multasque divitias et pecunias ibi 1. 2 *pro* ac in ipso castro multas — divitias. q*) Ipso 1. 2. r) *deest* 1. 2. s) Lantelino 4. s*) de la 1. 2; della 4. 5. t) Pius impulse 2. u) *deest* 1. 2. v) Papie 1. 2. w) tunc 1. x) Papie 1. y) *deest* 1. z) Summa ripa 1. 2. *) Mayfredo 1. a) Petrutio 2. b) Muntio 1. 2. c) Arialdo 1. 2. d) Poccalodo 1; Pocaledo 2; Pocalodo 4. 5. e) Malfasado 5. f) Lirano 1; Lixano 2; Valarano 4. 5. g) Laudensibus 1. 2. h) Cremone rituum 2. i) iverunt 1. 2. k) Sed — iverint *desunt* 1. 2. l) qui tamen 1; qui tam 2. m) morati 1. 2. n) sicut — est *desunt* 1. 2. o) perrexerunt 1. 2. p) castello 2. q) *deest* 1. 2. r) quae 2. s) quasi 1; *deest* 2. t) festum 1. 2. u) tunc proxime futurum 1; tunc proxime venientis 2; proximam venientem 4. 5. v) ad obsidionem ipsius castri 1. 2. w) predictus 1. 2. x) imperatoris — missus *desunt* 1. 2. y) et 1. 2 *pro* aliisque. z) ipsum castrum 1. 2 *pro* in ipso castro. *) *deest* 1. 2. a) pluries (plures 2) imperatori misissent, quod nisi eis succurreret (succurreretur 2), ipsum defendere nequaquam possent, et ab eo nec ab eius (eis 2) amicis succursum aliquem non (non *deest* 2) haberent, scirentque 1. 2 *pro* viderent — tum etiam quia. b) ordinasse 1. 2. c) eos 1. 2. d) fortiam ipsos 1. 2. e) tandem ipsum castrum, dolentes multum, hoc modo reddiderunt, videlicet quod 1. 2 *pro* tandem — quatenus ipsi. f) erant 1. 2. g) masc. et fem. *desunt* 1. 2. h) *deest* 1. 2. i) abierunt 1.

omnes Teutonicos ac paucos Longobardos, qui in ipso castro[a] intraverant. Quibus solummodo vitam concesserunt ac eos in vinculis Mediolanum duxerunt[b] et[c] in carcerem[d] detruderunt[e]. His itaque extra castrum sic[c] ire permissis, Mediolanenses et Pergamenses ceterique[f], qui ibi[c] ad obsidionem[g] fuerant, infra[c] ipsum castrum[c] euntes[h], in primis totum expoliaverunt, deinde illud[i] combusserunt, postremo totum[k] ipsum castrum destruxerunt atque meliorem murum ac pulchriorem et meliorem turrem, quam unquam[k] in tota Longobardia tunc fuisset, in terram prosterneunt[l]. 1167. Aug. 10.

*Codd.* B. 4. 5.

Igitur cum imperator firmiter audivit, Laudenses cum Mediolanensibus aliisque Longobardis coniuratis convenisse ac castrum Tritii, quod pro suo habebat et tenebat, et quia suis propriis impensis, sicut supra diximus, reedificaverat, captum et destructum penitus fore, ac missum et procuratorem ipsius aliosque Teutonicos captos et sic dehonestatos atque in carcerem apud Mediolanum detrusos esse, atque suam mobiliam suasque res quas in castro habebat sic amisisse, quamvis se inde tunc non multum fore mestum demonstravit, tamen multum graviter suscepit, atque ultra, quam fari nec etiam cogitari possit, in pectus ipsius omniumque suorum fidelium ascendit.

A. 1. 2.

Hec autem omnia cum imperatori fuissent relata, quamvis inde se non multum dolere monstraret[m], tamen graviter nimis suscepit.

Interea igitur[n], dum hec[o] in Longobardia a Longobardis[p] sic agitabantur[q], Raynaldus, Mai.
Colonie archiepiscopus electus et[r] qui etiam[r] imperatoris archicancellarius fuerat, atque[s] Christianus[92], imperatoris tunc cancellarius, et[r] comes Rubertus[t] de Basavilla[u] atque[r] comes Macharius et Braibenzones[v, 93], qui erant[w] fortissimi, aliique etiam[r] principes[x] Tuscie, tunc temporis[y] cum eorum exercitu in Romania[94] apud Toscolanum[z] fuerant[*]. Videlicet[a], sicut in veritate mihi ab his, qui in ipso exercitu fuerant, relatum fuit, inter omnes Teutonicos atque Longobardos seu etiam Tuscios, qui in ipso exercitu apud Toscolanum tunc fuerant, non erant mille equites[a]. Dux quoque[b] Fredericus, regis quondam Conradi filius, homo pulcher multum, fortis et sapiens atque ingeniosus, et ipse[c] cum suo exercitu in illis etiam[d] partibus[e] manebat, sed tamen tunc[d] cum predicto archiepiscopo apud Toscolanum non fuerat[f].

Igitur Romani, quia imperatori[g] eiusque fidelibus tunc fuerant adversi[h], audientes, predictum exercitum apud Toscolanum fore, et eum[i] invadere cupientes, ubique pro suis amicis et fidelibus[k] mittunt, exercitum preparant[l], diem proficiscendi statuunt[m]. Itaque
statuta[n] die[95] omnibus[o] tam equitibus quam peditibus preparatis maximaque hominum Mai. 27.
copia et fere innumerabili insimul coadunata[o], versus Toscolanum ire ceperunt. Contra quos Coloniensis archiepiscopus[p] atque[q] Christianus cancellarius comesque[r] Robertus ac comes Macharius ceterique principes, qui cum eis[s] fuerant, cum eorum parvo exercitu tam Teutonicorum quam Tuscanorum[t] atque Longobardorum, quamvis paucissimi versus illorum[u] multitudinem fuerant[v], tamen[w] obviam illis venerunt. Nam sicut in veritate ab illis, qui tunc[x] ibi in illo exercitu aderant, mihi relatum est, Romani cum eorum exeroitu inter equites et pedites plus de triginta milia computabantur[w].

a) illud 1. 2 *pro* in — castro. b) ducentes 1. 2. c) *deest* 1. 2. d) carceribus 2. e) detruserunt 2; detruxerunt 5. f) et alii 1. 2. g) eius *add.* 1. 2. h) intrantes 1. 2. i) totum 1. 2. k) muros ipsius et turrem pulcriorem, quam 1. 2 *pro* totum — unquam. l) prostraverunt 1. 2. m) monstrasset 2. n) *deest* 1. 2. o) *deest* 1. p) a Long. *desunt* 1. 2. q) ageretur 1; agerentur 2. r) *deest* 1. 2. s) et 1. 2. t) Robertus 1. 2. u) Basavilla 1; Bassavilla 2; Braxavilla 4. 5. v) Braybezones 1; Braimerres 2; Braibenzones 4. 5. w) erat miles fortissimus 2. x) primates 2. y) tunc temporis 1. 2; et ipsi 4. 5. z) Toscolanum 1. 4. 5; Tusculanum 2. *hic et infra.* *) erant 1. 2. a) Qui omnes non erant (ultra *add.* 2) mille equites 1. 2 *pro* Videlicet — equites. b) vero 2. c) et ipse *desunt* 1. 2. d) *deest* 1. 2. e) tunc *add.* 1. 2. f) erat 1. 2. g) Romani igitur (vero 2) quia imperatori 1. 2; Romanique imperatoris 4; Romani eiusque fideles, qui tunc imperatori 5. h) tunc adversabantur 1. 2. i) ipsum 1. 2. k) et fidelibus *desunt* 5. l) ut exercitum preparent 1; ut delectum habeant exercitumque preparent 2. m) statuentes 1. 2. n) Statuta vero 1. 2. o) omnes tam equites quam pedites parati, qui fere innumerabiles erant 1. 2 *pro* omnibus — coadunata. p) *sic* 1. 2; episcopus 4. 5. q) *deest* 1. 2. r) comes 1. 2. s) ipsis erant 1. 2. t) Tuscorum 1. 2; Toscanorum 5. u) respectu Romanorum 1. 2 *pro* versus — multitudinem. v) essent 1. 2. w) qui plus triginta millibus extimabantur, audacter et intrepide perrexerunt 1. 2 *pro* tamen — computabantur. x) ab illis qui tunc *scripsi pro* qui tunc ab illis 4. 5.

92) archiepiscopus Moguntinus. 93) Brabantini, *Brabançons.* 94) *Campagna di Roma.* 95) *Romanos in vigilia pentecosten,* 6. *Kal. Iunii sata et vineas Tusculanorum vastare cepisse,* tradunt Annales Colon. Maximi 1167 supra SS. XVII, 780.

1167. Mai. 29. Cum vero utraque acies[a] in campis apertis[b] fuit atque bene[c] una pars alteram[d] prospexit[e], vexillis levatis signoque dato ac maximo clamore hinc[f] inde[g] levato, acriter se invadunt fortiterque pugnant, et[h] ab utraque parte multi[i] vulnerantur multique[k] mortui corruunt[l]. Sed quia Romani ultra[m] viginti tantum fuerant, quam adversarii eorum essent[m], impetum magnum super Teutonicos[n] fecere. Teutonici autem, quia paucissimi fuerant[o] versus illos, pre multitudine illorum[p] vix sustinere potuerunt; sed tamen acriter[q] se defendentes, viriliter steterunt[r]. Archiepiscopus namque[s] et cancellarius aliique etiam[t] principes, qui secum aderant[u], hoc videntes, valde perterriti fuere[v]; sed tamen ipsi scientes[w] et[w] videntes, se aliter[w] evadere non posse, nisi iter ferro aperirent[x], ipsemet[y] archiepiscopus[z] et cancellarius vexillum[*] in manu[a] accipiens[b], signoque[c] dato, maximis vocibus cantum Teutonicum, quem in bello Teutonici dicunt, videlicet *Christus qui natus* et cetera, omnes letantes[c] acriter[d] super[e] Romanos irruerunt. Romanorum[f] igitur multitudine perterrita, quia ipsi Romani impetum eorum non potuerunt[g] sustinere[f], equites Romanorum[h], pedites ipsorum[i] in campo deserentes, fugere ceperunt. Pedites namque[k] cum[l] viderunt, equites suos se in campo deserere ac prout poterant longe ab eis fugere — tum quia forte iustitiam non habebant tum etiam quia, postquam in campo exeunt, non sicut sui maiores fecere[m] faciunt, imo vilissimi sunt, tum etiam, quia Teutonicos magis timebant, quam timerent alios — Domino divinum miraculum ibi faciente[l], terga verterunt[n]. Supra[o] quos Teutonici atque[p] Braibenzones ceterique principes[p] viriliter[q] irruentes, acriterque eos[r] persequentes[s], sicut[t] mihi ab ipsis Romanis postea in veritate relatum est[t], ultra[u] duo milia ex ipsis Romanis interfecti sunt[u]; maiorem[v] vero partem ipsorum Braibenzones interfecerunt. Insuperque etiam[v] plus[w] de tribus mille ipsorum Romanorum inter equites et pedites capti fuerunt[w]. Quos omnes ad civitatem[x] Viterbe[y] vinctos duxere[z] ibique[*] omnes in carcerem detruderunt[a].

Itaque[b] archiepiscopus et cancellarius quantocius possunt[c] legatos[d] ad imperatorem dirigunt, qui omnia[e], sicut eis acciderant, imperatori eiusque exercitui nunciarent. Legati igitur ad imperatorem venientes, omnia que acciderant per ordinem narraverunt. Imperator namque, alacri animo hoc audiens multasque Deo gratias referens[e], valde gavisus est.

Interea[f] rex de Cicilia[g], filius[h] quondam Gulielmi[96], quoddam[i] castrum, quod[k] ex parte imperatoris fuerat, quia illud capere vellet, acriter cum suo exercitu[k] expugnabat.
Iun. Quod imperator audiens, relictis[l] castris relictoque etiam omnium peditum exercitu una cum ipsius uxore[l], solummodo equitibus assumptis, privatim extra[m] castra exivit, ac[m] die noctuque[n] equitans, in occursum[o] predicti castri[p] ire festinavit pro posse[q]. Cum autem per plures dies iam equitasset ac prope exercitum regis Cecilie[r] venisset, eidem regi[s] nunciatum est, imperatorem cum suo exercitu iam[r] appropinquare. Quod[t] cum[u] audivit, statim castris defixis[v] atque relictis, cum[w] suo exercitu abire cepit, tum[x] quia putavit, exercitum imperatoris multo maiorem esse, quam fuisset, tum etiam quia audiverat, tam malam fortunam belli Romanis accidisse; unde perterritus fuerat valde ac mestus[x].

a) pars 1. 2. b) in campo 1. 2. c) *deest* 5. d) se *add.* 4; et una alteram diligenter 1. 2 *pro* atque — alteram. e) inspexit 2. f) *deest* 5. g) inde 1. 2. 5; indeque 4. h) *deest* 4. 5. i) multi 1. 2; ipsi 4. 5. k) *deest* 4. 5. l) interficiuntur 1. 2 *pro* mortui corruunt. m) erant pro uno viginti respectu adversariorum 1. 2 *pro* ultra — essent. n) eos 1. 2. o) erant 1. 2. p) propter multitudinem ipsorum 1. 2. q) viriliter 1. 2. r) firmiter permanserunt 1. 2. s) autem 1. 2. t) *deest* 1. 2. u) erant 1. 2. v) sunt 1. 2. w) *deest* 1. 2. x) aperiretur 2. y) ipsimet 1. z) *deest* 1. *) vexilla 1. a) manibus 1. 2. b) accipientes 1; afferentes 2. c) signoque — letantes *desunt* 1. 2. d) nimis *add.* 1. 2. e) ipsos *add.* 1. 2. f) Quibus perterritis 1; Quibus ...... 2 *pro* Romanorum — sustinere. g) poterant vel potuerunt 4. 5. h) eorum 1. i) suos 1. 2. k) vero 1. 2. l) videntes, se sic deseri 1. 2 *pro* cum — faciente. m) federe 5. n) similiter et ipsi *add.* 1. 2. o) super 1. 2. p) atque — principes *desunt* 1. 2. q) graviter 1. 2. r) atque 1. 2 *pro* acriterque eos. s) sequentes 2. t) sicut — relatum est *desunt* 1. 2. u) plures duobus (duodecim 2) millibus interfecerunt 1. 2 *pro* ultra — interfecti sunt. v) maiorem — etiam *desunt* 1. 2. w) pluresque tribus millibus (*deest* 2) inter equites et pedites ex ipsis ceperunt 1. 2 *pro* plus — fuerunt. x) ad civ. *desunt* 1. 2. y) Viterbium 1. 2. z) ducunt 1. 2. *) et in carcerem introducunt ibidem 1. 2 *pro* ibique — detruderunt. a) detruxerunt 5. b) His quidem sic peractis 1. 2 *pro* Itaque. c) quantocius possunt 1; quam citius possunt 2; *desunt haec verba* 4. 5. d) nuntios 1. 2. e) sibi per ordinem nuntient supradicta. Qui cum hec audisset, Deo multas gratias agens 1. 2 *pro* omnia — referens. f) Tunc vero temporis 1. 2 *pro* Interea. g) Cicilie 1; Siciliae 2. h) filius — Gulielmi *desunt* 1. 2. i) quoddam 1. 2; quem tunc 4. 5. k) imperatoris volens capere, cum suo exercitu fortiter 1. 2 *pro* quod — exercitu. l) relictis — uxore *desunt* 1. 2. m) extra — ac *desunt* 1. 2. n) et nocte 1. 2. o) succursum 1. 2. p) *deest* 2. q) velociter 1. 2 *pro* pro posse. r) *deest* 1. 2. s) ei *pro* eidem regi. t) Quod 1. 2; Qui 4. 5. u) ut 1; ut rex 2. v) desertis 2. w) totu *add.* 1. x) tum — mestus *desunt* 1. 2.

96) Gulielmi I filius, Gulielmus II.

Imperator vero[a] audiens, regem[b] castrum deseruisse ac cum suo exercitu fugiendo abire[b], ita eum persecutus est, quod ad[c] transitum cuiusdam aque plures ex equitibus regis[d], qui tam cito transire flumen[e] non potuerunt, cepit. Cum autem[f] ipsum flumen transire non potuisset[f], retrovertens[g], predictum castrum bene munivit[h]; atque[i] postea quoddam aliud castrum, quod predictus rex comiti Roberto de Basavila iam abstulerat, obsedit et devicit ac iam dicto comiti Roberto letanti[k] restituit. Deinde letus ad castra[l] remeavit. Igitur imperator, ad locum[m] qui dicitur Trondus[n, 97] et ibi circumquaque permanens, omnia fere opida villasque depredavit[o], combussitque et dissipavit; indeque[p] etiam multam pecuniam extorsit 1167. Iun.

Interea domnus Guido Cremensis — qui tunc[q] papa fuerat levatus et qui in locum domni Octaviani, qui ex tunc papa Victor vocabatur, successerat et qui Guido Paschalis papa vocabatur, et tunc in civitate[q] Viterbii morabatur[r] et[s] ab imperatore et a multis archiepiscopis, abbatibus, prepositis[t] aliisque quam pluribus hominibus mundi tunc pro papa tenebatur[u] — imperatoris adventum[v] diu expectans et[w] affectu nimio desiderans[w], cum[x] sepe et sepius iam imperatori mandaverat, quatenus Romam cum suo exercitu veniens, infra ecclesiam sancti Petri vi vel pacto cum Romanis inito eum introduceret, sicut multoties ipse promiserat, ac ibi ipsum manuteneret, videns, ipsum imper torem permmium et satis etiam ultra quam vellet iter morari, statim suos nuntios quam plures ad imperatorem dirigens[x], ut quam[y] citius posset, nulla dilatione habita[z], Romam pergeret[*], hostes debellaret et Rolandum[a] cancellarium, qui tunc pro papa in Roma et in quibusdam aliis multis partibus[b] tenebatur et[c] qui etiam[d] papa Alexander vocabatur et qui etiam[d] tunc in Roma[e] morabatur, de Roma expelleret ac ipsum in Roma[f] poneret victoriamque[g] de inimicis suis acquireret ac omnes inimicos ipsius sue ditioni subiugaret; insuper etiam dicens, messem[h] iam nunc fore albam ad metendum[i] vineamque maturam esse ad vindemiandum[g].

Quod[k] cum imperator eiusque exercitus audisset, statim Romam cum magno gaudio perrexere — quamvis gaudium non multum post in luctum atque merorem multum conversus est — et in 1167. anno in die[k] Lune, que[l] fuit[l] nono die[l] ante[l] Kalendas Augusti de[l] indictione 15. in monte Gaudio[l, 98] prope Romam cum suo exercitu castra metatus est Iul. 24. Deinde cum omnibus suis equitibus, sicut armati venerant, ad portam Rome, que dicitur Viridaria[m] et[n] que est a[o] parte Sancti Petri versus montem[p] Gaudium, veniens ibique prelium maximum committens, tandem eos superavit et devicit atque fugavit totumque locum, qui Cortina sancti Petri dicitur, et etiam porticum sancti Petri cepit totasque domos[q] expoliavit atque combussit, pluribusque[r] etiam hominibus interfectis, multos cepit. Romani igitur, infra[s] civitatem ex illa parte Tiberis se recipientes ac multum pavidi stantes, ex hac Tiberis parte postea[t] venire ausi non fuere[u]. Illi[v] autem, qui ex parte iam dicti pape Alexandri fuerant[w] et ecclesiam sancti Petri ab ipsius[x] Alexandri parte[w] tunc tenebant et qui[y] ipsam ecclesiam causa[z] belli faciendi ac se defendendi[z] bene munierant, ipsam[*] ecclesiam sancti Petri a parte ipsius Alexandri[*] viriliter defendentes[a]. imperator in[b] ipsa[c] ecclesia[b] nullo modo intrare tunc potuit. Imperator namque[d] per totam hebdomadam[e]

a) autem hoc 1. 2. b) regem — abire *desunt* 1. 2. c) apud 2. d) eius 1. 2. e) ipsum *add.* 1. 2. f) Cumque fluvium eundem (flumen idem 2) transire imperator non posset 1. 2 *pro* Cum autem — potuisset. g) revertens 1. 2; retrovertentes 4. 5. h) muniunt 4. i) Et 1. 2. k) alacriter 1. 2. l) castrum 1. 2. m) Ad locum autem 1. 2 *pro* Igitur — locum. n) *deest* 2. o) depredatus est, combussit atque 1. 2. p) inde 2. q) tunc — civitate *desunt* 1. 2. r) morans 1. 2. s) *deest* 1. 2. t) prioribus 1. 2. u) habebatur 1. 2. v) eventum 4. 5. w) et — desiderans *desunt* 4. 5. x) ad eum quamvis alias (alios 2) sepe misisset, novissime suos legatos quamplures destinavit, mandans 1. 2 *pro* cum sepe — dirigens. y) citius quam 4. 5. z) absque dilatione 1. 2 *pro* nulla — habita. *) venire festinaret 1; veniret 2. a) Raynaldum 2. b) partibus a multis 1 *pro* multis partibus. c) *deest* 2. d) etiam — etiam *desunt* 1. 2. e) Rome 1. 2. f) possessione papatus poneret et manuteneret 1. 2 *pro* Roma poneret. g) victoriamque — vindemiandum *desunt* 1. 2. h) in case 5 *pro* messem. i) mittendum 5. k) Imperator vero, voluntati et consilio dicti domni Guidonis, qui dicebatur papa Pascalis, annuens Romamque cum magno gaudio veniens in anno 1167 die 1. 2 *pro* Quod cum — in die. l) *deest* 1. 2. m) porta Viridaria 2; *in lacuna codicis* 1 *posuit manus posterior* Viridaria; *deest* 4. 5, *ubi est lacuna.* n) *deest* 1. 2. o) ex 1. 2. p) Monte 4. 5. q) et domos omnes 1; et domos 2. r) pluribus 1. s) intra 1. 2. t) *deest* 1. 2. u) sunt 1. 2. v) Illis 1; His 2. w) erant 1; fuerant — parte *desunt* 2. x) pape *add.* 1. y) *deest* 1. z) causa — defendendi *desunt* 1. 2. *) ipsam — Alexandri *desunt* 1. 2. a) se defendentibus viriliter 1. 2. b) *deest* 1. 2. c) ipsam 1; iam 2. d) Set 1. 2 *pro* Imp. namque. e) ipsam *add.* 1. 2.

97) Tronto flumen. 98) sive Monte Malo.

1167. quottidie eos invadens ac prelio ipsos[a] infestans[b], tandem[a] Teutonici[c], cum eos per vir-
Iul. 29. tutem[d] se capere non posse prospexerunt[e], in[a] proximo die sabbati infra ecclesiam beatissime[f] virginis Marie, que etiam[a] de Laborerio dicebatur et que sita fuerat[g] supra scalam[h] Sancti Petri ante atrium[i] ipsius ecclesie sancti Petri[k], ignem supponentes[l], ipsam ecclesiam[m] combussere. Ipsa[n] vero ecclesia sancte Marie comburente, ex ipsa quidem[n] prosiluit ignis in ecclesiam sancti Petri et[o] ex ea pars quedam[p] exarsa est[o]. Tota[q] iam dicta ecclesia sancte Marie penitus combusta atque dissipata, exarsa est quoque ac destructa quedam mirabilis imago, que[r] fuerat[r] facta in muro ipsius ecclesie versus ecclesiam sancti Petri supra[s] atrium ipsius ecclesie sancti Petri[s], ex[t] auro purissimo atque splendidissimo decorata, cuius[u] similis in Ytalia nunquam fuit[v] amplius[r] visa, et que fuerat[w] facta ad imaginem domini nostri Iesu Christi. Ante quam etiam[r] quedam alia pulcherrima imago, facta ad imaginem sancti Petri et[x] ex eodem auro deaurata[x], stabat, que similiter exarsa[r] atque[r] liquefacta ac[y] penitus destructa est. Quod illi, qui supra ipsam[r] ecclesiam sancti Petri fuerant[z] et[*] acriter eam defendebant[*], videntes nec ullum occursum[a] a Romanis habere posse cernentes, maximo timore perterriti, statim imperatori se ac ipsam ecclesiam tradiderunt[b] ac[c] ipsi iurantes, se nunquam ipsam ecclesiam contra imperatorem nec eius partem amplius defensuros, statim imperatori fidelitatem iuraverunt[c]. Sicque imperator eos abire permisit[d].

Iul 30. Igitur sequenti die dominico proximo veniente[e] predictus papa Paschalis cum suis cardinalibus in ipsa ecclesia sancti Petri missam honorifice et cum magno gaudio celebravit, in[e] ipsoque die in capite imperatoris circulum aureum tantummodo imposuit. Sequenti
Aug. 1. namque[f] Martis die, in quo fuit tunc[e] festivitas[g] sancti Petri ad Vincula, que[h] fuit in Kalendis Augusti[h], predictus[i] papa Paschalis domnum Fredericum imperatorem ac serenissimam augustam Beatricem eius[k] coniugem ex coronis, auro purissimis[l] ac multis pretiosissimis gemmis decoratis, in[m] ecclesia sancti Petri coronavit.

Romani itaque hoc cernentes et se cum imperatore pugnare non[n] posse putantes[o] nec etiam flumen Tiberis transire audentes, fedus cum imperatore magis facere quam bellum cum[p] eo inire decreverunt. Igitur[q] Romani legatos ad imperatorem dirigunt fedusque cum eo faciunt papamque Pascalem in perpetuum se pro papa habere et tenere firmiter cum iureiurando promittunt. Ac omnes, preter Fricapanes[98*] et[r] illos de Leo[r] et quam plures alios[s] Rome nobiles, qui maximas turres ac domos et fortitudines in Roma habebant nec leviter capi tam cito poterant, fidelitatem imperatori facere disposuerunt.

| *Codd.* B. 4. 5. | A. 1. 2. |
| --- | --- |
| Hoc itaque sic peracto, imperator suos nuncios ad fidelitates Romanorum recipiendas in Romam ultra Tiberim direxit. Inter quos fuit Acerbus Morena, Laudensis civis ac imperialis curie iudex, homo nobilis, probus, disertus ac etiam sapiens, Deum pre omnia | Hoc itaque sic peracto, imperator suos nuncios ad fidelitates Romanorum suscipiendas in Roma ultra Tyberim direxit. Inter quos fuit Acerbus Morena, Laudensis civis et imperialis curie iudex[t], qui iussu imperatoris in Roma ultra Tyberim pergens[u] per plures dies innumerabiles fidelitates imperatori factas suscepit[v]. |

et in omnibus timens et eius mandata observans, verum semper dicere desiderans, mendacium loqui maximam verecundiam habens, imperatorem ac imperii honorem multum in Deo diligens, extra Deum vero eum obedire multum dolens ac trepidans. Ab imperatore namque et eius curia propter suam probitatem ac Dei dilectionem valde erat dilectus. Quia et ipse quasi monachus regu-

a) *deest* 1. 2. b) ipsos (eos 2) vincere nitebatur *add.* 1. 2. c) vero *add.* 1. 2. d) fortiam 1. 2. e) prospicerent 1. 2. f) sancte 1. 2. g) erat 1; est 2. h) scallam 1; ecclesiam 2; scalam 4. 5. i) antrium 5. k) s. P. *desunt* 1. 2. l) totam *add.* 1. 2. m) S. Petri *add.* 2. n) Ex qua cum arderetur 1 *pro* Ipsa — quidem. o) et — exarsa est *desunt* 1; Ipsa vero — exarsa est *desunt* 2. p) quedam *scripsi pro* quia 4. 5. q) Ipsa vero ecclesia beatissime virginis tota est combusta et penitus dissipata. Tunc etiam liquefacta est et combusta 1. 2 *pro* Tota — destructa. r) *deest* 1. 2. s) supra — Petri *desunt* 1. 2. t) et 2. u) cui 1. 2. v) fuerat 1. 2. w) erat 1. 2. x) et — deaurata *desunt* 1. 2. y) est, tota penitus et combusta 1. 2 *pro* ac — destructa est. z) erant 1; stabant 2. *) et — defendebant *desunt* 1. 2. a) succursum 1. 2. b) reddiderunt 1. 2. c) iurantes etiam fidelitatem sibi 1. 2 *pro* ac — iuraverunt. d) permisit 1. 2; dimisit 4. 5. e) *deest* 1. 2. f) vero 1. 2. g) festum 1. 2. h) que — Augusti *desunt* 1. 2. i) domnus *add.* 1. 2. k) suam 2. l) purissimo 2. m) ipsa *add.* 1. 2. n) minime 1. 2. o) scientes 1; considerantes 2. p) cum — inire *desunt* 1. 2. q) Ambaxatores (Ambasciatores 2) igitur 1. 2 *pro* Igitur — legatos. r) et — Leo *desunt* 1. 2. s) alios 1. 2; alii 4. 5. t) dux 2. u) praesens 2. v) *in* 2 *sequuntur haec:* Hucusque pertinet historia Acerbi Morenae, quam, morte correptus, ulterius producere non potuit. *Sed haec verba, quae neque in* 1 *neque in* 4 *aut* 5 *leguntur, quin sint additicia, non potest esse dubium; cf. praefationem nostram supra p.* 585.

98*) i. e. Fraiapanes. P.

laris semper vivere disponebat, decimas et primitias omnium rerum, quas Deus sibi dabat, ipsi Deo retribuebat. Qui etiam, cum in exercitu imperatoris fuerat, de rebus alienis, vi alicui raptis, se sciente comedere vel expendere nolebat; nec[a] scutiferis suis aliquid vi rapere vel auferre alicui pro posse permittaret, imo ne ipsi hoc perpetrarent eos quottidie monebat atque pro posse castigabat, cum alii fere omnes, qui in ipso exercitu fuerant, tam episcopi[a*] quam comites et marchiones et alii clerici atque laici magis ex rebus, aliis raptis et vi ablatis, quam ex suis propriis quottidie vivebant. Igitur iam dictus Acerbus, iussu imperatoris in Roma ultra Tiberim pergens, per plures dies innumerabiles fidelitates imperatori factas suscepit. 1167. Aug.

Interea dum hec Rome agitabantur[b], ecce[c] quedam maxima et mirabilis[c*] atque mortalis pestilentia super imperatorem eiusque totum exercitum divino[d] miraculo[c] accidit, videlicet[e] quod in sequenti[e] die proxima Mercurii, cum in[c] mane[c] maxima celi serenitas Aug. 2. foret[f], statim quasi nutu[g] oculi mirabiliter pluere cepit, deinde post aquam serenitas magna atque[h] prenimium clara facta est. Statimque infirmitas super imperatoris exercitum talis excrevit, quod equites et pedites atque scutiferi ita[i] corruebant atque moriebantur, quod[k] vix per totam diem sepeliri poterant. Quia[l] cum in mane sani ac[m] salvi[m] per viam ambulabant[n], statim per viam eundo vel parum iacendo moriebantur[k]. Ob quam rem multi[i] episcopi, archiepiscopi, comites, marchiones ac duces aliique multi nobiles et ignobiles, qui in ipso fuerant[o] exercitu, corruerant[p]. Obiit namque dux Fredericus de Rottemburgo[q. 99], Aug. 19. regis quondam Conradi filius et imperatoris germanus consobrinus, de quo innumerabilis[r] dolor atque[i] tristitia[i] per totam[s] fere Ytaliam exolevit, quoniam ipse mirabilis[t] et homo magne virtutis atque decoris fuerat[t]. Decessit etiam et tunc dux Guelfus[1], Sept. 12. ducis Guelfi[u] filius. Interiit[v] quidem Raynaldus archicancellarius et Colonie electus archie- Aug. 14 piscopus[2], homo maximi ingenii et cuius scientia ac probitate imperium maxime[w] subli- Aug. 9. 10. matum fuerat. Episcopus etiam de Leze[x. 3] vita privatus est.

*Codd.* B. 4. 5.

Iam dictus namque Acerbus, cum apud Romam febricitare cepisset, licentiam domum redeundi cum iam per multas vices petiisset nec impetrare valuisset[z], ea ab imperatore sibi tributa, usque ad Senam la veglam[5] in quodam lectulo, supra duos equos facto, a scutiferis suis se duci fecit. Ibique plus de duodecim[6] hebdomadis iacens infirmus, postremo die Mercurii, que fuit quarta decima dies ante Kalendas Novembris in 1167. anno de indictione prima, in festivitate sancti Luce euangeliste ibi mortuus est et apud ecclesiam sancti Petri[a] sitam[b] in suburbio civitatis Sene[c], prope viam Romeam sepultus est. De quo cum imperator audivit, ipse et omnes, qui cum eo usi fuerant aut qualitercunque cum viderant et cognoverant, valde condoluere; quoniam ab omnibus, qui eum cognoscebant, prenimium propter suam benignitatem diligebatur.

*Cod.* A. 1.

Tunc etiam mortuus est suprascriptus[y] Acerbus.

*In* A. 2 *leguntur haec:*

Tunc etiam mortuus est huius libelli hucusque auctor[4] Acerbus Morena. Qui cum febricitare coepisset in Roma, domum redeundi ab imperatore licentiam per plures vices petierat, eaque sibi concessa, usque ad Senam lavagelam in quodam lectulo, super duos equos facto, a scutiferis suis se duci fecit, ibique plures duodecim hebdomadis infirmus iacens, postremo die Mercurii, quae fuit Oct. 18. 14. ante Calendas Novembris in anno 1167, indictione prima, in festo sancti Lucae euangelistae ibi mortuus est et apud ecclesiam sancti Petri, sitam in suburbio civitatis Senae, prope viam Romeam sepultus est.

a) ne *codd.* a*) episcopi *scripsi pro* ipsi 4. 5. b) agerentur 1. 2. c) *deest* 1. 2. c*) miserabilis 2. d) divinitus 1. 2. e) Sequenti namque 1. 2 *pro* videlicet — sequenti f) esset 1. 2. g) in ictu 1. 2; nutu 4. 5. h) et clara nimis 1. 2 *pro* atque — clara. i) *deest* 2. k) quod — moriebantur *desunt* 2. l) Qui 1. m) *deest* 1. n) ambularent 1. o) erant 1. 2. p) corruerunt 1; corruebant 2; corruerant 4. 5. q) in Rotinburg 1; in Rotemburgo 2. r) immensus 1. 2. s) totum 2, *ubi deest* fere Ytaliam. t) homo erat magne virtutis 1. 2 *pro* mirabilis — fuerat. u) Guillelmi 1; Guilermi 2; Guelfi 4. 5. v) et 1. 2 *pro* Interiit quidem. w) multum 1. 2. x) Leze 2. y) st'us *cod.* z) valuerat 4; valuisset 5. *) ea *addidi.* a) Petri *in lacuna* 4. 5 *posui.* b) site 4. 5. c) Sceno 4. 5.

99) die 19. Aug.; v. Stälin Wirtemb. Gesch. II, 101. 1) die 12. Sept.; v. ibid. 263. 2) die 14. Aug.; v. Ficker Reinald von Dassel 114. 3) Alexander II. ep. Leodiensis obiit die 9. Aug. secundum Annal. Colon. Max. 1167 supra SS. XVII, 781. 782, die 10. Aug. secundum Gesta abb. Trudon. cont. II. L. III. c. 12. supra SS. X, 53. 4) De verbis his: *huius libelli hucusque auctor* cf. praefationem meam supra p. 585. 5) Videtur scriptor sensisse eam urbis Senensis partem, quae *Sienavecchia* vocatur. 6) Nec vero numeramus nisi undecim hebdomades a d. 1. Aug. (v. supra) ad d. 18. Oct.

1167. Imperator igitur[a], cum suos principes, episcopos multos ac duces seu marchiones atque comites, capitaneos et scutiferos sic nimia strage corruere vidit, in castris multis infirmis relictis, quos etiam postea Romani orco[a*] tradiderunt, castris defixis[a], Romam deseruit[7] ac versus Tusciam remeare[b] cepit.
Aug. 6. Deinde iam dicto papa Pascale in[c] civitate[d] Viterbi[e] cum obsidibus Rome, quos habebat[e], relicto, quam citius potuit, Longobardiam intravit. Sed tamen antequam Longobardiam attingeret, plus de[f] duobus milibus inter[g] episcopos, comites et marchiones seu duces aliosque principes atque nobiles et scutiferos[g] in ipso itinere gladio solummodo Dei obierunt[h]. Ex his namque[i], qui mortem vincere tunc potuerunt, omnibus[k] fere infirmis[k] usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt. Sed[l] tamen qui evaserunt, per totam hyemem, omni colore deperdito[m], passi sunt.

Sept. 4. Imperator itaque cum ad locum[n], qui Pontremolus vocatur[o], appropinquasset[8] ac[p] per suburbium ipsius loci transire disposuisset[p], Pontremolenses eum nequaquam per suum locum transire permiserunt. Cum[q] vero imperator se per virtutem ipsorum locum, ipsis nolentibus, transire non posse, quoniam[r] pauci ac tonsi ac infirmi fuerant, cognovisset[q], cum ex hac parte castri, quod Malmum[s, 9] vocatur, iam transitum fecisset[t], versus marinam partem protendens[u], per terram marchionis Obizonis Malaspine, ipso marchione eum
Sept. 12. ducente, iter arripuit. Ac deinde[v] die Martis, que fuit[w] duodecima dies mensis Septembris, de[x] eadem indictione[y], Papiam intravit[z]. Postremoque[*] eodem mense Septembris[a]
Sept. 21. in[z] quodam die Iovis[b], que fuit decima[c] dies[d] ante Kalendas Octobris, in festivitate[e] sancti Mathei[f] apostoli, que[g] fuit de[h] 1168. anno, posuit iam[i] dictus imperator palam et[i] in concione omnes civitates Longobardie, que contrarie sibi fuerant[k] et adversus eum iuraverant, in banno, proiecto ibi coram omnibus guanto[10], exceptis Laude et Cremona.

Sept. 26. Sequenti vero[l] die Martis idem[m] imperator una cum Papiensibus et[i] Novariensibus ac Vercellensibus equitibus et marchione Gulielmo de Monferato[n] atque marchione Obizone[o] Malaspina seu[p] comite de Blandrate, qui omnes tunc cum eo apud Papiam fuerant[k], super terras[q] Mediolanensium equitavit, ac totum locum de Rosate et de Abiategrasso[r] atque de Mazenta[s, 11] seu etiam[t] de Corbeta[12] aliaque etiam multa Mediolanensium loca, prope Ticinum manentia, devastavit ac maximam suis[u] predam inde[v] reportavit.

Hoc autem a[w] Laudensibus et Pergamensibus atque Brixiensibus equitibus, qui tunc pro custodia Laude fuerant, audito et cognito, atque etiam[x] Cremonensibus et Parmesanis, qui tunc etiam pro custodia Placentie fuerant, significato[w], statim Mediolanum[y] cucurrerunt[z]. Imperator igitur hoc audiens[*], quam citius[a] potuit, ad Ticinensem civitatem rediit. Ac[b] eo non descendente de equo sed supra ipsum equum[b] apud[c] Sanctum Petrum Celumaureum, qui est situs parum[d] extra[e] portam Palacensem civitatis Papie, parum comedente[f], statim cum omnibus[g] iam dictis militibus, qui secum tunc aderant[h], ultra Padum

a) autem (vero 2) videns, gentem suam strage corruere, relictis multis infirmis 1. 2 *pro* igitur — defixis. a*) orto 4. 5. b) ire 1. 2. c) in *addidi.* d) in civitate *desunt* 1. 2. e) Viterbi — habebat *desunt* 2. f) plures 1. 2 *pro* plus de. g) ex his qui secum fuerant 1. 2 *pro* inter — scutiferos. h) perierunt 2. i) Hii autem 1. 2 *pro* Ex — namque. k) omnes infirmati 1. 2 *pro* omnibus fere infirmis. l) *deest* 1. 2. m) perdito 1. 2. n) Ad locum autem 1. 2. o) dicitur 1; *deest* 2. p) ac — disposuisset *desunt* 2. q) Sciens vero imperator, se per fortiam ipsis nolentibus inde transire non posse cum suis, qui pauci et infirmi erant 1. 2 *pro* Cum — cognovisset. r) sui *excidisse videtur.* s) Malninum 1; Melinium 2; Malmum 4. 5. t) iam transisset 1. 2. u) tendens 2. v) Et inde 1. 2. w) que fuit *desunt* 1. 2. x) *deest* 1. 2. y) id est *sequuntur in* 4. z) iter arripuit 1 *pro* Papiam intravit. *) Postea vero 1. 2. a) eadem indictione *add.* 2. b) Iovis que fuit *desunt* 1. c) decimo 1. 2; duodecima 4. 5. d) *deest* 1; die 2. e) festo 1. 2. f) Matthei 1. 2; Mathie 4. 5. g) que fuit *desunt* 1. 2. h) in 1. 2. i) *deest* 1. 2. k) erant 1. 2. l) autem 1. 2. m) ibidem 2. n) Monteferato 1; Monteferrato 2. o) de *add.* 1. p) et 1. 2. q) terram 1. 2. r) Abiategrasso 1. 2; Abiagrasso 4. 5. s) Masenta 1; Mazenta 2. t) et 1. 2 *pro* seu etiam. u) cum suis 1. 2. v) *deest* 2. w) Laudenses et Pergamenses atque Brixienses equites, qui tunc pro custodia Laude erant, et Cremonenses et Parmenses, qui tunc etiam pro custodia Placentie erant, cognoscentes 1. 2 *pro* a — significato. x) *sequitur* a 4. 5. y) in occursum eorum *add.* 1. 2. z) concurrerunt 2. *) Quod imperator ut audivit 1. 2. a) quantocius 1. b) et non descendens de equo, set stans super eum 1. 2 *pro* Ac — equum. c) ad 2. d) parvus 5. e) contra 2. f) comedens 1. 2. g) suis *add.* 2. h) erant 1. 2.

7) 8. Id. Aug., ut docent Gesta Alexandri III. ap. Muratori Rer. Ital. SS. III, 459. 8) V. Friderici diploma d. 4. Sept. 1167 (1177), Memorie e doc. Lucches. III. 1. 240. 9) In quibusdam chartis etiam Malnidum dicitur, ut mihi testatur nob. ac doctiss. marchio Iosephus Malaspina S. Margaritae. Nunc est Villafranca ad laevam Macrae infra Pontremulum et Mulazium. SAXIUS. 10) chirotheca, Ital. *guanto.* 11) Magenta a Mediolano ad occidentem. 12) Corbetta a Mediolano ad occidentem.

per pontem quendam, quem[a] Papienses supra[b] ipsum Padi flumen ad locum, ubi dicitur Portus Pioglosus[c, 13], ex navibus iam antea[d] construxerant, super Placentinorum territorium[e] equitans, ipsorum[e] oppida atque[f] loca plurima[g] devastavit et[g] combussit multamque etiam predam inde extorsit. 1167.

Hoc itaque[h] Cremonenses et[i] Mediolanenses atque[k] Laudenses, Pergamenses seu[i] Brixienses et[k] Parmesani[l] pro[i] certo[i] audientes, quod[m] imperator fecerat, et illud pro maxima re habentes[m], statim ad[n] Placentiam in occursum[o] Placentinorum[p] remeaverunt[q] ac[r] deinde imperatori obviam venerunt[r, 14]. Quod[s] quidem cum imperator audisset, statim Nov. 11. quam subito[s] potuit, ad Papie civitatem[t] cum omni[u] suo exercitu reversus est.

Preterea[v] post[w] parvum tempus idem[x] imperator[x] ad castrum Morbionis[y] cum Papiensibus ac suis militibus Teutonicis, quos[z] adhuc secum habebat[z], equitavit totamque[*] villam ipsius castri depredavit ac postea[a] eam[b] combussit, deindeque[c] Papiam redivit[v].

Papienses[d] quoque et ipsi[d] multoties super Laudenses[e] equitantes, maximam Laudensium[f] predam reportaverunt[g]. Laudenses namque[h] et[i] tunc[i] Papiensibus[k] legatos[l] mittunt mandantque eis, quatenus predam, quam eis[i] abstulerant, redderent[m] et eos[n] amplius non offenderent[o], dicentes, et[p] ipsos Papienses secum in perpetuum coniuratos[q] fore, nec ipsos per se unquam eos[r] offendisse nec offendere velle. Papienses vero nec ullum[s] verbum bonum legatis[t] respondere. Legati[u] namque, nihil boni operare valentes, domum reversi sunt. Laudenses igitur, legatorum verba tam aspera tamque crudelia atque inopinata audientes, quia Papienses nullo modo per se offendere cupiebant, multum condoluere, sed tantum[v] dolore moti, sicut in proverbio antiquo sepe dici assolet, quod feritus bene alium ferit et mala etiam pro malis sepe redduntur, statim super Papienses equitavere ac maximam predam per multas vices ab eis extorsere[u].

Imperator itaque in Longobardia, videlicet[w] quandoque in partibus Papie, quandoque Novarie seu Vercellarum[x] aut Monferati[y] vel Astensium[z], fere per totam hyemem stetit. Sed tamen sequenti[*] mense Martio[a] privatim, ita quod etiam nec ipsi Longobardi, qui 1168. Mart. cum eo fuerant, nisi forte paucissimi, sciverunt, in Alamaniam per terram[b] comitis Uberti de Savongna[c], filii quondam comitis Amadei[d], qui et[e] comes dicitur de Morienna[f], iter arripuit[g].

Deinde[h] namque[h] post imperatoris[i] recessum iam dicte[k] civitates, que insimul iam coniurate fuerant[l], in primis cum Novariensibus et Vercellensibus, posteaque[m] cum Cumensibus[n] et illis de Belforte[15] ac etiam[o] cum Sepriensibus[p] se[q] convenere[r] ac inter se pacem fecere, atque insimul[r] unum corpus omnes[s] effecti sunt.

Interea igitur[s] domnus Galdinus[t] de la Sala[u] — nobilis[s] Mediolanensis civis et clericus et qui quondam cancellarius domni Ribaldi et domni Uberti[17] de Pirovallo[v], Mediolani[w] archiepiscoporum, per multos fuerat annos — qui[x] in locum iam dicti Uberti ad

a) *sequitur* iam *in* 4. 5. b) super 2. c) Pioclosus 1. 2. d) *deest* 4. 5. e) territorium — ipsorum *desunt* 4. 5. f) et 1. 2. g) *deest* 1. 2. h) Hec autem 1. 2. i) *deest* 1. 2. k) atque 1. 2. l) Parmenses 1. 2. m) quod — habentes *desunt* 1. 2. n) versus 1. 2. o) succursum 1. 2. p) eorum 1. 2. q) tendunt 1; iverunt 2. r) ac — venerunt *desunt* 1. 2. s) Quod ut imperator audivit, quam cito 1. 2 *pro* Quod — subito. t) Papiam 1. 2 *pro* ad P. civitatem. u) *deest* 2. v) Preterea — redivit *desunt* 1. *Quae verba in* 2 *paulo inferius habentur*. w) Imperator post 2. x) *deest* 2. y) Marbionis 2. z) quos — habebat *desunt* 2. *) totam 2. a) posteaque 2. b) *deest* 2. c) deindeque — redivit *desunt* 2. d) Interim Papienses 1. 2 *pro* Papienses — ipsi. e) Laude 1; Laudem 2. f) inde 1. 2. g) extorquent 2. h) vero 1. 2. i) *deest* 1. 2. k) sibi 1. 2. l) ambaxatores 1; ambasciatores 2. m) reddant 1. 2. n) *deest* 4. 5. o) offendant 1. 2. p) etiam 1. 2. q) coniunctos 2. r) *deest* 1. 2. s) Set Papienses nullum 1. 2. t) ambaxatoribus 1; ambasciatoribus 2. u) Quod cum audissent Laudenses, magno furore commoti, super Papienses statim equitant et magnam sepe (*deest* 2) predam ab eis (ab eis *desunt* 2) extorquent 1. 2 *pro* Legati — extorsere. v) tantum 4; tanto 5. w) scilicet 1; *deest* 2. x) Vercellarum 1. 2; Vercellensis 4. 5. y) Montisferati 1. 2. z) Astensium 1; Astensibus 2. 4. 5. *) Sequenti vero 1. 2. a) Martii 1. 2. b) *deest* 1. c) Savognia 1; Saxonia 2; Savongna 4. 5. d) Amodei 1. 2. e) *deest* 1. 2. f) Moriene 1. 2. g) arripiens — est profectus 1. 2. h) *deest* 1. 2. i) cuius 1. 2. k) supra scripte 1; supradictae 2. l) insimul iuraverant 1. 2. m) postea 1. 2. n) Cremonensibus 2. o) *deest* 2. p) Sepriensibus 1. 2; Sebriensibus 4. 5. q) *deest* 1. 2 r) convenerunt et pacem omnes inter se facientes 1. 2 *pro* convenere — insimul. s) *deest* 1. 2. t) Gabonius 1. u) Salla 1. v) Piroveno 1; Pirovano 2. w) Mediolanensium 1. 2. x) et 1. 2.

13) qui locus fuisse videtur prope Belgioioso, a Papia ad orientem. 14) Huc referenda sunt ea, quae scripsit Iohannes Saresberiensis in Epist. S. Thomae ed. Lupus p. 344: — *in festo beati Martini* (11. Nov. 1167) — *congressus Fredericus exaugustus cum Mediolanensibus, amissis viginti quinque militibus, in fugam conversus est.* 15) a Varisio ad orientem. 16) archiep. Mediol. ab a. 1135 ad a. 1146. 17) archiep. Med. ab a. 1146 ad a. 1166.

1168 archiepiscopatus[a] Mediolanensis[a*] honorem[b] a domno Alexandro papa tunc[b] fuerat[a] sublimatus ac in Longobardia ipsius pape tunc legatus constitutus, suos nuncios, videlicet[c] abbatem Sancti Ambrosii[d] nec non[e] abbatem Sancti Vincentii[d] de Mediolano, domno Alberto[f] de Cazano, maioris Laudensis ecclesie tunc preposito, ceterisque prepositis, abbatibus, presbyteris et clericis atque[g] etiam consulibus de Laude misit, qui[h] dicerent atque eos omnes monerent clericos: quod ipsi partem pape Pascalis ac domni Frederici imperatoris omni modo derelinquerent[i] et parti pape Alexandri faverent ac[k] Deo[k] et ipsi pape de iniuria sibi illata[l] satisfacerent, atque episcopum[m] catholicum omni modo[n] eligerent; alioquin[o] nisi resipiscerent[o], ab officio ac beneficio ecclesiastico[p] se[q] abstinerent. Consulibus[r] etiam Laudensibus ex parte ipsius archiepiscopi ac Mediolanensium consulum, valde eos rogando retulerunt, quatenus Laudensibus clericis[s] omnibus suaderent, ut secundum quod archiepiscopus et idem Rome legatus eis mandaverat, remota omni occasione, facerent[r]. Iam dictus[t] itaque[u] prepositus ceterique etiam[v] clerici hoc audientes, valde mesti fuere, tum quia magna pars eorum ob districtum[w] imperatoris iuraverant[x], se papam Pascalem pro papa in perpetuum tenere, tum etiam, quia omnes fere iuraverant fidelitatem domno Alberico[y] de Merlino, tunc temporis ut eis videbantur adhuc[v] catholico Laudensi episcopo nec adhuc iure et canonice[z] deposito; hoc[*] facere renuentes[a], ac si[v] facerent[v], maximum[b] dedecus et obrobrium sibi fore putantes[b]; timentes[c] etiam sententiam et preceptum archiepiscopi, sive iustum sive iniustum foret; revolventes etiam ac dicentes inter eos, quod si hoc facerent et papa atque imperator quoquo tempore adhuc victores existerent, quia ipsi in perpetuum et sine ulla spe recuperationis damnarentur ac de omni ipsorum virtute penitus eicerentur, si vero hoc facere supersederint, quia tunc papa Alexander in his partibus quasi victor extiterat et Mediolanensis archiepiscopus[d], tum propter ipsum papam Alexandrum tum etiam propter civitates Longobardie fere omnes insimul coniuratas[d], quoniam sciebant, quod si a Laude expellerentur, in Longobardia[e] nullum ulterius habitaculum aut locum, in quo se reducere valerent, habere possent. Dubiis angustiis utrinque diu et satis hinc inde revolutis, tandem — cum nullam misericordiam, nisi hec agerent, a[f] dicto archiepiscopo invenire per se nec per alios multos ab eis admissos invenire potuerunt, licet hoc cum magno dolore egissent, tamen quia turpiter vivere dedecus est, ac male mori deterius est — magis bene vivere et in patria ac domibus eorum morari elegerunt, atque[c] in papa Alexandro[g] credere eiusque parti favere ac episcopum novum secundum archiepiscopi voluntatem eligere disposuerunt, quam[h] mundum nudi[i] circumeundo fame et siti perire, atque obrobrium et dedecus ab omnibus sustinere, preponentes[k] etiam sibi imminens ac presens bonum, ac dubiam vitam penitus relinquen-
Mart. 28. tes[k]. Igitur in[l] die Iovis sancti, que fuit tunc quarto Kalendas Aprilis de[l] indictione prima, de[m] 1168. anno, iam dictus[n] domnus Albertus Laudensis ecclesie maioris[o] prepositus, communicato insimul consilio tam cum[p] Laudensis civitatis abbatibus[q], prepositis, presbyteris aliisque clericis, quam etiam cum illis[q], qui extra civitatem in Laudensi fuerant episcopatu, ad honorem Dei et beatissime virginis Marie atque beatissimi[r] et pretiosi con-

a) archiepiscopatum 2. a*) Mediolani 1. 2. b) *deest* 1. 2. c) scilicet 1. 2. d) *deest* 4. e) et 1. 2 *pro* nec non. f) Alberto 1. 2; Uberto 4. 5; *cf. infra.* g) et 1. 2. h) dicendo atque monendo 1. 2 *pro* qui — clericos. i) omnino relinquerent 1. 2. k) *deest* 1. 2. l) facta 2. m) episcopum 1. 2; ipsum 4. 5. n) penitus 1; *deest* 2. o) et nisi hoc facerent 1. 2 *pro* alioquin — resipiscerent. p) *deest* 4. 5. q) *deest* 1. 2. r) consulibus — occasione facerent *desunt* 1. 2. s) clericis *scripsi pro* cleris 4. 5. t) Dictus 1. 2. u) vero 1. 2. v) *deest* 1. 2. w) mandato 1. 2 *pro* ob districtum. x) iuraverat 1. y) Alberto 1. 2; Alberico 4. 5. z) canonico iure 1; canonice iure 2. *) et ideo hoc 2. a) timebant valde 1. 2 *pro* renuentes. b) et sibi in maximum dedecus reputabant 1. 2 *pro* maximum — putantes. c) Inter se etiam conferentes, quod si (etiam *add.* 2) dicti papa Paschalis et imperator victores adhuc existerent, ipsi in perpetuum dampnarentur (se damnarent 2) et qualibet (quilibet 2) eorum dignitate et gratia privarentur. Formidabant nimis mandatis suprascripti domni Galdini (Gabonii 1) obedire; hoc etiam recusare, quod eis mandaverat ipse (dictus 2) domnus Gabonius. Stupebant plurimum tum propter papam Alexandrum et eundem domnum Galdinum (Gabonium 1) archiepiscopum, qui quasi in (tum 2) illis partibus victores extiterant (existerent 2), tum propter civitates Lombardie fere omnes insimul coniurantes; quia sciebant, quod si de Laude expellerentur, in Lombardia habitaculum aut locum, in quo se possent reducere, non haberent. Tandem dubiis angustiis hinc inde satis diu revolutis, cum nullam miseri ordiam a dicto archiepiscopo invenire possent, nisi quod eis mandaverat, adimplerent; eligentes potius vivere quam mori, magisque etiam stare in sua patria quam in aliena vagari 1. 2 *pro* timentes — morari elegerunt atque. d) *hic quaedam excidisse videntur.* e) Longobardiam 4. 5. f) a *addidi.* g) papam Alexandrum 1. 2. h) quam — relinquentes *desunt* 2. i) quem episcopum postmodum vidi 1 *pro* quam mundum nudi. k) preponentes — relinquentes *desunt* 1. l) *deest* 1. 2. m) *deest* 1; in 2. n) suprascriptus 1. 2. o) *deest* 4. 5. p) *deest* 1. 2. q) abbatum, prepositorum, presbyterorum aliorumque clericorum quam etiam illorum 1. 2 *pro* abbatibus — illis. r) beati 1. 2.

fessoris sancti[a] Bassiani, cuius[b] sanctissimum corpus in ipsa eadem ecclesia iacet, seu 1168. Mart. 28. etiam cum omnibus Laudensibus tam clericis quam laicis[b] domnum Albertum, presbyterum[c] ac tunc[d] ecclesie Ripalte-Sicce[e] prepositum, virum honestum et sapientem[f] atque religiosum et[g] bonis moribus valde imbutum ac Deum multum diligentem et in omnibus timentem, tam clericis quam laicis in ipsa ecclesia palam astantibus[g], in dominum[h] et Laudensem episcopum ac pastorem elegit. In proximo itaque[i] die Mercurii post pascha Apr. 3. veniente[k] Laudenses abbates, prepositi, presbyteri honestique[l] clerici multi, consules[m] Laudenses multique etiam[k] iudices et alii[k] sapientes de Laude Pergamum, ubi iam[k] dictus[n] electus tunc aderat, communiter[k] ivere; atque[o] in sequenti proximo die Iovis Apr. 4. episcopum[k] electum[k] Laude[p] conduxere. Qui[q] cum tanto gaudio et alacritate a clericis et laicis tam maioribus quam minoribus honorifice susceptus est, quod nunquam vidi nec etiam audivi, aliquem electum in sua civitate maiori tanto gaudio nunquam susceptum fuisse. Deo gratias. Amen[q].

a) *deest* 1. 2. b) cuius — laicis *desunt* 1. 2. c) *deest* 2. d) temporis *add.* 1. 2. e) de Ripalta 1. 2 *pro* Ripalte-Sicce. f) sapientem atque *desunt* 1. 2. g) et — astantibus *desunt* 1. 2. h) dominum et *desunt* 1. 2. i) Proximo vero 1. 2 *pro* In pr. itaque. k) *deest* 1. 2. l) aliique 1. 2. m) etiam *add.* 1. 2. n) dominus 2. o) et ipsum 1. 2. p) *deest* 4. 5; cum ineffabili gaudio *add.* 1. 2. q) Qui ibi honorifice nimis ab omnibus tam clericis quam laycis est susceptus 1. 2 *pro* Qui — Amen.

# ANNALES ET NOTAE PARMENSES ET FERRARIENSES.

## EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ.

*Opusculorum, quae hoc loco sumus una posituri, duae antea in Italia editiones factae sunt, imposito utrique generali titulo hoc:* Chronicon Parmense. *Unam, non ultra annum* 1309 *progredientem, in Rerum Italicarum scriptorum T. IX*, 759—880 *paravit anno* 1726 *Muratorius, novello bibliothecae Estensis codici addictus; pleniorem alteram debemus diligentiae Ludovici Barbierii, variis bibliothecae Parmensis codicibus usi, in eo Monumentorum historicorum ad provincias Parmensem et Placentinam pertinentium tomo, qui est Chronica Parmensia (Parmae* 1858*) inscriptus, p.* 1—321.

*Nostram autem editionem procuraturus Parmam adii anno* 1860, *cuius urbis et situ amoenae et monumentis litterarum artiumque praestantis recordatione unice laetor. Cumulabant vero illius temporis dulcedinem humanissimi, qui bibliothecae tabulario museo praesunt, viri summa et comitate et liberalitate, in his maxime is, de quo iam supra memoravi,* Ludovicus Barbieri *bibliothecarius, qui cuncta desideria mea adeo benigne indulgenterque praevenit, ut eum satis grata voluntate prosequi nequeam. Is mihi suppeditavit omnes, quos bibliotheca Parmensis tenet, annalium nostrorum codices manu scriptos, quorum quidem veterrimum modo, eumque ceterorum qui exstant fontem, adhibendum duxi. Est codex membranaceus forma maxima saec. XIV, neque vero ex toto salvus. Interciderunt enim partes eius nonnullae, ut non supersint nisi fragmenta quatuor; quorum primum ab operis exordio adducitur ad anni* 1309 *verba haec:* ad dictam custodiam communis et 100; *alterum ab anno* 1325: domni Vicecomites *ad annum* 1326: sine incomparabili precio more solito; *tertium ab anni* 1328 *verbis:* Item eodem tempore *ad eiusdem anni verba:* ut precipiebat et volebat; *quartum denique anni* 1329 *memoriam continet a verbis:* sive in vigilia *ad verba:* qui ibi est tenendo penellum. *Omnis vero pars prima quum una et eadem saec. XIV. manu exarata sit ceteraeque partes aliis variisque eiusdem saeculi manibus debeantur, perspicua res est, codicem intervallo annorum* 1309 *et* 1325 *scribi coeptum et deinde narrationem a scriptoribus diversis iisque rerum aequalibus adauctam esse. Itaque quidquid in se habet codex ille, id omne in medio posui, ceterumque satis habui, ex diffusis annorum* 1310—1335 *memoriis a nostroque proposito maximam partem abhorrentibus eligere ea, quae magis ad nos pertinere videbantur. Et haec*

*quidem excerpta transtuli ex fida editione Barbierii, qui posteriorem operis partem ex recentioribus iisque lacunosis codicibus multo labore quasi de musivo composuit.*

*Universum „chronicon Parmense", quod vocabant, licet in codice non membratim sed continenter exaratum sit, tamen diversis ex opusculis constitutum esse, non viderunt quidem antehac viri docti, sed rem diligenter excutienti mihi plane manifestum factum est. Et confido, partitione rerum semel divisa, neminem fore, quin rem assensu probet. Internoscuntur autem opuscula haec:*

1) Annales Parmenses minores *ab a.* 1038 *ad a.* 1167, *saeculo XII. ut videntur compositi, quos in fronte totius libri reperimus. His continuantur*

2) Annales Ferrarienses *ab a.* 1101 *ad a.* 1211, *quorum ortum plane declarant narratiunculae annorum* 1101, 1135, 1170, 1208, 1210, 1211*; tantum quod memoriae anni* 1170 *subiecta est notitia Parmensis, quam quidem discriminis gratia inclinatis litteris describendam curavi. Hos annales postquam a ceteris seiunxi opusculis, incidi in* Chronicon Estense *(ap. Muratori RR. It. SS. XV,* 299 *sqq.); cuius exordio ab ipso anno* 1101 *fluenti quum easdem res Ferrarienses intextas reppererim, ipsam divisionem a me factam gaudebam ea re mirifice probari. Siquidem inde facile apparet, singulare horum annalium Ferrariensium exemplum scriptori illius chronici praesto fuisse. Similiter et* Ricobaldum Ferrariensem *in conscribenda historia imperatorum (ap. Muratori RR. It. SS. IX,* 122 *sq.) ex his annalibus Ferrariensibus hausisse videmus. — Post hos annales comportatae sunt*

3) Notae *variae historicae saec. XII et XIII (eaeque annorum* 1147—1210*), cuiusmodi in primis novissimisque codicum foliis in foliorumque marginibus fere inveniuntur. Has denique excipiunt*

4) Annales Parmenses maiores *ab a.* 1165 *ad a.* 1335. *Qui etsi (una cum superioribus opusculis) in eorum, qui exstant, codicum antiquissimo manibus saec. XIV, ut ante docuimus, positi sunt, tamen quum tot annorum memoriae propemodum omnes eiusmodi sint, ut eas eodem quo gestae res sint tempore litteris mandatas esse pateat, non potest dubitari, quin et annales hi a pluribus scriptoribus facti sint et codex ille in perdito quodam codice priore nitatur. Vel hinc satis censeri potest, quantopere falsus sit Irenaeus Affo, qui in Memorie degli scrittori Parmigiani I,* 281 *seq. unum totius „chronici Parmensis" scriptorem habuit Iohannem Oddi canonicum. Assumpsit autem omnem hanc sententiam ex vaga relatione auctoris non nimis gravis*[1]*, Da Herba, in „compendio ms. rerum Parmensium" referentis, Iohannem illum Oddi, quem quidem omnino fuisse nihil argumenti ex tabulis afferri potest,* imperante Alberto I *inter alia scripsisse* una cronaca de' suoi tempi, che raccoglie quella di Salimbene di Adamo; i fatti di tutta la Lombardia e della patria fino all' anno 1312. *Accedit, quod a sacerdotalibus scriptoribus esse annales hi prorsus negandi sunt, propterea quod in iis civiles res rebus ecclesiasticis penitus praevalere videmus, immo haereticam quodammodo malitiam intellexeris ex verbis, quae leguntur ad a.* 1296, *his:* Et mutuum clericis fuit impositum: duo milia librarum, et Tuscanis prestantibus ad panum duo milia librarum imperialium, usque ad Kalendas Aprilis persolvendum; et sic adiscunt vachelle arare. *Itaque quum annales fere toti versentur in enarrandis rebus urbanis, quod genus qui fuerint potestates, qui capitanei, quae bella gesserint*

1) ut docuit Barbieri in suae editionis praefatione.

*Parmenses, quae opera publica construxerint cet., nihil reor esse verisimilius, quam publicos urbis ministros, veluti scribas communis Parmensis vel notarios, hoc opus paravisse. Nae ille hercule, a quo annorum* 1295 *et* 1298 *memoriae explicatae sunt, haud ambigue opinor nomen suum prodidit. Legimus enim ad a.* 1295, *duos ad papam legatos Parmenses Anagniae mortuos esse eorumque socium fuisse* Aliotum de Aliotis notarium; *cui quidem narrationi quis nisi ipse Aliotus affixisset haec:* et dictus notarius fecit testamenta eorum et interfuit sepulturae et cum Dei auxilio rediit Parmam, sed non bene sanus. *Et eadem significationis ratio reperitur ad annum* 1298, *hoc pacto:* de mense Ianuarii factus fuit syndicatus et compromisum ex parte communis Parme ad compromitendum in domnos Mapheum et Albertum com illis de parte episcopi, quem sindicatum fecit A l i o t u s  n o t a r i u s, etiam compromisum; *et:* de mense Februarii factus fuit sindicatus ex parte communis ad compromitendum com illis de parte imperii in predictos . ., quem sindicatum fecit d i c t u s  n o t a r i u s et compromissum.

*Berolini* 6. *Idus Martias* 1862.

# ANNALES PARMENSES MINORES.

1038. Anno ab incarnatione Domini 1038. civitas Parme combusta fuit ab Anchona[a] rege.

1055. In 1055. in festo sancti Laurencii predicta civitas Parme divino iudicio accensa est.

Aug. 10. 1077. In 1076. rex maior Henricus venit Ytaliam et ivit Canuxiam ad papam Indeprandum, qui eum absolvit ab excommunicatione.

1085. In 1085. magna mortalitas hominum fuit per totam Ytaliam, et talis famis, quod mater comedebat filium[2], et sestarium furmenti vendebatur tribus solidis Parmensibus et sestarium spelte duobus solidis Parmensibus.

In 1096. nono Aprilis, in deposicione sancti Ambrosii, vise fuerunt in multis locis frequenter in illa nocte stelle, que ceciderunt de celo, et in ascensione Domini, que fuit in illo et eodem anno, et in festivitate sancti Ambroxii cecidit magna nix.

1117. In 1104. tercio die mensis Ianuarii tere motus fuit maximus in hoc regno; et maxima pars ecclesie sancte Marie dirupta fuit in 1117.

1106. Nov. 4? In 1106, indictione 14. pridie[b] Novembris consecrata fuit ecclesia sancte Marie a Pascasio papa.

1120. In 1121.[3] Cremonenses a Parmensibus capti fuerunt et in captivitatem ducti numero 1300.

1131? In 1131. in Bersilo[4] magna pars Cremonensium ex maioribus capta fuit, et multi in Pado[4*] neccati fuerunt.

1108. Mai. 11. In 1108. quinto Ydus Madii, in festo sancti Maioli abatis, combustum fuit castrum Burgense[5] in parvo spacio unius diei a populo Parmensi.

1149. In 1149. Placentini, obsedentes castrum Tablani[6], fere omnes a Parmensibus capti et in carcere reclusi.

1152. Aug. 18. In 1152. in festivitate sancti Agapiti Parmenses equitaverunt supra Reginos usque ad flumen Situle[7], devastantes et comburentes omnia, et in redditu fugaverunt eos usque Sept. 20. ad muros civitatis et ceperunt fere omnes. Item eodem anno in vigilia beati Mathei Parmenses ceperunt et combusserunt Burgum sancti Donini, et omnes Burgenses in captivitatem duxerunt.

a) *sic cod. pro a Chonone s. a Chonrado* b) *Nonas excidisse puto.*

2) De hac fame cf. Bernoldi Chron. 1085, supra SS. V, 443. 3) Cf. Annales Cremonenses 1120. 4) Brescello ad Padum fl., a Guastalla ad occidentem; sed cf. Annal. Cremonenses 1130. infra et Affò St. di Parma II, 167. 4*) Pado fl. 5) Borgo San Donino. 6) Tabiano a Burgo S. Domnini ad meridiem. 7) Secchia fl.

In 1153. in festo sanctorum Iohannis et Pauli, quod est quarto die ante festum sancti 1153.
Petri, Parmenses pugnaverunt contra Cremonenses et Placentinos ad Casalenlonculum[8], Iun. 26
et multos ceperunt. Item eodem anno Parmenses pugnando ceperunt turim de Guastala.

In 1155. rex Fredericus posuit castra in ripa Taronis prope ecclesiam sancti Nicolay[9] 1155.
die quinto mensis Maii. Mai. 5.

In 1167. Placentini, Cremonenses, Brixienses et Mantuani castra metati fuerunt in 1167.
ripa Taronis. In festo sancti Laurencii milites Parmenses pugnaverunt cum omnibus illis Aug. 10.
ab hora none usque sero, et multos ex illis ceperunt.

# ANNALES FERRARIENSES.

In 1101, tempore Inrici imperatoris, fuit obsessa Feraria[10] 1101.

In 1110. Henricus, filius maior[a] Henrici, et expoliavit omnes ecclesias de thesauro 1110.

In 1111. imperator Henricus cepit Pascalem papam. 1111.

In 1115. obiit comitissa Matelda. 1115.

In 1116. fuit maximus terre motus per triginta dies[b], in octava sancti Iohannis euan- 1117.
geliste, tertio die intrantis mensis Ianuarii. Ian. 3.

In 1122. fuit ordinatio Conradi regis. 1128

In 1135. fuit episcopatus[11] Ferarie translatus[12] ibi, ubi nunc e . 1135.

In 1138. fuit maximum prelium inter Cremonam et Mediolanum. 1138.

In 1149. sanctus Thomas archiepiscopus occisus fuit. 1170.

In 1153. Terdona destructa fuit a Frederico imperatore. 1155.

In 1156. inventus fuit sanguis domini nostri Iesu Christi[13]. 1156.

In 1158. Cremona[14] destructa fuit. 1160.

In 1162. Mediolanum destructum fuit ab imperatore Federico. 1162.

In 1156. reversi sunt Mediolanenses ad patriam. 1167

In 1170. obiit rex Sorble[15]. Et Arcenta[16] capta fuit a Ferariensibus. *Et eodem anno* 1170?
*Parmensis consulatus in principio introytus et concordia Parmensis consilii promulgavit legem, et ordinamentum statuit super quartis*[17] *et donacionibus mulierum.*

In 1171. Venecia[18] conbusta fuit. 1172.

In 1187. Saladinus, perfidus Sarracenus, cepit civitatem Acri circha sanctum Petrum, 1187.
et habuit veram crucem Christi et multas civitates christianorum; et eodem anno cepit c. Iun. 29.
Ierusalem civitatem sanctam.

In 1206. guera incepta fuit inter Saiengueram[19] et domnum marchionem Extensem[20]. 1206.

In 1208. in die sancti Systi domnus Soymellus et Ziliolus et domnus Guizardus intra- 1208.
verunt Ferariam cum parte domni Saienguere et per vim ceperunt eam. Apr. 6.

In 1210. imperator Otto fuit Ferarie et fecit pacem inter domnum marchionem et 1210.
domnum Saiengueram. Mart.

In 1211. exivit pars domni Saienguere de Feraria die Iovis primo mensis Martii. 1211 Mart. 3

a) *an* maioris? b) per totum orbem *Chron. Estense pro* per triginta dies.

8) de cuius loci situ cf. infra Annales Parm. maiores ad 1188. 9) quae videtur fuisse inter Burgum S. Domnini et Parmam. 10) V. Donizonis Vit. Mathildis II, 13 supra SS. XII, 397. 11) i. e. sedes episcopalis. 12) ex antiqua aede cathedrali in novam aedem. 13) Mantuae; v. Chron. Estense ad 1146. et Ricobaldi Ferrariensis hist. imp. ad 1156. 14) immo Crema. 15) Ex aliis annalium Ferrariensium exemplis hauserunt Chronici Estensis scriptor et Ricobaldus Ferrariensis (v. supra p. 661.), quorum alter ad a. 1170. praebet haec: *Righettus rex Ciciliae obiit,* alter haec: *moritur Rugerius rex Sicilie.* At Rogerium Siciliae regem anno 1154. mortuum esse constat. 16) Argenta a Ferraria inter orientem et meridiem. 17) "Quarta" est quadrans bonorum sponsi obveniens sponsae. 18) Ricobaldus Ferrariensis 1171: *Vicentia urbs magno incendio est cremata;* Chron. Estense 1171: *Veronenses combusti fuerunt.* Sic igitur tria, quae novimus, annalium Ferrariensium exempla differunt, ut unum *Venecia,* alterum *Vicentia,* tertium *Verona* exhibeat. Sed profecto *Verona* legendum esse, docent et Annales Veronenses (ap. Biancolini Serie dei vescovi di Verona p. 67.) et Chronicon Veronense (ap. Muratori RR. It. SS. VIII, 621.), licet in utroque opusculo hoc Veronae incendium non ad a. 1171. sed ad a. 1172. referatur. 19) Salinguerram II, qui obiit a. 1245. 20) Azonem VI.

# NOTAE PARMENSES.

1147. In 1147. Conradus imperator et rex Francorum pereserunt in partibus ultramarinis contra paganos.

1158. In 1158. Fredericus imperator venit Mediolanum, et fixit[a] ibi tintoria et mansit ibi duos menses, et hedificavit Lauden in loco qui dicitur Montegrave[21], semper devastando
1162. episcopatum Mediolanensem in circuitu. Postea in quarto mense[22] exercitus Mediolani fame constricti sine omni tenore venerunt ad imperatorem Fredericum et posuerunt arma sua ad pedes eius et civitatem ei tradiderunt destruendam. Et destructa est civitas predicta ab imperatore Frederico, qui omnes alias civitates Longhobardas eius voluntati[b] et imperio subiugavit.

1184. Oct. In 1184. intrante mense Octubris papa Lucius et imperator Fredericus insimul fuerunt Verone.

---

Anno Domini 9.[c] incepit ordo Cluniacensis.
Anno Domini 1086. incepit ordo Cartusiensis.
Anno Domini 1098. incepit ordo Cistersiensis.
Anno Domini 1120 incepit ordo Premonstratensis
Anno Domini 1200. incepit ordo Predicatorum.
Anno Domini 1210. incepit ordo Minorum.

---

1177. Item 1178. per totam Ytaliam fuit tempus carum, quod dicebatur malum mignochi[23], quia sextarium furmenti vendebatur quinque solidis imperialibus et sestarium spelte duobus solidis imperialibus, et omnes non valentes habere panem comedebant radices herbarum salvaticarum. Et magna mortalitas eodem anno fuit.

1180. Sept. 22. In 1180. flumen Taronis et Parme et Hencie[24] miscerunt se simul, et flumen Parme intravit in foveam et de muro rupit et de teralio[25] diruit et magna pars fovearum impleta fuit sequenti die post festum sancti Mathei.

---

# ANNALES PARMENSES MAIORES.

1165. Domnus Maladobatus de Maladobatis et socii de Parma fuerunt consules Parme in 1165.

1175. Domnus Niger Grassus de Mediolano fuit potestas Parme in 1165[d]. Et in suo regimine fuit primum carucum[26] nomine Crevacorum[27]. Et fuit potestas per tres annos completos. Et ab eo tempore retro nemo foresterius exstiterat potestas Parme. Et sestarium furmenti valebat quatuor solidos imperiales et dimidium et plus, et sestarium spelte duos solidos dimidium et plus. Et imperiales[28] Mediolanenses curebant per totam Ytaliam. Et in
1178. Iul. 24. vigilia sancti Iacobi predictus Niger in dicto suo regimine obiit, et ibi sepultus fuit cum maxima tristitia et honore; et obiit in 1178.

1179. Domnus Ubertus Bafolus et domnus Maladobatus et socii de Parma fuerunt consules in 1179.

1181. Domnus Ugo Arpini et Guido Roglerii, Guido Baratus, Albertus Gilii et Albertus Tebaldi de Parma fuerunt consules in 1181. Et sequenti tempore fuit tempus ita carum, quod sestarium furmenti vendebatur quatuor solidis et quinque solidis imperialibus, et sestarium
1180–1181. spelte duobus solidis imperialibus. Et inmensa mortalitas hominum fuit hiis duobus annis in civitate Parme et alibi in multis locis, ita quod quatuor et quinque cadavera omni die per magnam partem dictorum duorum annorum erant in ecclesia maiori sancte Marie, et per multas alias ecclesias civitatis Parme quinque octo et decem et plura ad sepeliendum per diem in una ecclesia.

a) finxit *c.* b) voluntate *c.* c) VIIII *cod.* d) *in margine scripsit eadem manus:* 1175.

21) mons Gizo secundum Ottonem Morenam supra p. 604. 22) immo anno. 23) Memoriale potestatum Regiensium (ap. Muratori RR. It. SS. VIII, 1075.) 1177 ... *et fuit mignochus.* 24) Enza fluv. 25) aggere. 26) *carroccio.* 27) cordolium, Ital. *crepacuore.* 28) nummi.

Domnus Rolandus Rubeus de Parma fuit potestas Parme 1182. Et eodem anno in 1182.
Kalendis Aprilis Parmenses equitaverunt com domno Meroello marchione Malaspina ad Apr. 1.
Carpanetam[29], et preliando capta fuit com quibusdam consulibus Regii et aliis maioribus
et melioribus ipsius civitatis, qui eam tueri volebant; et ducti sunt Parmam in carceribus.

Domnus Manfredus Baratus de Parma fuit potestas 1183. Et hoc anno fuit facta pax 1183.
Constancie.

Domnus Gilius Bernardi Bennate et socii de Parma fuerunt consules 1184. 1184.

Domnus Raynerius de Gomola de Mutina fuit potestas Parme. Et hoc anno domnus 1185 [a]
Fredericus imperator rehedificavit Cremam de mense Marcii[30]. Mai.

Domnus Paganus de Modolana de Cremona fuit potestas Parme 1186. Et ipso anno, 1186.
die dominico 8. Kalendas Februarii[31] Henricus rex, filius imperatoris Frederici, celebravit Ian. 27.
nupcias suas apud Mediolanum, et ibidem com uxore sua et patre suo coronatus est.

Domnus Pelavicinus marchio de Pelavicinis de episcopatu Placentie fuit potestas Parme 1188.
in 1188. Et eo anno Parmenses sconfiserunt Cremonenses Casalunculi, quod est in terra
Trium Casalium[32] episcopatus Parme.

Domnus Anzelerius de Burgo de Cremona fuit potestas Parme 1189. 1189.

Domnus Albertus Baratus et socii de Parma fuerunt consules Parme 1190. 1190.

Domnus Gerardus Vicedominus et domnus Iacobus Mafei et socii de Parma fuerunt 1191.
consules Parme 1191.

Domnus Bernardus de Cornazano de Parma fuit potestas Parme in 1192. 1192.

Domnus Guido de Rogleriis et domnus Gerardus Rubeus et socii de Parma fuerunt 1193.
consules Parme in 1193.

Domnus Azo de Guidobovis et domnus Odobertus de Uliveriis et socii de Parma fuerunt 1194.
consules Parme in 1194.

Domnus Ramponus et Oldezonus Guasconi de Parma fuerunt consules Parme 1195. 1195.

Domnus Bercilius et Iordanus de Sancto Michaele de Parma fuerunt consules Parme 1196.
in 1196. Et eo anno inceptum fuit batisterium maioris ecclesie Parmensis beate Marie.

Albertus de Porta et Syghifredus Bernardi Rubei de Parma fuerunt consules Parme 1197.
in 1197. Et hoc anno die Iovis septimo intrantis Maii[33] luna obiit in sero, habens colorem
sanguineum et nigrum, et diu stetit hoc modo.

Domnus Anzelerius de Burgo de Cremona fuit potestas Parme in 1198. Et in illo anno 1198.
factum fuit castrum de Rivo Sanguinario. Et obiit dictus domnus potestas in Parma ad
festum sancte Marie et honorifice ibi sepultus fuit. Et eodem anno fuerunt electi Rolandus Aug. 15.
Rubeus et Guido de Rogleriis hinc ad annum novum, et ab ipsis Kalendis Ianuarii usque
ad annum.

Domnus Guido de Rogleriis et Rolandus Rubeus de Parma fuerunt rectores Parme 1199.
in 1199. Et in illo anno fuit exercitus magnus de Burgo sancti Donini de quatuor carociis
de mense Maii, quia Parmenses cum Cremonensibus Reginis et Mutinensibus et eorum Mai. 19
factoribus erant ibi pro defendendo dictum Burgum ancti Donini a Placentinis, qui erant
com Mediolanensibus Brisiensibus Cumanis Vercelensibus Novariensibus Astensibus et Alexandrinis et eorum factoribus. Et com prope eos venisent com duobus carociis, summo
diluculo de castris receserunt, et vegetes et multa alia dimiserunt. Quos Parmenses et
Cremonenses sunt insecuti et com eis strumum inceperunt et fecerunt, et circa ducentos
equites ceperunt et Parmam captivos duxerunt.

Domnus Gerardus de Vicedominis de Parma fuit potestas Parme in 1200. 1200.

Domnus Rolandus Rubeus de Parma fuit potestas Parme in 1201. 1201.

Domnus Guido Lupus marchio de Parma fuit potestas Parme in 1202. 1202.

Domnus Matheus de Corigia fuit potestas Parme in 1203. 1203.

Domnus Belotus Boseti de Cremona fuit potestas Parme in 1204. Et illo anno fuit 1204.
mortuus Ubertus Bafolus.

Domnus Gerardus Vicedominus, domnus Albertoxius de Henzola et domnus Thebaldus 1205.
de Ficianis de Parma fuerunt consules Parme in 1205.

a) *in margine posuit eadem manus* 1185.

29) Carpineti a Regio inter meridiem et occidentem. 30) immo Maii. 31) immo die Lunae, 6. Kal. Febr.
32) Tre Casali a Parma ad septemtrionem. 33) anno 1197. dies 7. m. Maii in Mercurii diem incidit.

1206. Domnus Albertus de Dovaria de Cremona fuit potestas Parme in 1206. Et tunc fuit primus exercitus de Gonzagha[34].

1207. Domnus Roglerius Biacha de Cremona fuit potestas Parme in 1207. Et tunc nix
Febr. 5. magna sancte Agathe.

1208. Domnus Barocius de Burgo de Cremona fuit potestas Parme 1208. Et tunc commune Parme fecit fieri moram, que iusta bechariam[35] de capite pontis a mane.

1209. Domnus Albertus Martellus marchio de Cremona fuit potestas Parme in 1209. Et fuit suo tempore sturmum Bafoli[36].

1210. Domnus Paganus Alberti Gilii de Parma fuit potestas Parme in 1210. Et illo anno
Apr. imperator Otto fecit concilium in civitate Parme. Et tunc fovee de Sancta Cruce[37] fuerunt facte et cavate.

1211. Domnus Conradus Munarius de Mutina fuit potestas Parme in 1211. Et illo anno facta fuit pax Bafoli. Et moneta denariorum parvorum Parmensium primo facta fuit. Et domus
38 fratrum religionis veteris[38] incepta fuit exstra portam Pediculosam.

1212. Domnus Albertus Tavernerius, domnus Pionus de Tebaldis, domnus Baldoynus Vicedominus, domnus Albertoxius de Henzola et domnus Iohannes Brazolus et Domafolus de Parma fuerunt consules Parme 1212.

1213. Domnus Lambertinus Guidonis Buvali de Bononia fuit potestas Parme in 1213. Et in
Iun. 2. illo anno, die dominico secundo intrantis mensis Iunii fuit prelium de Castro Leone, quando Cremonenses habuerunt carocium de Mediolanensibus. Et eodem anno fuit exercitus de Ponte-Dosuli. Communiter enim venerunt ibi Parmenses Mantuani Ferarienses et Mutinenses ad obsidendum dictum castrum occasione domni Baldoyni Vicedomini de Parma — qui erat potestas Mantue[39] tunc temporis, qui fuerat interfectus ab Albertino nepote Salun-
Nov. 10. guere, qui stabat in dicto castro — qui vero ceperunt dictum castrum et eum destruserunt et combuserunt; et hoc fuit decimo die Novembris.

1215. Domnus Robertus Pivi de Mutina fuit potestas Parme in 1215. Et illo anno iverunt Parmenses ad Castrum Novum de Placentia[40]. Et eo anno fuit facta batalia ad castrum Cruviachi[41] inter Petrum Guidonis Roglerii et domnum Rolandum captaneum de Nuceto[42].

1216. Domnus Ysachus de Dovaria de Cremona fuit potestas Parme in 1216. Et illo anno
Aug. Parmenses iverunt ad Pontem-Nurum[43] de Placentia, id est de Ponte retro de Bosco[44], et ibi fuit sturmum, et altera pars fuit in fletu et dolore magno; et hoc fuit a vesperis usque sero. Et tunc Parmenses equitaverunt usque ad Montalem[45] et usque ad domum infir-
Aug. 29. morum[46]; et hoc fuit die festi decolacionis sancti Iohannis baptiste. Item alia die sequenti
Aug. 30. milites Parmenses preliati fuerunt com Placentinis Laudensibus Cremaschis[47] et Mediola-
49 nensibus iusta pontem, qui est ad bucham[48] castri prope Fontanam[49], et multos ex illis ceperunt, et pauci de militibus Cremone preliati fuerunt; et hoc fuit ab hora none usque ad vesperas [ad Pontem-Nurum[a]]. Item eodem anno Paudum fuit congelatum. Et
Apr. 9. illo anno, die sabati 9. intrante Aprilis inceptum fuit batizari primo in batisterio Parme de novo incepto, qui dies sabati erat die sabati sancti[b] ipso anno.

1217. Domnus Cabriel de Camino de marchia Trevisana fuit potestas Parme in 1217. Et illo anno fuit primus exercitus de Zovenalta[50] in episcopatu Cremone.

1218. Domnus Guido de Regio fuit potestas Parme in 1218. Et illo anno fuit sturmum de
Iun. 7. Zibello[51] inter Mediolanenses Papienses Placentinos et suos sequaces ex una parte, Cremonenses Parmenses et Mutinenses ex alia; et fuit prima die[c] Iovis Iunii inceptum in hora none et duravit usque ad vesperas; et multi de Mediolanensibus et suis sequacibus fuerunt

a) ad Pontem-Nurum *uncis inclusi, propterea quod haec verba reor perperam ascripta esse.* b) sanctus *cod.* c) dies *cod.*

34) Gonzaga a Guastalla ad orientem. 35) lanienam, Ital. *beccheria.* 36) Affò St. di Parma III, 63 intelligi vult *un tumulto eccitato dalla famiglia de' Baffoli.* 37) de ecclesia S. Crucis. 38) i. e. canonicorum regularium congregationis S. Marci Mantuani. V. Affò l. l. p. 73. 39) immo Mutinae; interfectus erat circiter die 29. Sept. V. Annales vet. Mutin. et Chron. Mutin. 1213. ap. Muratori R. It. SS. XI, 57. XV, 558. 40) Cf. Annales Cremonenses 1215. infra. 41) Cavriago a Regio ad occidentem. 42) Noceto a Parma ad occidentem. 43) Pontenure a Placentia inter or. et mer. 44) a Pontenure inter orient. et septemtr. 45) Montale inter Pontenure et Placentiam. 46) San Lazzaro prope Placentiam. 47) Cremensibus. 48) introitum, Ital. *bocca.* 49) ad Clavenam fluv., a Florentiola inter occidentem et septemtriones. 50) Genivolta. 51) Zibello inter Cremonam et Parmam, in dextera Padi ripa.

capti et interfecti, et multi in carcere ducti ad Parmam[a]. Et facto prelio predicto venerunt 1218.
Regini, et ideo dictum est postea: *Auxilium Reginorum.* Iun. 7.

Domnus Ponzamatus de Cremona fuit potestas Parme 1219. 1219.

Domnus Niger Marianus de Cremona fuit potestas Parme. Et eo anno factum fuit 1220.
castrum Mariani[52] in episcopatu Parme, et a prenomine potestatis nominatum exstitit. Et
eodem anno Parmenses fuerunt secunda vice in servicium Reginorum in exercitum de
Gonzagha.

Domnus Torellus de Strata de Papia[53] fuit potestas Parme in 1221. Et illo anno in- 1221.
ceptum fuit palacium communis hedificari, et ibi fuit positus torellus[54] lapideus, nominatus 54
a nomine potestatis.

Domnus Brozardus de Burgo de Cremona fuit potestas Parme in 1222. Et illo anno 1222.
tere motus magnus per totam Ytaliam, et fuit in nativitate Domini inter sextam et nonam, Dec. 25.
et homines fugiebant exstra civitatem credentes se subito mori; et magna pars Brixie de-
structa fuit.

Domnus Henricus de Avocatis de Cremona fuit potestas Parme in 1223. Et in illo 1223.
tempore facte fuerunt scale palacii communis versus portam Pediculosam et versus Sanctum
Petrum.

Domnus Manfredus de Cornazano de Parma fuit potestas Parme in 1224. Et hoc anno 1224.
obiit domnus Oppezo episcopus Parmensis[55].

Domnus comes Ubertus de Ravaldescho de Brixia fuit potestas Parme 1225. 1225.

Domnus Ubertus de Montemerllo de Terdona fuit potestas Parme 1226. Et tunc impe- 1226.
rator Fredericus venit Parmam primo, com esset coronatus. Mai.

Domnus Torellus de Strata de Papia fuit potestas Parme secunda vice in 1227. Et eo 1227.
anno per totam Ytaliam fuit magna famis, nam de mense Maii sestarium furmenti valebat
decem solidos imperiales et speltae sex solidos imperiales. Et in civitate Bononie corba[56]
frumenti valebat 20 solidos imperiales.

Domnus comes Ubertus de Ravaldescho de Brixia fuit potestas Parme secunda vice 1228.
in 1228. Et illo anno, die 5. Setembris in festo sancti Herculiani, cum Bononienses Ymo- Sept. 5.
lenses Faventini et universi Romagnoli et Ferarienses — habentes se cum mille equitibus
de Lonbardia, scilicet de Mediolano de Placentia de Brixia et de eorum partibus, et ali-
quibus militibus de Florencia, qui venerant in eorum subsidium — venisent hostiliter ad
osidendum castrum Bazani[57] districtus Mutine, Parmenses com carocio eorum, habentes 57
secum in suum auxilium mille equites et quatuor milia pedites de Cremona, iverunt in
auxilium Mutinensium et dicti castri Bazani. Et com Bononienses essent com predictis in
dicto osedio et multos ex Mutinensibus cepisent et maxima danna eis intulisent et inferrent
cotidie, Parmenses com suis super stratam Claudiam equitaverunt com carocio usque ad
Renum, omnia incendio in districtu Bononie suponentes et devastantes. Que nova cum ad
Bononienses et suos supervenisent et fumum et ignem viderent, dimiso obscedio verssus
Bononiam reversi sunt. Quo scito per Parmenses, ipsi in continenti Parmenses, directis
aciebus contra Bononienses, obviaverunt eis in strata ad Sanctam Mariam in Strata[58], et
ibi prelium arduum fuit inter ipsas partes inceptum sommo mane, et quod duravit usque
ad primum sompnum, ita quod stella grossa de sero iam fuerat stramontata. Et tandem
Bononienses et omnes supradicti conflicti fuerunt a Parmensibus et a suis, et Bononienses
com suis quasi omnes capti et mortui fuerunt. Mutinenses, qui erant capti, recuperati
fuerunt; similiter et Florentini, qui ibi erant capti facti[b] et ducti in carceribus com aliis.
Et cum[c] ipsi Florentini dimiterentur, compositio facta fuit inter Parmenses et commune
Florencie, et commune Florencie iuravit et promixit de nonquam essendo contra commune

a) *sequuntur iterum in cod. haec:* et suis sequacibus. b) fucti *cod.* c) cũc *cod.*

52) Mariano ad Mozzolam fluv., a Pontremoli ad septemtriones. 53) Hunc non sine probabilitate arbitratur Affò (Stor. di Parma III, 111 n. b) esse illum *messer Torello d'Istria da Pavia*, quem cum Saladino, mercatoris speciem prae se ferente, in Lombardia anno 1188. urbanissime egisse vult Boccaccius in Decam. Giorn. X novella 9; ubi pro *Torello d'Istria* putat legendum esse *Torello di Stra.* 54) taurulus, Ital. *torello.* Inde taurum urbis Parmensis insigne factum esse, docet Ronchini, Statuta com. Parmae ab a. 1316. ad 1325. pag. 286 n. 5. 55) die 22. Maii. V. Affò III, 119 ex calendario antiquo capituli Parmensis. 56) Korb. 57) Bazzano a Bononia ad occidentem. 58) S. Maria in Strada inter Bononiam et Mutinam.

1228. Parme; et sic relaxati fuerunt dicti Florentini. Tres vero milites de Parma, qui transierant
Sept. 5 Renum, ibi per Bononienses interfecti fuerunt.

1229. Domnus Cavalcabox de Cremona fuit potestas Parme in 1229. Et illo anno in festo
Iul. 4. sancti Olderici sturmum et batalia magna fuit inter Bononienses et Romagnoles et alios
milites de Lombardia qui com eis erant ex una parte, et Parmenses et Mutinenses et suos
sequaces ex alia; et hoc fuit ad Sanctum Cesarium[59], districtus Bononie; et inceptum fuit
ante vesperas et duravit usque ad mediam noctem. Tandem Bononienses com suis conflicti fuerunt, et pro maiori parte capti et ducti fuerunt in carceribus Parmam et Mutinam.
Et carocium Bononiensium captum fuit et strabucatum[60] et proiectum fuit in quodam fosato
61 et cohopertum de fraschis[61], et quod Mutinenses voluerunt ducere Mutinam, sed Parmenses
noluerunt, ymmo prohibuerunt. Manganellas[62] vero Bononiensium Parmam duxerunt et gubernaverunt eas ad ecclesiam maiorem. Item eodem anno in civitate Parme maximum strumum fuit in Galegana[63].

1230. Domnus Henricus de Tintis de Cremona fuit potestas Parme in 1230. Et illo anno
flumen Paudi ita crevit, quod fuit usque ad Gaynaghum[64] per totum. Item eo anno
Iun. fovee de capite pontis amplificate fuerunt. Item eo anno de mense Iunii Parmenses
iverunt in servicium populi Placentini ad guastandum Sanctum Laurentium[65] et Castrum Archuatum[66], que loca tenebant com militibus Placentinis de discordia et guera, quam simul habebant. Item eodem anno Parmenses iverunt Pontremulum contra Malaspinos.

1231. Domnus Guillelmus[a] Amatus de Cremona fuit potestas Parme in 1231. Et eo anno fuit recuperata Rocha Valis Sazuline[67]. Et plene[68] magne fuerunt. Et Parmenses iverunt Pontremulum contra Malaspinos.

1232. Domnus Gerardus Manaria de Cremona fuit potestas Parme in 1232. Et eo anno fuit factus murus in glarea communis in ripa Parme a sero, de subtus a ponte lapidum, cuius memoria in quodam lapide marmoreo sculpita fuit com manaria[69] + ++.

1233. Domnus Ansaldus de Mari de Ianua fuit potestas Parme in 1233. Et illo anno facte fuerunt paces per fratrem Gerardum de Mutina, et statuta communis emendata, et baniti omnes absoluti[70]. Et frater Cornetus[71] venit Parmam, et omnes ibant post eum com ramis alborum[72] et candelis accensis clamando: *Benedictus sit Pater, benedictus sit Filius, benedictus sit Spiritus sanctus.* Et tunc fuit devocio fratrum Predicatorum. Et impletum fuit campum; et milites et populus, domine et alie mulieres portabant terram de glarea ad implendum boram[73], que erat valde magna iuxta ecclesiam fratrum Predicatorum.

1234. Domnus Raynerius de Montemerllo de Cremona in 1234. Et illo anno fuit sturmum de Zovenolta. Nam Placentini Mediolanenses et Brixienses com suis sequacibus com duobus suis carociis ex una parte, et Parmenses Cremonenses et Papienses com duobus
Iul. 3. suis carociis ex alia, de mense Iulii[74] insimul preliati fuerunt in tantum, quod ambe partes
ita fesse fuerunt, quod nichil sibi prelii facere poterant insimul; et tandem fecerunt tre-
Iul. 4. guam in campo post vesperas. Et summo mane veniente, ante diem Mediolanenses com
suis sequacibus recesserunt cum carociis suis. Et in dicto prelio mortui fuerunt domni Thomaxius de Reticaldis et unus illorum de Catena et unus illorum de Sancto Michaele. Item eodem anno fuit yhems ita asperum, quod vinee ficus et oliveta frigore sunt exstincta.

1235. Domnus Raynaldus Mellioris de Florentia fuit potestas Parme 1235 Et illo anno fuit cavata Scotena[75] causa destruendi episcopatum Bononie, sed hoc fuit potius in eorum utilitatem.

1236. Domnus Ospinellus de Sommo de Cremona fuit potestas Parme in 1236. Et in illo
Sept. 14? anno, die dominico 15.[76] intrantis Septembris Parmenses Cremonenses et quinquaginta milites de Mutina et totidem de Regio iverunt in episcopatum Brixie obviam[b] domno

a) Goiellus *cod.* b) obvia *cod.*

59) S. Cesario a Mutina inter orientem et meridiem. 60) subversum. 61) Ramus frondosus Italice *frasca* vocatur. 62) machinas bellicas. 63) in ea Parmae parte quae vocabatur *Vicinia S. Martini de Galegana.* V. Affò Stor. di Parma III, 143 n. b. 64) Gainago a Parma ad septemtriones. 65) Villa S. Lorenzo a Florentiola ad meridiem. 66) *Castell' Arquato* ad Ardam fluv., a Florentiola ad meridiem. 67) Rocca Sigillina a Pontremoli ad orientem. 68) Aquarum altitudo Italice *piena* vocatur. 69) securi, Ital. *mannaja.* 70) V. Statuta communis Parmae digesta a. 1255. p. 306 seq. 71) „Frater Benedictus, qui dicebatur de Cornetta", Salimbene ad 1233. 72) arborum. 73) hiatum (Ital. *borro*). 74) die 3. Iulii, v. Annales Mediolan. breviss. 1234. supra p. 392. 75) Scultenna s. Panaro fluv. 76) an 14? Is dies enim dominica fuit anno 1236.

Frederico imperatori[a], causa ducendi eum in Lombardiam, non obstantibus[77] Mediola- 1236.
nensibus Brisiensibus Bononiensibus et Mantuanis com suis sequacibus, qui erant castra- Sept. 14?
mentati ad Vigrizolum[b, 78] in episcopatu Brixie contra ipsum domnum imperatorem, volentes
eum prohibere venire in Lombardiam. Qui domnus imperator, non obstantibus predictis
suis contrariis, venit et castramentatus est iuxta Montemclarum[79] com Cremonensibus et 79
Parmensibus qui ibi erant. Et altera die equitavit com predictis in episcopatu Mantue et
Brixie, devastando et comburendo predictos episcopatus non obstantibus predictis; et etiam
ceperunt Marchariam[80], et multa castra et villas devastaverunt ibidem. Et Parmenses
fecerunt ibi unum carocium, et pueri clamabant post pontem: *Chi to latte*[81]. Item eodem
anno quidam clericus pro morte Gerardi Nauli pro sentencia fuit coctus in una caldaria in
platea communis posita, sed tamen primo per domnum episcopum Graciam desgradatus
fuit ab omni ordine et officio ecclesiasticho. Item eodem anno[82] dictus imperator com 1237.
Cremonensibus Parmensibus Papiensibus Mutinensibus Reginis et Veronensibus, com domno
Yzolino, com trabuchis et manghanis cepit per vim Montemclarum in episcopatu Brixie.
et diruerunt ipsum in totum. Deinde reversus est in Alemaniam[83], et postea venit[84] tertio
in Lombardiam. Item eodem anno obiit domnus episcopus Gracia, episcopus Parmensis[85].

Domnus Nicolaus Adelardi de Mutina fuit potestas Parme in 1237. Et illo anno domnus
Fredericus imperator com Cremonensibus Parmensibus Mutinensibus et Reginis et com
suis factoribus ivit in episcopatu Brixie, devastando et comburendo eos. Qui vero ivit
etiam com predictis obviam Mediolanensibus et Brixiensibus et eorum factoribus iuxta
Curtemnovam; et cepit sturmum et batalia com predictis, et eos rupit et fugavit. et caro- Nov. 27
cium Mediolanensium eis astulit et eum mixit Romam. Et de Mediolanensibus Brixiensibus
et Placentinis capti fuerunt bene sex milia, qui omnes missi fuerunt in Apuliam. Et fuit
exercitus Montisclari. Et eo anno elephans venit Parmam.

Domnus Gerardus Francischus et domnus Gerardus de Corigia de Parma ambo fuerunt 1238.
potestates Parme in 1238. Et illo anno fuit obsessa Brixia a domno Frederico imperatore.
Et domnus papa Gregorius tunc existens, ammonicione premissa, excommunicavit dictum 1239.
domnum Fredericum imperatorem[86], deinde in Apuliam[c].

Domnus comes Symon de Apulia fuit potestas Parme pro imperatore in 1239. Et illo
anno fuit rupta Bononia a Parmensibus et Mutinensibus apud castrum Vignole[87], et fuerunt 87
de Bononia capti duo milia sexcentum, et multi fuerunt neccati in flumine Scontene. Et
hoc fuit tempore nondinarum Septembris, quando erant plene. Et tres de Parma fuerant Sept.
capti ultra Scotennam, scilicet domnus Romanus Gualchi, domnus Cornulus notarius,
Iohannes Bonus calzolarius[88] vicinie Sancti Quintini. Item eodem anno, die Veneris
3. Iunii circha nonam aparuit sol obscuratus ita quod stelle sicud de nocte videbantur. Iun. 3.
Item eodem anno castrum Plumatii[89] et castrum Crevacorii[90] districtus Bononie capta
fuerunt a Parmensibus et Mutinensibus, et multi fuerunt ducti Parmam et Mutinam in carceribus; et dicta castra destructa fuerunt in totum.

Domnus Bonifacius de Gorzano de Mutina fuit potestas Parme in 1240. Et illo anno 1240.
fuit duellum aiudicatum inter Contrabennos de vicinia Sancti Vitalis.

Domnus Henricus Testa de Aritio fuit potestas Parme in 1241. Et illo anno fuit eddi- 1241.
ficatum castrum Grondule[91] ad exspensas Pontremulensium. Item eodem anno facta
fuit pax inter Bononienses Parmenses et Mutinenses, et carcerati ad propria undique.
Item isto anno obiit domnus papa Gregorius nonus.

Domnus Ottolinus de Sommo de Cremona fuit potestas Parme in 1242. Quo anno 1242.
domnus Bertholus Tavernerius fecit percuti com bastonis[92] domnum Senatiam de Henzola

a) imperatore *c.* b) *sic scripsi pro* Nigrizolum *cod.* c) *sic cod.*

77) i. e. neglectis, Ital. *non ostante.* 78) Vighizzolo a Brixia inter orientem, haud procul a Chiesse fluv. 79) Montechiaro ad Chiesse fluv., a Brixia inter orientem et meridiem. 80) Marcaria ad Ollium fluv., a Mantua ad occidentem. 81) His sermonis Parmensis verbis: *Chi to latte* (i. e. *Qui prendi latte,* Lat. *accipe lac*) pueri videntur vaccis carrocio iunctis illusisse. 82) immo anno 1237. mens. Octobri. 83) anno 1236. m. Novembri. 84) anno 1237. m. Sept. 85) d. 26. Sept., teste calendario vetere capituli Parmensis. V. Affò St. di Parma III, 171. 86) 1239. Mart. 24. 87) Vignola a Mutina ad meridiem. 88) sutor, Ital. *calzolajo.* 89) Piumazzo inter Bononiam et Mutinam. 90) Crevalcore inter Mutinam et Ferrariam. 91) Grondola a Pontremoli ad septemtriones. 92) fustibus, Ital. *bastoni.*

1242. in strata publica intra confines platee communis sub mala voluntate. Et illo anno Vichietus interfecit domnum Sturbarbatum de Oldezonibus sub uuolta[1] sua propria, et recuperavit[2] in domo illorum de Henzola; et hoc fuit occasione dicte percusionis facte in dictum domnum Senatiam: nam dictus Vichietus non potuit interficere predictum domnum Bertholum propter bonam custodiam quam faciebat et magnam. Et fuit principium mali status civitatis Parme. Et propter hoc multi milites civitatis Parme se custodiebant com armis.
1243. Et hoc anno[3] domnus Synibaldus de Alavania cardinalis factus fuit papa et apelatus domnus Innocentius papa IV. Et eodem anno tures et porte Pontremuli ex precepto domni Frederici imperatoris, promoti amore communis Parmensis, inceptae fuerunt destrui. Item eodem anno episcopus Martinus Parmensis obiit.

Domnus Princivalus de Oria de Ianua fuit potestas Parme 1243. Et illo anno carcerati de Bononia qui erant Parme, — quia commune Bononie noluit observare pacta, que iuraverat de relaxando illos de Parma quos in carcere tenebant, — positi[a] in carceribus in stachatis[b] lignorum, in glarea communis de puteo Roseghelli apud murum Parme, ad celum serenum; et qui Bononienses fuerunt capti Vignole[4]. Item illo anno dicte tures et porte de Pontremulo exsplete fuerunt dirui, afirmando se dictus potestas esse civem Parme et reputando sibi factum totum, quod erat factum a Pontremolensibus contra Parmenses. Et ob hoc exercitus Parme, qui erat paratus ire contra Pontremulum, remansit. Quod quidem ingeniose factum fuit. Nam domnus Ubertus Pelavicinus, dum esset vicarius imperatoris in Lulixana[5], ivit de eius mandato ad Villamfrancham[6], et ibi finxit se esse graviter infirmum de persona, et misit pro omnibus consiliariis de Pontremulo, qui velociter venerunt coram eo; qui ipsos omnes fecit carcerari, et tenuit donec dicte tures et porte omnes dirupte fuerunt. Et sic adimpletum fuit. Item eodem anno, quasi in fine regiminis dicti domni potestatis, dictus domnus potestas com banderiis et vesilis viciniarum[c] levatis et com populo universo cucurit ad domum de Portonariis de porta Pediculosa, et ipsam cepit et destrusit in totum com omnibus rebus ibi existentibus. Et hoc quia dicti de Portonariis acceperant de domo sua de palacio communis de fortia[d] communis et potestatis, qui inculpabantur de morte Sozi Guidonis Amici.

1244. Domnus Guido Maracius de Papia fuit potestas Parme pro imperatore in 1244. Quo anno populus cucurit ad domum Henrici Vaghi. Et domnus Ugo de Sancto Vitale, qui tunc erat potestas mercatorum, fuit capitaneus populi per tres dies tantum tunc temporis, et infra tercium diem omnia fuerunt restituta per commune Parme in denariis numeratis predicto domno Henrico. Et dictus domnus Ugho fuit condempnatus in quatuor libris Parmensibus, que condempnatio fuit casata et absoluta vi populi. Et fuit constitutum, quod consules viciniarum et misteriorum[7], qui abinde retro non stabant ad brevia[8] ad consilia communis, de cetero starent ad brevia. Et quiquid populus voluit, in totum habuit. Item eodem anno fratres Predicatores dimiserunt locum Sancte Marie Nove, et venerunt ad standum in vicinia Sancti Pauli iuxta foveam communis. Item eodem anno domnus Innocentius papa IV. timore imperatoris Federici fugit ad terras regis Francie, et curiam et sedem suam fecit apud Lugdunum, et vocavit omnes prelatos, et generale concilium celebravit. Et hoc anno facta fuit campana magna communis.

1245. Domnus Thebaldus Francischus pro imperatore fuit potestas Parme 1245. Quo anno predictus domnus Fredericus imperator com suis heredibus privatus fuit a corona imperii perpetuo sicut tyrannus ecclesie a dicto domno Innocentio in supradicto concilio. Et quando cardinales redibant a dicto concilio venientes per mare, fuerunt capti a Pisanis et ducti in carceribus Pisis[9]. Item illo anno pars ecclesie civitatis Parme, scilicet Lupii et illi de Corigia et Rubei, et alii quasi omnes timore imperatoris exierunt Parma et iverunt Placentiam.
Apr. 15 Et illo anno fuit focus[10] de Sancto Salvatore die sabati sancti[e], ex quo multe domus fuerunt arse. Et illo anno in dicto concilio per dictum domnum papam electus fuit in regem Romanorum domnus Iangravinus rex Alamanie.

1246. Domnus Massinerius de Burgo de Cremona fuit potestas Parme pro imperatore 1246.[f] per 7 menses et 9 dies; et domnus Trencha de Foliano pro eodem imperatore fuit potestas

a) positi *bis legitur in c.* b) *seu* scachatis. c) vič *c.* d) carceratos *excidisse videtur*. e) sancto *cod.* f) 1256. *cod.*

1) fornice, Ital. *volta.* 2) se recepit. 3) immo anno 1243. 4) anno 1239. 5) Lunisiana. 6) Villafranca a Pontremoli inter orientem et meridiem. 7) artificiorum. 8) suffragia in schedis scripta. 9) cardinales anno 1241. captos esse, notum est. 10) incendium, Ital. *foco.*

Parme per 3 menses; et domnus Henrichus Testa de Aritio pro eodem imperatore fuit 1246. potestas Parme eodem anno, die nono exeunte Octubri usque ad annum novum. Et dicto Oct. 23. tempore illi de Sommo, qui erant Parme, fuerunt mortui in platea communis Parme malo modo. Item eodem anno[11] fuit exercitus in episcopatu Placentino apud Fosostam[12] per Iun. regem Henricum[13], Parmenses et Cremonenses. Et ambulatorium, quod est in[a] domum domni potestatis et palatium communis factum fuit. Et tintinellum com corda aricalchi[14] positum fuit ad turem communis. Et tunc temporis dictus condam imperator habebat in suo dominio palacium et turem episcopi, et tam in civitate quam extra percipiebat omnes redditus episcopi, et magnas coltas[15] imponebat ecclesiis civitatis et episcopatus; et custo- 15 diebat diligenter omnes tures civitatis, et nemo audebat presentare aliquas litteras papales sub pena amisionis pedis et manus. Item eodem anno domnus Gerardus Arcilis, Iacobus de Benceto et Ghibertus de Gente, cum[b] nollent obedire mandatis imperatoris, fugierunt Placentiam et Mediolanum, et ibi cum domno Gregorio de Montelongho, legato ibi pro ecclesia, ordinaverunt de intrando in civitatem Parme com illis de parte ecclesie, qui erant tunc exstra.

Domnus Henricus Testa de Aritio supradictus secunda vice fuit potestas Parme 1247[c]. 1247. Quo anno incepta fuit guerra inter Parmenses et imperatorem predictum. Nam domni Lupi, domni Corigia, domni de Rubeis et alii Parmenses partis ecclesie, qui erant exstra, die dominico 16. intrante Iunio fuerunt[d] Parmam. Et cum venirent, dictus potestas Iun. 16. com militibus Parmensibus partis imperii, volens prohibere adventum eorum, obviam eis iverunt usque ultra Taronem; et prelium fuit inter intrinsecos et exstrinsecos. Et tan- Iun. 15. dem dictus potestas et domnus Manfredus de Cornazano et domnus Ugho de Manghirotis in ipso prelio mortui fuerunt, et sic omnes intrinseci in conflictu fuerunt. Et predicti Iun. 16. de parte ecclesie redierunt, et tunc com fuerunt in platea communis, domnus Gerardus de Corigia, qui aliter dicebatur domnus Gerardus de Dentibus, ad vocem factus fuit potestas Parme, et habuit palacium domum et turem communis et omnes tures civitatis et totam civitatem in continenti in suo dominio. Et custodes, qui ibi erant pro rege Henrico, exspulit. Qui rex Henricus tunc erat in episcopatu Brixie in obscidione cuiusdam castri[16]; cum predicta scivit, ignem misit in albergariis[17], et reversus est et venit in pratis de Blanconixio[18] et ibi in ripa Taronis castramentatus est. Similiter et cum domnus Fredericus, pater eius condam imperator, esset in itinere causa capiendi domnum papam Innocentium, quando rediret a concilio vel aliter si potuisset, cum scivit predicta eventa in civitate Parme, venit com suis sequacibus festinanter et invenit sibi clausas portas civitatis, et astramentatus est iuxta civitatem per duas balistratas[19], afossando[20] se circomquaque a latere de capite pontis. Quo eciam tempore domnus Gre- 20 gorius de Montelongo, qui erat Placentie pro legato ecclesie, com domno Bernardo Rolandi Rubei per montana et cum mille militibus de melioribus civitatis Mediolani com 400 milites de Placentia venit Parmam in auxilium civitatis et partis ecclesie. Item eodem tempore in continenti domnus comes[21] de Sancto Bonifacio com milicia Mantue venit in auxilium civitatis Parme; et qui Mantuani magnam guerram facere inceperunt et fecerunt Cremonensibus, eundo per terram et aquam, comburendo et devastando omnia per episcopatum Cremonensem usque ad Casalem-Maiorem[22]. Item similiter domnus marchio Exstensis[23] com Ferariensibus venit Parmam in auxilium civitatis Parme et partis ecclesie. Cui domno marchioni sic stanti in civitate Parme, accepta fuerunt sibi duo castra, scilicet Eest[24] et Calaon[25], per domnum Ycolinum Romani sive de Marcha[26]. Item similiter milites de Regio, qui erant extra pro parte imperii, venerunt Parmam in sucursum; ut et alii hinc inde multi et a[e] multis partibus venerunt in sucursum dicte civitatis Parme et partis ecclesie. Et steterunt omnes, quousque fuit afosadata et munita pro defensione civitatis. Et due porte cotidie armate stabant com predictis; et sine intervallo circe[27] et fovee fiebant die noctuque,

a) *an* inter? b) cum *addidi*. c) 1217. *cod.* d) *an* iverunt? e) ad c.

11) mense Iunio. V. Annales Placentinos 1246. supra. 12) ad fossam, ex urbe Placentia ad Padum fluvium perductam, quae vocatur *Fodesta*. 13) Hencium. 14) orichalci. 15) tributa, Ital. *colte*. 16) Quinzano a Cremona ad septemtrionem. 17) in castra. 18) Bianconese a Parma inter occidentem et septemtriones. 19) intervallo duorum ballistae ictuum. 20) fossis muniens. 21) Rizardus. 22) Casalmaggiore ad Padum fluv., a Parma ad septemtriones. 23) Azzo VII. 24) Este. 25) Calaone ab Este ad septemtrionem. 26) Haec ad a. 1249. pertinent; cf. Muratori Antichità Est. II, 10. 27) fossae.

1247 palanchata[28] bitifreda[29] et alia necessaria ad defensionem, maxime a latere de capite pontis. Et erant milites forenses qui erant Parme duo milia, et milites Parmenses erant mille et ultra. Domnus vero legatus prefatus semper remansit ad defensionem civitatis. Et fuit obsesio talis, quod nullus poterat exire civitate ab aliqua parte ultra dimidium miliare ad plus, sine maximo periculo averis[30] et persone. Et non remansit aliquod castrum ad mandata communis seu villa, nisi Colurnium[31] com civitate, et Ugholinum domni Lanfranchi de Cornazano, et Alpeselle domni Iacobi de Beneceto. Colurnium vero per commune Parme munitum fuit valde bene. Item eodem tempore pars imperii Mutine cepit et carceravit cinquantinam[32] militum de Parme, qui pro communi Parme tunc erant Mutine in eorum sucursum causa colligendi blaves timore Bononiensium; et ipsos milites omnes et omnes scolares de Parma, qui tunc erant Mutine ad studendum, cepit et spoliavit omnibus equis armis libris et rebus eorum; deinde milites et scolares, ligatos catenis fereis manibus et pedibus, missit omnes in manibus dicti condam imperatoris. Item similiter pars imperii de Regio idem fecit de omnibus militibus et peditibus de Parma, qui iverant ad precepta imperatoris apud Cruviachum, et de Cruviacho usque ad Regium, et de Regio super palatio domni episcopi. Qui cum ibi fuerunt, per Reginos imperiales omnes, numero 80 et plures, capti fuerunt, et ligati transmisi ad dictum condam domnum imperatorem — quod quidem fraudulenter a quibusdam Parmensibus evenit, qui domno Ugholino de Advocatis, qui tunc erat potestas mercatorum civitatis Parme, com omnibus mercatoribus civitatis Parme expresse promiserant et iuraverant, eos in Parmam reducere infra octo dies — dictus vero domnus imperator omnes eos incarceravit. Item eodem tempore
post Iul. 6. milites de Parma sconfiti fuerunt[33] apud Fanum[34] per domnum regem Henricum et domnum Ycolinum Romani; et fuit fuga militum de Parma usque ad Monticulum[35] et de Monticulo usque ad civitatem, et de Parmensibus capti fuerunt 60 milites vel circa, et de forensibus fuerunt capti quam plures, mortui vero fuerunt 14. Quos omnes carceratos dictus domnus rex duxit ad patrem domnum Fredericum, et quos omnes ipse condam imperator crudeliter carceravit. Item dicto tempore sestarium furmenti valebat duobus solidis imperialibus, et sestarium spelte duodecim imperialibus, et duodecim ova dabantur pro uno imperiali. Item eodem tempore domnus Blancardus de Blancardis, cum esset pro communi Parme capitaneus Grondule, deceptus tradidit castrum in manus inimicorum; qui postea per manus eorum venit Parmam, et ad vocem populi captus et per predictum domnum potestatem fuit decapitatus sentencialiter in platea communis Parme. Item eodem tempore domnus Albertus de Bonosignoreto, cum esset pro communi Parme capitaneus Belfortis[36], reddit ipsum in forciam communis Parme; et quia commune Parme noluit ipsum domnum Albertum recipere, ivit Burgum sancti Donini ad standum com banitis; quod quidem valde fuit blasmatum[37]. Item eodem anno domnus Ubertus de Valosneria recuperavit et intravit castrum Valosnerie[38] et ipsum custodivit pro communi; quod quidem utile magnum fuit pro communi Parme. Et tunc domnus Fredericus predictus una die faciebat decapitari quatuor ex carceratis de Parma, scilicet duos milites et duos populares, et alia die duos[a], scilicet unum militem et unum peditem, prope civitatem per duas balistratas in Flazano de religione veteri[39]. Et nullus ex ipsis mortuis audebat aliquem portare in civitatem ex precepto domni potestatis et ex reformatione generalis consilii et domni legati; tamen per ribaldos[40] portabantur ad domum Fontisvivi[41], et ibi sepelebantur sicut domno abati et fratribus placebat. Et nullus[b] de Parma sive forensis audebat mittere aliquem nuncium, servientem vel mulierem, ad carceres dicti imperatoris sive in castris eius, in pena vite; et super hoc stabant custodes ad portas die noctuque. Similiter nullus audebat intrare civitatem Parme, qui esset ex parte dicti domni Frederici. Et multi fuerunt capti, qui veniebant privatim in plaustris[c] feni et

a) duos *non legitur in cod.* b) nullus *non est in cod.* c) plastris *c.*

28) sepes, Ital. *palancati*, Planken. 29) machinae bellicae. 30) rerum, Ital. *del' avere*, der Habe. 31) Colorno ad Parmam fluv., ab urbe Parma ad septemtriones. 32) quinquaginta. 33) post diem 6. Iulii. V. Chronicon Mutinense ad 1247. ap. Muratori SS. Rer. It. XV, 562. 34) an *Viani* a Regio inter occidentem et meridiem? 35) Montecchio a Regio ad occidentem. 36) Belforte prope Tarum fluv., a Pontremoli ad septemtriones. 37) reprehensum, Ital. *biasimato*. 38) Valisnera a Pontremoli ad orientem. 39) Cf. supra p. 666 n. 38. 40) homines inhonestos. 41) Fontevivo a Burgo S. Domnini ad orientem.

1247.

palearum et in vegetibus[42] aut in fondracis, et tormentati, confessi, combusti in glarea communis; et multe mulieres capte, tormentate et combuste. Decapitati vero a predicto domno Frederico fuerunt numero 10 vel 12. Carcerati vero predicti omnes custodiebantur ex precepto[a] imperatoris solum per Apulienses et Saracenos qui erant com eo. Et com omnes ducti essent prope civitatem per duas balistratas, ut decapitarentur, Papienses qui erant com imperatore ab eo quesierunt ex dono, quod parceret omnibus aliis mortem; et quidem eis constulit multis[b]; et tunc carceratos habebat domnus imperator ex illis de Parma: tam de captis Mutine et Regii quam Fani et in aliis pluribus locis villis et castris. Et facta gratia predicta ab imperatore — Papiensibus petentibus, pocius Parmenses remanere vivos quam mortuos, com mors illorum nichil valebat ad habendum civitatem — nullus ex Parmensibus postea illa morte mortuus fuit; parentes namque eorum carceratorum de morte eorum gaudebant pocius quam de vita. Papienses vero pro communi civitatis et districtus eorum iusta suum posse erant ibi com imperatore; et eciam ibi erant com ipso multe alie civitates et episcopatus et innumerabilis multitudo balestrariorum Saracenorum, tam equitum quam peditum; et habebat ibi dictus imperator decem milia militum com innumerabili populo diversarum civitatum, et habebat custodes super turim de orto, que est iuxta civitatem per duas balistratas. Carcerati sepe et sepius quam plurimi ex fetore et terrore interficiebantur, et moriebantur in dictis carceribus. Et omni mane milites domni imperatoris veniebant ad glaream prope Religionem veterem et stabant ibi usque sero, exspectantes et custodientes gualianas[43] suas, que ibant cotidie per montana et planiciem usque ad stratam Claudiam et etiam usque Paudum, comburentes et devastantes omnia que inveniebant, sed cum eis ducentes et aportantes cupos[44], lateres et alia hedificia domorum, ut suas domos de ipsis facerent in castris domni imperatoris iuxta suum mandatum. Et alia die currebant usque Colurnium illud idem facientes; et sic totum episcopatum Parme in brevi destruserunt et combuserunt. Item eodem tempore fuit famis valida in civitate Parme, ita quod panis factus ex farina seminis lini comedebatur pro bono et optimo pane, et fiebant turte[45] in duabus crustis quatuor et quinque, herbe crude, radices et fructus comedebantur ibi plenarie; et multi propter famem com familiis eorum recedebant de civitate et ibant ad standum alibi. Item eo tempore domnus Iacobus de Benezeto interfecit domnum Andream de Borgarellis sub palacio[c] communis, qui tunc erat notarius massarii[46] communis; propter quod domnus Ugho de Adigheriis com populo magno cucurit ad domum dicti domni Iacobi et eam diruit et exspoliavit in totum. Et tunc pro bono statu et timore imperatoris ordinatum fuit, quod nullus de parte ecclesie loqueretur com dicto domno Iacobo, imo facerent ei guerram vivam ubique terrarum; et omnes, qui venerant de Placentia, una com potestate, domno marchione Exstense, domno comite de Sancto Bonifacio, Reginis atque toto consilio generali iuraverunt et firmaverunt, ipsum et suos heredes pro posse destruere. Unde banitus cum suis filiis et familiis extra civitatem fugavit. Et in pleno consilio firmaverunt, quod heredes dicti domni Andree haberent officium notarie potestatis hinc ad 20 annos, et quod possent illud fieri facere per interpositam personam secundum voluntatem eorum et amicorum suorum, donec ipsum per se facere possent et scirent. De dicto rumore[47] dictus domnus Fredericus imperator nichil scivit nec scire potuit propter obtimam custodiam, que fiebat ad portas et maxime in capite pontis — exiverant etiam due porte civitatis versus partem illius in aventu domni legati — et pontes etiam glaree optime custodiebantur, quapropter imperator nescivit. Item eodem tempore predictus Fredericus condam imperator retro cum suis aliquantulum faciens se, Oct. 1. hedificavit[48] civitatem nomine Victoriam et construsit burgis et domibus muratis et cupatis[49], faciens ibi circonquaque foveas magnas valde et palancata, bitifredos et betreschas et pontes levatores[50], et molendina ponens ibi in canale de Navilio, qui erat consuetus venire ad civitatem, et alia multa pro defensione dicte civitatis sue. Et longitudo dicte

a) exp̄. *c.* b) *sic est in cod. corruptus locus.* c) ptto. *c*

42) doliis. 43) Caterva Italice *gualdana* vocatur. 44) Tegulam Parmenses *copp* vocant. 45) panes plani. 46) administratoris; de cuius munere v. quae docet Ronchinius (Statuta communis Parmae digesta a. 1255, praef. p. XXI). 47) tumultu, Ital. *romore.* 48) Victoriam urbem die 1. m. Octobris aedificari coeptam esse, patet ex Annal. Placent. 1247 supra p. 495. 49) contectis; *coppar* enim Parmensibus significat: contegere. 50) pontes qui tolli potuerunt, Ital. *bertesche, ponti levatoj.*

1247. civitatis fuit a strata Claudia[51] usque ad stratam de Fragnano[52], et erat prope civitatem Parme per quatuor balistratas, et habebant Cremonenses[a] carocium suum. Item eo tempore domnus Octavianus cardinalis[53] de mandato domni pape com magno exercitu, scilicet com Mediolanensibus Brixiensibus Mantuanis Ferariensibus et Venetianis, venit super
Oct.-Dec. Taiatam[54], habens navilium[55] valde magnum. Ab alia[56] vero parte civitatis[57] erat rex Henricus cum Ycolino Romani. Et duravit dictus exercitus per duos menses et plus. Item eo tempore domus et tures illorum de parte imperii de Parma cotidie destruebantur, et de trabibus, tasellis[58] et lateribus eorum fiebant munitiones civitatis ubi expediebat; et molendina de brachiis[59] et equis propter defectum aquarum et canalium facta fuerunt per civitatem; et pali spizati[60] et strinati[61] per omnes vicinias, bertescas et palancata. Item eodem tempore Mantuani et Ferarienses venerunt per Paudum et duxerunt Parmam in magna quantitate furmenti speltam, melicam[62], ordeum, salem et alia victualia que deficiebant multum in civitate. Item eo tempore dictus domnus imperator condam, uno mane in aurora die sabati et furtive venit ad portam de Ulmo, et catena proiecta cum graffis[63] fereis ad palancatum, de ipso destrusit tres pertichas et plus. Quo rumore audito, omnes cucurrerunt, et maxime domnus comes de Sancto Bonifacio qui custodiebat illa nocte. Qui imperiales nichil lucrati fuerunt, nam plurimi ex ipsis mortui fuerunt per balistrarios, qui erant super portam de Ulmo. Item eo tempore rex Henricus com militia valde magna et certa quantitate peditum ivit in obscidione Calurnii[64]; et sic stando, Parmenses una nocte privatim fecerunt unam clusam[65] in flumine Parme, et totam aquam derivaverunt per foxata et albergarias et exercitum dicti[b] regis. Propter cuius aque abundantiam dictus rex com suis, dimitens ibi plaustra et multa alia, sommo mane subito afugit et discesit ab obscidione predicta. Item eodem tempore magna mortalitas fuit in civitate Parme, ita quod sepe et sepius quatuor et plures sepeliebantur ad unam ecclesiam. Domnus vero papa Innocencius a principio usque ad finem vite sue fecit omnia bona quecomque potuit pro defensione civitatis Parme, et fuerunt bona et auxilia infinita et inexstimabilia[c]. Similiter domnus Albertus de Flischo de domo dicti domni pape, comes Lavanie, multa fecit pro defensione civitatis Parme, mitens suis exspensis multos balistrarios et fieri faciens multos muros ad civitatem; nam et ipse suis exspensis fecit fieri murum, qui est ad pontem Galerie de domo fratrum Predicatorum usque ad portam sancti Bernabei, cum turisino[66] quod est ibi prope dictam portam. Item eodem anno domnus
Febr. 17. langravinus electus in regem Romanorum diem clausit exstremum.

1248. Domnus Philipus Vicedominus de Placentia fuit potestas Parme 1248. Et eo tempore milicia Parme fuit sconficta apud Coliculum[67] per Parmenses extrinsechos; sed quidam per Dei gratiam evaserunt. In qua sconficta domnus Bernardus Rolandi Rubei fuit captus et mortuus ab ipsis exstrinsecis; et ipsa die pro morte ipsius fuerunt mortui quatuor ex maioribus partis imperii, qui erant in carceribus communis Parme. Propter quod dictus imperator quatuordecim ex carceratis Parme, quos habebat, missit in Apuliam in carceribus. Item eodem tempore, quadam die sabati, Parmenses equitaverunt apud fossam, que est inter Henciam et Parmam, et hoc, quia Mantuani venerant com navigio magno valde et com septem navibus incastolatis ibidem ad prohibendum Cremonenses facere quendam pontem, quem inceperant. Qui Mantuani contra voluntatem Cremonensium transierunt; et com transisent, stando ibi per spatium modici temporis, omnes receserunt, dimissis ibi septem navibus incastolatis, nulo rumore ibi facto et nescita causa quare, sed dictum fuit, prodicione factum vel hoc divino iudicio procesise. Et tunc Cremonenses exspleverunt pontem predictum, faciendo ibi forticilias et que voluerunt, ita quod nulus poterat venire a Mantua versus Parmam. Item eo tempore domnus Fredericus predictus venit ad pontem superiorem fluminis Parme clamando: *Iohannes, Iohannes*. Quo rumore

a) cremon. *c.* b) di *c.* c) exstimabilia *cod.*

51) quae a Parma fert Placentiam. 52) de quo loco cf. infra praefationem meam in carmina triumphalia. 53) diac. card. S. Mariae in via lata. 54) Tagliata erat fossa inter Guastallam et Reggiolo, in Padum exiens. 55) classem, Ital. *naviglio*. 56) i. e. occidentali. 57) Guastallae. Cf. Annal. Placent 1247 supra p. 495. 58) lignis, Ital. *dai tasselli*. 59) molae versatiles. 60) oblique praecisi. 61) adusti. 62) Ital. *melica*, Heidekorn. 63) Uncus Italice *graffio* vocatur. 64) V. supra p. 672. n. 31. 65) septum, Ital. *chiusa*, Schleuſe. 66) turricula. 67) Collecchio a Parma inter occidentem et meridiem.

audito, omnes indiferenter masculi et femine cucurerunt ad defensionem dicti pontis et 1248. viriliter defenderunt eum; et qui insalutato hospite reversus fuit ad civitatem suam. Et tunc propterea catene feree[a] fuerunt posite pro communi ad pontem superiorem et inferiorem ad maiorem defensionem eorum. Item eodem anno, die Martis, terciodecimo[68] Febr. 18. intrantis mensis Februarii, magna multitudo militum[b] et peditum erant apud Colurnium propter timorem et occasione regis Henrici. Et alii, qui erant domi, omnes indiferenter, invocato nomine Yesu Christi armis vere penitentie premoniti, exiverunt et iverunt ad civitatem Victorie predictam et eam per vim ceperunt destruserunt et comburserunt; et dictus imperator com Cremonensibus et aliis suis secum sequacibus expulsus fuit et expoliatus de omnibus suis rebus. De Cremonensibus et aliis, qui ibi erant com iam dicto imperatore, capti fuerunt ultra tria milia; numerus vero mortuorum fuit innumerabilis. Et carocium Cremonensium ibi per Parmenses habitum fuit et ductum et gubernatum in batisterio Parme; et multa et inexstimabilia bona, res et divitie et ornamenta tam auri quam argenti et destrariorum infinitorum habita ibi fuerunt, et corona etiam Oloferni aurea com gemmis pretiosis ibidem habita fuit per quendam Parmensem nomine Curtopasum, que venit in commune Parme. Et duravit fuga imperatoris et suorum, qui evaserunt solum com personis, usque ad Burgum sancti Donini et de Burgo sancti Donini usque Cremonam sine aliqua mora. Et potestas Parme et domnus legatus et milites Parmenses persecuti fuerunt eos usque ad flumen Taronis; et multi ex Parmensibus transierunt dictum flumen per duo miliaria et ultra, et multos ex fugientibus ceperunt et Parmam in carceribus duxerunt. Et tunc civitas Parme non solum suos recuperavit captivos, sed etiam omnes qui erant de parte ecclesie per totam Ytaliam et illos qui fuerant missi in Apuliam. In quo conflictu marchio Lancea fuit captus, cuius viscera lethaliter fuerunt prostrata. Iudex Tadeus de Suasa in captura predicta remansit semivivus com manibus amputatis. Item eodem millesimo domnus Guillelmus de Gholongha electus est in regem Alamanie et in futurum im- 1247. Oct. 3. peratorem.

Domnus Raynerius de Valbona de Favencia fuit potestas Parme in 1249. Et eo anno 1249. factus fuit exercitus generalis per commune Parme cum hominibus de Mantua apud Bersilum causa ducendi Parmam blaudum et salem et alia victualia, et castrum Bersili fuit edificatum et exspletum; et tunc civitas Parme munita fuit a predictis furmento, sale et aliis victualibus. Item eodem anno dictus imperator condam com maxima militia reversus fuit in loco civitatis Victorie, et ibi fecit magnum consilium, et postea recesit de quo reditu Parmenses multum timuerunt, credentes ipsum velle reddificare dictam civitatem — et post modicum temporis ivit in Apuliam in suo malo nomine, Deo gratias. Amen. Item eodem anno rex Henricus filius imperatoris predicti fuit captus per Bono- Mai. 26 nienses et suos sequaces et ductus in carceribus Bononie, ubi stetit per 22 annos et plures, et in ipsis carceribus diem clausit exstremum. Et eodem anno Parmenses equita- 1272 verunt et combuserunt burgos civitatis Regii. Item eo anno rex Francie cruce signatus 1249 transivit mare in subscidium terre sancte, et tunc recuperavit Damiatam.

Domnus Castelanus domine Hostie[69] de Bononia fuit potestas Parme in 1250. Et illo 1250 anno Bononienses cum suo exercitu generali conduserunt blavam, quam emerant merca- Iun. tores de Parma, per planiciem prope Cruviachum, et hoc malo velle[70] Mutinensium et Reginorum et aliorum inimicorum communis Parme. Et ibi erant Parmenses com suo exercitu generali exspectantes dictam blavam. Qui ambo exercitus, simul se coniungentes com vexilis et tubis, ceperunt clamare: *Pax*, *pax*. Item eodem anno Parmenses fuerunt Aug 18. sconficti iuxta civitatem per Cremonenses et Parmenses extrinsecos partis imperii, qui erant numero tria milia inter milites et pedites, et multi ex Parmensibus neccati fuerunt in foveis civitatis; et fuerunt Parmenses ducti captivi in Cremonam numero 1575, mortui vero innumerabiles. Et carocium Parmensium nomine Blancardum, quod Parmenses secum duxerant, acceptum fuit per Cremonenses et ductum Cremonam. Et predicta fuerunt die Iovis 18. intrantis Augusti; unde vocatus fuit postea in Parma dies ille ad memoriam *la mala zobia*[71]. Item tercia die adveniente Parmenses equitaverunt ad Castrum Mozani[72]. Aug. 20

a) ferere *c.* b) melitum *c.*

68) immo octavodecimo die Februarii (13. Kal. Mart.). 69) „Castellanus de Carbonisiis de Bononia", ut docet Salimbene ad 1250. 70) invitis Mutinensibus cet. 71) Diem Iovis Parmenses *zobia* vocant. 72) Castel Mozzano in dextera Parmossae fl. ripa a Parma ad meridiem.

1250 Aug. 20. ubi erat domnus Alverius de Palude in obscedio. Et audito a Parmensibus[73], quod Mantuani veniebant in sucursum civitatis Parme, festinanter cucurerunt ad dictum castrum et dictum domnum Alverium com suis sequacibus conflinserunt et centum de suis ceperunt, quos omnes captivos Parmam duxerunt in carceribus et 22 et plures interfecerunt. Item
Dec. 13. eodem anno domnus Fredericus condam imperator predictus exsistens Apulie obiit, et quidam dicebant de quodam fluxu ventris, et quidam quod rex Manfredus eius filius eum de quodam veneno mortifero tosicavit. Item eodem anno fuit fochus de Sancto Bernabeo ita maximus, quod tota contrata et vicinia predicta excepto ecclesia, et tota vicinia Sancte Trinitatis preter ecclesiam combusta fuit, et burgum de Navilio usque ad pontem de Bononia et qui pons eciam combursus fuit, et fuerunt domus arse numero 373. Item eodem anno Mediolanenses una com Placentinis conduxerunt Parmam blavam, quam emerant mercatores communis Parme in partibus suis; et hoc malo velle inimicorum.

1251. Domnus Manuellus Maii de Brisia fuit potestas Parme 1251. Et illo anno castrum Bersili captum fuit per Cremonenses, et capitaneus et custodes et alii, qui ibi erant, capti fuerunt et ducti Cremonam in carceribus.

1252. Domnus Raynerius de Carbulo de Favencia fuit potestas Parme in 1252. Quo anno factus fuit exercitus generalis per commune Parme apud Medexanum[74], et in ipso exercitu fuit domnus Gregorius de Montelongho, ecclesiae et vicarius domni regis Guillelmi, et militia Placentie. Et domnus Ubertus Pellavicinus com Cremonensibus et Parmensibus exstrinsecis venit ibi in auxilio castri Medexani. Et tunc flumen Taronis propter pluvias crevit, ita quod nulo modo poterat vadari; de quo, quia Parmenses non erant nisi due porte, timuerunt. Et sic stando ibi, ipsi aversarii confusi de ipso loco fugierunt, quibus videntibus, Parmenses dictum castrum per concordiam habuerunt. Item eo anno fuit obsessum castrum Berceti[75] a Parmensibus, in quo castro erant baniti de Parma. Et dictum castrum venit ad mandata communis per concordiam, et dicti baniti afidati[76] com armis et rebus suis, quas portare potuerunt, exiverunt et iverunt ad Burgum sancti Donini. Et eodem anno castrum Miani[77] venit ad mandata communis Parme et domnus Guido Bixia fuit capitaneus dicti castri.

1253. Domnus Henricus de Motio de Mediolano fuit potestas Parme in 1253. Et eo anno stando per modicum tempus in dicto regimine, rumor fuit in civitate Parme inter partem ecclesie occasione pacem faciendi com Uberto Palavicino et com Parmensibus et Cremonensibus. Et que pax ad dictum rumorem facta fuit inter predictos. Et domnus Ghibertus de Gente de Parma, qui fuit autor dicti rumoris, factus fuit potestas Parme et mercadandie[78] usque ad sex annos; et predictus domnus Henricus licentiatus fuit, soluto sibi integre de salario suo, recessit. Item eodem tempore, facta dicta pace et completa ut supra dictum est, castrum Bersili, quod a Cremonensibus tenebatur, restitutum est communi Parme; et baniti omnes undique asoluti, et carcerati omnes qui erant Cremone et Burgi sancti Donini de Parma et Parme undique sunt relaxati. Et fuerunt dicti carcerati, qui reversi fuerunt Parmam de Cremona et Burgo, trecenti decem octo. Omnes alii vero mortui exstiterant in dictis carceribus propter gravia tormenta et importabilia eis facta — nam cotidie ponebantur ad cavaletos[79] et ad destras[80] in modum crucis pendentes — et victualibus eis sepius denegatis, et propter fetorem mortuorum. Qui mortui de carceribus non exstrahebantur, nisi primo per vivos remanentes solveretur taia[81] eorum eis imposita, et panis non eis dabatur; et sepe vivi ascondebant[82] panem et alia victualia in corporibus mortuorum, ne guarde[83] eorum sevisimi invenirent illa, quando carceres cercabant. Et vocabantur dicti carceres, in quibus erant illi de parte ecclesie, infernus; et vere erant. Mortuis vero dabatur Paudus[a] pro sepulcro. Salarium vero primum dicti domni potestatis fuit librarum 500 imperialium. Postea vero fuit electus potestas hinc ad decem annos potestas populi et mercadancie. Item eodem anno domnus Albertus de Sancto Vitale electus Parmensis obiit in pace.

a) pauda *c.*

73) In hac voce vitium inest. 74) Medesano a Parma inter occidentem et meridiem. 75) Berceto a Pontremoli inter septemtrionem et orientem. 76) qui fidem acceperant. 77) Miano a Medesano (v. supra n. 74.) inter occidentem et meridiem. 78) mercaturae. 79) equuleos (quibus torquebant). 80) Destra (tormentorum genus) a distrahendo videtur ducta esse. 81) tributum, Ital. *taglia* 82) abscondebant. 83) custodes.

Domnus Ghibertus de Gente predictus erat et fuit potestas Parme in 1254. Et eodem 1254. anno, die 10. intrantis Iunii predictus domnus Ghibertus et eius heredes fuit electus po- Iun. 10. testas Parme usque ad decem annos[84]; et die dominico 12. exeunte Iunio[85] deputatum sibi Iun. 21? fuit salarium pro anno duo milia librarum imperialium. Et erat potestas communis et populi et mercadancie. Et pars ecclesie timebat de eo ad[a] mortem et non audebant se loqui simul ultra duo vel tres. Et habuit totum civitatem et episcopatum in suo dominio et potestate. Item eodem anno, die 10.[86] intrantis Decembris apud Neapolim obiit domnus Dec. 7. Innocentius papa IV, qui in articulo mortis existens sepe et pluries dicebat: *Domine, propter iniquitatem corripuisti hominem.* Et eodem anno domnus Alexander papa IV electus est in papam.

Domnus Ghibertus predictus de Gente existens potestas Parme in 1255, quo anno rex 1255. Conradus filius imperatoris obiit. 1254. Mai 20.

Domnus Ghibertus de Gente predictus existens potestas Parme fuit in 1257, quo anno 1257. domnus Ubertus Pelavicinus cepit habere dominium Papiensium, et secundo Placentie. Et 1256. isto[b] anno mortuus est in prelio rex Guillelmus. Et tunc fuit divisio inter electores de electione imperatoris. Nam quidam elegerunt comitem Ricardum fratrem regis Anglie, et 1257 quidam regem Castelle; sed domnus papa nullum ex ipsis noluit confirmare.

Domnus Ghibertus de Gente predictus existens potestas Parme fuit in 1258. Quo tem- 1258. pore per totam Ytaliam fuit carum tempus. Nam sestarium furmenti vendebatur octo solidis imperialibus, et omni die sabati claudebatur platea communis, et nulus audebat emere ultra unam minam vel unum starium furmenti sub maxima banna; super quibus erant in platea communis et per totam civitatem custodes deputati. Et communia vilarum episcopatus Parme cogebantur per commune Parme ducere ad civitatem quantum[c] habebant ad vendendum in platea communis. Et erat regimen potestatis, quod, si aliquis interficiebatur ab aliquo, qui esset notus vel propinquus dicti potestatis de parte imperii, contra malefactorem nichil inveniebatur, sed quedam inquisitiones simulate fiebant contra eum.

Domnus Ghibertus de Gente predictus existens potestas Parme fuit in 1259. Et eo 1259. tempore civitas Brixie capta a domno Ycolino de Romano et a domno Uberto Pelavicino per forciam et per tradimentum, ut dicebatur. Et suo tempore mutavit bis monetam. Eodem anno contentio orta fuit inter domnum Ycolinum de Romano et domnum Ubertum Pellavicinum, ita quod preliati fuerunt inter se. In quo prelio dictus domnus Yzolinus per dictum domnum Ubertum captus fuit, et in vinculis dicti domni Uberti ductus et detentus, vulneratus; ex quibus vulneribus vere, ut dicebatur, post quatuor vel sex dies sine penitentia mortuus est, et sepultus in Soncino[87] districtus Cremone. Item eodem anno porta de Sancto Michaele de Archu et porta Sancte Crucis facte fuerunt de lapidibus et quadrelis[88]. Item eodem anno dictus domnus Ghibertus de Gente, qui exstiterat[d] potestas Parme per sex annos et sex menses, depositus et remotus fuit a potestaria dicte civitatis Parme de concordia dictarum duarum partium et tractatu domni Uberti Pelavicini, quia dictus Ghibertus noluit dicto domno Uberto dare dominium vel bavliam[89] civitatis Parme.

Domnus Henghirame Franzelasta de Pistorio fuit potestas Parme in 1260. Et ipso 1260. anno porta de Sancto Bernabeo facta fuit. Item eodem anno captus fuit et teribili morte mortuus fuit domnus Albricus de Romano una cum uxore et sex filiis et duabus filiabus. Item eodem anno fuit scovamentum[90] magnum pro amore Dei in Parma et in Regio et Mutina et alibi etiam per Lombardiam, et paces inter homines habentes gueras facte sunt. Et illi de Regio et de Mutina venerunt Parmam ad se verberandum com corigiis et scopis com illis de Parma amore Dei et in remisionem pecatorum; et banniti de Parma absoluti occasione dictarum pacium. Et omnes Parmenses tam magni quam parvi com consulibus et vesilis viciniarum ibant per civitatem se verberando, existentes omnes nudi a bragherio[91] in sursum et excalciati; et dictus domnus potestas se verberavit. Domnus vero Ubertus Pelavicinus et Cremonenses cum suis refutaverunt dictum scovamentum et paces; et quia noluerunt benedictionem, elongabitur ab eis. Eodem anno discordia

a) a *cod.* b) insto *c.* c) quam non *cod.* (*pro* quantum). d) exsterat *c.*

84) immo in perpetuum. V. Statuta Parm. a. 1255 p. 1. 85) i. e. die 19. m. Iunii, sed is dies Veneris fuit a. 1254 non dominicus. 86) immo 7. 87) prope Ollium fl., a Crema ad orientem. 88) laterculis. 89) potestatem, Ital. *balia*. 90) flagellatio. 91) cingulo.

1260. magna fuit inter regem Ungarie[1] et regem Boemie[2]. Item eodem anno Florentini ultra
septuaginta milia belatorum fuerunt sconficti a Senensibus et suis factoribus, ex quibus
Florentinis[a] capti fuerunt ultra septem milia et mortui ultra decem milia.

1261. Domnus Iacobus Butiella de Papia fuit potestas Parme in 1261. Et eodem anno facta
fuit porta de Sancto Francischo.

1262. Domnus Albertus de Turizella de Papia fuit potestas Parme in 1262. Et eodem anno
facta fuit porta de Moneta com domibus iusta illam portam.

1263. Domnus Ugo de Savignano de Mutina fuit potestas Parme in 1263. Eodem anno dis-
cordia magna fuit in civitate Parme inter partes ecclesie et imperii de recipiendo domnum
Ubertum Pelavicinum in Parma vel non; et tandem ad concordiam et composicionem vene-
runt. Quia Parmenses iuraverunt et promixerunt, dictum domnum Ubertum et eius here-
des perpetuo a destris et a sinistris adiuvare et manutenere et dare ei omni anno mille
libras imperiales, scilicet medietatem ad nativitatem Domini et aliam medietatem ad
sanctum Petrum[3]. Et dictus domnus Ubertus iuravit et promixit, non venire Parmam as-
que consensu et voluntate Parmensium. Et quos denarios dictus domnus Ubertus non ha-
bebat, set amici eius de Parma sub praetestu dicti domni Uberti illos habebant et recipie-
bant et inter se dividebant; quod in tosicum[4] pluribus redundavit. Et tunc civitas et dio-
cesis interdicta fuit. Item eodem anno facta fuit domus seu carcer communis, que dicta
fuit Camusina, super casamento[5] condam domni Iacobi de Benezeto, in quo carcere car-
cerabantur latrones pessimi et alii malefactores.

1264. Domnus Manfredus de Piis de Mutina, qui[b] Camixanus dicitur, fuit potestas Parme in
Oct. 2. 1264. Et illo anno obiit domnus Urbanus papa IV. de mense Septembris[6]. Et eodem
Aug. anno aparuit in celo una stella longa, habens caudam longham per unam vel duas per-
Dec. 21. ticas, que videbatur quasi fumus. Item eodem anno, die dominico intrante Decembri[7],
Guelffi de Florentia et pars ecclesie de Mutina expulerunt de Mutina partem imperii; et
marchio Exstensis[8] et comes de Sancto Bonifacio[9] com Ferariensibus et[c] Mantuanis
Mutinam in auxilium partis ecclesie intraverunt. Quorum occasione partes civitatis
Dec. 21 – 27. Parme per totam ebdomadam[10] steterunt armate, et quatuor utriusque partis electi fuerunt
de mellioribus civitatis, qui viderent et examinarent de bono statu civitatis; qui propterea
Dec. 25. stabant de die et de nocte super palatium communis. Die autem Iovis[11] circa horam none
exspugnaverunt partes inter se apud Sanctum Tyburcum et apud domos Baldichinorum, et
tunc Farisei[12] fuerunt derobati a parte imperii; et domnus Iacobus Grossus canonicus Par-
mensis com multis militibus et peditibus ibant per civitatem com crucibus ecclesiarum, cri-
dando[13] pacem[14]. Et domnus Baldichinus, qui erat capitaneus partis imperii, scilicet Alo-
Dec. 26. num, die Veneris sequenti circa vesperas, et fuit tercio[15] exeunte Decembri, veniente die
sabati[16], com suis Alonis cepit expugnare in capite pontis contra partem ecclesie, et ad
domos Rubeorum maxime. Et tunc fuit sturmum ubique per totam civitatem quasi per
totam noctem in porta Nova et ad voltam[17] Oldeconorum et ad domos Baldichinorum; et
conbursae fuerunt domus eorum, et tota pars imperii conclusa fuit[d] in pallatio communis
et subter[e] cum tabulis cambiatorum, et ibi se custodiebant pulsando campanas communis tota
nocte. Et tandem pars ecclesie obtinuit. Et de voluntate parcium domnus Ghibertus de
Gente et domnus Iacobus Tabernerius de Parma pro bono pacis facti fuerunt potestates
Parme; et predictus domnus Manfredus de Piyis potestas Parme, et eciam domnus Matheus
de Gorzano de Mutina ellectus et futurus potestas Parme, fuerunt licenciati et eis integra-
liter solutum fuit de salariis eorum. Item eodem tempore fuit quidam canis in burgo
Sancti Iohannis in civitate Parme in domo illorum de Nauli, qui omni mane sicut audiebat
corerios[f] cridare mortuos, in continenti incipiebat latrare, et vellent aut nollent illi de
domo, oportebat quod hostium ei aperiretur, et in continenti ibat ad domum defuncti et
intrabat domum et egrediebatur sepe et sepius et exspelebat omnia alia animalia de tota

a) Florentini *cod.* b) cui *c.* c) et *deest c.* d) *sequitur in cod* inclusa fuit. e) süb. *cod.* f) cor̂ *c.*

1) Stephanum IV. filium Belae IV. regis 2) Otacarum II. 3) die 29. Iunii. 4) toxicum. 5) aedibus. 6) immo die 2. m. Octobris. 7) Salimbene ad 1264: „die dominico, 11. exeunte mense Decembris" (i. e. Dec. 21.). 8) Obizo II. 9) Ludovicus. 10) i. e. a die 21. ad diem 27. m. Decembris. 11) die 25. Dec. 12) gens Parmensis. 13) clamans. 14) Erat enim dies natalis Christi. 15) immo sexto exeunte Dec. (i. e. Dec. 26.). 16) Dec. 27. 17) cameram.

contrata[18] defuncti et stabat ibi quasi per totam diem intrando et exeundo domum, et 1264
quando defonctus portabatur ad ecclesiam, ibat sub bara[19] Et hoc duravit per decem annos
continuos, et multum omnes mirabantur et nulus audebat ei dicere vel facere malum, et
nominabatur ab omnibus canis mortuorum.

Domnus Ghibertus de Gente et domnus Iacobus Tavernerius, ambo de Parma, fuerunt 1265
potestates Parme in 1265. Et ipso anno et tempore factum fuit sacramentum per partes de
Parma super altare sancte Marie maioris ecclesie Parmensis de dicta pace manute-
nenda. Et isto anno conflictus factus fuit inter marchionem Montisferati[20] et Ubertum
de Sypione, nepotem domni Uberti Pelavicini potestatem[a] in Alexandria, apud Nizam[21], et
capti fuerunt de illis dicti domni Uberti de Sypiono quingenti equites. Item eodem anno
et tempore domnus Karolus comes Provincie, ellectus per ecclesiam in regem Scicilie, com
sua gente ivit per mare Romam et ibi investitus fuit de corona[22]. Item eodem tempore
de mense Novembri multi milites et pedites et balistrarii de Francia et de ultramontanis Nov.
partibus venerunt in Lombardiam causa eundi ad dictum domnum regem Karolum. Et
ipsis congregatis com Mediolanensibus et Pergamensibus causa faciendi transitum eorum
per Lombardiam, domnus Ubertus Pelavicinus com Cremonensibus, et domnus Boxius de
Dovaria com omnibus suis sequacibus et amicis, quos in illis partibus habere potuerunt,
dimisa civitate Brixie munita per eos, venerunt apud Soncinum causa prohibendi transitum
predictorum. Qui Francischi viriliter transierunt contra voluntatem predictorum prohibere
volencium. Transierunt enim predicti Francisci apud portas Brixie et sagitaverunt in civi-
tatem et plures vulneraverunt; et erant bene dicti Francisci sexaginta milia. Et hoc fuit
die Mercurii nono intrantis Decembris. Et si habuisent victualia, per vim cepisent Brixiam Dec. 9.
et[b] habuissent. Et ceperunt Palazolum[23] per vim die Martis 15. intrante Decembri, et vene- Dec. 15.
runt ad Montemclarum[24] quem ceperunt, et Capriolam[25] et multa alia castra, que omnia
diruerunt. Et ibi erant castramentati in exercitu domnus comes de Sancto Bonifacio et
marchio Exstensis com Mantuanis et Ferariensibus, qui illuc venerant in eorum et dicti
regis auxilium, et ibi ceperunt 400 cavalcatores[26] et 1000 pedites ex illis domni Uberti
Pelavicini et suorum de Cremona et de aliunde. Quo facto domnus Ubertus Pelavicinus et
sui ad propria sunt reversi.

Domnus Nicolaus de Bacileriis pro parte ecclesie, domnus Andalo Andaloy pro parte 1266.
imperii, ambo de Bononia, fuerunt potestates Parme in 1266. Et illo anno domnus rex
Karolus com tota militia cepit ire versus Apuliam et cepit pontem de Zipirano[27], et ivit de
mense Februarii ad Sanctum Germanum et eum cepit per vim, et multos Saracenos de Febr.
illis Manfredi principis Terentini, qui dicebatur rex Apulie, cepit. Et multa alia castra et
loca iverunt ad mandata dicti domni regis Karoli. Item eodem anno, cum ipse domnus
rex Karolus audiviset, quod dictus domnus Manfredus cum octo milia militibus ivisset de
Capua Beneventum, ipse domnus rex Karolus ivit ad dictum locum, equitando per 40 milia-
ria transeundo montes et flumina, ita quod nimis fatigati erant. Et erat tunc dies Veneris
26. intrante Februario. Et tunc dictus rex Karolus com suis exspugnavit com dicto rege Febr. 26.
Manfredo, in quo prelio dictus rex Karolus obtinuit et dictus rex Manfredus interfectus fuit,
et sui per fugam evaserunt. Et ex illis dicti regis Manfredi comes Iordanus[28] et multi alii
baroni capti fuerunt. Et Saraceni de Nucera[29] venerunt ad mandata dicti regis Karoli, quam
quidem in quatuor partes divisit. Et die 5. intrante Martio comes camarlenghus[30] dedit Mart. 5.
dicto regi Karolo quatuor coronas aureas, inter quas erat una condam domni Frederici im-
peratoris, que inexstimabilis erat. Et qui rex Karolus astulit illis de Nucera equos et
arma. Item eodem anno in die pascatis resurectionis Domini, quod tunc fuit 4. exeunte Mart. 28
Martio, partes de Parma fuerunt ad arma. Et pars ecclesie obtinuit et pars imperii con-
flicta et expulsa fuit per totam civitatem, et scuta et arma partis imperii, que erant facta
ad Alonum, arsa et destructa fuerunt. Et dictus rumor fuit elevatus in capite pontis ad
domum Concise a quibusdam de parte domni Uberti Pelavicini in vicinia Sancti Gervaxii.

a) potestatem *addidi. Cf. Ghilini Annali di Alessandria ad* 1265 b) et *deest cod.*

18) platea. 19) feretro. 20) Wilhelmum V. (1254—1292). 21) Nizza *(della Paglia)*, inter Alexandriam et Albam. 22) 1266. Ian. 6. 23) Palazzolo ad Ollium fl., a Brixia ad occidentem. 24) Montechiari a Brixia inter meridiem et orientem. 25) Capriolo a Brixia inter occidentem et septemtriones. 26) equites. 27) Ceperano. 28) Lancia. 29) Luceria. 30) Gezolinus de Marra. Cf. Sabae Malaspinae hist. III, 16. ap. Muratori SS. VIII, 831.

1266. Et fugierunt predicti de parte imperii per andronas[31], et nulus eorum audebat aparere. Et
Mart. 28. wolta de Guasconcinis et volta de Oldezonibus de porta Nova combuste fuerunt per illos
de parte ecclesie, et tunc ascendit ignis in sumitate turis Rogleriorum in carubio[32] in nido
Mart. 29. corvorum; de quo timuit pars ecclesie, ne esset signum inimicorum. Die sequenti multi
Mart. 30. de parte domni Uberti Pelavicini confinati[33] fuerunt, et alia die sequenti redierunt; et ha-
bebant dicti de parte domni Uberti Pelavicini arma ad Alonos, qui dicta arma raspaverunt[34],
qui non fuerant ad rumorem timore partis ecclesie; et illi de parte ecclesie habebant arma
Apr. 1. ad crucem. Et duravit dicta robaria[35] per tres dies. Die vero dominico sequenti quidam
de parte dicti domni Uberti Pelavicini intraverunt Burgum sancti Donini. Die vero Iovis 8.
Apr. 8. intrantis Aprilis predicti potestates ambo reversi sunt ad propria, eo quod eis fuit prohi-
bitum, facere inquisitionem et regimen de predictis robaria et rumore. Propter quod die
Mai. 4? Martis 6.[36] intrantis Maii domnus Iohannes de Norenghis cum aliis anzianis populi Parme
et aliis suis sociis, scilicet com potestatibus becariorum[37] et calzolariorum, et domno
Iohanne Trocario advocato mercatorum et domno Baldo de Froa tunc capitaneo crusato-
rum[38] com quatuor consulibus iusticie habuerunt regimen civitatis Parme, et reserunt us-
que ad aventum sequentis potestatis, qui venit Parmam die sabati de mense Madii. Domnus
Albrighus de Soardis de Pergamo fuit potestas Parme dicto anno subsequenti predictis nego-
ciis, electus usque ad annum novum proxime venturum, ad exitum cuius per tres menses
domnus Iacobus de Porta fuit secundus capitaneus populi. Et eo anno, tempore dicti domni
Aug. 1? Albrici, die Lune primo mensis Augusti[39], pars imperii intravit Colurnium, et guardas,
Aug. 3? que ibi erant pro parte ecclesie, ceperunt. Et die Mercurii proxime sequenti 3. Augusti
dictus domnus potestas et milites et populus duarum portarum com certis militibus de Regio
equitaverunt ad ipsum castrum Colurnii et ipsum exspugnaverunt a duabus partibus et
ipsum per forciam ceperunt et omnes, quos ibi invenerunt, Parmam captivos duxerunt, et
multos occiderunt et totum Colurnium comburserunt, et quosdam de illis, qui prodiderant
locum eis, per gulam suspenderunt et quibusdam capita amputaverunt. Milicia vero de
Mutina tunc remansit ad custodiam civitatis Parme, quia fessi ea die venerant Parmam Mu-
tina. Item eodem anno et tempore fuit exercitus Parmensis ad castrum de Montepalerio[40],
de quo[a] exercitu Parmenses propter maximum frigus et nivem et arduum tempus non bono
modo receserunt. Item eodem tempore multi de parte domni Uberti Pelavicini et de
parte imperii fuerunt conflicti per illos de parte ecclesie de Parma apud Viarolum[41], et
ducti Parmam in carceribus. Eodem anno capta fuit domus domne Aegidiole de Sancto
Secondo, et castrum Soragne[42] et castrum de Nuceto; et multa alia bona facta fuerunt
per partem ecclesie de Parma tempore dicti domni Albrici potestatis Parme; nam victo-
riosus homo fuit ipse potestas. Item eo anno domnus Ubertus Pelavicinus, dominus et
potestas Cremone, fuit expulsus de ipso dominio per domnum Boxium de Dovaria, et ivit
Burgum sancti Donini.

1267. Domnus Albertus de Fontana de Placentia fuit potestas Parme in 1267. Et ipso anno
Parmenses iverunt in obscedio ad Burgum sancti Donini et se posuerunt a latere superiori
com manghanis et trabuchis. Item eodem anno castrum Barghoni[43] et castrum Tablani
venerunt ad mandata communis Parme, et castrum de Alpesele et multa alia castra de-
vastata fuerunt in totum. Item eodem anno domnus Adigherius de Lasenaza fuit tertius
capitaneus populi Parme per sex menses. Item eodem tempore, stando Parmenses in
dicto obscedio Burgi sancti Donini com Mutinensibus et Reginis aliquibus, auditum fuit,
quod domnus Boxius de Dovaria, qui exierat de Cremona cum multis aliis, et volebat ve-
nire Cremonam et intrare per forciam et exinde exspellere legatum, qui ibi erat pro eccle-
sia Romana et qui fecerat fieri pacem inter Cremonenses intrinsechos et exstrinsecos et
reduxerat[b] Capeletos in Cremonam et Insutos de Placentia. Eodem anno potestas Parme

a) quo *addidi*. b) redierant *c.*

31) semitas. 32) in siliqua (arbore). 33) in exsilium eiecti. 34) surripuerunt. 35) furtum, Ital. *ruberia*. 36) 4. legendum videtur; dies 4. enim m. Maii in diem Martis incidit anno 1266, dies 6. autem fuit Iovis. 37) lanionum. 38) cruce signatorum. 39) Kalendae Augustae anno 1266 in diem dominicum inciderunt, et dies 3. Aug. in Martis diem. 40) Monte Palero in sinistra Baganzae fl. ripa, a Parma inter meridiem et occidentem. 41) Viarolo in dextera Tari fl. ripa, a Parma inter septemtrionem et occidentem. 42) Soragna a Burgo S. Domnini inter septemtrionem et orientem. 43) Bargone a Burgo S. Domnini inter meridiem et occidentem.

1267. et milites omnes, dimisso populo com militibus Mutinensibus et Reginis redire Parma a dicto obscedio, et eis asociatos usque citra flumen Taronis equitaverunt Cremonam in continenti et festinanter quam cicius potuerunt, et omnes de parte domni Boxii de Dovaria expulerunt et domos eorum fonditus diruerunt. Cremonenses vero firmaverunt exercitum ad rocham[44] dicti domni Boxii, quam habebat apud Olium, com talia[45] militum de Parma. 44 Item eodem anno domnus Andreas de Marano civis Parme fuit quartus capitaneus populi Parme. Item eodem anno castrum de Montepalerio per vim captum fuit a Parmensibus et fonditus devastatum, et omnes, qui ibi inventi fuerunt in ipso castro, ad albores per gulam apensi fuerunt, exceptis tribus nobilibus, quibus amputatum fuit sibi capud. Item eodem anno castrum de Parola[46] domni Uberti Palavicini per vim captum fuit et devastatum in totum et arsum, et omnes qui fuerunt ibi habiti, numero 36 per gulam apensi fuerunt, et tres com capitaneo nomine Ubertino de Ghisalechio decapitati fuerunt. Item eodem anno habitatores de Medexano quasi omnes capti fuerunt ab exstrinsecis Parmensibus. Et hoc ita evenit eis. Nam exstrinseci[a] diviserunt se in duas partes, una quarum habebat arma et insignia communis Parme, et alia pars habebat insignia inimicorum; et inceperunt inter se preliari apud Medexanum per duas balistratas, et una pars, scilicet illa que habebat insignia inimicorum, cepit fugere et se rumpere et dimitere equos et arma. Videntes autem predicta dicti de Medexano, contra voluntatem capitanei eorum causa lucrandi de equis et armis exiverunt ad eos; qui inimici in continenti ceperunt omnes eos, et eos duxerunt ad Burgum sancti Donini in carceribus. Item eodem anno baniti, qui erant capti in Colurnio et qui erant in ture communis in carceribus, quadam nocte rupta turi exiverunt et afugierunt omnes sani et salvi et iverunt omnes ab Burgum sancti Donini, excepto uno de Niciis, qui se necavit in fovea de Sancta Cruce. Item eodem tempore castrum Miani et castrum Ravarani[47] et castrum de Curtizellis marchionum cum multis aliis venerunt ad mandata communis Parme et finaliter fuerunt destructa per commune Parme.

Domnus Robertus de Robertis de Regio fuit potestas Parme in 1268. per primos sex 1268. menses. Et eo anno beroaria[48] de Parma sconficta fuit apud Medexanum per exstrinsecos apud Medexanum, et mortui pro maiori parte; et domnus Ugo de Ferapocoris eorum capitaneus ibi mortuus fuit et domnus Ugo de Petronis fuit ibi captus com multis aliis. Domnus Andreas de Azonibus civis Parme fuit quintus capitaneus populi Parme, ellectus per sex menses. Item eodem tempore domnus Conradus de Montemagno de Pistorio datus a domno rege Karolo fuit capitaneus foresterius civitatis Parme, et fuit per totum annum. Domnus Manfredus de Saxolo de Mutina fuit potestas Parme eodem anno per alios ultimos sex menses dicti anni. Et dictorum domnorum Manfredi potestatis et Conradi capitanei fuit secondus exercitus communis Parme ad Burgum sancti Donini. Et dictus potestas in dicto exercitu fuit et regere incepit; et ipsa die dederunt prelium dicto castro, et in ipso exercitu erant bene triginta milia persone. Item eodem anno campana populi, que est super campanile super scalis palacii communis, posita fuit versus sero. Item eodem anno, die 16. in- Oct. 16. trantis Octubris venit Parmam filia[49] filii[50] ducis de Bergondia[51], que erat uxor dicti regis Karoli, 49 et in suo aventu ad Dei honorem et eius factus fuit miles domnus Rolandus de Adigheriis. Item eodem tempore et anno, die dominico 21. mensis Octubris, Burgum sancti Donini venit Oct. 21. ad mandata communis et populi Parme; et sic dicto tempore facta fuit pax inter commune Parme et Parmenses intrinsecos ex una parte, et Parmenses exstrinsecos ex alia et Burgum sancti Donini. Et quando dicta pax anunciata fuit et publicata, quod fuit die Mercurii 24. dicti Oct. 24. mensis, et lecta pacta fuerunt in consilio generali communis in palacio communis facta, in sero propter leticiam in separacione conscilii super scalis palacii fuit ita maxima strica[52], quod multi in ipsa neccati et mortui fuerunt. Item eo anno tempore, die 13. intrantis Nov. 13. Novembris idem potestas et capitaneus com certis sapientibus iverunt Burgum sancti Donini causa faciendi ibi unam forticiam, que ex pactis factis in pace ibi ad voluntatem partis ecclesie fieri debebat; et tunc posuerunt domnum Ubertum Pelavicinum exstra Burgum, asociantes[53] eum usque ad castrum Varani. Et com dicti sapientes redisent, exstimantes

a) exstrinsecum *c*.

44) arcem. 45) parte. 46) a Burgo S. Domnini ad orientem, 47) Ravarano Castello in dextera Baganzae fluv. ripa, media fere via inter Parmam et Pontremoli. 48) Beroaria videtur fuisse ministrorum publicorum caterva, Ital. *berrovaglia*. 49) Margaretha. 50) Odonis comitis Nivernensis. 51) Hugonis IV. ducis Burgundiae. 52) turba conferta. 53) deducentes.

1268. ubi dicta forticia melius fieri poterat pro parte ecclesie, dixerunt se velle capere totum locum. Quod quidem videntes Burgenses et sui sapientes, in continenti deliberato consilio domnus Adigherius de Henzola, qui ibi iam erat potestas pro communi Parme, cum sapientibus Burgi venit ad ecclesiam sancti Donini coram potestate et capitaneo et sapientibus Parme, et sponte, antequam[a] vellent dictam fortitiam fieri, dederunt claves et omnes forticias dicte terre et se omnes in manibus dicti domni potestatis et capitanei et sapientum de Parma, ut facerent de ipsa terra et hominibus ad voluntatem communis Parme et pactis pacis et privilegiis suis. Unde dicti domni potestas capitaneus et sapientes de Parma, considerantes quod semper dicta terra suo posse obstabat civitati Parme, considerantes etiam gueras solitas et que in futurum accidere poterant, pro melliori statuerunt ipsam terram in totum destruere. Et sic per vicinias civitatis et villas episcopatus divisione facta inter 54 eos per presas[54] et partes, finaliter destructum fuit. Et ordinatum fuit per commune Parme, quod nunquam refici deberet, sed aburgari[55] et exstendi versus civitatem[56] a fovea castri usque ad Parolam, et in magnis bannis et penis. Quod sic adimpletum fuit.

1269. Domnus Manfredus de Saxolo de Mutina fuit potestas Parme in 1269. primis sex mensibus dicti anni. Quo tempore dicta destrucio, eciam continuando tempus, facta fuit et completa. Item eodem tempore populus universus cum armis, tubis et banderiis cucurrit ad terram de Basiliganola[57] ad domum domni Bernabei Canini et eius domos et albores, vineas et omnia bona destruserunt; et hoc occasione mortis Gerardi Grossi notarii Mai. 8. de burgo[58] Riolo vicinie Sancti Iohannis. Item eodem tempore obiit domnus Ubertus Pelavicinus in castro[59] illorum de Pelegrino. Item eodem tempore domnus Conra-1268. dinus, filius domni regis Conradi, venit de Alamania usque Veronam, et a Verona usque ad Papiam, et postea Pissas et Romam, et deinde in Apuliam, ad instantiam Ghibelinorum et partis imperii de Tuscana et de aliis partibus, causa recuperandi Apuliam. Et tunc dictus rex Karolus com gente sua venit obviam ei. Et habebat idem domnus Conradinus innumerabilem multitudinem baronum comitum militum peditum et aliorum suorum. Et Aug. 23. inito prelio inter ipsos, domnum regem Karolum et suos ex una parte et dictum domnum Conradinum et suos ex altera, in quo prelio predictus domnus Conradinus et sui conflicti fuerunt. Et dictus domnus Conradinus captus fuit et presentatus dicto domno regi Karolo, Oct. 29. qui post paucos dies fecit dictum domnum Conradinum decapitari Neapoli. Et domnus Henricus[60] frater regis[61] de Castello captus fuit et positus in carceribus. Conflictus vero 1269. vivorum et mortuorum non fuit numerus. Domnus Otto Belotus de Cortona fuit capitaneus populi pro sex mensibus ultimis dicti anni et temporis. Domnus Gerardus Boiardus de Regio fuit potestas Parme dicto anno et millesimo per sex menses ultimos dicti anni.

1270. Predictus domnus Gerardus fuit potestas Parme 1270. per totum illum annum. Et eo anno destructe fuerunt tures de Rogleriis et domus domni Ghiberti de Gente et plurium aliorum. Item eodem tempore sestarium salis valebat in Parma 24 solidos imperiales. 62 Item eodem anno domnus rex Francie[62], domnus rex Navarie[63], domnus Oddoardus[64] filius regis[65] Anglie et domnus rex Karolus com multis baronis comitibus militibus et aliis transierunt per mare contra regem Tunixi. In quo transitu predicti domni reges Francie et Navarie morte naturali obierunt et multi alii. Et pax facta fuit inter predictos christianos et Saracenos. Et multe naves christianorum predictorum in reditu, quem faciebant, com magna gente in mari per tempus contrarium perierunt in portu Trapane. Domnus Scolagius de Cavalcantis de Florentia fuit capitaneus populi pro primis sex mensibus et eciam pro secundis.

1271. Domnus Pelegrinus de Guidonibus de Mutina fuit potestas Parme in 1271. Domnus Riboldus de Iosano de Cremona fuit capitaneus populi primis sex mensibus. Eodem anno Mart. domnus rex Philipus rex Francie de mense Marcii et domnus rex Karolus fuerunt Viterbii, ubi cardinales erant pro papa faciendo, qui steterant per biennium quod se non poterant concordare, et procurabant ibi de novo papa faciendo. Et cum propterea essent in ecclesia civitatis eiusdem, comes[66] de Monteforte, qui erat vicarius in tota Tuscia pro domno rege

a) ante quem c.

54) catervas. 55) per burgos (fora) dispertiri. 56) Parmam. 57) an Basilicanova (a Parma ad meridiem)? 58) via. 59) Annales Placentini 1269: „in castro suo de Ghisaligio" (quod fuit in sinistra Mozolae fluv. ripa, a Pontremoli ad septemtriones). 60) filius Ferdinandi III. regis Castiline. 61) Alfonsi X. 62) Ludovicus IX. 63) Theobaldus rex Nav., V comes Campaniae. 64) Eduardus. 65) Heinrici III. 66) Guido.

Karolo, armata manu et apensate[67], tempore quo corpus Christi levebatur, interfecit Hen- 1271. ricum[a] de Alamania[68], filium condam regis Ricardi de Anglia, qui iam fuerat electus in Mart. regem[69] per ecclesiam Romanam, et afugit in terris comitis Rubei de Maritima. Et ita non electo papa, domnus rex Philipus com suis reversus est Parma die Mercurii primo Apr. 1. Aprilis, et emendavit in terra de Calerno[70] quindecim domos, per suos ibi arsas, 20 libras Tornensium sponte et sua propria voluntate. Et die sequenti discesit, et faciebat multum Apr. 2. honorifice deferri com eo ossa patris sui, et ossa fratris sui nomine Iohannis Tristani[71], et ossa uxoris[72] ipsius regis in Franciam, qui obierant, ut supra scriptum est, in transitu[72] quem faciebant contra Tunixium. Item eodem anno, existente potestate Arimini domno Giliola de Lasenaca, idem potestas com domno Malatesta expulerunt partem imperii de Arimino, et Ugholinum de Ferro de Sesso de Regio, qui ibi erat capitaneus partis imperii, et totam ipsam partem. Item eodem anno fuit carum tempus, et commune Placentie dedit Parme magnum sucursum de blava, ducendo eam per Paudum et terram; et commune Cremone, gratis et amore communis Parme[b], posset duci dicta blava per Paudum ad voluntatem Parmensium. Et per commune Parme solvebatur ducentibus blavam foresteriam in Parmam ad vendendum 12 imperiales de stario furmenti, et 6 imperiales de stario alterius blave, ultra pretium quod vendebatur. Domnus Bergognonus Angusola de Placentia fuit potestas Parme sex mensibus ultimis dicti anni. Domnus Lazarus Novellus de Luca fuit capitaneus populi eodem anno. Et fuit magna caristria per totam Ytaliam, et sestarium furmenti vendebatur 10 solidis imperialibus in granariis et 12 solidis imperialibus; et libra carnium recencium sine sale 20 imperialibus, et salitarum 2 solidis imperialibus; et tria ova dabantur pro uno imperiali, et pondus casei recentis octo solidis imperialibus. Item eodem anno in Kalendis Septembris domnus Thebaldus Vicecomes de Pla- Sept. 1. centia ellectus fuit in sommum pontificem, et nominatus fuit domnus Gregorius papa X. Item eo anno castrum de Corvaria districtus Regii, in quo erant unus ex filiis domni Iacobi de Palude et multi alii baniti et prodictores communis Parme et Regii, fuit obsessum per commune Parme et commune Regii de mensibus Iulii, Augusti et Septembris; et tandem Iul.-Sept. venit ad precepta, cum aquam non haberent. Qui afidati receserunt com personis et avere eorum, et totum castrum destructum et diruptum fuit. Et hoc per domnum episcopum Parmensem[73] sagaciter et sapienter tractatum fuit, quia secundum documentum cuiusdam antiqui hominis de contrata aqua dicto castro secrete subtracta fuit; et hoc nesciebatur per Parmenses et per Reginos.

Domnus Nordius Bonepartis de Trivisio fuit potestas Parme per annum unum 1272; 1272. qui potestas in fine sui regiminis factus fuit de fratribus Gaudentibus[74] ad domum fratrum Predicatorum Parmensium. Domnus Ancholinus de Rodelia de Regio pro primis sex mensibus dicti anni, domnus Rolandus de Albrigonibus vel Rucinentis de Regio pro secundis[c] sex mensibus fuerunt capitanei populi Parme. Item eodem anno domnus Guido et domnus Matheus de Corigia fuerunt expulsi de potestaria et dominio civitatis Mantue per quendam eorum nepotem nomine Pinamontem de Bonacosis de Mantua; qui domini de Corigia dictum dominium per magnum tempus[d], et qui domnus Pinamonte adesit parti imperii et duxit Veronenses in Mantuam, et de Mantua expulit quos voluit, et multa mala fecit. Item eodem anno empte fuerunt domus Bocaciorum iusta Camusinam communis ab ang lo magistri Rolandini Parmenghi usque ad angulum de Malgaris. Item eodem anno fuit maxima caristria in civitate Parme, et sestarium furmenti vendebatur 12 solidis. Et tunc commune Parme misit communi Ferarie septem milia librarum imperialium pro tribus milia modiis blave; et constitit sestarium conductum in Parma[e] com expensis 13 solidos imperiales, et commune Parme dabat starium dicte blave populo suo et hominibus episcopatus sui pro 6 solidis et pro 4 solidis imperialibus. Item eo anno orta fuit divisio inter Bononienses, ita quod quendam lapidem in quo per commune habebant sculpitum quoddam privilegium, quo tenebantur ampliare episcopatum suum versus Mutinam, removerunt.

a) Henricum *scripsi pro* filium Henrici *cod.* b) concessit ut *excidisse videntur.* c) *deest cod.* d) habuerant *vel* tenuerant *excidisse videtur.* e) in Parme *cod.*

67) consul 68) de cuius nece cf. monumenta apud Würdtwein Nova subsidia dipl. I, 64. seq. 69) Romanorum. 70) Calerno a Regio inter occidentem et meridiem. 71) comitis Nivernensis. 72) Isabellae, uxoris Philippi III. regis Fr. 73) Opizzonem II. Sanvitalium (1257—1295). 74) „Fratres Gaudentes“ in Italia vocati sunt socii ordinis militiae S. Mariae virginis.

1273. Domnus Symon Donati de Florentia fuit potestas Parme per unum annum in 1273.
Et illo anno commune Parme fecit fieri duo navilia, que nichil valuerunt et multum con-
stiterunt. Item eodem anno domnus Gregorius papa X. com cardinalibus suis et aliis
Sept. 28. prelatis transivit per Parmam causa eundi Lugdunum ad quoddam concilium, quod ibi fieri
statuerat, et hospitatus fuit ad Religionem veterem. Item eodem anno sestarium fur-
menti valuit 4 solidos et dimidium. Item eodem anno facta fuit pro communi una cam-
pana grossa, et facta fuit ad domum fratrum Predicatorum. Item eo anno domnus
Mai. Oddoardus[75] rex Henglicus veniendo de ultra mare et redeundo ad partes suas, transivit
Sept. 29. per civitatem Parme. Item eo anno domnus comes Rodulfus de Hisbergho fuit electus
imperator Romanorum per principes Alamanie. Item eo anno, cum domnus potestas
tormentaret[76] Ubertinum de Pisse, contra quem inquirebat de certis equis qui furati fuerant
in hospicio suo et quos invenerat in ripa Taronis, quidam populares socii dicti Ubertini ad
rumorem proiecerunt lapides ad domum potestatis; et bene fuerunt baniti et condempnati,
et nichilominus dictus Ubertinus fuit tormentatus. Et dicebatur, quod dictus potestas illud
fecit pocius causa habendi ad suam voluntatem unam ex filiabus dicti Ubertini, que pul-
Apr. 9. cerime erant, quam alia causa racionabili. Item eo anno pondus casei ad pasca ven-
ditum fuit 12 solidis imperialibus. Domnus Anthonius de Bonbetariis de Cremona pro
primis sex mensibus fuerunt capitaneus civitatis et populi Parme, domnus Ugholinus de
Savignano de Mutina pro secundis sex mensibus.

1274. Domnus Rolandus de Albrigonibus de Regio fuit potestas Parme per unum annum
Mai. in 1274. Et eodem anno partes de Bononia ecclesie et imperii de mense Madii fuerunt
preliate simul in civitate, ardendo et spoliando se invicem. Et dictus potestas et milicia
civitatis Parme com certa quantitate populi et aliquot militibus de Cremona et de Regio et
cum Mutinensibus iverunt usque ad Renum in auxilium partis ecclesie Bononiensis; et
facta inter ipsos aliqua concordia, que modicum duravit, Parmenses et predicti alii sani
et salvi ad propria redierunt. Et stando per paucos dies, dicta pars ecclesie Bononie iterato
convocavit amicos suos, scilicet Parmenses Reginos Mutinenses Ferarienses et Floren-
Iun. 2. tinos, et ita die 2. intrante Iunio, circa horam tercie, ambe dicte partes inceperunt simul
ad invicem preliari et se offendere igne et ferro quantum poterant. Et tandem pars ecclesie
que dicebatur Zemilii obtinuit, et partem imperii que dicebatur Lambertatiorum expulit de
civitate, et quosdam magnates utriusque partis, quos in palatio detinebant, liberaverunt
et relaxaverunt, scilicet illos de parte ecclesie; illos vero de parte imperii in carceribus
posuerunt. Et in dicto rumore Bononienses capitaneum eorum, quem ante habebant, licen-
ciaverunt, et domnum Rolandinum Putalium civem Parme in suum potestatem ellegerunt.
Qui domnus Rolandinus potestas com Bononiensibus et aliis suis amicis obscedit Faven-
ciam usque ad portas, in qua civitate dicti Lambertatii se reduxerant; et etiam dicti Bono-
nienses expulerunt partem imperii de Ymola, et Ymolam de suis munierunt. Item eo
Mai. Iuni. anno dictus domnus Gregorius papa X. de Placentia, convocatis omnibus prelatis de toto
mondo christianorum, congregavit et celebravit generale concilium Lugduni. Et ibi in ipso
concilio ordinatum fuit generale pasalium ultra mare in subscidium terre sancte, et quod
in dicti pasalii auxilium omnes ecclesie de mondo solvere deberent decimam omnium red-
dituum suorum usque ad sex annos quolibet anno. Et fuit maius concilium quod nunquam
fuit; et in eo fuerunt Greci ad accipiendum certa sacramenta et articula fidei, in quibus
errabant; et fuit numerus dictorum foresteriorum, qui fuerunt ad concilium predictum,
160 milia. Et magna mortalitas ibi fuit, et obierunt ibi plures cardinales et multi prelati
et alii sine numero. Et fuit ibi ordinatum, quod nullus usurarius staret nisi in sua civitate,
et quod concilium nichil scivit[a]. Item eodem anno ambaxatores Grecorum transierunt per
Parmam, causa eundi ad dictum concilium pro certis articulis fidei, in quibus errabant.
Item in dicto concilio dictus domnus Rodulfus, ellectus imperator, per domnum papam
aprobatus et confirmatus fuit. Domnus Detus de Canzeleriis de Pistorio fuit pro primis
sex mensibus, domnus Rodulfinus de Galacesio de Cesena pro secundis sex mensibus dicti
anni[b] fuerunt capitanei populi Parme.

1275. Domnus Cleregacius de Monselece de Padua fuit potestas pro primis sex mensibus
Febr. in 1275. Et eo anno de mense Februarii fuit nix magna et grossa per duo brachia et circa.
Iun. 13. Item eodem anno, die 13. intrante Iunio prelium fuit apud Faventiam ad pontem sancti

a) sic cod. b) sequitur in cod.: eo tempore. 75) Eduardus I. rex Angliae. 76) torqueret.

Proculi inter Bononienses intrinsechos habentes secum certos milites de Parma de Mutina 1275.
et de Regio et de aliis suis amicis ex una parte, et Faventinos et comitem Guidonem de
Montefeltro et Bononienses exstrinsecos ex alia. In quo prelio conflicti fuerunt Bono-
nienses intrinseci com suis, de quibus Bononiensibus fuerunt capti et mortui quasi tria
milia, et dimiserunt vexilum carocii sui; et postquam erant capti et ligati, interficiebantur et
multa obrobria ibi substinuerunt. Item eodem tempore sestarium furmenti valebat 4 so-
lidos imperiales. Domnus Oppecinus de Saxoferato pro primis sex mensibus, domnus
Iohannes de Pescarolo de Cremona pro secundis sex mensibus dicti anni fuerunt capitanei
populi Parme. Item eodem anno strata de porta Nova ab angulo Petri Montani usque
ad angulum de Bergonciis ampliata fuit a latere de sero dicte strate. Domnus Conradus
de Montemagno de Pistorio fuit potestas Parme per sex ultimos menses post Sanctum
Petrum. Item eo tempore, die 5. intrantis Decembris prefactus domnus papa Gregorius X. Dec. 5.
redeundo a supradicto concilio com cardinalibus et prelatis pluribus, venit Parmam, et
hospitatus fuit ad palacium domni episcopi Parmensis, et ibi iacuit per unam noctem et
recessit mane adveniente. Item eodem anno civitas Parme in publica concione more Dec. 6
solito congregata com vesilis et banderiis communis et viciniarum omnium civitatis iuravit
mandata dicti domni pape et dicti domni Rodulfi ellecti imperatoris et fidelitatem nunciis.

Domnus Azo de Manfredis de Regio fuit potestas Parme in 1276 pro primis sex men- 1276
sibus ante Sanctum Petrum. Et ipso tempore furmentum valebat 4 solidos imperiales
starium. Item eodem anno de mense Ianuarii predictus domnus Gregorius papa X. Ian. 10.
redeundo Romam a supradicto concilio, cum fuit in civitate Aretii, infirmatus in pace obiit
et ibi sepultus ad maiorem ecclesiam dicte civitatis Aretii. Ibi Dominus multa mirabilia
ostendit[a] ex devotione eius in luminando cecos et infirmos curando. Item eodem anno
et mense Ianuarii cardinales ellegerunt in papam magistrum Petrum Hostiensem[77] de Ian. 21.
ordine fratrum Predicatorum, et nominatus fuit domnus Innocentius papa V. Item eodem
anno Rolandinus Testa qui[b] Curtus dicebatur, filius condam domni Guidonis Teste, inter-
fecit Anselminum de Zesso sub porticu Sancti Vitalis in modum asasini; qui fuit captus
in monasterio sancti Iohannis apud ecclesiam per famulos potestatis. De quo certi milites
de Parma noluerunt fieri vindictam pro communi et populus. Unde dictus potestas in
vigilia sancti Bernabei fecit dicto Rolandino amputari caput in platea communis, in arengo[78] Iun 10
more solito, et tunc milites qui nolebant iverunt ad villas suas. Item eodem anno in
vigilia sancti Iohannis batiste predictus domnus Innocentius papa V. obiit apud Romam. Iun. 23.
Item et in ipsa vigilia circa auroram diei venit in civitatem Parme tam maxima inundatio
aquarum propter multitudinem pluviarum, quod flumen Parme exivit de leto suo et venit
per civitatem, et maxime per stratam Claudiam a Sancto Gervasio usque ad foveas de
Sancta Cruce, ita quod per ipsam stratam poterat navigari com navibus. Et hoc similiter
venit in festo sancti Petri et sancti Leonardi, quod inauditum fuerat ab omnibus personis Iun. 29.
viventibus tunc. Et per alias vicinias et burgos civitatis tam magna venit, quod domus, Nov. 6.
vie et strate fuerunt plene in pluribus locis, et omnia alia flumina episcopatus Parme cre-
verunt et exierunt de letis suis, sufocando lina fena et blaves. Et homines asendebant
albores in vilis et super domos, ut evaderent, credentes se neccari occasione dicte aque.
Item eodem anno mense Marcii pax inter Placentinos intrinsecos et exstrinsecos facta est. Mart.
Item eodem anno pax inter Ianuenses et Pisanos facta est inter intrinsecos et exstrin-
secos. Item eodem anno domnus Gerardinus de Boschetis de Mutina fuit capitaneus
populi Parme per sex primos menses. Et eodem anno fuit magna mortalitas bestiarum.
Domnus Philipus de Taxignano de Luca fuit potestas Parme per sex ultimos menses
post Sanctum Petrum dicti anni. Item eodem anno, die 11. intrantis Iulii domnus Otto- Iul. 11.
bonus de Flisco cardinalis fuit ellectus in papam et vocatus fuit domnus Adrianus papa V,
et vixit in pontificatu tantum circa 35 dies, et obiit in civitate Viterbii; et post paucos dies
domnus Petrus Spagnolus fuit ellectus in papam et fuit nominatus domnus Iohannes Sept. 13.
pap XXI. Fuerunt illo anno quatuor pape. Domnus Rustichellus de Canzeleriis de
Pistorio eodem anno fuit capitaneus populi Parme per sex menses ultimos post Sanctum
Petrum. Et illo anno in vigilia sancti Andree venit magna nix, que stetit super terram Nov. 29.
usque ad Kalendas Aprilis, et homines non potuerunt seminare legumina, et blave semi- 1277.
nate perierunt quasi omnes; et fuit magnum et longhum yems et gelu, et pecudes quasi Apr. 1.

a) ostendidit c. b) cui c.

77) sc. episcopum. 78) foro.

1276. omnes mortue sunt per episcopatum Parme. Et illo anno valebat starium furmenti 5 solidos
imperiales.

1277. Domnus Mapheus de Mazis de Brixia fuit potestas Parme in 1277.[a] per primos sex
Ian. 21. menses. Et illo anno, die 21. Ianuarii fuit prelium inter Mediolanenses intrinsecos et
79 exstrinsecos apud castrum, quod dicitur Decem[79], in episcopatu Mediolani. Et pars ex-
strinseca, que vocabatur captanei et vavasores, in dicto prelio obtinuit, et partem intrin-
secorum, que dicebatur dominorum de la Ture, conflixit. Et dicti de parte exstrinseca
venerunt et intraverunt Mediolanum et illos de la Ture quasi omnes ceperunt et multos
occiderunt, et pauci per fugam evaserunt. In quibus fuit mortuus domnus Francischus de
la Ture et duo alii de la Ture. Capti vero fuerunt domnus Napolionus domnus Carnovalis
domnus Lonbardus domnus Musca domnus Rochus et domnus Guidetus, omnes de la Ture,
qui omnes ducti fuerunt in carceribus a Cumanis in castro Barelli[80]. Domnus vero Cas-
sonus de la Ture com duobus aliis afugerunt Cremonam. Item eodem anno incepta fuit
Apr. Mai. doana[81] salis communis Parme. Item eodem anno de mensibus Aprilis et Madii com-
mune et homines Papie obsciderunt castrum de Petra districtus Papie, in quo castro erant
milites et milicia Papie, qui tunc tenebant[b] partem ecclesie. Et in auxilio communis Papie
fuerunt Mediolanenses com carocio eorum et marchio Montisferati cum pluribus aliis civi-
tatibus. Et in auxilio dicti castri et partis ecclesie fuerunt Cremonenses, populus et milites
com tota milicia civitatis Parme et aliquot militibus de Regio et de Mutina et de Brixia, et
steterunt in civitate Placentie in auxilio dicti castri et existencium in eo; tamen nichil
fecerunt. Postea vero Mediolanenses et alii, qui erant in obscedio, de dicto loco malo
modo receserunt et ipsum castrum non habuerunt. Item eodem anno fuit maxima cari-
tudo blave, ita quod sestarium furmenti fuit positum in asetum[82] ad decem solidos impe-
riales et sestarium spelte 5 solidos imperiales; et secrete per episcopatum vendebatur
20 solidis imperialibus starium furmenti. Et magna mortalibus hominum, infancium et
mulierum fuit per Lombardiam et totam Ytaliam. Item eodem anno fuit ampliata strata
Claudia de porta Sancte Christine versus meridiem a porticu Sancte Christine usque ad
porticum Sancti Vitalis recta linea. Item eodem anno domnus Conradinus de Saugnano
de Mutina fuit capitaneus populi Parme per sex menses ante Sanctum Petrum, domnus Leo-
nardus de Amatis de Cremona fuit potestas Parme per sex menses post Sanctum Petrum.
Et illo anno fuit paucum blaudum per totam Lonbardiam, ita quod starium furmenti vende-
batur 12 solidis imperialibus et starium spelte 6 solidis imperialibus; et fuit magna mor-
talitas per totam Lombardiam. Item eodem anno domni cardinales, qui erant tantum
septem, com se concordare non possent circa ellectionem domni pape futuri, et steterant
discordes per sex menses et plus in civitate Viterbii, fuerunt reclusi in pallatio communis
Viterbii, ut ipsam ellectionem facerent, et detenti propterea fuerunt per dictum commune
post Sept. 29. Viterbii. Item eodem anno post Sanctum Michaelem fuit magna habundantia aquarum,
ita quod propterea nulo modo potuit seminari; unde multe terre remanserunt ad semi-
nandum, et melice non potuerunt colligi nec sicari. Item eo anno quidam baniti et
malefactores civitatis Parme et Cremone intraverunt Guastalam, ut expelerent partem
ecclesie, et preliando ibi com illis de dicta parte, Pegorarii de castro Gualterio[83] com homi-
nibus de contrata velociter cucurerunt et dictos malefactores pro maiori parte ceperunt.
Qui, requisiti a commune Cremone, dati fuerunt ipsi communi ut punirentur omnes, ex-
cepto uno, qui interfecerat Alexandrinum Nauli civem Parme, qui ductus fuit Parmam;
ubi dicta occasione ad instanciam filiorum condam dicti domni Alexandrini suspensus fuit
per gulam. Et tunc Pino de Gente sive Pinonus, tamquam proditor banitus[c] fuit per com-
mune Parme et omnia sua bona intus et exstra devastata fuerunt. Item eo anno, die
Nov. 15. 15. intrante Novembri pax fuit facta inter militiam Papie, que erat extra Papiam, et com-
mune Cremone et homines de Alexandria ex una parte, et commune Papie et marchionem
Montisferati ex alia; et carcerati fuerunt relaxati. Item eodem anno mense Novembri
potestas Parme com tota militia Parmensi et com certa quantitate militum de Regio et de
Mutina in servitium Bononiensium iverunt Ymolam, et ibi steterunt per 33 dies; et tunc

a) 1257. *cod.* b) tenebat *c.* c) bo *c.*

79) Desio a Modoetia inter septemtriones et occidentem. Cf. Ann. Mediol. min. 1277. supra p. 399. 80) Baradello prope Comum, ad meridiem. 81) teloneum. 82) i. e. sextarii pretium statutum est. 83) Gualtieri a Guastalla inter occidentem et meridiem.

pars ecclesie de Forlivio exivit civitatem et intravit in castra sua contra commune Forlivii 1277. Item eodem anno commune Parme missit Sarzanam[84] ad ducendum furmentum, emptum per commune in Apulia. Item eodem anno, die Iovis 6. intrante[85] Novembri domnus Nov. 25. Iohannes Gaytanus cardinalis de Ursinis de Roma fuit ellectus in summum pontificem, et vocatus fuit domnus Nicolaus papa IV.[86] Item eodem anno domnus Gerardus Blancus 86 civis Parme, qui tunc canonicus Parmensis, fuit factus cardinalis Rome ad titulum basilice 12 apostolorum, presbiter cardinalis vocatus. Item eodem anno sestarium furmenti valebat 11 imperiales. Item eodem anno domnus Cassonus de la Ture com aliis de la Ture intraverunt in civitatem Laudi de mense Iunii. Et tunc Mediolanenses com carocio Iun. eorum et Papienses per commune com carocio eorum com suis sequacibus venerunt ad offendendum Laudum et in obsedio se posuerunt. Et tunc domnus patriarcha Aquilensis[87], qui erat de domo illorum de la Ture, com multis militibus Friolanis et aliis balisteriis et militia de Parma et de Cremona, de Regio et de Mutina iverunt Laudum in servitium illorum de la Ture. Et sic Mediolanenses com suis receserunt, et Parmenses com suis sani et salvi ad propria sunt reversi. Item eodem anno domnus Meroellus de Valosneria, Franciscus Cavaturta et alii carcerati, qui erant in Camusina communis, afugierunt de carceribus. Et factum fuit a custodibus pro denario[88]; qua de causa securitates[89] eorum custodum, qui erant 20 pro communi Parme, baniti fuerunt et condempnati.

Domnus Nicolaus de Brocha de Luca fuit capitaneus populi Parme ante Sanctum Petrum. 1278. Item eodem anno et millesimo ordinatum fuit per commune Parme, quod pons de Galeria et pons domne Egidie super flumen Parme, qui erant et per tempus preteritum exstiterant de assidibus[90], fierent de lapidibus et quadrellis, et due more[91] in utroque ponte deberent fieri quolibet anno, quousque essent completi ambo; et sic due more in utroque ponte dicto anno et millesimo facte fuerunt. Domnus Azo de Burgo de Cremona fuit potestas Parme eodem anno per sex menses post Sanctum Petrum. Et eo anno de mense Aug. Augusti domnus marchio Montisferati et Mediolanenses com toto suo posse venerunt ad guastandum Laudum; et tunc militia Parme com certa quantitate peditum et com certa quantitate Reginorum et Mutinensium et Cremonensium universi inceperunt ire versus Laudum, et predicti receserunt de guasto. Item eodem anno domnus potestas com banderiis et vesilis levatis et tubis com populo universo, armata manu, furore maximo, cucurerunt Pratosellos[92] ad domos illorum de[a] Zesso, quas domos com omnibus rebus in eis 92 existentibus comburserunt et destruserunt in totum; et hoc fuit occasione mortis Francischi de Catena per eos facte, et ferute[93] in domnum Gerardum de Bosseto. Item eodem anno valuit furmentum 6 solidos imperiales.

Domnus Iacobus Vianutii de Asisio fuit potestas Parme in 1279. ante Sanctum Petrum. 1279. Et illo anno non venit nix in terra nisi semel in quadragesima, que tantum duravit per unam diem; et non fuit gelu in ipso igeme[94]. Et illo anno fuit maxima habundantia blave. Item eodem anno quidam bonus homo de Cremona nomine Albertus, qui fuerat portator vini sive leenifer, obiit Cremone, et ad sepulturam ipsius aparuerunt magna mirabilia, ut dictum fuit, quod[b] maxima multitudo personarum ob hoc Cremonam iverunt. Et certi brentatores[95] de Parma, qui Cremonam iverunt propterea, cum fuerunt Parme, fecerunt depingi figuram eius ad trofinam[96] ecclesie sancti Petri in platea communis Parme; ad quam figuram magna miracula dicta sunt fieri ad curandum infirmos. Et tota civitas, clerus et populus illuc iverunt; et travache[97] et pavioni[98] erant in platea communis, ubi iacebant 97 infirmi, et ibi omni die missa celebrabatur. Et hec miracula inter alia fuerunt, quia omnes misterii de Parma a maiore usque ad minorem iverunt ad dictam figuram cum paliis[99] et canellis[99*], et oblationes maxime per eos ibi facte fuerunt, que bene valuerunt 300 libras imperialium et ultra. Ex quibus empte fuerunt domus illorum de Malabranchis in vicinia Sancti Stephani in strata Claudia per commune Parme et misteria, et in ipsis hedificatum fuit hospitale unum, quod fuit vocatum hospitale fratris Alberti, perpetuo ad honorem Dei duraturum ad suscidium pauperum et pietatis et hospitalitatis opera faciendum. Domnus

a) de *deest cod.* b) quod *bis legitur in c.*

84) a Pontremoli in meridiem. 85) immo exeunte (i. e. die 25. Nov.) 86) immo III. 87) Raimundus (1272—1298). 88) pecunia, Ital. *danaro.* 89) sponsores. 90) asseribus. 91) pilae. 92) Praticello a Parma ad orientem. 93) vulnerationis. 94) hieme. 95) cuparii, Ital. *brentadori.* 96) ambonem. 97) tentoria. 98) papiliones. 99) vexillis. 99*) baculis.

1279. Guillelmus Garsonus de Mutina fuit eo anno[a] capitaneus populi Parme per sex menses ante Sanctum Petrum. Et eo anno valuit furmentum 5 solidos imperiales. Domnus Bertholinus de Madiis de Brixia fuit capitaneus populi Parme eodem anno per sex menses post Sanctum Petrum. Domnus Iacobus Rodelia de Regio fuit potestas Parme eodem anno per sex menses Iul. Aug. post Sanctum Petrum. Item eodem anno domnus marchio Montisferati et Mediolanenses cum toto suo posse equitaverunt apud flumen Adde, volentes dictum flumen trahere de lecto, ne veniret Laudum; et hoc fuit de mensibus Iulii et Augusti. Et predictus potestas Parme com tota milicia et certa quantitate peditum equitavit in servitio illorum de Laudo et illorum de la Ture, qui ibi erant com Cremonensibus; et tunc, cum potestas com militia Parme fuit Laude, dictus domnus marchio com suo exercitu, cavamento[1] dimisso, non bono modo recessit. Et tunc dictus domnus potestas com militia in civitate Laudi, et duo milia pedites Aug. 15. de Parma in terra de Pizoguitoni[2], districtus Cremone, fecerunt festum[b] beate Marie de Augusto. Et tunc ipso tempore domnus Gerardus Blanchus de Parma cardinalis Romanus Oct. 29. venit Parmam, et ibi dictum festum fecit. Item eodem anno, die dominico tercio exeunte Octobri, cum per sententiam datam a domno inquisitore heretice pravitatis quedam mulier nomine Todescha, uxor Ubertini Blancardi albergatoris[3] de vicinia Sancti Iacobi de capite pontis, combureretur in glarea communis extra portam Capelinam, tanquam heretica — que fuerat pediseca condam domne Olive de Fredulfis, que simul peccato heresie combusta exstiterat — quidam mali homines, instinctu diabolico instigati, cucurerunt ad domos[c] fratrum Predicatorum et ipsas per forciam intraverunt et expoliaverunt et multos ex fratribus percuserunt et vulneraverunt et quendam nomine fratrem Iacobum de Ferariis interfecerunt, qui erat homo annosus et virgo, ut dicebatur, et qui non videbat et qui steterat in ordine per 40 annos et plus. Et predicta prohiberi non potuerunt per bonos Oct. 30. homines. Qua de causa omnes fratres, mane adveniente, com cruce levata receserunt et civitatem exeuntes, iverunt Florentiam ad domnum fratrem Latinum, cardinalem[4] et tunc legatum ecclesie in Lombardia et qui erat eiusdem ordinis, ad se conquerendum de predicto accessu. Post quos fratres potestas capitaneus anciani et canonici Parmensis ecclesie et multi alii boni homines iverunt continuo usque Regium et de Regio Mutinam et de Mutina Bononiam, semper instantes et suplicantes eisdem fratribus, quod placeret eis redire Parmam, et promittentes eis reficere domos et omnia dampna restituere ad eorum libitum et eorum nudo verbo credendo. Qui fratres omnino recusaverunt; set protinus iverunt Florenciam ad dictum domnum legatum ad accusandum commune Parme de predictis, quod commune nulam certe culpam habebat. Per commune vero, facta inquisicione de predictis malefactoribus, multi baniti et condempnati fuerunt et quidam carcerati, et uni amputata fuit manus propter falsum testimonium, quod in predictis reddiderat; et eciam domus omnes dictorum fratrum integraliter per commune Parme fuerunt restitute asque aliqua requisitione. Dictus vero domnus legatus citari fecit potestatem capitaneum anzianos et consilium cum 12 ex melioribus civitatis et uno syndico legiptimo cum pleno mandato, ut coram eo in civitate Florentie comparerent ad certum terminum. Et tunc domnus Bertholinus de Madiis de Brixia, qui tunc erat capitaneus populi Parme, com 6 ambasatoribus et uno syndico, vere non habente plenum mandatum, et com uno notario iverunt Florentiam ad dictum domnum legatum ad exscusandum commune Parme. Qui domnus legatus, nolens admittere exscusationem eorum et communis Parme, licentiavit eos, et postea excommunicavit et interdixit totam civitatem, et consiliarios excommunicavit. Que Dec. 18? die Lune 14. intrante[d] Decembri in civitate Parme denuntiata fuerunt. Et postea per commune Parme quatuor ambaxatores missi fuerunt ad domnum papam pro dicta exscusatione facienda; qui, habita audiencia, pro communi Parme nichil lucrati fuerunt, nisi quod auditor eis datus fuit, qui commune Parme de iure audire deberet. Et eodem anno valuit starium furmenti 8 solidos imperiales. Item eodem anno pax de Bononia inter Sept. 28. Lambertatios et Zermilios facta fuit, et die Iovis 3. intrante[5] Septembri Lambertatii re-Dec. 21. dierunt Bononiam propter ipsam pacem. Item eodem anno, die Iovis 13.[6] exeunte Dec. 22. Decembri fuit principium cuiusdam discordie inter beccarios de Bononia. Et die Veneris

a) anno *deest c.* b) *deest cod.* c) domum *c.* d) exeunte *videtur legendum esse, i. e. d.* 18. *Dec., qui dies Lunae fuit; d.* 14. *Dec. autem fuit Iovis.*

1) fossa. 2) Pizzighettone. 3) cauponis. 4) episcopum Hostiensem et Velitrensem. 5) immo exeunte, i. e. die 28. m. Sept., qui fuit Iovis; dies vero 3. Sept. Solis fuit. 6) immo 11. (i. e. die 21. m. Decembris).

sequenti in hora none Lambertatii cucurerunt ad arma et ad rumorem in platea communis 1279. pedester et equester et com balistrariis, percutiendo et interficiendo omnes de parte Zer- Dec. 22. miliorum quos inveniebant; et etiam ceperunt unam domum illorum de Lambertinis et ipsam comburserunt. Et in continenti Zermilii, qui de parte ecclesie dicebantur, congregaverunt se simul et cucurerunt ad arma pedester et equester et prelium fecerunt contra Lambertacios; et de utraque parte multi mortui et vulnerati fuerunt. Tunc vero Lambertacii fuerunt expulsi per Zermilios de civitate Bononie, et domus eorum comburse et devastate fuerunt et robate per Zermilios. Et ea de causa Parmenses Regini et Mutinenses iverunt in auxilium dictorum Zermiliorum, secundum quod de sua exstitit voluntate. Item eodem anno cuilibet ex pontibus de Galeria et domne Gilie facta fuit una mora seu pilla per commune Parme. Item eodem anno dictus domnus potestas com capitaneo populi et com capitaneo societatum et anzianis misteriorum et populo universo com banderiis levatis et tubis cucurerunt ad domos illorum de Putaleis et ipsas diruerunt et destruserunt in totum; et hoc occasione mortis Peterzoli Restani calzolarii vicinie Sancti Quintini, quem unus de Putaleis interfecerat. Et tunc statuta populi, facta in suum favorem contra nobiles et potentes, offendentes illos de societate, inceperunt fieri et servari.

Domnus Oddo de Oddis de Perusio fuit potestas Parme in 1280. per sex primos men- 1280. ses ante Sanctum Petrum, domnus Iacobus Butiella de Papia fuit capitaneus populi Parme dicto tempore. Item eodem anno castrum dictum de Cruce de Casadei[7] inceptum fuit fieri per commune Parme, et una porta versus Regium facta fuit et elevata et alia versus Parmam fuit fondata et elevata super terram; et magna privilegia et immunitates per commune Parme facta fuerunt volentibus habitare ad dictum castrum, que depicta et scripta fuerunt in pallacio communis. Domnus Manfredinus de Saxolo de Mutina fuit potestas Parme eodem anno per sex ultimos menses post Sanctum Petrum. Item eodem anno domnus Iohannes Gaytanus papa nominatus domnus Nicolaus papa IV.[8] obiit non bono Aug. 22. modo sine penitentia, ut dicebatur, et sepultus fuit in castro Suriani[9] episcopatus Viterbii in fine mensis Augusti. Item eodem anno et tempore Bononienses amiserunt Faventiam quam tenebant; et milites de Parma, qui ibant in auxilium dictorum Bononiensium, fecerunt festum natalis Domini in civitate Mutine. Item eodem tempore flumen Paudi Dec. 25. taliter crevit[a] propter multitudinem pluviarum et aliorum fluminum, quod exivit de lecto et destrusit ageres a latere Cremone, ita quod cohoperuit terras ab utraque parte aqua, ita quod homines in domibus stare non poterant, sed fugiebant ad standum super domos et albores; et magna pars pulorum et bestiarum perierunt fame et se neccaverunt. Et fuit flumen Paudi usque ad Pizum[10] episcopatus Parme, et stetit per multos dies antequam discederet. Item eodem anno fuit tanta habundantia vini, quod vix poterat gubernari, et multe vinee dabantur ad vindemiandum ad medium, et mensura vini dabatur pro octo imperialibus, et melius vinum dabatur pro 12 imperialibus mensuram. Et starium furmenti valebat 30 imperiales. Item eodem anno, die 10. mensis Novembris domnus Thebal- Nov. 10. dellus de Acarisiis de Faventia dedit et tradidit civitatem Faventie Bononie et de Ymola et Ravenna et de Bagnacavallo. Qui Bononienses et predicti alii partis ecclesie intraverunt et recuperaverunt civitatem Faventie, et expulerunt de parte imperii de eadem civitate, et tenuerunt eam postea pro parte ecclesie. Et ea de causa potestas Parme et de Regio et potestas de Mutina com tota eorum militia equitaverunt in servitium domnorum Bononiensium et fuerunt usque Ymolam, et ibi steterunt per plures dies. Item eodem anno flumen Taronis ita crevit in festo sancti Martini, quod exivit de lecto et intravit terras ab utra- Nov. 11. que parte fluminis, et magnum dampnum ultra modum in domibus et terris illius contrate intulit. Item eodem anno domnus potestas com banderiis et vesilis et com universo populo cucurit ad domum domnorum de Rubeis occasione mortis Gerardi de Marzolaria, et domos malefactorum funditus diruerunt. Domnus Gerardus de Boiardis civis Regii fuit capitaneus populi Parme. Eodem tempore et eodem anno facte fuerunt due more ad pontem de Galeria, et una ad pontem domne Gilie per commune Parme. Et eodem tempore valebat starium furmenti 30 imperiales.

a) *deest cod.*

7) Cadè a Regio inter orientem et septemtriones. 8) III. 9) Soriano a Viturvio ad orientem. 10) il Pizzo prope Tarum fl., a San Secondo ad septemtrionem.

1281. Domnus Anselmus de Rodengho de Brixia fuit potestas Parme in 1281. per sex menses ante Sanctum Petrum; domnus Forexius de Adimariis de Florentia fuit capitaneus Febr. 22. populi Parme per sex menses primos eiusdem anni. Item eodem anno domnus Symon de Tursia de Francia, qui erat cardinalis ad titulum sancte Cecilie, fuit ellectus in summum Mai. 25. pontificem, et fuit nominatus domnus Martinus papa IV. Item eodem anno, die 25. Maii domni de la Ture cum suis fuerunt sconficti per Mediolanenses intrinsecos. In quo conflictu flagellus fuit valde magnus et incredibilis et mortui plures 500; et ibi mortui fuerunt domnus Cassonus de la Ture et domnus Scurta de la Porta de Parma, qui erat tunc potestas Laudi. Item eodem anno fuit inceptum palatium novum communis ante ecclesiam sancti Vitalis, et carcer, dictus debitorum, factus sub ipso pallatio, et staciones[11] sub eodem a latere platee, et arma[12] dictorum domnorum potestatis et capitanei et societatis depicta ibi fuerunt. Item eodem anno ampliata fuit strata communis a platea usque ad Sanctum Paulum versus sero. Item eodem anno facte fuerunt fornaces plures per commune Parme, et in quolibet plebatu[13] episcopatus facta fuit una expensis illorum de plebatu. Item eodem anno fuerunt positi ad portam sancte Marie maioris ecclesie Parmensis duo leones lapidei marmorei, quorum unus est albus et alter rubeus[14], ad honorem beate Virginis et decorem ipsius ecclesie. Et tunc starium furmenti valebat 30 imperiales. Domnus Guidotinus de Bonghis de Pergamo fuit potestas Parme eodem anno post Sanctum Petrum per ultimos menses, domnus Guidochorius de Galuciis de Bononia fuit capitaneus populi per sex menses incipiendo ad Augustum. Item eodem tempore et anno fuit carum tempus, ita quod sestarium furmenti vendebatur 6 solidis imperialibus et starium speltae 2 solidis imperialibus. Et tunc fuit ordinatum per commune Parme, quod dacium[15] solveretur ducentibus blavam de alieno episcopatu 16 imperiales[16] de stario furmenti, et 8 imperiales de stario cuiuslibet alterius blaudi; et ob hoc stabant notarii pro communi in comarchis[17], qui faciebant publica instrumenta de dicto blaudo conducto de alieno episcopatu Et eciam fuit ordinatum, quod quilibet habens valimentum[18] 300 librarum, mutuaret communi 20 solidos imperiales pro dicto dacio solvendo, et ut melius blaudum haberetur pro subscidio[a] Aug. populi Parme. Item eodem anno de mense Augusti factum fuit in civitate Parme et in palatio communis Parme generale parlamentum omnium civitatum et communium partis ecclesie de Lombardia, in quo firmatum fuit de dando sucursum militum omnium[b] peditum civitati Laudi, quotiens casus contingeret. Item eodem anno domnus marchio Montisferati venit de Yspania com 500 militibus et 50 balistrariis ad equum et totidem peditibus. Et facto parlamento venit com amicis suis in obscedio civitatis Laudi, et cum eo Mediolanenses cum carocio suo et Vercelenses Novarienses Tardonenses et Alexandrini, similiter Papienses cum suo carucio venerunt, set non exiverunt suum teretorium, stando sem- Sept. 6. per ad Sanctam Christianam[19] Item eodem anno, die sabati 6. intrante Setembri Cremonenses et Parmenses reddiderunt sibi invicem caroeia eorum, que sibi tenebant; et quodlibet commune aptavit illud quod habebat de novo. Et Cremonenses duxerunt carocium Parmensium usque ad foxatum Parmense, et Parmenses duxerunt carocium Cremonensium usque ad dictum locum, et ibi cum maximo gaudio reddiderunt sibi invicem dicta Sept. 7. carocia. Mane vero domnus episcopus Parmensis com universo clero com vesilis viciniarum et com magno gaudio iverunt obviam carocio Parmensi, quod vocabatur Regolium Parme[20], et ipsum duxerunt in ecclesia maiori sancte Marie Parmensis. Carocium vero Cremonensium vocabatur Ganyardus[21]; quod carocium Cremone Parmenses habuerunt in captione Victorie[22], et Cremonenses habuerunt illud Parmensium die Iovis mala[23]. Et hoc totum factum fuit, quia Parmenses ibant cotidie et ire debebant ad presens Cremonam in auxilium Cremonensium et Laudensium, ne ibi recordarentur de aliqua retroacta iniuria,

a) subscio *c.* b) *sic cod.*

11) conclavia. 12) insignia. 13) paroecia. 14) Supra portam ecclesiae legitur, quem affert Affò St. di Parma IV, 46, titulus hic: † *Anno millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione nona, facti fuere leones per magistrum Ianebonum de Bixono et tempore fratrum Ghidi Nicolay Bernardini et Benvenuti de Laborerio.* 15) praemium. 16) sc. denarii; cf. infra ad 1282. 17) limitibus. 18) censum. 19) S. Cristina a Papia et a Corte Olona ad orientem. 20) Carrocium Parmense, a. 1250 a Cremonensibus captum annoque 1281 restitutum, constat Blancardum vocatum esse. V. supra ad 1250 p. 675. et Chron. Estense ad 1281 ap. Muratori R. It. SS. XV, 537. 21) immo Berta. 22) anno 1248. 23) anno 1250.

propter quam posset cessari sibi invicem dare auxilium, maxime in partem ecclesie. Die 1281. vero Martis sequenti domnus episcopus domnus potestas et domnus capitaneus predicti Sept. 9. com militibus et populo universo com tubis et vesilis omnium viciniarum et campanis omnibus civitatis pulsatis, extraserunt dictum carocium de ecclesia maiori in plateam ipsius ecclesie com magno gaudio et magnis arengariis[24], causa eundi et ducendi ipsum Cremonam in subscidium Cremonensium et Laudensium, secundum quod iam ordinatum erat; et tunc, cum esset totum blanchum, depicta fuit in eo beata virgo Maria com aliis figuris. Item eodem anno et mense commune Parme generaliter, milites et populus universaliter, iverunt Cremonam in exercitum in auxilium Cremonensium et Laudensium. Et Cremonenses iam exiverant et castramentati erant ad Picumguitonum eorum districtus, Parmenses vero, post eos euntes, castra metati fuerunt in ripa Adde in terra que dicitur Crota[25], per unum miliare vel circa apud Pizumguitonum. Et fuerunt ibi in dicto exercitu 100 milites de Regio et 100 milites de Mutina et 50 milites domni marchionis Exstensis[26], et 40 pedites de Mutina venerunt Cremonam, et ibi steterunt exspectantes quod carocium Parmense illuc duceretur. Die autem Veneris sequenti marchio Montisferati et Mediolanenses Sept. 12. com suis venerunt usque ad cortas Laudi ad guastandum, sed nichil lucrati fuerunt, immo magnum dampnum receperunt personarum et equorum, et facto guasto receserunt ad propria. Et alia die adveniente Parmenses et Cremonenses com suis amicis sani et salvi ad Sept. 13? propria reddierunt. Item eodem anno civitas Forlivii circomquaque fuit guastata per milites ecclesie et domni regis Karoli et Bononienses et suos amicos, et circomquaque combusta et destruta, et nulus de Forlivio exire ausus fuit; et facto guasto, predicti sani et salvi ad propria sunt reversi. Item eodem anno completum fuit pallacium novum communis Parme, quod est ante ecclesiam sancti Vitalis, de muris, et exsterius depicta arma potestatis capitanei et populi. Item eodem anno domnus Boxius de Devoria de Cremona intravit Cremam com 400 militibus et 400 peditibus et incepit guerram com Cremonensibus, et hoc fuit circha medium mensem Decembris. Et tunc potestas Parme com Dec. tota milicia et milicia Placentie et Brixie venerunt Cremonam et munierunt episcopatum Cremone et castra sua. Item eodem anno sestarium furmenti valebat 6 solidos et 7 solidos imperiales ad nativitatem Domini. Et fuit tempus in principio yemis valde umidum Dec. 25. com pluviis multis, deinde fuit intensum frigus com multis nivibus. Item eodem tempore et anno domnus papa excommunicavit civitatem Forlivii, et omnes fratres religiosi et clerici de precepto domni pape exiverunt Forlivium com omnibus amicis suis, excommunicando eos maiori excommunicatione. Et preceptum fuit per dictum papam sub simili excommunicatione, quod si aliquis haberet aliquod depositum ab aliquo de Forlivio, quod illud asignaret nunciis domni pape, alioquin solveret de suo proprio, et aliter non absolveretur in morte vel in vita; et ob hoc asignati fuerunt nunciis domni pape plures tribus milibus librarum imperialium. Et tunc per milites et alios, qui ibi erant pro ecclesia Romana, ter omni septimana guastum fiebat circomquaque Forlivium, et erant ibi pro ipsa ecclesia mille guastatores com securibus et manariis[27]. Et multa alia dampna tam spiritualiter quam temporaliter per ipsam ecclesiam facta fuerunt contra civitatem Forlivii. Et com ambaxatores Forlivii ivisent ad curiam Romanam, et plenum non haberent mandatum, subito insalutato hospite de ipsa curia receserunt.

Item domnus Lodoycus comes de Sancto Bonifacio de Verona, qui erat de exstrinsecis 1282. Verone, fuit potestas Parme in 1282. per primos sex menses dicti anni ad annum novum; item domnus Iohannes de Bonvicinis de Taculis de Regio fuit capitaneus populi Parme per sex primos menses dicti anni, incipiendo ad Februariam. Item eodem anno et tempore palacium novum communis, quod est ante ecclesiam sancti Vitalis, intus fuit completum de sedibus et banchis et fuit depictum intus per totum; et tunc potestas et capitaneus anziani et primizerii et alii inceperunt se congregare in dicto pallacio pro negociis communis. Item eodem anno Laudenses et Mediolanenses composuerunt se simul, et concordiam inter se fecerunt tali pacto, quod non debebant retinere banitos unum commune alterius ipsorum — sed Laudenses non se ob hoc mutaverunt esse de parte ecclesie — et se inter eos defendere non debebant. Item eodem anno quidam Placentini de parte imperii intraverunt Petram Scarmonam districtus Placentie; et ascendentes fuerunt quidam Ian.

24) acclamationibus. 25) Crotto d'Adda inter Cremonam et Pizzighettone. 26) Obizonis II. 27) asciis.

1282. Ian. de Usuardis et de Granellis. Et tunc Placentini una com Parmensibus obsciderunt eos in continenti. Qui infra paucos dies venerunt ad precepta communis Placentie; et sic compositio inter eos fuit. Item eodem anno factum fuit parlamentum in civitate Cremone, in quo fuerunt Placentini Parmenses Regini Mutinenses Bononienses Ferarienses et Brixienses, et inter eos ordinatum fuit, quod talia militum eorum continuo staret Cremone; et sic adimpletum fuit et ordinatum, quod ambaxatores ipsarum civitatum irent ad curiam Romanam. Item eodem anno fuit intensum frigus cum multis nivibus. Item eo anno furmentum venditum fuit starium 8 solidis imperialibus et spelte 5 solidis imperialibus, melice 6 solidis imperialibus, fabe 8 solidis imperialibus et cicerum 9 solidis imperialibus. Et tunc ampliatum fuit dacium pro communi blave foresterie[28], ita quod pro quolibet stario furmenti dabatur 20 denarii imperiales et pro quolibet stario alterius blaudi 10 imperiales et pro quolibet stario panis 8 imperiales. Propter quod magna quantitas blaudi et panis venit Parmam, et mercatores habebant in platea communis domos de storiis pro blaudo tenendo. Et pro communi mille libre date fuerunt in blava foresteria, et mercatores communis undique iverunt pro blava aquirenda, et una magna domus de storiis ibi in platea facta fuit pro blava communis reponenda. Et commune Bononie respondit ambasatoribus communis Parme, quod volebant cum Parmensibus dividere panem et vinum, quod habebant totum in mondo. Item eodem anno domnus Boxius de Dovaria de exstrinsecis Cremone intravit castrum Soncini episcopatus Cremone. Quo audito a Parmensibus, in continenti domnus
Febr. 1. potestas com omnibus militibus de Parma equitavit Cremonam die 1. Februarii. Et missum fuit per Reginos Mutinenses et Bononienses, qui omnes in continenti sine mora secuti fuerunt Parmenses Cremonam; similiter Placentini et Brixienses omnes simul com Cremonensibus equitaverunt versus partes illas, loca et castra pro communi Cremone muniendo.
Febr. 3. Item eo anno post predicta per tres dies, scilicet 8.[29] die Februarii, ut dictum fuit, castrum Riminenghi[30] districtus Cremone volvit se contra[a] Cremonenses et recalcitravit. Item eodem tempore ambaxatores omnium dictarum civitatum partis ecclesie, secundum quod ordinatum fuerat in dicto parlamento, iverunt ad domnum papam. Item eo tempore propter caristriam temporis, secundum quod ordinatum exstitit per consilia generalia communis, quilibet potens accomodavit communi pro blava emenda secundum quod volebant. Provisiones fiebant in consilio, et sindicus communis promittebat eis reddere, quod prestabant. Et ob hoc habite fuerunt 300 libre imperialium; et domnus episcopus Parmensis cum universitate clericorum donavit communi 100 libras imperialium, et domnus Ugho Rubeus prepositus et domnus Branchaleo de Flisco archidiaconus Parmensis ecclesie accomodaverunt contratibus 100 libras imperialium communi dicta de causa. Item eo
Mart. 26. anno, die Iovis sancta dictus domnus potestas armata manu com banderiis levatis et com capitaneo societatum et anzianis misteriorum et populi cucurit ad domum illorum de la Senaza propter percusionem, ilatam per Gerardinum de la Senaza in Bonaventuram, filium condam domni Butioni Baruffi, et ipsam domum fonditus diruerunt. Item eo anno commune Parme missit Mutinam 100 pedites cum certis militibus, occasione mortis unius illorum de Savignano facte in eum per unum de Guidotis. Et quia milites de Mutina non trahebant ad commune sed ad partes, et post paucos dies commune Parme missit Mutinam alios 100 pedites com 15 ambaxatoribus, ad tres equos quilibet. Et tunc potestas Mutine vigore predictorum de Parma fecit decapitari illum de Guidotis, qui de predictis inculpabatur, in platea communis Mutine, et multas et magnas condempnationes fecit in quosdam alios, et duas tures dirui fecit usque ad fondamentum, et milites omnes de Mutina confinavit ad villas suas; et populus firmiter fuit com potestate, et domus plures dirupte et multi alii baniti fuerunt ex utraque parte propterea. Et hoc fuit inicium mali status civi-
Apr. 8. tatis eiusdem et diminucio partis ecclesie. Item eo tempore et anno, 8. mensis Aprilis castrum Montesorii fuit furtive quasi ablatum a quibusdam de parte imperii uno mane de voluntate et consensu domni Pinamontis potestatis Mantue; et habuerunt omnes pontes et barbacanum[31] et totum castrum, excepta rocha. Et audito ab eis quod Parmenses ibant ad eos, et quod iam transierant Paudum com omnibus de riveria et de partibus illis, cito affu-

a) 9tre c.

28) cf. supra ad 1281 p. 690. 29) immo 3; cf. Annal. Placentinos ad 1282 supra. 30) Romanengo a Crema ad orientem. 31) propugnaculum.

gierunt. Et duo ex eis fuerunt capti, quorum unus decapitatus fuit Cremone et alter suspen- 1282. Apr. sus; et duo alii in aqua neccati sunt. Et qui dictum castrum intraverant, fuerunt numero 60. Item eo anno ampliata fuit platea communis a parte de subtus usque ad domum condam domni Prandonis Rubei, et a via nova beccariorum usque ad viazolam[32] de Ruffinis; et omnes domus tenentes caput ad plateam pro communi exstimate fuerunt, ut pro communi emerentur. Item eo anno Cremonenses com Parmensibus et aliis suis sequacibus iverunt ad guastum faciendum ad castrum Soncini, in quo erat domnus Boxius de Dovaria com banitis et iniinicis partis ecclesie, et ad castrum Riminenghi. Domnus Matheus de Corigia et domnus Andreas de Marano legum doctor eodem anno fuerunt missi pro ambasatoribus communis Parme ad curiam Romanam ad domnum papam ad inpetrandum gratiam exscommunicationis et interdicti, in qua erat commune Parme pro fratribus Praedicatoribus. Et ita gratia Dei et eorum sensu[a] et auxilio domni Gerardi Blanchi de Parma cardinalis civitas Parme commune et consiliarii omnes asoluti fuerunt ab ipsa excommunicatione. Et domnus Oppezo Dei gratia tunc episcopus Parmensis ex commisione sibi facta a sede apostolica predictos potestatem capitaneum et consiliarios et commune absolvit et liberavit, prestito sacramento a iudice potestatis loco potestatis tunc absentis et ab aliis de mandatis ecclesie observandis in manibus dicti domni episcopi Parmensis, et datis bonis securitatibus de parendo dictis mandatis et quod usque ad unum mensem proximum venientem syndicus pro communi legiptime constitutus iret ad domnum papam ad audiendum sententiam eius super predictis et ad parendum in totum. Et dicta absolutio facta fuit et publicata die 1. Martii[33]. Et frater Rolandus de Guercinis constitutus fuit syn- Mai 1. dicus ad predicta; qui ad curiam Romanam pro predictis adimplendis ad se coram sommo pontifice presentandum[b], sed nula alia sententia facta fuit. Et commune Parme solempnes ambaxatores missit Bononiam ad rogandum priorem provincialem fratrum Predicatorum qui ibi erat, ut placeret ei mittere fratres suos Parmam ad conventum eorum pro divinis officiis celebrandis et aliis solito more. Item eodem anno, die 1. Maii cum[c] domnus comes Romagne[34] com suis iviset ad burgum Forlivii et ipsum burgum et portam ipsius et multas domos per forciam habuiset, Forlivenses et comes Guido de Montefeltre obviaverunt predictos, et eos finaliter sconfinserunt interfecerunt et captivaverunt quasi omnes. Et duo milia et plures utriusque partis mortui fuerunt, ex quibus due partes fuerunt de illis comitis de Romagna. Item eodem tempore facti fuerunt certi cives de novo, numero 40, et quidam dederunt communi 50 libras imperialium, quidam 60 libras imperialium et quidam 70 libras imperialium, secundum quod promittebant et secundum quod ordinatum fuerat per commune. Item eodem anno, die 2. intrante Iunio domnus marchio Montisferati Iun. 2. hostiliter com suis viribus, scilicet Astexanis Novariensibus Alexandrinis Vercelensibus Tardonensibus Cumanis et Papiensibus com carucio suo et populo universo, qui venerant usque Cremam, et Mediolanensibus aliquibus, qui venerunt com suo carucio usque Vavri[35], et similiter 400 milites de Mediolanensibus et quatuor milia pedites venerunt etiam; et duo milia pedites con carucio suo remanserant Vavri. Et dictus domnus marchio stetit ibi per 7 septimanas, dicens et afirmans se cum predictis velle venire ad guastandum episcopatum Cremone usque ad portas, et etiam civitatem. Cremonenses vero hoc audito pro communi exierunt civitate ante adventum dicti marchionis et castremetati fuerunt Paderni[36] com certa quantitate militum de Placentia et cavalcatorum de Brixia et cum 300 balistrariis de Parma, qui ultra Padernum castra metati sunt in loco ubi dicitur Aqualongha[37], exspectantes quod dictus marchio intraret episcopatum Cremone. Parmenses vero undique amicos suos vocaverunt; et festinanter potestas Parme cum militibus omnibus die 8. in- Iun. 8. trante Iunio equitavit illuc in auxilium Cremonensium, et militia Regii Mutine et Ferarie et militia Placentie equitavit Padernum, militia vero Brixie cum bertolotis suis equitavit ad castrum Urcii[38], quod est prope Soncinum, deinde venit Cremonam. Post vero omnes equitaverunt viriliter et munierunt castra districtus Cremone et iverunt prope Cremam per duo parva miliaria, ubi erat dictus marchio com suis, et ibi diu steterunt et trombaverunt[39],

a) *sic cod.* b) ivit *excidisse videtur vel simile verbum.* c) com *deest cod.*

32) angiportum. 33) imo die 1. m. Maii, ut docet Salimbene ad 1282 verbis his: „in festo beatorum apostolorum Phylippi et Iacobi.“ 34) Iohannes de Epa. 35) Vaprio ad Addnam fl. 36) Paderno a Cremona inter septemtriones et occidentem. 37) Acqua Lunga prope Padernum. 38) Orzinovi a Soncino ad orientem. 39) tubis cecinerunt.

1282. et nemo exivit ad eos; et sic redierunt ad albergarias suas sani et salvi. Domnus Garxonus de Garsonibus de Mutina fuit potestas Parme eodem anno post[a] Sanctum Petrum per (post Iun. 29.) sex menses ultimos ipsius anni; qui potestas ivit in dictum exercitum Cremonam et ubi erant milites Parme in exercitum ipsum castramentati, in continenti sicut intravit in ipsam (Iul.) potestariam. Dicto vero tempore et sic dicto exercitu durante et completis quatuor septimanis, Parmenses et Placentini miserunt pro caruciis suis et pro populis suis; qui populi Parmenses et Placentini cum carociis suis velociter iverunt Cremonam. Similiter Brixienses miserunt pro sex millibus peditibus; Regini et Mutinenses similiter pro eorum populo miserunt, qui omnes festinanter iverunt Cremonam. Domnus marchio Exstensis, requisitus ab ambaxatoribus Parmensibus, promixit eis personaliter et magnifice in ipsum exercitum venire. Similiter commune Florentie et aliarum civitatum Tuscie, similiter et domnus comes de Romagna promixit illuc venire cum magna militum quantitate et esse ibi, si prelium esse deberet, dummodo placeret domno pape, quod sibi placere firmiter sperabat. Audiens autem predicta dictus domnus marchio Montisferati et sciens firmiter, quod Mediolanenses nolebant intrare[b] episcopatum Cremone propter sacramentum et treguam, quam (Iul. 12.) com eis habebant, subito et non bono modo et insalutato hospite die dominico 12. Iulii re(Iul. 14.)cessit. Post vero tertium diem pars ecclesie, scilicet predicti populi Parmenses et alii, cum (Iul. 17.) magno gaudio et honore sani et salvi ad propria remearunt. Et die Veneris 17. Iulii carocium Parme ductum fuit Parmam com magno honore per populum Parme Regii et Mutine, et gubernatum in batisterio Parmensi. Milites vero Parme cum Cremonensibus et com carocio eorum intraverunt Zovenoltam et ibi castra metati sunt; deinde equitaverunt omni die ad castrum Soncini et Riminenghi, et integraliter usque ad portas destruserunt et comburserunt; deinde sani et salvi ad propria reddierunt. Item eodem anno, dum adhuc erant predicti Parmenses milites et populus in dicto exercitu, focus valde magnus fuit quadam nocte de beccaria Sancti Ieorgii in domibus Guidonis Spelte, et quatuor domus ex illo foco arse sunt, et duravit a primo somno usque ad campanam diei. Et illa eadem nocte tria alia foca in civitate Parme fuerunt, licet parva, ex quo maximus timor fuit in civitate Parme; quia Parmenses non erant domi. Domnus Guidotus archidiaconus de Cremona fuit capitaneus populi Parme per sex menses ultimos, inceptos ad Augustum. Item eo anno certa talia militum de Parma ivit in servitium domni pape contra Forlivium. Item eodem tempore Rolandus de Marzolaria com aliis carceratis, qui erant in carcere debitorum sub palatio novo communis, fracta ipsa carcere, furtive de ea afugierunt et omnes exiverunt, nisi unus solus, qui non potuit exire per foramen muri factum ab eis; et hoc fuit a latere canalis communis. Item eodem anno pax et concordia facta fuit inter Mediolanenses et Cremonenses et Brixienses; et Placentini fuerunt fideiussores utriusque par(Aug. 15.)tis. Item eo anno ad Sanctam Mariam de Augusto domnus Guillelminus et Ugholinus fratres et filii condam domni Iacobini Rubei facti fuerunt milites. Et fuit maxima curia et honorabilis, et duravit bene unum mensem curia de bagordis[40] et aliis solatiis; et boni homines de Parma et de Lombardia, tam de populo quam militibus, donaverunt robas ad dictam curiam. Et dictus domnus Guillelminus duxit in uxorem quandam dominam de illis de Cararia de Padua nomine domnam Donellam, et renuntiavit canonicatu Parme quem habebat; et dictus domnus Ugholinus duxit in uxorem domnam Elenam filiam domni Cavalcabovis marchionis de Vitaliana. Et domnus Nicolaus de Flisco predictis fratribus contulit ordinem militarem. Et tunc etiam predicti domni de Rubeis et alii de Rubeis et illi de Marzolaria fecerunt inter se pacem de guera, quam simul habebant, et parentelas etiam plures inter se fecerunt pro ipsa pace melius observanda. Item eodem anno facte fuerunt due more ad pontem de Galeria a quolibet capite. Item eo anno ordinatum fuit per consilia generalia communis Parme, quod omnes rustici, qui vellent solvere decimam bonorum suorum, fierent cives Parme, ita tamen quod debebant in civitate stare nec esse de consilio. Et facti fuerunt circa tria milia cives, et pro ipsa decima venerunt in communi 11 milia librarum imperialium; et male fuit observatum pactum per commune. Item eodem anno generale parlamentum omnium amicorum partis ecclesie Lombardie factum fuit Cremone. Item eo anno Cremonenses recuperaverunt castrum Soncini, et domnus Boxius de Dovaria recessit de ipso castro insalutato hospite et ivit Cremam; deinde recessit infirmus et tristis. Item eo anno domnus rex Karolus amissit totam Sciciliam, et domnus

a) *ante cod.* b) *intrabant c.*

40) hastiludiis.

rex Aragone[41] ad instanciam baronum Scicilie eam in suum dominium habuit et venit illuc 1282
personaliter com Catelanis et tenuit eam. Et hoc fuit in civitate Panormi et ita evenit, quia,
euntibus Panormitanis ad unum eorum festum extra civitatem, ad quod ibant iuxta morem Mart. 30
cum vesilis et cum societatibus post prandium, quidam Francigena eques percusit de pede
quendam Panormitanum, et in continenti quasi vox de celo procedens: *Moriantur, morian-*
*tur Francisci.* Et sic dimisso festo, omnes Francisci, qui ibi erant pro dicto rege Karolo,
mortui fuerunt crudelibus fragellis[42], et nulli seu pauci evaserunt; et mane adveniente ita
mortui fuerunt per totam insulam Sciciliae indiferenter. Et Sciciliani miserunt pro dicto rege
Arogone, quod veniret ad accipiendum Sciciliam, et ita venit et eam accepit in suam. Et
sic orta fuit guera inter ecclesiam et dictum domnum regem Karolum ex una parte, et
dictum domnum regem Aragone et Scicilianos ex alia. Et super hoc ordinatum fuit per
ipsos reges facere simul prelium com 100 militibus ex utraque parte, et ipsis dominis per-
sonaliter in plano Bardelle[43], ad quem locum dictus domnus rex Karolus ivit; sed domnus
papa non dimisit prelium esse, excommunicando ipsum regem, si iret ad ipsum prelium,
et ob hoc remansit. Item eodem anno domnus Robertus[44] comes Atrabatensis, dictus
cont Artese, eundo cum comite Lanzono in auxilium dicti regis Karoli, qui amiserat Scici-
liam, fecit transitum per Parmam com magna quantitate militum tam equestrium quam
pedestrium. Domnus comes de Romagna dicto anno com militibus domni pape discesit
ab oscedio castri Meldule[45] propter caristriam magnam et turpitudinem temporis. Item
eodem anno empte fuerunt per commune Parme domus, que tenebant[a] caput ad plateam
novam a beccaria parva usque ad viazolam de Vernaciis, et inceptum est fieri fundamen-
tum pro communi ante illas domos, ut palatium ibi fieret com stationibus pro mercatori-
bus. Item eo anno de mense Novembri et Decembri usque ad octavam nativitatis Domini Nov Dec.
fuit tempus nubilosum et pluviosum, et fuerunt flumina magna valde. Et eo anno vale-
bat starium furmenti 6 solidos imperiales, melice 18 imperiales, spelte 2 solidos. Item
eodem anno, quasi in fine Decembris domnus Otto de Vescontis archiepiscopus Medio- Dec.
lanensis armata manu et potenti com populo et certis militibus ascendit palatium commu-
nis Mediolani, et vicarium ibi existentem pro domno marchione Montisferati, sive potesta
tem expulit extra civitatem, et posuit ibi domnum Iacobum de Sommoripa de Laude per
potestatem Mediolani; deinde societatem contrasit com Cremonensibus Placentinis Brixien-
sibus, et totam civitatem cum episcopatu habuit ad sua beneplacita mandata.

Domnus Thebaldus de Brusatis de Brisia fuit potestas Parme in 1283. per sex menses 1283.
dicti anni ad annum novum. In quo anno, die 5. Februarii in festo sancte Agathe in Febr. 5.
palatio communis in generali consilio communis et populi Parme facta et iurata fuit tregua
perpetualis et concordia inter commune Parme et commune Mantue, et quelibet pars pro-
mixit alteri satisfacere de omnibus damnis, si qua dicerentur, a quo Deus avertat, sine
strepitu iudicii et in brevi tempore. Item eodem millesimo, die 7. intrante Marcii dictus Mart. 7.
domnus potestas com anzianis et primiceriis et ceteris com mille peditibus ad hoc deputatis
armata manu com tubis et banderiis levatis ad sonum campanarum communis cucurit ad
domum de Adigheriis occasione mortis unius corerii communis, quem interfecerat Uber-
tinus filius condam domni Rolandi de Adigheriis, et domum pro parte malefactoris destru-
serunt in totum. Item eo anno valebat starium furmenti 7 solidos imperiales, spelte 28
imperiales, melice totidem, fabe 5 solidos imperiales. Item eo anno civitas Cervie[46]
tradita fuit in manibus domni comitis de Romagna, et hoc quia quidam miles de terra fuit
percusus per potestatem Cervie; et ipse potestas fuit mortuus. Item eodem anno castrum
Riminenghi districtus Cremone venit ad precepta communis Cremone. Item eo anno
civitas Forlivii Forinpopuli Cesena et Berthenorium[47] com omnibus suis castris et forticiis
venerunt districte ad mandata domni pape, et suis obedire preceptis perpetuo iuraverunt;
intellectus tamen eorum fuit, quod eos carcerare seu interficere non deberet Et tunc
domnus comes Guido de Montefeltro com omnibus suis banitis cuiuscomque civitatis, qui
steterant contra ecclesiam, exivit de dictis civitatibus et castris et locis cum equis[b] et
armis et rebus eorum affidatis; et hoc fuit vi, quia dicta civitas fuerat obsessa per comitem

a) tenebat c. b) aquis c.

41) Petrus III. 42) suppliciis (flagellis). 43) Bordeaux in Gallia. 44) II. 45) Meldola a Foro Livii ad meridiem. 46) inter Ravennam et Ariminum. 47) Bertinoro.

1283. de Romagna com militibus peditibus et balistrariis ecclesie et domni pape, et vastata circomquaque, unde timebant mori fame. Venerant enim ultramontani in servicium et ad soldum domni pape in maxima quantitate, ut supra dictum est; similiter eciam Parmenses Regini Mutinenses Bononienses Ymolenses et Faventini venerant ad dictam obscidionem de mandato domni pape. Item eodem anno Parmenses inceperunt rehedificare castrum Grondule[48], quod fuerat destructum tempore civitatis Victorie a Pontremolensibus. Item eo tempore quidam cardinalis de mandato domni pape venit in Romagnam, et muros et portas civitatis Forlivii destrusit, et domos etiam quam plures cum omnibus fortitiis eiusdem civitatis et omnes tures eciam diruit usque ad fundamenta. Item castrum Meldule com omnibus aliis castris et fortitiis totius episcopatus devastavit, et eciam Cesenam Forinpopulum et castra comitatus de Montefeltro in omnibus et per omnia usque ad fondamenta diruit et vastavit. Et multos homines de ipsis civitatibus et locis in confinibus posuit. Item mortuos tempore dicte guerre, de sepulcris cavari et exstrahi fecit et ossa eorum extra civitatem et loca ad fossata portari fecit propter exscommunicacionem, quam domnus papa tulerat et interdictum in ipsos[a] occasione dicte guere et eorum inobediencie. Domnus Iacobus de Zoppo de Pergamo fuit potestas Parme eodem anno per sex ultimos menses post Sanctum Petrum; domnus Guillielmus Lechafarina de Placencia fuit capitaneus populi per sex ultimos menses inceptos ab Augusto. Item eodem tempore facti sunt omnes archus sive volte pontis de Galeria, que fuerunt numero octo, et merlatus[49] et planelatus[50] per Dei gratiam et totus completus; et constitit in somma 1600 libras imperialium. Item eo Dec. 25. anno starium furmenti valebat 5 solidos imperiales: et usque ad nativitatem Domini fuit tempus pluviosum et sine frigore consueto.

1284. Domnus Cardinalis de Tornaquincis de Florentia fuit potestas Parme in 1284; domnus Bernardus Ranfredi de Lucha fuit capitaneus populi Parme per sex primos menses eiusdem anni. Item eodem anno domnus potestas cum armis et tubis et campanis pulsatis et mille peditibus de societate cucurit ad domum Gerardi de Sancto Marcho et ipsam diruit occasione cuiusdam iniurie dicte per eum[b] et minarum contra Franciscum Fini. Item eodem anno potestas com mille peditibus de societate, armata manu com banderiis et tubis et campanis communis pulsatis cucurit ad domum Adigherii et Philiperii de la Senaza et ad domum Turchii de Henzola, et Mulazanum[51] ad domum Caroti de Palude, et ipsas domos com omnibus bonis devastaverunt. Et hoc fuit occasione insultus, quem fecerant contra domnum Bertum Poncioni de Henzola, et eciam mortis filii eiusdem baniti communis, quem interfecerant malo modo. Item eodem anno anziani populi, primizerii societatis crusatorum, octo populi capitanei societatum una com anzianis misteriorum et arcium civitatis Parme iuraverunt, se ad invicem defendere et manutenere ad bonum et pacificum statum civitatis Parme; quod quidem fuit quasi inicium minoracionis status societatis crusatorum. Domnus Thomaxinus de Robertis de Regio fuit potestas Parme eodem anno per sex ultimos menses eiusdem anni post Sanctum Petrum, et fuit ellectus per anzianos et primizerios et capita societatum et anzianos misteriorum et populi Parme. Domnus Miletus de Griffis de Brixia fuit capitaneus populi Parme per sex menses ultimos eiusdem anni inceptos ad Augustum. Item eodem anno domnus princeps[c] de Apulia[52] filius regis Iun. 5. Karoli preliatus fuit in mari com filio domni Petri de Araghona; qui princeps cum 9 galeis captus fuit et ductus Misiam[53] in carceribus. Item eodem anno maxima discordia et rixa fuit inter civitatem Mutine et illos de parte ecclesie, et facte sunt ibi inter eos due partes, una quarum dicebatur Boscheti et alia de Savignano; et ob hoc 200 pedites de Parma iverunt Mutinam ad custodiam civitatis. Item eo anno turris ecclesie maioris Parme fuit destructa, et postmodum de novo fondata et elevata super terram per unam perticam. Item eodem anno civitas Tardone fuit obscesa et circomquaque devastata a domno marchione Montisferati, non obstantibus amicis. Item eodem anno per commune Parme facte fuerunt Cohencii[54] due tures, scilicet ab utraque parte Hencie in ripa Paudi; et due alie de Coparmulis[55], scilicet ab utraque parte Parme in ripa Paudi; et una alia in terra de

a) ipsas *c.* b) eum *deest c.* c) princes *c.*

48) Cf. supra ad 1247 p. 672. 49) pinnis instructus. 50) lapide constratus. 51) Mulazzano a Parma (et a Lesignano de' Bagni) ad meridiem. 52) Karolus, post II. rex Neapolitanus. 53) Messina. 54) Coenzo in sinistra Enziae fl. ripa, a Parma inter septemtriones et orientem. 55) Copermio in sinistra Parmae fl. ripa, a Casalmaggiore ad meridiem.

Turicella[56] in ripa Taronis et Paudi ab ista parte in districtu Parme; et unum bitifredum 1284.
super pontem de Arzenoldo similiter factum fuit. Et calcina[57] dictarum turium ducta fuit per Paudum a civitate Laudi. Item eodem anno fuit calor valde intensus; et sestarium furmenti valuit tribus solidis imperialibus. Item eodem anno pars illorum de Boschetis de Mutina expulit de civitate partem illorum de Savignano et ipsos de omnibus suis bonis expoliavit. Illi vero de Savignano intraverunt Saxolum[58] et Savignanum[59] et alia 59
sua loca, et gueram maximam fecerunt Boscetis et illis de civitate Mutine. Et magna damna sibi invicem intulerunt, et bix prelium fuit inter eos. Et dicti de Savignano semper obtinuerunt, et centum de melioribus illorum de Boscetis mortui sunt in dictis preliis, et plures ducti et capti in carceribus ad dicta loca, et pauci illorum de Savignano capti vel mortui fuerunt. Et dicti de Savignano expugnando invaserunt Malgredam[60] et alia loca multa. Item eodem anno ad postulacionem Parmensium factum fuit parlamentum in civitate Regii per civitates societatis Lombardie pro reducendo ipsos Mutinenses ad concordiam et pacem. Et in dicto parlamento fuerunt ambe dicte due partes Mutine; Boscheti vero noluerunt in aliquo obedire. Et tunc firmatum fuit in dicto parlamento, non se intromitere de eis in offendendo vel in serviendo, et non dando eis potestatem nec capitaneum, imponendo certam penam recipientibus potestariam vel capitanatum eorum. Item eodem anno Regini de certis discordiis ortis inter eos se simul concordati sunt com sacramentis, et Parmenses cum sacramento facto in consilio generali fideiussores fuerunt utriusque partis; et hoc factum est propter timorem Mutinensium. Item eodem anno domnus capitaneus populi Parmensis com 12 ambaxatoribus de populo et com ambasatoribus aliarum civitatum Lombardie iverunt Mutinam occasione faciendi pacem inter eos, sed pars de Boschetis repudiavit et noluit. Similiter et quidam cardinalis, cum esset legatus per ecclesiam in Lonbardia, voluit facere pacem et missit pro ipsis partibus et voluit, quod se deberent compromitere in ipsum; sed illi de Boschetis noluerunt se compromittere in dictum cardinalem. Item eodem anno domnus marchio Montisferati per tradimentum quasi in aurora diei intravit et habuit civitatem Terdonensem, et domnus episcopus[61] dicte civitatis captus fuit et carceratus et a quodam milite subito interfectus; et in dicto introytu multi fuerunt mortui et spoliati. Item eo anno Parmenses et Regini fecerunt simul parlamentum ad Casamdei, ut dictos Mutinenses ad concordiam reducerent; et in ipso parlamento ambe partes fuerunt, sed pars de Boschetis noluit obedire. Item eo anno Pisani Aug. 6.
sconficti fuerunt a Ianuensibus in mari, in quo conflictu mortui innumerabiles fuerunt, capti vero fuerunt numero octo milia, qui omnes com navibus et galeis suis fuerunt ducti Ianuam in carceribus. Et sicut dictum fuit, dicti Pixani conflicti fuerunt in eo loco maris, ubi ipsi ceperant[62] cardinales reddeuntes a concilio tempore privacionis condam imperatoris Frederici, et quos prelatos in carceribus duxerant et tenuerant per magnum tempus. Item eodem anno valebat starium[a] furmenti 3 solidos imperiales. Item eo anno omnes de parte imperii civitatis Parme pronunciati fuerunt esse potentes, et puniri debere per potentes, si offenderent aliquem de societate crusatorum. Et hoc ideo fuit, quia unus illorum de Paule, qui erant de parte imperii, interfecerat quendam nomine Bernotum de Pescara quodam mane, venientem ad doanam pro salle mensurando et qui erat de societate et homo senex. Item eo anno cum commune Parme faceret conduci certam quantitatem salis de versus Bononie Parmam, et conductores et victurales[63] non venirent per stratam 63
rectam propter guerram Mutinensium, ymo venirent per contratam de Bazano[64] districtus Mutine, que strata erat afidata ab utraque parte, pars intrinsecorum Mutinensium, scilicet Boscheti habentes insignia illorum de Savignano, insultaverunt dictos caratores[65], et abstulerunt 32 paria bobum com plastris et com 126 corbibus salis, qui ducebatur Parmam per predictos caretores. Et super hoc missi fuerunt ambaxatores Mutinam pro dictis bobis caris et salle recuperando. Qui Mutinenses dixerunt, se velle respondere Parme in consilio generali; et eorum responsio fuit nula, sed error peior priore. Pro quo eis fuit per

a) *deest cod.*

56) Torricella in dextera Padi fluv. ripa, a Casalmaggiore ad occidentem. 57) calx. 58) Sassuolo a Mutina inter meridiem et occidentem. 59) Savignano in sinistra Panari fluv. ripa, a Mutina inter meridiem et orientem. 60) Magreta in dextera Secchiae fluv. ripa, a Mutina inter occidentem et meridiem. 61) Melchior. 62) anno 1241. 63) aurigas. 64) Bazzano a Bononia ad occidentem. 65) plaustrarios.

1284. commune Parme datus certus terminus ad restituendum dictum salem. Item eodem anno
domni de la Ture composuerunt se iuramento com domno marchione Montisferati, faciendo
depositum nomine ut dicebatur maximum, et etiam com civitate Cumarum, ita quod die
Dec. 19. Martis 13. exeunte mense Decembris predicta civitas de Cumis exstraserunt de carceribus
66 Badorelli[66], in quibus erant domnus Muscha de la Ture, domnus Arethus[a] de la Ture;
domnus autem Guidetus iam affugerat de dictis carceribus et venerat Parmam; domnus
vero Neapoleo et domnus Carnevalis et domnus Lombardus de la Ture in dictis carceribus
mortui exstiterant. Et postea inceperunt dicti de Como guerram com Mediolanensibus.
Item eodem anno pons domne Gilie de porta Nova expletum est, et constitit in somma
2505 libras[b] 3 solidos et 6 imperiales; et hoc sine planelacione et merlacione dicti pontis
Dec. 21. pro medietate. Item eodem anno, die Iovis ante natale et in ipsa nativitate, que fuit in
Dec. 25. die dominico[67], quasi in primo somno[c] audita sunt tonitrua valde magna, nomquam a
viventibus talia ipso tempore audita. Item eodem anno mare ita crevit Ianue et Venetiis,
quod intravit per multas domos et staciones, ita quod Veneciani fuerunt in magno timore.
1285. Domnus Albertus de Rosata de Pergamo fuit potestas Parme in 1285. per sex primos
menses dicti anni; domnus Pinus Vernacii de Cremona fuit capitaneus populi Parme eodem
Ian. 7. anno primis sex mensibus inceptis a Februario. Item eodem anno in festo epiphanie[68]
domnus rex Karolus, rex Apulie, obiit in civitate Foze[69] et sepultus fuit Neapolim ad
ecclesiam archiepiscopatus, et ad sepulturam eiusdem isti versus scripti sunt:

*Ecclesie clipeus iacet hic fideique tropheus,*
*Si fuit ipse reus, propiciare, Deus.*
*Flet lex divina, Karoli virtute supina,*
*Que fuerat[d] domina, dum vixit, et absque ruyna.*

Mart. 29. Item eodem anno domnus papa predictus obiit die 16.[70] Martii. Et eo anno valuit sta-
rium furmenti 3 solidos imperiales. Item eo anno potestas Parme com 12 ambaxatoribus
et com ambaxatoribus Regii Bononiensium et Ferariensium ivit Mutinam pro pace eorum
facienda inter Ayghonos; set Ayghoni intrinseci noluerunt. Item eodem anno, die ultimo
Apr. 2. mensis Marcii predicti[71] electus fuit domnus papa et vocatus fuit domnus Honorius papa IV.
Item eo anno domnus capitaneus populi Parme com 12 ambaxatoribus populi et com ambaxa-
toribus Regii Bononie et Ferarie iverunt iterato Mutinam pro pace sua facienda, et pro emen-
dacione petenda salis, quem astulerant communi Parme in parte Bazani; sed intrinseci de
Boschetis noluerunt aliquid facere de predictis. Item eo anno facta est domus magna com
stacionibus mercatorum iusta plateam communis a latere desubtus, scilicet a viazola de Ruf-
finis usque ad viam de becaria, et merlata atque depicta. Item eo anno renovatum et amplia-
tum fuit foxatum Parmense inter episcopatum Parme et Cremone, et hoc fuit ne victualia
conducerentur extra episcopatum Parme; et rupta fuit via de Soragna, que ibat in episco-
patum Cremone. Item eo anno hedifficata et facta fuit porta de Bernabeo. Et forticie facte
fuerunt in castro de Grondula. Et una porta facta fuit ad castrum de Casadei versus Regium.
Et eodem anno tres partes pontis de Hencia in strata Claudia facte fuerunt de lapidibus
et quadrellis, scilicet versus Regium. Item eodem anno domnus rex Francie armata
manu intravit in terras domni Petri regis Aragone, ex quibus aliquas habuit expugnando, et
aliqua venerunt ad mandata eiusdem. Item eodem anno domnus Gerardinus Ranghonus
de Mutina pro parte intrinsecha de Boschetis, et domnus Manfredinus de Saxolo pro parte
exstrinsecha de Savignano ad postulacionem communis Parme fecerunt quidquid potuerunt,
sed pars Boscetorum repudiavit, petens magna et imposibilia valde. Item eo anno dictus
domnus potestas Parme armata manu com 2000 peditibus, banderiis levatis, tubis et cam-
panis communis pulsatis, ivit Monticulum ad domum Marchixii et Conforti de Monticulo,
qui habuerant verba com Gerardino Ansaldi vicinie sancti Bertholamei de Stratarupta
occasione prioratus Sancti Bertholamei de Stratarupta, et ipsas domos diruerunt. Item
eo anno exspletae fuerunt tures in partes riverie Paudi, ibi facte pro custodiendo victualia
a Cremonensibus. Item eodem anno Mutinenses intrinseci restituerunt communi Parme
medietatem dampni salis bobum et carorum, que supra astulerant communi Parme Bazani,
et pertinentiarum, et de superfluo habuerunt pactum ad certum terminum determinatum.

a) arethum *c.* b) libras *deest c.* c) somni *c.* d) fueras *c.*

66) Baradello; cf. supra ad 1277. p. 686. 67) immo Lunae. 68) immo postridie (Ian. 7). 69) Foggia.
70) immo 29. 71) immo die 2. m. Apr.

Domnus Bonavolta de Malavoltis de Bononia fuit potestas Parme eodem anno[a] per sex 1285. ultimos menses, domnus Liazarus de Liazaris de Pistorio fuit capitaneus populi Parme dictis ultimis mensibus. Eodem anno starium furmenti valuit 5 solidos imperiales, et optimi et sanisimi vini valuit mensura 10 solidos imperiales, plastrum lignorum 10 solidos. Eodem anno domnus Guido et domnus Matheus de Corigia fratres iverunt Mutinam pro pace eorum facienda, et facto in eos compromisso per utramque partem et datis ostaliis[72], tulerunt sententiam pacis inter ipsas partes; sed pars de Boschetis non fuit visa 72 velle tenere dictam sententiam. Item eo anno domnus rex Francie tam propter caritudinem, quam mortalitatem hominum et animalium recessit de terris domni Petri de Araghonia, et in ipso discesu, scilicet die 8. mensis Octubris[73] obdormivit in Domino. Oct. 5. Item eo anno domnus Petrus de Aroghonia predictus exspiravit, scilicet die 10. mensis Nov. 10. Novembris, et qui in quodam prelio vulneratus fuit ad mortem et tunc in ipsa infirmitate accepit penitentiam et iuravit mandata ecclesie, et sepultus fuit in Cateloniam. Et in continenti Sciciliani fecerunt in suum regem domnum Iacobum[74] eius filium mediocrem[75] condam dicti domni Petri, et eum coronaverunt; qui fuit valde victoriosisimus. Item eo anno ex campanis communis scilicet magna et una ex parvis fracte fuerunt, et ipso anno facte sunt de novo. Quarum una parva facta fuit per magistros de Parma ad palatium de Arena et fuit satis bona; magna vero facta fuit ibidem bis, sed nichil valuit. Unde tunc fuit missum Pissas pro quodam magistro, qui venit Parmam et fecit eam ad domum fratrum Predicatorum. Et eo anno non fuit nix neque frigus aliquod.

Domnus Thecla de Bondelmontibus de Florentia fuit potestas in 1286. per totum unum 1286. annum; domnus Guido de Luvisinis de Regio fuit capitaneus populi Parme per totum annum predictum. Item eodem anno aqua, que dicitur Rayghosa[76], posita fuit in foxato Parmesano[77], cavato et amplato tunc temporis. Item eo anno fuit nix valde magna circha medium Februarium. Et sestarium furmenti valuit 6 solidos imperiales. Item eo Febr. anno ambaxatores utriusque partis Mutine venerunt Parmam occasione sentencie domnorum de Corigia et super hoc credentie et conscilia quam plura fecerunt; sed pars de Boscetis repudiavit et noluit stare ad voluntatem communis Parme, unde ambaxatores subito insalutato hospite de Parma receserunt. Item eodem anno commune Parme misit duos de anzianis populi com duobus ambaxatoribus Bononiam causa discordie predictorum de Mutina, ut Bononienses simul com Parmensibus firmarent et facerent societatem de novo propter dictam sententiam, et ut Mutinam ipsam servarent. Qui Bononienses facere noluerunt, dicentes se nolle intromittere de factis Mutinensibus aliquo modo. Item eodem anno potestas Parme ivit Mutinam com 12 ambaxatoribus de populo et com anzianis causa componendi inter ipsos Mutinenses, ut dicta sententia mandaretur executioni in bona concordia et bona voluntate; sed pars de Boscetis repudiavit. Item eo anno commune Parme missit litteras suas parti intrinsecorum de Boscetis de Mutina per quendam notarium continentes, quod deberent suos ambaxatores mitere Parmam instructos com pleno mandato ad adimplendum quidquid vellet commune Parme, alioquin inimicaret eos et auxilium daret parti exstrinsecorum de Saxolo et de Savignano. Qui de Boschetis pro nichilo habuerunt; et tunc per commune Parme datus fuit illis de Savignano et de Saxolo in potestatem et rectorem domnus Bernardus de Ferro civis Parme, qui ivit ad dictum regimen die ultimo Aprilis. Item eo tempore pax Medio- Apr. 30. lani completa fuit in totum de voluntate partium et domni archiepiscopi Mediolani[78]. Item eo tempore Regini fuerunt in malo statu occasione mortis duorum fratrum de Canusio, qui mortui fuerunt per Scarabellum de Canuxio per asasinum et banitum Regii. Et tunc potestas Parme com 12 ambaxatoribus continuo ivit Regium occasione componendi ipsos et nichil facere potuerunt. Et iterato, cum reddisent Parmam, rediit Regium dictus domnus potestas com 20 aliis ambaxatoribus occasione predicta, qui etiam tunc nichil facere potuerunt. Item eodem anno pars de Boschetis intrinsecorum Mutine equitavit ad guastandum et trabucandum castrum de Livizano[79] districtus Mutine, in quo erat pars illorum de

a) anno *deest cod.*

72) obsidibus. 73) Philippum III. regem Franciae die 5, non 8. m. Octobris a. 1285. obiisse constat. 74) regem Siciliae 1285—1296, II. regem Aragoniae 1291—1327. 75) secundum. 76) Rigosa, quae prope Rigosam villam in Tarum fluvium exit. 77) *fossa Parmigiana*, quae a Frescarolo di Busseto in Rigosam porrigitur. 78) Ottonis Vicecomitis (1262—1295). 79) Livizzano a Saxolo inter meridiem et orientem.

1286 Savignano com quibusdam balisteriis de Parma, qui stabant in terra de Saxolo per
commune Parme numero 50. Et hoc scito a Parmensibus, pietate moti ceperunt viriliter
aiuvare illam partem de Savignano; et tunc potestas Parme com 40 militibus de melioribus
civitatis, com aliis, qui voluerunt ire ad soldum, equitavit in terram de Saxolo. Et hoc audito
a parte de Boschetis, subito de loco predicto Livizani disceserunt et ad propria redierunt.
Mai. Item eo tempore de mense Maii centum milites com equo uno et alii centum com duobus
equis missi fuerunt per commune Parme et expensis dicti communis in auxilium dictorum
de Saxolo et sue partis, quod totum fiebat causa reducendi Boschetos ad pacem. Item
Iun. 2. eodem anno in pasca pentecostes quidam baniti civitatis Regii prodictores intraverunt mona-
80 sterium Sancti Prosperi[80] desuptus, ut interficerent abatem dicti monasterii[81]; et eo non
invento, dictum monasterium spoliaverunt de omnibus rebus tam sacris quam non sacris.
Et tunc venit nuncius communi Parme, quod Mutinenses com suis sequacibus venerant
Regium et preliabant com custodibus portarum et quod Regini preliabant ad invicem. Et
in continenti domnus potestas Parme com tota militia et com populo Sancte Christine et
porte Nove equitavit usque ad Casamdei, et ibi scita veritate, que erat solummodo de pre-
dictis banitis occasione mortis condam domni Gerardi Boiardi, et sequenti die ad propria
redierunt. Item eo anno ordinatum fuit per commune Parme facere exercitum generalem
contra Mutinenses intrinsechos et com posse amicorum communis Parme. Item eo anno
ambaxatores Cremone Brixie et Placentie ad postulationem communis Parme iverunt Mu-
tinam et eos rogaverunt, ut facerent pacem secundum velle communis Parme, quod si non
fieret, certificarent eos ex parte suorum communium, quod nomquam deficerent facere
voluntatem communis Parme. Et commune Mutine firmavit inter se mitere ambaxatores
suos cum capitaneo suo Parmam com pleno mandato pro pace facienda, qui capitaneus
Mutine et ambaxatores Mutine venerunt Parmam cum ambaxatoribus Lombardie occasione
predicta. Et stando Parme, multa consilia et multe credentie facte fuerunt, et in uno
consilio erant concordes et in alio discordes; et ita electi fuerunt octo sapientes, scilicet
duo per portam, qui deberent esse com dictis ambaxatoribus pro predicta pace tratanda.
Et interim vessila communis Parme data fuerunt per domnum potestatem, et datis aliis
vexilis, vesilum beate Marie datum fuit domno Guidoni de Corigia; et datus fuit terminus
dictis Mutinensibus ad se concordandum. Qui, viso sicud dictum vexilum datum erat dicto
domno Guidoni, in continenti et ante terminum eis datum fuerunt concordes; et tunc fuit
ordinatum, quod ambaxatores Mutine utriusque partis irent et reddirent com pleno man-
Iun. dato. Item eodem anno de mense Iunii domnus papa missit communi Parme, quod
comparere deberet coram eo causa securitatis, quam fecerant penes domnum episcopum
Parmensem occasione absolutionis excommunicationis et interdicti, lati in commune Parme
per fratrem Latinum occasione fratrum Predicatorum[82]. Item eo anno ambaxatores
Mutine utriusque partis reversi sunt Parmam cum pleno mandato, et habito consilio de
Iun. 28. voluntate partium, in vigilia sancti Petri confirmata est pax inter predictos in consilio
Iun. 29. generali communis Parme; Deo gratias, amen. Mane vero adveniente facta fuit concio in
platea communis Parme more solito, in qua lecta fuerunt pacta et capitula dicte pacis et
firmata per utramque partem vinculo iuramenti, osculo pacis interveniente, ad honorem
Dei et beate Marie virginis matris eius et beatorum Iohannis batiste Ylarii confessoris et
83 beati Geminiani confessoris, patroni et vocabuli[83] Parme et Mutine, quibus semper copiosas
gratias referamus. Et eo anno securitates custodum carcerum communis, qui erant in
banno pro ipsis custodibus, iam diu erat[84], ceperunt apud Cruviachum principalem[85] suum,
pro quo fideiusserant, et ipsum presentaverunt in fortiam domnorum potestatis et capitanei
et communis Parme. Qui domnus potestas, habito consilio sapientum, fideiussores ex-
trassit de banis suis et dictum principalem posuit in carcere Camusine, et hoc ex vigore
cuiusdam statuti populi, procurati ad eorum instantiam, in quo continetur. quod si quis
fideiusiset penes commune pro aliquo et principalem prestaret, quod fideiussores essent
a fideiussionibus totaliter asoluti. Item eo anno palatium novum communis, quod est
desubtus in platea communis, fuit exspletum quasi totum, preterquam in angulo a latere
becarie Sancti Ieorgii, quod diruerat. Item eodem anno pons de Hentia de strata Claudia

80) prope Regium. 81) Guilielmum de Lupicinis. V. Memoriale potestatum Regiensium ap. Muratori SS. VIII. p. 1168. 82) anno 1279, v. supra p. 688.

83) invocationis. 84) Cf. ad 1277. supra p. 686. 85) Principalis videtur is esse, pro quo sponsum est.

completus fuit preterquam de planelatura. Item eodem anno potestas Parme com magna 1286.
quantitate sapientum de Parma ivit Mutinam causa reconciliandi illos de Saxolo com illis
de civitate, secundum quod ordinatum fuerat in pace et in compositione predicta, et hoc
fuit die dominico intrante Augusto. Item eodem anno quidam cardinalis ivit per Parmam Aug. 4?
causa eundi in Franciam ad ducendum domnum regem Francie in Apuliam, ut dicebat.
Item eodem anno quasi in fine mensis Iunii Mutinenses intrinseci ellegerunt domnum Iun.
Ugholinum, filium condam domni Iacobini de Rubeis civem Parme, in suum rectorem, qui
recusans ipsum regimen aceptare compulsus fuit a commune Parme; et die Mercurii
9. Iulii[86] ivit Mutinam et in ipsum regimen intravit. Item eo anno domnus archiepiscopus Iul. 10?
Ravene[87] transivit per Parmam causa eundi ultra montes ad faciendum pacem inter domnum 87
regem Francie et filium domni Petri Araghonie. Item eo anno fuit magna mortalitas
hominum et bestiarum in civitate et episcopatu Parme, et maxime de bestiis menutis[88].
Et non pluit quasi per totum mensem Martii et usque ad medium Maii, propter quod Mart. Mai.
homines multum timebant. Et eodem anno non fuit nix neque frigus aliquod in civitate
vel episcopatu Parme. Et eo anno, scilicet post Sanctum Petrum starium furmenti valuit post
4 solidos imperiales. Iun. 29.

Domnus Barufaldinus de Lavalongho de Brixia fuit potestas Parme in 1287. pro primis 1287.
sex mensibus ante annum novum[a]; domnus Bassacomadre de Baxacomadris de Bononia
fuit capitaneus populi Parme pro dictis primis sex mensibus inceptis ad Februarium.
Item eo anno et tempore nix valde magna usque ad bragherium[89] in campis, et incepit
venire in festo sancti Anthonii et sancte Liberate virginis et duravit usque ad finem Ian. 17. 18.
mensis[90]. Item eo anno liber societatis crucesignatorum, qui erat apud domnum capi-
taneum, fuit combustus in generali consilio communis; et hoc ideo contingit, quia multi
in eo fuerunt reperti scripti indebite. Et hoc fuit die Veneris 6.[91] intrante Februario. Et ob Febr. 7?
hoc fuit ordinatum, quod unus alius liber de novo fieret ad exsemplar illius, qui erat ad
sacristiam maioris ecclesie, et qui deberet roblicari[92] de cenabrio[93] taliter, quod nulus posset
amplius addi. Et ante combustionem dicti libri factus fuit unus alius liber, in quo erant scripti
filii illorum, qui erant scripti in dicto libro, et illi qui esse debebant scripti in libro societatis
predicte secundum reformacionem consiliorum. Qui omnes scripti fuerunt in dicto libro novo.
Item eo anno, prima die[b] Martii fuit tempus nivosum et pluviosum et ea die recesit dicta Mart. 1.
nix, et quinto die eiusdem mensis fuit nix per totam terram per unam palmam grossam, Mart. 5.
et duravit per tres dies. Et fuit eo anno intensum frigus in octava epiphanie et duravit Ian. 13.
usque ad unum mensem. Item eo tempore dictus domnus potestas com mille peditibus
armata manu tubis et campanis communis pulsatis et banderiis levatis cucurit ad terram
de Flaviano[94] et ipsum locum diruit occasione mortis Henrici de Pereto et cuiusdam alte- 94
rius. Et domnus Conradus Caninus et filii tunc interfecerant Carotum de Palude et quen-
dam nomine Archipresbiterum de Fornovo; qui domnus Conradus devastatus fuit de omnibus
suis bonis. Item eodem anno, die 10. intrante Aprilis pars dicta Soprana de Regio Apr. 10.
expulit de civitate Regii aliam partem dictam Desuptus et ipsos de ipsa parte expoliavit;
et hoc fuit ipsis ambabus partibus existentibus in magna concordia et in magnis ludis. Et
in continenti potestas Parme com quatuor ex anzianis et 20 ambaxatoribus com tubis et
honorifice iverunt Regium; qui nullam concordiam facere potuerunt. Et hoc scito a Muti-
nensibus, fuerunt in maximo timore et rumore, et maxime pars de Savignano, que intra-
verant civitatem pro pace facta in civitate Parme de eis. Et tunc potestas Parme com
quatuor anzianis et 20 ambaxatoribus, duobus tubatoribus et uno notario pro pace eorum
tenenda et firmanda; similiter et potestas Bononie com suis ambaxatoribus; et eo modo
venit potestas Cremone Mutinam. Et cum sepe et sepius haberent malas responsiones
a Mutinensibus, in fine per Dei gratiam domnus archipresbiter maioris ecclesie Mutinensis
com toto clero et universis religiosis com dupleriis[95] et candelis ancensis com crucibus et
tirubulis[96] devotisime com brachio beati Geminiani vocabuli Mutine ivit in palatium com-
munis Mutine, ubi erat conscilium modo solito congregatum, com omnibus ambaxatoribus
predictis; et tunc inspirante Domino iuraverunt 25 de maioribus civitatis de voluntate Apr. 19.

a) *sic cod.* b) dies *cod.*

86) dies 9. m. Iulii fuit Martis. 87) Bonifacius (1274—1294). 88) parvis. 89) cf. supra p. 677 n. 91. 90) Februarii; cf. infra. 91) dies 6. m. Febr. fuit Iovis. 92) inscribi. 93) minio. 94) an Faviano (a Parma et a Lesignano de' Bagni ad meridiem)? 95) funalibus. 96) turibulis.

1287. Apr. 19. ipsius consilii dictam pacem perpetuo tenere et eam firmaverunt ad honorem Dei et beati
Geminiani et tocius cellestis curie. Et tunc ibi remanserunt quatuor ambaxatores cuiuslibet
civitatis pro parentelis inter ipsas partes faciendis et complendis; et hoc fuit die sabati
12. exeunte Aprilis. Item eo anno de mense Aprilis completa fuit campana communis
et ducta in plateam communis et ibi posita super unam turim de lignis ibi constructa, et
Apr. 3. aprobata bona. Item eo anno domnus Honorius papa IV. obiit et sepultus fuit Rome;
et in elligendo alium cardinales steterunt divisi per magnum tempus. Item eo anno
missi fuerunt ambaxatores communis Parme Regium apud[a] domnum priorem provincialem
fratrum Predicatorum, qui ibi erat, ut ex parte communis Parme suplicarent eidem, quod
ei placeret redducere conventum fratrum Predicatorum Parmam; et in auxilium dictorum
ambaxatorum et communis Parme ad intercedendum pro eis fuerunt domni potestas et
capitaneus et 24 civitatis Regii. Qui domnus prior benigne eos recepit et promixit facere,
quicquid petebant predicti ambaxatores communis Parme. Item eo anno, die Veneris
Febr. 21? 7. exeunte Februarii[1] fratres Predicatores de Parma reversi sunt Parmam com magno
gaudio et honore, et eis iverunt obviam domnus episcopus Parmensis, domni potestas
capitaneus anziani et primizerii com tubis communis et omnes sacerdotes et religiosi et
maxima multitudo hominum, recipientes eos com maximis cantis et melodiis. Et ita aso-
ciati fuerunt usque ad ecclesiam maiorem. Et ibi tunc predicaverunt dictus prior pro-
vincialis et domnus episcopus Parmensis. Deinde asociati fuerunt usque ad locum eorum.
Et per consilium exstitit reformatum de dando eis 200 libras Parmenses, et ita factum est;
et 1000 libras imperialium usque ad quinque annos, scilicet 200 libras quolibet anno, pro
ecclesia facienda; et statim inceperunt dare pro primo anno. Et per commune Parme
factum fuit ibi unum convivium magnum valde, in quo pransi fuerunt com ipsis fratribus
potestas capitaneus et anziani et multi alii ex parte communis. Et in continenti fratres in-
ceperunt facere fornacem, et alia preparaverunt fortiter laborare pro dicta sua ecclesia
facienda et construenda. Item eo anno commune Parme fecit cavari foveas civitatis, scili-
Iun. cet a parte interiori 12 brachia et a parte exsteriori fecit fieri quoddam foxatum; et fuit hoc
Iun. 4. de mense Iunii. Item eodem anno, die 4. intrante Iunio misteria et artes civitatis Parme,
omnia simul in pleno consilio generali communis coram potestate et capitaneo iuraverunt
se manutenere, et provisiones quasdam fortes fecerunt pro civitate manutenenda in bono
statu, et hoc propter quosdam timores, qui erant in civitate, et nesciebatur quare; qui
rumores in continenti remanserunt. Item eo anno palatium novum communis versus
2 Sanctum Jeorgium, scilicet sponda[2] que diruerat, refecta fuit et completa. Item eo
tempore starium furmenti valuit 4 solidos et 8 imperiales, et ipso tempore commune Parme
Iun. 23. habebat super dicto pallatio 1100 modia. Item eo tempore, in vigilia sancti Iohannis
batiste filii domni Petri de Araghonia venerunt com navigio eorum usque ad portum
Neapoli, ibi existentibus domno Gerardo de Parma cardinali[3] pro legato ecclesie in par-
tibus illis et domno Roberto comite Atrabatensi, baiulus filiorum condam domni regis
Karoli. Et sic exercitus et galee dictorum filiorum regis Karoli exiverunt ad eos, et
inito prelio ibi in mari, exercitus dictorum filiorum domni Petri de Araghonia obtinuit
et illos de parte filiorum regis Karoli sconfixit et fugavit in totum. In quo prelio mortui
fuerunt ex ipsis partibus ambabus plus quam sex milia; capti fuerunt ex illis filiorum
regis Karoli[b] circa octo milia, inter quos fuerunt unus filius comitis Flandrie[4], domnus
Guido comes de Monteforti, domnus Raynaldus de Vella primogenitus comitis Avella-
nensis, et domnus Oddo Pellizonus com multis aliis comitibus et baronibus numero 32.
Galee armate capte fuerunt 42, et fondate fuerunt in mari 5, ille vero que evaserunt per
fugam, fuerunt 4. Et tunc tregua facta fuit inter ipsas partes a festo sancti Michaelis
proxime venturo usque ad annum unum[5], et fuit ordinatum inter ipsas partes de faciendo
parentelas inter eos, si et sicut placeret ecclesie et domno regi Francie. Item eodem
Mai. 17. anno, die sabati 17. Maii Pino, filius condam domni Ghiberti de Gente, a nepotibus suis,
filiis domni Lombardini fratris dicti Pino, in terra Campigine episcopatus Parme interfectus
fuit; et quia dictus Pino erat banitus communis, potestas nulam inquisicionem fecit de

a) apud Regium *cod.* b) fuerunt *sequitur iterum in cod.*

1) i. e. die 22. m. Februarii, sed is fuit Saturni dies. 2) crepido. 3) pr. card. tit. 12 apostolorum, ep. Sabinensis (qui obiit a. 1302). 4) Philippus comes Teatinus, filius Guidonis comitis Flandriae. 5) a die 29. Sept. 1287. ad d. 29. Sept. 1288.

predicta nec officium aliquod. Domnus Robertus de la Crota de Pergamo fuit potestas 1287.
Parme eo anno ultimis sex mensibus post Sanctum Petrum, domnus Gerardus de Anzelis Mai. 17.
de Placentia fuit capitaneus populi dictis ultimis sex mensibus inceptis ad Augustum.
Item eodem anno factum fuit in sumitate turis communis unum artificium de lignis pro
campana magna nova ponenda, que com ibi fuiset posita, in tercia pulsatione fracta fuit.
Item eo anno quoddam parlamentum civitatum Lombardie factum fuit in civitate Parme
pro concordia Reginorum facienda; set pars intrinsecorum repudiavit. Item eo anno
quidam de Parma, nomine vocabatur Niger de Pulis, combustus fuit propter pecatum
sodomitichum. Item eo anno factum fuit palatium notariorum per ipsos notarios Parme
in vicinia Sancti Vitalis. Item eo anno inceptum fuit pons Salariorum, et facte sunt ibi
septem more et quinque wolte, et eo anno flumen Parme diruit eas voltas. Item eo anno
incepta est porta sancti Egidii, dicta Pegoloti, et facta usque ad voltam. Et sestarium
furmenti valuit 4 solidos imperiales. Item eo anno, die Veneris 5. Septembris pars Sept. 5.
Mutine, que dicebatur pars de Savignano, una com illis de Sesso et multis aliis banitis
partis imperii et cum certa quantitate beroariorum et soldatorum de Mutina et de Verona
com parte Reginorum exstrinsecorum venerunt armata manu furtive ad portam Bazoariam
civitatis Mutine et ceperunt prelium com illis de parte intrinseca Mutinensium, rumpendo
eis pacem, sed in fine nichil facere potuerunt; et fugientes iverunt Saxolum et eum spolia-
verunt et comburserunt, deinde paulatim furtive ad propria reddierunt. Et hoc scito a Par-
mensibus die sabati veniente[a] in vesperis, die dominico veniente potestas Parme equitavit Sept. 6.
in servitium civitatis Mutine com 100 militibus ad tres equos. Mutinenses vero ceperunt Sept. 7.
de maioribus civitatis Mutine dicte partis de Savignano, quos inculpatos esse noscerunt de
dicto tratatu, quos per gullam suspenderunt ad dictam portam Bazoariam, qui suspensi
fuerunt numero 32; et quos ceperunt de Mantuanis et Veronensibus, in carceribus posue-
runt. Item eo anno parlamentum factum fuit in Castro Franco[6] episcopatus Bononie per 6
ambaxatores communis Bononie pro ipso communi, et per domnum capitaneum populi
Parme et per anzianos et ambaxatores populi Parme pro communi Parme; et quicquid
firmaverunt, stantiatum[7] et factum fuit per utrumque commune. Item eo anno duo
assasini[8] venerunt Parmam causa occidendi unum Reginum et unum Bononiensem, qui
stabant Parme. Qui capti fuerunt et torti confessi sunt de dicto asasinatu[9], quem facere
debebant; et sic fuerunt apensi vivi ad balatorium[10] communis et steterunt ibi per unam
horam. Postea vero fuerunt ducti super uno caro ligati, et caro incidebatur eis de cor-
poribus, et ita fuerunt ducti usque ad glaream communis, ubi fuerunt com capite inferius
et ita mortui. Et ille, qui eos missit, fuit banitus tamquam asaxinus Et propterea in fine Dec.
regiminis dictus potestas, finito regimine volens ire ad quoddam aliud regimen versus
Tusciam, ad quod ellectus erat, timuit ire per Regium et ivit Bercetum, et per commune
Parme fuit asociatus ad eius voluntatem. Similiter domnus Gronerius de Crota de casali[11]
dicti potestatis, qui fuerat iudex potestatis ad maleficia, fuit asociatus per commune Parme
usque Cremonam, de qua civitate erat electus in capitaneum.

Domnus Franciscus Infrancelasta de Pistoria fuit potestas Parme in 1288. primis sex 1288.
mensibus; domnus Iacobus de Palazo de Mediolano fuit capitaneus populi Parme dicto
anno incepto ad Kalendas Februarii. Item eo anno de mense Februarii frater Ieronimus Febr. 22.
magister generalis fratrum Minorum, qui erat de civitate Esculi[12], ellectus fuit in papam
et vocatus fuit domnus Nicolaus papa IV. Et eo anno starium furmenti valuit 4 solidos
imperiales. Domnus Fredericus de Sommaripa de Laude fuit potestas Parme eodem
anno ultimis sex mensibus post Sanctum Petrum; domnus Bonacosa de Basacomadris de
Bononia fuit capitaneus populi Parme ultimis sex mensibus dicti anni. Item eo anno de
mense Iulii domnus Manfredus marchio Malaspina intravit burghum Pontremuli per forciam Iul.
et potestatem ibi existentem pro communi Parme expulit. Et domnus Petrus de Henrighinis
et fratres et multi alii de sua parte, de Pontremulo afugientes, venerunt Parmam Et tunc
dictus domnus Manfredus misit Parmam, quod, quicquid fecerat, fecerat in servitium com-
munis Parme et quod omnis iurisdictio, quam haberet commune Parme in dicta terra Pon-
tremuli, erat salva. Item eo tempore, die 6. exeunte Septembris — vocatis Reginis pro Sept. 25

a) vēit c.

6) Castelfranco inter Bononiam et Mutinam. 7) sancitum. 8) sicarii. 9) caede. 10) pergulam.
11) vico. 12) Ascoli.

1288. Sept. 25. ambabus partibus, ut venirent Parmam ad se compromittendum in commune Parme de guera eorum et ipsis se compromissis, Parmenses vocaverunt Bononienses et Cremonenses, ut essent cum eis ad dictam pacem fieri faciendam secundum voluntatem communis Parme — pax inter eos facta fuit et iurata in consilio generali communis Parme Et per commune Parme missi fuerunt 500 de populo Regium pro custodia Regii. Castrum vero Sancti Stephani districtus Regii, quia non poterat obscideri quia est in paludibus, non fuit in dicta pace, quia noluit propter situm eius, et quia firmiter Mantuani et Veronenses et alii baniti Lom- Oct. 28. bardie partis ecclesie dabant ei auxilium. Item eo anno, die Iovis 4. Octubri exeunte domni de Savignano com aliis banitis de Mutina com 500 equitibus intraverunt Savignanum et eum rehedificaverunt et munierunt sine mora. Quo scito a Mutinensibus, velociter cucurerunt illuc, ut prohiberent si possent; et visso quod nichil facere poterant, fecerunt ibi prope unum castrum pro custodia civitatis et episcopatus Mutine, deinde ad propria sunt reversi. Et fecerunt domnum Oppezonem marchionem Extensem, dominum Ferarie, dominum civitatis et districtus Mutine ad vitam et in heredes, et domni de Rangonibus 13 dederunt unam ex dominabus suis[13] in uxorem domno Aldebrandino[14] filio dicti domni marchionis, dando pro dote eiusdem domine civitatem Mutine dicto domno marchioni. Qui domnus marchio missit illuc vicarium suum et dictum dominium aceptavit, et postea reduxit illos de Savignano et omnes exstrinsecos in Mutinam com pace. Item eo anno Oct. de mense Octubris porta Pegholoti burgii sancti Egidii fuit completa. Item eodem anno Nov. pons Salariorum fui' completus de mense Novembris. Item eo anno princeps Apulie[15] exivit de carceribus, datis duobus[16] suis filiis oscidibus, com sacramento revertendi, et facto deposito 60 milia unciarum auri. Item eo anno starium furmenti valuit 5 solidos imperiales, et mensura vini valuit 6 solidos imperiales, et non erat bonum, quia vinum non fuit in illo anno; et propter paucitatem vini et caristriam temporis, commune faciebat vendi in certis paucis locis per civitatem ad minutum[17] panem et vinum, et nulus ad magnam penam audebat aliter vel alibi vendere, nisi fratres deputati ad predictum panem et vinum vendendum pro communi.

1289. Domnus Anselmus de Rodengho de Brixia fuit potestas Parme in 1289. primis sex mensibus; domnus Anthonius de Robicis de Cremona fuit capitaneus populi eodem anno Apr. dictis primis mensibus. Et eo anno a nativitate Domini usque ad mensem Aprilis fuit Mart. 21. frigus intensum, et die 11. exeunte Martio nigit valde fortiter, ita quod terra fuit tota Apr. cohoperta; et eo tempore valuit starium furmenti[a] .... Et eodem anno de mense Aprilis dictus domnus potestas cum 1000 peditibus de societate et aliis ad hoc deputatis armata manu cucurit ad terram de Antisigha[18] ad domos domni Rolandi de Antisigha et ipsas domos in totum dirui fecit: et hoc fuit quia fregerat quasdam molas communitatis Fera- Iun. 11. riorum de Parma. Item o anno, die sabati 11. mensis Iunii, in festo sancti Bernabei, Florentini per commune una cum Senensibus Lucensibus Pistoriensibus et Pratensibus com aliis Guelfis de Tuscia sconfinserunt Aretinos et Ghebelinos de Tuscia, et fuit dictum 19 prelium in episcopatu Florentie in loco ubi dicitur Casetina[19] prope castrum Popii[20], et etiam dicitur ibi Bibena[21]. Et in dicto prelio de dictis Aretinis et Ghebelinis mortui fuerunt domnus episcopus Aretinus[22], domnus Gilius Pacius de Florentia et multis aliis de magnatibus Ghebelinis et Aretinis, et bene fuerunt numero mille et plures; captorum vero non fuit numerus. Deinde Florentini equitaverunt circomquaque civitatem Aretii, destruendo et comburendo totum episcopatum Aretii, et omnia castra usque ad fondamenta vastantes, que castra sic dirupta fuerunt 44; et ibi in ipso exercitu steterunt per duos menses, deinde sani et ylares Florentiam reddierunt. Et in dicto exercitu pro parte Florentinorum fuerunt tria regimina[23] de civitate Parme[23*], quia domnus Ugholinus Rubeus erat tunc potestas et rector Florentinorum, et domnus Thomaxius de Henzola erat tunc potestas Senensium, qui ambo com ipsis communibus in dicto exercitu interfuerunt viriliter; domnus vero Anthonius de Rogleriis tunc erat potestas civitatis Pistorie, qui domnus Anthonius propter miseriam et infirmitatem suam non fuit ad ipsum exercitum, sed pro eo fuit domnus

a) *non sequitur lacuna in cod.*

13) Aldam, filiam Thobiae Rangonis. 14) II. marchioni Estensi. 15) Carolus II. 16) immo tribus: Ludovico, Roberto, Iohanne. 17) minutatim. 18) Antesica in sinistra Parmae fl. ripa, a Langhirano ad meridiem. 19) Casalino. 20) Poppi in dextera Arni fluv. ripa, a Florentia ad orientem. 21) Bibbiena. 22) Guillelmus. 23) imperia. 23*) i. e. Florentinorum copiis praefuerunt Parmenses tres.

Thomaxius de Pavarano, eius miles et socius, cum militibus et populo civitatis Pisto- 1289.
rie. Item eodem anno domnus princeps Apulie, qui exiverat de carceribus filiorum Petri Mai. 29.
de Araghona, fuit per domnum papam coronatus[a] in regem Scicilie in civitate Aretii[24]. Item
eo anno de mense Iunii domnus marchio Montisferati exercitum generalem fecit super epi- Iun.
scopatum Papie, et cepit quandam terram nomine Rosaianam valde magnam. Et hoc scito
a Papiensibus, equitaverunt generaliter pro communi, ut dictam terram recuperarent, et
stando ibidem videntes, quod se non poterant partire sine prelio, timore composuerunt
com dicto domno marchione, et fecerunt ipsum et eius heredes toto tempore vite eorum
in potestatem Papie. Domnus autem Manfredinus de Beccaria tunc capitaneus populi Papie
invite hoc fecit; sed milites, invidentes eidem propter ipsam capitaneriam, illud voluerunt
fecerunt et adimpleverunt. Post modicum vero temporis Papienses usque ad mortem de
predictis doluerunt; et ob hoc milites Mediolani cucurerunt et intraverunt Papiam per duas
balistratas, sed nichil facere potuerunt, et subito insalutato hospite sine danno aliquo ad
propria remearunt. Et eodem anno, paulo post predicta dictus domnus Manfredinus com
aliquibus de populo et paucis exivit Papiam, qui omnes exeuntes fuerunt baniti et domus
et bona sua devastata. Qui domnus Manfredinus com suis sequacibus intravit castrum Acu-
tum[25], quod erat suum, et ipsum munivit custodibus et victualibus et postea ivit Medio-
lanum. Et tunc Mediolanenses Cremonenses Brixienses et Placentini iuraverunt et firma-
verunt ipsum aiuvare, et de hoc fecerunt parlamentum de se et dictum domnum Manfre-
dinum aiuvare ab ipso domno marchione in civitate Cremone; similiter et Ianuenses hoc
fecerunt. Comes autem Sabaudie[26] cum omnibus suis sequacibus ab alia parte gueriabant
com dicto domno marchione. Domnus Thomaxinus Quirinus de Veneciis fuit potestas
Parme eo anno ultimis sex mensibus post Sanctum Petrum; domnus Bernabox Confalo-
nerius de Placentia fuit capitaneus populi Parme eiusdem anni ultimis sex mensibus. Item
eo anno et tempore in principio Augusti castrum Sancti Stephani districtus Regii venit ad Aug.
pacem com commune Regii et sic illi, qui steterunt in ipso, Regium intraverunt com pace.
Que parum duravit. Item eo anno, die 7. intrante Augusto partes civitatis Regii, dia- Aug. 7.
bolico spiritu instigati simul quiescere non valentes, cucurerunt ad arma et ad prelium
insimul. Et tunc populus Regii viriliter se habentes, cum ibi esset pro eorum rectore et
potestate domnus Torellus de Torellis de Bononia datus eisdem per commune Bononie, et
domnus Andreas de Marano de Parma pro capitaneo populi eis datus a communi Parme,
cucurerunt in auxilium rectorum eorum et ceperunt omnes magnates eorum, habentes ca-
stra et fortitias aliquas in episcopatu suo, et ipsos detinuerunt in pallatio suo. Et in con-
tinenti miserunt Parmam pro sucursu. Et missi fuerunt ibi per commune Parme 200 mili-
tes, qui tunc tenebantur per commune Parme com milite et banderia potestatis; et die se-
quenti dictus domnus potestas com centum militibus ad tres equos equitavit armata manu Aug. 8.
Regii. Et stando ibi et non bene valentes sedare rumores, miserunt Parmam pro populo
Parme. Et sic in continenti iverunt Regium hostiliter populus porte de Parma et porte Bene- Aug. 9.
dicte et certe societates populi; et hoc fuit in vigilia sancti Laurentii. Et tunc populus Regii
dederunt totum dominium civitatis Regii et episcopatus in manibus potestatis Parme et
vexilum sancti Prosperi et claves portarum et palatiorum et vexilum et sigilum communis
et se ipsos. Qui domnus potestas in continenti totum dominium civitatis et districtus acepit
et habuit, et missit ad omnia loca et castra districtus Regii custodes et capitaneos de po-
pulo Parme. Et in die sancti Laurentii populus predictus de Parma ad rumorem cucurit ad Aug. 10.
plateam communis Regii et domos omnes illorum de Foliano, qui erant ibi, destruserunt
subito. Predicti vero magnates de Regio et certi alii mercatores iudices et notarii ducti fue-
runt Parmam, detenti per mesteria et artes Parme; quorum una pars fuit detenta super
Camusinam communis et alia super palatio novo communis de sancto Vitale com feriis[27],
populares vero fuerunt detenti super palatio novo de platea sine feriis tantum. Et stete-
runt ibi dicte due porte per 15 dies, postea alie due porte iverunt et domos domni Guidonis
de Tripoli, quia non venit ad mandata, destruserunt. Et postea commune Parme misit pro
Bononiensibus et Cremonensibus, ut venirent Parmam pro pacificando ipsos Reginos; et
sic potestas Bononie et Cremone com magna et honorabili societate ambaxatorum venerunt

a) *coronatus addidi.*

24) immo Reate, die 29. m. Maii. 25) Monte Acuto ad Bardonezzam fl., a Papia inter meridiem et orientem. 26) Amedeus IV. 27) ferreis (sc. catenis).

1289. Parmam. Et sicut Deo placuit, in fine predicti Regimi pervenerunt ad pacem die sabati
Oct. 1. primo Octobris in consilio, ipsam pacem osculo et iuramento ut decuit confirmando in pre-
Oct. 2. sentia dictorum potestatum Parme Bononie et Cremone et ambaxatorum. Et sic die sequenti relaxati fuerunt de dictis carceribus, et certi ambaxatores de qualibet dictarum civitatum iverunt secum Regium pro parentelis inter ipsas partes inveniendis et complendis. Que quidem pax canina fuit. Item eo tempore domnus Guido de Tripoli de Regio castrum Razoli[28] accepit furtive, capitaneo et custodibus de Parma ibi per commune Parme existentibus, et com non posset habere turem, posuit ignem. Et quidam de Parma pocius se comburi super ipsam dimiserunt, quam se vellent reddere nec ipsam turem; sed omnino ipsam turem habuit propter dictum ignem et quia custodes combursi fuerunt. Item eo-
Nov. 17? dem millesimo in die dominico in vesperis, 14. exeunte Novembri[29] pars de Regio, que dicebatur Desubtus, com parte imperiali, scilicet com illis de Sesso, incepit preliari com adversa parte, que dicebatur pars Desuper, et circa mediam noctem dicta pars Desubtus obtinuit et expulit aliam partem, qui fugientes intraverunt Herberiam[30] et in alia eorum loca. Et tunc pars que remansit in civitate derobavit[31] alios in civitate quantum plus potuit, et pars que exivit derobavit per episcopatum adversarios quantum plus potuit. Et sic incepta est iterum guera maxima inter eos. Item eodem anno domnus marchio Montisferati et Papienses fecerunt exercitum generalem ad castrum Montisaccuti[32] et fecerunt circumcircha ipsum exercitum unam bastiam[33], ne aliquis posset exire de ipso castro vel illuc aliunde venire, qui ipsum exercitum offendere posset. Quo exercitu sic durante, Placentini com maxima quantitate militum et peditum de episcopatu suo quadam die insultaverunt et per fortiam dictam bastiam fregerunt et dictum exercitum fugaverunt et multos ex Papiensibus interfecerunt et multos ceperunt in auxilium existentium in dicto castro. Et sic incepta fuit guerra inter Placentinos et Papienses. Item eo anno starium furmenti valuit 4 solidos imperiales.

1290. Domnus Raynerius domni Oguizoni de Bondelmontibus de Florentia fuit potestas Parme in 1290. primis sex mensibus, domnus Iohannes de Sommopizolis de Bononia fuit capitaneus populi Parmensis eodem anno primis sex mensibus inceptis ad Februarium. Et eo
Ian. anno de mense Ianuarii ambe partes de Regio, scilicet Desubtus et Desuper, et illi de Sesso vocaverunt et ellegerunt in eorum dominum et rectorem civitatis et districtus Regii perpetuo in se et in suos filios domnum Oppezonem marchionem Extensem, tunc dominum Ferarie et Mutine. Qui domnus marchio simulate dicens, se nolle dictum dominium acceptare sine beneplacito Parmensium, missit communi Parme suos ambaxatores ad predicta exsponenda communi Parme; et habito conscilio generali responsum fuit eis, quod bene placebat Parmensibus. Et sic dictum dominium aceptavit et personaliter venit Regium et secum redussit omnes extrinsecos in civitate et licentiavit omnes forenses extra civitatem cuiuscomque partis et ipsos tam timore quam amore in pace redusit et stare fecit; deinde rediit Ferariam et secum duxit 12 Reginos de maioribus partium, dimiso ibi in Regio quodam vicario pro rectore. Item eo anno de mense Ianuarii domnus marchio Montisferati com toto suo exforcio, videlicet com Papiensibus Verdonensibus Alexandrinis Novariensibus Vercelensibus et com illis de Monteferato, venit super teretorium Placentinum et venit usque ad castrum Fontane[34] et combursit multas domos et stetit ibi duabus noctibus;
Mart. postea recessit comburendo burgum dicti castri Fontane. Item eo anno de mense Martii milites Placentie equitaverunt super teretorium Papie[a] ad Linzaschi et ipsum locum expugnaverunt et per vim ceperunt et totum castrum combuserunt et multos homines desuper turim comburserunt et multos ceperunt, et postea reversi sunt ad iacendum ad Vigummarinum[35] districtus Placentie. Item sequenti die equitaverunt ad castrum Castegne et ad castrum Petre districtus Papie et multos homines ceperunt et multas villas comburserunt et multas bestias habuerunt. Item et alia die sequenti equitaverunt ad castrum Rimiscalie, quod castrum venit ad mandata eorum, prius guasto recepto. Item eo anno Placentini cum navigio suo per Paudum iverunt usque ad pontem Papie et ipsum pontem

a) pipie *c.*

28) Reggiolo a Guastalla ad orientem. 29) i. e. die 17. m. Novembris, sed is fuit Iovis non dominicus. 30) Rubbiera inter Regium et Mutinam. 31) expilavit. 32) Monte Acuto v. supra p. 705, n. 25. 33) propugnaculum. 34) Fontana pradosa a Placentia ad occidentem, prope Castel S. Giovanni. 35) Vicomarino a Placentia inter occidentem et meridiem.

exspugnaverunt et per vim ceperunt et eum duxerunt per 12 milliar ; sed propter magni- 1290. tudinem dicti pontis et castra lignea, que erant super ipso, et fortitudinem temporis et ventorum tunc flancium non potuerunt ducere eum usque Placentiam et eum dimiserunt. Papienses vero, qui post ipsos veniebant, rehabuerunt ipsum pontem et ipsum destruserunt et non habuerunt postea pontem in dicto loco. Et eo anno facti fuerunt de mense Madii tercii archoti[36] lapidum in turi maioris ecclesie Parmensis. Item eo tempore Bri- Mai. sienses iverunt ad turem de Murse, quam Pergamenses tenebant, Palazolum[37] et ipsam turim per vim habuerunt. Et ibi fuit quoddam prelium inter Pergamenses et Brixienses. Et fraudulenter sub specie concordie et tratamenti concordie Brixienses ceperunt multos de populo Pergami, de quibus post paucos dies facta fuit pax inter eos et capti relaxati fuerunt. Et turis predicta remansit communi Brixie. Item eo tempore, die 2. Iunii dictus Iun. 2. domnus potestas armata manu com 1000 peditibus de populo more solito equitavit Coltarium[38] ad domum Tortini de Turtis et eam fonditus diruerunt occasione unius ferute facte per eum in una taberna, ut dicebatur, in Guidonem Ferapecoram. Item eo anno domnus Gerardus de Parma[39] et domnus Benedictus Gaytanus[40], cardinales ambo, iverunt per partes Sarcane[41] in Franciam pro legatis ecclesie. Item eodem anno de mense Maii Mai. Placentini com suis amicis, scilicet Mediolanensibus et aliis, fecerunt exercitum generalem pro eundo supra Papiam; in quo exercitu fuerunt Placentini omnes pro communi civitatis et episcopatus, et militia et totus populus civitatis Cremone, et 400 milites de Mediolano, et 300 milites de Brixia. Et iverunt super Bardeleziam[42] in confinibus Placentie et Papie, et ibi steterunt per 15 dies, ita quod non transierunt super teretorium Papie, quia Cremonenses noluerunt transire super teritorio Papie com suo exercitu, sed equitaverunt una die ad castrum Castecii[43] et burgum dicti castri per vim ceperunt et comburserunt et multos homines occiderunt et ceperunt. Item et quadam alia die equitaverunt ad burghum Bronni[44] et dictum locum expugnaverunt et per vim ceperunt et comburserunt; et in dicta expugnatione ex Cremonensibus perierunt plus quam 100. Et postea infra paucos dies Cremonenses dixerunt, se velle discedere de dicto exercitu, quia marchio Montisferati se separaverat com suo exercitu desuper terris Astensibus pro veniendo illuc. Et sic totus exercitus tam Placentie quam Cremone voluntate et motu Cremonensium rediit Placentiam irato animo et furioso et insalutato hospite, magis com obrobrio quam honore. Item post paucos dies inculpati fuerunt aliqui de magnatibus Placentinis a domno Alberto Scoto de Placentia de reversione dicti exercitus; ob quam causam expulsi fuerunt de civitate Placentina domnus Berninus de Palastrellis et frater et alii quatuor de domo sua et domnus Monachinus Folghoxius et Obertinus frater eius et domnus Obertus Rusticacius et Raynerius eius frater et domnus Obertinus de Cario, et positi fuerunt ad confinia longe a civitate Placentie per 100 milliaria. Et tunc dictus domnus Albertus Scotus factus fuit anzianus perpetuus et defensor et rector mercadantie civitatis Placentie. Item eo tempore domnus marchio Montisferati fecit suum exercitum generalem com toto suo exforcio super teretorio Astense, devastando segetes et omnia bona Astensium usque ad portas civitatis per tres vices. Tandem domnus comes Savolie[45] in auxiliom Astensium venit com 1200 militibus et com maxima quantitate peditum et balistrariorum, et com Astensibus et gente sua venit super terras marchionis predicti et Alexandrie, ubi tunc erat ipse marchio. Qui audiens ipse marchio, convocatis amicis suis, et com Alexandrinis exivit Alexandriam et venit obviam predictis, et fuit prope eos per tria miliaria et minus, volens esse com eis ad campos et preliari com eis. Quo audito, domnus comes predictus com Astensibus et gente sua exivit de campis et reversus est in Astam. Et domnus marchio com suis reversus est in Alexandriam; et sic nulum prelium fuit inter eos. Item dictus domnus potestas Parme in fine dicti sui regiminis sindicatus et condempnatus fuit per sindicos communis in 250 libris Parmensium, quia condempnaverat Iacobinum Zamoreum suo albitrio asque voluntate dominorum de curia. Mercatores vero Parmenses fideiuberunt pro eo et super se eum acceperunt, et sanum et ylarem reddire fecerunt asque solutione facta de dicta condempnatione

36) arcus. 37) Palazzolo a Pergamo inter orientem et meridiem. 38) Coltaro in dextera Padi ripa, a Parma ad septemtriones. 39) cf. supra p. 702, n. 3. 40) post Bonifacius VIII. papa. 41) i. e. Sarzanae. 42) Bardonezza a Placentia ad occidentem. 43) Casteggio a Papia ad meridiem. 44) Broni a Papia inter meridiem et orientem. 45) Amedeus IV.

1290. dicto Iacobino vel alii. Item eo[a] tempore reformatum fuit de faciendo portam de Sancto Mathia, et facti sunt aparatus et cavata fondamenta eiusdem. Item eo tempore sestarium furmenti valuit 10 solidos imperiales et mensura vini 4 solidos imperiales. Domnus Mazoldus de Griffis de Brixia fuit potestas Parme eodem anno secundis sex mensibus dicti anni post Sanctum Petrum; domnus Martinus de Rizardis de Laude fuit capitaneus populi Parme dictis secundis sex mensibus inceptis ad Augustum. Item eodem anno, die domi- Iul. 30. nico penultim mensis Iulii quingenti viri de hominibus civitatis et episcopatus Parme, acepta cruce pro eundo in subsidium terre sancte de ultra mare, congregati in glarea communis Parme bini et bini com canellis et cereis accensis venerunt ad maiorem ecclesiam Parme, et audita missa et communicati se moverunt causa eundi in dictum subsidium, asociati de clericis et religiosis usque ad portam civitatis et plus. Quibus cruce signatis commune Parme donavit mille libras Parmenses; et eorum capitaneus fuit dominus Raymondus Baratus Rubeus. Et post paucos dies alii centum viri secuti fuerunt predictos cum solempnitate qua supra. Item eo anno Romani fecerunt domnum Iacobum de Columpna eorum dominum, et per Romam duxerunt eum super curum more imperatorum et vocabant eum cessarem, et fecerunt exercitum super iterbium et multas alias terras, in quibus Sept. non secuti sunt velle suum. Item eo anno de mense Septembris duo exercitus facti fuerunt supra districtum Mediolani supra Tisinellum[46], unus quorum factus erat per domnum marchionem Montisferati com magna quantitate militum et peditum et com domnis de la Ture com toto eorum posse, et alius[b] per Mediolanenses com soldaderiis[c, 47] suis et certa[d] quantitate populi et com toto suo posse. Et ita duraverunt anbo dicti exercitus per 4 dies. Quo tempore dictis exercitibus sic stantibus, Placentini intraverunt super episcopatum Papie et guastaverunt et comburserunt multum de ipso districtu Papie. Quo audito, dictus domnus marchio com suis diressit Papiam subito et insalutato hospite et non bono modo. Item eo anno et mense dictus domnus marchio Montisferati de Papia ivit in Alexandriam com maiori quantitate militum armatorum quam consueverat. Qui Alexandrini Sept. 8. timentes de eo prodicione facta, subito armata manu et potenti quadam die Veneris 8. dicti mensis Setembris ad rumorem populi per forciam ipsum domnum marchionem ceperunt et detinuerunt et in civitatem posuerunt, et omnes suos tam equis quam armis spoliaverunt, et omnes adversarios cum potestate extra civitatem expelerunt. Item eo tempore et mense Placentini com certa quantitate amicorum equitaverunt in episcopatum Papie et castrum Arene[48] guastaverunt; deinde com bono intelectu ad propria reddierunt. Item Oct. eo tempore de mense Octubris forenses[e] Papie com omnibus aliis de Ture equitaverunt, et tunc populus Papie subito armata manu portas civitatis ceperunt et suis custodibus munierunt, deinde potestatem et capitaneum quos habebant de civitate expelerunt. Et in continenti miscerunt pro domno Manfredino de Beccaria, qui velociter venit et restitutus fuit in omni suo honore et dominio per populum Papie et in omnibus suis bonis. Illi vero de Petra et de Ture intraverunt duas eorum rochas. Item eo anno comes[49], qui erat pro ecclesia Romana in Romagna, captus fuit per illos de Polenta de Ravena, et hoc quia volebat eos expelere de Ravena ut dicebatur. Item eo tempore Bononienses ceperunt Ymolam et eam circomquaque splanaverunt[50]. Et eo tempore valuit furmentum 10 solidos imperiales. Item eo tempore quidam viator de Francia transiens per Parmam et sciens, campanam grossam communis esse fractam, promixit communi dictam campanam facere asque aliquo precio, nisi esset bona et laudaretur. Qui eam incepit et fecit.

1291. Domnus Ungharus de Oddis de Perusio fuit potestas Parme in 1291. primis sex mensibus dicti anni; domnus Lapus de Ughis de Pistorio fuit capitaneus populi Parme in dictis sex mensibus inceptis a Februario. Et eo tempore campana, facta a dicto viatore, laudata et aprobata fuit pro bona; et sic date fuerunt eidem a communi Parme pro suo labore 100 libre imperiales, et ultra commune eidem fecit et donavit unum robam[51] varam pretio 100 librarum imperialium. Item eo anno quidam filius naturalis domni marchionis Montisferati nomine Bonifacius captus fuit a Papiensibus. Item eo anno, die dominico 4. Febr. 25. exeunte Februario domnus Bernabeus filius condam domni Lambertini de Bazano cirugici[52],

a) eo *deest c.* b) aliis *c.* c) sodaderii *cod. cf. infra ad* 1296 *Febr.* 7. d) certe *c.* e) forense *c.*

46) Ticinello a Mediolano inter occidentem et meridiem. 47) militibus mercenariis. 48) Arena in dextera Padi fl. ripa, media fere via inter Placentiam et Papiam. 49) Stephanus de Colonna. 50) eius opera complanaverunt. 51) vestem. 52) chirurgi.

per consilium generale communis Parme, a domnis potestate et capitaneo predictis factus 1291.
fuit miles more et solempnitate solitis, et donate sibi fuerunt per commune Parme 100
libre Parmensium. Item eo anno, die sabati 17. Marcii dictus domnus potestas armata Mart. 17.
manu more solito com capitibus societatum, anzianis misteriorum, dominis octo et com
mille peditibus ad hoc deputatis iverunt Campizinem ad domum domni Lombardini de Gente
et ipsam destruserunt; et hoc propter insultum factum per eum contra domnum Corzachum
de Marano. Item eo anno comes Romagne, pace facta com illis de Pollenta, exivit de
carceribus in quibus eum tenebant. Item eo anno, die Iovis 10. exeunte Martio domnus Mart. 22.
Gerardus de Parma cardinalis, vocatus Sabinensis[53], reddeundo de alegatione sua de partibus Francie, Parmam venit et valde honorifice receptus fuit a populo Parmensi, et omnia vexila et banderie communis militum et populi et omnium viciniarum et artium et misteriorum civitatis Parme, et omnes milites et totus populus, episcopus com clero, religiosi
et ceteri omnes iverunt obviam ei. Et multi domicelli[54] bagordaverunt[55]. Et in aventu
eius supradicta campana communis, que erat adhuc in platea communis super uno hedificio ligneo, dum sonaretur ad sogham[56], fracta fuit. Et expensis communis portatum fuit
ipsi domno cardinali desuper ipsum et equum suum unum palium[57] de scarleto[58]; et maiores milites civitatis Parme pedester adestrabant[59] eum per frenum et super staffas[60]
honorifice, et sic ductus et asociatus fuit usque ad ecclesiam maiorem, et hospitatus fuit
ad episcopatum. Et stando in Parma per aliquot dies, donavit magna dona dictis[a] domnis
potestati et capitaneo, et donavit sororibus de Sancto Dominico 500 libras imperiales et
totidem Minoribus, et multa alia bona fecit. Item emit a domno episcopo Parmensi terram
de Amazabove[61] et fecit et ordinavit beneficia prepositi et canonicorum batisterii Parmensis
pro divinis officiis perpetuo celebrandis, et dotavit eos multis possesionibus; et dicta terra
de Amazabove, que diu inculta exstiterat, ad culturam reddire fecit, et incepit hedificari
facere ecclesiam et domos multas in ipsa terra. Item et libenter voluit facere fieri unam
campanam communi, sed commune omnino non permixit; et tunc fecit fieri unam aliam
campanam ad ecclesiam maiorem, que dicta fuit Baionum, expensis ipsius domni cardinalis. Item eo tempore quidam asinus, vergatus[62] dictus, mirifice factus et variis coloribus naturaliter pilosus et decoratus, transivit per Parmam, qui mitebatur domno regi
Francie a domno rege Tartarorum; et erat salvaticus[63], ut dicebatur. Item eo tempore,
die Veneris 11. intrante Madio in vesperis quidam tere motus fuit in civitate Parme palam Mai. 11.
visus et sentitus a pluribus personis. Item eo anno quedam murmuratio fuit in Parma,
et sic quatuor misteria, scilicet becariorum ferariorum calzolariorum et pelliciariorum, com
iudicibus et notariis et aliis misteriis civitatis sacramentati simul fuerunt se manutenendo;
et factis certis provisionibus, in continenti cessavit omne murmuramentum. Item eo
anno, die dominico[64] intrante Madio civitas Acon de ultra mare, dicta Acris, per fortiam Mai. 18.
capta fuit a Saracenis. In qua captione multi et infiniti christiani perierunt, et multi de
Parma et de aliis terris Lombardie et Ytalie qui ibi erant; et vi evaserunt illi qui evaserunt.
Domnus rex Cipri[65] com suis evassit; domnus vero patriarcha Ierusalem[66], dum intraret
in navem ut evaderet, propter nimiam multitudinem personarum intrare volentium in
navem com eo, submersus est com omnibus in mare qui secum erant. Et multi de Parma
reddierunt Parme. Domnus Iacobus de Rivolla de Pergamo fuit potestas Parme eodem
anno secundis sex mensibus post Sanctum Petrum; domnus Henricus de Mezavilanis de
Bononia fuit capitaneus populi Parme secundis sex mensibus inceptis ad Augustum. Et
eo anno et tempore starium furmenti valuit 13 solidos Parmenses, et 4 solidos imperiales
circa festum omnium sanctorum, et mensura vini 6 solidos. Item eo anno elevata est c. Nov. 1.
turis sancte Marie maioris ecclesie a cingulis lapidum sine archetis insursum per multa
brachia, et factus est ibi quartus circulus, et sunt ibi quinque clavi de lignamine roboris. Item eo anno alius quidam comes[67] pro ecclesia venit in Romagnam, et fecit omnes
paces et tenuit ibi 500 milites. Item eo anno dugaria[68], que vadit ex traverso glaree

a) dictus c.

53) cf. supra p. 702, n. 3. 54) adolescentes nobiles. 55) hastis confixerunt. 56) funem. 57) aulaeum. 58) cocco. 59) famulantes ducebant. 60) stapias. 61) Mazzabue a Parma inter septemtriones et orientem, a Casalmaggiore ad meridiem. 62) virgatus. 63) silvaticus (onager). 64) immo die Veneris 18. m. Maii. 65) Heinricus. 66) Nicolaus. 67) Ildobrandinus, ep. Arretinus (1290—1313). 68) cloaca.

[1291. Sept. Oct.] communis, facta fuit occasione navilii communis — et constitit communi 700 libras imperialium — de mensibus Setembris et Octubris. Et ordinatum fuit per commune Parme de emendo molendina domnorum de Ferapecoris, que habebant in navilio extra portam pontis de Bononia, quod in sequenti anno adimpletum fuit et constitit 360 libras imperialium, et destructa fuerunt pro dicto navilio complendo. Item eo anno domnus Bardelonus, filius domni Pinamontis de Bonacosis de Mantua, expulit domnum Carpium[a] fratrem suum de dominio civitatis Mantue, et ipsum et multos alios cepit et carceravit contra voluntatem dicti sui patris; et tunc dictus domnus Bardelonus sacramentatus fuit com Venetianis Paduanis et Bononiensibus, et fecit pacem com domnis de la Scala et Veronensibus. Eodem anno domnus Oppezo marchio Extensis fecit in civitate Mutine in buca navilii unum castrum com uno palatio et 4 turibus, muratum circomquaque et afoxadatum com pontibus levatoriis. Item eo anno porta de Sancto Mathia facta et completa fuit, et depositio po- [Nov. Dec.] testatum vilarum episcopatus Parme. Item eo anno mensis Novembris et Decembris fuerunt pluiosi et nubilosi, et non fuit nix neque intensum frigus. Item eodem anno, in [Dec. 24.] vigilia nativitatis Domini domnus comes Atrabatensis[69], redeundo de Apulia et eundo in Franciam, transitum fecit per Parmam com 500 militibus.

[1292.] Domnus Teclia de Frescubaldis de Florentia fuit potestas Parme in 1292. primis sex mensibus ad annum novum; domnus Baldoynus de Ughonibus de Brixia fuit capitaneus populi dictis sex mensibus inceptis ad Februarium. Et ipso anno domnus Mapheus Vicecomes[b] de Mediolano, nepos domni archiepiscopi Mediolani, tunc capitaneus Mediolani, factus fuit dominus civitatis Cumarum hinc ad 5 annos; et tunc baniti civitatis eiusdem Cumarum de bannis suis et com pace reversi sunt. Item eo anno quidam boni viri de populo Parmensi fuerunt additi in libro societatis cruxatorum, aprobati primo singuli per tres mutas[70] sapientum et postea per consilium credentie populi; et fuerunt 1300 numero. Item eo anno domnus marchio Montisferati, nomine dictus domnus Guillelmus[71] Spadalongha, [Febr. 6.] existens in carceribus in civitate Alexandrie, obiit in pace die 6. intrante Februario. Item eo anno domnus comes Romagne[72] expulsus fuit de civitate Forlivii, et capti fuerunt quidam eius frater[73] et quidam eius nepos die 3. intrante Februario; cuius negotii auctores fuerunt Maghinardus de Faventia et ipsa civitas, et illi de Carbulo de Forlivio et ipsa civitas, domnus Guido de Polenta de Ravena et ipsa civitas, et Rodulfinus de Ravena. Com eo videntur tenere civitates Cesene, Arimini, Ymole et castra multa. Et eo anno valuit furmenti[c] 13 [Mart.] solidos Parmenses. Eodem anno de mense Martii campane primo fuerunt posite super turi nova ecclesie maioris. Item eo tempore ordinatum fuit per commune Parme de faciendo duo millia librarum monete in Parmensibus parvis. Item eo anno, die Mercurii [Apr. 2.] sancto, secundo intrante Aprili domnus Nicolaus papa IV. obiit. Et post modicum temporis civitas Firmi cum quibusdam aliis civitatibus de marchia Anchonitana devastavit Civitam Novam[74] de olivis et vineis, et una com Anconitanis et Exsinis[75] et ipsi com eis guastaverunt multum de districtu Osimi, et multa loca et castra ipsius districtus habuerunt. Et eo anno duo senatores facti fuerunt Rome, unus quorum fuit domnus Stephanus de Columpna, et alius quidam nepos domni Mathei cardinalis. Item eo anno commune Florentie tam per terram quam per mare guastaverunt civitatem Pissarum usque ad civitatem per unum miliarium, et in ipso exercitu fuerunt Ianuenses. Item eo anno Romani pre- [Febr.] liati fuerunt simul de mense Februarii, et spoliaverunt ecclesias et loca religiosa et fore- [Iun. 18?] sterios. Item eo anno, die Mercurii 8. intrante Iunio[76] baniti civitatis Cumarum intraverunt ipsam civitatem, et fugaverunt de ipsa civitate amicos domni episcopi[77] Cumarum, que pars habuit recursum ad civitatem Mediolani. Domnus Fredericus Ponzonus de Cremona fuit potestas Parme eodem anno secundis sex mensibus eiusdem anni post Sanctum Petrum, domnus Baxanus Aroldus de Laude fuit capitaneus populi Parme secundis sex mensibus dicti anni inceptis ad Augustum. Item eo anno per commune Parme fuit ordinatum, quod fratres de Claravale debent esse masarii communis et masaroli[78] communis et superstantes[79] tam in civitate quam extra ad doanam salis et saline communis et ad

a) *non certo legitur hoc nomen.* b) Vicemes *c.* c) starium *excidisse videtur.*

69) Robertus II. 70) conventus. 71) V. 72) v. supra p. 709. n. 67. 73) Aginulfus. 74) Città nuova a Firmo ad septemtriones. 75) Aesinis. 76) Dies 8. m. Iunii anno 1292. fuit dominicus, dies 18. Mercurii. 77) Iohannis IV, 1274—1293. 78) qui massariorum (cf. supra p. 673, n. 46.) negotia gerebant. Cf. Ronchini l. l. n. 10. 79) custodes, Ital. *soprastanti.*

puteos et ad faciendum fieri salinam communis, usque ad 5 annos com salario 200 librarum imperialium et quolibet anno. Et etiam ob hoc per commune Parme fuit eis largita quarta pars poderis[80] domni Iacobi Tavernerii, quam sibi relinquerat in testamento suo. Item eo anno quidam notarius de Laude ad officium navilii communis fuit Parme ad salarium. Item eo anno non fuit intensum frigus, et yems fuit sica ut plurimum. Et starium furmenti valuit 5 solidos imperiales et 4 solidos imperiales.

Domnus Marchus Iustinianus de Veneciis fuit potestas Parme in 1293. primis sex mensibus ad annum novum; domnus Guillielmus de Boxeto de Terdona fuit capitaneus populi Parme primis sex mensibus inceptis ad Februarium. Eodem millesimo in die anni novi domnus episcopus Parmensis excommunicavit potestatem Parme occasione cuiusdam clerici, qui erat in carceribus communis occasione proditionis Razoli[81]. Item et ad dictum annum novum domnus Ubertus Borgarellus complevit officium suum notarie potestatis, quod tenuerat a guera imperatoris[82] usque nunc, et qui domnus Ubertus in ipso officio fuit omnibus benevolens graciosus et sapiens. Item eo anno circa medium Februarii (Febr.) domnus Homo de Santis sive de Lonbarduciis de Cagiis fuit primus syndicus communis forensterius in civitate Parme. Item eo anno liber societatis crusatorum et populi Parme de conscensu et conscencia dicti capitanei per Dondedeum eius notarium in pluribus locis falsificatus et rassus fuit, et nomina plurimorum rasa fuerunt et alia loco eorum scripta per Iacobinum Mencloti notarium, qui propterea banitus fuit et condempnatus per falsitatem. Item eo anno dictus domnus potestas com banderiis levatis armata manu com 1000 peditibus de populo ad hoc deputatis et aliis cucurit Guardaxonum[83] et Traversetulum[84] ad domo illorum de Baratis et destruserunt domos domnorum Symonis Gerardi Sandrini Iohannis et Ugholini, omnium de Baratis, occasione querimonie facte de eis per Antholinum de Rondanaria. Item eo anno in die carnipluvii[85] recte in prandio dictus domnus Baxanus Aroldi capitaneus propter timorem dictarum falsitatum inventarum in libro societatis, insalutato hospite et non exspectata sententia syndici, recessit de civitate Parme, qui dies fuit die Martis decimo[a] intrante Februario; qui capitaneus fuit asociatus ab amicis domni episcopi Parmensis. (Febr. 10.) Item eo anno, die 18. intrante Februario domnus Oppezo marchio Exstensis, tunc dominus Ferarie Mutine et Regii, viam universe carnis ingressus est, et tunc domnus Aczo[86], filius maior condam dicti domni Oppezonis, factus et vocatus fuit de consensu fratrum suorum dominus dictarum trium civitatum. (Febr. 18.) Qui domnus Azo missit suos ambaxatores se recomendando communi Parme, et commune Parme missit suos ambaxatores Ferariam ad condolendum se de patris ipsius morte et reconciliandum ipsum et fratres eius de ipsa morte. Dictum enim postea fuit, quod dictus domnus Oppezo in suo testamento relinquerat Ferariam solum ipsi domni Azoni, et Mutinam domno Aldebrandino[87] alteri eius filio, et Regium domno Francischino alteri eius filio; set, ut postea aparuit, dictum testamentum non sic mandatum fuit executioni. Item eodem anno de mense Martii dictus domnus potestas com mille et aliis more solito cucurit Torclaream[88] ad domum Egidioli Scorce eamque destrusit occasione iniurie facte per eum filio Careti. (Mart.) Item eo anno, die Iovis 3. exeunte Februario Pontremulenses intrinseci intraverunt burgum dicte terre per vim et Malaspini com sua parte expulsi fuerunt de ipsa terra, et magna pugna facta fuit inter ipsas partes com manghanis et trabuchis, deinde venerunt ad pacem. (Febr. 26.) Et tunc Pontremulenses dederunt se communi Luce; et potestatem quem solebant accipere de Parma non plus acceperunt, sed a communi Luce; et hoc pro eo, quia commune Parme noluit se intromittere de eis. Item eo anno circha principium Iunii domnus Aldebrandinus, filius condam domni Oppezonis marchionis Exstensis, timens de fratre suo domno Azone, affugit de Feraria et ivit Bononiam, ubi benigne receptus fuit. (Iun.) Dictus vero domnus Azo in continenti, timens ne dictus eius frater intraret Mutinam, venit Mutinam et eam valde bene munivit et custodes ibi duplicavit, et banivit ipsum et Rangonos et multos alios, qui recusaverunt ire ad eius mandata. Item eo anno cum dictus domnus Marchus Iustinianus

a) decimo *deest cod.*

80) praedii. 81) cf. supra ad 1289 p. 706, n. 28. 82) V. supra ad 1247 p. 673. 83) Guardasone ad Enzam fl., a Parma inter meridiem et orientem. 84) Traversetolo ad Terminam fl., a Parma inter meridiem et orientem. 85) s. carnisprivii (i. e. die Martis ante quadragesimam). 86) VIII. 87) II. 88) Torrechiara in sinistra Parmae fl. ripa, a Parma urbe ad meridiem.

1293. potestas, existens in ipso regimine, ellectus esset in potestatem Cremone, et regimen ipsum acceptaset de voluntate consilii generalis et ipsum oporteret ire Cremonam pro ipso regimine, et non posset habere parabolam[89] aliter, quia debebat stare ad sindicatum, ipse asociatus ab amicis domni episcopi ivit Cremonam sine stando ad sindicatum. Propter quod domnus Homodeus, factus tunc syndicus communis Parme, citari fecit ipsum et per contumaciam ipsum condempnavit in 100 libris in una parte, et in 25 in alia parte propter contumaciam. Et eo tempore valuit starium furmenti tribus solidis imperialium. Domnus Maxolus de Oddis de Perusio fuit potestas Parme secundis sex mensibus dicti anni post Sanctum Petrum; domnus Philipus de Corvis de Bononia fuit capitaneus populi Parme Iul. 10. secundis sex mensibus inceptis ad Augustum. Item eo anno, die 10. intrante Iulio circa horam tertie tonitrua maxima fuerunt com pluvia magna in civitate Parme; in quatuor locis sagita[90] de cello percussit, et maxime in una domo fratrum Humiliatorum in capite pontis plena feni, quam domum com feno combursit non obstante pluvia, et homines com aqua et com aceto non poterant dictum ignem exstinguere. Et eodem mense alia vice eciam percusit in una domo fratrem de Columba de Placentina, quam domum cum magna quantitate blave combursit. Et eodem tempore maxima tempestas[91] fuit in episcopatu Cremone, et ita grossa[92] quod una balla[93] dicte tempeste ponderabat tribus libris. Item eo anno et Iul. 11. mense, die 11. Iulii in civitate Pistorii inceperunt maxima tonitrua et fulgurra magna et fortissima et duraverunt per 24 dies. Et maximi et plurimi ibi fuerunt terre motus, quorum occasione multe domus Pistorii diruerunt, et multe scisse et maghagnate[94] fuerunt; et una pars maioris ecclesie dicte terre diruit et capitinus turis dicti communis, et multi homines mortui fuerunt dicta de causa, et homines stabant extra civitatem ad tendas et travachas; et una figura beate virginis Marie, que erat ad dictam ecclesiam maiorem, tunc plurima miracula fecit sanando infirmos et cecos illuminando. Et fuit ibi magnum scovamentum[95], et multe paces ibi tunc facte fuerunt. Et erat tunc potestas Pistorie domnus Bonifacius Lupus de Parma. Item eo anno dictus domnus potestas com mille et aliis armata manu more solito cucurit ad domum domni Iohannis de Nitiis, qui erat frater Gaudens[96], et etiam Poltronerii de Riticoldis, et hoc propter certas iniurias per eos factas in aliquos scriptos in libro societatis. Item eo anno inceptus fuit pons de Sorbulo[97]~~, ut fieret~~ de lapidibus et quadrellis, super flumen Hentie. Et eo anno valuit furmentum 3 solidos imperiales.

1294 Domnus Cursius Donatus de Florentia fuit potestas Parme in 1294. primis sex mensibus inceptis ad annum novum; domnus Torsardus de Bergonciis de Pergamo fuit capitaneus populi Parme dictis sex mensibus inceptis ad Februarium. Item eo anno de mense Mart. Martii quidam nomine Iacobus de Canonica de vicinia Sancti Iohannis fuit interfectus in terra de Ulmo[98] episcopatus Parme a quibusdam de dicta terra de Ulmo, qui dicebantur esse eius amici, et qui ipsum sepelierunt in uno suo campo in dicta terra; et stetit sepultus, antequam sciretur, per viginti octo dies; et tandem venit in publicum. Et tunc collegium notariorum civitatis Parme, de quorum collegio dictus domnus Iacobus erat, volens scire veritatem[a], qualiter mortuus fuerat et a quibus, misserunt anzianum eorum com centum notariis ad dictam terram de Ulmo. Et ceperunt duos ex malefactoribus, quos duxerunt Parmam in forciam communis; quorum unus propterea apensus fuit per gulam, et alius, quia non manifestavit per aliqua tormenta, condempnatus fuit carcere perpetuo. Et notarii invenerunt corpus in campo, ubi sepultus fuerat, et duci fecerunt Parmam et sepeliri fecerunt ad monasterium sancti Iohannis honorifice. Et plures alii baniti propterea fuerunt. Et iterum notarii predicti redierunt Ulmum et domos et albores, vineas et omnia bona banitorum ipsa occasione destruserunt. Et palatium intus communis stetit clausum, donec dicta vindicta per omnia facta fuit et dicti notarii sunt reversi. Item eo anno de mense Apr. Aprilis dictus domnus potestas armata manu com 1000 peditibus de populo et aliis deputatis cucurit Medexanum ad domum Manfredoti filii domni Bertholini de Cornazano et ad domum Ugholini filii condam Uberti de Cornazano, qui Ugholinus de Bocho dicebatur, et ipsas domos et bona eorum guastaverunt occasione insultus, facti per eos in domnum

a) voluntatem *c.*

89) licentiam. 90) fulmen. 91) grando. 92) gravis. 93) gleba. 94) laesae. 95) flagellatio. 96) Cf. supra p. 683, n. 74. 97) Sorbolo ad Enziam fl., a Parma inter occidentem et septemtriones. 98) Olmo a Parma ad orientem.

Cf. supra ad 1260 p. 677, n. 90.

Ubertum, filium condam domni Lanfranchi de Cornazano. Item eo anno incepta fuit 1294. guerra inter domnum Aczonem marchionem Exstensem et domnum Francischinum fratrem eius et suos sequaces ex una parte, et commune Padue ex alia. Et certi de Parma iverunt in servitium dicti domni marchionis et fratris. Et tandem venerunt ad pacem. Et dictus domnus marchio non bene habuit, quod intendebat; nam castra sua, que in mondo meliora habebat, in compositione dirupta fuerunt, scilicet Este et Calaonum. Eodem anno de mense Maii starium furmenti valuit duobus solidis et dimidio, et mensura vini optimi Mai. 3 solidis imperialibus, et bucola 1 mezano. Item eo anno dictus domnus potestas com 1000 de populo et aliis de talia deputatis armata manu cucurit more solito ad domos[a] Ylarioli, Pinacii et Burincati de la Senaza, fratrum et filiorum condam domni Iohannis de la Senacia, tam in civitate quam ad villas eorum, et ipsas domos et alia sua bona devastaverunt; et hoc quia dictus Borencatus interfecerat domnum Bernardum Malabrancham. Item eo anno inceptus fuit pons de Tauro[1], qui est super strata Claudia, fieri de quadrellis, lapidibus et calcina, et fuit fondatus ad modum unius fondamenti et sic ampli, ut erat pons et more super ipso fondamento ellevate. Item eo anno morre pontis de Sorbulo explete fuerunt. Item eodem anno quatuor heretici, duo masculi et due femine, propter heresim combusti fuerunt per commune Parma, et qui se dicebant de ordine Apostolorum[2]. Item eo anno quidam de Alzano, nomine frater Gerardus Segharellus, qui dicebatur dominus fratrum Apostolorum[3], examinatus et inventus culpabilis in multis heresiis et enormiis delictis, condempnatus fuit per domnum Oppezonem Parmensem episcopum perpetuo carcere puniendus. Item eo anno platea communis, de novo facta, tota fuit per commune Parme planelata. Item eo tempore una leona[4] donata fuit communi Parme parvula, que postea alevata[5] fuit et tenta pro communi, quousque vissit. Item eo anno, die 5. intrante Iunio[6] Iul. 5. frater Petrus de Morono de Apulia ellectus fuit in papam per omnes cardinales, nemine discordante, et vocatus fuit domnus Celestinus papa IV. Qui papa equitavit asinum usque Aquilam et ibi fecit 12 cardinales. Domnus Florinus de Pontecarali de Brixia fuit potestas Parme secundis sex mensibus dicti anni post Sanctum Petrum, domnus Albertonus de Doxino de Cremona fuit capitaneus populi Parme secundis sex mensibus inceptis ad Augustum. Item eo tempore quedam domus pro communi Parme facta fuit retro domos domni capitanei seu Camusinam pro leona communis tenenda com custode eiusdem et pascenda expensis communis. Item eo anno de mense Iulii, prima die regiminis dicti Iul. 1. domni potestatis quasi inspiratione divina elevati fuerunt clamores et percusiones lapidum bancorum[7] et tabularum a pueris et trecolis[8] et ab aliis hominibus stantibus in platea communis et circa post quosdam, qui steterant primis sex mensibus dicti anni advocati communis et consules iustitie communis Parme. Quorum aliquis non audebat aparere a canale de Malocantono usque ad Sanctam Christinam et a becaria de Sancto Ieorgio usque ad domos de Prandis; et continuo, sicut aliquis eorum aparebat, dictus clamor et percusio lapidum levebatur post ipsos, et ideo quia vendiderant iustitiam pro denariis in condempnando innocentes et in absolvendo culpabiles pro denariis et pecunia. Et duraverunt dicti clamores, donec data fuit baylia potestati inquirendi suo arbitrio contra eos et donec capti et bogati[9] fuerunt. Et facta inquisitione contra eos, tormentati fuerunt et confessi et condempnati quilibet eorum, prout exigebat delictum, quidam plus et quidam minus, et in restituendo personis totum quod ab eis exstorsissent, quod fuit plus quam condempnatio communis. Et fuerunt in palatio veteri communis et in domo domni potestatis depicti com nominibus et pronominibus eorum et cassati ad tempus ab omnibus officiis communis Parme. Item eo anno dictus domnus potestas com 1000 de populo et aliis ad hoc Aug. deputatis armata manu, ut moris est, cucurit ad terras de Guardasono et de Traversetulo ad domos domnorum de Baratis, et guastaverunt[b] domos omnes, vineas et ficus et alia eorum bona, qui fuerunt numero octo; et hoc quia interfecerant Ugholinum et Antholinum de Rondanaria. Et hoc fuit de mense Augusti. Item eo anno Venetiani, venientes de ultra mare com 30 galeis et mercadandia inexstimabili, aceperunt per vim

a) ad domos *in margine eadem manu addita sunt.* b) *deest cod.*

1) Taro fluv. 2) de quo ordine cf. Salimbene ad 1248. et Additamentum ad historiam fratris Dulcini ap Muratori RR. It. SS. IX, 447 sq. 3) fuit conditor ordinis. 4) leaena. 5) nutrita. 6) immo Iulio. 7) scamnorum. 8) pomariis. 9) vinculis astricti.

1294. Sept. Ianuensibus unam galeam. Qui Ianuenses ira moti secuti fuerunt eos com 18 galeis usque ad portam Laudacii[10], et ibi prelium durisimum fuit inter eos. In quo prelio Ianuenses obtinuerunt et dictos Venetianos omnes com galeis eorum ceperunt et captivos duxerunt omnes Ianuam, exceptis mortuis; et com fuerunt Ianue, dimiserunt et relaxaverunt omnes, exceptis centum de melioribus, quos tenuerunt. Mortuorum vero non fuit numerus. Item eodem anno ellevata fuit turis maioris ecclesie a fenestris campanarum in sursum, et facti 11 sunt ibi archipeyti de lapidibus et quatuor cantoni[11], et super quolibet unum capitellum[12] com pomis deauratis. Item eo anno parve nives fuerunt; et magna mortalitas pulorum. Et sestarium furmenti valuit quandoque duobus solidis, pro maiori parte temporis tribus solidis imperialibus. Item eodem anno, tempore nubiloso et pluviali Magnanus de Cornazano, banitus communis Parme pro maleficio, com quibusdam aliis banitis communis Parme et aliis numero 40, abstulit communi Parme castrum Grondule. Et hoc scito a communi, commune missit illuc militem potestatis com certis peditibus et balisteriis et equitibus et com hominibus terrarum a Fornovo[13] in sursum, qui com fuerunt ad locum, in continenti preliari ceperunt cum dictis banitis. Et dictus Magnanus interrogatus, si volebat redere castrum, respondit quod non, nisi sicut volebat domnus episcopus Parmensis, qui habebat claves pro se et domno marchione Exstense. Quo audito et intellecto a communi Parme, commune cridari fecit, si quis volebat soldum, dabatur cuilibet duos solidos imperiales pro die. Et iverunt mille pedites et ultra ad dictum locum; qui com fuerunt Berceti, dicti baniti quadam nocte dimisso loco afugierunt. Capitaneus vero com duobus custodibus[a], qui ibi ante erant pro communi, et unus ex banitis capti fuerunt et ducti Parmam, et trasinati[14] ad caudas mulorum usque ad montales de Colliculo, et ibi fuerunt apensi per gulam. Dictus vero Magnanus et alii predicti baniti depicti fuerunt in palatio veteri communis cum nominibus et pronominibus eorum, et baniti tamquam productores communis Parme. Et eodem tempore post aliquot dies quidam ex predictis banitis captus per homines de rocha, qui similiter ductus fuit in forciam communis, et trasinatus et appensus in eodem loco, qui Dec. 13. vocabatur Speciolus et Iohannes Specii. Item eo anno, die 16. exeunte Decembri[15] predictus domnus Celestinus papa renunciavit papatu, ordinato prius com cardinales de modo et forma subcessoris. Item eo anno magna habundantia aquarum fuit, ita quod terre 16 de Sacha[16] et de Sanguigna[17], Zella, Turizella[18], Colurnio[19], Coparmulis[20], Ynsula[21], Henzano[22], Cohentium[23] et Amazabove et alie multe terre fuerunt sub aquis, ita quod non habebant terram, et navigari poterat usque ad Gaynaghum[24] et ad ecclesiam de Mazzabove. Eodem anno burghus de Terentio[25] et ecclesia et domus omnes dicti burgii et ecclesie per dilatatas[26] maximas, que ibi fuerunt, destructe et delatate fuerunt de loco Nov. 1. eorum longe satis et dirupte. Item eodem anno, in festivitate omnium sanctorum domnus Aczo marchio Exstensis una com domno Franceschino fratre suo congregavit in civitate Ferarie maximam et honorabilem curiam omnium procerum civitatum Lombardie de amicis suis. In qua curia factus fuit miles com predicto fratre suo per domnum Gerardum de Camino dominum Trivisii; et ipso domno Azone facto milite, in continenti fecit alios 52 milites suis propriis expensis, quamdiu fuerunt in civitate Ferarie, quorum singulis 27 donavit duas vestes varas, unam de samite[27], quam donaverunt ad curiam, et aliam de medietate[28], quam in se retinuerunt. Et de predictis fuerunt quatuor de Parma, scilicet domnus Petrus de Sancto Vitale, domnus Iohannes de Sancto Vitale, domnus Gerardus de Henzola et domnus Christophorus de Marano. Que quidem curia in Lombardia magna germina germinavit, cuius flores et fructus nundum finem habuerunt. Item eo anno, Dec. 24. in vigilia nativitatis Domini domnus Benedictus Gaytanus cardinalis ellectus fuit in papam et vocatus fuit domnus Bonifacius papa VIII. Qui domnus Bonifacius papa cepit fratrem

a) custoribus *c.*

10) Ajas, Ital. *Lajazzo*, quae Ciliciae urbs a veteribus Aegae vocabatur. 11) lapides angulares. 12) capitula. 13) Fornovo ad Tarum fluv., a Parma inter meridiem et occidentem. 14) tracti. 15) immo d. 13. m. Dec. 16) Sacca in dextera Padi ripa a Casalmaggiore ad occidentem. 17) ibidem. 18) Torricella ibidem. 19) Colorno conf. supra p. 672, n. 31. 20) Copermio ad Parmam fluv., a Parma urbe ad septemtriones. 21) an Enzola (a Parma inter orientem et septemtriones)? 22) Enzano in sinistra Enzae fluv. ripa, a Parma inter orientem et septemtriones. 23) Coenzo v. supra p. 696, n. 54. 24) v. supra p. 668, n. 64. 25) Terenzo ad Sporzanam fluv., prope Lesignano di Palmia, (media fere via inter Pontremoli et Parmam). 26) terrae labes? 27) holoserico. 28) panno subserico.

Petrum de Morono, olim papam predecesorem suum, et eum detineri et custodiri fecit, 1294. Dec. 24. curialiter tamen, toto tempore vite ipsius domni Petri.

Domnus Unbertus condam domni Guarnerii de civitate Castelli fuit potestas Parme 1295. in 1295. ad annum novum; domnus Tavena de Tholomeis de Sena fuit capitaneus populi Parme dicto anno incepto a Februario. Item eo anno domnus Bardelonus, filius condam domni Pinamontis de Bonacosiis de Mantua, extrassit fratrem suum et filium fratris de carceribus et eos posuit in confinibus, et duo millia banitos communis Mantue extrassit de banis et condusit in Mantuam, infrengendo omnia statuta loquencia contra banitos; et fuit in pace com dictis fratre et nepote suo. Item eo anno ad postulationem Cremonensium ambaxatores communis Parme com duobus fratribus Predicatoribus fecerunt parlamentum in terra de Berxillo[29] et Portioli; et exspleto parlamento, Cremonenses in eorum consilio 29 firmaverunt, quod omnes mercadantie[30], que ducebantur ad pontem de Cremona ad solvendum gabellam[31], ibi ulterius non ducerentur, dummodo solverent gabellam ad pontem de Doxelo[32]. Item eo anno valuit furmentum scilicet starium tribus solidis et 8 imperialibus usque ad Sanctum Petrum. Item eo anno marchio Exstensis abstulit militibus de Regio omnia castra eorum episcopatus Regii preter Rosenam, que est domni Guidonis de Regio. Item eo anno Mediolanenses fecerunt quoddam castrum de lignamine in Laudevechio, contra voluntatem Laudensium et Cremonensium, valde magnum et mirabiliter fabricatum. Item eo anno Cremonenses fuerunt sconfitti a Placentinis iuxta castrum Malii[33], et de ipsis Cremonensibus capti fuerunt 60 vel circa. Item eo anno Cremonenses iverunt in obscidione castri, quod dicitur Castilionum[34] de episcopatu Laudi, quod Iun. muniverant[a] Mediolanenses. Quo scito Mediolanenses Placentini et Brixienses venerunt magnifice in sucursum dicti castri et castra metati fuerunt iusta per 4 milliaria; et hoc scito a Cremonensibus, in continenti receserunt a dicto obscedio et intraverunt Laudum. Et tunc Mediolanenses com suis venerunt Laudum per 4 balistratas, et eciam usque ad foveas, trombando et clamando: *Exite foras, ganes*[35] *de Cremona, exite foras, garule*[36], *et* 35 *et venite ad prelium!* Sed non fuerunt ausi exire. Mediolanenses vero sic steterunt usque ad meridiem, postea incolumes receserunt. Dicti vero Cremonenses nocte veniente ocultte et verecondose receserunt. Et hec fuerunt de mense Iunii. Item eodem anno de mense Iunii domnus Zentilis domni Gualteroni iudex de Firmo fuit syndicus communis Parme, et incepit officium suum die 15. mensis Iunii. Item eo anno et tempore, existentibus Iun. 15. iam acutis partibus in Parma iam diu ortis, scilicet pars domni episcopi et pars domnorum de Corigia, dictus domnus episcopus exscommunicavit dictum domnum potestatem, quia fecerat suspendi quendam, qui dicebat se conversum monasterii sancti Iohannis, qui inculpabatur de nece unius mulieris, et quam sententiam dictus domnus potestas tulerat de consilio iudicum civitatis Parme. Unde ipse domnus episcopus etiam exscommunicavit iudices de collegio et notarios, qui aiuvabant iudices, com multis aliis misteriis. De quibus erat in Parma magna contencio inter partes. Quibus de causis duo ambaxatores com uno notario ex parte communis Parme, licet contra voluntatem illorum de parte episcopi, ad Romanam ecclesiam sive curiam ad defendendum dictum domnum potestatem et collegium iudicum et notarios et alios excommunicatos missi fuerunt, et ad accusandum dictum domnum episcopum de certis operibus. Qui ambaxatores fuerunt domnus Gerardus de Botono decretorum doctor et domnus Petrus de Prandis iudices, ambo de porta Nova, et Aliotus de Aliotis notarius. Set nichil facere potuerunt, sicud Deo placuit. Et qui die 4. exeunte Iunio se moverunt de Parma et iverunt Anagnia, ubi tunc erat curia; et ibi Iun. 27. Anagnie ambo dicti ambaxatores naturali morte obierunt de mense Augusti proxime ve- Aug. nientis; et dictus notarius fecit testamenta eorum et interfuit sepulture, et com Dei auxilio rediit Parmam, sed non bene sanus nec secum existentes. Ob quorum ambaxatorum mortis compasionem et remuneracionem communis Parme, subcedente tempore, quo solum pars dictorum de Corigia regebat, dedit filiis amborum dictorum ambaxatorum officium notarii potestatis ad decem annos continuos. Item eodem tempore domnus Ugholinus Rubeus, filius condam domni Iacobini Rubei, civis Parme fuit et erat senator alme urbis Rome, et ibi

a) murmuraverant *c.*

29) Brescello v. supra p. 662, n. 4. 30) merces. 31) vectigal. 32) Dosolo in sinistra Padi ripa, a Guastalla ad septemtriones. 33) Maleo prope Pizzighettone. 34) Castiglione prope Adduam fluv., inter Cremam et Placentiam. 35) canes. 36) garruli?

1295. Aug. Rome erat com magna comitiva militum iudicum notariorum soldatorum equestrium et pedestrium et domicellorum et aliorum familiarium, omnium de Parma pro maiori parte. Domnus Bonifacius de Bonconsciliis de Bononia fuit potestas Parme secundis sex mensibus dicti anni in 1295, sed non complevit; domnus Gotius de Foro de Brixia fuit capitaneus populi dictis secundis sex mensibus inceptis ad Augustum, sed non complevit. Item eo anno et tempore facte fuerunt quatuor more ad pontem Taronis. Item eo anno factus fuit murus communis de Sancta Maria Nova versus flumen Parme, et in capite de subtus unus Iul. 31. torisinus. Item eo anno, die dominico ultimo exeunte Iulio in platea communis Parme in plena concione iurata fuit societas com Bononiensibus. Et postmodum firmatum fuit in conscilio generali communis Parme, quod ambaxatores utriusque communis Parme et Bo- 37 nonie quolibet mense simul coadunari deberent, uno mense ad Castrum Franchum[37] et alio ad Casamdei[38], causa providendi et ordinandi de meliori statu utriusque communis et amicorum; et simile iuramentum fecerunt Bononienses in sua platea et civitate. Item eodem anno exspletus fuit pons de Sorbulo super flumen Hencie. Item eodem tempore Aug. 8. de mense Augusti domnus Otto de Vicecomitibus archiepiscopus Mediolani viam universe carnis ingresus est. Item eo tempore dictus domnus potestas com 1000 et aliis deputatis, ut moris est, cucurit ad domum domni Symonis de Anzelis in civitate et exstra, et dictas domus et bona eius destructa fuerunt, et condempnatus fuit in 1000 libris tamquam prodictor com quibusdam aliis de parte exstrinsecha, qui inculpati fuerunt de prodicione civitatis. Item eodem tempore domnus Oppezo de Sancto Vitale episcopus Parmensis, ellectus fuit in archiepiscopum Ravene; de quo per illos, qui non erant de sua parte, magnum gaudium postea versum est in lutum. Item eodem anno et tempore magni timores fuerunt in civitate Parme a parte in partem. Nam marchio Exstensis aiuvabat quantum poterat domnum episcopum et suam partem; ex quo pars domnorum de Corigia multum timebat, et magne custodie fiebant omni nocte per populum unius porte et per vicinias. Et instigante diabolo dictum fuit, quod dictus domnus episcopus habebat guarnimenta[39] in palatio episcopali. Et sic dictus domnus potestas — licet nollet, quia erat de parte episcopi — convocavit in platea communis duo millia de populo Parmensi ellecta pro Aug. 23. custodia civitatis, et com eis ivit ad pallatium episcopi, ut ipsum muniret pro communi et etiam monasterium sancti Iohannis. Et cum fuerunt in platea maioris ecclesie, potestas nolebat intrare palatium episcopi, unde populus com equo ipsum per forciam portavit in curiam domni episcopi, cridando: *Moriatur latro, moriantur latrones de parte imperii!* qui ibi esse dicebantur. Dictus vero domnus episcopus, timore perteritus, cum familia tota sua de ipso palatio descendit super scalas et hostium, quod est iuxta molendinum suum de retro, et ivit ad monasterium sancti Iohannis, quam velocius potuit. Deinde equitavit ad Sanctam Eulaliam et ibi stetit per tres dies, postea equitavit Regium et hospitatus fuit in burgo de sancta Caterina in domo Iohannis Ghinami albergatoris, ubi stetit per tres dies vel circa, et postea ivit ad monasterium sancti Prosperi de Regio, dicti de subtus, ubi se preparavit, et ivit postea Ravennam ad archiepiscopatum suum. Et predictus cursus populi et recessus dicti domni episcopi de Parma fuit in vigilia sancti Bertholamei de mense Augusti. Et tunc dictus domnus Bonifacius potestas licentiatus fuit com tota familia eius, et solutum fuit sibi integre de toto salario suo. Et missum fuit ex parte communis Parme ad communem Bononie, ut mitterent quem vellent Parmam pro potestate. Et in continenti miserunt Aug. 25. domnum Pelegrinum de Somopizolis de Bononia, qui venit Parmam die 7. exeunte Augusto et ipsa die regere incepit, et dictus potestas recessit. Domnus Pelegrinus de Somopizolis de Bononia fuit potestas Parme dicto anno, ellectus usque ad annum novum, initium cuius fuit die 7. exeunte Augusto. Item eodem tempore predictis de causis 200 milites ad tres equos et 500 pedites de Bononia venerunt Parmam in sucursum communis Parme. Item eo anno omnes de parte imperii extrinseci fuerunt positi ad confinia longe a civitate per 10 milliaria, et quatuor viginti ex ipsis fuerunt confinati longe a civitate per 50 miliaria, et quidam de ipsa parte fuerunt baniti tamquam prodictores communis Parme. Item eodem tempore dictus domnus potestas armata manu com 1000 de populo et aliis deputatis more solito cucurit ad domos Guillelmini et Abatis de Ranghonibus et Niviloni de Pizo et quorumdam de Buteriis, qui fuerunt tunc baniti perpetualiter pro proditione civitatis, et domos omnes et albores et alia bona omnium predictorum devastaverunt in villis eorum,

37) v. supra p. 703, n. 6. 38) v. supra 689, n. 7. 39) apparatus belli.

nam in civitate nichil habebant. Item eodem anno dictus domnus potestas armata manu 1295. com 1000 de populo et aliis deputatis more solito cucurit ad terram de Pratosellis[40] ad domos illorum de Zesso, quas et omnia alia eorum bona totaliter guastaverunt, stando ibi per tres dies; et hoc, quia inculpati fuerunt de morte Albertini, olim filii domni Gerardi de Boxeto. Item eo tempore pars amicorum illorum de Ture expulsa fuit de civitate rixie, et baniti et devastati intus et extra. Item eo anno quedam domus, quam dictus domnus episcopus Parmensis fecerat fieri iuxta palatium suum ante domos Marsiliorum, per commune destructa fuit. Item eo anno castrum Cruviachi per commune Parme fuit costodatum et apalancatum[41] per homines de ultra Henciam a strata in sursum. Item eo 41 anno supradictus dominus olim Parmensis episcopus confinatus fuit per commune Parme per statutum communis, de novo factum contra eum. Item eo tempore magister Iohannes de Castro Archualdo[42] districtus Placentie, existens tunc capelanus domni cardinalis de Parma[43], fuit ellectus in episcopum Parmensem per domnum papam, et hoc ad postulacionem dicti domni cardinalis. Item eo anno, die 4. Novembris in generali consilio com- Nov. 4. munis et populi Parme, in quo fuerunt 1117 consiliarii, supradictus domnus Gocius de Foro capitaneus populi Parme de voluntate dicti consilii renunciavit ipsi regimini et capitaneatum, et per commune Parme sibi fuit integre satisfactum de toto salario suo. Et in continenti in eodem consilio predictus domnus Pelegrinus potestas factus et ellectus fuit in capitaneum populi Parme, ita quod fuit potestas et capitaneus uno et eodem tempore usque ad annum novum; et postea tamen fuit capitaneus usque ad Kalendas Februarii proxime subsequentis. Et tunc etiam in eodem consilio per dictos consiliarios post predicta et per domnum potestatem predictum et tunc capitaneum et per anzianos omnes in concordia, et nulo discordante, reformatum fuit, quod omnes baniti communis Parme pro malleficio[a], cuiuscomque condicionis essent, canzelarentur et extraherentur de omnibus bannis et condempnacionibus eorum gratis, scilicet illi de parte ecclesie et non alii. Et ita canzelati fuerunt omnes, solvendo tantum communi pro quolibet banito 5 Parmenses; et carcerati omnes pro malleficio similiter relaxati fuerunt. Quod quidem si bonum fuit, Deus novit. Item eo tempore domnus Ricardus de Camino, filius domni Gerardi de Camino domini Trivixii, factus fuit miles sic magnifice, quod numquam auditum fuerat de aliquo qui sic fieret. Item eo anno pax tractata fuit inter domnum regem Karolum et domnum Fede- Aug. ricum de Aragonia[44] de mense Augusti. Item eodem anno domnus Carolus[45] rex Ungarie et uxor eius[46] in civitate Neapoli obierunt, et dictum fuit quod erant tosicati. Item eodem anno et mense Decembris in sero ante diem sancte Lucie, instigante diabolo destrutionem Dec. 12. civitatis Parme et districtus et populi, universaliter dictum fuit, quod certa guarnimenta fiebant ad monasterium sancti Iohannis et ad domos aliorum magnatorum civitatis Parme. Qua de causa potestas predictus misit familiam suam ad cercandum[47] de ipsis guarni- 47 mentis, quia ante reformatum iam fuerat per conscilia communis solempniter, quod si qua guarnimenta fierent in aliqua domo civitatis, destrui et dirui deberet usque ad fundamentum, cuiuscomque esset, etiamsi esset batisterium maioris ecclesie, ad terorem dictum. Et cum irent ipsa nocte ad cercandum ad monasterium sancti Iohannis, prohibitum fuit eis cercare; ymo ipsi de familia turpiter expulsi et fugati fuerunt com lapidibus et balistris, et duo etiam ex familia fuerunt vulnerati. Qua familia reversa ad domum potestatis, sonari fecit ipsa nocte ad campanellam officialium et convocavit anzianos, et per eos provisum fuit, supersedere usque mane. Mane vero facto, scilicet die Martis 13. mensis predicti Dec. 13. Decembris in quo die est festum sancte Lucie, cum intraset sathanas in corde hominum, dictus domnus potestas sonari fecit campanellam de cavalcare[48]. Et volens ire ad dictum monasterium sancti Iohannis ad cercandum et vindictam sumendum de predictis excessibus, convocavit duo milia de populo Parme, deputatos et ellectos, iamdiu erat, pro talibus vindictis exequendis una com potestate. Et antequam convenirent dicti de populo ad potestatem in platea communis, illi qui erant amici et de parte domnorum de Corigia bene transierunt ad potestatem, sed illi qui erant amici et de parte episcopi transierunt ad domos magnatorum dicte partis episcopi. Et sic domnus Cristoforus de Marano, frater domni abatis Sancti

a) malleficis c.

40) s. supra p. 687, n. 92. 41) palis circumdatum. 42) Castell' Arquato cf. supra p. 668, n. 66. 43) Gerardi v. supra p. 702, n. 3. 44) fratrem Iacobi regis Siciliae. 45) Carolus Martellus, filius Caroli II. regis Neapolitani. 46) Clementia, filia Rudolphi I. regis Rom. 47) vestigandum. 48) equitare.

1295. Dec. 13. Iohannis[49] capitaneus dicte partis episcopi in porta Nova, com suis sequacibus voluit venire
ad plateam, sed prohibitum fuit eidem iuxta domos de Prandis in vicinia Sancti Ambroxii
a quibusdam, qui com eo ibi preliati fuerunt. Qui domnus Cristoforus com suis in fugam
se mitens, exivit civitatem per foveas de Sancto Cristoforo. Domnus Iohannes de Sancto
Vitali, capitaneus eiusdem partis in porta Sancte Christine, com suis sequacibus congre-
gavit se pedes et eques in carubio sub volta Bantiorum; domnus vero abas Sancti Iohannis,
domnus Guillielminus, domnus Gerardus de Henzola et filii et nepotes com suis equestres
congregaverunt se ad beccariam de Sancto Ieorgio; domni de la Porta et sui ad porticum
eorum, et domnus Iacobinus de Rufinis com eis ad angulum de Malocantono. Vexilifer
vexili sancte Marie domnus Guido de Corigia com ipso vexillo, domnus Adegherius de la
Senacia, domnus Thomaxius de Henzola, domnus Guillielminus Rubeus, domnus Guido de
Rogheriis et sui sequaces iruerunt contra dictum domnum Iohannem et existentes com eo,
et ipsos ruperunt et fugaverunt; qui exiverunt per fossam de Stradella et evaserunt. Postea
vero iruerunt predicti domnus Guido et alii supra nominati contra illos, qui erant ad beca-
riam de Sancto Ieorgio, quos ruperunt et fugaverunt et omnes; qui quam citius potuerunt
afugierunt ab omni parte civitatis qua potuerunt. Monasterium vero sancti Iohannis ex-
poliatum fuit, et multe robarie nocte sequente facte fuerunt ab illis de parte, que obti-
nuerat, illis de parte episcopi, que sconfita erat. Deo autem faciente nec unus solus
mortuus fuit nisi domnus Albertus de Sancto Vitale, pater dicti domni Iohannis. Dicti vero
domni de la Porta et domnus Iacobinus de Ruffinis afugientes eciam evaserunt sicut po-
tuerunt. Et ipsi predicti de parte episcopi, fugientes et expulsi de civitate modo predicto,
acceperunt castrum de Cruce et ipsum destruserunt in totum; deinde equitaverunt Cru-
viachum et illum com auxilio illorum de Sexo et de Canussio et quorumdam ex capitaneis
de Cruviacho habuerunt et capitaneum et custodes ibi existentes pro communi Parme ex-
pulerunt et ipsum locum munierunt et tenuerunt postea com auxilio domni marchionis
Dec. 14. Exstensis. Qui marchio sequenti die venit Mutinam causa veniendi in eorum servitium, et
qui bene sciebat de dicto tratatu, credens ob hoc habere dominium civitatis Parme. Et
tunc adimpletum est proverbium quod dicitur: *Tarde venerunt bobulci;* et aliud proverbium
quod dicitur: *Qui nimis vult, totum perdit.* Item altera die adveniente, scilicet die Mercurii,
multitudo maxima hominum vilarum et terrarum predicti domni Guidonis de Corigia et
amicorum eius de citra Paudum quam ultra Paudum venerunt Parmam in auxilium de
Dec. 13. „*Viva chi vinze*". Item in eodem die, in festo sancte Lucie de civitate Arimini pars
Ghibelinorum expulsa fuit per bataliam; et de civitate Ianue pars illorum de Flisco expulsa
Dec. 14. fuit et de episcopatu Ianue. Item die Mercurii sequenti post ipsum festum predicti ex-
pulsi et exstrinseci de Parma cucurerunt episcopatum, ab illa parte desuper stratam usque
Dec. 15. Colloretum[50], omnia vastando et ardendo et derobando. Item die Iovis sequenti domnus
Albertus Scotus dominus Placentie quendam suum nepotem, bene ut decuit associatum,
Dec. 16. missit in sucursum communis Parme; et die sequenti milites de Mediolano similiter Parmam
Dec. 18. venerunt in servitium civitatis Parme; et die dominico sequenti 100 milites de Bononia
venerunt Parmam in servitium civitatis Parme. Item eodem tempore venerunt duo am-
baxatores de Cremona Parmam ad condolendum se de predictis, sed nichil aliud fecerunt.
Dec. 25. Item eo tempore de mense Decembris, in die nativitatis Domini predicti expulsi et exstrin-
seci Parme com auxilio marchionis Exstensis intraverunt in castrum de Cruce, quod ante
destruserant comburendo, et ipsum refecerunt et munierunt et postea tenuerunt. Item
eo tempore non fuit glacies nec nix. Et sestarium furmenti valuit 3 solidos et dimidium.
Dec. 26. Item die sequenti post nativitatem ambaxatores de Bononia venerunt Parmam ad sciendum
veritatem de predictis; et com reddierunt Bononiam, firmatum fuit per commune Bononie,
dare auxilium civitati Parme. Et hoc similiter firmatum fuit a dominis Mediolani et Placentie
et communibus eorum, quociens exspediret.

1296. Domnus Albizo de Bondelmontibus de Florencia fuit potestas Parme in 1296. primis
sex mensibus ad annum novum, set non complevit. Item eo anno commune Parme
habuit et tenuit ad soldum communis 350 soldatos et equos et mille pedites inter[d] com
balistris et lanceis longhis. Et impositum fuit per commune Parme unum mutuum octo
milia librarum imperialium per episcopatum et quinque milia per civitatem. Et mutuum

d) *sic cod.*

49) Anselmi de Marano. 50) Coloreto a Parma inter orientem et meridiem.

clericis fuit impositum: duo milia librarum, et Tuscanis prestantibus ad panum[51] duo milia 1296. librarum imperialium, usque ad Kalendas Aprilis persolvendum, et sic adiscunt vachelle[52] arare. Item eodem anno, in die carnipluvii[53] soldaderii communis Parme equita- Febr. 7. verunt versus Guardaxonum et invenerunt inimicos et ipsos sconfiserunt et 40 ex eis ceperunt et Parmam captivos duxerunt; et habuerunt quinque pennellos[54] et insignia 54 marchionis Exstensis cum tribus aliis banderiis magnis, quarum una erat illorum de Sancto Vitale. Item eo tempore commune Parme imposuit pro communi 1200 equos et 200 equas. Item eo tempore 100 milites de Placentia expensis communis Placentie, et 200 milites de Mediolano expensis communis Mediolani, et alii 200 milites de Bononia expensis communis Bononie erant et steterunt in civitate Parme et in auxilium et servitium communis Parme. Domnus Rodulfus de Graydanis de Bononia eodem anno fuit capitaneus populi ellectus per sex menses. Item eo tempore pars de Coionibus de civitate Pergami expulsa fuit. Item eo anno, die primo Aprilis, secreto Apr. 1. tractatu prius habito, marchio Exstensis intravit Bazanum[55] districtus Mutine et ipsum refecit in odium Bononiensium. Et ipsa eadem die Maghinardus de Romagna com soldatis et amicis dicti marchionis astulit Ymolam Bononiensibus, in qua captione multi Bononienses mortui et capti fuerunt, qui erant ad custodiam Ymole. Et sic incepta fuit guerra inter commune Bononie et dictum marchionem, quod valde utile fuit Parmensibus intrinsecis. Item eodem millesimo de mense Ianuarii ordinata fuit gabella per commune Ian. Parme que venit et dicta fuit de Bononia; et incepta fuit colligi. Item eo anno domnus Matheus de Foliano de Regio com aliis, qui exiverant Regium, in odium marchionis Exstensis intravit castrum Guerzole et ipsum munivit. Item eo anno milites de Parma equitaverunt ad Quatuor-Castella[a][56] districtus Regii, pluente per noctem totam et diem; et ceperunt castrum quod nominatur Monsveclum et in ipso habuerunt domnum Franciscum de Foiano de Regio, quem Parmam in carceribus conduxerunt. Et post modicum tempus domnus Iohannes de Palude dedit in forciam communis Parme castrum quod dicitur Montezane[57], qua de causa dictus domnus Iohannes fuit extractus de bano, in quo erat 57 communis Parme. Item eo tempore Ranghoni et alii Insuti de Mutina in odium marchionis Exstensis cum auxilio Bononiensium intraverunt Fragnanum[58], et multas terras habuerunt et aceperunt dicto marchioni in dicta contrata. Eo anno commune Bononie et commune Parme, commune Placencie et domnus Albertus Scotus capitaneus Placencie, commune Mediolani et domnus Mapheus Vicecomes capitaneus Mediolani, commune Brixie et exstrinseci de Regio et de Mutina contraserunt inter se societatem contra marchionem Exstensem. Item eodem tempore domnus Aczo marchio Exstensis com toto suo posse, com Reginis Mutinensibus Ferariensibus Pergamensibus et Laudensibus, quibusdam extrinsecis Parmensibus, venit Monticulum[59] et ipsum expugnavit; sed nichil ibi per Dei gratiam facere potuerunt et nichil lucratus fuit, quia septem de suis de mellioribus mortui remanserunt. Qui domnus marchio missit Parmam per suas litteras, quod erat ibi et quod expectaret eos usque ad 10 dies; quod certe non fuit, inmo ipsa eadem die post nonam recessit. Item eo anno frater Petrus de Morono, olim papa, in forcia domni pape obiit Mai 22. in Romana curia die 22. intrante Madio. Item eo tempore pars de Coionibus intravit Pergamum et alia pars expulsa fuit. Et eo anno valuit furmentum, starium 4 solidos imperiales, et quandoque 4 imperiales plus. Domnus Rolandinus Scotus de Placentia eodem anno, die 15. intrante Iunio fuit potestas Parme ellectus per sex menses, et ea Iun. 15. die regere incepit; et predictus domnus Albizo potestas sequenti die recesit, soluto sibi Iun. 16. prius de toto salario suo curialiter. Et qui domnus Rolandinus factus fuit capitaneus guerre et potestas usque ad Kalendas Ianuarii. Item eo tempore post paucos dies, in introytu dicti domni potestatis equitavit ipse domnus potestas com milicia Parme in districtu Regii versus Rivaltam[60], spoliando et ardendo totam contratam a burgiis civitatis Regii usque Rivaltam, et ibi habita fuerunt duo milia capita bestiarum Item eo

a) quatuo castella c.

51) qui vestibus pignori acceptis, pecunias foenore occupant. Cf. infra ad 1329: *Tuscani et alii mutuatores.* 52) vacculae. 53) v. supra p. 711, n. 85. 54) vexilla parva. 55) cf. supra p. 697, n. 64. 56) Quattro-Castella a Regio inter occidentem et meridiem. 57) Montezano inter S Polo et Quattro-Castella, a Regio inter occ. et mer. 58) terram Frignanam. 59) v. supra p 672, n. 35. 60) Rivalta prope Regium, inter meridiem et occidentem.

1296. anno post paucos dies predictus domnus potestas com militia equitavit in episcopatum Regii ad terram de Sancto Iohanne in Gorgho, et combusta fuerunt multa loca, que sicut forticilie tenebantur in contratis predictis, et magna preda bestiarum facta fuit et ducta Parmam, et plures capti et ducti. Et Iohannes Guacius de Parma, qui erat captus, ipso iam capto, fuit interfectus ab uno illorum de la Senaza eius inimico, quod bene non fuit reputatum in honorem potestatis et existentibus com eo. Item eo anno turis de Bibiano[61] episcopatus Regii capta fuit et forticilia que ibi erat combusta, et homines qui ibi erant capti fuerunt a Parmensibus. Item eo anno post paucos dies equitavit dictus domnus potestas una com milicia versus Regium, et Regini com sua militia equitabant ipsa die et veniebant ad Bibianum. Quo scito a Parmensibus, in continenti equitaverunt contra Reginos et contra milites marchionis, qui erant com eis, et ipsos insultaverunt et ruperunt et sconfinserunt et plures ex ipsis Reginis et militibus marchionis capti fuerunt et ducti Parmam in carceribus; inter quos fuerunt domnus Guillielminus de Canuxio de Regio, Caute de Florentia comestabilis[a] et quorumdam militum marchionis, et unus filius domni Thebaldi eciam comestabilis quorumdam aliorum militum domni marchionis, et plures alii. Item eo anno et tempore dictus domnus potestas Parme com certis militibus et foresteriis soldatis ad suam postam[62] equitavit supra Regium et magnam predam fecerunt prope burghos Regii. Et dum reddirent com ipsa preda et venirent inter Cruviacum et castrum de Cruce, Parmenses extrinseci et milites marchionis, qui erant in dictis castris, venerunt contra dictos domnum potestatem et milites, qui com eo erant, et prelium magnum fuit inter ipsas partes. Tandem dicti extrinseci et milites marchionis et alii de dictis castris sconficti et rupti fuerunt et in fugam et ruynam conversi per dictum domnum potestatem et milites de Parma predictos; ex quibus militibus et marchionis et hominibus dictorum castrorum fuerunt capti et Parmam in carceribus ducti Iacobinus domni Alexandrini de Cruviaco, Botesella de Cruviaco et frater et filius domni Martelli de Cruviaco et multi alii. Item eodem tempore Bononienses, redeundo de quadam andata[63] quam fecerant in districtu Mutine contra marchionem, preliati fuerunt castrum Savignani districtus Mutine et ipsum per forciam habuerunt et munierunt de suis, et munitum postea tenuerunt contra dictum

Nov marchionem et commune Mutine. Item eo tempore de mense Novembris, cum per sapientes Bononienses et Parmenses esset secrete ordinatum, quod uno eodem tempore Bononienses a suo latere venerunt supra districtum Mutine et Parmenses irent supra districtum Regii in exercitum, Bononienses bene exiverunt in exercitum et possuerunt se in obscidione Bazani, habendo secum domnos de Pollenta et de Malatestis et multos alios Romaniolos ad pedem et ad cavallos et multos soldatos de Florentia. Et steterunt in dicto obscedio per unum mensem et tandem dictum locum Bazani habuerunt, salvis personis et rebus illorum qui erant in dicto castro; quod castrum in se retinuerunt et retinent. Domnus vero marchio com toto suo posse com Reginis Mutinensibus Ferariensibus Cremonensibns Pergamensibus et aliis suis sequacibus, bene voluit succurere existentibus in dicto castro, sed non potuit, quia Bononienses bene exspectabant eum. Item eo tempore et mense Parmenses, vero volentes exire secundum ordinamentum predictum ut fecerant Bononienses, exiverunt in exercitum extra civitatem usque ad pontem Hentie et eciam ad Calernum[64]; et ibi steterunt per octo dies sine aliquid faciendo, quia semper die noctuque fortiter pluvit, ita quod nullo modo poterant facere aliquid. Mediolanenses et Placentini, qui erant in sucursum Parme, nulo modo exire voluerunt propter dictum malum tempus, exspectantes omni die ydoneum tempus, et visso quod nichil fiebat, reversi sunt omnes Parme: intentio enim erat omnium, ire ad castrum de Cruce vel ad Cruviacum. Et eo tempore valuit starium furmenti 4 solidos et 4 imperiales.

1297. Domnus Bernardinus de Pollenta de Ravena fuit potestas Parme in 1297. ad annum novum primis sex mensibus et fuit capitaneus guerre; domnus Ubertus, condam domni Guarnerii de civitate Castelli, fuit capitaneus populi Parme ellectus per sex menses primos in dicto anno. Item eo anno predictus domnus potestas com milicia tota equitavit versus Regium et ultra ipsam civitatem inter Regium et Erberiam[65], et concremare fecit per totam illam contratam; et maxima preda ibi facta fuit et multi homines capti et ducti in

a) comestalis *cod.*

61) Borgo di Bibiano a Regio inter occidentem et meridiem. 62) stationem venatoriam. 63) expeditione. 64) v. supra p. 683. n. 70. 65) Rubbiera. Cf. supra p. 706, n. 30.

carceribus communis Parme. Inter quos fuit captus domnus Symon de Manfredis, qui 1297. afugerat in quadam suam matta[66], et ductus Parmam in carcerem; que motta capta et combusta fuit, et erat in terra Scazani. Item eo tempore equitavit dictus domnus potestas die 5. Marcii com milicia tota et certa quantitate peditum in districtum Regii ad Mart. 5. Sanctum Paulum[67], et habuerunt turem Aczolini de Canussio et forticilias omnes dicte terre, et positi ibi fuerunt custodes pro communi Parme, et dictus locus fuit munitus. Et in continenti ipsa die idem domnus potestas cum tota milicia et com dicto Azolino iverunt ad castrum Montisluzuli, quod castrum per commune Parme habitum fuit et munitum, et capitaneus dicti loci, qui ibi erat pro marchione ductus fuit Parmam com aliquibus istentibus in eodem, et alii omnes afugerunt, afidati recesserunt[a]. Et pro dictis locis habendis habuit dictus Azolinus a commune Parme mille florenos auri, et receptus fuit ad mandata communis Parme com contis[68] suis propinquis et amicis et fidelibus ad partem dicti communis Parme, et positus ad conscilia generalia communis et populi et in libris societatis. Item eo tempore domnus Manuel de Valesneria com multis banitis et rebelibus communis Parme intravit castrum Cornilii[69] domni episcopi Parmensis, et ipsum tenuit et occupavit contra commune Parme. Ad quod castrum commune missit in continenti dictum[b] domnum capitaneum populi et unum[c] ex sociis domni potestatis com populo porte Sancte Christine et com certis militibus et soldatis, qui com fuerunt ad locum, expugnaverunt et eum non habuerunt. Et populus[d] porte de Parma ivit, et predicti porte Sancte Christine reversi sunt, et dato prelio per illos de porta de Parma locum habuerunt, salvis et evadentibus personis et rebus eorum, qui erant in castro. Populus vero porte Benedicte, eundo ad dictum exercitum, fuerunt usque a Langhiranum[70] et non ultra, et populus porte Nove fuit usque ad Mataletum[71]. Quo castro sic habito, per commune Parme destructum et deruptum fuit in totum. Item eodem tempore factus est tratatus, et divina gratia faciente pax et concordia facta fuit inter domnum Aczonem marchionem Exstensem et civitates eius Ferariam Mutinam et Regium ex una parte, et dictum commune Parme ex altera. Et domnus Guido de Corigia omnino dictam pacem voluit, com totum suum staret in guasto; et domnus Cavalcabos marchio Vidaiane de Cremona fuit arbiter dicte pacis. Verum fuit, quod displicuit aliquibus magnatibus Parme; et illi de parte episcopi, ad quorum instanciam dictus domnus marchio inceperat dictam guerram, non se bene contentaverunt de ipsa pace. Nec etiam requisiti fuerunt ad hoc Bononienses Mediolanenses et Placentini, sed ex parte communis Parme ambaxatores missi fuerunt ad ipsa communia, ut non sibi reputarent ad malum, et sic Bononienses soli remanserunt in briga com dicto domno marchione. Carcerati vero undique utriusque partis libere fuerunt relaxati. Sed illi de parte episcopi non ob hoc redierunt Parmam, nec baniti nec confinati, qui erant ad confinia pro ipsa parte. Que quidem pax promulgata fuit in terra de Casadei districtus Parme die ultimo Iulii, existente in regimine Iul 31. domno Grasparo potestate infrascripto. Eodem anno finitis sex mensibus regiminis dicti domni Bernardini de Polenta, a Kalendis Iulii regimen de potestaria comissum fuit dicto domno Uberto capitaneo, qui exercuit existens capitaneus ipsam potestariam civitatis Parme a Kalendis Iulii usque in die 28. eiusdem mensis Iulii dicti anni. Dictus vero domnus Bernardinus com honore maximo ad propria remeavit. Domnus Graspar de Garbagnate de Mediolano fuit eodem anno potestas Parme ellectus per sex menses; qui regimen incepit die 9. mensis Iulii dicti anni, et qui domnus potestas datus et missus fuit per domnum Mapheum Vicecomitem capitaneum Mediolani, ad quem per commune Parme fuit ipsa ellectio destinata. Domnus Raynerius de Bondelmontibus de Florentia fuit capitaneus civitatis et populi Parme per sex menses ellectus, initium cuius fuit in Kalendis Octubris. Item eodem tempore exstrinseci et baniti civitatis Parme, tam partis imperii quam episcopi, quia pax predicta non sibi placebat, iuraverunt insimul in hodium communis Parme et commune Parme et partem tunc regentem in Parma; et cogitaverunt proditorie civitatem intrare. Et Manfredotus, filius condam domni Bertholini de Cornazano, consanguineus germanus domni Guillielmini et Ugholini de Rubeis, qui pro fidelisimo dicte

a) receff. c. b) dictus c. c) unus c. d) populi c.

66) castro. 67) San Polo in dextera Enziae fluv. ripa, a Parma inter meridiem et orientem. 68) cunctis. 69) Corniglio in dextera Parmae fl. ripa, a Pont emoli inter orientem et septemtriones. 70) Langhirano in sinistra Parmae fl. ripa, a Parma urbe ad meridiem. 71) Mattaleto prope Langhiranum.

1297 partis habebatur et tenebatur, licet Ghebelinus esset ab antiquo, tenebat com eis et erat capud tratator et autor dicte proditionis. Et existentibus tunc omnibus maioribus civitatis Parme domni Maphei Vicecomitis[a] ultra Mediolanum ad sociandum ipsum ad parlamentandum com marchione Montisferati, ut dicebatur, predicti baniti se congregaverunt et venire voluerunt ad civitatem dicto modo. Set Deus et beata Virgo prohibuerunt, et pluit fortiter. Et tratatus predictus venit palam, ita quod certi rustici, qui iam venerant, fuerunt capti et apensi per gulam. Et dictus Manfredotus et multi alii baniti fuerunt tamquam prodictores sui communis, et domus eius omnes et illorum de la Porta et multorum aliorum fuerunt totaliter devastate. Et eo tempore predicti baniti et rebelles communis Parme utriusque partis, tam imperii quam episcopi, simul coniurati intraverunt in Montemsaxum[72], et ipsum munierunt in hodium contra commune Parme, et guerram communi faciendo Nov. sicut plus poterant. Item eo anno et tempore de mense Novembris dictus domnus potestas, milites et soldati communis cum populo porte Benedicte et com hominibus de ultra Tarone a strata in sursum exiverunt et iverunt in exercitum contra Montemsaxum, et gnonserunt[73] Nov. 10. illuc in vigilia sancti Martini, volentes se ponere in obscedio dicto loco et ipsum habere. Nocte vero veniente sancti Martini a sero usque mane venit ita gravisimum tempus ventorum grandinis et pluvie, quod tende non poterant teneri et quod homines milites et populus, equi et alie bestie fuerunt in periculo maximo moriendi et nemo pedes vel eques poterat Nov. 11 ire per terram. Quare mane facto populus universus de dicto exercitu asque alia ordinatione discesit et venit Burgum sancti Donini, deinde Parmam. Potestas vero et milites fuderunt vina et blavam et panem per terram, et steterunt aliquantulum post populum et Dec. redierunt et ipsi Parmam. Item eo anno dicti domni potestatis, in fine sui regiminis ipsi tratata et promisa fuit, pax esse debere inter predictum commune Parme et predictos banitos existentes in Montesaxo, ad instantiam domni Maphei Vicecomitis capitanei Mediolani et domni Alberti Scoti domini civitatis Placentie.

1298 Ian. Eo tempore dicti domni potestatis scilicet 1298. de mense Ianuarii factus fuit syndicatus[b] [74] et compromisum[75] ex parte communis Parme ad compromitendum in domnos supradictos Mapheum et Albertum com illis de parte episcopi; quem sindacatum fecit Aliotus notarius, etiam compromisum. Domnus Folcerius de Carbulo de Forlivio fuit potestas Parme in 1298 Ianuarii ellectus per sex menses; domnus Melius Marianus de Cremona fuit eodem anno capitaneus populi Parme ellectus per sex menses, initium cuius fuit Febr. in Kalendis Aprilis. Et tempore dicti domni potestatis de mense Februarii factus fuit sindicatus ex parte communis ad compromitendum com illis de parte imperii in predictos domnos Mapheum et Albertum Scotum, quem sindicatum fecit dictus notarius et compro- Mart. missum. Item eodem tempore de mense Martii sententie late fuerunt in civitate Mediolani per dictos domnos arbitros inter commune Parme et predictos banitos utriusque partis; et sic tunc completa fuit dicta pax. Et inter alia locus de Montesaxo venit in commune Parme, et per commune Parme guastum fuit. Et illi de parte imperii omnes iverunt ad confinia, et ducenti de parte episcopi ad confinia etiam per dictam sententiam sunt positi; alii vero reddierunt Parmam. Item eo tempore dictus domnus potestas com mille de populo, anzianis misteriorum, capitibus societatum et aliis deputatis more solito armata manu cucurit Barghonum[76] et domos vineas et albores dominorum de Barghono in totum destrusit; et hoc quia dicti domni de Bargono intraverant sua autoritate in domos salinarum communis et fratres[77] ibi existentes pro communi expoliaverunt et etiam in Tablano multas domos distruserunt. Item eodem anno ecclesia monasterii Valis-Serene ordinis fratrum de Claravalle incepta fuit fieri et fondari, iusta ecclesiam sancti Martini de Bozis de strata Colurnii, expensis domni cardinalis[78] de Parma. Domnus Raynerius Gatus de Viterbio eo anno fuit potestas Parme secundis sex mensibus, qui regere incepit die 29. Iulii. Item Aug. eodem anno et mense Augusti Rolandinus de Marano inculpatus fuit de quadam proditione, que fiebat in civitate Parme. Captus fuit et in fortiam communis ductus et multa confessus fuit — quia afidatus fuit de morte — propter que domnus Bernardinus de la Porta banitus

a) *sic cod.* b) syndicus *cod.*

72) Monte Salso prope Varano Melegari, a Parma inter occidentem et meridiem. 73) Ital. *giunsero;* i. e. pervenerunt. 74) mandatio scripta. 75) arbitrii delati tabulae. 76) v. supra p. 680, n. 43. 77) Clarevallenses. V. supra ad 1292. p. 710. 55. 78) Gerardi ep. Sabinensis.

fuit et domnus Petrus de Sancto Vitale captus fuit et Iohannes Barisellus et multi alii baniti 1298. capti fuerunt. Qui domnus Iohannes Barisellus positus ad tormenta, mortuus fuit ad ipsa tormenta; et domnus Petrus de Sancto Vitale acriter fuit tormentatus, qui nichil dixit. Set cum certus populus et pars que regebat, tam magnates quam alii, voluerunt eum mori, dictus vero domnus potestas, cum sibi non videretur quod deberet propterea mori de iure, insalutato hospite quadam nocte cum tota sua familia recessit de civitate et regi- Aug. 20. mine predicto. Mane vero facto, quod fuit die Iovis 21. mensis Augusti, cum scitum fuit Aug. 21. de dicto recessu potestatis, inito et convocato consilio generali communis, domnus Melius Marianus capitaneus predictus factus fuit potestas Parme, primo per unum mensem et postea usque ad Kalendas Ianuarii proxime venturi, ita quod fuit potestas et capitaneus uno eodemque tempore. Dictus vero domnus Melius, videns voluntatem tunc regentium, tulit per sententiam quod dictus domnus Petrus decapitaretur; et sic in platea communis aiudicavit et executioni mandatum fuit in continenti, et sepultus fuit apud ecclesiam novam fratrum Minorum in civitate Parme. Que quidem mors iusta non fuit. Domnus Henricus de Bernarduciis de Luca fuit eodem anno capitaneus populi Parme per sex menses, initium cuius fuit in Kalendis Octubris. Oct. 1.

Domnus Pinus de Rubeis de Florentia fuit potestas Parme in 1299. primis sex men- 1299 sibus dicti anni, in cuius temporis principio multi latrones suspensi sunt per eius sententiam. Item eo tempore centum milites de mellioribus civitatis Parme ad duos equos expensis communis Parme iverunt Mediolanum in servitium et auxilium domni Maphei Vicecomitis capitanei Mediolani, et steterunt ibi per duos menses. Domnus Dinadanus de Symonpizolis de Bononia eodem anno fuit capitaneus populi Parme per sex menses inceptos in Kalendis Aprilis. Item eodem tempore furmentum erat carum et vendebatur 7 solidis imperialium et usque in 9 et plus; ita quod pro communi dabatur datium conducentibus de alieno episcopatu, et vendebatur certis diebus tantum in platea communis per maiores et nobiliores milites et populares civitatis Parme, ad hec deputatos per commune Parme. Item eodem anno et tempore de mense Iunii, in vigilia beati Iohannis batiste in hora vespera- Iun. 23. rum tonitruum et sagita de celo percusit in ture communis Parme et pluribus partibus domorum communis com maximo igne et ardore et fulgoribus maximis, ita quod, licet plueret, platea communis vissa est tota ardere. Et diruit dicta sagita de ture communis unum ex mellis[79], et de angulo et de fenestris et de capitello lignaminis, quod est desuper ipsa turi, et unum ex collonelis marmoreis domus potestatis et capitellum marmoreum super quo erat, et combursit totam cordam de auricalcho, que stabat ad tintinellum communis, de quibus collonelo capitello corda et aliis rebus guastis et combustis nichil prorsus inveniri potuit. Domnus Gerardus de Gambara fuit potestas Parme eo anno secundis sex mensibus ad Sanctum Petrum, qui stando ad ipsum regimen, vocatus fuit in potestatem Flo- Iun. 29. rentie, et licentiatus fuit per unum mensem ante exitum sui regiminis a communi Parme. Et ivit Florentiam, et dimisit Parme pro suo vicario ad regimen ipsum complendum domnum Mazalinum de Mazalis de Brixia, qui ressit pro eo usque ad finem sui regiminis. In cuius vicarii tempore Magnanus de Cornazano, maximus banitus et rebellis communis Parme, captus fuit et ductus in fortiam communis Parme, et amputatum fuit sibi capud in glarea communis Parme iuxta flumen Parme extra portam Capelinam, propter banna, in quibus erat, et multa mala opera facta per eum. Domnus Vanes sive Iohannes, domni Leazari de Leazaris de Pistorio, eodem anno fuit capitaneus populi Parme incepto in Kalendis Octubris. Oct. 1.

Domnus Brodarius de Saxoferato fuit potestas Parme in 1300. per sex menses dicti 1300. anni ad annum novum. Qui stando in ipso regimine ellectus fuit potestas Florentie; qui licentiatus a communi Parme ante complementum ipsius regiminis, ivit ad regimen Florentie, dimisa familia sua in Parma, qui pro eo rexerunt usque ad complementum dictorum sex mensium. Domnus Dinus Venetiani de Opizis de Lucha fuit capitaneus populi Parme eodem anno per sex menses, inceptis in Kalendis Aprilis. Et eodem tempore baniti communis Parme partis imperii intraverunt contra commune Parme in locum dictum Corniolum et Valesellam et ipsum locum munierunt. Quo scito, dictus domnus capitaneus et unus ex sociis domni potestatis com certis militibus et soldatis communis et com populo porte Nove equitaverunt illuc com hominibus episcopatus[a] ...... parte; et antequam essent ad

a) *sequitur* ab *in cod.*

79) malis, pomis. Cf. supra ad 1294. Sept. p. 714.

1300 locum, predicti baniti quadam nocte affugierunt, dimissis in ipso loco rectis banderiis eorundem. Et ita nostri intraverunt locum predictum et forticilias omnes, quas fecerant, destruserunt; deinde sani et salvi com dictis banderiis et insigniis ad propria remearunt. Que quidem banderie et insignie fuerunt et steterunt apense per plures dies ad balatorium communis, quod est inter domum potestatis et palatium vetus communis. Item eodem tempore facta fuit parentella inter domnum marchionem Azonem marchionem Exstensem et fratrem, dominos civitatum Ferarie Mutine et Regii, et domnum Mapheum Vicecomitem capitaneum et dominum Mediolani; quia quidam filius dicti domni Maphei, nomine Galeaz, acepit in uxorem domnam Beatricem[80] sororem dictorum domnorum marchionum Exstensium. Et dictus domnus Galeaz, asociatus magnifice a multis militibus et domizellis de Mediolano Placentia Papia Vercellis Novaria Cumis Parma et pluribus aliis ex amicis eius patris ivit per civitatem Parme ad civitatem Mutine; et ibi factus fuit miles com pluribus aliis a dicto domno Aczone marchione Exstense, et desponsavit dictam dominam in uxo-
Iun. 24. rem suam, et matrimonium ut dictum exstitit consumavit. Et rediit com ea et secum existentibus per Parmam, et hospitatus fuit in civitate Parme eundo et reddeundo ad palatium domni episcopi Parmensis; et dicta domina hospitata fuit ad domum domni Ugholini Rubei, filii condam domni Iacobi Rubei. In quorum adventu et reditu magnum festum et gaudium fuit et solatium undique ab omnibus generaliter in civitate Parme. Et bagordaverunt multi ex domicellis maioribus et nobilioribus civitatis Parme; indutti et vestiti fuerunt per commune Parme et expensis communis Parme de una roba vara integra quilibet eorum. Qui expensis communis iverunt et reddierunt cum dicto domno Galeaz usque Mediolanum, et ibi donaverunt dictas robas suas ex parte communis Parme. Ad quam curiam etiam fuerunt ex parte dicti domni Maphei et filii, totidem de Bononiensibus, qui similiter vestiti expensis communis Bononie de robis varis, et venerunt com eo et iverunt per Parmam Mediolanum com tubis argenteis et tubatoribus communis Bononie, et dictas robas etiam donaverunt ad curiam predictam. Ex parte vero dicti domni marchionis fuerunt Cremonenses Pergamenses Regini Mutinenses Ferarienses et multi alii. Maximum gaudium celebraverunt, ita quod tota Lombardia pro maiori parte sentivit de dictis nupciis. Et predicta fuerunt de mense Iunii. Item anno Domini 1300. et anno toto a principio anni ipsius usque ad finem per domnum Bonifacium papam VIII, existentem tunc temporis, facta et data fuit generalis indulgentia omnium peccatorum omnibus vere penitentibus et confessis, euntibus per ipsum annum sive pedes sive eques et per 15 dies stantibus Rome et singulis diebus semel ad minus visitantibus ecclesias sanctorum Petri et Pauli. Et hoc per litteras papales solempnes publicatum fuit per maximam partem christianorum. Propter quod multi et quasi infiniti de civitate et distritu Parme, masculi femine clerici layci religiosi religiose[a] et manate[81] iverunt Romam. Et de tota Lombardia Francia Bergundia Alamania et de contis provinciis et partibus ab omni parte christianorum et infiniti barones milites et domine magne et ceteri sine numero utriusque sexus et cuiuslibet conditionis status ordinis et dignitatis iverunt Romam dicta de causa. Et singulis diebus videbatur, quod iret unus exercitus generalis omnibus horis per stratam Claudiam intus et exstra; et veniebant ipsi barones et domine de Francia et de aliis longinquis partibus 40 et 50 et pluribus cavalcaturis; et omnes domus strate Claudie in civitate et extra, tam solita hospitia et taberne quam alie, pro maiori parte hospitabantur, et dabant cibum et potum pro denariis, et cotidie erant plena hominibus et personis, et satis bona ubertas et de rata[82] erat de omnibus victualibus. Et per universum orbem exivit sonus dicte indulgentie. Domnus Rubeus domni Stephani de civitate Castelli eodem anno fuit potestas Parme

a) singuli *excidisse videtur.*

80) filiam Obizonis II. marchionis Estensis, viduam Nini iudicis Gallurensis (in Sardinia), ex quo Iohannam filiam pepererat. Ninum secundas Beatricis nuptias largiter improbantem facit Dante (Purgat. VIII, 70—81) versibus his:

*Quando sarai di là dalle larghe onde,*
*Di' a Giovanna mia, che per me chiami*
*Là, dove agl' innocenti si risponde.*
*Non credo, che la sua madre più m'ami,*
*Poscia che trasmutò le bianche bende,*
*Le quai convien che misera ancor brami.*
*Per lei assai di lieve si comprende,*
*Quanto in femmina foco d'amor dura*
*Se l'occhio o il tatto spesso non l'accende.*
*Non le farà si bella sepoltura*
*La vipera, che i Milanesi accampa,*
*Com' avria fatto il gallo di Gallura.*

81) manipuli, catervae. 82) i. e. pro rata.

ad Sanctum Petrum secundis sex mensibus. Item eodem tempore de mense Augusti 1300. Aug. venerabilis pater dominus Papinianus, Dei gratia Parmensis episcopus[83], primo venit Parmam; qui fuit de civitate Turini. Domnus Guillelmus de Vigoncio de Padua eodem anno fuit capitaneus per sex menses; initium cuius fuit in Kalendis Octubris. Oct. 1.

Domnus Paulus Bruxatus de Brixia fuit potestas Parme in 1301. primis sex mensibus 1301. ad annum novum inceptis; domnus Nicola de Peracio de Ianua fuit capitaneus populi Parme dicto millesimo; inicium cuius[a] fuit in Kalendis Aprilis. Domnus Arnaldinus iudex, con- Apr. 1. dam dicti Guillielmi capitanei, fuit iudex per commune Parme super custodia clausurarum[84] et vinearum. Item eo tempore pars illorum de Soardis et aliorum extrinsecorum civitatis Pergami et domnus Galeaz, filius domni Maphei Vicecomitis domini Mediolani, com tota feresteria sua tam militum quam peditum per fortiam armata manu com proditione tamen facta ab amicis suis qui erant in Pergamo, intraverunt Pergamum et ipsam civitatem ceperunt et expellerunt extra illos de Bonghis et illos de Rivolla et eorum sequaces, et domos eorum funditus diruerunt et expoliaverunt. Et maxime robarie ibi tunc facte fuerunt. Domnus Guillelmus de Guaschis de Alexandria fuit potestas Parme ultimis sex mensibus ad Sanctum Petrum. Item eodem tempore de mense Iulii, in festo sancti Ia- Iul. 25. cobi apostoli domnus Karolus[85] frater domni regis Francie[86], qui domnus Karolus Sineterra[87] dicebatur, com uxore[88] eius, filia imperatoris Constantinopolitani[89] et filie[90] condam domni regis Karoli[91] Ierusalem et Scicilie regis, transivit per Parmam com certis et non multis militibus et com magno arnese[92] equorum et somarum[93], et ivit ad sommum pontificem, et factus ab eo marchio marchie Anchonitane, dux Valis-Spoleti, comes Romaniole, dominus patrimonii et factor et conservator pacis Tuscane. Item eodem tempore 100 boni milites de bonis civitatis Parme com uno ex sociis potestatis iverunt Mediolanum in servitium domni Maphei Vicecomitis, et steterunt ibi expensis communis Parme com duobus equis per quatuor menses et ultra. Domnus Nicola de Peracio predictus factus et confirmatus fuit eodem anno capitaneus populi per alios sex menses, initium cuius fuit in Kalendis Octubris. Item eodem tempore domnus Karolus Sine-terra predictus com domno Cursio Donato et aliis suis sequacibus banitis communis Florentie, intra- Nov. vit civitatem Florentie, et habuit dominium dicte civitatis, et fecit fieri paces inter Florentinos. Que paucum duraverunt, quia in brevi tempore predicta pars de Donatis expulit de civitate Florentie domnos de Circlis et partem eorum; de quo quasi tota Tuscana fuit in briga. Item eo tempore domnus Carolus Sine-terra predictus et Florentini intrinseci fecerunt eorum exercitum ad civitatem Pistorie et eam obsciderunt, quia dicti Pistorienses recusaverunt facere mandata domni Caroli predicti et suos extrinsecos reducere domum, imo in totum se[b] defenderunt viriliter.

Domnus Guillielmus de Guaschis de Alexandria supradictus iterum factus et confir- 1302. matus fuit potestas Parme 1302. primis sex mensibus. Item eodem anno, die primo Martii venerabilis pater domnus Gerardus Blanchus de Parma cardinalis Romane ecclesie, Mart. 1. qui intitulabatur domnus episcopus Sabinensis, obiit in pace Rome et sepultus fuit in ecclesia sancti Iohannis Laterani ante altare beate Marie Magdalene sine aliqua sepultura, que apparet supra terram. Item eodem anno et tempore facta fuit per commune Parme moneta de novo, et facta fuit in domo domnorum de Mantellis in casamento condam domni Oppezonis domne Maysende. Et facti fuerunt denarii de argento, quorum unus valebat 10 imperialibus primo tempore; et imperiales de novo, quorum unus valebat tribus Parmensibus parvis, qui nomquam fuerunt in Parma; et eciam Parmenses parvi. Item eo tempore centum milites ad duos equos expensis communis Parme de hominibus civitatis Parme iverunt Mediolanum in sucursum domni Maphei Vicecomitis capitanei Mediolani, et solutum eis fuit a communi per quatuor menses; et iverunt Mantuam et Brixiam, quia non

a) *deest cod.* b) *sequitur* viriliter *in cod.*

83) 1300—1316. 84) agrorum sepibus clausorum. 85) comes Valesii, filius Philippi III. regis Francorum. 86) Philippi IV. 87) de hoc Karoli cognomine significat Dante (Purgat. XX. 76) verbis istis:

*Quindi non terra, ma peccato ed onta*
*Guadagnerà . . . . . . . .*

88) Catharina. 89) Philippi, qui vocabatur imperator; cuius pater fuit Balduinus II. imperator Constantinopolitanus. 90) Beatricis. 91) I. regis Siciliae. 92) cum magnis impedimentis. 93) iumentorum.

1302. poterant ire per aliam viam. Item eodem tempore collegium notariorum civitatis Parme transmutavit nomen anziani sui trium mensium, et vocaverunt eum in preconsulem dicte artis et collegii, et fecerunt depingi palatium eorum intus et extra. Domnus Guillielmus Beroe de Pergamo fuit eodem anno capitaneus populi Parme per sex menses, initium cuius[a] fuit in Kalendis Aprilis. Item eodem tempore pars extrinseca de Pergamo, scilicet Bonghi et illi de Rivolla et alii sui sequaces, intraverunt castrum Romani[1] eorum Iun. districtus et eum tenuerunt contra suam civitatem. Item eo tempore de mense Iunii Cremonenses, domnus Albertus Scotus dominus Placentie et Placentini, domnus comes Philiponus dominus Papie et Papienses Laudenses Cremasci Novarienses Vercelenses, domnus marchio Montisferati[2] et Alexandrini, facta unione et societate simul et com domnis de la Ture et Pergamensibus extrinsecis, exiverunt in exercitum contra domnum Mapheum Vicecomitem capitaneum Mediolani, et posuerunt exercitum eorum in terra de Sancto Martino districtus Laudi. Et dictus domnus Mapheus exivit com suo exercitu Mediolani et com soldatis, quos habebat, et venit usque ad castrum quod vocatur Melza[3] et ibi posuit suum exercitum. Et domnus Galeaz eius filius com certis soldatis, et com 100 militibus de Parma, qui ibi erant in eius sucursum, remansit Mediolani pro custodia civitatis; et tandem quia proditio erat iam ordinata in Mediolano contra ipsum domnum Mapheum, Mediolanenses, qui remanserant in civitate, se opposuerunt dicto domno Galeaz et com eo existentibus, et pugnaverunt com eo et expelerunt eum et existentes com eo exstra civitatem Mediolani, qui afugit Pergamum. Et audito hoc a patre suo domno Mapheo, ipse voluit sucurere[b] dicto filio suo, sed non potuit; et videns ipse domnus Mapheus, quod non poterat resistere dictis adversariis suis districte, sine aliquo prelio et sine tenore de-Iun. 13. posuit in dicto exercitu dominium civitatis Mediolani, et baculum sive matiam[4] sui capitaneatus deposuit et se posuit in dictum domnum Albertum Scotum; et sic amixit dominium suum et ductus est per ipsum domnum Albertum Scotum, sub magna custodia detentus, usque in Placentiam. Et exercitus forensium ex parte dicti domni Maphei non fuerunt permisi intrare Mediolanum, ymo derobati fuerunt, et ad propria redierunt. De quo domno Mapheo maximus dolor fuit in civitate Parme per bonos homines et per partem ecclesie, que regebat in civitate Parme; et predicta fuerunt die Mercurii 13. mensis Iunii. Et tunc castrum Sancti Columbani[5], quod erat dicti domni Maphei, destrutum fuit. Post hec dictus domnus Mapheus fuit relaxatus et venit ad Burgum sancti Donini per aliquot dies. Domni autem de la Ture intraverunt Mediolanum com omnibus suis amicis et restituti sunt super omnibus suis bonis et iuribus suis. Item eodem tempore, post predicta per aliquod dies pars Bonghorum et illorum de Rivolla et aliorum, qui erant extra Pergamum, intraverunt Pergamum et ceperunt civitatem et eam tenuerunt et exspelerunt Soardos et alios eorum sequaces. Item eo tempore castrum Montisacuti[6] districtus Papie destrutum fuit. Item eodem tempore factum fuit per commune Parme generale exstimum[7] per homines civitatis Parme per certas mutas[8] sapientum cuiuslibet porte et vicinie civitatis Parme ad arbitrium dicti domni capitanei; et due porte fiebant per potestatem Parme, alie due porte per capitaneum; et muta sapientum unius porte stabat ad palatium domni episcopi, alia ad monasterium sancti Iohannis, alia ad palatium de Arena, et alia ad domum Religionis veteris, stando ibi de die et de nocte et non discedendo, et nemo alius audebat loqui com eis. Item eodem tempore imposita fuit per commune Parme prima colta[9], imposita ad exstimum predictum, duos imperiales pro libra, ut vachelle arare adiscerent. Item eo tempore de Iun. mense Iunii inceptum fuit fieri curitorum super batisterio de colopnellis lapideis. Domnus Bernardinus condam domni Guidonis de Cornia de Perusia eodem anno fuit potestas Parme Iul. ad Sanctum Petrum. In cuius tempore de mense Iulii factum fuit in civitate Placentie unum maximum parlamentum, in quo fuerunt Placentini Mediolanenses com domnis de la Ture, Papienses Pergamenses intrinseci, Laudenses Astenses Novarienses Vercelenses Cremaschi Cumani Cremonenses Alexandrini et Bononienses. Et ipso parlomento inter alia data fuit baylia domno Alberto Scoto domino Placentie de reducendo omnes exstrinsechos de Lombardia partis ecclesie in eorum civitates, tam per amorem quam per fortiam. Unde certi

a) *deest cod.* b) sucerere c.

1) Romano prope Serium fl., a Pergamo inter meridiem et orientem. 2) Iohannes I. 3) Melzo a Mediolano ad orientem. 4) scipionem, Ital. *mazza*. 5) San Colombano ad Lambrum fl., a Papia ad orientem. 6) cf. supra p. 705, n. 25. 7) census. 8) conventus. 9) exactio.

ambaxatores de dicta ligha fuerunt com ambaxatoribus communis Parme apud Columbam[10] 1302. Iul. diocesis Placentine, et ibi fuit parlamentum inter ipsos ambaxatores et ipsos communis Parme. Et in ipso parlamento de Columba predicti ambaxatores dicte lighe ex parte dicti domni Alberti Scoti et omnium de dicta liga quesierunt, quod commune Parme deberet omnino reducere in Parmam partem episcopi, que erat extra, et omnes de ipsa parte, et quod Parmenses deberent esse secum in dicta ligha et quod reciperent 600 milites, quos imposuerant in talia dicte lighe in civitate Parme. Et postea ipsi omnes requirere dicebant se velle domnum marchionem Exstensem[11] et dicere sibi, quod omnino dimiteret Mutinam et Regium; quod si faceret, bene quidem, sin autem, volebant secum gueriare et omnino exspelere eum de Mutina et Regio, volentes quod Parmenses inciperent gueram com dicto domno marchione. Responsio autem ambaxatorum communis Parme fuit: nichil facere de predictis. Unde in reditu dictorum ambaxatorum in continenti fuerunt impositi per commune Parme mille equi de imposta[12], set non fuerunt asignati; et centum alii soldati, com equo et roncino[13] quilibet, conducti fuerunt per commune Parme. Et ordinatum et inceptum fuit refici castrum Burgii sancti Donini et dictus locus Burgii fuit fortificatus, scilicet ecclesia et canonica et domus laborerii circomquaque cavate fuerunt per se, et Burgus similiter per se com teraleis[14]; et incepta et quasi completa fuit a capite Burgii versus Parmam una turis de quadrellis lapidibus et calcina com barbacanis et foveis per se et aliis necesariis pro defensione dicti loci. Et eciam tunc fuit ordinatum de faciendo ligham com domno marchione Exstense et com amicis suis de Lombardia et de marchia Trivixana et de Tuscia et com omnibus, qui vellent esse in dicta societate, licet hoc maxime bonis hominibus displiceret. Propter que fuit maximus timor in Parma de veniendo in brigam[15] et gueram com aliquo. Item eo tempore de mense Augusti societas et ligha facta et iurata Aug. fuit inter commune Parme et domnum Aczonem marchionem Exstensem et civitates eiusdem Fe̥rariam Mutinam et Regium. Domnus Bertholinus condam domni Ugholini de Foiano de Regio eo anno fuit capitaneus populi Parme per sex menses, initium cuius fuit in Kalendis Octubris, die 8. dicti mensis[a]. Item eodem anno[b] non venit pluvia aliqua per sex menses et plures. Item eodem tempore soluta fuit per homines civitatis Parme colta predicta prima imposita ad exstimum, et fuit prima colta, que unquam collecta fuit ad exstimum in civitate Parme, licet invitus.

Domnus Armaninus condam domni Ughonis de Sommo de Cremona fuit potestas Parme 1303. in 1303. primis sex mensibus. Quo tempore et anno fuit magna caritudo blaudi et omnium victualium, et bene valebat furmentum 12 solidis imperialibus starium. Item eodem anno bene per quatuor menses non venit pluvia vel nix, que balnearet[16] terram; propter quod magna sicitas fuit et multi putei civitatis Parme et multa flumina tam Parme Taronis et Hencie quam alia magno tempore steterunt sica, et blave steterunt ad nascendum taliter, quod viderentur super terram usque ad mensem Aprilis; ob quod timor fuit de caristia et indigentia blave. Et fabe fuerunt totaliter arsse ubique per Lombardiam, sed furmenta et alie blaude satis bona et netta Deo concedente. Et magne procesiones clericorum et laycorum circa civitatem facte fuerunt com letaneis et oracionibus et reliquiis sanctorum ad Deum pro pluvia postulanda. Et tandem de mense Maii, in die festi beati Mai. 6. Iohannis ante portam Latinam pluvit per totam ipsam diem; de qua pluvia fuit magna, ymo maxima leticia fuit omnibus et ubique. Domnus Bertholinus de Foiano predictus eodem anno fuit iterum confirmatus capitaneus civitatis Parme per sex menses. Item eodem tempore de mensibus Aprilis et Iunii maximus timor fuit in Parma de veniendo in brigam Apr. Iun. et divisionem. Quia quidam de magnis, ut dicebatur, volebant reducere partem episcopi in civitate, et quidam volebant generaliter reducere omnes cuiuslibet partis tam episcopi quam imperii, et quidam nollebant aliquid de predictis. Et in auxilio unius partis milites et populus civitatis Placentie veniebant et fuit usque ad Florenzolam, et milites et populus domni marchionis Exstensis et Mutinenses fuerunt usque ad Herberiam dicta de causa. Propter que duabus vicibus tota civitas Parme fuit in magno timore, et custodie de nocte multe et magne facte fuerunt, et fiebant per civitatem Parme per collegia et misteria et

a) *sic cod.* b) *deest cod.*

10) *Chiaravalle della Colomba* a Florentiola ad orientem. 11) Azonem VIII. 12) de imposta i. e. vectigales. 13) equo minore. 14) aggeribus. 15) discordiam. 16) madefaceret.

1303. societates et vicinias omnes civitatis Parme; set Domino concedente nichil mali fuit tunc. Item eodem tempore ordinatum fuit per commune Parme, quod civitas Parme tota circumquaque muraretur, quod quidem nundum exstitit executum. Item eo tempore homines episcopatus Parme, qui erant in foco[17] rusticorum, fuerunt positi in exstimo et exstimati fuerunt per villas eorum, et ordinatum fuit, quod deinceps solverent coltas suas et mutua per exstimum. Item eo tempore murata fuit per commune Parme via, que erat inter palatia et Camusinam communis, ut essent securiores. Item eodem anno et tempore propter predictos timores data fuit baylia predictis domnis potestati et capitaneo per conscilia communis Parme pacificandi simul omnes tam de civitate quam de districtu Parme partis ecclesie et regentis, habentes aliquas guerras vel discordias, et quod compellere possent et deberent omnes ad dictas paces faciendum. Propter quod multe paces et concordie, et quasi omnes de quibus sciri potuit, facte fuerunt inter homines civitatis et episcopatus Parme, qui habuisent guerram vel inimiciciam simul. Item eodem anno 1303, indicione 1, post Sanctum Petrum domnus Perolinus de Constantinis de Turelongha

Iul. de Trivixio fuit potestas Parme per sex menses. Item eo tempore de dicto mense Iulii tratata fuit pax inter commune Parme et extrinsecos de parte episcopi. Unde com domnus Ghibertus de Corigia omnino vellet ipsam pacem com suis amicis, propositum fuit in generali consilio communis Parme de ipsa pace facienda, et in ipso data fuit auctoritas et baylia domno advocato mercatorum, potestatibus quatuor misteriorum, preconsuli notariorum, anciano iudicum com aliis quatuor sapientibus per portam. Qui habentes dictam auctoritatem, deliberaverunt quod 33 solum ex extrinsecis dicte partis episcopi reddirent Parmam, scilicet de confinatis. Propter quod maximus rumor fuit, quia dictus domnus Ghibertus et illi, qui volebant quod generaliter illi de dicta parte episcopi omnes reddirent, tam baniti quam confinati, non steterunt contenti de illa deliberatione; ita quod, nisi tunc ipsa hora ionsissent[18] Parmam domnus Cavalcabox de Vidaiana, domnus Supramonte de Amatis, domnus Gilius de Persico et domnus Armaninus de Sommo olim potestas Parme, de Cremona, rumor et prelium fuiset inter homines civitatis Parme. Qui domni rumorem seda-

Iul. 24. verunt. Unde iterato predicta fuerunt posita in consilio et in ipso exstitit reformatum solempniter et unanimiter, quod dicti domni de Cremona plenam auctoritatem haberent super predicta pace et eciam in omnibus aliis generaliter, que sibi viderentur utilia pro communi Parme. Qui domni et in continenti in dicto conscilio ordinaverunt, quod generaliter omnes, qui erant baniti vel confinati de parte episcopi, libere essent exempti et canzelati de banis et confinibus suis, et redirent[a] Parmam; et restituti fuerunt ad omnia sua bona et iura. Et eciam ordinaverunt, quod omnes baniti communis Parme pro malleficio cuiuscomque mallefícii, habentes vel qui haberent pacem[b], canzelarentur de omnibus banis et condempnationibus suis libere et gratis; et hoc fuit in vigilia beati Iacobi apostoli de dicto mense Iulii.

Iul. 25. Item die sequenti, in die et festo beati Iacobi apostoli in hora ante tertiam domnus Anselmus de Marano, abas monasterii sancti Iohannis, et alii omnes de Marano et domni de Arcilibus et domni de Sancto Vitale et domni de la Porta et alii omnes tam baniti quam confinati de dicta parte episcopi, com girlandis[19] in capitibus reddierunt Parmam sani et salvi, et asque aliquo rumore. Verum fuit, quod quidam de Parma non bene se contentaverunt de dicta pace. Item eodem die et festo sancti Iacobi post nonam, existente predicto domno Ghiberto de Corigia, filio condam domni Guidonis de Corigia, sub porticu Sancti Vitalis com multitudine magna amicorum suorum et com multis de predictis qui redierant, per multos eorum omnium cridatum fuit: *Vivat, vivat, vivat domnus Ghibertus;* et sic omnes alii existentes per plateam, curentes ad rumorem, omnes clamabant similiter: *Vivat, vivat.* Et tandem dictus domnus Ghibertus per forciam portatus fuit in palatio veteri communis, clamantibus omnibus eodem modo: *Vivat, vivat.* Et in continenti factum et sonatum fuit conscilium, et totum palacium plenum omnino fuit de hominibus. Et in ipso conscilio factus et vocatus fuit dictus domnus Ghibertus dominus et defensor et protector civitatis communis et populi Parme et conservator pacis predicte; et ibi in eodem conscilio investitus fuit de dicto dominio cum vexilo beate Marie et carocii, quod ibi depor-

Iul. 26. tatum fuit. Die vero sequenti in mane iterato factum fuit aliud conscilium cum maiori deliberatione et in ipso etiam similiter fuit ordinatum et iuratum et aceptatum fuit dictum dominium per dictum domnum Ghibertum, et iuratum fuit per omnes de conscilio, ipsum

a) rederent c. b) *sic cod.* 17) familia. 18) advenissent. 19) coronis floreis.

domnum Ghibertum manutenere et defendere in dicto dominio. Et etiam ordinatum, quod 1303. omnes predicti que redierant et alii omnes de dicta parte episcopi, qui extrati fuisent de Iul. 26. consciliis communis et societatis Parme, reponerentur ad ipsa conscilia, et loco mortuorum filii eorum. Multi tamen de predictis dolentes fuerunt, et propter predicta domni de Rubeis sponte exiverunt civitatem et iverunt com suis omnibus familiis ad loca et vilas eorum; nula tamen robaria vel aliquis alius rumor fuit in civitate seu districtu Parme tunc. Item eodem anno in partibus marchie Anconitane et Romandiole, in locis et civitatibus iuxta mare et in civitate Venetiarum et in Sclavania magni[a] et multi terre motus fuerunt, ita quod propter ipsos multe tures et domus ruinate fuerunt, maxime in Fano et in Senegalia, et una civitas tota de Sclavania[b] ruinata fuit, et mare sufocavit eam. Item eo tempore domnus Bonifacius papa VIII., qui tunc erat papa, in magno statu existens Anagnie, insultatus fuit ad palacium suum per domnos de Columna et suos amicos tam de Roma quam Sept. 7. de Campania. Et sic palacium captum fuit et omnes amici et propinqui dicti domni pape expulsi fuerunt de civitate Anagnie et multi mortui fuerunt. Tamen dictus domnus papa mortuus non fuit, quia nulus voluit eum tangere, sed tenebatur clausus in domo, quod exire non poterat; et sic stetit per tres dies. Domnus vero Luchas de Flisco cardinalis com populo civitatis Anagnie com armis surexit in auxilium dicti domni pape et liberavit eum. Item eo tempore dictus domnus papa, dum veniret ab Anagnia Romam, in itinere iterum per illos de Columna insultatus fuit et multi ex utraque parte mortui fuerunt, sed domnus papa bene evasit et venit Romam; tamen dictum fuit, quod licet evaderet de persona, non habebat bayliam aliquam eundi sicut volebat. Qui domnus papa post paucos dies ex tristicia et dolore mortuus est et sepultus. Item eodem tempore domnus Nicolaus Oct. 11. cardinalis, qui fuerat frater Predicator et fuerat de Trivixio, fuit factus papa et vocatus fuit Oct. 22 domnus Benedictus papa XI. Item eo tempore domnus Andriolus domni Ughonis de Fano fuit capitaneus populi et societatis crucesignatorum civitatis Parme, initium cuius capitaneatus fuit in Kalendis Octubris, et ellectus per sex menses. Item eo tempore de dicto mense Octubris domnus Albertus Scotus de Placentia concordavit se com domno Mapheo Vicecomite et filio, olim domni capitanei Mediolani, unde voluit procurare, quod ipse domnus Mapheus et filius redirent Mediolanum. Et congregavit magnam quantitatem amicorum et exivit Placentiam com ipsis, sed nichil facere potuit. Ipse autem domnus Albertus com Alexandrinis et Terdonensibus exiverunt de ligha, de qua superius facta est mencio, et tenebant com dicto domno Mapheo et filio, et erant ex una parte; domni vero de Ture com Mediolanensibus Pergamensibus Cremonensibus Laudensibus Cumanis Cremaschis Papiensibus Vercelensibus et Novariensibus erant ex alia parte. Mantuani vero et Veronenses, volentes auxilium dare dicto domno Mapheo, exiverunt extra et fuerunt usque ad terram de Ripa, ne Cremonenses exirent. Multi autem de Parma eorum propriis expensis equestres et pedestres, in sucursum dicti domni Maphei et filii; similiter et certi milites domni marchionis Exstensis. Per commune vero Parme homines episcopatus a Taro ultra iverunt tunc ad custodiam civitatis Placentie; quorum capitaneus pro communi fuit domnus Oppecinus domni Bernardini de Porta, et qui redierunt sani et salvi. Item eodem anno, tempore estatis et ante et postea bene quasi per unum annum non pluit, ita quod multi putei civitatis et fontes sicati fuerunt, et blave steterunt ad nascendum usque ad mensem Maii; ante quo anno metitum[20] fuit, quam segarentur[c, 21] prata, nisi illa que poterant ad- 29 aquari. Item eo tempore puteus de platea com rota factus fuit pro communi in platea communis et in eo loco ubi est, in quo loco iam ante fuerat alius puteus parvus. Item eo tempore, die dominico 15. Decembris domnus Vanes sive Iohannes de Liazaris de Pistorio Dec. 15. fuit potestas Parme ellectus usque ad Sanctum Petrum proxime venturum, et ipsa die incepit regimen suum; et qui iam electus erat in futurum potestatem.

Item tempore domni Vanis potestatis predicti in 1304. in die beati Stephani post nonam Dec. 26 domnus Ugardus de Corigia, natus olim domni Iacobini de Corigia, consanguineus predicti 1304. domni Ghiberti de Corigia defensoris, existens in camera ipsius domni Ghiberti, interfectus fuit ab uno ex filiis condam domni Iohannis de la Senaza. De quo maximus et plus quam maximus dolor fuit in civitate Parme; propter quod baniti et expulsi fuerunt in continenti de civitate et episcopatu Parme domni Ylariolus et Bonrencatus fratres et filii condam dicti

a) magna *cod.* b) Scavania *c.* c) Segaretur *cod.*

20) messum. 21) secarentur.

1304. domni Iohannis, domni Maxetus et Iohannes fratres et filii condam domni Iacobini Guidonis
Rubei de Henzola, Giliolus filius domni Gerardini condam domni Adigherii de la Senaza,
et omnia bona eorum et domus in civitate et extra destructa fuerunt, et expulsi fuerunt de
tota Lombardia. Et omnes inimici eorum, scilicet illi de Guazis et de Malabranchis qui
erant baniti communis, extracti fuerunt de banis suis et redierunt Parmam; et qui domni
de Senaza et de Henzola erant de maioribus amicis et confamulantibus dicti domni Ghiberti
Mart. defensoris, et sic facti sunt inimici. Item eo tempore de mense Martii domnus Albertus
Scotus de Placentia com suo exercitu militum et peditum ivit contra Papienses. Qui domnus
Albertus missit Parmam pro sucursu, et dati sibi fuerunt per commune Parme centum
milites com duobus equis de soldatis forensibus communis Parme, qui steterant com eo et
in eius sucursu bene per tres menses. Et eodem tempore domnus Bertholameus de la
Mart. 7. Scala obiit in pace, qui erat capitaneus Verone. Eodem tempore domnus Symon comes
de Casalialto de Mantua, tamen extrinsecus et qui erat consanguineus germanus dicti
domni Ghiberti de Corigia defensoris predicti, factus fuit capitaneus Parme per sex menses
Apr. 1. inceptis in Kalendis Aprilis. Item eodem tempore de mense Maii, in die ascensionis
Mai. 7. Domini pars illorum de Solerio, que erat extra civitatem Astensem, per forciam intraverunt ipsam civitatem Astensem, et alii eorum contrarii exierunt de ipsa civitate, qui
Gotherii vocabantur. Item eodem anno et tempore Papienses Mediolanenses Laudenses
22 et marchio Montisferati[22], Vercelenses Novarienses Cremaschi Cumani cum uno ex filiis
domni Alberti Scoti, cum aliis suis amicis venerunt in exercitum super Placenciam et
posuerunt se inter Castrum Sancti Iohannis[23] et civitatem, in loco ubi dicitur Fontana[24],
et steterunt ibi per 20 dies com infinito et maximo exercitu, devastantes Placentinos usque
prope civitatem per tria miliaria et minus. Cremonenses vero erant in terra de Montizellis[25] districtus Cremone com suo exercitu contra ipsos Placentinos; Mantuani et Veronenses fuerunt in terra de Ripa ad prohibendum Cremonenses ire ulterius super districtum
Placencie. Parmenses vero in auxilio domni Alberti Scoti in civitate Placentie, videlicet
domnus Matheus de Corigia frater dicti domni Ghiberti com ducentis ex soldatis equitibus
communis et omnibus militibus et hominibus civitatis Parme, habentibus equos vel equas,
et duobus milibus peditum de ultra Tarone et de districtu porte Nove et porte de Parma
iverunt Placentiam, et ibi steterunt ad custodiam domni Alberti et civitatis, donec exercitus
predictus duravit. Nulus tamen tempore exercitus exivit Placentiam, et sicut exercitus
predictus discesit, et predicti de Parma sani et salvi redierunt Parmam. Preterea Alexandrini Terdonenses et Astenses similiter fuerunt Placentie in eius auxilium et dicti domni
Alberti Scoti, et etiam domnus Galeaz filius domni Maphei Vicecomitis, capitanei olim
Mediolani; ipse vero domnus Mapheus nesciebatur ubi esset. Nulum tamen prelium in
predictis fuit cuius memoria sit habenda. Domnus Albertus Scotus quedam castra et forticias accepit Papiensibus et quedam dimisit et quedam detinuit. Item eodem tempore
guerra et prelia magna fuerunt inter civitatem Veneciarum et civitatem Padue occasione
puteorum salis et quarumdam forticiarum, que fiebant per Paduanos, et que Veneciani[a]
26 dicebant Paduanos non posse facere; in quibus locis prope Clozam[26] hedificata et constructa fuit quedam terra per Paduanos in hodium Venecianorum, que terra vocata est
Ianua parva. Item eodem anno et tempore in marchia Anconitana et in provincia Romandiole maxime guerre et discordie fuerunt et prelia magna et tumultus quasi per singula
loca. Item eo anno et tempore pars illorum de Soardis et de Coionibus de Pergamo
expulsa fuit de civitate Pergami, et illi de Bonghis et Rivolla dominati fuerunt in dicta
civitate. Item eo anno et tempore domnus papa, volens providere super pacibus
faciendis in civitatibus Florentie et Pistorii et aliis terris de Tuscana, missit ad ipsas partes
Tuscie quendam cardinalem fratrem Predicatorum, nomine domnum Nicolaum[27], pro legato.
Qui legatus fecit ipsas paces. Sed parum duraverunt, ita quod in brevi tempore prelium
maximum fuit in civitate Pistorii et in civitate Florencie et in Prato. Tandem domnus
Cursius Donati com suis et eius pars obtinuit in civitate Florencie et in Prato, sed in
Pistoria non. In quo prelio civitas Florencie, quasi bene per dimidiam civitatem in carioribus

a) venecia c.

22) Iohannes I. 23) Castel S. Giovanni a Placentia ad occidentem. 24) Fontana pradosa. 25) Monticelli d'Ongina a Cremona inter meridiem et occidentem. 26) Chioggia. 27) ep. Spoletanum (1299–1303), II. ep. Ostiensem (1303–1321).

et meillioribus domibus et burgis civitatis Florencie combusta fuit, et domus capitanei 1304.
communis, et contrata[28], que vocabatur Calamala, com omnibus fondeghis[29] et merca- Iun. 10.
tionibus et drapariis[30] et aliis mercadandiis et rebus hominum civitatis Florencie. Et dictus
domnus legatus fere evasit et afugit com familia sua, et multi ex utraque parte mortui
sunt. Item eo tempore domnus archiepiscopus Ravene[31] recuperavit per forciam terram
de Arzente[32], quam sibi per forciam tenebat domnus Azo marchio Exstensis. Item eo
tempore de mense Maii iurata fuit pax inter domnum papam et domnum regem Francie Mai.
de discordia, que fuerat inter domnum papam proximum precedentem et ipsum domnum
regem Francie; et ita restitutus fuit rex Francie ad amorem domni pape et sancte ecclesie.
Item eodem tempore domus fratrum de Claravale, que erant in burgo Plazole, date fuerunt
per domnum papam fratribus Predicatoribus de Parma per contracambium domus pontis
Taronis de strata Claudia; com omnibus suis iuribus et possessionibus data fuit per psum
papam dictis fratribus de Claravale; quod valde displicuit communi Parme. Item eodem
anno unus illorum de la Porta acusatus fuit ab uno scripto in libro societatis ex forma
statutorum loquencium circa potentes, et iurata fuit accusa. Propter quod mille deputati
ad talia guasta facienda, et magistri murorum et lignaminis iverunt com potestate et capi-
tibus societatum et anzianis misteriorum ad guastum dictum dicti de Porta in terra de
Casalibarbato[33]. Item eodem anno domnus Unbertus quondam domni Guarnerii de
Castello sive de Cortona, qui iam fuerat potestas et capitaneus civit tis Parme, iterato fuit
potestas Parme post Sanctum Petrum ellectus per sex menses; et qui, licet esset ellectus
ad regimen post Sanctum Petrum, incepit eius regimen die Martis 23. mensis Iunii, quia Iun. 23.
supradictus predecesor eius potestas licenciatus discessit a regimine civitatis Parme ipsa
die, ita quod ipse domnus Umbertus rexit pro complemento temporis ipsius predecessoris.
Item eodem anno domnus Benedictus papa predictus obiit in civitate Peruxii. Item Iul. 7.
eodem anno in civitate Placentie magne novitates fuerunt, et multi ex maioribus civitatis
eiusdem voluerunt deponere domnum Albertum Scotum, et cucurerunt com armis et equis
ad plateam, cridantes: *Pax, pax;* tandem substenere non potuerunt. Dictus vero domnus
Albertus Scotus, et potestas et capitaneus eiusdem civitatis, com suis soldatis viriliter
obsisterunt et obtinuerunt. In quo rumore duo ex domo Confalonorum dicte civitatis, qui
fuerant ex inceptoribus dicti rumoris contra ipsum domnum Albertum, fuerunt mortui; et
multi baniti et confinati. Et tota forestaria civitatis Parme eqitavit in continenti Placenciam
in sucursum dicti domni Alberti Scoti. Item eodem tempore de mense Septembris Sept.
domnus Vesconte Pellavicinus revellavit se et Castrum-Pelegrini[34] et rocham de Bardi[35]
et turem de Belvidere contra dictum domnum Albertum Scotum et civitatem Placencie;
propter quod domnus Francischus filius dicti domni Alberti com militibus et populo Pla-
cencie iverunt in exercitum contra dictum domnum Vesconte ad dictum Castrum Pelegrini.
In cuius sucursum domnus Ghibertus de Corigia defensor predictus et commune Parme
missit in dictum exercitum domnum Nicolaum de Foliano cognatum suum pro capitaneo exer-
citus com toto populo de ultra Tarone et alio multo alterius districtus Parme et com duabus
ex masnatis soldatorum equestrium, et steterunt ibi per 15 dies et plus, et nichil fecerunt.
Quadam vero die in dicto exercitu ad quoddam azagamentum[36], quod soldati hinc inde
faciebant[a], domnus Cazanus, frater bastardus dicti domni Vescontis, interfectus fuit. Et
eciam turis de Belvedere, que munita fuerat per dictum Vicecomitem, per Placentinos
capta fuit et destructa. Item eo anno de dicto mense Septembris, die 22. dicti mensis Sept. 22.
in hora medie noctis, schilis[37] seu matutinis fratrum, maximus terre motus fuit in civitate
et episcopatu Parme et alibi per Lombardiam et ultra, ita quod palam auditus et sentitus
fuit, et eciam vissus per homines qui vigilabant. Item eodem tempore et mense, post
dictum terre motum per aliquos dies domnus Guido de Ture com suis militibus de Medio-
lano, domnus comes Philiponus com suis militibus de Papia, domnus Anthonius de

a) faciebat c.

28) via. 29) tabernis pannariis. 30) sericis. 31) Rainaldus (1296—1303), antea ep. Vicentinus (1296—1303). 32) Argenta cf supra p. 663, n. 16. 33) Casal Barbato a Burgo S. Domnini ad orientem. 34) Castello di Pellegrino (prope locum Pellegrino) in sinistra Stironis fluv. ripa, a Placentia inter meridiem et orientem. 35) Bardi in sinistra Ceni fluv. ripa, a Placentia ad meridiem. 36) conatum, Ital. *assaggiamento*. 37) cum campanae matutinae pulsarentur. Campanam matutinam enim Itali *squilla* vocant.

1304. Sept. Fusiragho com Laudensibus Vercelensibus Pergamensibus et alii de ligha sua, secreto tratatu prehabito, una die se congregaverunt in civitate Cremone, et sic subito, quod per populum et alios bonos homines dicte civitatis nichil scitum fuit, nisi quando vissi sunt in Cremona, et bene dictum est: octo centum boni milites et ultra. Et in continenti ipsa die vel sequenti, asque eo quod difidarent commune Placencie nec quod per ipsum commune aliquid presciretur, predicti superius nominati com Cremonensibus amicis eorum equitaverunt super districtum Placentie, et fuerunt usque ad portas Placencie, comburentes guastantes et robantes totum districtum Placencie ab illo latere; et sine numero fuit preda bestiarum et rerum quam fecerunt, quia Placentini non se custodiebant a predictis, et totus erat plenus districtus Placencie ab illo latere. Propter que nova potestas Parme et domnus Matheus de Corigia com tota militia civitatis Parme equitaverunt usque ad Burgum sancti Donini, et domnus Nicolaus de Foliano cum maiori parte soldatorum equitum civitatis Parme equitavit et fuit usque Florenzolam, et ibi steterunt donec predicti de Cremona et alii dicte sue lighe superius nominati ad propria redierunt. Item eodem tempore Soardi 38 de Pergamo et alii extrinseci dicte civitatis intraverunt castrum Martinenghi[38], ad quod castrum Pergamenses intrinseci com Mediolanensibus Laudensibus Papiensibus Cremonensibus et aliis ex dicta sua ligha fecerunt exercitum, et obsiderunt ipsum castrum et ibi per magnum tempus steterunt, sed nichil fecerunt in dampnum dicti castri. Item eodem tempore in Tuscana multe novitates fuerunt. Et extrinseci Florentie quadam die com Bononiensibus, volentes intrare Florenciam per forciam, fuerunt ibi usque ad portam Sancti Laurentii; tandem nichil facere potuerunt, quia intrinseci Florentini se viriliter defenderunt et expulerunt predictos, ita quod multi ex ipsis remanserunt ibi mortui. Item eodem tempore concordia facta fuit inter Venecias et Paduanos de predicta discordia, de qua supra fit mentio, que erat inter eos. Item eodem anno predictus domnus Symon de Casalialto de Mantua fuit iterato capitaneus populi Parme per alios sex menses. Item Nov. eodem anno de mense Novembri comes Philiponus de Papia com militibus Papie et com soldatis dicte lighe, scilicet Mediolanensibus Cremonensibus Pergamensibus Laudensibus Vercelensibus et Novariensibus et aliis eorum sociis et cum gente marchionis Montisferati et com Placentinis exstrinsecis, et domnus Vesconte Pelavicinus com eis, in exercitum venerunt contra domnum Albertum Scotum et civitatem Placencie, et ceperunt Bobium[39] 40 et Rivalgarium[40] districtus Placencie. Placentini vero existentes in civitate Placencie omnes pro maiori parte volverunt se contra dictum domnum Albertum Scotum eorum dominum, volentes eum deponere de dominio suo. Unde domnus Ghibertus de Corigia defensor predictus com tota milicia Parme et com omnibus soldatis equitibus et peditibus communis Parme et com duobus milibus hominum civitatis Parme equitavit Placenciam in sucursum civitatis communis et mercatorum Placencie et dicti domni Alberti, ad prohibendum, ne predicti eorum inimici de dicta ligha per forciam intrarent Placenciam et ne robarie ibi fierent. Qui domnus Ghibertus et Parmenses, videntes voluntatem Placentinorum, quod omnino volebant deponere dictum domnum Albertum Scotum, ipsum domnum Albertum exire fecit Placenciam com uno ex filiis et aliis quibusdam de domo sua et fecit eos venire Parmam, ubi recepti fuerunt. Et sic depositus fuit dictus domnus Albertus Scotus. Dictus vero domnus Ghibertus com suis remansit per aliquot dies, dimiso ibi pro rectore seu potestate civitatis et communis Placencie domno Conrado de Corigia barbano[41] suo, et iudicibus de Parma; et qui domnus Ghibertus ad vocem quorundam de Placencia et hominum quos secum habebat, vocaverunt et fecerunt ipsum dominum dicte civitatis per 5 annos. Quod valde displicuit populo Placencie, quia dicebant, se nolle expulise unum dominum pro aquirendo alium de novo; et continuo cucurerunt ad arma, cridantes universi de Placencia: *Populus, populus.* Et sic dictus domnus Ghibertus com milicia, quam secum habebat, de ipsa civitate reccessit quam cicius potuit, dimissis ibi peditibus quos secum duxerat com maximo tremore. Sed volente Deo nichil mali passi sunt dicti pedites de Parma. Et publice dicebatur, quod dictus domnus Ghibertus extrasserat dictum domnum Albertum de dominio suo et de civitate causa habendi dictum dominium, quod minime habuit, sed ipsam civitatem omnino dimisit in malo esse. Omnes vero Placentini

38) Martinengo in sinistra Serii fluv. ripa, a Pergamo inter meridiem et orientem. 39) Bobbio a Placentia inter meridiem et occidentem. 40) Rivergaro in dextera Trebiae fluv. ripa, a Placentia inter meridiem et occidentem. 41) patruo.

qui erant extra, sive baniti sive confinati aliqua occasione, redierunt Placenciam; et can- [1304. Nov.] zelati omnes fuerunt de eorum bannis et confinibus. Dictus vero domnus Albertus com uno ex filiis suis, scilicet domno Francischo, cui iam diu dederat dominium civitatis Placencie et qua occasione alii eius filii odebant eum, et quidam eius gener nomine domnus Petrus Manchasola venerunt Parmam, et hospitati fuerunt ad monasterium sancti Iohannis, ubi steterunt per aliquot dies; postea recesserunt, sed non redierunt Placentiam. Alii vero filii dicti domni Alberti iverunt Zavatarellum[42], et tandem exierunt de Zavatarello et iverunt pro factis suis. Et post paucos dies dictus domnus Albertus Scotus et filii et dictus domnus Petrus Manchasola et sui amici baniti fuerunt de civitate Placencie, et domus eorum fonditus destructe sunt, et multi alii cives de Placencia, qui dicebantur amici dicti domni Alberti, confinati fuerunt.

In 1305. indictione 3. domnus Thebaldus de Zazonibus de Sancto Miniato fuit potestas [1305.] Parme ellectus per sex menses. Qui incepit regere ante Kalendas Ianuarii per duos dies, [1304. Dec. 30.] quia predecesor eius licenciatus disceserat. Qua die penultima Decembris et pleno et magno consilio communis et populi Parme per syndicos legiptimos communis Cremone et Parme iurata fuit ligha et fraternitas inter commune Parme et commune Cremone et alia communia civitatum Lombardie, existentes in liga et societate com commune Cremone, videlicet Mediolanense Cremonense Pergamense Laudense Cremense Cumense Vercelense Novariense et Papiense. Item eodem anno domnus Aczo marchio Exstensis et dominus [1305.] Ferarie Mutine et Regii fecit parentelam com domno rege Karolo[43] rege Apulie, et acepit quandam suam filiam[44] in uxorem. Et duo ambaxatores de maioribus civitatis Parme ive- [Apr.] runt obviam dicte domne ex parte communis Parme usque ad Senam, et cum domna fuit Mutine, multi milites et domicelli de Parma iverunt illuc ad bagordandum[a], et multe robe donate fuerunt per illos de Parma tam per domnum defensorem quam per alios ad ipsam curiam in Feraria. Item eo anno domnus Nicolinus de Doxino de Cremona fuit capitaneus populi Parme, inicium cuius fuit in Kalendis Aprilis, et rexit per 7 menses dictam capitaneriam. Item eodem anno domni cardinales cum essent in civitate Peruxii pro papa faciendo et se concordare non possent, reclusi et detenti fuerunt per populum Peruxii et custoditi per familiam potestatis, et steterunt ibi per magnum tempus. Et tandem ellegerunt in sommum pontificem domnum Beltramem archiepiscopum Bordelle[45], qui [Iun. 5.] vocatus fuit domnus Clemens papa V. Item eodem millesimo et anno domnus Iacobus de Landriano de Mediolano fuit potestas Parme ad Sanctum Petrum ellectus per sex [Iun 29.] menses. Item eodem tempore de mense Augusti in festo sancti Dominici cum dice- [Aug. 5.] retur Parme, quod domni de Rubeis faciebant guarnimenta Segalarie[46], domnus Ghibertus de Corigia defensor predictus missit illuc quendam suum famulum, nomine Zanardum, ad sciendum si erat verum de dictis guarnimentis. Qui com iviset et rediret, quidam bastardus dictorum de Rubeis, cui iam dictus Zanardus offenderat in via subtus Seghalarie, insidiatus est ei, et interfecit ipsum Zanardum, et sic interfectus aportatus fuit Parmam. Et in continenti ipsa die cursum fuit ad domos dictorum domnorum de Rubeis per Bafolinum de Bafolis et alios de populo Parme et impositus fuit ignis in ipsas. Die vero sequenti, scilicet die Veneris 6. dicti mensis Augusti quo die est festum sancti Systi, cursum [Aug. 6.] est ad arma in pluribus partibus civitatis Parme, videlicet pars antiqua, que dicebatur ecclesie, com parte seu partibus dictis imperii et episcopi; et tandem illi de dicta parte ecclesie, qui ad arma curerant, sustinere non potuerunt. Propter quod baniti fuerunt, tamquam subvertentes statum civitatis, domnus Guillielminus et Ugholinus de Rubeis com filiis omnibus naturalibus et aliis et Iacobus condam domni Gerardi de Rubeis et domni Bonifacius et Rolandinus fratres de Lupis et Lupus filius domni Gerardi Lupi, Bonacursius de Rogleriis et multi alii de ipsis et de aliis suis sequacibus; et domus eorum de civitate pro communi vendite fuerunt, et dirupte fonditus per emptores earum[b]; et forte 50 de populo Parmensi de parte ecclesie confinati fuerunt. Propter quas novitates pars imperii et episcopi visse sunt in altum extollere vocem suam et pars antiqua ecclesie multum vissa est deteriorare condicionem suam; et multi de parte imperii, qui ab antiquo erant baniti

a) ad bagordandum *scripsi pro* abagordandum *c.* b) eorum *c.*

42) Zavatarello a Bobio inter occidentem et septemtriones. 43) II. rege Neapolitano. 44) Beatricem. 45) Burdigalensem. 46) Segalara a Parma et Collecchio inter meridiem et occidentem.

1305. pro ipsa parte, redierunt Parmam et restituti sunt et sua bona, et exstrati de banis suis per
Aug. domnum defensorem et commune Parme; de quo aliqui doluerunt et aliqui sunt gavisi.
Item post predicta de dicto mense Augusti et propter predicta dictus domnus potestas
Parme com militibus et soldatis omnibus equitibus et peditibus et com populo universo
porte de Parma et porte Benedicte, iverunt Colliculum et Segalariam et ad Nuvianum
47 Rubeorum[47] hostiliter, et indiferenter ruyne et incendio posuerunt omnes domos et palacia
et forticias et possessiones dictorum domnorum de Rubeis in Colliculo, in Segalaria et
Nuviano et aliis eorum terris de dicta contrata. Ad quem exercitum domnus Aczo marchio
Exstensis missit in sucursum communis Parme et dicti domni defensoris quinquaginta
milites ad duos equos de suis soldatis; quorum capitaneus erat comes de Sartiana. Item
eodem tempore quatuor cardinales, dum irent in Franciam seu in Provinciam ad dictum
domnum papam, quem de novo ellegerant, fuerunt Parme; duo quorum hospitati fuerunt
ad monasterium sancti Iohannis et alii duo ad episcopatum. Unus quorum[48] ibi in ipso
episcopatu obiit, et officio facto ad ecclesiam maiorem eidem, postea portatus fuit ad
monasterium Cistersiensium[49], de quo ordine erat. Item eodem tempore quidam de
civitate Parme, inter quos fuit domnus Gerardus de Henzola miles et Paulus Ruffa notarius,
qui multum honorabantur a domno defensore, trataverunt ipsum domnum defensorem de-
ponere com multis aliis, quorum nomina[a] ingnota fuerunt. Qui domnus Gerardus et Paulus
capti fuerunt et positi in Camusinam communis in carcerem. Et domnus Aczo marchio
Estensis tenebat manus in dicto tratatu. Unde domnus Ghibertus defensor in continenti
tratavit cum Bononiensibus Mantuanis et Veronensibus et com extrinsecis Mutinensibus et
Reginis et eciam com quibusdam[b] intrinsecis Mutine et Regii, accipere Mutinam et Regium
ipsi domno marchioni. Et factum fuit dictus tratatus secrete, quod una die de mense
Oct. Octubris domnus Ghibertus com militibus et soldatis de Parma et com certa quantitate
peditum fuerunt usque ad muros civitatis Regii, et multi fuerunt com scalis ad ipsos muros
causa accipiendi Regium. Nichil tamen tunc facere potuerunt in capiendo civitatem; sed
portam burgii que dicebatur Sancti Geminiani et turem episcopi per forciam ceperunt, et
in ipso burgo de Sancta Caterina fuerunt, et nulum dampnum ibi fecerunt alicui, nec in
50 Mutelena[50] nec alibi; portam vero predictam destruserunt et turem episcopi munierunt
com custodibus et reddierunt Parmam. Bononienses vero ipsa et eadem die venerunt a suo
latere versus Mutinam et ceperunt per forciam pontem sancti Ambroxii et domum Man-
sionis, que ibi era prope, quam domum com forticia et ture fonditus diruerunt; et etiam
usque ad burgum medium Mutine fuerunt, capientes portam exstrinsecam burgii et po-
nentes igni et guasto omnia usque ad medium dicti burgii. Et iverunt et posuerunt se in
obsidionem Nonantule et villam et burgum ceperunt; monasterium vero com fortia sua
non potuerunt habere propter tempus hyemale. Mantuani vero et Veronenses ipsa die a
latere de subtus equitaverunt usque Razolum[51] ad prohibendum venire Cremonenses in
auxilium dicti domni marchionis. Item etiam de dicto mense Octubris iterato domnus
Ghibertus com militibus et soldatis Parme et com populo Sancte Christine et porte Nove,
com duobus milibus hominibus porte de Parma et porte Benedicte equitavit seu equita-
verunt et castra metati sunt ad Casamdei, Calernum et Gaydam[52], proponentes se nomquam
movere, donec haberent Regium, et equitantes omni die usque ad civitatem, et intrantes
burghos circumquaque, nulum dampnum alicui inferentes. Sed tempus, yhems et pluvia,
non permisit, et sic steterunt ibi per 15 dies, et redierunt Parmam. Item postea milites
et soldati marchionis venerunt in episcopatum Parme et fuerunt usque ad Sanctam Eula-
liam, et multas domos dicte contrate et de vila Coghorucii igni suposuerunt. Item eodem
anno domnus Amicinus de Ponzonibus de Cremona fuit capitaneus populi Parme ellectus
Nov. 1. per sex menses, initium cuius fuit in Calendis Novembris. Item eodem anno de mense
Dec. Decembri Rubei et Lupi et Scorte, baniti et rebelles communis Parme com suis sequacibus
intraverunt castrum Soranee[53] et ipsum locum occupaverunt et posuerunt in rebellione

a) nomina *deest cod.* b) quibus *c.*

47) Neviano de' Rossi a Fornovo inter orientem et meridiem. 48) Robertus pr. card. S. Pudentianae tit. Pastoris, abbas Pontiniacensis et Cisterciensis. V. Iongelinus Purpura divi Bernardi (Coloniae 1644.) p. 38. 49) Citeaux. 50) Modolena prope Regium, inter occidentem et septemtriones. 51) Reggiolo v. supra p. 706, n. 28. 52) Gaida a Regio inter occidentem et septemtriones. 53) Soragna, v. supra p. 680, n. 42.

communis Parme. Quo scito in civitate, in continenti dictus potestas et domnus Ghibertus [1305. Dec.] defensor com omnibus soldatis equitibus et peditibus et com omnibus militibus communis Parme et com populo universo porte de Parma et porte Benedicte equitaverunt et obsciderunt dictum locum Soranee. In quo obscedio steterunt per 22 dies et plures; fecerunt ibi in dicto obscedio vigiliam et festum nativitatis Domini et diem sancti Stephani. Die vero [Dec. 24. 25. 26.] sancti Johannis reddierunt omnes — habito prius loco predicto ad pactum, salvis personis [Dec. 27.] et rebus eorum in ipso loco — per Dei gratiam sani et salvi. Item eodem tempore dicti exercitus, maiores predictorum domnorum de Rubeis et de Lupis iverunt ad[a] componendum se com domno Aczone marchione Exstense, et qui ante fuerant inimici et se cum eo concordati sunt. Qui marchio eos recepit in civitate Regii, et ad eorum instantiam plures soldatos equitari fecit de suis super districtum Parme, et maxime in contratis dicti domni Ghiberti, ponentes multas domos incendio, ut facerent discedere dictum exercitum a dicto obscedio, set nichil ei profuit; qui exercitus nomquam se divisit propter aliqua nova, donec locus primo habitus fuit, ut supra continetur. Item eodem tempore prefatus domnus Clemens papa V. restituit domnos Petrum et Iacobum de Columpna olim cardinales, quos cardinalata privaverat et excommunicaverat supradictus domnus Bonifacius papa, ad ipsum officium et dignitatem cardinalatus et ipsos absolvit et ad amorem suum et Romanae ecclesie in omnibus restituit et reduxit.

In nomine Domini 1306. indictione 4, domnus Iacobus de Landriano de Mediolano [1306.] predictus iterato fuit potestas Parme ad annum novum, ellectus per sex menses. Eodem tempore de mense Ianuarii domnus Ghibertus de Corigia defensor predictus intendens, et [Ian.] non desinens, deponere predictum domnum Azonem marchionem Exstensem de civitate Mutine et Regii, accepit et habuit in sui — domni Ghiberti — dominio et forcia terras multas loca et castra districtus Mutine et Regii, inter que fuerunt Canole[54], Gavazetum[55], [54] Carpum[56], Budrionum[57]. Et tandem in dicto mense Ianuarii, die 26. et 27. dicti mensis [Ian. 26. 27.] Ianuarii, primo de civitate Mutine et secundaria de civitate Regii, Vicecomites potestas et soldati omnes, qui erant in Mutine et in Regio, pro dicto domno marchione com suis familiis per forciam expulsi fuerunt de ipsis civitatibus et districtibus et derobati et plures vulnerati et interfecti. Et in continenti dictus domnus Ghibertus com potestate predicto et com soldatis et militibus communis et populi Parme iverunt Regium et intraverunt Regium et ibi steterunt plures dies. Et quidam Regini, invidentes de dicto domno Ghiberto et nisi cogitare malum contra ipsum, cum[b] domnus capitaneus populi et milites Bononie Regium venisent, cucurerunt ad arma. Quare ipse domnus Ghibertus com suis cepit plateam et domos communis Regii, et in ipso cursu plures Regini mortui fuerunt; et reversis capitaneo et militibus Bononiensibus domum et sedato rumore, domnus Ghibertus ibi remansit et dimixit civitatem in communi et in pace. Verumtamen domni de[c] Canusio in continenti exiverunt Regium et non fuerunt amplius ausi ibi stare; imo iverunt ad castra sua districtus Regii, videlicet ad Zesum[58] eorum castrum et ad alia castra monasterii de Canusio[59]. Re- [58] gini vero ellegerunt in suum potestatem per sex menses domnum Matheum de Corigia, fratrem dicti domni Ghiberti, qui illuc ivit com familia et stetit ad ipsum regimen; et dictus domnus Ghibertus restituit communi Regii turem episcopi et Budrionum et quiquid astulerat, propria voluntate. Mantuani vero et Veronenses venerunt ad castrum Razoli et ipsum acceperunt per forciam et munierunt suis custodibus, et ipsum tenuerunt et adhuc tenent contra voluntatem Reginorum, et tenere intendunt a modo in sempiternum, licet Regini doleant usque ad interiora. Item eodem tempore domnus Ghibertus de Corigia predictus dedit filiam suam[60] in uxorem domno Alboino de la Scala domino Verone, et que domina desponsata fuerat a Iacobino filio domni Guillielmini Rubei; item dedit aliam quandam suam filiam in uxorem Francischo filio domni Pasarini de Bonacosiis de Mantua; item dedit quandam suam neptem, filiam Nicolay de Foiano de Regio, domno Baylardino de Roncarolo de Verona. Que omnes tres domine simul et una die de dicto mense Ianuarii [Ian.] com magno trihumffo equitaverunt et iverunt ad maritum, asociate a pluribus et a maioribus

a) a *cod.* b) cum *addidi.* c) de *deest cod.*

54) Canali a Regio ad meridiem. 55) Gavassetto a Regio inter meridiem et orientem. 56) Carpi a Mutina ad septemtriones. 57) Budrione a Mutina et Carpi ad septemtriones. 58) a Canossa inter orientem et septemtriones reperimus montem *del Gesso.* 59) Canossa. 60) Beatricem. V. Affò St. di Parma IV, 143.

1306. Ian. civitatis Parme; et exiverunt per portam de Sancto Bernabeo et iverunt per Colurnium et de Casali-Maiore, quia per aliam viam ire non potuerunt: marchio Exstensis adhuc tenebat Regium et Mutinam. Sed in reditu illi, qui asociaverant, expulso ut dictum est dicto domno marchione, bene redierunt per viam de Razolo et de Regio. De quibus parentelis illi de parte imperii plurimum sunt gavisi, et contrario pars ecclesie. Item eodem tempore et mense Ianuarii per 13 dies continuos fuit arduum et inmensum frigus, magis quam aliquis recordaretur, ita quod flumina omnia vales fovee omnes indiferenter et in omnibus partibus Lombardie congelaverunt, et flumen Paudi in pluribus partibus congelavit seu congelatum fuit taliter, quod super glaciem multe persone transiverunt ipsum, Febr. et naves vix[a] transire poterant. Item eodem anno de mense Februarii societas et ligha iurata fuit inter civitates et communia Parme Bononie Mutine Regii Mantue Verone et Brixie, et hoc fuit in civitate Bononie per syndicos generales cuiuslibet ipsarum civitatum; et per commune Bononie et alia predicta firmatum fuit facere guerram ipsi domno marchioni Exstensi, et expellere eum de Feraria. Item eodem anno et mense Februarii Bononienses cucurerunt ad arma inter se sub voce partis Guelfe et partis Ghebeline, existente ibi in civitate Bononie potestate domno Symone Ferapecora de Parma pro domno Ghiberto de Corigia predicto, cui direxerant ipsum regimen, et existente capitaneo populi Bononie domno Lamberto de Lambertis de exstrinsecis antiquis Ferarie. Et in ipso rumore duo magni, qui dicebantur partis Guelfe, capti et detenti fuerunt et carcerati; et non inventi culpabiles, asoluti et dimisi. Quare in continenti populus et milites et gens tota de 61 Bononia indiferenter parvi et magni, dimissis armis, fuerunt ad[b] balandum[61], bagordandum et cetera omnia gaudia faciendum. Item eodem tempore et post predicta per octo dies iterato predicti Bononienses fuerunt ad arma et transierunt ad plateam, et facta voce: *Moriantur Ghibelini, moriantur Ghibelini; vivant, vivant Guelfi!* interfecerunt plures, qui dicebantur esse Ghibelini seu favere Ghibelinis, et ubique per totam civitatem et districtum Bononie omnes Ghibelini et faventes eis mortui et derobati et expulsi fuerunt. Similiter dictus domnus Lambertus eorum capitaneus com tota sua familia expulsus turpiter fuit, et vi evasit a latere potestatis, quia ipse capitaneus dicebatur esse Ghibelinus; et domus predictorum derocate fuerunt ubique. Inter quos fuit expulsus domnus Dinadanus de Symonpizolis. Domnus Bonnicontrus de Hospitali, domnus Iacobus de Agnano, domnus Romeus de Pepulis et domnus Bornius Samaritanus fuerunt capti detenti et carcerati; postmodum com magno gaudio fuerunt predicti Romeus et Bornius de dictis carceribus relaxati. Dictus vero domnus Symon Ferapecora potestas, relicto regimine, rediit Parmam; quem Bononienses predicti amore predicti domni Ghiberti et communis Parme libenter eum tenuisent, sed nulo modo voluit ibi amplius remanere. De quibus novitatibus pars ecclesie est gavisa, et e contrario pars imperii. Et illi de Panicho fuerunt baniti de civitate Apr. 10. Bononie. Item eodem tempore de mense Aprilis, 10. die dicti mensis civitas Pistorii, que diu et longho tempore obsessa fuerat a Lucanis et Florentinis, non valens se plus tenere propter predictos expulsos de Bononia qui erant sui amici, et quia ipsa civitas Bononie, que ante defendebat et aiuvabat ipsam civitatem Pistorii, non dabat ei auxilium vel sucursum, ymmo contrarium, se in totum dedit et reddidit Florentinis et Lucanis. Qui Florentini et Lucani intrantes destruserunt muros et forticias et palatii civitatis Pistorii, et tenuerunt ipsam, et diviserunt inter se: mediam Florentinis et mediam Lucanis. De quibus novitatibus pars ecclesie gavisa fuit, et contrario pars imperii. Item eodem tempore domnus Napoleo de Ursinis cardinalis, factus legatus a Mediolano citra usque in Apuleam, Apr. 2. 3. venit Parmam in die sabati sancti, et fecit pascha in Parma et hospitatus fuit ad episco-Apr. 4. patum, et mane equitavit. Item eo tempore dictus domnus legatus ivit Bononiam, et stando ibi cum non placeret, Bononienses subito irruerunt ad domum episcopatus, ubi erat, com armis. Qui afugit Ymolam et qui postea exscommunicavit Bononienses et privavit eos studio et scolaribus et honore et dignitate civitatis et rectorum, et divisit episcopatum Bononie, dando medium communi Mutine et medium communi Ymole. Item eodem tempore Bononienses sponte et voluntarie reddiderunt pontem Sancti Ambroxii Mutinensibus, et desinerunt facere castrum et forticiam, quam ibi inceperant. Item eodem anno domnus Franciscus de Angusolis de Placentia fuit capitaneus populi Parme

a) vin *cod* b) a *cod.*

61) saltandum.

ellectus per sex menses. Item eo tempore pars ecclesie de Burgo-Valis-Taronis[62] ex- 1306. pulit partem imperii; unde Placentini illuc equitaverunt et posuerunt se in obsedio loci, et commune Parme missit ad ipsum exercitum in sucursum Placentinorum homines de ultra Tarone, et tandem ad concordiam pervenerunt. Item eodem anno de mense Iulii Symon, Iul. filius dicti domni Ghiberti de Corigia, duxit in uxorem filiam domni Maphei de Madiis de Brixia, neptem domni episcopi Brixie[63] et domini civitatis eiusdem, que domina vocabatur domna Canzeleria. Item eodem anno domnus comes Bernardinus de Conio de Faventia sive de Ravena, fuit potestas Parme ellectus per sex menses, quorum principium esse dicebant[a] in Kalendis Iulii, sed ressit per 13 dies ultimos mensis Iunii, quia potestas predictus domnus Iacobus de Landriano licentiatus recessit et ivit ad regimen civitatis Laudi, de qua vocatus fuit in potestatem. Item eodem tempore de mense Iulii Veronenses et Mantuani equitaverunt hostiliter, populus et milites, contra dictum domnum marchionem Exstensem. Ad quem exercitum domnus Ghibertus de Corigia misit 200 milites inter milites communis et soldatos et socium potestatis com tubatoribus communis. Qui iverunt usque prope Ferariam, ponentes omnia incendio et ruine, et fuerunt sic prope Ferariam, quod tube communis Parme leviter audite fuerunt in Feraria. Et marchio aliqua vice non exivit civitatem nec aliquem ex suis exire permixit. Item eodem tempore de mense Octubris Placentini extrinseci domni Alberti Scoti, olim domini Placentie, intraverunt Oct. castrum Vigholeni[64] contra civitatem Placentie. Unde in continenti Placentini hostiliter obsiderunt locum, habentes a communi Parme 200 soldatos equites et totidem pedites et homines de ultra Tarone; et tandem habuerunt ipsum locum ad pacta et postea ipsum destruserunt. Item eodem anno commune Bononie fecit pacem et concordiam et ligham com domno Aczone marchione Exstense, et miserunt una com Florentinis et Lucanis magnam gentem Ferariam in sucursum dicti domni marchionis. Item eodem anno de mense Octubris Veronenses et Mantuani iterato hostiliter iverunt ad castrum Braghentini[65] districtus Ferarie et ipsum obscederunt et tandem habuerunt locum salvis personis loci. Item eo anno, die 23. Octubris dictus domnus comes Bernardinus de Conio potestas Parme li- Oct. 23. centiatus fuit et discesit a regimine civitatis Parme et ivit Brixiam pro potestate, ad quod regimen electus fuerat. Item eodem anno de mense Octubris domnus Tadeus, filius condam domni Azonis de Manfredis, de Regio ellectus fuit potestas Parme; et venit in continenti Parmam die 27. Octubris dicti mensis et iuravit in publica contione, more solito facta, Oct. 27. facere regimen civitatis Parme usque ad Kalendas mensis Maii proxime venturi, et incepit regere dicta die. Item eo anno pontes de Coparmulis et de Cohentio super flumen Parme et flumen Hentie con bitifredis et catenis fereis ordinati sunt fieri per commune Parme, et facti et completi inter tures communis, que sunt in dictis locis[66]. Item eodem anno fratres, qui dicuntur Servi beate Marie[67], primo venerunt ad standum in civitate Parme. Et habuerunt locum et ecclesiam fratrum, qui dicebantur fratres de Sachis[68], in porta Sancte Christine, in contrata de Pescaria, in vicinia Sancti Iohannis; et ibi primo habitaverunt et steterunt, et locum domum et ecclesiam successis temporibus aumentaverunt.

In nomine Domini 1307. ad annum novum dictus domnus Tadeus erat potestas Parme, 1307. ut predicitur, et qui potestas rexit pro capitaneo populi usque ad aventum sequentis capitanei. Eo anno et tempore, cum per commune Parme capitaneus[b] populi non haberetur[c], missum fuit ex parte communis Parme ad commune et populum civitatis Luce, quod ipsum commune Lucanum mitteret Parmam unum capitaneum, quem vellent, de Luca; et sic Lucani miserunt domnum Landum de Salamoncellis de Luca Parmam pro capitaneo populi. Qui dictus Landus ionsit[69] Parmam die Martis 7. intrante Februario, quo die erat Febr. 7 carniplavium; et ipsa die iuravit et incepit dictum regimen capitanerie populi Parme usque ad sex menses proximos venturos. Item eodem anno de mense Martii in civitate Mutine Mart. — que semper fuit in hiis partibus Lombardie exordium motionum, novitatum et origo ex antiquis odiis parcium, scilicet Guelfe et Ghibeline — nova pace novoque statu pacifico civitatis eiusdem orto propter expulsionem dicti domni Aczonis marchionis Exstensis de

a) dicebat *cod.* b) capitaneum *cod.* c) haberet *cod.*

62) Borgotaro a Pontremoli inter septemtrionem et occidentem. 63) Berardi Madii, 1275—1308. 64) Vigoleno ad Stironem fl., a Burgo S. Domnini inter meridiem et occidentem. 65) Bergantino in sinistra Padi ripa, a Ferraria inter occidentem et septemtriones. 66) Cf. ad 1284. supra p. 696. 67) s. Servitae. 68) s. Saccati. 69) pervenit, Ital. *giunse*.

1307. ipsa civitate turbato, multe novitates fuerunt. Nam Mutinenses, non valentes simul quiescere, se noviter diviserunt. Quidam vero de Guidotis et quidam de Boschetis et de Ranghonibus com certis suis sequacibus dicentes, se esse partis Guelfe sive ecclesie sive Ayghonorum antiquitus dicte et vocate, spondam fecerunt contra illos, qui dicebantur ab antiquo partis de Grisulfis seu imperii seu Ghebelini[a], com quibus Grisulfis domni de Saxolo et de Garsonibus et multi alii partis ecclesie tenuerunt; et sic ambe partes multa guarnimenta fecerunt. Et tandem quidam archipresbiter, dictus de Guidotis, secrete intravit castrum Finalis[70], et ipsum contra commune Mutine occupavit; et domini de Nonantula vendiderunt castrum Nonantule Bononiensibus, ad quod castrum Nonantule accesserunt Bononienses, et com suis custodibus munierunt. Mutinenses vero, hoc scito, cucurerunt ad arma et facta fama, quod predicti de Guidotis et de Boscetis et alii sui sequaces exsistentes in Mutina adhererant dicto domno marchioni Exstensi et Bononiensibus, qui tunc erant unius voluntatis, iverunt ad domos eorum, prevalentes per forciam, ceperunt eos et in carceribus recluserunt. Quo scito in Parma, unus ex filiis potestatis nomine Aczo com certis ex militibus civibus Parme et com certis ex soldatis equestribus die dominico Oliva-
Mart. 19. rum 19. Martii quam velocius Mutinam in servicium communis Mutine com equis armis[b] equitaverunt, et steterunt ibi quantum communi Mutine placuit. In Parmam vero multi soldati equestres Verone et Mantue ipso tempore et ipsarum novitatum occasione venerunt,
Mart. 26. et fecerunt[c] festum pascatis, et steterunt plures dies, inter quos multi Todesci[71] erant, de quo Parmenses dolebant. Item eo anno et tempore in civitate Parme tratatum fuit, ut dictum fuit, de deponendo domnum Ghibertum de dominio suo. Propter quod quidam capti et quidam tormentati et quidam baniti et quidam confinati fuerunt de civibus civitatis Parme, tam de populo quam de militibus; et multi soldati de Brixia de Mantua et de Verona venerunt Parmam in auxilium dicti defensoris. Item eodem anno et tempore societas et ligha iurata fuit per commune Parme com communibus et dominis Brixie Mantue
Apr. et Verone, et cum communibus[d] Mutine et Regii. Item eo anno de mense Aprilis domni de Rubeis et de Lupis et multi alii ex extrinsecis Parme intraverunt in Zessum voluntate domnorum de Canuxio et se com eis munierunt in dicto castro; domni vero de Palude munierunt Corvariam et alia sua loca. Item eo anno domnus Rodulfus de Garsonibus de Mutina, filius condam domni Guillielmini de Garsonibus, fuit post domnum Thadeum de Manfredis potestas Parme; qui domnus Rodulfus venit Parmam die dominico ultimo
Apr. 30. dicti mensis Aprilis et ea die iuravit more solito et incepit facere regimen et officium suum usque ad sex menses. Item eo anno et mense domnus Matheus de Corigia, frater dicti domni Ghiberti, de eius voluntate com certis soldatis communis Parme et de militibus de Parma equestribus et pedestribus iverunt seu ivit ad dictum locum de Corvaria, et steterunt
Mai. 4. ibi per aliquot dies. Et una die, scilicet in die asensionis Domini, que fuit die quarto Madii, existentes predicti ad quendam locum districtus Regii in dictis partibus ad terram, que dicitur Aquila, et volentes per fortiam intrare in ipsum locum, existentes in dicto loco viriliter se defenderunt et tenuerunt locum, et ad ultimum quidam ex predictis de Parma et de soldatis communis Parme mortui fuerunt — inter quos fuit quidam nomine Bergontinus de Bergontiis, valde amicisimus et familiaris dicti domni Ghiberti et cubicularius ipsius, de maioribus civitatis Parme hoc tempore, de cuius morte multi doluerunt et maxime dictus domnus defensor — et multi alii vulnerati fuerunt. Unde dictus domnus Matheus et qui com eo erant, Parmam redierunt, et antequam redirent, multas domos combuserunt in contrata de Zesso et in contratis domnorum de Palude. Item eo anno Veronenses Mantuani et Brixienses miserunt in sucursum communis Parme et dicti defensoris maximam quantitatem militum et peditum soldatorum, qui iverunt in dictum exercitum et steterunt in auxilio et societate dicti domni Mathei. Item eo anno Placentini, non valentes simul quiescere et semper in tumultu existentes, fecerunt duos abates[72] sive dominos civitatis Placentie — quorum unus fuit domnus Lanzalotus Anguxolus et alter domnus Vesconte Pellavicinus — et quasi omnes magnos antiquos partis ecclesie expulerunt de civitate et districtu Placentie et multos banierunt et multos confinaverunt. Item eo anno quidam

a) Ghebelinis *cod.* b) *sic cod.* c) steterunt *cod.* d) com *cod.*

70) *Finale di Modena* a Mutina inter orientem et septemtrionem. 71) Germani, quos *Todeschi* Parmenses vocant. 72) rectores.

pessimus herreticus et pataruus nomine frater Dulcinus, qui iam diu contra ecclesiam 1307. Romanam et fidem christianam steterat in certis locis arduis in districtu Vercellis et Cumarum, com omnibus suis sequacibus et locis captus fuit[73] et in forciam inquisitoris herre- Mart. 23 tice pravitatis datus et detentus. Item eo anno caristia magna et defectus blave fuit in civitate Parme, maxime de mense Aprilis et Maii et medii Iunii; et valebat furmentum in Apr.-Iun. platea, quia sic ordinatum erat per commune Parme, 10 solidos imperiales, et secrete per granarios 14 solidos imperiales, et vix inveniebatur. Et facta diligenti inquisitione de blava per civitatem et districtum per sapientes ad hoc per commune deputatos, non erat blava, que sufficeret hominibus de civitate tantum per medium mensem Madii. Et sic empta fuit per commune Parme a domno Botesella de Bonacosiis capitaneo Mantue octo centum modia blave, medietas furmenti et alia medietas spelte, pro 10 solidis imperialibus ad sestarium Mantue conductum in terra Razoli, et 4 solidis imperialibus starium spelte. Et similiter empta fuit blava in maxima quantitate per commune Parme a quibusdam de Papia de Laude et de Placentia, et fuit conducta ad Columbam de Placentia, et postea ad civitatem Parme. Nichilominus tamen[a] presa[74] et caritudo erat et indigentia blave, quod vendebatur inter stanchas[75] et dabatur ad plus[76] cuilibet ementi una emina[77] blave. Item eo anno de mense Iunii certus tratatus in civitate Parme, factus de depo- Iun. nendo dictum domnum Ghibertum de dominio suo, prescitus fuit ab ipso domno Ghiberto; ex quo domnus Ghibertus misit pro amicis suis et hominibus suis de episcopatu Parme Et subito quodam mane domnus Anselmus de Marano abas monasterii sancti Iohannis Parme com omnibus de proienie sua, dicta de Marano, afugierunt de civitate Parme et baniti fuerunt, et quidam ex eis, qui ad mandata venerunt, confinati fuerunt. Dictus domnus abas ignotus stetit per plures dies, et tandem inventus fuit in civitate Ianue, ubi moratus est. Item predicte novitatis occasione plures de populo Parme partis ecclesie ab antiquo, numero 27, confinati fuerunt duarum portarum Sarcane et duarum portarum Vincencie. Item eo anno et mense pax facta fuit inter domnum Ghibertum defensorem predictum et commune Parme ex una parte, et domnos de Palude banitos communis ex altera; et sic reducti fuerunt ad amorem communis et dicti domni Ghiberti, et canzelati de banis suis. Item eodem anno et mense domnus Gilius Scorta, Rolandinus et Cabriynus, eius filii, venerunt ad mandata dicti domni Ghiberti et communis Parme, et sic venerunt Parmam et restituti fuerunt ad bona sua. Item eodem anno et mense dictus domnus potestas Parme et dictus domnus Ghibertus com tota militia communis et forestaria, equestres et pedestres, com certis peditibus episcopatus, equitaverunt ad terram de Zesso districtus Regii, ubi erant domni de Rubeis, et circomquaque locum guastaverunt, et facto guasto reversi sunt Parmam; in quo exercitu similiter Regini fuerunt. Item eo tempore domnus Neapuleo de Ursinis cardinalis, qui erat Ymole, recessit de partibus Romanniole et yvit Arecium. Bononienses plures cavalcatas fecerunt supra Ymolam, et multa dampna et guasta eis fecerunt. Item eodem anno Florentini Lucani et alii omnes Tuscani partis Guelfe hostiliter et generaliter iverunt supra Arecium, et fuerunt prope civitatem Arecii per quinque miliaria, incendio et ruine omnia supponentes et multa castra et loca districtus Arecii capientes per forciam et omnia devastantes. Item eo tempore Placentini iverunt in exercitum contra terram de Bardi sui districtus, ad quem exercitum domnus Ghibertus per commune Parme misit 100 pedites de illis episcopatus com uno capitaneo et duas ex masnatis equestribus ad[b] custodiam civitatis Placentie et in servicium Placentinorum Item eo anno de mense Iunii domnus Gerardus de Henzola relaxatus fuit de carceribus communis, ubi iam diu steterat, per dictum domnum Ghibertum et fuit positus ad confinia in civitate Brixie, acceptis ab eo pluribus fideiussoribus de maioribus et dicioribus popularibus civitatis Parme de stando ad confinia et ad mandata dicti domni Ghiberti et communis Parme. Similiter et quidam de populo, nomine Paulus Ruffa notarius, qui steterat in carceribus com dicto domno Gerardo de Henzola pro eodem facto, relaxatus fuit de carceribus. Item et domnus Bernardinus de Henzola, qui erat banitus et qui steterat in rebelione communis, venit ad mandata communis. Item eodem tempore de mense Iulii domnus Iul.

a) tam c. b) a cod.

73) Mart. 23. V. Hist. fratris Dulcini ap. Muratori RR. It. SS. IX, 439 et 441. 74) angustiae. 75) cancellos. 76) i. e. maxime. 77) mensura frumentaria.

1307. Iul. potestas Parme com militibus communis Parme porte de Parma et porte Benedicte et com soldatis communis et certis hominibus episcopatus hostiliter equitavit ad terras, que tenebantur per domnos de Canusio districtus Regii, et commune Regii similiter. Et tandem, subonendo omnia incendio et guasto ad terram de Paderno[78] et ad Felinam[79] et alia loca dictorum dominorum, redierunt domum; loca vero minime habuerunt. Item eodem anno de dicto mense Iulii exstrinseci de Placentia auxilio amicorum suorum de Mediolano Laude et Cremona fecerunt congregationes in Cremona, et subito venerunt et ceperunt monasterium de Columba[80], et ibi morati sunt per aliquot dies. Postea traserunt se in terra de Monticellis[81] districtus Cremone et ibi steterunt et postea munierunt locum, qui est ibi prope, qui dicitur Roncarolum[82] districtus Placencie. Unde Placentini intrinseci miserunt Parmam pro sucursu. Et in continenti, sicut redierunt Parmenses de dicto exercitu de Rexana[83], omnes milites communis Parme com masnatis de equo equitaverunt Placentiam, et steterunt ibi per 14 dies. Et antequam redirent, domnus Ghibertus de Corigia com certis militibus communis et soldatis, qui remanserant, et cum duo milibus hominibus de populo civitatis Parme equitaverunt et iverunt ad terram Burgii sancti Donini; et hoc fuit Iul. 18. die Martis 18. dicti mensis Iulii. Et in hora primi sonni[84] dictus domnus Ghibertus com militibus equitavit ultra Florenzolam et usque ad terram que dicitur Fontana[85]; populus vero remansit ad Burgum sancti Donini. In dicta autem terra de Fontana Parmenses expectaverunt Placentinos intrinsecos, qui ibi se com eis convenire debebant ad eundo pro exspelendo Placentinos exstrinsecos de dicta terra de Roncarolo. Et tandem die Mercurii Iul. 19. sequenti, iam facta magna hora, venerunt, et non in magna quantitate, et sic omnes Parmenses et Placentini iverunt ad dictum locum Roncaroli Set ibi nichil fecerunt, ymo multi et immenso et intenso calore, qui tunc erat, et ex defectu aque, quia locus est totus campania, multi fuerunt in periculo mortis, ita quod, sine aliud facere, oportuit eis recedere de neccesitate et venire Florenzolam. Et multi de Placentinis ex calore et labore defecerunt et mortui sunt tam de populo quam de militibus; gratias autem Deo, nuli ex Parmensibus remanserunt, sed ex predictis causis multi et quasi omnes fuerunt in maximo periculo caloris et sitis et debilitatis, et multi equi magagnati[86] similiter ibi fuerunt. Et Iul. 20. Iul. 21. sic die Iovis sequenti populus rediit Parmam, et die Veneris sequenti dictus domnus Ghibertus com militibus et soldatis redierunt Parmam sani et salvi. In qua cavalcata domnus Saxolus de Saxolo, capitaneus civitatis Regii, com militibus et soldatis communis Regii numero 50 ad duos equos fuit semper com dicto domno Ghiberto; similiter et certi milites et soldati equestres de civitate Mutine fuerunt usque ad Burgum sancti Donini, veniendo in sucursum civitatis Parme. Item tres ex masnatis communis Parme equitibus numero 60 et plures iverunt et remanserunt com Placentinis Placenciam ad defensionem eorum et civitatis Placentie. Item eodem anno et mense exercitus predictus, quem Placentini fecerunt ad terram de Bardi sine habendo locum, propter novitates exortas in civitate Placentie, non bono modo redierunt Placentiam. Item eo anno et mense Castrum-Archuatum et castrum Florenzole expulerunt omnes, qui ibi erant pro communi Placentie. Et dicti de Castro-Archuato receperunt in ipso benigne et honorifice domnum Albertum Scotum, Iul. 24. qui erat in contrata — et hoc fuit in vigilia sancti Iacobi — et expulerunt omnes, qui fuerant suos contrarios extra, et plures interfecerunt. In Florenzola vero nulus alius rumor fuit, sed domnus Lupus de Lupis, banitus communis Parme, intravit illuc de voluntate illorum de dicto castro, et ibi stetit com certis aliis banitis communis Parme. Item in die Iul. 25. autem beati Iacobi dictus domnus Albertus Scotus com omnibus suis amicis et aliis omnibus, qui erant extra Placentiam, intraverunt viriliter et potenter in civitate Placentie, et data fuit sibi una ex portis. Unde in continenti potestas[87] Placentie qui erat de Ianua, et capitaneus populi qui erat de Parma scilicet domnus Roglerinus de Servideis, et domnus Benedictus de Zabulis de Parma, qui ibi erat pro capitaneo foresteriorum, et omnes soldati communis Parme qui ibi erant, et alii communis Placentie et domni Vicecomes Pellavicinus et Lanzalotus de Angusolis abates communis Placentie et domini, com omnibus familiis et amicis suis afugierunt de civitate Placentie, et reduxerunt se in terra Bobii et

78) Paderna a Canossa ad orientem. 79) Felina a Canossa ad meridiem. 80) *Chiaravalle della Colomba* v. supra p. 727, n. 10. 81) *Monticelli d'Ongina* v. supra p. 730, n. 25. 82) Roncarolo ad Nuram fl., a Placentia ad orientem. 83) i. e. territorio Regino. 84) somni. 85) Fontana Fredda a Florentiola inter occidentem et septemtrionem. 86) afflicti. 87) Ansaldus Balbus.

ad propria per terras et vias de Pelegrino[1]. Potestas vero Parme com militia civium et 1307. Iul. foresteriorum communis Parme equitaverunt eundo in sucursum communis Placentie, et fuerunt usque ad Burgum sancti Donini et non ultra; sed tarde auxiliati sunt eis. De hoc autem rangor[2] et timor fuit in civitate Parme, com predicta quibusdam placuerint et quibusdam non, et quasi nemo sciebat, quid esset melius. Pars antiqua ecclesie visa est letari et multi ex parte episcopi propter magna servitia, ab eis iam dudum recepta a dicto domno Alberto Scoto tempore, quo erant extra Parmenses; sed pars nova et pars imperii non fuit gavisa. Baniti autem communis Parme domni de Rubeis et de Lupis et de aliis semper fuerunt com Placentinis exstrinsecis ad predicta faciendum, et com eis et eorum auxilio intraverunt Placentiam et ipsi com eis; et dictum fuit in Parma, quod coniuraverant se com dicto domno Alberto Scoto et aliis tunc Placentinis extrinsecis. Item eo anno de mense Augusti, in vigilia beate Marie domnus Henricus, Dei gratia episcopus Reginus, Aug. 14. venit Parmam et conciliavit maiorem ecclesiam Parmensem, que fuerat et steterat a Sancto Petro[3] proxime preterito mensis Iunii violata propter quoddam maleficium com sanguine in ea factum in presentia dicti domni Ghiberti; qui malefactor captus fuit in continenti et sine aliqua mora fuit apensus per gulam in glarea extra portam Capelinam. Et dictus domnus episcopus Reginus venit ad predictam reconciliationem faciendum, quia domnus episcopus Parmensis[4] dedignatus, quod domnus Ghibertus de Corigia defensor predictus tenebat et habitabat domos episcopatus, et noluit venire Parmam set stabat Colliculi et in aliis terris suis episcopatus extra civitatem Parme. Item eodem tempore, dicto mense Augusti in partibus Romaniole pars illorum de Malatestis et de Carbulo et suorum sequacium in partibus Bertenorii conflicti fuerunt ab illis de Forlivio et ab aliis Ghibelinis; in quo conflictu inter mortuos et captos fuerunt ultra numero duorum millium inter pedites et equites ex predictis dicte partis de Malatestis et sequacium. Item eo anno de mense Augusti, in vigilia sancti Bertholamei iuxta sero potestas Parme et predictus domnus Ghi- Aug. 23. bertus, tota milicia civium et omnes soldati, equites et pedites, hostiliter equitaverunt contra Cremonam et iverunt Berxelum; et mane veniente populus porte de Parma et porte Aug. 24. Nove subsecuti fuerunt eos. Mantuani vero com exercitu suo ipsa die iam venerant com navigio eorum et ceperant pontem de Doxolo[5] et ipsum guastaverunt. Et ita per aquam et per terram una com Mantuanis, et Mantuani com Parmensibus ab isto latere totum districtum Cremone ruine et incendio posuerunt; inter quas terras arsas et guastas fuerunt Doxolum com ponte, Montesorium, Vidaiana[6], Luzara[7], Portiolum, Casamaiorem[8] Rivarolum[9], Tholarolum[10], Raygazola[11] — Guastalla vero venit ad mandata dicti defensoris et per eum acepta fuit, et splanata[a, 12] de foveis et disguarnita[13] et desforzata[14] in totum circonquaque — et multe alie terre destructe fuerunt et derobate, Ponponeschum[15] eciam ad instantiam dicti defensoris remansit. Veronenses autem ipsa die exiverunt a suo latere versus Pladenam[16], et ipsam terram Pladene per vim ceperunt et destruserunt et comburserunt. Similiter Brixienses a suo latere contra Cremonam fuerunt usque ad Rebechum[17] et ibi hostiliter steterunt, et usque in burgos Cremone fuerunt, cotidie ardendo et devastando omnia. Et dictus exercitus duravit per septem dies, et postea sani et salvi Aug. 23 – 30. ad propria redierunt. Et predicta facta fuerunt subito asque requisicione generalis consilii communis Parme propter mala supradicta opera, que Cremonenses sustinebant fieri per banitos communis Parme, quos tenebant in domo; sed multi boni homines de Parma doluerunt de predictis. Item eodem mense Augusto, in die sancti Bertholamei domnus Aug. 24. Guielminus de Foliano, filius condam domni Francisci de Foiano, de Regio fuit capitaneus Parme, et incepit regimen ipsa die. Item eodem tempore et mense comes Philiponus de Languxio, dominus civitatis Papie, cum esset in exercitu in contrata[b] Montisferati una

a) spanata *cod.* b) contra *cod*

1) Pellegrino v. supra p. 730, n. 34. 2) rancor. 3) a die 29. m. Iunii. 4) Papinianus. 5) Dosolo in sinistra Padi ripa, a Guastalla ad septemtriones. 6) Viadana in sinistra Padi ripa, a Guastalla ad occidentem. 7) Luzzara in dextera Padi ripa, a Guastalla ad septemtriones. 8) Casalmaggiore, v. supra p. 671, n. 22. 9) Rivarolo a Casalmaggiore ad septemtrionem. 10) Tolarolo in dextera Padi ripa, a Cremona inter orientem et meridiem. 11) Ragazzola ibidem. 12) v. supra p. 708, n. 50. 13) nudata, Ital. *sguarnita*. 14) debilitata, Ital. *sforzata*. 15) Pomponesco in sinistra Padi ripa, a Guastalla ad occidentem. 16) Piadena in dextera Ollii fl. ripa, a Cremona ad orientem. 17) Robecco prope Ollium fl., a Cremona ad septemtriones.

1307. com certis militibus de Mediolano et de Ianua et de amicis eorum in sucursum unius ex comitibus de Salucio[18], que se esse dicebat marchionem Montisferati et qui occupavit certas terras de dicta contrata, captus fuit et conflictus per quendam Grecum[19], filium imperatoris Constantinopolitani[20] et cuiusdam filie[21] condam marchionis[22] Montisferati, qui illuc venerat ad accipiendum dictum marchesaticum et qui dicebat sibi ex sucessione dicte sue matris pertinere. Item eodem tempore Berxilum, Columium, Sixia[23], Burghum sancti Donini fortificata fuerunt propter guerram predictam inceptam com Cremonensibus. Item eo tempore duo turizelli primo facti et levati fuerunt super batismo ecclesie maioris com colonellis et com pomis deauratis versus palatium episcopatus Parme. Item
Sept. eodem tempore de mense Septembris dictum fuit, quod quidam tratatus secrete fiebat in Parma in favorem extrinsecorum contra dictum domnum Ghibertum de Corigia et statum suum; propter que plures baniti fuerunt et quidam capti et tormentati. Item eodem tempore de dicto mense Septembris potestas civitatis Mediolani, potestas civitatis Placentie, potestas civitatis Cremone com Laudensibus Papiensibus et com tota militia dictarum civitatum et maxima peditum quantitate hostiliter venerunt ad Burgum sancti Donini et comburserunt domos ultra canonicam dicti loci in maxima quantitate, et in contrata de Soranea[24] et de Roncolis[25] multa incendio posuerunt, et eodem die receserunt. Com quibus abas Sancti Iohannis de Parma[26], domnus Guielminus de Rubeis et domni de Lupis et alii exstrinseci et baniti Parme venerunt. Propter quod potestas Parme com militibus communis Parme et paucis soldatis equitavit usque ad flumen Taronis, et audito, quod predicti recesserant, Parmam redierunt. Item eodem tempore et mense domnus marchio Exstensis[27] per Paudum com navilio suo venit contra Mantuam et Veronam et cepit omnes naves armatas Mantuanorum et Veronensium et eas duci fecit Ferariam. Item eo anno potestas Parme, dictus domnus defensor com militibus communis et soldatis et multis peditibus de partibus de ultra Tarone equitaverunt contra Cremonenses, et usque ad pontem de Becho fuerunt, et omnia incendio posuerunt. Et iterato redierunt alia vice dicto tempore, et fuerunt usque ad Pollexium-Sancti-Viti[28], omnia similiter suponentes incendio et ruine. Item eodem anno Brixienses multotiens fuerunt super episcopatum Cremone et usque ad Pontemvigum[29], et ipsum transierunt et usque in clausuras civitatis Cremone
Oct. 1. dampna et incendia multa faciendo. Item eodem tempore, die dominico, primo mensis Octubris filii domni Cavalcobovis marchionis de Vidaiana com magna multitudine Cremonensium et hominum de contratis suis et de Casalimaiore venerunt Bersilum et ibi desuper Berxilum descenderunt in terram, credentes venire ad terram Berxili et ipsam capere. Berxilienses com certi soldati, qui ibi erant pro communi Parme pro custodia dicte terre, viriliter exiverunt ad eos et preliati fuerunt com eis et multos ex eis ceperunt. Qui Cremonenses in fugam se miserunt in Paudum, ita quod multi perierunt ibi ex ipsis Cremonensibus et 34 ex eis fuerunt ducti Parmam in carceribus et multi alii capti in secreto detenti,
Oct. 7. ut se redimerent. Item eodem tempore, die sabati 7. Octubris iuxta sero et in nocte sequenti flumina civitatis Parme et districtus creverunt et venerunt sic magna quod, ut dicebatur a senioribus: *Nomquam sic fuerunt.* Et flumen Parme ita crevit, quod fuit super mercatum[30] et implevit omnes domos de burgo Pellacanorum et de domo de Caghonis et de Mazalis et totam illam contratam et de Sancto Bernabeo de retro ecclesiam, et in capite pontis omnes domos de burgo de subtus et de Sancto Spiritu, de Sancta Maria Nova et domos fratrum Humiliatorum et domum fratrum de Martorano; et in ipsa contrata fuit Parma sic magna, quod fuit desuper toltas puteorum contrate, ita quod puteos implevit; et similiter de Sancta Caecilia de Sancta Maria Templi et in vicinia Omnium Sanctorum, Sancte Marie burgii Tascherii et Sancti Baxilidis et de hospitale Rodulfi, ita quod poterat navigari. Item eo tempore Parmenses inceperunt facere fieri unum pontem in Paudo ad terram Berxilli et pro maiori parte ipsum fecerunt; set non fuit completus, immo Paudum ipsum dirupit et destruxit, quod erat factum. Item eodem tempore, die sabati
Oct. 14. 14. Octubris cum Iacobus de la Senacia, Palanudex filius naturalis domni Guielmini de

18) Manfredi. 19) Theodori, marchionis Montisferrati. 20) Andronici II. 21) Iolanthae. 22) Wilhelmi V. 23) Sissa in dextera Tari fl. ripa, a Parma inter septemtriones et occidentem. 24) Soragna. 25) Roncole a Burgo S. Domnini ad septemtriones. 26) Anselmus de Marano. 27) Azzo VIII. 28) Polesine in dextera Padi ripa, a Cremona inter meridiem et orientem. 29) Pontevico ad Ollium fl., a Cremona ad septemtriones. 30) forum.

Rubeis com certis aliis banitis communis Parme de maioribus cum venissent ad dampnificandum (1307. Oct. 14.) ad Burgum sancti Donini, obviaverunt certis soldatis communis Parme et inito insimul prelio, dictus Iacobus et Palanudex et plures alii capti fuerunt et ducti Parmam com banderiis suis; et bandere apense fuerunt ad balatorium palatii communis, et ipsi ducti fuerunt Guardaxonum[31] in carceribus dicti domni Ghiberti defensoris predicti. Item eo mense, die Lune 16. Octubris (Oct. 16.) flumina civitatis et episcopatus, ut dictum est, iterato similiter creverunt et fecerunt similiter; et dictum est, quod per totam Lombardiam flumina sic magna fuerunt. Item eo tempore cum supradictus domnum Rodulffus de Garsonibus potestas Parme, finito predicto mense Octubris, predictum suum regimen compleviset et recesiset, et civitas Parme nulos rectores inveniret, supradictus domnus Guillelmus de Foliano capitaneus populi factus fuit potestas Parme, qui rexit pro potestate, incipiens die 1. Novembris (Nov. 1.) usque in die Lune 13. eiusdem mensis, essendo etiam capitaneus. Item eodem tempore et predicta die Lune 13. Novembris (Nov. 13.) quidam miles de civitate Senarum, qui rediebat a regimine civitatis Brixie ubi per sex menses steterat pro potestate, cui nomen erat domnus Gutius de Malavotis, com esset hospitatus in burgo Sancte Christine cum certa sua familia, invitatus fuit si volebat esse potestas Parme; et facto sibi magno salario, dictum et factum simul completum fuit, et sic et tali modo ellectus fuit potestas Parme usque ad Calendas mensis Iulii proxime venturi. Et eodem die venit ab hospitio, in quo erat, ad palatium communis pedes, asociatus a pluribus bonis hominibus civitatis Parme, et ascendit palatium per scalas palatii ante domum potestatis; et com fuit in palatio, iuravit regimen, sine quod aliter sonarent consilium vel arenghum, et eadem die regimen incepit. Item eo anno commune Venetiarum ad instantiam marchionis Exstensis et communis Cremone Mediolani Papie et Bergami voluit et proposuit, ducere salem et alias eorum mercationes per Paudum et transire sursum cum ipsis. Set commune Parme viriliter prohibuit ne transirent. Et commune Venetiarum multos ambaxatores misit Parmam, ut permiterentur ire naves eorum et mutam suam, dicendo quod iter Paudi erat suum; sed nichil eis factum fuit seu promisum per commune Parme. De quo Cremonenses et predicti alii sui sequaces damnum maximum habuerunt. Nam sestarium salis tunc ob hanc prohibitionem valuit in Cremona et in aliis predictis civitatibus tribus et quatuor libris imperialium, et vix inveniebatur; et piper et zafranum[32], quod ducebatur pro festo nativitatis quod veniebat, non inveniebatur ibi nec haberi potuit. Item eodem anno et tempore de mense Decembris (Dec.) Cremonenses exiverunt contra Brixienses, et Brixienses contra Cremonenses, set non per unam viam, in exercitum. In quem exercitum in sucursum communis Brixie Mantuani et Veronenses fuerunt; et miles seu socius capitanei Parme com 200 militibus communis Parme et totidem ex soldatis communis Parme equitibus in servitium Brixiensium similiter fuerunt, in quo exercitu una pars sui magna incendia et dampna fecerunt. Et tunc Cremonenses transierunt Lolium[33] et habuerunt terram de Gaydo[34] districtus Brixie, quia homines ipsius terre dederunt se Cremonensibus, et ipsa munita de suis hominibus, reversi sunt domum. Brixienses vero ad dictam terram Gaydi acceserunt et eam recuperaverunt, et expulerunt custodes qui ibi erant et multos ceperunt et maiores ipsius terre duxerunt Brixiam, et condempnaverunt ipsos et commune dicte terre in 20,000 librarum Brixiensium, et antequam relaxarent ipsos, totam dictam condempnationem praedictam exigerunt. Parmenses vero qui exstiterant, steterunt ibi per 7 septimanas et redierunt sani et salvi in vigilia nativitatis domini nostri Iesu Christi (Dec. 24.) Parmam.

In nomine Domini 1308. (1308.) indictione 6. erat potestas Parme supra scriptus domnus Gucius de Malavoltis de Sena, ut predicitur, ad annum novum. Eodem millesimo de mense Ianuarii domnus Guido de la Ture de Mediolano ellectus et factus fuit capitaneus communis (Ian.) et populi Mediolani usque ad unum annum. Eodem anno de mense Februarii, die Lune 13.[35] eiusdem mensis, domnus Anselmus de Marano abas monasterii sancti Iohannis Parmensis (Febr. 14?) rediit Parmam com suis, qui receserant com eo, in pace et amore communis Parme et dicti domni Ghiberti de Corigia defensoris. Eodem anno de mense Februarii domnus Aczo marchio Exstensis dominus Ferarie, de quo multa supra dicuntur, obiit. Et quidam eius filius naturalis, nomine domnus Freschus, vocatus et factus fuit dominus

31) v. supra p. 711, n. 83. 32) crocus. 33) Ollium fl. 34) Ghedi a Brixia inter meridiem et orientem. 35) dies 13. m. Febr. a. 1308 in diem Martis incidit.

1308. Ferarie com auxilio populi Bononie, qui Ferariam tunc iverunt. Eodem anno domnus Thodeschus de Taculis de Regio fuit capitaneus Parme, ellectus per sex menses, initium
Mart. 1. cuius fuit die primo Martii. Item eodem millesimo de mense Martii, die 24. eiusdem
Mart. 24. mensis Martii in vigilia festivitatis sancte Marie post tertiam quedam risa[36] facta fuit in palatio episcopatus, ubi dictus domnus Ghibertus morabatur, inter quosdam ex maioribus conviventibus[a] in curia com ipso domno Ghiberto. Et tandem dictus domnus Ghibertus sedavit ipsam risam, et in ipsa sedatione parum fuit in manu vulneratus, et ipsa risa sedata, equitavit com aliis omnibus ad solatium per civitatem. Et scito de ipsa risa per civitatem, homines traserunt per vicinias ad arma, ita quod in capite pontis et alibi partes traserunt se ad loca sua seorsum. Et iuxta sero sequentis diei preliati fuerunt in capite pontis. Et illi de parte imperii com aliquibus de parte episcopi prevaluerunt, et cucurerunt ad domos illorum de parte ecclesie. In quo cursu super ponte hospitalis Rodulfi fuit interfectus Andriolus de Guielmanis de vicinia Sancti Gervaxii, qui erat Ghebelinus, et unus alius, filius Iohannis Trovati, vicinie Sancte Marie burgii Tascherii, qui erat de parte ecclesie. Et sic reversi sunt retro in viciniam Sancti Iacobi de capite pontis, et posuerunt ignem in domibus illorum de Anzelis in dicta vicinia et in domibus domni Iohannis Guarimberti et domni Odovrandi Botoni et ipsas derobaverunt et comburserunt; et dictus domnus Oddovrandus, qui erat ultra sexaginta annorum, dicti de parte imperii seghaverunt[37] ei gulam.
Mart. 25. Et iterum sero facto, dicti Ghibelini reversi sunt in viciniam Sancte Marie burgii Tascherii et posuerunt ignem in domibus illorum de Sancto Nazaro et illorum de Albinis; et eos derobaverunt in totum, et alios fugaverunt et cazaverunt[38] et multos interfecerunt. Becarii autem de platea tenuerunt stratam de Sancto Ieorgio, et multi cridabant: *Pax, pax; populus, populus!* et non permiserunt tunc ire ad domum domni defensoris ad palatium episcopatus domnum Saxolum de Saxolo de Mutina, qui erat capitaneus omnium soldatorum. Tandem domnus Ghibertus trasit ad plateam cum potestate et capitaneo et familiis eorum et soldatis equestribus et pedestribus suis et aliis multis bonis amicis suis, et una nocte muniti steterunt in platea. In aliqua vero alia parte civitatis nulum malum fuit, nisi in capite pontis; sed omnes steterunt muniti per vicinias suas usque mane, quidam palam clamantes et dicentes: *Pax, pax; populus, populus*, et quidam tacentes rei exitum ex-
Mart. 26. spectantes. Die vero sequenti, scilicet die Martis 26. eiusdem mensis Martii, in hora 9. vel circa, homines per totam civitatem Parme traserunt ad arma, stantes per vicinias suas. Illi autem de capite pontis partis imperii et episcopi et multi alii de aliis partibus amici[b] eorum com armis et vexilis omnium viciniarum de capite pontis per glaream communis, ubi fit mercatum, venerunt contra illos de Sancto Bernabeo, et in ipsa glarea de domo fratrum Predicatorum prelium magnum fuit inter predictos de capite pontis et existentes com eis ex una parte, et illos de Sancto Bernabeo et de Sancta Trinitate et ipsa contrata ex alia, exceptatis quibusdam de parte imperii de ipsa contrata, qui erant a parte illorum de capite pontis. Et tandem durante prelio dictus potestas Parme com certis et maioribus civitatis et soldatis communis equestribus venit ad rumorem. Qui, fingentes se sedare velle rumorem, et prelium suadebant parti illorum de capite pontis; propter quod pars illorum de Sancto Bernabeo substinere non potuit, immo in fugam se miserunt, et exeuntes civitatem affugerunt quo potuerunt. Illi autem de capite pontis, scilicet partis imperi et episcopi, prevalentes incendio posuerunt omnes domos illorum de Guazardis et de Tardilevis et vicinorum suorum stantium retro ecclesie sancti Bernabei pro maiori parte; et in ipsa vicinia in burgo Guacie plures domos comburserunt et robaverunt in dicta contrata, et plures vulnerati fuerunt. Domnus Ghibertus semper stetit in platea com aliis soldatis et capitaneo et familia eius et amicis suis pluribus. Et ipsa die, cum rumor dictarum novitatum diei exsterne insonuiset in civitate Cremone, ubi erant domni de Rubeis et domni de Lupis cum aliis tunc exstrinsecis et banitis communis Parme, ipsi domni Rubei et Lupi et alii com armis pedes et eques venerunt ipsa die ad civitatem Parme. Et potestas Cremone, cuius nomen domnus Tygnacha de Paravicinis de Mediolano, com tota militia civitatis Cremone et quibusdam soldatis exstrinsecorum Brixie fuit usque ad Viarolum[39], volentes venire ad civitatem; sed audito per spilias, sive eorum exsploratores, quod pars ecclesie

a) côutĕtibus *cod.* b) amicis *c.*

36) rixa. 37) secuerunt. 38) agitaverunt. 39) Cf. supra p. 680, n. 41.

1308. Mart. 26. et illi de Sancto Bernabeo et de capite pontis perdiderant, redierunt retro ad Grugnum[40] ultra Taronem, et ibi steterunt tota nocte. Predicti autem Lupi et Rubei et sui sequaces baniti exstrinseci Parme com forte 30 boni homines de Cremona vel circha, inter quos erant duo filii dicti domni Cavalchabovis marchionis de Vidaiana, videlicet domni Guiellmus et Iacobus, et soldati predicti exstrinsecorum de Brixia, venerunt ad portam Sancti Ylarii, que ilico aperta fuit eis per certos suos amicos; et postea venerunt ad portam Sancte Crucis, que erat clausa, et ipsam preliati fuerunt. Domnus Ghibertus defensor predictus, qui erat in platea ut predicitur, audito quod predicti baniti erant ad portam Sancte Crucis et ipsam preliabantur, in continenti com comitiva sua venit illuc ad ipsam portam, et cum vidit desuper teraleo, quod predicti baniti erant pauci, iubssit aperiri dictam portam. Qua aperta, transito ponte per modicum spatium, prelium fuit maximum et arduum inter ipsas partes. Domnus Ghibertus com suis substinere non valentes, revolverunt se retro fugientes versus plateam, et multi, qui illuc venerant com eo in quibus confidebat, volverunt se contra eum et suos. Predicti autem baniti, secundantes eos usque ad plateam, venerunt post eum, et multi de populo civitatis adeserunt predictis domnis de Lupis et de Rubeis, et com armis post ipsos veniebant una com eis clamantes: *Pax, pax; populus, populus!* Cum autem scitum fuit per civitatem, quod predicti baniti erant in platea, undique — et maxime illi de porta Nova et Rolandinus Scorza cum hominibus suis — homines traserunt armati ad plateam, et ibi in platea prelium maximum fuit, in quo prelio multi ex utraque parte vulnerati et interfecti fuerunt. Tandem domnus Ghibertus iuxsta sero com suis substinere non valens, in fugam se misit com illis qui attendere voluerunt ad ipsum, exeuntes civitatem per foveas de Sancto Benedicto ipse et frater eius domnus Matheus et familia et soldati omnes pedites et equites. Et predicti potestas et capitaneus et familie eorum, et certi milites de Regio qui iam venerant in eius subcursum, et pars eius et pars imperii et episcopi pro maiori parte omnes indiferenter evaserunt quo potuerunt, et quidam Regium, quidam ad Castrumnovum illorum de Corigia et alii[a] afugerunt. Domnus Saxolus de Saxolo capitaneus generalis soldatorum captus fuit in capite pontis in quadam dugaria[41] in vicinia Sanctae Cecilie, in qua affugerat, et datus fuit domno Guiellmino Rubeo, qui eum com honore custodiri fecit. Illi autem de Sancto Bernabeo et alii qui ut predicitur ante affugerant, audito dicto aventu et rumore, redierunt ad civitatem. Unde per totam civitatem magne robarie fuerunt, et cursus et vasta magna facta fuerunt ad domos illorum de parte imperii et episcopi, et multi ex eis mortui fuerunt. Et ita recuperavit pars ecclesie ipsa die et ipso sero. Insuper rustici, qui venerunt com dicto Rolandano Scorza et ab aliis partibus, et ribaldi et alie viles persone ascenderunt palatia communis, vetus et nova, et domos potestatis et capitanei et gabelle et iudicis exactoris averis communis, qui stabat in p[illegible]io novo communis; et omnes libros bannorum ad taschas[42] malleficiorum et attoru[illegible]vorum et veterum et reformationum communis et populi Parme et condempnationum, existentes ibi in ipsis domibus et palatiis, fractis omnibus archivi bancis, universaliter astulerunt et fregerunt et delaceraverunt et de fenestris in plateam proiecerunt ad modum nevolarum[43], ita quod tota platea erat plena de cartis laceratis. Et 41 tali modo predicti rustici canzelati sunt de suis banis et sua debita persolverunt; robas vero dictorum potestatis et capitanei et familie eorum et dicti iudicis et arnese eorum spoliaverunt. Etiam multi alii cucurerunt ad palatium episcopatus, ubi residebat idem domnus Ghibertus com familia sua, et similiter libros et alias scripturas ibi existentes et arnese et robas dicti domni Ghiberti et familie sue totaliter spoliarunt. Ipso autem sero dicti diei potestas becariorum, calzolariorum, ferariorum et pellizariorum et proconsul notariorum loco potestatis et banni fecerunt, quod robarie cessarent; et antequam discederent de domibus potestatis, ipso eodem sero ellegerunt in potestatem Parme ab inde usque ad sex menses domnum Iacobum de Cavalcabovibus de Cremona predictum, qui venerat ut predicitur, qui in continenti incepit regere et banum imponere, quod robarie et guasta cessarent, quod quidem male factum fuit. Die autem sequenti, scilicet die Mercurii 27. dicti mensis Martii, potestas Cremone et milites Cremonenses, qui nocte Mart. 27 precedente exstiterant ad Grugnum, ut predicitur, venerunt Parmam et com magno gaudio

a) *an* alio?

40) Grugno in sinistra Tari fluv. ripa, a Parma inter septemtriones et occidentem. 41) cloaca. 42) Cf. infra ad 1328: *banna pecuniaria, que dicuntur tascarum.* 43) nubium.

1308. Mart. 27. et honore visi et recepti fuerunt ab amicis; et steterunt in Parma per aliquot dies. Et stando sic, pluribus vicibus equitaverunt versus Castrumnovum illorum de Corigia ubi se reduserat dictus domnus Ghibertus, et versus Campiginem ubi se reduserat domnus Matheus frater eius; set aliter nulum dannum fecerunt, et postea Cremonam redierunt. Et per commune Parme quatuor tubatores communis Cremone, qui venerant com dictis suis militibus, indutti fuerunt de scarleto de una roba intregra fodrata, antequam redirent. Quidam vero ex ipsis Cremonensibus redierunt de Berxilo et ipsam terram Berxili totaliter comburserunt, quod non in bonum reputatum fuit. Predictus autem domnus Saxolus rela-

44 xatus fuit, et datus pro inscontro[44] Iacobi de la Senaza et Palamini de Rubeis et filii domni Rizardi de Ruffinis, qui, ut supra dictum est, erant Guardaxoni in carceribus dicti domni Ghiberti, qui pro inscontro dicti domni Saxoli dati et relaxati fuerunt de ipsis carceribus. Eodem tempore baniti et confinati, qui erant extra civitatem Parme facti tempore dicti domni Ghiberti, redierunt libere et impune. Item eo tempore domnus Bennus de Bechedollis de Bononia vocatus et ellectus fuit capitaneus populi Parme per 6 menses; qui

Apr. 28. venit Parmam die dominico 28. mensis Aprilis et ea die incepit exercere officium suum. Item eodem tempore multi confinati facti fuerunt de parte imperii et episcopi, et missi

Mai. 3. extra civitatem et districtum Parme. Item eo tempore, die Veneris 3. mensis Maii populus Parme traxit ad arma ad plateam communis, cridando: *Vivat, vivat populus et pars Guelfa;* et multi alii clamabant: *Moriantur Ghebelini et Guelfi intraversati*[45] Et quidam cucurerunt ad domos domnorum Thomaxini et Oppezonis de Henzola et illorum de Altemannis et eas derobaverunt et in ipsis ignem miserunt, et comburse fuerunt ipse domus et plures alie circomvicine. Item eodem tempore et mense Mantuani et Veronenses venerunt per Paudum Guastalam et ipsam terram totaliter comburserunt. Item eodem tempore supra dictus Iacobus de la Senacia, habita licentia a communi, fortificavit Henzolam[46], et ipsum castrum afosadavit et spalancavit et munivit de bitefredis et bestreschis et aliis necessariis ad defensionem. Et in continenti sicut ipsum locum fortificavit — dedignatus, ut dixit, quod redierant in civitatem Lariolus, Bunrecatus et Pinatius de la Senacia, qui ante fuerant baniti pro morte domni Ugardi de Corigia — ipse Iacobus concordavit com domno Ghiberto de Corigia, et habito ab ipso auxilio et munimentis, revelavit[47] ipsum locum Henzole communi Parme, et incepit curere et comburere episcopatum Parme per ipsas contratas. Item eodem tempore supra dicti domni Thomaxinus et Oppezo de Henzola, non obstante quod ipse Oppezo tenuiset manus ad expellendum dictum domnum Ghibertum et remansiset in civitate, dedignati de cursu predicto superius sibi facto ad domos

48 eorum et de igne in eis misso, intraverunt Pupilium[48] et ipsum communi rebelaverunt com auxilio dicti domni Ghiberti. Item eodem tempore predicti qui exiverant de Parma, qui erant in Castronovo dicti domni Ghiberti et in Pupilio et in Henzola et etiam desuper in Guardaxono, multociens de die et de nocte cucurerunt per terras et contratas episcopatus versus civitatem et alibi, multa et multa comburendo vastando et robando; et e converso potestas com militibus et soldatis Parme et populo equitavit versus dictas terras et castra, similiter incendia multa et guasta more solito faciendo. Eodem tempore com ordinatum esset per commune Parme exercitum facere generalem contra predictos extrinsecos, et multa

Mai. 15. manghana et aparamenta fierent ad predicta, quedam pertica magna cuiusdam manghani, que steterat sub palatio communis a tempore guere Burgii sancti Donini antique citra, acepta fuiset de sub palatio et onerata esset super caro communis in platea pro ducendo eam in glaream communis ad quoddam manghanum ibi factum pro ipsa pertica, antequam boves ducerentur pro ipsa pertica sic ducenda, pueri parvi de civitate multi ceperunt carum per timonem, et asque bobis duxerunt ipsum carum com pertica usque in glaream communis, semper curendo et non demorando in aliquo loco; et hoc fuit die Mercurii 15. mensis

Iun. 9. Madii. Item eodem anno et tempore, die dominico 9. Iunii in publica contione more solito data fuerunt vesila vesiliferorum militum et balestrariorum et zapatorum[49] per dictum domnum potestatem; et capitaneum populi data fuerunt vesila vesiliferorum populi et

Iun. 10. vesiliferorum omnium viciniarum civitatis per omnes portas. Et die Lune sequenti, 10. die dicti mensis predicti potestas et capitaneus et vesiliferi militum et populi se moverunt et exiverunt extra ad eundum in exercitum contra predictos extrinsecos, et iverunt ipsa die

44) commutatione. 45) obliqui, pravi. 46) Enzola a Parma inter orientem et septemtriones. 47) alienavit. 48) Poviglio a Parma inter orientem et septemtriones. 49) dolobras gerentium.

Sorbulum et ibi se posuerunt. Et die Martis sequenti, 11. dicti mensis Iunii populus et 1308. Iun. 11. ceteri omnes generaliter com carris et omnibus aliis necessariis iverunt post eos in ipsum exercitum sic et sic generaliter, quod nomquam populus Parme sic bene iverat. Die autem Mercurii sequenti, 12. dicti mensis Iunii potestas, capitaneus, milites, populus, soldati et Iun. 12. omnes generaliter transierunt pontem de Sorbulo, et iverunt Henzolam, et ibi in exercitum se miserunt contra Henzolam. Et die Martis predicti 11. Iunii, non obstante dicto exer- Iun. 11. citu, centum milites de civibus Parme et 200 soldati equites et centum soldati pedites de illis communis Parme com uno ex sociis potestatis equitaverunt et iverunt Cremonam in auxilium Cremonensium, ubi erant due porte populi Mediolani et cum tota militia Mediolani Papie Placentie Vercelenses Novarienses Tardonenses Cumani Cremasci et Laudenses generaliter in auxilium Cremonensium, causa eundi supra Brixienses. Et bene iverunt usque ad terram que dicitur Bina Nova[50], et Senegham[51] in ripa Lolii. Et dixerunt, se 50 velle facere unum pontem super Lolium et ipsum transire, et ponere Brixienses exstrinsecos in Brixia; sed nichil fecerunt. Brixienses vero com auxilio Mantuanorum et Veronensium et aliorum suorum amicorum viriliter se opposuerunt. Et nichil facto, omnes ad propria redierunt, ita quod Parmenses redierunt Parmam die Martis 18. mensis Iunii, et facti sunt Iun. 18. in exercitum predictum Henzole, nisi parum steterunt, propter id quod sequitur. Eodem tempore, post predicta immediate domnus Zifridinus de la Ture de Mediolano, capitaneus generalis soldatorum equitum dicte lighe, venit Parmam com ducentis militibus causa eundi in dictum exercitum, set non iverunt propter id quod sequitur. Eodem tempore et de dicto mense, die 19. dicti mensis, in festo sanctorum Gervaxii et Protaxii predictus domnus Iun 19. Ghibertus de Corigia, convocatis et congregatis undique amicis suis tam partis ecclesie quam partis imperii et aliis et maxime partis imperii seu Ghibeline secum in Castronovo — inter quos fuerunt multi de Regio et districtu per partem et non per commune, et Mutinenses omnes generaliter populus et milites per commune cum capitaneo civitatis eiusdem, extrinseci seu baniti civitatis Bononie, comites de Panigo com toto suo exsforcio, domni de Palude, baniti communis Parme com suis hominibus, et domnus Franciscinus Malaspina olim cognatus dicti domni Ghiberti com certis hominibus de Lulixana[52], et omnes alii utriusque partis, qui ad eum venire potuerunt — cum balistris armis et eques et pedes, et omnes soldati equites et pedites, qui exstiterant ad solidum dicti domni Ghiberti et communis Parme tempore sue defensorie, et omnes Parmenses qui com eo expulsi erant de civitate Parme, et homines terrarum suarum, venit ad locum dicti exercitus com predictorum omnium comitiva, ordinatis aciebus eorum. Parmenses autem, qui erant in exercitu, populus et milites generaliter et soldati communis pedites et equites, hoc scito, armaverunt se; et potestas et capitaneus et confalonerii militum et peditum et vicinearum et potestates quatuor misteriorum et proconsul notariorum civitatis Parme, qui ibi habebant banderias eorum, et qui fecerant per ipsas communitates multa talamatia et insignia eorum, que ibi habebant, et suis aciebus ordinatis, iverunt contra dictum domnum Ghibertum et gentem suam. Et inito prelio arduo et magno, tum quia Parmenses non erant bene unanimi voluntate tum quia preliari noluerunt, Parmenses omnes, populus et milites et soldati omnes se ruperunt et in fugam se miserunt, et conflicti et rupti fuerunt per dictum domnum Ghibertum et gentem suam. In quo conflictu multi ex confaloneriis et ex feritoribus[53] mortui fuerunt, infiniti vulnerati; bene centum de bonis civibus Parme mortui fuerunt, et multo plures mortui fuissent, nisi predictus domnus Ghibertus prohibuiset de civibus Parme. Et plures ducentis ex soldatis Lucanis, qui ibi erant ad solidum communis Parme, mortui fuerunt. Civium autem quidam numquam reperti fuerunt, quidam postea aportati fuerunt in civitatem et sepulti, et multi in campo remanserunt per plures dies, et multi deiecti fuerunt in puteis sive pozacharis[54], qui erant in dicto exercitu. Et captorum et 54 carzeratorum non fuit numerus, quorum quidam fuerunt ducti ad Castrumnovum, quidam Pupilium, quidam Campiginem, quidam Henzolam et quidam Guardaxonum, et plurimi per Mutinenses ducti fuerunt in districtum Mutine, et ibi detenti donec se redimerunt, et quidam in Lulixana; illi autem, qui per commune Mutine haberi potuerunt, acepti fuerunt per ipsum commune et custoditi, donec pax facta fuit. In dicto exercitu remanserunt omnia manghana communis, tende et pavilioni communis et singularum personarum sine

50) Bina Nuova ad Ollium fluv., a Brixia ad meridiem. 51) Seniga ibidem. 52) terra Lunisiana. 53) i. e. ex eis qui vulnerant. 54) stagnis.

1308. Iun. 19. numero, plastra, boves, res et utensilia et omnia que ibi erant. Et multi per stratam fugientes perierunt. In somma dici non posset, quanta fuit perdita asque periculo personarum. Mutinenses, qui consueti erant se appelare fratres Parmensium et e converso, quidquid mali facere potuerunt, fecerunt; et non fuit aliquis ex ipsis, qui non fieret dives de eo quod ibi astulerunt, et de carceratis quos ceperunt et spoliaverunt et cohegerunt ipsos se redimere antequam liberarent eos; nam campum eis remansit, ita quod potuerunt acipere et facere quecomque voluerunt. Domnus autem Ghibertus com suis Parmensibus et aliis secum existentibus venit post fugientes usque ad portas civitatis; set non intravit, quia dictus domnus Zifredinus de la Ture com dictis soldatis erat Parme, qui deffenderunt portas et civitatem com illis qui remanserant domi. Dolor maximus, ploratus et ululatus tunc fuit in civitate Parme. In reditu autem quem faciebant dictus domnus Ghibertus et sui quotcomque de Parma inveniebant, capiebant etiam et compelebant reverti secum ad Castrumnovum, et ibi detenti fuerunt. Mantuani et Veronenses, nisi quinquaginta com equabus, non fuerunt ad predicta com dicto domno Ghiberto, quia nondum reversi erant a dicto exercitu Brixiensium. Pauci confalonerii et insignie de illis communis Parme et de vicinis civitatis, immo quasi nuli evaserunt; potestas et capitaneus evaserunt com personis, armis et equis, quos secum habebant. Et sic dictus domnus Ghibertus et pars sua obtinuit dicta die. Domnus Guiellminus de Rubeis nec domnus Ugholinus de Rubeis erant in dicto exercitu; set Iacobinus, filius dicti domni Guiellmi, bene erat, et fuit captus et ductus Mutinam in carceribus, honorifice tamen detentus fuit usque ad pacem factam.
Iun. 28. Eodem tempore et anno et mense, die Veneris 28. dicti mensis Iunii facta et iurata fuit pax generalisima in consilio generali communis et populi Parme in palatio veteri communis inter sindicum communis Parme nomine ipsius communis ex una parte, et sindicum dicti domni Ghiberti et partis predicte secum existentium ex alia. Propter quam pacem omnes baniti et extrinseci civitatis Parme — sive partis imperii et episcopi sive domni Ghiberti predicti, qui sive ab antiquo sive noviter sive tempore aliquo fuisent expulsi de Parma, sive occasione partis, malesardie, sive maleficiorum sive alia occasione — canzelati et exempti fuerunt de banis suis; et confinati a confinibus asoluti, ita quod omnes indiferenter fuerunt in dicta pace et redire potuerunt libere Parmam ad eorum voluntatem. Et dicte pacis domnus Anselmus de Marano abas Sancti Iohannis fuit trattator, auctor, fator et
Iun. 29. executor. Die autem sabati sequenti, die penultimo Iunii in festo sanctorum Petri et Pauli predictus domnus Ghibertus et com eo existentes et omnes capti predicti relaxati fuerunt, et redierunt Parmam; et domnus Manfredinus Pelavicinus, filius condam domni Uberti marchionis Pelavicini, et domni de Palude et alii omnes partis imperii similiter Parmam reddierunt. Eodem die sabati domnus Iacobus Cavalchabos potestas Parme, domnus Bennus de Bechedelis capitaneus populi Parme licentiati fuerunt, et receserunt ab ipsis regiminibus et civitate Parme, et per comune Parme in pecunia numerata sibi solutum fuit de totis salariis eorum, et restitutum et emendatum fuit eis, quiquid perdiderant in dicto exercitu de Henzola. Eodem die sabati domnus Zifredinus de la Ture de Mediolano predictus, qui erat ut predicitur Parme, cui commisum fuit regimen civitatis Parme ex forma capitulorum dicte pacis donec de rectoribus provisum foret, tanquam rector communis Parme et potestas et pro capitaneo incepit regere, et rexit civitatem Parme usque ad diem secundum mensis Augusti proxime subsequens. Eodem die sabati factum fuit consilium quadringintorum bonorum hominum civitatis Parme, omnium de populo, quibus comissa fuit omnis baylia civitatis et districtus Parme, et in dicto consilio quadringintorum, qui habebant autoritatem totam in omnibus negotiis civitatis, data fuit autoritas et baylia domno Anselmo de Marano abati monasterii sancti Iohannis Parme elligendi potestatem et capitaneum civitatis Parme, cum dictus domnus Zifredinus de la Ture omnino diceret, quod non staret Parme pro potestate. Qui domnus abas[a] domnum Syghifredum de Arzignano de Vicencia in potestatem Parme, et domnum Andriolum marchionem de Gavio de Ianua in capitaneum populi Parme; qui ambo aceptaverunt dicta regimina. Item eo anno et tempore, existente dicto domno Zifredino de la Ture adhuc in dicto re-
Aug. 2. gimine Parme, die Veneris 2. mensis Augusti, dictus domnus Andriolus de Gavio marchio de Ianua ionssit[55] Parmam com tota sua familia, et more solito iuravit in publica concione dictam capitaneriam civitatis Parme, et regere incepit. Item eodem anno et mense et

a) elegit *excidisse videtur*.

55) pervenit, Ital. *giunse*.

die sabati 3. mensis Augusti, sommo mane de conscientia omnium domnus Zifredinus de la Ture predictus com tota sua familia discesit de civitate et regimine Parme. Et eodem die sabati 3. Augusti dicti anni in hora none domnus Ghibertus de Corigia com soldatis suis et com omnibus suis amicis cucurit ad plateam armatus et eques, et initis in pluribus locis civitatis preliis et rumoribus inter multos, illi domni de Rubeis de Lupis et de Henzola et multi alii antiqui partis ecclesie expulsi fuerunt de civitate Parme, et domus eorum combuste et derobate; et robarie magne et homicidia et alia mala in civitate et districtu Parme per illos, qui dicebant se[a] amicos domni Ghiberti et partis imperii et episcopi, in illos qui dicebantur de parte Rubeorum et Luporum, licet essent partis ecclesie, et in omnes eorum amicos. Qui domni de Rubeis, Lupis com[b] aliis suis sequacibus iverunt ad terram Burgi sancti Donini, ubi se reduxerunt. Que terra Burgii sancti Donini et castrum de Mariano et castrum de Berceto data erant dictis domnis et eorum parti in dicta pace facta, de qua supra fit mentio, per formam sive capitula seu sententiam dicte pacis, pro securitate et secura habitatione eorum. Sed modico elapso tempore, illi de Berceto et illi de Mariano non tenuerunt eos, imo expulerunt, et com communi remansis in civitate Parme se tenuerunt ad[c] mandata[c] communis. Item eodem mense et tempore predicti etiam expulsi de civitate intraverunt Grarolam[56] monasterii sancti Pauli et in Torclariam[57], que quidem 56 loca ambo et dictam terram de Burgo sancti Donini munierunt; et inceperunt curere et guerram facere eorum posse contra civitatem et illos qui remanserant in civitate. Item eo tempore propter dictas novitates ortas dictus domnus Syghifredus de Arzignano de Vicentia, qui ellectus fuerat in potestatem Parme, cum fuit in civitate Mantue, veniens ad dictum regimen, audito de dictis novitatibus, non venit ulterius set ad propria rediit com sua familia. Item dictus capitaneus non ulterius se intromixit de aliquo regimine faciendo, ynmo die dominico 4. dicti mensis Augusti in consilio generali communis Parme denuntiavit de salario suo, et ipsum petiit, et mane adveniente com sua familia discesit et ad propria remeavit asque salario. Item eodem mense Augusti, die Lune 5, facti fuerunt rectores Parme seu potestates: quidam iudex de Placentia seu de districtu, qui venerat com dicto capitaneo Parme pro suo iudice, cui nomen erat domnus Iacobus de Stradella, et quidam alius iudex de Cremona de illis, qui venerant et steterant com dicto domno Zifredino de la Ture, cuius nomen erat domnus Gasapinus de Antignatis. Qui ambo communiter reserunt usque ad aventum subsequentis potestatis; sed nichil timebantur, ita quod non potuerunt prohibere infinitas robarias, violentias, extorsiones, furta, incendia et homicidia et alia mala infinita, que cotidie et indiferenter fiebant in civitate et extra et fuerunt facta usque ad aventum subsequentis rectoris. Et habuit quilibet pro suo salario 60 libras imperialium, et habiti fuerunt et steterunt loco. Item eodem anno et mense, die dominico 11. Augusti in mane Iacobus de la Senaza, qui tunc temporis stabat de pecha[58] Rachelli in domo domni Anthonii de Sulcio, existendo ibi in ipsa domo com Adigherio de Senaza patruo suo, Mastino de Sancto Vitale et filio eius Mastinello, et quodam bastardo de la Senaza dicto Giliolo, et pluribus aliis usque in novem, et quodam filio parvulo dicti Iacobi, omnes novem interfecti, mortui et occisi fuerunt a pluribus; de quo non fuit maximus dolor in civitate, et maxime de dicto Iacobo. Item eodem anno et mense, die Lune 12. Augusti domnus Paganinus comes de Panigho de Bononia de extrinsecis ellectus venit Parmam pro potestate, et ipsa die incepit regere, et fuit potestas per sex menses. Item eo anno et mense domnus Ugholinus domni Thadei de Manfredis de Regio ellectus fuit in capitaneum Parme, et venit Parme die 19. mensis predicti Augusti et incepit regere. Item eodem anno pax Placentinorum facta fuit inter intrinsechos et extrinsecos, ita quod illi qui erant extra redierunt Placentiam. Et fecerunt eorum dominum usque ad 5 annos domnum Guidonem de la Ture, capitaneum Mediolani, in quem[d] se compromiserant; qui illuc venit, et dimissis ibi pro eo potestate et capitaneo et soldatis equitibus et peditibus, rediit Mediolanum. Item eo anno et tempore domni de Scorcis com quibusdam aliis, qui com[e] eis erant Torclaree, venerunt quadam nocte et comburserunt burgum extra portam Novam de religione veteri. Item eodem anno de mense Septembris commune Parme exivit in exercitum, scilicet due

[Margin: 1308. Aug. 3. — Aug. 4. — Aug. 5. — Aug. 11. — Aug. 12. — Aug. 19. — Sept.]

a) se *deest cod.* b) et *cod.* c) amandata *cod.* d) que *cod.* e) com *deest cod.*

56) Ghiaruola in dextera Tari fluv. ripa, a Parma inter meridiem et occidentem. 57) Torrechiara v. supra p. 711, n. 88. 58) podio.

1308. Sept. porte populi, milites omnes et soldati omnes equites et pedites, ad castrum Glarole[59], ubi erant quidam de Rubeis et de amicis suis exstrinsecis Parme. Et dato ibi prelio grandi et Sept. 13. arduo, per fortiam die Veneris 13. dicti mensis dictum castrum Glarole a Parmensibus intrinsecis captum fuit. Et capti fuerunt bene 60 carcerati, inter quos fuerunt Lamorotus de Rubeis, Palaminus de Rubeis, naturales tamen, et Roglerius Baratus, qui quatuor[a] fuerunt ducti Guardaxanum in carceribus, alii Parme in carceribus remanserunt, et plures occisi fuerunt; et castrum diruptum fuit tunc per commune Parme. Item eodem tempore et continuato dicto mense Septembris post predictam[b] de Glarola dictus exercitus communis Parme ivit Torclaream, ubi domnus Gilius Scorza, Rolandinus et Cabriynus eius filii, et multi alii boni viri de populo Parme partis ecclesie et de contratis se reduxerant, et faciebant guerram. Et tandem, positis ibi manghanis et aliis aparatibus ad exercitum, steterunt Oct. 4. Parmenses ibi in obscedio dicti castri de Torclarea usque ad diem Mercurii[c] mensis Octubris. Et quando populus duarum portarum steterat ibi per 15 dies, rediebat, et populus aliarum duarum portarum ibat; et tandem, propter duritiam temporis yhemalis, exercitus non bene stabat ut volebant. Sed sicut Deo placuit, predictus Rolandinus Scorza et alii secum existentes dederunt locum communi, et fuerunt exempti de banis suis, et redierunt in civitatem, et exercitus rediit Parmam. Item eo anno et tempore domnus Guido de la Ture de Mediolano, qui solum ad tempus erat capitaneus Mediolani, factus fuit perpetuus. Item eodem anno de mense Octubris domnus Berrardus de Madiis episcopus et 60 dominus Brixie obiit[60], et domnus Mapheus de Madiis, eius frater, factus fuit perpetuus dominus civitatis Brixie. Item eo anno et tempore Ferarienses inter se motionem fecerunt, ita quod Venetiani com navilio suo venerunt illuc et Bononienses com suo exercitu et Paduani similiter, omnes volentes per se dictam civitatem Ferarie. Domnus vero Freschus filius naturalis dicti domni Aczonis marchionis Exstensis, qui erat dominus et marchio loco patris — videns, quod civitatem non poterat tenere et antiqui exiticii de Feraria venerant ad predictam, scilicet domnus Saienguera[61] de Saiengueris, domni de Fontana et domni de Lambertis com suis amicis, de quibus multum timebat — dedit se et totam civitatem et districtum Ferarie communi Veneziarum et in sua deffensione, et exinde habuit maximam et innumerabilem quantitatem florenorum auri. Et predicti Paduani et Bononienses ad propria redierunt. Et vocari debebat Feraria Venetia parva. Venetiani vero, non considerato quod Feraria erat civitas ecclesie, eam in suam acceperunt et munierunt, et potestatem et capitaneum et alios rectores de suis ibi dimiserunt, reputantes eam alteram Venetiam et dicentes. Similiter Mantuani et Veronenses venerant et libentisime accepisent dictam civitatem Ferarie, si eam habere potuisent. Item eodem anno et tempore quidam ex predictis intrinsecis Parme, qui iverant in Burgum sancti Donini, venerunt quadam nocte in burgum Sancti Ylarii extra portam Sancte Crucis, et comburserunt in magna quantitate dicti burgi.

1309. Febr. 5. 1309, indictione 7, die Mercurii 5. Februarii in festo sancte Agathe, iam multum sero facto, prope primum sompnum domnus Petrus Manchasola de Placentia venit Parmam pro potestate — ellectus per sex menses fuit potestas Parme — ita quod iuravit regimen ad ecclesiam maiorem ad offerendum ipsa nocte in publica concione more solito ad lumen cereorum et lumeriarum quam plurimum; et in continenti incepit regere. Item eodem anno domnus Ghibertus de Corigia factus fuit potestas mercatorum et marcadandie civitatis Parme usque ad 5 annos. Item eodem anno et tempore multi confinati et multi condempnati fuerunt per commune Parme de parte ecclesie pretestu partis Rubeorum, et multi inculpati fuerunt de certis tratatibus, propter quod evitabant mandata communis. Item Mai. eodem millesimo, anno et de mense Madii, quia in civitate Placentie orta erat quedam 4. divisio, dictus domnus Petrus Mancasola potestas Parme com militia et soldatis equitibus communis Parme subito equitaverunt Placentiam in sucursum domni Alberti Scoti et suorum amicorum; nam dictus domnus Petrus erat gener dicti domni Alberti Scotti. Et de ipsa civitate Placentie expulsi fuerunt rectores et soldati omnes, qui ibi erant pro domno Guidone de la Ture; et domnus Vesconte Pelavicinus et domnus Ubertus de Cario domnus Lanzalotus de Angusolis domnus Ubertus de Lando et multi alii de Forghosiis et de aliis domibus

a) *sic cod.* b) captionem *excidisse videtur.* c) quartum *excidisse videtur.*

59) Ghiaruola v. supra p. 749, n. 56. 60) Oct. 6. 61) III.

magnorum et populi Placentie com eorum amicis reduxerunt se in certis suis terris. Et 1309. predictus domnus Petrus Manchasola potestas adhuc existens, ut predicitur, in dicta sua Mai. civitate Placentie, unde erat, sicut Deo placuit obiit in pace; ita quod non rediit Parmam. Alii vero milites et soldati sani et salvi redierunt. Item eodem anno comissum fuit regimen potestarie civitatis Parme post mortem dicti domni Petri Manchasole die 22. mensis Maii Mai. 2 domno Bertholino de Ture sive de Roddinis, iudici de Regio, qui erat Parme com dicto domno potestate pro eius iudice et assessore; qui domnus Bertholinus incepit regere dicta die 22. dicti mensis Maii, et ressit per totum ipsum mensem, et solutum fuit sibi per commune Parme de toto salario filio dicti domni Petri. Item eo anno, die dominico 1. Iunii dictus domnus Ugholinus de Manfredis capitaneus electus fuit potestas Parme, et Iun. 1 essendo capitaneus rexit usque in ipso die, et subsequenter usque in diem 10. eiusdem Iun. 10. mensis, quo die sucessor venit. Item eodem anno, in die sancti Gervaxii domnus Iun. 19. Oppezinus Spinula de Luculo, capitaneus et dominus civitatis Ianue, et pars sua expulsi fuerunt de civitate Ianue, et conflicti in prelio a domnis de Grimaldis et de Flisco et aliis exstrinsecis Ianue. Et in ipso conflictu quidam civis Parme, qui vocabatur domnus Anthonius de Gualdinis, qui tunc erat potestas Ianue, in ipso conflictu mortuus fuit. Et dicti domni de Flisco et de Grimaldis, qui steterant extra Ianuam bene 40 annis et plus, com aliis eorum amicis reversi sunt Ianuam; qui dicebantur partis ecclesie. Item eodem anno et tempore in civitate Ferarie Ferarienses recusaverunt dominium Venetianorum, et miserunt ad domnum papam[62] quod miteret ad accipiendum civitatem tanquam ecclesie. 62 Et inito prelio in ipsa civitate, rectores et alii ibi existentes pro Venetianis, non valentes resistere, reduxerunt se in castrum Tedaldum, quod est a capite dicte civitatis. Et Venetiani cum navilio suo per aquam et per terram venerunt in obscedio civitatis com manganis et aliis aparatibus. Bononienses vero venerunt in auxilium Ferarie et castramentati sunt ab alio[a] latere Paudi, et amanganabant Venetianos existentes com suo exercito in Paudo in navibus. Domnus papa requisivit Venetianos, quod rederent dictum castrum et discederent et amplius non se intromiterent de factis Ferarie; qui Venetiani in totum recusaverunt. Unde domnus papa missit in Lombardiam quendam cardinalem eius nepotem, cuius nomen erat domnus Arnoaldus Pelagrua[63], qui per Parmam transivit de mense Iunii, et ivit Bononiam Iun. et de Bononia Ferariam, et facta excommunicatione maiori de Venetianis et predicata cruce et generali indulgentia omnium peccatorum omnibus ire volentibus ad soldum dicti domni cardinalis et ecclesie contra Venetianos, dictus domnus cardinalis congregavit maximam comitivam gentium, eques et pedes, de clericis et prelatis Lombardie, et de toto communi Bononie generaliter et de Romaniola, marchia Anconitana et de terris ecclesie et patrimonii, Apulie et Tuscie. Exercitu durato per tres menses vel circa, tandem Venetiani Aug. 28. conflicti et mortui fuerunt et neccati bene numero septem milium et plus. Et predicti, qui erant in dicto castro Tedaldo, omnes occisi fuerunt, et dimisso navigio et omnibus aliis rebus, pauci per fugam evaserunt; et comes Raynaldus de Marcharia, qui tenebat com Venetianis, occisus fuit. Et de predictis Parmenses non se intromiserunt, et multi doluerunt. Et predictus conflictus fuit de mense Augusti. Et continuato tempore dictus domnus legatus dictum suum et ecclesie exercitum missit ad quoddam castrum, quod vocabatur Marchabos, quod situm erat fortisimum in ripa Paudi in districtu Ravene iuxta mare, quod tenebatur per Venetianos per fortiam et pro denariis, propter quod tenebant Lombardos in magna servitute pro mercatoribus; et ipsum castrum, sicud Deo placuit, per Sept. 23 exercitum dicti domni legati per fortiam et prelium captum fuit, et postea in continenti in totum funditus diruptum. Item eodem tempore ordo seu fratres Templi per totum mondum depositi fuerunt per sanctam ecclesiam et domnum papam, quia inculpati fuerunt et vere de crimine heresis, et quod inter cetera negabant crucifisum dominum Yesum Christum, et spuebant super cruce eiusdem in dedecus eius et omnium christianorum. Et ob hoc domnus archiepiscopus Ravene[64] venit Parmam et ad alias terras Lombardie de commissione sedis apostolice ad sententiam excommunicationis et depositionis contra dictum ordinem exequendum postea. Item eodem anno domnus Guiellminus de Garsonibus de Mutina fuit potestas Parme, ellectus a die, quo veniret Parmam, usque ad Calendas

a) alia c.

62) Clementem V. 63) diac. card. S. Mariae in porticu. 64) Rainaldus (1303—1321), antea ep. Vicentinus (1296—1303).

1309. Iun. 16. Iun. 17. Ianuarii proximas subsequentes. Qui venit Parmam die 16. Iunii, et die sequenti incepit regere, scilicet die Martis 17. eiusdem mensis Iunii, et complevit tempus dicti regiminis. Item eodem anno, finito regimine capitanerie dicti domni Ugholini de Manfredis capitanei Parme, qui fecit per unum annum, cum commune Parme capitaneum populi non haberet, commisum fuit officium capitanei predicto domno Iacobo de Stradella, iudici de Plazentia, qui erat tunc Parme pro iudice gabelle et salis communis; qui domnus Iacobus rexit pro capitaneo usque adventum capitanei venturi. Item eodem anno et tempore predictus domnus potestas dedit in publica concione vexila confaloneriorum populi et confaloneriorum viciniarum causa eundi in exercitum contra Burgum sancti Donini. Item eodem anno orta divisione inter domnos de la Ture de Mediolano, dictus domnus Guido de la Ture capitaneus 65 Mediolani cepit domnum Castonum de la Ture archiepiscopum Mediolani[65] et domnum Paganinum fratrem suum, filios condam domni Musche de la Ture, et ipsos carceravit; de quo Sept. fuit postea ab ecclesia exscommunicatus. Item eodem anno de mense Setembris domnus Alexander[a] de Cancletinis de Brixia factus fuit capitaneus Parme communis per sex men- Sept. 8. ses, et venit Parmam die 8. dicti mensis et ea die coepit regere. Item eodem anno, Sept. 16. die 16. Septembris generalis exercitus civitatis et districtus Parme, militum, populi et soldatorum se movens exivit contra Burgum sancti Donini et existentes ibidem. Et in auxilio communis Parme in maxima quantitate soldatorum equitum et peditum et balistrariorum de Verona Mantua Mutina et Brixia fuerunt, et de Regio eciam, qui omnes iverunt in dictum exercitum et steterunt, et de Malaspinis. Et ad custodiam civitatis non remanserunt nisi infirmi, maiores 70 annis, et minores 18 annis, et 200 pedites de Mutina ad dictam custodiam expensis communis; et 100[b] . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

1311. Ian. In 1311. de mense Ianuarii . . . Eodem anno facta fuit societas et liga inter homines Guelfos et partis ecclesie Lombardorum, Tuscorum, Romandiolorum. Et in ipsa fuerunt domnus Ghibertus de Corrigia dominus Parme, et Regini, Bononienses, marchiones de Cavalcabovibus cum extrinsecis Cremone, domni de la Turre cum extrinsecis Mediolani, Florentini Senenses et Lucani et alii plures. Qui omnes ligam fecerunt cum rege Roberto Apr. 6. contra imperatorem Henricum ne coronaretur in Roma. Eodem anno, die Martis 6. mensis Aprilis quidam de civitate Placentie iudex, nomine Guelfus de illis Oddonum, qui Parmam venerat pro essendo iudice domni Franceschini marchionis Malaspine, cognati olim domni Ghiberti de Corrigia, vicarii dati a domno rege civitatis et districtus Parme, nondum existentis Parme, pro ipso domno Francischino vicario regere incepit civitatem Parme, et pro eodem rexit usque ad adventum ipsius domni Franceschini; qui domnus Franceschinus venit Parmam die Mercurii 14. Aprilis, et fuit secundus vicarius pro imperatore in civitate Parme.
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

1312. Nov. 12. In 1312. . . . . . . Die dominico 12. mensis Novembris domni de Rubeis, qui erant extra Parmam, licet non banniti et gaudentes bona sua, associati cum Iacobino de Cornazano cognato domni Ghiberti de Corrigia et coniurati secum et cum pluribus aliis partis imperii et Ghibellinis tam Parme quam Lombardie, intraverunt in castrum Medesani districtus Parme, ipsumque munierunt et contratam circumierunt, incendia predas et robarias hominum rerum et bestiarnm facientes in rebellione communis Parme. Et habuerunt vicarium pro dicto domno imperatore quemdam civem Mediolani, qui vocabatur domnus Musacus, et cum eis erant maxima gentium peditum et equitum comitiva. Et ceteri de Parma, tam partis ecclesie quam imperii, qui erant in civitate, iverunt ad standum cum eis et in eorum auxilium; et tunc domni de Rubeis consociaverunt se cum Ghibellinis et cum parte imperii. Item Nov. 17. de mense Novembris, die Veneris 17. eiusdem mensis ordinatum et reformatum fuit per consilium communis Parme sine timore imperatoris sive alterius, antiqua commemorando, Nov. 19. quod fovee civitatis iterato cavarentur et reficerentur; et die dominico sequenti per domnos potestatem et capitaneum, domnum Ghibertum de Corrigia et alios sapientes vise et examinate fuerunt, ubi plus expediebat, et postea divise per vicinias civitatis et terras episcopatus fuerunt et cavate ab hominibus civitatis personaliter, et quanto erant maiores tanto melius ibant ad cavandum et exequendum predicta. Eodem tempore et mense nobiles et potentes civitatis Parme fecerunt venire ad civitatem pro custodia homines terrarum suarum.

a Alexandex c. b) *hic terminatur codicis pars prima.*

65) 1308–1317, post patriarcham Aquileiensem (1317).

Item similiter milites civitatis Cremone cum hominibus de Casalimaiore, de Sabloneta[66], 1312. de Portiolo, de Pomponesco et diversis et multis aliis terris districtus Cremone et multi milites de Regio venerunt Parmam in auxilium domni Ghiberti de Corrigia et amicorum eiusdem et ad custodiam civitatis Parme. Item eodem tempore predicti domni de Rubeis et alii partis existentis extra Parmam intraverunt et occupaverunt contra commune et civitatem Parme turrem et locum domni Singhenbaldi de Flisco, que est iuxta stratam ad Burghetum Taronis[67]. Item eodem anno et tempore de mense Novembris, cum diceretur 67 quod quedam proditio fieret in civitate Parme a parte in partem, et hoc notum fuisset rectoribus civitatis, quidam ex civibus Parmensibus tam partis ecclesie dicte Rubeorum quam partis imperii ab antiquo confinati fuerunt et missi fuerunt ad civitatem Ferrarie ad confinia, et quidam capti et per gulam appensi, quorum nomina fuerunt Symon de Putaleis dictus de familia domni Ghiberti de Corrigia, de vicinia Sancti Michaelis de Canali, Bernardus de Valeria de vicinia Sancti Basilidis et Iohannes de Tablano tabernarius de vicinia Sancti Iacobi [in capite] pontis, qui dicebantur de parte imperii. Eodem tempore, die Iovis 14. mensis Decembris nocte sequenti circa primum sompnum, visa fuit luna — que Dec. 14. tunc erat secundum numerum aureum quartadecima vel circa — quasi mortua, et visa fuit obscura, nigra per magnam horam et postea sanguinolenta et rubea cum circulo aliquantulum lucente et crescente, sicut facit quando de novo apparet, et ita bene stetit per aliam horam. Item eodem anno de mense Decembris fuerunt murate porte civitatis Parme, et steterunt absque eo quod aperirentur tempore aliquo, exceptis portis Sancte Crucis, de Sancto Bernabeo, Sancti Michaelis de archu, Stradelle nove et Sancti Francisci.

Anno Domini 1313. . . . . Die sabbati 13. mensis Ianuarii, quo die est festum sancti 1313. Ian 13. Hilarii, domnus Guielmus de Rubeis et ceteri de Rubeis associati cum Ghibellinis et domnus Pelavicinus intraverunt Burgum sancti Donini cum insigniis imperatoris et domni Maphei Vicecomitis domini Mediolani, et expulerunt vicarium, qui ibi erat pro domno Ghiberto de Corrigia, et omnes amicos domni Ghiberti predicti et omnes partis ecclesie de ipsa terra, et turrem novam ibi per commune Parme factam post aliquot dies habuerunt, ad cuius turris captionem mortuus fuit quidam filius condam domni Hugolini Rubei, nomine Boxius, qui erat canonicus Parmensis; et que omnia proditorie processerunt. Et qui cucurrerunt contratam et magna damna fecerunt. Item die 13. Ianuarii Cabriettus Scorza, filius condam domni Gilii Scorze et frater olim Rolandini Scorze, intravit Padernum et guerriare cepit contra Parmam. Item de mense Ianuarii palancata iam incepta circumquaque civitatem Parme, nondum completa, completa fuerunt et facta in glarea communis de Sancto Spiritu a ponte de Galleria usque ad pontem lapidis, et desuper ipsum pontem lapidis apud flumen Parme usque ad pontem Salariorum, et ab ipso ponte Salariorum usque ad portam Spadariorum; et iuxta terralia civitatis intus, ubi non erant vie facte fuerunt circumquaque, et bitifredi sive bicoche et bicochini pro scaraquaytis[68] de nocte facendis, facti fuerunt circumquaque super terraleis civitatis Parme et iuxta murum de glarea desuper et desuptus. Et porta de Scagarda cum barbacane facta fuit, et pontes qui erant ad portam pontis de Bononie destruti fuerunt, et omni die et nocte magne custodie fiebant ad portas et ad bitifredi. Et hec facta fuerunt quia timebant, quod imperator[69] non veniret ad obsidendum civitatem Parme, rocolendo guerram Federici imperatoris. Et ad dicta laboreria fieri faciendum electus et deputatus fuit quidam iudex de Regio, qui vocabatur domnus Abraiminus de Cazalupis, et cui verius dici poterat Abraminus sanz peyre. Et fovee civitatis undique melius cavate fuerunt quam erant et burgorum. Die 7. Februarii Febr 7 domnus Petrus de Spinis de Florentia venit per potestatem Parme et fuit potestas per sex menses, et ea die regere cepit. Die Lune Martii reformatum fuit in quodam consilio Mart. generali communis Parme in palatio veteri et more solito congregato numero quingentorum de dando civitatem et districtum Parme domno regi Roberto regi Apulie, qui fuit filius ... domni Karoli regis quondam; de qua reformatione multa diversimode dicta fuerunt. Eodem tempore magna quantitas peditum cum lanceis longhis, missa a Guelfis de Romagna, venit Parmam in succursum domni Ghiberti et civitatis. Item eodem tempore dictus domnus Ghibertus renunciavit dominium civitatis Cremone, sed in se retinuit

66) Sabbionetta a Casalmaggiore ad orientem. 67) Borgotaro a Pontremoli inter septemtriones et occidentem. 68) excubiis. 69) Heinricus VII.

1313. Guastallam cum curia. Item de mense Aprilis exercitus domni legati, qui obsidebat Apr. Ferrariam, fuit conflictus a marchionibus cum gentibus suis et domni Mastini et domni Azonis, qui omnes capti et multi in Paudo necati fuerunt, inter quos capti fuerunt quasi omnes nobiles de Romandiola et marchia Anchonitana, de quibus legatus nullum voluit redimere; sed ipsi, cum pluribus diebus in carceribus stetissent, se com marchionibus concordaverunt, et marchiones eos ad unum ad unum dimiserunt. Et relaxati rebellaverunt Forlivium Faventiam et Ariminum, propter quod legatus subito perdidit dominium Mai. totius Rumandiole et marchie Anchonitane. Die Mercurii mensis Maii quidam miles domni Roberti regis, dictus domnus Simon de Villa, com 100 militibus Catelanis ad soldum dicti domni regis, per duos menses postea ad soldum communis Parme, venit Parmam in succursum domni Ghiberti et civitatis, missus a dicto domno rege, et habebat soldum duodecim florenorum auri pro quolibet equo sive ronzino. Eodem tempore domnus Ghibertus de Corrigia per dictum domnum regem factus fuit capitaneus generalis civitatis Parme et Cremone et totius partis Guelfe Lombardie, et habebat salarium a communi Parme pro uno anno 2000 librarum imperialium. Et per ipsum domnum Ghibertum et nobiles et commune Parme iurata fuit fidelitas et homagium dicto domno regi Roberto. Item die dominico mensis Maii in pleno et generali consilio communis Parme iurata fuit fidelitas et homagium in manibus dicti domni Simonis de Villa, recipientis nomine et vice dicti domni regis Roberti, per sindicum generalem communis Parme, ad hoc constitutum nomine dicti communis, et per dictum domnum Ghibertum de Corrigia et domnum Mattheum eius fratrem et per domnum Iohanninum et Zanquilicum de Sancto Vitale, et per alios nobiles civitatis, et per advocatos mercatorum et ancianum iudicum, proconsulem notariorum, potestates seu capita quatuor misteriorum et alios ancianos misteriorum, qui erant ad consilium; et sindicus fuit domnus Roglerinus de Sancto Michaele, qui pro communi fecit dictum iuramentum. Quod quidem totum factum fuit, ut per dictum regem dictus domnus Ghibertus et civitas melius defenderentur ab imperatore et a Ghibellinis de Lombardia. Et per dictum domnum regem et pro eo deputatus fuit quidam thesaurarius et quidam notarius, ad quorum manus ibant redditus communis cum voluntate dicti domni Ghiberti. Et in dicto consilio iurata et acceptata fuit per dictum domnum Ghibertum dicta capitaneria Parme et Cremone et partis Guelfe de Lombardia. Item die Martis Mai. 29. 29. Maii castrum Bargonum[70] venit ad mandata communis Parme, quod erat iam rebellum, et certi illorum de Bargono remanserunt, illi qui alios tradiderunt, et certi expulsi, et quidam nomine Gerardus de Bargono ductus fuit Parmam in carceribus. De mense Iunii, Iun. 7. nocte proxime precedente, die Iovis 7. castrum Medexani tunc existens in rebellione communis Parme, combustum fuit per ignem ibi inpositum periculosum, ita quod totum arsum fuit cum rebus in eo existentibus, et vix exiverunt persone nude et equi, ita quod nullus postea ibi remansit; et hoc divinum iudicium fuit, quia dicta die Iovis domos fratrum de Iul. 2. Claravalle Fontisvivi[71] combusserunt dicti de Medesano. Die Lune 2. mensis Iulii, cum domnus vicarius Parme domnus Ghibertus de Corrigia et domnus Simon de Villa cum militibus et soldatis communis Parme equitassent ad Burgum sancti Donini et intrassent in locum castri antiqui, de Burgo milites et populus Burgi exiverunt ad eos et, non valentes se defendere, in fugam se miserunt intus Burgum; et multi ultra numerum 25 mortui fuerunt ex ipsis Burgensibus, et multi conducti Parmam in carceribus de maioribus Burgi. Iul. 13. Die vero Veneris 13. mensis Iulii, cum miles dicti domni vicarii civitatis Parme esset cum militibus communis ad domum fratrum pontis Taronis pro scorta[72] facienda messoribus et personis pro blava conducenda, ne malum conductum et stultum facerent et haberent de se ipsis, illi de Burgo sancti Donini et de turre domni Sighibaldi rebelles communis insultaverunt eos et ceperunt bene quinquaginta, quos secum carceratos duxerunt cum equis et armis, de melioribus militibus communis Parme; et multi, accaptis personis, evaserunt Iul. 16. dimissi et spoliati de rebus eorum et equis et armis. Item die Lune 16. mensis Iulii rebelles communis Parme de Burgo et de Paderno et de Palude et aliis terris rebellibus, habendo secum 80 milites Todeschos et de Mediolano et de Pergamo et de Laude et aliis terris Ghibellinis, venerunt summo mane et insultaverunt civitatem et fuerunt usque ad pontem domne Gilie et sagittaverunt in civitatem, sed viriliter pons et civitas defensa fuit. Et ibi steterunt usque tertiam, habendo etiam secum homines de ultra Taronem in maxima

70) Bargone v. supra p. 680, n. 43. 71) Fontevivo v. supra p. 672, n. 41. 72) praesidio.

quantitate; et cum vidissent se nihil posse facere, redierunt et nullus ex intrinsecis ad eos 1313.
exivit. Item eodem anno domnus Passerinus de la Turre, qui erat vicarius civitatis Iul.
Cremone per domnum regem Robertum, cum militibus Cremone venerunt Parmam in
succursum et fuerunt ad predicta. Item eodem tempore persone, que stabant in burgis
extra portas civitatis, fugaverunt omnes res eorum intus civitatem, et dimiserunt domos
pro maiori parte, et porte civitatis munite fuerunt de curetoriis[73] et lapidibus et balestris, 73
et hoc propter timorem rebellium. Die sabbati 21. mensis Iulii banniti et rebelles com- Iul. 21.
munis Parme, existentes in Burgo et in Paderno et aliis terris rebellibus districtus Parme.
iterato cum dictis militibus Todeschis et soldatis de Mediolano et aliis terris cum Ghibellinis
cum banderiis imperatoris et banderiis domni Matthei Vicecomitis de Mediolano et cum
gente terrarum de ultra Taronem et episcopatu et de terris illorum de Palude et aliis
pluribus desuper stratam, hostiliter venerunt ad civitatem Parme et habuerunt portam
Sancti Hilarii et ceperunt burgum sancti Hilarii totum usque ad portam Sancte Crucis. Et
certi ex militibus communis Parme equitibus exiverunt ad eos in dicto burgo et multos ex
ipsis rebellibus interfecerunt; sed non valentes eos expellere, reversi sunt intus portam
Sancte Crucis. Domnus Ghibertus de Corrigia, timens de proditione et malo intrinseco,
quod erat omnino contra eum et suos, nullo modo exivit ad eos, sed viriliter defendit por-
tam et civitatem ab omni parte, dimissa platea in custodiam domno Anselmo de Marano
abbati monasterii sancti Iohannis Parme; et hoc sturmum duravit usque ad medium diem.
Quare videntes dicti rebelles, quod domnus Ghibertus non exibat ad eos et quod eis non
sequebatur secundum intentum eorum propter quod venerant, misso igne in porta Sancti
Hilarii et in domibus ecclesie et in hospitali sancti Hilarii et in pluribus partibus dicti burgi,
reversi sunt Burgum sancti Donini et ad terras alias quas tenebant. Et ad palancata de
Sancta Cruce, ubi erat rumor, maiores domine civitatis cucurrerunt et ibi fuerunt cum
pane et vino et aqua et dabant ea hominibus abundanter. Item eodem tempore predicti
milites Todeschi, qui fuerant cum Burgensibus, discendendo de Burgo et eundo ad impera-
torem, antequam irent, habuerunt Bercetum[74], et pro magna parte burgi dicti Berceti
combusserunt. Item de mense Iulii terra de Pontremulo — que erat in maxima guerra
inter eos, et pars dicta de Enrighinis obsidebatur a parte dicta Marchionum — data et con-
cessa fuit per domnum imperatorem domno Luce de Flisco cardinali ecclesie Romane,
propter quod rumores dicte terre tunc sedati fuerunt. Et similiter terra de Berceto districtus
Parme data fuit per dictum domnum imperatorem dicto domno cardinali; de cuius terre
dato Parmenses doluerunt, Die Iovis 2. mensis Augusti turris domni Singhibaldi de Aug. 2.
Flisco, que erat in rebellione communis, recuperata fuit per domnum Ghibertum de Cor-
rigia et commune Parme. Et quidam de tenentibus eam ipsam reddiderunt et socios pro-
diderunt; et propter hoc remunerati fuerunt et recepti ad amorem communis et partis, et
quidquid ibi erat in ea, totum fuit eorum. Et in ipsa turri, licet esset in rebellione, nulli
Ghibellini stabant et receptabantur, sed solum Guelfi rebelles, et in dicto redditu dicte
turris omnes carcerati, qui erant ibi capti ad scortam, de qua supra fit mentio, et alibi,
omnes redditi fuerunt et liberati de personis eorum. Eodem tempore maxima ubertas
omnis blave fuit in civitate ob maximum timorem ab omni parte districtus Parme fuerunt,
ita quod homines habentes facere in terris districtus, cives et terrerii, propter timorem
non cessabant conducere ad civitatem blavam eorum et res et utensilia et alia eorum bona
indifferenter ab omni parte. Item de mense Augusti . . . Die octavo Augusti domnus Aug. 8.
Iohanninus de Sancto Vitale rebellavit castrum Montisclericuli[75] districtus et communis Parme 75
contra commune Parme, et associavit se cum domnis de Palude et cum domno Mapheo Vice-
comite de Mediolano et cum aliis rebellibus et Ghebellinis, et guerriare incepit, habendo in
dicto castro insignia imperialia et dicti domni Maphei. Et domni de Palude personaliter cum
hominibus suis venerunt ad standum cum eo in dicto loco, et multi mali homines de civitate
recesserunt et iverunt ad standum secum etiam de Baratis Rubeis de Rostolano; et eodem
tempore destruxerunt monasterium et domos Sancte Felicule[76] et combusserunt. Eodem
mense in continenti post predicta ut supra domnus potestas Parme cum militibus com-
munis et cum Catelanis equitaverunt ad dictum castrum Montisclericuli et posuerunt se in

73) cryptoporticibus, Ital. *corridore*. 74) Berceto v. supra p. 676, n. 75. 75) Montechiarugolo in sinistra Enzae fluv. ripa, a Parma inter meridiem et orientem. 76) Santa Fenicola a Montechiarugolo ad septemtriones.

1313. obsidionem eiusdem castri cum hominibus de episcopatu, qui nihil ibi fecerunt; immo re-
Aug. 12. versi sunt ad propria die dominico 12. dicti mensis Augusti propter quedam alia nova que habuerunt et quasi non bono discessu, quia dimiserunt ibi unum ex manganis communis et multas res. Et tunc publice timebatur de aliis locis districtus Parmensis undique ... pluribus erant in casu se rebellandi; et quando venerant ... imperatoris et domni Maphei Vicecomitis predicti erant dispersi inter quosdam de civitate, et quod dictus domnus Iohanninus habuerat mille florenos auri pro emendo domos suas, que fuerunt destructe; et quod debebat habere podestariam civitatis Mediolani per 4 annos, et quod debebat habere magnam prerogativam penes imperatorem: et ob hoc civitas et districtus erant in maximo timore et ... et quasi consulere nolebant; nam et hoc apparuit durum et mirabile multum, quia dictus domnus Iohanninus fuit ille qui plus dederat consilium dicto Ghiberto de Corrigia et sapientibus regentibus civitatem, et aliud operatus fuerat de rebellando se et civitatem contra dictum domnum imperatorem et partem suam, et de redeundo et adherendo ad partem Guelfam. Item de eodem mense turris domnorum de Ferro de Felino prodita et data fuit rebellibus communis Parme, qui eam postea de suis munierunt et tenuerunt.
Aug. 18? Eodem die 8. Augusti illi de Monteclericulo venerunt ad destruendum domos fratrum de Tortiano[77], occasione portandi eos in castrum; sed milites et soldati communis Parme ipsa die equitaverunt contra eos fortuito casu, et invenerunt eos, quos confuserunt et plures ex ipsis occiderunt et 32 carceratos duxerunt Parmam, inter quos captos fuit quidam frater naturalis dicti domni Iohannini de Sancto Vitale et quidam de Baratis de Rostolano.
Sept. De mense Septembris Todeschi, qui exiverant Burgo et iverant tunc ad imperatorem, reversi sunt ab exercitu imperatoris per districtum Parme et iverunt Burgum sancti Donini. De quorum reditu maximus timor fuit in civitate Parme, ita quod porta de Sancta Cruce et bitifredi ab illo latere muniti fuerunt de balistris grossis, et putei usque ad
78 Sanctum Pancratium[78] pleni fuerunt de ledamine[79] et in illis burgi sancti Hilarii positum fuit guadum[80] ad hoc ut essent amari; sed, sicut Deo placuit, nulli venerunt Parmam....

1315. In 1315. ...... De eodem mense Maii certi Todeschi soldati equestres conducti et habiti fuerunt ad soldum communis Parme per domnum Ghibertum de Corrigia et commune Parme, forte numero 50; quod admirabile apparuit et novum, quia a tempore Federici imperatoris citra Todeschi aliqui non bene visi sunt ylaris vultibus per homines partis ecclesie civitatis Parme, et maxime in his novis diebus a tempore domni Henrici de Lucimburgo condam imperatoris citra; sed dicebatur quod erant Guelfi et quod erant amici domni Ghiberti. ......

1325. In 1325. ...... [a]domni Vicecomites de Mediolano et sui amici et partis sue semper fuerant amici imo amicissimi domnorum de Rubeis et amicorum suorum de Parma et partis sue specialissimi et cari, et magna servicia semper fecerant inter se hinc inde, et magnos honores regiminum et potestariarum Mediolani et Parme faciendo et maximos sucursus militum et peditum, et habebantur una pars, et sic steterant retroactis temporibus. Et nulla offensio unquam facta erat realis vel personalis, nisi quod domnus Galeaz reputavit sibi ad iniuriam, quando domni de Rubeis et commune Parme venerunt ad mandata ecclesie et domni legati existentis pro ecclesia in civitate Placentie, et habuerunt episcopatum Parmensem pro domno Ugolino filio domni Guillelmi Rubei et inceperunt dare sucursum dicto domno legato; et, licet darent sucursum domno legato, eciam per plures et plures menses eciam dabant dicto domno Galeazio sucursum in secreto soldatorum equitum maius quam dicto domno legato. Et eciam, si offensio dici potest, quia dicti domni de Rubeis non dederant dominium civitatis Parme in totum et ad plenum dicto domno Galeazio, seu dicto domno Azoni eius filio, quando expulsi fuerant de civitate Placentie; et quia ipsum domnum Azonem non receptaverunt in Parma et non fecerunt guerram communi Placentie et domno legato. Alie vero unquam offensiones facte non fuerant nec extiterant; et sic qui erant
Iun. 14. ante amici, facti sunt inimici. Eodem anno et tempore, die Veneris 14. Iunii, nocte precedente, Rolandus Rubeus filius domni Guillelmi Rubei, associatus a soldatis equitibus et peditibus communis Parme et a multis ex militibus communis Parme, qui voluntarie voluerunt ire cum eo, ivit ad domnum legatum in civitate Placencie, et ibi ordinatum fuit per

a) *hinc secunda pars codicis.*

77) Tortiano a Montechiarugolo ad meridiem. 78) San Pancrazio a Parma ad occidentem. 79) laetamine. 80) isatis.

1325. Iun. 14.

ipsum domnum legatum et per commune Placencie et per dictum Rolandum Rubeum et alios Parmenses ibi existentes de veniendo in obsedium Burgi sancti Donini, antequam predicti de Parma redirent Parmam. Item eodem tempore predictus Rolandus Rubeus factus et constitutus fuit per dictum domnum legatum capitaneus ecclesie, et datum sibi fuit vexillum ecclesie et ipsum acceptavit; et sic cum exercitu legati venit Florenzolam, et ibi morati sunt. Item tempore et anno eodem, die dominico 23. et die Lune 24. mensis Iunii, in festo sancti Iohannis baptiste Rolandus Rubeus capitaneus et vexilifer ecclesie cum dicto exercitu domni legati universo peditum et equitum, et Placentini cum ipso exercitu venerunt et transierunt Longinum[81], et posuerunt se in terra que dicitur ad Clusam[82] districtus Burgi sancti Donini prima vice. Deinde secundario venerunt ab isto latere Burgi apud Sanctum Lazarum[83], et posuerunt exercitum inter flumen Parele[84] et Blondam[85] et ibi hostiliter steterunt in obsedio Burgi sancti Donini, cotidie cavalcando et dampnum faciendo in districtu Burgi secundum quod maius poterant. Item et equitaverunt ad castrum de Parala[86], quod ibi factum erat, et custodiebatur per gentem domni Manfredini Pellavicini, quod castrum cum gente ceperunt et incendio posuerunt ipsum locum et domos omnes dicti domni Manfredini ibi et per illam contratam existentes. Item ad dictum exercitum multi de Parma milites et pedites iverunt, et cotidie panis et alia omnia vitualia mitebantur per commune Parme. Et erant bene in dicto exercitu plures trium milium militum et plures 10 millium peditum, qui comedebant omnes de victualibus, que eis mitebantur per commune Parme. Et imposita fuit certa quantitas pecunie solvende communi volentibus remanere domi et non ire in exercitu. Set postea venerunt et posuerunt campum exercitus inter flumen Blonde et flumen Vinzole desuper stratam, ita quod desuptus stratam nullus stabat, set super ecclesiam sancti Lazari, que est iuxta stratam desuptus pones Blondam, et super domos dicte ecclesie fecerunt unum batefollum[87] ligneum valde pulcrum et forte, et foveas magnas circumquaque ipsum locum fecerunt et palacanta, portas et bestrezas et pontes levatorios et alia oportuna pro defensione loci, et ipsum munierunt de victualibus et gentibus bene. Potestas Parme et capitaneus populi non iverunt aliqua vice in dictum exercitum, set socii eorum per certum tempus ibi steterunt; milites communis ibant et redibant sicut volebant. Ubertas victualium maxima ibi fiebat per commune Parme. Marescalcus domni legati regebat dictum exercitum una cum Rolando Rubeo vexilifero[a] et capitaneo ecclesie; et habebat dictus Rolandus ab ecclesia singulis diebus 20 florenos aureos, et a communi Parme singulis diebus 10 florenos aureos, et multum honorifice vivebat in dicto exercitu et maximas expensas faciebat. Mariscalcus vero legati ultra salarium et soldum suum habebat qualibet septimana unum Tornensem argenteum a qualibet meretrice, que erat in ipso exercitu — et erant ibi semper plures ducentum meretrices —; et habebat totidem de quolibet lebete cuiuslibet persone, que faciebat comestibilia venalia in dicto exercitu; et habebat omnia capita et interiora omnium bestiarum et animalium et vollatilium, que ibi occidebantur causa vendendi. Unde ob hoc fuit contencio inter ipsum mariscalcum et agentes pro eo et becarios et alios dicte condicionis de Parma, quia nolebant ei aliquid dare de predictis; tandem dabatur sibi certa quantitas per commune Parme omni mense, et predicti de Parma nichil aliud dabant. Conestabiles et alii soldati ecclesie, Todesci et alii per forciam accipiebant boves et plaustra hominibus de Parma et de episcopatu Parme, qui ducebant victualia in exercitum, et tenebant ipsos semper quamdiu exercitus duravit, et ibant cum ipsis per districtum Parme ultra Taronem, derobando robam totam, blavam, fenum, paleam, drapos tam lini quam lane et ducendo illam in eorum utilitatem. Et tam amicis quam inimicis illud faciebant; et nemo audebat dicere aliquid contra eos nec ponere se in defensionem, et si conquerebatur aliquis de predictis, nullum ius eis fiebat nec fieri poterat. Scaramuze[88] vero omni die fiebant. Et duravit dictus exercitus per plures menses in dicto loco. Postea vero posuerunt campum exercitus desuper a Burgo sancti Donini de domo fratrum Minorum; set, propter tempus pluviarum, que venerant, non potuerunt ibi durare. Cotidie vero dicti milites ecclesie veniebant Parmam, et stabant et redibant ad eorum voluntatem. Viso autem quod in dicto loco stare non poterant, dicto

Iun 23.24

a) velixifero *cod.*

81) Ongina fluv. 82) aut Chiusa Viarola aut Chiusa Ferranda, a Borgo S. Donnino inter septemtriones et orientem. 83) San Lazzaro a Borgo S. Donnino ad orientem. 84) Parola fluv. 85) Rio la Bionda. 86) Parola a Borgo Santo Donnino ad orientem. 87) munitionem. 88) proelia minuta.

1325. batifollo Sancti Lazari dimisso bene munito de gentibus ecclesie et victualibus, posuerunt ingnem in dicto exercitu et reversi sunt Parmam. Et rediendo venerunt ad terram de
89 Soranea[89], in qua multas domos comburserunt et derobaverunt de blava et de aliis rebus et tam amicis quam inimicis; et castrum Sancte Marie destruxerunt, quod erat domni Manfredini Pelavicini, et valde magna dampna fecerunt in contrata. Item eodem anno predictus domnus Robertus de Crotta potestas Parme confirmatus fuit in dicto regimine usque ad adventum sequentis rectoris. Item anno eodem et tempore domnus Zanacius de Sayembenis de Placentia fuit potestas seu rector civitatis Parme, qui stabat tunc ad Castrum-
Iul. 12. novum domnorum de Corigia; qui venit Parmam die Veneris 12. mensis Iulii, et ipsa die regere incepit. Item eodem anno et tempore domnus Giliolus de Ugonibus de Brixia de intrinsecis fuit capitaneus communis et populi Parme ellectus per 6 menses, et venit
Aug 15. Parmam die Iovis 15. mensis Augusti in hora prandii, et ea die in continenti regere incepit; et dictis diebus Augusti precedentibus predictus predecessor eius capitaneus rexit usque ad dictum adventum dicti domni Gilioli. Item eodem anno domnus Franciscinus de Bonacosis dominus Mutine cum gente sua equitavit et posuit se in obscedium castri Saxoli, et ipsum satis leviter habuit, quia tererii dicti castri noluerunt se defendere; imo contra voluntatem domni Saxoli et aliorum dominorum ipsum castrum reddiderunt dicto domno Franciscino, qui ipsum castrum munivit de sua gente in continenti. Item eodem anno Bononienses hostiliter venerunt supra Mutinam et fuerunt usque ad campum mercati, et multi ex Mutinensibus qui in eo erant evaserunt; set domnus Saxolus de Saxolo ibi captus fuit et detentus, fuit ductus in forciam domni Raynaldi de Bonacosis domini Mantue. Item eodem tempore domnus Franciscus de Bonacolsis dominus Mutine cum certis Bononiensibus de extrinsecis habuit castrum Montisvelii districtus Bononie, et expulsis contrariis, ipsum castrum tenuit et munivit de sua gente contra civitatem Bononie. Item eodem anno et tempore Bononienses cum Mutinensibus extrinsecis venerunt super Mutinam et pasaverunt pontem sancti Ambrosii, omnia subponentes incendio et ruvine, et usque in burgos Mutine ab omni parte et in campum mercati, et ibi steterunt per plures dies. Item eodem anno et tempore Florentini, habendo secum soldatos in infinita quantitate Franciscos et alios, exiverunt hostiliter contra civitatem Luche et domnum Castrucium de Castracanis sive de Entermenellis dominum Luche, et multas terras, que per commune Luche tenebantur, habuerunt in eorum forcia, et habuerunt domum Altipassi. Et erat tunc generalis capitaneus guerre ipsorum Florentinorum domnus Raymundus de Gardone, et habebant in eorum auxilium de omnibus terris et civitatibus Tuscie milites et pedites in maxima quantitate partis Guelfe, et multa dampna fecerunt in districtu Luche. Et ipso tempore domnus Aczo Vicecomes de Mediolano, qui tunc erat Burgi sancti Donini, cum 300 militibus ivit in sucursum dicti domni Castrucii, transiendo Alpes et montes, et fuit ibi cum ipso. Unde dictus domnus Castrucius et dictus domnus Azo cum sua gente exiverunt ad predictos Florentinos et contra ipsos ad quendam passum, et ipsos Florentinos et eorum exercitum ruperunt et vinxerunt et conflixerunt. In quo conflictu de Florentinis et suis sequacibus inter mortuos et captos fuerunt plus quam quinque milia virorum peditum et equitum, et de maioribus eorum infiniti. Et dictus domnus Raymundus ibi captus fuit et vulneratus, et ductus Lucam in carceribus et detentus. Et extimari non posset lucrum factum ibidem per Lucanos et suos sequaces. Item eodem anno et tempore, post predictum conflictum predictus domnus Azo Vicecomes cum dictis suis militibus ivit Mutinam in auxilium domini Mutine, et ivit cum eo contra Bononienses et Mutinenses extrinsecos, qui adhuc erant in dicto exercitu contra Mutinenses intrinsecos in dictum exercitum; qui domni Azo et Franciscinus cum sua gente irruerunt contra predictos Mutinenses extrinsecos et Bononienses, et omnes ruperunt vinxerunt et conflixerunt. In quo conflictu potestas Bononie et quidam de Malatestis, qui erat capitaneus guerre Bononiensium, et plures alii capti fuerunt; similiter et Mutinenses extrinseci nobiliores et maiores capti fuerunt et plures mortui, et alii quam plurimi ex Bononiensibus et Mutinensibus extrinsecis partis Guelfe capti et mortui fuerunt in infinita quantitate. Et capti omnes fuerunt ducti Mantuam in forciam et carceres domini Mantue, et ibi steterunt donec quedam concordia et tregua facta fuit inter ipsum dominum Mantue et Bononienses. Item eodem anno multe terre, loca et castra de ultra Taronem, que tenebantur per dominos de ultra Taronem partis Ghebelline fuerunt in rebellione contra

89) Soragna v. supra p. 680, n. 42.

commune Parme et gueriabant contra commune Parme, scilicet Varanum-Marchionum[90] 1325. . . . . arium, Mianum, Bargonum, Costamezana[91] et plures alie. Set elapso . . Iacobus de 91 Cornazano, qui tenebat Costamezanam, venit ad mandata . . . et se et suos ad obedienciam communis Parme; et recuperavit . . . . . qui fuerat captus et erat in carceribus communis Parme. Item eodem tempore et anno per commune Parme plures de civitate Parme, qui erant ad mandata communis et qui dicebantur de parte episcopi seu imperii, positi fuerunt ad confinia per tria milliaria longe a civitate Parme. Item eodem anno et tempore omnes banniti communis Parme cuiuscumque condicionis et quacumque occasione essent in banno pro maleficio sive pro homicidio sive furto sive robaria sive alia qualibet causa, sive habentes pacem sive non habentes cum inimicis eorum, quos domnus episcopus Parmensis[92] et Rolandus Rubeus voluerunt dicere esse de sua parte, et sui amici, fuerunt canzellati de omnibus bannis et condempnationibus in quibus erant, sine solvendo vel dando aliquid communi Parme. Item eodem anno et tempore, die dominico 10. mensis Novembris, Nov. 10. facta ante quadam concordia inter domnos de Rubeis et domnos de Corigia, facta ad instanciam domni legati qui erat Placencie, redierunt et venerunt Parmam domni Azo et Guido filii condam domni Ghiberti de Corigia cum certis eorum amicis, set non cum omnibus, et honorifice recepti fuerunt et hospitati fuerunt ad monasterium sancti Iohannis Parmensis. Symon frater eorum tunc non venit cum eis, set post aliquos dies venit et ipse et parum stetit, set reversus fuit ad Castrumnovum; quia, secundum quod dicebatur, non attendebatur ei et fratribus, id quod sibi erat promisum in tratatu inde prehabito. Item eodem anno, die Veneris 22. mensis Novembris Nov. 22 domnus Bertrandus ad titulum Sancti Marcelli presbiter cardinalis, tunc apostolice sedis legatus in partibus Lumbardie et aliis, de Pl encia ubi iam diu steterat venit Parmam cum gente sua et soldatis suis multis equitibus et peditibus. Et obviam ei iverunt potestas, capitaneus, anciani communis, capitaneus societatis, advocatus mercatorum, antiani iudicum, proconsul notariorum, potestates quatuor misteriorum et ceteri omnes anciani omnium arcium et misteriorum civitatis Parmensis cum toto populo Parmensi et cum vexillis et banderiis eorum; similiter et domnus episcopus Parmensis cum omnibus clericis tam religiosis quam aliis omnibus cum crucibus omnium ecclesiarum civitatis Parme. Et adestratus fuit a militibus et domicellis de maioribus et nobilioribus civitatis Parme, et portata sibi fuerunt duo palia desuper per ipsos milites et domicellos, sonatis omnibus campanis civitatis, tam communis quam aliis, et hospitatus fuit ad episcopatum cum familia sua. Soldati vero et alii secum existentes hospitati fuerunt ad ecclesias, ad monasteria et ad hospicia et per multas domos hominum civitatis Parme, in quibus per forciam ponebantur et intrabant, et ad Sanctum Leonardum et ad Sanctum Lazarum et ad Sanctum Vitalem monacorum, et alibi in pluribus partibus. Item eodem anno magna habundancia blave fuit et vini albi et vermilii[93], set vinum fuit 93 multum carum propter foresterios tunc Parme existentes. De furmento et spelta satis bona derata fuit. Carnes autem, caseum, fenum, palea et ligna carissima plus quam unquam fuerunt in civitate Parme, et pensiones domorum. Item eodem anno yems fuit valde pulcrum et sicum, semper serenum sine pluvia et sine nive usque ad finem Ianuarii sequentis, set maximum gelu et frigus fuit. Item eodem tempore, post adventum dicti domni legati in Parma, erant et stabant in civitate Parme multi magni prelati de multis partibus et multi magni abbates et priores et clerici et reliogiosi et multi sapientes, et inter alios erant et stabant continue pro maiori parte temporis domnus Paganus de la Ture de Mediolano patriarcha Aquiliensis[94], domnus[a] . . . episcopus Savonensis[95], domnus[a] . . . episcopus Mutinensis[96], domnus . . . episcopus Reginus[97], domnus . . . episcopus Mantuanus[98] qui erat frater Predicator, domnus . . . episcopus Neumasensis et multi alii magni prelati, qui omni die ad sonum unius cornu ibant ad missam dicti domni legati ad palacium domni episcopi. Et semper cum dicto domno legato domnus noster episcopus Parmensis erat, ita quod magna curia dicto tempore fuit et stetit in civitate Parme.

In nomine Domini 1326, indic one nona, ad annum novum supra dictus domnus Za- 1326 nazius de Sayembenis de Placencia iterato confirmatus et factus fuit rector seu potestas

a) *lacuna in cod.*

90) *Varano de' Marchesi* ad Recchio fluv., a Borgo S. Donnino ad meridiem. 91) Costamezzana a Borgo S. Donnino ad meridiem. 92) Ugolinus de Rubeis (1323—1377). 93) rufi. 94) 1319—1332, antea ep. Patavinus (1302—1319). 95) Fridericus 1317—1342. 96) Guido de Guiscis 1318—1334, post ep. Concordiensis (1334—1347). 97) Petrus 1318—1330. 98) Iacobus de Benefactis 1320—1339.

1326. Ian. 1. civitatis Parme, ellectus per sex menses, inicium cuius fuit die Mercurii primo mensis Ianuarii. Item eodem anno, finiendo regimine supradicti domni Gilioli de Ugonibus de Febr. 14. Brixia capitanei populi Parme, qui finivit die 14. Februarii et sequens capitaneus non poterat venire, idem domnus Giliolus fuit capitaneus, et rexit pro capitaneo cum familia sua usque ad adventum sequentis capitanei. Item eodem anno et millesimo domnus Bertonus de Cavalcabovibus marchio Vidayane de extrinsecis Cremonensibus tunc temporis fuit capitaneus communis et populi Parme, ellectus per sex menses; et venit et iousit Parmam die Febr. 28. Veneris ultimo mensis Februarii dicti anni cum familia suo tota, hora post vesperas, et in continenti ipsa hora iuravit more solito et regere incepit. Et predictus domnus Giliolus, precessor eius, discessit de civitate Parme cum familia sua ipsa hora et die. Et qui domnus Bertonus, finitis sex mensibus, rexit usque ad Kalendas Septembris proxime venientis, Mart. habendo salarium pro rata. Item eodem anno de mense Marcii soldati domni legati, equites et pedites, qui erant Parme pro ecclesia, iverunt per districtum Regii super districtum Mutine, omnia ruine et incendio in ipso Mutinensi districtu ab isto latere subponendo. Et recuperaverunt castrum Saxoli et ipsum de suis gentibus pro ecclesia munierunt et tenuerunt, et ibi hostiliter in ipso districtu steterunt. Regini vero noluerunt eos in civitate recipere, propter quod multa dampna intulerunt eis per districtum Regii in burgis et Iun. alibi. Item eodem anno de mense Iunii domnus Raynaldus de Bonacolsis, dictus domnus Passarinus, dominus Mantue cum toto suo perforcio cum maxima quantitate equitum et peditum per terram et per Paudum et marchiones Extenses cum eorum gente et cum suo navilio hostiliter venire voluerunt super districtum Parmensem in partibus castri Gualterii et Berupti ad dampnificandum episcopatum Parme. Set cum hoc scitum fuit in Parma, milites ecclesie et soldati omnes pedites et equites domni legati cum gente districtus Parme de ultra Henciam cucurerunt ad partes illas. Similiter et domni de Corigia cum gente sua cucurerunt ad terram Guastalle, et ibi super ripa Paudi ab ipsa terra usque Berxillum castra metati fuerunt, ita quod viriliter prohibuerunt predictum domnum Pasarinum et gentem suam arivare ab ista ripa Paudi. Et facta fuit quedam fovea magna desuptus Guastallam usque ad valles, ne posent ibidem transire. Unde dictus domnus Passarinus cum
1 suis sequacibus cum navilio suo per Paudum et per terram venit usque ad Turicellam[1] de ripa Taronis, credens transire ab ista parte in aliquo loco, set semper nostra gens et homines de Colurnio et de contratis cum dictis soldatis ecclesie erant ab ista parte et prohibuerunt dictum passum. Soldati vero ecclesie maxima dampna intulerunt in terra castri Gualterii causa victualium et alibi in pluribus partibus, et contra voluntatem personarum intrabant domos et casamenta et curtes earum, et stabant ibi et accipiebant robam indifferenter omnibus; ita quod multi ex eis occidebantur. Item eodem tempore propter predicta unus pons incastellatus factus fuit in flumine Paudi iuxta Guastallam, et unus alius iuxta Berxillum, et muniti fuerunt de soldatis qui prohibebant navilium domni Passarini ire et redire per Paudum; set non duraverunt dicti pontes. Item eodem tempore de mense Iunii domni Azo, Symon et Guido de Corigia cum aliis eorum fratribus et cum tota sua gente, pedes et eques, et cum maxima quantitate soldatorum domni legati, peditum et equitum, ad instanciam dicti domni legati, hostiliter transierunt Tayatam[2] et iverunt ad terram Luzarie[3], et ipsam terram per forciam habuerunt et incendio et ruine posuerunt. Deinde iverunt ad Zaram, et pontem habuerunt et totam contratam; deinde usque ad Burgumfortem[4], et preliati fuerunt tures et pontem ab isto latere, et ipsas turres habuerunt et cumburserunt cum maxima quantitate dicti pontis. Deinde per totam illam contratam
5 indifferenter et omnes terras et villas insule Luzarie et insule Zare et Subzare[5] et Sancti Benedicti de Polirono[6] omnes indiferenter citra Paudum habuerunt et burgum Razoli[7], omnia incendio et ruine ponentes, ita quod citra Paudum non remanssit aliquid domno Passarino nisi solum castrum seu tures de Razolo. Bestie vero et res, culcidre et alie robe robate et guadagnate fuerunt inextimabiles et infinite. Nam soldati et alii qui fuerunt ad predicta inveniebant plaustra et boves et caregabant[8] de culcidris et aliis arnesiis, et conducebant res quo voluerunt; similiter et personas quam plures captas et detentas duxerunt.

1) Torricella v. supra p. 697, n. 56. 2) Tagliata v. supra p. 674, n. 54. 3) Luzzara v. supra p. 741, n. 7. 4) *Borgoforte a destra*, in dextera Padi ripa, a Mantua ad meridiem. 5) Suzzara a Guastalla inter orientem et septemtriones. 6) S. Benedetto a Mantua inter meridiem et orientem. 7) Reggiolo v. supra p. 706, n. 28. 8) onerabant.

1326. Item eodem tempore quoddam castrum inceptum fuit cavari et fieri per dictum domnum legatum et expensis ecclesie ibi inter Burgumfortem et pontem Zare, et temptum et custoditum per homines ecclesie et expensis ecclesie. Item eodem tempore omnes predicte contrate et ysule et homines et persone illarum et terre, ville et loca omnia dictarum insularum Luzarie et Subzarie et Sancti Benedicti et quicquid erat a Paudo citra cum omni iurisdictione et cum omni dominio date et atribute et concesse fuerunt per dictum domnum legatum auctoritate apostolica predictis domnis Azoni, Symoni et Guidoni de Corigia in perpetuum ad habendum tenendum et possidéndum pleno iure. Set in sequenti anno propter accessum factum per dominum Passarinum et gentem suam contra terram de Guastalla et alias de ripa Paudi, predicti domni de Corigia renunciaverunt propria voluntate in manibus domni legati et ecclesie dicte concessioni dictarum terrarum et iurisdictioni earum in totum. Item eodem anno et millesimo domnus Iacobinus Rangonus filius condam domni Gerardi Rangoni de Mutina, tunc de extrinsecis Mutine, fuit rector sive potestas civitatis Parme, ellectus per sex menses, inicium regiminis cuius fuit die Martis primo Iul. 1. mensis Iulii. Eodem anno et tempore de mense Iulii Petrus et Andriasius de Rubeis cum certis soldatis equitibus et peditibus ecclesie equitaverunt versus Mutinam, et fuerunt usque ad portam burgi que est ab isto latere, que dicitur porta de Citanova; quam portam preliati fuerunt. Milites vero qui erant Mutine, exiverunt portam civitatis et venerunt contra eos, et tandem intrinseci Mutinenses substinere non valentes terga verterunt et affugerunt intus portam civitatis, dimitentes portam burgi et ipsum burgum. Milites ecclesie secuti sunt eos usque ad ipsam portam civitatis, ita quod quidam ex militibus ipsius ecclesie non bene previsi intraverunt intus portam cum ipsis militibus Mutine in civitate. Custo vero porte dimiserunt cadere portam saraxinam[9], que ibi erat, et illi qui iam intraverant ibi capti fuerunt ex illis ecclesie. Set burgus totus et quicquid erat extra portam civitatis captus et habitus fuit et temtus per predictos milites ecclesie, et habuerunt et tenuerunt dictum burgum per 15 dies vel circa; et viso quod nichil aliud tunc contra civitatem facere poterant, igne subposuerunt, et sani et illares reversi sunt Parmam. Item eodem tempore domnus Passarinus de Bonacolsis, habendo secum domnum Marcum Vicecomitem de Mediolano cum magna quantitate soldatorum peditum et equitum et domnos marchiones Extenses de Feraria cum sua gente et domnum Ponzinum Amatum et alios Cremonenses tunc intrinsecos et aliam maximam gentem, posuit se in obscedio castri de Vidaiana districtus Cremone, et in quatuor partes posuerunt exercitus eius contra et circum ipsum castrum de Vidaiana, et steterunt bene per 15 dies. Et viso, quod nichil poterant facere contra ipsam ecclesiam et quia viriliter defensa fuit, dimisso loco, discesserunt quilibet versus propria. Item eodem anno et tempore, die Lune vigesimo octavo mensis Iulii domnus Aghottus de Iul. 28. Bausio venit Parmam pro capitaneo ecclesie cum multis soldatis equitibus et peditibus. Item eodem anno et tempore, die Martis vigesimo nono Iulii domnus Karolus, Dei gratia Iul. 29. illustris domni Roberti Dei gratia Ierusalem et Scicilie regis primogenitus, dux Callabrie eiusdemque vicarius generalis, venit Florenciam cum infinita equitum quantitate in sucursum civitatis Florencie et Guelforum de Tuscia; et datum sibi fuit dominium civitatis Florencie usque ad certum tempus, ut eos defenderet a domno Castrucio domino Luche et ab aliis Ghibellinis de Tuscana, qui multum mollestabant civitatem Florencie et alios Guelfos de Tuscana. Et eciam Guelfi de Lumbardia gavisi fuerunt de adventu dicti domni ducis sic facto. Item eodem anno et tempore commune Parme missit milites suos et soldatos equites et pedites et cum soldatis ecclesie in maxima quantitate et cum multis guastatoribus ad guastum faciendum Varano-Marchionum et aliis castris et locis de ultra Taronem, que tunc erant in rebellione communis Parme una cum Burgo sancti Donini. Et primo posuerunt exercitum et guastum fecerunt contra Varanum et maximum guastum ibi fecerunt in castaneis et in vineis; tandem predicti de Varano venerunt ad mandata domni legati et communis et reddiderunt se et locum communi, salvis et afidatis personis. Postea iverunt contra Tabianum[10], et duxerunt illuc mangana et castra et hedificia lignea ad preliandum locum, et maximum dampnum dederunt et fecerunt in terris et vineis; Tabianus tandem venit ad mandata domni legati et ecclesie et communis Parme, certis condicionibus, de mense Septembris. Postea iverunt contra Bargonum et guastum maximum ibi reddiderunt, Sept. et posuerunt ibi mangana et alia hedificia lignea et exercitum maximum tam de soldatis

9) cataractam. 10) Tabiano v. supra p. 662, n. 6.

1326. ecclesie, equitibus et peditibus, quam de militibus Parme et soldatis communis Parme.
Et eciam populus de porta de Parma stetit ibi per decem dies, set male et pauci; postea
Sept. 14. populus porte Benedicte debebat ire et incipere die dominico quarto decimo Septembris;
Sept. 17. set et ipsi non iverunt, et si iverunt, pauci iverunt. Die vero Mercurii decimo septimo
Septembris castrum ipsum Bargoni per prelium maximum habitum et captum fuit, et per-
sone existentes in eo omnes necati et capti fuerunt. Item eodem anno et 1326. domnus
Iacobus de Stretis de Placencia fuit capitaneus communis et populi Parme, ellectus per
Sept. 1. sex menses, inicium cuius capitanarie fuit die Lune primo mensis Septembris. Item
eodem anno de mense Septembris cum soldati domni legati et ecclesie, qui erant in exer-
citu cum soldatis et militibus communis Parme contra castrum Bargoni, et ibi stetissent
per aliquot dies cum manganis et aliis hedificiis ad combatendum castrum. die Mercurii
Sept. 17. decimo septimo mensis Septembris, in quo erat dies Mercurii temporalium[11] dicti mensis,
soldati ecclesie et communis Parme et milites Parmenses ibi existentes, dicta die quasi in
hora tercie, munierunt et preparaverunt se ad prelium et sturmum dandum dicto castro
Bargoni; et ordinatis preliis per domnum mariscalcum domni legati et per milites Par-
menses et aciebus bene munitis ad pedem circum dictum locum, ascenderunt ad locum et
prelium circumquaque dederunt castro. Illi vero de castro habebant ad palancata vegetes
et scrineos plenos de lapidibus, quas demitebant cadere contra nostros. Tandem nostri
habuerunt portam per forciam, ita quod nostri cum eis fuerunt ibi ad manus; set illi de
castro defendere se non potuerunt et terga dederunt, et gentes ecclesie et Parmenses intra-
verunt castrum per forciam et habuerunt illud, et interfecerunt omnes intrinsecos et cepe-
runt pro maiori parte. Inter quos captos fuerunt domnus Axerbinus de Bargono et fratres,
qui ductus fuit et detentus in carceres communis Parme. In nomine Domini amen, anno
Sept. 30. predicto millesimo 300. vigesimo sexto, indicione nona, die Martis ultimo mensis Septem-
bris, cum pluribus diebus elapsis, supradictus domnus Bertrandus Dei gratia ad titulum
Sancti Marcelli presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus in partibus Lumbardie, petiisset
dominium civitatis Parme, quia Romanum imperium vacabat et vacante imperio ecclesia
sucedebat imperio et regebat pro imperio, dicens civitatem Parme esse civitatem imperii,
et ideo dicebat tamquam ecclesia et pro ecclesia et pro domno papa nomine ecclesie, dicto
imperio sic vacante, quod dominium civitatis Parme ad eum nomine ecclesie pertinebat, et
nulli contraditores forent, multis congregationibus sapientum factis et habitis per domnos
ancianos super predictis et multis verbis dictis et habitis, et eciam per plures alios ex maio-
ribus civitatis Parme et tunc dictam civitatem regentibus, ut volebant, tandem dicta die
Martis ultimo dicti mensis Septembris ante terciam conscilium generale communis et populi
Parme factum fuit in palatio veteri dicti communis more solito et ibi propositum fuit per
domnum rectorem de predictis, non tamen dicta propositione secundum formam statu-
torum communis Parme processa solempniter, set de facto pocius quam de iure consultum
fuit per domnum Guiellmum Rubeum, quod civitas Parme daretur dicto domno legato, ut
petebat. Nam in peticione facta ibidem in ipso conscilio dictum et expositum fuit specia-
liter per illum seu illos, qui in dicto conscilio ex parte dicti domni legati predicta pecie-
runt, et eciam in propositione predicta expositum et reservatum, quod propter predictam
dacionem firma et rata debebant manere in totum omnia statuta, provisiones et reforma-
ciones, auctoritates, privilegia et consuetudines communis et civitatis Parme, et ipsis in
aliquo non derogari. Et in quo conscilio forte interfuerunt mille[a] sexcentum consceliarii
vel circa. Facto partito ad scurptinum[12] cum fabis albis et faxolis[13], collectis ipsis fabis et
faxolis per certos homines civitatis de dicto conscilio et non per tubatores communis, ut
fieri debebat et solebat, apparuit, quod omnes de dicto conscilio concordes fuerunt de pre-
dictis. Et invente fuerunt fabe mille sexcentum et quinque faxoli, quod totum processit
dicto modo, ut videretur satisfieri dicto domno legato. Et in continente in ipso conscilio ex
baylia dicte reformacionis sic processe factus fuit sindacus pro communi Paganinus Palan-
zani tubator dicti communis ad presentandum dominium et regimen civitatis Parme dicto
domno legato et ad iurandum fidelitatem dicto nomine dicto domno legato nomine domni
pape et ecclesie recipienti predicta tantum duratura, quamdiu vacabat imperium et non
ultra. Et sic potestas, capitaneus, anciani et omnes consceliarii cum tubis et vexillo com-
munis et cum clavibus palacii communis et portarum civitatis Parme iverunt ad palacium

a) mille *deest cod.*

11) quatuor temporum. 12) scrutinium. 13) phaselis.

1326. episcopi, ubi dictus domnus legatus erat, et eidem obtulerunt predicta dicto nomine et modo recipienti. De predictis vero quidam dicebant bene et quidam male; Deus autem novit quid erat futurum. Item eodem tempore post predicta catene, que erant per civitatem, non levabantur, nisi ille que erant circum plateam communis. Et domni potestas seu rector et capitaneus communis Parme et domni anciani communis pro negociis communis quasi omni die congregabant se ad palacium domni episcopi coram dicto domno legato, tamquam coram domino generali civitatis Parme vel eius vicario; et ibi fiebant et tractabantur omnia negocia communis Parme de consensu et beneplacito dicti legati, et aliter nichil fiebat. Et omnes redditus communis ibant ad tesaurerium ipsius, et expense communis fiebant eciam de consensu dicti domni legati. Item eodem anno prefatus domnus legatus fecit de suo fieri monetam novam in civitate Parme, et fuerunt denarii facti de novo imperiales, valoris quilibet tribus Parmensibus parvis, et florenum aureum valebat de ipsis triginta duobus solidis imperialibus et quatuor imperialibus, tantum quantum de aliis qui tunc ante curebant; et primo inceperunt expendi de mense Novembris ad tabu- (Nov.) lam, quam tenebant cambiatores domni legati in platea communis inter alias tabulas, et postea per alios communiter; et habebant dicti denarii novi ab una parte in ymagine claves ecclesie et ab alia ymago unius episcopi cum litteris, que dicebant ab una parte: *Iohannes papa XXII.*, et ab alia: *Ecclesie Romane.* Item eodem anno de mense Decembris totum (Dec.) sal communis, quod erat in doana communis, expletum fuit, quia marchiones de Feraria et domnus Pasarinus dominus Mantue et Mutine, tunc rebelles ecclesie, non permiserunt duci salem a Veneciis Parmam per Paudum nec per terram; ita quod defectus salis fuit in civitate Parme magnus. Set pro communi licenciatum fuit, quod ab omni parte sal licite posset duci et vendi in civitate Parme quantum plus vellent conductores; ita quod de sale de Tuscana, quod solebat esse prohibitum, aportabatur et vendebatur publice in platea et alibi in pluribus partibus civitatis; et vendebatur starium quadraginta solidis imperialibus. Item eodem tempore non fuit aliquod gelu vel frigus ipso anno. Et starium furmenti vendebatur 12 solidis et 13 solidis imperialibus et circa, et starium spelte 5 solidis imperialibus; sed blava erat habundanter. Vina vero pauca fuerunt et mala et vendebatur quartina vini albi vernacii[14] 4 imperialibus et plus, et vermilii tribus imperialibus et duobus cuiuscumque condicionis esset; et pondus casei nostrani[15] 24 solidis imperialibus et gresi[16] 20 solidis imperialibus. Ligna vero numquam fuerunt cariora, quia parvum plaustrum lignorum vendebatur uno floreno aureo et 40 solidis imperialibus, et pauca ducebantur. Ova vero, quodlibet vendebatur uno imperiali. Carnes bovine et castroni[17] carisime, set de porco propter defectum salis non fuit magna caristria. Et predicta caristia victualium erat propter curiam et forenses tunc temporis existentes in civitate Parme. Pisces vero non poterant pro denariis haberi, ita quod ad festum nativitatis Domini, quod de dicto (Dec. 25.) mense Decembris fuit, pauci imo quasi nulli habuerunt pisces propter nimiam et incomparabilem caristiam piscium. Drappi vero pro vestimentis haberi non poterant sine incomparabili precio, more solito . . . . . .[a]

. . . . . Item[b] eodem tempore et anno millesimo trecentesimo vigesimo octavo, in- (1328.) dictione undecima. Inicium sapiencie timor Domini. Memoria, memor ero, et tabescet in (Ps. 110, 10. Thren 3, 20.) me anima mea. Mirabilia mirabilium! Eodem anno et millesimo die Martis sextodecimo (Aug 16.) mensis Augusti domnus Raynaldus de Bonacosis, dictus domnus Passarinus, dominus civitatis et districtus Mantue insultatus fuit a quodam suo consanguineo germano, qui vocabatur domnus Loysius de Gonzaga, et a multis aliis civibus Mantue, et levatus fuit rumor contra eum et domum suam. In quo rumore dictus domnus Passarinus vulneratus et mortuus fuit, et domnus Franciscus filius eius vulneratus et captus fuit, et nepotes eius similiter capti et carcerati fuerunt, et derobati fuerunt omnes de domo illorum de Bonacosis. Dictus vero domnus Loysius in continenti vocatus fuit ad vocem populi dominus civitatis et districtus Mantue, et habuit dominium civitatis et districtus Mantue. Et dictum fuit, quod domnus Canis de la Scala dominus Verone scivit de dicto tractatu, quia non poterat bene credi, quod tale et tantum negocium potuisset fieri sine eius consensu et eciam auxilio; quia domni de Castelbarchi, unus quorum erat gener dicti domni Loysii, cum ducentis

a) *hic desinit secunda pars codicis.* b) *hinc tertia codicis pars.*

14) Ital. *vernaccia*, vini albi genus. 15) vernaculi. 16) cineracei. 17) ververis.

1328. militibus fuit ad dictum rumorem, qui milites dicti sunt fuisse de gente dicti domni Canis de la Scala, et ita creditum fuit. De qua novitate multi in civitate Parme sunt gavisi et multi doluerunt. Et elapsis quibusdam paucis diebus, predictus domnus Franciscus filius et alii omnes nepotes dicti domni Passarini interfecti et mactati fuerunt et proiecti in turi, que dicitur ad Castellarium. Item eodem anno et tempore domnus Galeaz filius condam domni Maphei Vicecomitis de Mediolano, existens in civitate Lucana seu in districtu in servicium et in auxilium domni Castrucii domini Luche, sicut Domino placuit, obiit. Item Aug. eodem anno et tempore de mense Augusti domni de Tripolis et de Robertis de Regio expulsi fuerunt de civitate Regii, et domnus Bertanus de Tripolis captus fuit et carceratus. Item et terra eorum, que dicebatur Pratum, per commune Regii capta et destructa fuit, et eciam multe alie districtus Regii, que per eos tenebantur, destructe fuerunt. Item eodem anno et mense Augusti illi qui erant pro ecclesia in terra Burgi sancti Donini expulerunt de Burgo multos et quasi omnes, qui videbantur aliquid ibi posse et de quibus possent dubitare, bene numero 100 vel circa. Et qui omnes recepti fuerunt in civitate Parme, et datum fuit eis soldum pro communi Parme ad pedem; et ibant pro cercando de armis cum familia potestatis cum aliis soldatis pedestribus communis Parme. Item eodem anno et tempore de mense Augusti omnes banniti communis Parme pro maleficio quocunque esset et cuiuscunque delicti et maleficii, habentes pacem, et eciam quidam non habentes, qui aprobati essent de parte et amici tunc regencium et prevalencium in civitate Parme, cancellati fuerunt de omnibus bannis eorum, et condempnationes canzellate fuerunt et banna, et eciam banna pecuniaria, que dicuntur tascarum, eodem modo cassata fuerunt et anul- Sept. lata et cancellata. Item eodem anno de mense Septembris domnus Canis de la Scala dominus Verone factus et vocatus fuit dominus civitatis Padue concorditer per omnes Paduanos cuiuscunque partis essent, tam intrinsecos quam extrinsecos. Et ad ipsum dominium dictus domnus Canis accessit honorifice et receptus fuit. Et ad tractandum predicta domnus Azo de Corigia et Symon frater eius et Marsilius Rubeus et Andriaxius Rubeus interfuerunt et steterunt ibi per plures dies, et fuerunt conscii et tractatores predictorum; et sic dictus domnus Canis et predicti de Rubeis et alii de Rubeis facti sunt amici, qui ante non bene erant ad invicem. Et gentes comitum de Quirice et de Carentana, qui pro ipsis comitibus tenebant Paduam, per forciam expulsi fuerunt de civitate et districtu Padue, et qui lungo tempore ibi steterant contra dictum domnum Canem et qui ab ipso defenderant civitatem Padue multo tempore elapso. Item eodem anno et de dicto mense Septembris domnus Castrucius de[a] Castracanis dominus civitatis Luche Pixe et Pistorii, sicut Domino placuit, obiit; de cuius morte quidam sunt gavisi et quidam dolentes fuerunt. Et Henricus filius eius factus fuit et vocatus dominus ipsarum civitatum. Item eodem tempore prefatus dux Bavarie, dictus a quibusdam imperator et cui Bavarus dicebatur, secessit de par- Sept. 21. tibus Rome et venit Pisas[18] cum gente sua, et accepit dominium civitatum Pise Luce et Pistorii supradicto filio condam Castrucii olim domini ipsarum civitatum. Et posuit in qualibet ipsarum civitatum vicarios de sua gente; et post paucos dies constituit pro eo in civitate Pisarum dominum et vicarium quendam filium condam Odazonis de Saxiola, unum de maioribus inimicis et odiosis dicti domni Castrucii et filii. Et filius dicti Castrucii cum sua gente recessit et exivit de civitatibus predictis. Item eodem tempore et anno, die domi- Sept. 25. nico vigesimo quinto mensis Septembris pro bono statu civitatis Parme factum fuit quoddam magnum conscilium generale communis et populi Parme more solito congregatum, in quo conscilio octinginti fere consceliarii interfuerunt. Et in ipso conscilio unanimiter data et adtributa fuit omnis baylia et auctoritas super universis negociis communis et populi civitatis Parme et super custodia civitatis et districtus Parme in singulis Rolando Rubeo et octo sapientibus, scilicet duobus per portam. Qui singulis diebus, bis in die, horis consuetis se congregabant in palacio communis, quod est ante ecclesiam sancti Vitalis, in quo anciani ab antiquo se congregare consueverant; et qui omnia negocia communis ad eorum voluntatem pertractabant et executioni mandabant a se ipsis cum aliis et sine aliis sapientibus sicut eis placebat. Et durare debebant per duos menses, et inceperunt officium et Nov. 26. bayliam eorum die sabati vigesimo sexto mensis Novembris predicti; de quo officium domnorum antianorum incepit diminui, set bene more solito eligebantur; et stabant in palacio

a) *de deest cod.*

18) Sept. 21; v. Villani X, 104.

communis eorum. Rolandus vero erat dominus civitatis et districtus, et omnia fiebant ut 1328. precipiebat et volebat[a]. . . . . . . . . . . .

In 1329, indictione 12. domnus Iacobus de Cavodevacha de Padua fuit rector seu pote- 1329. stas Parme. De mense Ianuarii domnus Marchus et alii de Vicecomitibus de Mediolano Ian. iverunt per civitatem et districtum Parme, scortati[19] et assecurati per dominos et regentes civitatis Parme, ad Bavarum se tenentem et regentem pro imperatore in civitate Pisarum et Luche. Et domnus Bavarus recepit eos benigne, et restituit dictum domnum Azonem filium condam domni Galeatii Vicecomitis de voluntate patruorum suorum ad dominium civitatis Mediolani. Et ille qui dicebatur papa, existens cum domno Bavaro et qui se faciebat vocari domnus Nicola papa V, ibidem gerens vices summi ponteficis, constituit domnum Iohannem, filium condam domni Matthei Vicecomitis, patruum dicti domni Azonis, in cardinalem et in legatum pro ecclesia in Lombardia. Et dum redirent, voluerunt transire per Parmam, volendo dictus domnus Iohannes venire per Parmam cum cavelo[20] rubeo more cardinalis, et quod clerus Parmensis exiret obviam ei processionaliter, parati cum crucis, et campanis pulsatis reciperet in civitate eum solemniter; quod quidem ei denegatum fuit. Et ideo non venerunt in ipso reditu per Parmam nec intraverunt publice civitatem, sed iverunt de foris civitatem semper tamen scortati et associati honorifice, et sero fuerunt et iverunt Cremonam. Quidam tamen ex secum existentibus soldatis et de gente sua intraverunt in Parmam et per aliquot dies steterunt in Parma equitantes et euntes per civitatem ad eorum beneplacitum; inter quos erat quidam comes magnus et nobilis, ut dicebatur, qui dicebatur vocari Proclaus, vulgariter Porcarius[21]. Et de Cremona postea iverunt Mediolanum, et ibi die Veneris 10. mensis Februarii honorifice et cum magno gau- Febr. 10. dio et triumpho recepti fuerunt; et totus clerus Mediolani exivit obviam dicto domno Iohanni legato et cardinali prefato cum crucibus ecclesiarum suarum et parati ad processionem, campanis pulsatis, canendo et diem festum celebrantes, ut melius facere et solempne potuerunt. De quorum intrata et receptu sic facta predicti domni de Vicecomitibus miserunt quatuor nuncios Parmam cum litteris eorum, annunciantes predicta communi Parme et Rolando Rubeo; quorum nunciorum duo induti fuerunt expensis communis per domnos ancianos, et alii duo expensis Rolandi Rubei per ipsum Rolandum. Et dictus domnus Azo Vicecomes in litteris suis intitulabat se: *Azo Vicecomes, per sanctam Romanam ecclesiam et per serenissimum domnum Ludovicum principem Romanum civitatis et districtus Mediolani vicarius generalis.* Eodem anno per totum mensem Ianuarii non fuit aliquod gelu nec frigus, sed multum pluit; per mensem Februarii fuit gelu et frigus magnum per plures dies et multum pluit, et die sabbati 14. mensis Februarii[22] per totam diem et per totam noctem venit magna nix, que duravit in terra per plures dies. Et sextarium furmenti ivit ad solidos 18 imperialium, et starius spelte solidos 5, et starius fabe solidos 12 imperialium. Eodem tempore multe gabelle communis et datia redoplate fuerunt et augumentate, et plures alie gabelle de novo ordinate fuerunt; et habentes vinum de suis vineis ita solvebant dacium sicut alii, et multe novitates in ipsis datiis et gabellis in augumentando illas facte fuerunt. Die dominico 26. Februarii post nonam factum fuit in palacio veteri Febr. 26. communis Parme quoddam magnum conscilium generale communis, in quo interfuerunt bene 1000 homines, tam consiliarii quam non consiliarii. Et in ipso conscilio reformatum fuit, quod Rolandus Rubeus de cetero esset capitaneus stipendiariorum communis Parme peditum et equitum, et quod soldati deberent eidem in omnibus obedire pro tempore presenti et futuro et rectores et alii officiales communis Parme modo et futuri, et quod haberet et faceret de omnibus sicut vellet cum illis sapientibus quos secum habere vellet; et quod nullus posset eligi in antianum communis nisi de suis specialibus amicis et de sua parte sub magna pena, et quod si aliquis contra eligeretur, quod ipse posset ad suam voluntatem illum talem sic electum facere cassari et condempnari; et quod anciani communis non haberent de cetero bayliam expendendi de havere communis nisi expensas ordinarias, et non ultra nisi 50 libras imperialium singulis mensibus; et quod ipse Rolandus eligeret 100 consciliarios de credentia cuius vellet esse, quorum consilio deberent alie expense fieri

a) *hic desinit tertia codicis pars.*

19) praesidio muniti. 20) capitis tegimine. 21) Cf. Villani X, 108. 22) Dies 14. Febr. a. 1329 fuit Martis.

1329. per commune, si de novo fieri deberent, et quod maiori parti quorum placeret, optinere debebat in parva. De quo officium antiani iterato diminutum fuit in pluribus negotiis, super quibus temporibus retroactis habebant auctoritatem pro credentia. Et tunc predictus Rolandus Rubeus, licet iam diu esset in totum dominus civitatis Parme, incepit tenere ad domum suam soldatos pedites pro custodia sue persone, qui ibant ante eum quando ipse ibat; et fecit fieri ibi unam lozam[23], in qua stabant de die et nocte, et habebant ibi continue penellum[24] ad ipsam lozam ad arma et insignia predicti Rolandi. Et omnia negocia communis procedebant ad suam voluntatem et arbitrium in omnibus et singulis, et stabant tunc ad ecclesiam sancti Tiburtii. Eodem tempore supra dictus domnus Atendolus factus fuit pro communi Parme et vocatus vicecapitaneus populi Parme cum salario librarum 300 imperialium per sex menses, et debet habere medietatem a communi Parme et de denariis camere communis, et aliam medietatem de bannis et condepnationibus quas faceret dicto
Febr. 13. tempore, et non aliter; et qui incepit die 13. mensis Februarii dictum vicecapitanea-
Apr. tum. De mense Aprilis domnus Canis de la Scala dominus Verone misit Parmam pro Rolando Rubeo, ut iret Veronam ad eum; qui in continenti associatus, ut voluit, ivit Veronam ad ipsum domnum Canem. Qui domnus Canis dixit ipsi Rolando, quod intendebat venire Parmam ad parlamentum cum Bavaro qui se regebat pro imperatore, et quod placeret eidem Rolando preparare et recipere ipsum Bavarum et ipsum domnum Canem cum gentibus suis in civitate Parme ad parlamentum. Qui Rolandus bene annuit et rediit Parmam et exposuit illud ancianis et aliis sapientibus. Unde electi fuerunt certi de maioribus civitatis ad inveniendum hospicia et loca per civitatem pro dicta gente, et multa preparamenta facta fuerunt. Tandem deliberato et habito saniori consilio, provisum fuit per sapientes, quod dictus Bavarus nullo modo deberet venire Parmam nec civitatem intrare, domnus vero Canis ad suam voluntatem cum gente sua tantum posset venire et intrare civitatem, quia honorifice reciperent eum. Et hoc remissum fuit eidem domno Cani, qui iam erat in itinere veniendi, per domnum Marsilium de Rubeis ex parte regentium civitatis Parme; et sic domnus Canis remansit et non venit. Domnus vero Bavarus cum gente sua venit, se movens de partibus Pisarum et Luche, ubi constiterat, ita quod hospitatus
Apr. 14. fuit in terra Terentii[25] die Veneris 14. dicti mensis Aprilis. Et se movit de Terentio et venit per Colliculum[26] et transitum fecit per contratam de Fabrorio[27] et de Blanconesio[28] citra flumen Taronis, et ivit ad terram de Sissa[29] et ibi hospitatus fuit illa nocte, qua die non cessavit fortiter pluere. Et per commune Parme missa fuerunt eidem victualia, panis, vinum et spelta in magna quantitate per illas contratas per quas ibat, tam desuper stratam
Apr. 16. quam desuptus stratam. Die vero dominico sequenti ivit et transivit Paudum, et pars gentis sue ivit Cremonam, et ipse cum certis ad terram de Marcaria[30]. Et illuc venit domnus Canis et domnus Lovisius dominus Mantue et alii multi de partibus de ultra Paudum partis Ghibelline. Et ibi in ipsa terra de Marcaria factum fuit dictum parlamentum; quid autem ibi fieret ad ultimum, nemo scivit tunc nisi predicti, scilicet Bavarus et domnus Canis, qui ipsi tantum soli se ad invicem conveniebant ad parlamentandum. Multi vero de gente dicti Bavari, qui post ipsum veniebant separati, fuerunt mortui et multi robati per homines de contratis et de Placentia, qui illuc accesserant. Quidam vero, et maxime Ghibellini, dicebant, quod dictus Bavarus erat reversurus in Tuscia et in brevi; et quidam dicebant, quod
Apr. 24. non, sed quod ibat ad partes suas in Alamania. Die Lune paschatis, scilicet die 24. Aprilis, quo die est festum sancti Ieorgii, quia non potuit predicari de ipso festo more solito in platea communis propter lotum platee et tempus pluviosum et pessimum, predicatum fuit in palacio veteri communis Parme de festo predicto; ad quam predicationem interfuerunt bene tria milia personarum inter viros et mulieres et plures satis, et si plures potuissent stare, plures satis fuissent, sed plures non poterant ibi stare. Nam tunc episcopus erat Parme in conventu fratrum suorum beate Marie quidam de ipsis fratribus, qui erat Romagnolus, qui certe erat multum excellens predicator, et totam quadragesimam predicaverat ad domum fratrum, qui multum placebat universis, ita quod cives ibant, ubi sciebant ipsum predicare debere ... Eodem tempore Pontremulenses expulerunt de dominio

23) excubitorium. 24) vexillum parvum. 25) Terenzo v. supra p. 714, n. 25. 26) Collecchio v. supra p. 674, n. 67. 27) Fraore a Parma inter occidentem et septemtriones, prope S. Pancrazio 28) Bianconese v. supra p. 671, n. 18. 29) Sissa v. supra p. 742, n. 23. 30) Marcaria v. supra p. 669, n. 80.

Pontremuli illum, quem domnus Bavarus ibi dimiserat pro suo vicario, et secum exi- 1329. stentes. Qui Pontremulenses insimul concordati, ambe partes in communi concordia, miserunt Rolando Rubeo et communi Parme, quod mitterent ad accipiendum dominium Pontremuli et quod mitterent illuc rectorem et vicarium quem vellent. Predictus vero, qui erat ibi pro Bavaro, cum gente sua reduxit se in fortilitia, que dicitur Pi[a]norium, que est ibi in capite burgi, et tandem habita pecunia a Pontremulensibus in maxima quantitate florinorum auri, reddiderunt dictum locum eisdem Pontremulensibus, et affidati in personis et rebus discesserunt et venerunt Parmam, et per aliquot dies ibi per eos facta, iverunt post Bavarum ad partes ubi erat. Unde Rolandus Rubeus et commune Parme miserunt Pontremulum pro rectore domnum Gualvanum Rubeum, fratrem dicti domni Rolandi, ad standum ibi et regendum eos et terram ad voluntatem dicti Rolandi et communis Parme; quod fuit die sabbati 6. mensis Maii dicti anni. Et in dicta novitate dicti Pontremulenses destruxe- Mai. 6. runt fortitiam dictam de Pianorio. Eodem anno, finitis et completis sex mensibus pro quibus predictus domnus Iacobus Cavodevacha fuerat et steterat rector civitatis Parme, ipse domnus Iacobus factus et confirmatus fuit de novo rector et potestas civitatis Parme cum tota sua familia usque ad Kalendas mensis Iulii proxime venturi, habendo salarium solitum a communi pro rata temporis, inicium regiminis cuius sic confirmati fuit die dominico penultimo[a] Aprilis dicti anni et postea usque ad introitum proximum sequentis rectoris. Die Iovis 25. mensis Maii post dictam intratam milites ecclesie et legati, qui erant Bononie, Mai. 25. et soldati et equites in magna quantitate et Iohannes Quilicus de Sancto Vitale cum illis de parte sua bannitis et extrinsecis civitatis Parme et domnus Azo et Guido de Corrigia, filii condam domni Ghiberti de Corrigia, hostiliter venerunt cum gentibus suis et terrarum suarum super districtum Parme. Et primo fuerunt in terra Cruviachi, et ibi per forciam habuerunt quamdam fortitiam, que ibi facta erat et tenebatur per quosdam de Cataneis de Cruviaco, et in ea ceperunt ipsos domnos, patrem cum tribus filiis, et de forticia fecerunt quidquid voluerunt, et per contratam magnam predam fecerunt. Die vero Veneris proxime sequentis, quod fuit die Veneris vigesimo sexto Maii, transierunt omnes et venerunt in Mai 26. terra de Sorbulo, et per illas contratas depredando et spoliando personas et bestias infinitas, et in dicta terra de Sorbulo morati fuerunt; et inceperunt ibi cavari et fieri unam magnam forticiam et guerram magnam facere contra civitatem Parme. Nemo tamen ausus est exire contra eos de civitate. Item similiter desuper civitatem quidam dictus Clericus de Palude dicto tempore intravit et accepit turrem de Maizano et expulit de ea illos, qui eam tenebant pro Andriasio Rubeo, et depredari et comburi fecit totam illam contratam. Similiter et eodem tempore quidam dictus Bertolinus de Medezano, qui erat etiam de illis de Palude, intravit in Mulazano et depredari fecit et comburi per dictam contratam, habendo quilibet predictorum magnam comitivam sequatium ipsorum. Similiter et in partibus de ultra Taronem et de citra Taronem dicto tempore gentes, que erant pro ecclesia in terra Burgi sancti Donini, multas predas fecerunt et multas domos combusserunt, propter que circomquaque civitatem homines de episcopatu cum personis, bestiis et rebus suis affugerunt et ad civitatem, et nomquam diebus vivorum per circuitum ab omni parte visa fuit maior fuga et rupta hominum districtus Parme affugientium ad civitatem. Et duravit dicta fuga et rupta hominum districtus Parme sic affugientium bene octo dies et plures. Predicti vero, qui erant Sorbuli, cum dictis de Corrigia et cum Iohanne Quilico cotidie veniebant usque Maseriam[31] et per totam illam contratam per dictam stratam inter Henciam et Navilium[32] capiendo personas et bestias et comburendo et maxima damna undique et depredationes faciendo indifferenter omnibus, non habendo respectum alicui, sive dicerentur inimici sive amici. Et de predicto insultu nihil per regentes civitatis Parme credebatur neque opinabatur, quod domnus legatus cum gente sua nec domni de Corrigia deberent consentire predictis novitatibus; set illud fuit ita subito et secrete, quod ab aliquo nihil fuit prescitum, et sic homines evadebant et affugebant. Et ideo hoc fuit potius imputandum et imputatum domno legato quam domnis de Corrigia — quia non erant banniti neque confinati, sed ipsi, licet non starent in civitate, gaudebant pacifice bona sua et terras suas et nullas gravitates communis sustinebant, et amici sui stabant in civitate et honorabantur ab

a) *an ultimo? Dies enim* 30. *Apr. a.* 1329 *fuit Solis.*

31) Masera prope Parmam, ad septemtrionem. 32) *canale Naviglio.*

1329. Mai. aliis — quam dicto Iohanni Quilico et illis de parte sua, qui erant banniti et confinati et expulsi et qui non gaudebant aliquid de bonis suis in civitate et districtu Parme. Tota vero culpa fuit dicti domni legati cum posse suo, quia aliter non potuisset sic esse, et erant cum eo multi de partibus Romagne et Tuscane et multi de Bononia et de Ferraria et de
Mai 30. 31. aliis multis partibus. Die Martis et die Mercurii ultimo mensis Maii, quo die fuit vigilie ascensionis Domini, Petrus Rubeus cum soldatis communis et aliis multis, pedites et equites, iverunt versus partes de Corrigia[33] districtus Regii, et maxima damna intulerunt dictis domnis de Corrigia et amicis suis in dictis partibus, et multas domos combusserunt et homines et bestias multas predaverunt. Et Andreasius Rubeus cum Adegherardo de Senaza et aliis multis soldatis et aliis, pedes et eques, equitavit versus partes Maizani et Mulazani et Guardasoni, et dictas contratas pro maiori parte combusserunt et guastaverunt, et maximam predam bestiarum grossarum et minutarum Parmam conduxerunt. De mense Maii Pontremulenses in maxima quantitate cum balistris et aliis armis et ambarum partium de Pontremulo venerunt Parmam bene muniti in succursum Rolandi Rubei et communis Parme. quorum capitaneus erat et qui cum eis venit domnus Galvanus Rubeus,
Iun. 18. potestas eorum et dicte terre Pontremuli. Die 18. mensis Iunii predicte gentes ecclesie et domni de Corrigia et Iohannes Quilicus cum eorum gentibus, qui erant in terra de Sorbulo, facta ibidem quadam fortitia et ea dimissa bene guarnita, venerunt ad terram de Beneceto[34] et ibi castramentati fuerunt et exercitum posuerunt, et per totam contratam usque ad domum sancti Lazari[35] et per Certosam[36] et per Moilem et per Gazanum[37], per Vigopaudum[38] et inde circumquaque usque ad civitatem indifferenter omnia incendio et
Iun. 19. guasto posuerunt. Eodem anno, die Lune 19. mensis Iunii littere misse fuerunt [ex] parte domni Azonis Vicecomitis domini Mediolani Rolando Rubeo: quod ipse domnus Azo pervenerat ad concordiam cum imperatore domno Bavaro, qui erat in obsedio contra civitatem Mediolani, eo quod dictus domnus Azo et Mediolanenses recusaverunt ipsum Bavarum et gentem suam recipere in civitate, de quo guerra magna erat inter eos; qui Bavarus, qui erat et steterat iam diu erat in burgis Mediolani contra civitatem Mediolani, discessit com tota gente sua, et recepta a Mediolanensibus magna quantitate pecunie, non ob hoc intravit Mediolanum, sed ivit cum tota gente sua Papiam. Propter quas litteras magna immo maxima letitia fuit habita et monstrata per Rolandum Rubeum et amicos suos regentes civitatis Parme; et sero dicta die Lune campanis pulsatis omnibus civitatis Parme, cum lumeriis panis sepi[a] magna signa ignis et falo[39] facta fuerunt in signum magnum gaudii super palacio et turre communis et aliis turribus et campanilis civitatis Parme et super portis etiam omnibus civitatis Parme. Que nova bona non apparuerunt in totum vera. Item stante et durante dicto exercitu contra civitatem Parme, predicte gentes ecclesie et partis episcopi et alii sequaces eorum cotidie de die et de nocte ibant et veniebant ad eorum voluntatem, derobando et comburendo indifferenter omnia, nemini habendo respectum, et metendo furmenta et alia blava et ducendo ad locum exercitus, et ibi batendo inter flumen Parme et Hencie a strata de Sancto Lazaro inferius versus Paudum per omnes villas et terras, et in Gaynago et in Pizolezio[40] et in terra de Mazabove[41] et in Copermulis et alibi per circuitum, veniendo omni die usque ad civitatem, veniendo hostiliter devastando et comburendo domos cuiuscomque essent. Certi vero soldati exierunt quandoque ad eos de civitate, sed quasi nihil contra eos faciebant; et duravit dictus exercitus et
Iun. 29. damnificatio usque ad diem festi beatorum Petri et Pauli, et quasi per totum mensem Iunii. Et ipso tempore etiam de nocte multi de civitate exibant, et depredando ibant et comburebant etiam in multis locis, et ribaldi destruebant domos causa habendi ferramenta [et] ostia domorum, quia nullus habitabat in eis et poterant facere quid mali volebant; et multi potentes [e]t [e]tiam de civitate, tam de extrinsecis quam de intrinsecis, propter potentiam et malitiam eorum habebant multitudinem laboratorum et messorum, et faciebant meti blavas et segare fena et blava contra voluntatem illorum quorum erant, et ligna vero et utensilia similiter, timore Dei postposito; qui impotens erat plorare poterat, set

a) *sic ed., an saepe?*

33) Correggio. 34) Beneceto prope Parmam, ad orientem. 35) S. Lazzaro prope Parmam, ad or. 36) Certosa ibidem. 37) Gazzano a Parma ad or. 38) Vicopò prope Parmam, ad or. 39) ignes festi, Ital. *falò*. 40) Pizzolese a Parma ad septemtriones. 41) Mazzabue v. supra p. 709, n. 61.

nullum alium auxilium habebat. Item existente dicto exercitu et durante in terra de Bene- 1329.
ceto, ut supra dictum est, die sabbati 24. Iunii, in festo sancti Iohannis baptiste cridata Iun. 24.
fuit quedam tregua inter commune Parme et predictos de exercitu usque ad diem Martis
proxime sequentis[42], sed nihilominus non cessabant incendia et robarie; quibus diebus 42
dicte tregue domnus episcopus Parmensis pluries ivit in dictum exercitum ad parlamentum
cum capitaneo exercitus, qui ibi erat pro legato, et tandem, sicut placuit Deo, facta fuit
pax inter domnum legatum nomine ecclesie et commune Parme. Et que pax cridata et
publicata fuit super scalis palacii communis Parme et per civitatem in vigilia sanctorum
Petri et Pauli, die Mercurii 29.[43] mensis Iunii. Pacta vero nescita fuerunt; sed exercitus Iun. 28.
incepit discedere de loco ubi erat et redierunt ad propria, et carcerati undique relassati
fuerunt, sed non omnes. Et nulla insignia ignis vel campanarum in signum gaudii sero
adveniente propterea facta fuerunt. Et in dicta pace seu in preconizatione et publicatione
ipsius non fuerunt nominati aliqui domni de Corrigia neque Ianquilicus de Sancto Vitali
neque aliqui alii de eorum amicis, nisi solum gentes ecclesie et domni legati. Et de qua
pace predicti domni de Corrigia et Zanquilicus cum amicis suis non se bene contentaverunt,
imo blasphemabant domnum legatum et de eo valde conquerebant, dicentes quod eos
deceperat. Et domnus legatus dicebat et ridebat eis, quod pocius poterat, se de ipsis con-
queri et blasphemare, dicens quod ipsi dederant ei intendendum quod non starent per
quinque dies super terreno Parme, habendo secum in auxilium gentes domni legati, quod
ipsi intrarent in civitatem Parme per forciam vel per pacem; quod quidem eis non evenit
nec evenire potuit stando per unum mensem et plus in dicto loco et exercitu, quia homines
de Parma nolebant ipsos intrare per forciam, et bene viriliter civitatem defenderunt. Et
multum predicti extrinseci deterioraverunt condicionem eorum et multos amicos perdide-
runt de civitate, qui facti sunt inimici propter maxima dampna et incendia facta per eos
tam amicis quam inimicis, omnibus indifferenter, nemini respiciendo. Eodem tempore,
durante dicto exercitu furmentum valuit et vendebatur solidos 30, sestarius fabe solidos
20 imperialium, spelta solidos 13 imperialium; et cum magno labore inveniebantur quia in
platea non aportabantur. Facta vero dicta pace, furmentum venit ad solidos 20 imperiales,
faba solidos 10, starius spelte solidos 10 imperiales et ad 5, et satis aportabatur in platea.
Item . . . , sive[a] in vigilia venit Parmam et honorifice receptus fuit et hospitatus fuit ad
palacium domni episcopi cum familia sua, et postmodum data ei fuit una clavis ad quam-
libet ex portis civitatis, et una alia domno episcopo Parmensi, et una alia remansit domno
rectori, et una alia domnis ancianis communis Parme. Et vocabatur predictus camarlenghus
domnus Aymericus de Novalach sedis apostolice nuncius. Item eodem tempore boni homi-
nes civitatis et districtus Parme non se bene contentabant de statu suo, et timebant multum
deteriorare statum suum et venire in brigam maiorem cum extrinsecis, et de caristia temporis.
Et artes et misteria nichil prorsus valebant et de ipsis nichil vel quasi lucrabatur, gravitates
et onera realia et personalia imponebantur in custodiendo portas et ad plateam tempore dicti
exercitus et in solvendo mutua magna civitati, et cotidie pignorabantur et detinebantur pro
ipsis mutuis, et denarii non poterant modo aliquo inveniri a mutuatoribus nec super pignora
nec super cartas et cum magno labore ad duodecim imperiales et ad quatuordecim imperiales
libra. Et Tuscani et alii mutuatores ad discum nolebant pignora nisi aurea vel argentea,
seu vestes et robas dominorum aredatas[44] et cumpletas de variis et aliis ornamentis aureis 44
et argenteis; et multi propterea detinebantur, quia non poterant invenire denarios, licet
essent divites terris et possessionibus. Et fuit mutuum dicto tempore impositum pro com-
muni certis hominibus civitatis plus triginta miliariis florenorum auri, quod non obstante
dicto exercitu et timore aliquo exigebatur ab omnibus indifferenter quibus impositum erat.
Item eodem anno et millesimo, die Martis 18. mensis Iulii domnus Canis de la Scala, Iul. 18.
dominus Verone Padue et Vicencie, habuit civitatem Trivisii in suo dominio, et ibi ipsa die
receptus fuit cum gente sua honorifice. Et ob hoc magnum gaudium fuit in civitate Parme,
cum scitum fuit; propter quod die Iovis proxime sequenti in sero, phano et singna gaudii Iul. 20.
et leticie ingnea et campanarum sonita maxima facta fuerunt super turibus communis et
domibus et ecclesiarum more solito quasi usque ad mediam noctem. Item eodem anno
et millesimo, die Veneris 21. mensis predicti Iulii supra dictus domnus Canis de la Scala, Iul. 21
dominus Verone Vicentie Padue et Trivisii, existens in ipsa civitate Trivisii, sicut Domino

a) *hinc quarta codicis pars.* 42) ad m. Iunii diem 27. 43) immo 28. 44) ornatas.

1329. Iul. 21. placuit, obiit in pace. Quod in maximum mirabile dictum et habitum fuit, et tunc adimpletum vere fuit illud, quod de eo iam diu erat fuerat dictum et prophetatum, scilicet quod debebat mori quando haberet dominium civitatis Trivisii, et quod non debebat illud dominium totum marchie Trivisane tenere ultra tres dies. De quo in Parma quidam doluerunt et quidam nimium non curaverunt. In terris vero domnorum de Corigia nocte illa et sero phano et signa ingnea magna gaudii facta et visa fuerunt. Et sequenti die in continenti domni de Corigia seu quidam ex eis, associati multitudine equitum et peditum de sua gente, equitaverunt Veronam in auxilio et favore nepotum. Qui domnus Canis aportatus fuit Veronam ad sepeliendum. Item eodem anno et millesimo, die Veneris 21. mensis Iulii domnus Zanazius de Saiembenis de Placentia venit pro domno legato Parmam pro rectore civitatis et districtus Parme, ellectus et vocatus per ipsum domnum legatum per Iul. 22. 6 menses. Et die sabati 22. dicti mensis Iulii, in festo beate Marie Magdalene in mane more solito in publica concione iuravit facere ipsum regimen; et in continenti, facto ipso sacramento, regere incepit. Et precessor eius descendit de palacio et regimen dimisit. Item eodem anno et millesimo post mortem dicti domni Canis domnus Albertus et domnus Mastinus fratres et filii condam domni Albuyni de la Scala, nepotes predicti domni Canis condam et domnorum de Corigia, facti et constituti fuerunt domini generales civitatis et districtus Verone et aliarum civitatum, quarum erat dominus dictus domnus Canis condam, videlicet Vicencie Trivisii et Padue. Item eodem anno et tempore, cum domnus Ro- Aug. landus Rubeus una cum domno Aymerico de Novalcho apostolice sedis nuncio, tunc pro domno legato et pro ecclesia camerario existente in civitate Parme, et aliis pluribus ambaxatoribus communis Parme sociis dicti domni Rolandi ivisset Bononiam ad dictum domnum legatum tunc existentem in civitate Bononie, vocatus et affidatus ab ipso domno legato per publicum instrumentum seu litteras publicas ipsius domni legati, de mense Augusti causa cumplendi pacem cum extrinsecis Parme, et cum esset ibi in civitate Bononie ad ipsum Aug. 18. domnum legatum, die 18. vel circa dicti mensis Augusti predictus domnus legatus fecit personaliter detineri dictum Rolandum Rubeum, et ipsum detinuit et detentum recludi fecit ibi in civitate Bononie et custodiri. Dictus domnus Aymericus visus fuit dolere de predicta detentione, ut dictum fuit; alii vero, qui iverant cum predicto Rolando, Parmam redierunt sine Rolando predicto. Quod quidem iniquum et iniustum et proditorie processum fuit reputatum pro parte dicti domni legati. Et similiter dictum fuit, quod fecerat ipse domnus legatus ibidem detineri et custodiri detentos Guidonem de Corigia et Iohannem Quilicum de Sancto Vitale, et quod ita teneret omnes, donec insimul pacem facerent civitati Parme. Quo scito de dicti Rolandi detentione, maximus dolor fuit in civitate Parme, et timor de veniendo in guerram iterum cum ecclesia et dicto legato. Et magne custodie fiebant de nocte in civitate Parme, et homines episcopatus ab illa parte de versus Enciam undique citra et ultra affugerunt cum personis et bestiis et rebus suis ad civitatem sicut unquam affugerant, et in certis terris inceptum fuit derobari, et homines de ultra Henciam com pellebantur per homines domnorum de Corigia ducere blavam eorum et res ad Castrum novum et ad alias terras domnorum de Corigia, et, vellent nollent, omnes blavas eorum et res eorum ad ipsas terras ducebant. Item eodem tempore, propter detencionem dicti Rolandi et absenciam eius, Marsilius frater eius regebat et faciebat omnia loco dicti Rolandi, et stabat tunc in domibus illorum de Porta; et soldati, qui solebant stare ad custodiam dicti Rolandi, stabant ad custodiam cum penello suo ad custodiam dicti Marsilii ad porticum qui ibi est tenendo penellum[a]. Item eodem tempore et anno . . . Eodem tempore gentes ecclesie venerunt iterum ad Castrumnovum domnorum de Corrigia in maxima quantitate peditum et equitum, et domni de Corrigia et Zanquilicus et alii ex- Sept. trinseci civitatis Parme de mense Septembris inceperunt currere et guerriare contra civi- Sept. 5. tatem Parme. Quapropter die 5. Septembris, in festo sancti Herculiani post nonam indictum consilium credentie sapientum habentium omnem auctoritatem super negociis civitatis Parme, et in palacio domnorum ancianorum factum fuit. In quo consilio ordinatum et optentum fuit de associando et ligam et societatem faciendo cum Bavaro, qui se regebat pro imperatore qui tunc erat Papie, et cum omnibus Ghibellinis undique tam Lombardie quam alibi, et cum omnibus civitatibus terris et locis tenentibus cum dicto Bavaro et cum Ghibellinis et omnibus de parte imperii veteri et nova, causa defendendi

a) *hic terminatur quarta codicis pars.*

se et civitatem Parme et regentes civitatis Parme a supradicto sepe proximo domno legato 1329. et ab extrinsecis civitatis Parme et eorum sequacibus et fautoribus, et undique missi Sept. 5. fuerunt pro communi Parme nuncii et syndici ad complendum predicta. Regentes vero Parmam inceperunt et ipsi currere et equitare contra terras domnorum de Corrigia. Eodem anno de mense Septembris supradictus domnus Zanacius de Sayembenis, rector civitatis Parme tunc pro domno legato, propter predictam guerram inceptam nolens et recusare regentibus et exercere regimen civitatis Parme . . . capiendo et robando personas et bestias et comburendo usque ad portas . . . et remedium nullum posset inveniri, nisi ipsi regimini renunciasset, soluto sibi salario suo pro dimidio, in totum dimisit regere; quod fuit die sabbati nono mensis Septembris ante terciam. Et domnus Bonvisinus de Oddi- Sept. 9. fredis de Regio, qui tunc erat notarius et officialis in civitate Parme super custodiam civitatis deputatus, factus fuit ipsa die sabbati potestas civitatis et districtus Parme et sibi commissum fuit regimen usque ad adventum subsequentis potestatis cum salario competenti, non dimittendo propterea officium suum primum dicte custodie, sed ipsum nihilominus fieri faciendo per alios notarios et familiares eius; et rexit pro potestate usque ad adventum subsequentis proximi potestatis. Die vero dominico sequenti, scilicet die 10. Septembris, predictus domnus Zanacius ivit versus Placentiam cum familia sua et Sept. 10 discessit; de quo quidam gavisi sunt, quidam more solito doluerunt. Eodem anno de mense Septembris factus fuit unus pons levatorius per commune ad portam Sancti Michaelis de arcu, et ordinatus valde bene pro maiori defensione dicte porte et custodia civitatis, ad quam portam nonquam fuerat aliquis pons levatorius, sed strata erat tota integra usque ad dictam portam; sed tunc iuxta ipsam portam cavatum fuit occasione dicti pontis construendi. Eodem tempore et anno turpia furmenta fuerunt et pauca pro maiori parte episcopatus Parme; sed propter predictam guerram homines episcopatus Parme undique et maxime per portas Sancte Christine et per portam Benedictam, dimissis domibus, affugerunt et quotidie affugiebant cum personis rebus et arnesiis eorum cum plaustris et bobus et cum bestiis ad civitatem et ad standum in civitate. Quia inimici omni die currebant per dictas contratas, modo per unam modo per aliam, comburendo omnia in universo, et boves et personas capiendo et captos ducendo ad loca, que tenebant de ultra Henciam in rebellione communis Parme. Que loca erant tunc desuptus stratam: Castrumnovum illorum de Corrigia, Campigine, Sanctus Systus, Ulmi, turris de Henzola, turris de Cohencio, Brixillum, Beruptum et castrum Gualterium et alie terre domnorum de Corrigia; desuper vero stratam: Guardasonum et Bazanum et alie sequaces in dictis partibus dictorum domnorum de Corrigia. Quarum terrarum homines stantes in eis sepe et sepius currebant usque ad civitatem, damnificando quantum poterant uniformiter. Nemo tamen de civitate ibat contra eos, propter quod homines festinaverant vindemias suas ante tempus facere propter timorem civium extrinsecorum, et quasi nullus homo bonus exibat, sed mittebant pro maiori parte feminas in dictis portis Sancte Christine et Benedicte. Item similiter propter predicta magnus timor fuit seminandi. Potentes vero mittebant homines suos cum bobus et plaustris et caregabant de vinis et lignis et de fenis et ducebant sibi ad eorum voluntatem; similiter ribaldi et alie persone debiles ibant per villas et per terras et redibant caregati de uvis de nucibus de lignis de panicis[45] et aliis fructibus, et vendebant in platea communis sicut 45 volebant, quia nullus eis aliquid dicebat. Eodem tempore defectus fuit in civitate macinandi, quia flumina omnia sicca erant pro maiori parte et per longum tempus non pluit, et multa molendina per episcopatum, que erant prope civitatem, destructa fuerunt. Item . . . Eodem anno, die dominico 17. mensis Septembris post nonam domnus Manfredus de Phi- Sept. 17. lippis de Pontremulo, qui[a] dicebatur Perteghetta, electus in capitaneo communis et populi Parme, ionsit et venit Parmam et more solito in publica concione iuravit dictum capitaneatum facere usque ad sex menses proxime venturos; et etiam ibidem et in ipsa concione iuravit facere potestariam civitatis et districtus Parme usque ad adventum sequentis potestatis, et aportavit in banderiis suis insigna aquile imperialis, et tunc et in continenti incepit facere utrumque regimen potestarie et capitanerie cum illa familia quam habebat. Eodem anno de dicto mense Septembris Rolandus Rubeus, qui detentus erat in civitate Bononie per domnum legatum, ductus fuit in Romaniam ad terram seu castrum Bertenorii et ibi postea detentus et custoditus fuit ad postulationem domni legati; de quo Parmenses

a) cui *cod.*

45) milio.

1329. Sept. et amici sui multum doluerunt. Eodem anno dicto mense Septembris liga et societas facta fuit per illos qui regebant Parmam et illos de parte imperii civitatis Parme et alias civitates Lombardie, que tenebant pro parte imperii sive Ghibellina; et ut publice dicebatur per regentes Parme, Bavarus, qui se tenebat pro imperatore sive pro rege Romanorum cum sua gente et qui tunc erat in civitate Papie, erat in dicta liga et in dicta societate; et publice dicebatur per Parmam: *Cras veniet, cras venit,* usque ad octo dies, et antequam fuit . . . octo dies etiam similibus verbis . . . Bavarus cum gente sua, que erat hic in civitate Parme. De quo multi dolebant et admirabantur, et credebant potius in damnum maximum civitatis quam comode recolentes antiquas et elapsas iniurias et audientes illud, quod fecerat in civitatibus in quibus steterat. Multi vero de parte imperii civitatis Parme, qui adhuc erant banniti et exules civitatis Parme, absoluti et liberati redierunt Parmam, et qui cum aliis omnibus de ipsa parte fuerunt positi ad consilia et ad credentias communis Parme. Petrus Rubeus, frater Rolandi Rubei et Marsilii Rubei, iam diu iverat Mediolanum et Papiam et ad alias partes causa tratandi predicta et complendi. Terre vero, ut dicebatur, de Lombardia, que erant in dicta liga et societate, fuerunt hec: Mutina, Regium, Parma, Pontremulum, Cremona, Pergamum, Laudum, Mediolanum, Papia, Alexandria, Oct. 2. Savona. Eodem anno, die Lune 2. mensis Octubris ordinatum fuit per consilium credentie sapientum, habentium bayliam super negotiis civitatis Parme, quod occasione mittendi illos imperatori imponeretur una talia, id est quoddam mutuum quadragenta milium florenorum auri, medietas quorum imponeretur clericis, personis ecclesiasticis, conversis, apontatis[a], religiosis omnibus indifferenter, et alia medietas illis de parte episcopi et amicis domnorum de Corrigia existentibus ad mandata communis. Eodem anno maxima abundantia vini tam albi quam vermilii fuit undique per districtum Parme et bona vina et grandia; et pulchrum tempus vindemiandi, sed cum festinatione et cum timore propter guerram que erat, maxime in porta Sancte Christine et porta Benedicta et etiam in aliis; quia extrinseci omni die eques et pedes currebant et depredabant personas et boves et 46 alias bestias, quasi omni die feriendo, modo h[i]c modo ill[ic], more beroariorum[46] et malandrinorum[47]; et etiam multi exibant de civitate Parme, qui robabant et depredabant bestias et personas et captivos ducebant ad terras inimicorum, in quibus bene recepta- Oct. 12. bantur. Eodem anno, die Iovis 12. mensis Octobris post nonam, utinam pro meliori, mariscalcus et gentes Bavari sive imperatoris venerunt Parmam et fuerunt bene 400 milites et plures. Et Petrus Rubeus conduxit eos et venit cum illis, qui iam diu steterat pro ipsis; et venerunt ad expensas et soldum communis Parme. Et sic civitas Parme devenit partis imperii, quod quidem valde novum et admirabile fuit, recolendo antiquitatem et qualiter civitas se habuit cum imperatore Federico condam. Et hoc totum evenit propter duritiam et iniquitatem legati, quam ostendit contra civitatem Parme et regentes civitatem Parme, et maxime propter detentionem quam fecerat et faciebat de Rolando Rubeo Et ipso tempore omnes indifferenter de parte imperii nova et veteri redierunt Parmam, tam nobiles quam po- Oct. 13. pulares. Eodem anno die Veneris 13. Octobris predictus mariscalcus et milites imperatoris et certi alii de civitate Parme eques et pedes equitaverunt et iverunt contra et in terras de ultra Henciam, que tenebantur per illos de Corrigia et alios extrinsecos, et multas depredationes et incendia in dictis terris fecerunt et multos captivos duxerunt usque ad pueros parvos et bestias grossas et parvas. Et ceperunt per forciam Casalpaudum et fortitiam que ibi erat, et ceperunt per fortiam inter alios captivos Senazium de Senazia, qui erat ibi, et ipsum captivum Parmam duxerunt in carcerem cum aliis captivis. Et combusserunt terram ipsam de Casalipaudo in totum et terram de Brixillo in totum et terram de Fingayda in totum et Oct. 14. terras de Sancto Syle et de Sancto Sistro in totum extra fortitias. Et die sabbati sequenti redierunt domum. Die dicto mensis Octobris, scilicet die Veneris et sabbati eiusdem mensis, quoddam extimum, quod iam factum erat secrete ad domum Marsilii Rubei inter homines civitatis Parme ad arbitrium, in consiliis generalibus in palacio veteri communis lectum et publicatum fuit, et impositum fuit, quod ad rationem libre quilibet solvere deberet coltam 18 imperialium pro libra; quod valde apparuit durissimum et nequissimum propter magnam impositionem colte et maximam inequalitatem et disconcitatem[48] factam in ipso extimo. Et incepta fuit colligi ipsa colta ad ipsum extimum et solvi non obstante, quod eo ipso tempore non erant soluta mutua antiqua et colta alia imposita occasione fovearum et

a) sic ed. 46) latronum. 47) grassatorum. 48) perturbationem.

murorum communis et alia multa, ita quod homines nesciebant, quid facere deberent 1329 propter tantas gravitates. Oct. Eodem anno sextarium furmenti vendebatur solidis 19 imperialium et plus, et sextarium spelte solidis 8 imperialium, et sextarium fabe solidis 14, et sextarium fasolorum solidis 18 imperialium, et sextarium milice et panici solidis 5 imperialium. Eodem anno et die Veneris mensis Octobris inceptum fuit in civitate interdictum officiorum ecclesiasticorum, et clerici inceperunt non celebrare missas et alia officia ecclesiastica, et hoc propter adventum predictorum maresciali et militum imperatoris; et multi religiosi recesserunt de domibus eorum de civitate Parme. Quidam vero, qui se dicebant sacerdotes et qui venerant cum gente supradicta imperatoris, bene dicebant missam ad ecclesiam maiorem et alibi, sed multi non ibant et multi ad illas audiendum. Eodem tempore de mense Octobris domnus imperator, qui Bavarus dicebatur, ad instantiam Petri Rubei et aliorum partis sue venit Cremonam causa, ut dicebant, posse velocius venire Parmam, quando vellent in auxilium civitatis Parme contra legatum et contra ecclesiam et extrinsecos Parmenses. Eodem anno, die Iovis 19. mensis Octobris Marsilius Rubeus, associatus hono- Oct. 19. rifice, se movit de Parma causa eundi ad predictum domnum imperatorem, et ivit expensis communis Parme et portavit secum de denariis et pecunia communis Parme sex milia florenorum auri causa donandi illos ex parte communis Parme eidem domno regi, et quos eidem donavit, et causa conducendi ipsum domnum imperatorem Parmam; et hoc totum contra legatum et detentionem, quam faciebat de Rolando fratre suo. Eodem anno die sabbati 21. mensis Octobris predictus mariscalcus imperatoris cum gente sua et multi cives de Oct. 21. Parma, Petrus Rubeus et alii multi nobiles et populares de Parma et soldati communis, pedites et equites, ducentes secum victualia per quatuor dies et multa preparamenta ad comburendum loca et castra, iverunt hostiliter ultra Henciam et iverunt Beruptum, et domos omnes ipsius terre combusserunt; et domum et fortitiam domni Matthei de Corrigia, que erat in ipsa terra bene munita et adfossadata circomquaque, preliati fuerunt viriliter, et tamdem ipsam per forciam prelii habueruut et ceperunt et homines et res existentes in ipsa in totum. Et erat dicta domus plena de blava, de culcidris, lino et generaliter de omnibus rebus hominum dicte contrate. Et hoc fuit die dominico sequenti, et redierunt Oct. 22. die Lune sequenti. Et nomquam tot et tante res, massaritie[49] et blava et vina invente Oct. 23. fuerunt in uno loco, quot et quante ibi invente fuerunt. Et per totum dictum diem Lune non cessaverunt conducere Parmam res ibi inventas et acaptas cum plaustris et cum personis, tam Todeschorum quam civium et aliorum qui iverunt in dictam cavalcatam; insuper etiam et multos homines de dicta terra ceperunt et captivos et detentos Parmam duxerunt in carceres communis. Et duravit mercatum dictarum rerum in platea et etiam alibi furtive et palam per tres dies continuos, sicut unquam fuisset in nondinis et aliis diebus sabbati et mercatorum. Dictam vero forteliciam dicti domni Matthei creverunt[50], et guar- 50 nitam dimiserunt de Todeschis et aliis soldatis communis Parme, ut guerram facerent contra illos de Corrigia in illa contrata. Eodem anno et mense Octobris magni apparatus facti fuerunt per commune Parme et per domnos ancianos de paleis auri et aliis pro aportando desuper dictum domnum imperatorem et desuper domnam reginam[51] uxorem eius et desuper quamdam suam neptem iuvenem, cui dicebatur duchessa; et inventi fuerunt domicelli, tam de nobilibus quam de popularibus, qui debebant illa portare et adestrare equos. Et preconizatum fuit publice per tubatores communis, quod advocatus mercatorum, ancianus iudicum, proconsul notariorum, potestates quatuor mesteriorum, capitanei societatis trium milium et ceteri omnes anciani aliorum omnium misteriorum civitatis Parme et homines universi de omnibus dictis collegiis, artibus et misteriis et de dicta societate essent parati ad eundum obviam dicto domino, quando veniret, et quod omnes campane civitatis Parme in dicto adventu sonari deberent tam communis quam ecclesiarum. Eodem tempore factum fuit per commune Parme quoddam magnum vexillum communis cum arma crucis imperialis, scilicet ad campum vermilium et ad crucem albam in ipso campo, et multi in scutis, in pavesiis[52] et in rotellis[53] fecerunt depingi insignia aquile imperialis; similiter et ille qui regebat tunc pro potestate et capitaneo civitatis Parme illa insignia fieri fecit et portari in pavesiis familie seu beroariorum[54] suorum, et in capelinis eorum qui serviebant, et ad scalas domus communis. Eodem anno et tempore de mense Octobris, cum quidam mercatores, scilicet unus de Parma et quidam alii de Venetiis, de mense

49) utensilia. 50) auxerunt. 51) Margaretham. 52) clipeis. 53) parmis 54) servorum.

1329. Oct. predicto Octobris transitum facerent per contratam de Sisia catti et spoliati essent et detinerentur personaliter in boschis[55] et insulis dicte contrate per quosdam malandrinos stantes et conversantes et se reducentes in dicta terra de Sisia, et inde tam citra Paudum quam ultra Paudum, et spoliantes omnes transeuntes et sforzantes omnes. Et cum ipsi malandrini tenerent in dictis boschis dictos mercatores et tormentis facientes illos redimere, Petrus Rubeus misit ad illos per suas litteras speciales, quod dictos marcatores cum rebus suis vellent dimittere, alioquin iret et incendio subponeret dictas contratas. Quod recusaverunt facere. Dictus Petrus Rubeus, cum reverteretur a civitate Cremone, quo iverat ipso tempore pro certis suis et suorum negotiis, et esset in terra de Casalimaiore, fecit sic secrete, quod habuit quosdam de dictis malandrinis, qui erant ibi in dicta terra, et eos detinuit; qui affidati ab ipso Petro, docuerunt eum boschum et locum, ubi erant detenti dicti mercatores. Et Petrus in continenti transivit Paudum cum sociis suis et fuit ad locum eundem, et sicut Deo placuit, invenit dictos malandrinos et dictos mercatores cum pecunia quam habebant; et ex ipsis malandrinis cepit personaliter quinque, et recuperavit mercatores cum pecunia sua, et ipsos quinque malandrinos duxit et posuit in manu et forcia communis Parme et predicti potestatis et capitanei tunc regentis; et hoc fuit die Mercurii

Nov. 1. primo mensis Novembris in festo omnium sanctorum. Qui in continenti tormentati, confessi fuerunt tantum maleficium; et ipsa eadem die post nonam per sentenciam apensi fuerunt per gulam et mortui ad balatorium communis, et tota ipsa die steterunt ibi apensi

56 et mortui, antequam dispicarentur[56]; et ex ipsis sic apensis erant tres de illis de Cornazano de Sisia, et erat plena tota platea communis de hominibus. Item eodem tempore predictus domnus imperator de Cremona venit cum exercitu suo ad terram de Casalimaiore[57], et ibi per aliquot dies stetit, et Marsilius Rubeus cum eo semper. Deinde venit ad terram de Vidaiana[58] et ad terram de Ponponesco[59], et in ipsis contratis posuit exercitum suum. Et preliari fecit dictam terram de Ponponesco et ipsam habuit et cepit, et ibi in ea habuit Hugolinum de Cavalcabobus et detentum tenuit in carceribus suis. Inde discessit de dicta contrata et rediit cum exercitu suo ad terram de Casalimaiore, et Marsilius Rubeus semper cum eo causa procurandi adventum suum in civitate Parme; quod totum procedebat in despectu legati et ad confusionem et destructionem domus domnorum de Corrigia et partis domni episcopi et extrinsecorum Parme, et ad exaltationem domnorum de Rubeis et amicorum suorum et partis eorum. Eodem anno predicti domni de Corrigia et alii extrinseci et rebelles civitatis Parme, videntes quod non poterant tenere omnia loca, que tenebant ultra Henciam, destrui fecerunt ambas turres de Cohencio et pontem qui ibi inter ipsas turres erat super flumen Hencie et etiam pontem de Sorbulo, qui erat super dicto flumine Hencie, ne per illos de civitate ad ipsos extrinsecos ita leviter posset transiri.

Nov 15. Eodem anno die Mercurii 15.[a] mensis Novembris dicti domni de Corrigia cum aliis extrinsecis Parme secum existentibus recuperaverunt et habuerunt per forciam prelii domum et forticiam dictam domni Matthei de Corrigia in terra de Berupto cum omnibus rebus in ea existentibus, et capitaneum qui ibi erat pro communi Parme interfecerunt, et alios omnes ibi repertos ceperunt et captivos duxerunt ad Castrumnovum domnorum de Corrigia. In nomine Domini ad honorem eius et totius celestis curie eodem anno et millesimo trecentesimo

Nov. 17. vigesimo nono, indictione duodecima, die Veneris 17. mensis Novembris post nonam excellentissimus vir domnus Ludovicus comes Bavarie, rex Romanorum et imperator, venit Parmam cum comitiva sua, veniendo ipsa die de terra Casalismaioris Colurnium[60] et de Colurnio Parmam. Et venit per stratam de Colurnio et intravit per portam de Sancto Matthia et per portam de Sancto Bernabeo, et honorifice fuit receptus, portatis sibi super capite duobus paliis auratis, et totidem uxori eius que venit cum eo. Et obviam ei iverunt usque extra civitatem ille, qui tunc erat potestas communis et capitaneus Parme, et omnes qui habebant equos vel equas, et capitaneus societatis trium milium et advocatus mercatorum, ancianus iudicum, proconsul notariorum, potestates quatuor misteriorum et omnes anciani artium et cum vexillo novo communis. Et adestratus per nobiliores civitatis tam ipse quam uxor, et sonatis campanis omnibus civitatis, tam communis quam ecclesiarum, et hospitatus fuit ad palacium episcopatus Parme; et sero adveniente facta fuerunt phano

a) *recte scripsit Barbieri 15 pro 5 codicis; dies enim 5. Nov. 1329. fuit Solis, dies 15. Mercurii.*

55) silvis. 56) detraherentur. 57) Casalmaggiore v. supra p. 671, n. 22. 58) Viadana v. supra p. 741, n. 6. 59) Pomponesco v. supra p. 741, n. 15. 60) Colorno v. supra p. 672, n. 31.

magna et insigna ignea in signum gaudii super turres et palatia communis et maioris 1329.
ecclesie et alias undique civitatis et baptisterii, et campanis omnibus sonatis usque ad Nov. 17.
primum somnum vel quasi. Et cum dicto domno imperatore venerunt quidam ex cardinalibus factis per papam Nicolaum et multi alii religiosi, et dictus cardinalis dicebat se legatum in Lombardia et intitulabat se episcopum Hostiensem et Velletrensem. Item die sabbati 18. Novembris facta et congregata fuit quedam magna congregatio multorum Nov. 18.
sapientum civium Parme, tam nobilium quam popularium, de amicis domnorum regentium, in palacio domnorum ancianorum per ipsos domnos ancianos et mandato et requisitione eorum, et omnes simul, deliberato et optento consilio eorum, predictus qui erat tunc capitaneus et potestas Parme et ipsi domni anciani et alii presidentes iverunt ad dictum domnum imperatorem ad palacium episcopatus, ubi erat, et obtulerunt et dederunt ei civitatem Parme cum districtu in eius dominium et regimentum sine aliquo tenore in totum ad eius mandata, et dederunt ei claves omnium portarum civitatis, sed ipse eas remisit domnis ancianis. Eodem tempore et anno, die dominico 19. mensis Novembris post Nov. 19.
nonam in consilio generali communis Parme in palacio veteri communis more solito congregato, in quo bene interfuerunt 600 consiliarii sine aliis, reformatum fuit de faciendo syndicos pro communi, qui iurarent fidelitatem pro communi domno imperatori. Et ita in eodem consilio constituti fuerunt domini Xandrinus de Guazardis, dictus Caracius, et Ambrosius de Maiavacis in solidum syndici communis Parme ad dictum sacramentum fidelitatis faciendum pro communi Parme dicto domno imperatori. Et sic ipsa eadem die dicti syndici, ambi in palacio episcopatus constituti, coram dicto domno imperatore dicte fidelitatis debite, nomine dicti communis et pro ipso communi, prestiterunt solemniter per publicum instrumentum. Item de eodem mense Novembris milites communis et dicti domni imperatoris pluries equitaverunt ad terras filiorum condam domni Ghiberti in contratis de domo de Boschis de villa de Meletulo et aliis, et domni de Foliano cum soldatis de Regio cum ipsis, comburendo, spoliando et destruendo dictas terras et maximas predas eorum bestiarum et hominum conducendo ad civitatem Parme et in carceres homines ponendo in magna quantitate. Eodem tempore maximus error erat in civitate Parme de eundo vel non eundo ad missas et alia divina officia. Clerici Parmenses non officiabant publice in presentia laycorum, sed tantum ianuis clausis et in absentia laycorum; similiter et omnes religiosi non officiabant. Quidam vero religiosi et presbiteri [qui] venerunt cum imperatore, publice audientibus, qui volebant, cantabant missas; et quidam ibant et quidam non ibant dicentes civitatem suppositam interdicto. Quidam vero fratres Minores, qui venerunt cum dicto domno imperatore Parmam — inter quos erat, ut dicebatur, magister generalis[61] totius ordinis fratrum Minorum —, in continenti, sicut fuerunt Parme, inceperunt 61
celebrare missas et cetera omnia officia divina diurna et nocturna, campanis pulsatis, ianuis apertis, in presentia omnium ire et audire volentium; et ipsi etiam predicabant publice, quod civitas non erat interdicta et quod licite omnes poterant ire et intervenire ipsis officiis divinis et quod nullum peccatum erat immo meritum magnum omnibus. Quidam vero presbiter de Parma, qui solitus erat iam diu dicere missam domnis antianis, dicens se habere licentiam ad hoc specialiter a domno episcopo Parmensi, nullo die cessavit eis in palacio ipsorum ancianorum dicere missam; et de predictis homines nesciebant bene sibi consulere, sed multo plures cessabant ire quam essent illi qui ibant. Eodem anno et tempore, die 23. Iovis dicti mensis Novembris stantibus hominibus in dicta conditione opi- Nov. 23.
nionis predicte, preceptum fuit et publice preconizatum per civitatem Parme ex parte domni imperatoris per tubatores communis Parme, quod omnes presbiteri et clerici civitatis Parme et districtus deberent officiare missas et alia officia publice, sonatis campanis et ianuis apertis et presentibus omnibus audire volentibus, ad penam perdendi beneficia et ecclesias eorum et dandi illas aliis qui officiarent. Et sic et propterea die Veneris sequenti inceperunt offi- Nov. 24.
ciare secundum preceptum missum ex parte dicti imperatoris. Sed nulli religiosi illud fecerunt, nisi solum fratres Minores predicti, et multi et multi propterea non officiabant, et multe persone recusabant ire ad ipsa officia timore interdicti et excommunicationis que tunc erat, et multi ibant indifferenter; et sic erat inter gentes error maximus de predictis. Eodem anno de mense Decembris, scilicet die sabbati 9. dicti mensis predictus domnus Dec. 9.
imperator discessit de Parma et ivit per portam de Colurnio et ivit versus Tridentum et

61) Michael de Caesena.

1329. Dec. secum duxit Marsilium Rubeum. Et Petrus frater eius remansit per vicarium domni imperatoris, et postea semper fecit et habuit vicariatum in Parma, habendo semper vicariatum et ceteram familiam sicut habebat Marsilius in ipso vicariatu; similiter et habuit titulum, et stabat tunc in domibus laborerii ecclesie maioris cum uxore et tota sua familia. De Dec. 25. mense Decembris ad festum nativitatis Domini starium furmenti vendebatur solidis 24 imperialium, et starium fabe solidis 14 imperialium, et pondus casei nostrani vendebatur solidis 24 imperialium. . . . .

1330. Mart. 23. In 1330, indictione 13. . . . . . Eodem anno, die Veneris 23. Martii in consilio credentie publicatum fuit, qualiter dictus Marsilius Rubeus erat vicarius pro domno imperatore non solum in civitate Parme, sed etiam totius Lombardie et in Lombardiam; et etiam in dicto consilio ordinatum fuit, quod de novo procederetur contra omnes qui non essent ad mandata communis Parme et citarentur de novo et procederetur contra omnes qui non venirent ad dicta mandata, tamquam contra rebelles imperatoris et corone, et dehinc scripta nomina illorum qui erant extra fuerunt et posita ad portas ecclesie maioris et palacium communis a latere capitanei et ad domum dicti domni vicarii; et ipso modo citati fuerunt, et datus fuit terminus 12 dierum ad veniendum. Et certi venerunt Parmam ad mandata dicti domni vicarii, qui omnes per eum recepti fuerunt ad mandata eius et communis, et canzellati de bannis et confinibus eorum. . . . . . Eodem anno et tempore supradictus frater Minor, qui se regebat iam papam pro domno imperatore et qui erat in civitate Pisarum et qui se fecerat nominari domnum Nicolaum papam, et constituerat certos cardinales, ut supra scriptum est, videns et cognoscens se illusum et derisum cum operibus suis, penitentia motus ivit Avinionem ad pedes domni Iohannis pape et cardinalium ibi existentium in pleno consistorio, et petiit ab eis misericordiam et veniam de commissis per eum, et confessus fuit se in ipsis errasse contra ecclesiam et contra domnum papam et cardinales. Qui domnus Iohannes papa et cardinales, habentes illum pro deriso et opera eius vana et derisa, et quia ecclesia nunquam claudit gremium redeunti, receperunt eum ad mandata et ipsum absolverunt et contulerunt illi unum archiepiscopatum longe a partibus Dec. illis. Eodem anno de mense Decembris nova venerunt in Parma, quod rex Bohemie veniebat cum magna comitiva gentium in Lombardiam — et erat ipse rex filius condam domni Inrici de Lucemborg olim imperatoris — et ut dicebatur, veniebat causa essendi rex in Lombardia, et quod veniebat pro ecclesia et pro imperio et pro rege Francie et de consensu et voluntate ipsorum, et causa ponendi civitates Lombardie in pace et pro reducendo omnes intrinsecos cuiuslibet civitatis Lombardie in civitate eorum et ad bona eorum et qualibet parte Lombardie; et ut dicebant, intitulabat se et nominabat *Rex pacificus, filius ecclesie et vicarius imperii*. Et fecit requiri per nuncios et litteras suas speciales omnes, qui tenebant dominia civitatum Lombardie et terrarum, quod quilibet esset coram eo in civitate Brixie, quod ibi adesset. Et multa magnalia et mirabilia dicebantur de eo et eius adventu, et quidam videbantur gaudere et quidam non de eius adventu; et vocabatur nomine suo domnus Iohannes rex Bohemie.

1331. Ian. In 1331. indictione 14, domnus Guido de Camilla de Ianua erat potestas civitatis et districtus Parme pro dicto domno vicario domni imperatoris. De mense Ianuarii Petrus Rubeus, associatus honorifice, ivit Brixiam ad dictum domnum Iohannem regem Bohemie, qui domnus rex ipsum Petrum alacriter vidit et recepit; et stato ibi per aliquot dies, domnus Petrus rediit Parmam. Eodem tempore de eodem mense Ianuarii post reversionem dicti domni Petri Rubei in Parma, Marsilius Rubeus vicarius predictus, associatus honorifice, et domnus Manfredus de Piis de Mutina, vicarius Mutine pro imperatore, et domnus Azo de Manfredis et domnus Iohannes de Foliano domini civitatis Regii cum eorum sociis, cum dicto Marsilio omnes predicti insimul iverunt ad domnum regem Bohemie sive Brixiam sive Pergamum sivi alibi, ubi eum invenirent; et Andreasius Rubeus et multi alii nobiles de Parma associaverunt dictum domnum Marsilium ad dictum domnum regem et iverunt cum eo. Eodem tempore, cum iam diu procuratum foret per supra dictum domnum Bertramum de Bausia carceratum in civitate Parme, de quo supra, ut data fide relasaretur causa procurandi relasationem Rolando Rubeo detento in carceribus legati Bononie et ipsi domni Bertramoni, et sociorum predictorum detentorum Parmam, tam penes domnum papam quam domnum regem Robertum et quam dictum domnum legatum, facta dicte relaxationis concordia die Iovis Ian. 24. 24. dicti mensis Ianuarii, predicti detenti, qui erant Parme in gabia super torisino domus

potestatis, extracti et relaxati libere fuerunt, et in conviviis et cavalcando per civitatem 1331. Ian. 24. honorifice visi sunt per domnum episcopum Parmensem et alios nobiles civitatis Parme. Et qui carcerati relaxati, ut supra constat, discesserunt de civitate Parme die Lune 28. mensis Ianuarii in hora tercie. Et eodem anno et die Lune Paulus de Aldigheriis, qui Ian. 28. iam diu, ut predicitur, erat in carceribus detentus, relaxatus fuit, et absque eo quod iret alio, ad ostium carceris habuit equum et equitavit cum dictis carceratis ad dictum domnum legatum in civitatem Bononie. Eodem tempore, die Martis 29. mensis Ianuarii con- Ian. 29. stitutus fuit syndicus communis Parme et pro communi Parme in consilio generali communis Parme ad eundem ad mandata dicti domni regis, et fuit syndicus domnus Francischinus de Coppis iudex de porta Nova, et instrumentum syndicatus fecit domnus Florius de Zanaciis notarius; in quo consilio non multi interfuerunt, sed ipsis diebus nihil aliud factum fuit de predictis. Eodem anno, die Iovis ultimo mensis Ianuarii in hora prandii Ian. 31. Rolandus Rubeus, relaxatus de carceribus legati, in quibus iam diu detentus extiterat, pro contracambio predictorum de quibus supra dictum est, pervenit Parmam sanus et ylarus et liberatus, quod Dei gratia fuit; et sine numero multi iverunt pedes et eques obviam ei usque ad Sanctum Prosperum[62] et plus, et cum infinito gaudio visus et receptus fuit in- 62 differenter non solum a suis, sed etiam ab omnibus masculis et feminis, parvis et magnis, laycis et clericis. Et bagordatum fuit a multis et balla et letitie magne fuerunt et, sero adveniente, magna insigna gaudii ignis et luminaria lanternarum et phano, cum campanis, super domibus communis et aliis turribus civitatis usque ad primum somnum et plus. In Dei nomine, die dominico 17.[a] mensis Februarii Petrus Rubeus, associatus honorifice, Febr. 17. se movit de civitate Parme causa eundi ad dictum domnum regem in civitatem Cremone; similiter et eodem tempore Marsilius Rubeus ivit ad dictum domnum regem, adsociandum de voluntate eius. Eodem anno, die sabbati 2. mensis Marcii in hora none supradictus Mart. 2. domnus rex Bohemie Iohannes venit Parmam, associatus honorifice de multis baronibus et militibus, et intravit per portam Sancti Hilarii et Sancte Crucis, et venit ad palacium domni episcopi et ibi hospitatus fuit. Et in suo adventu non fuit preconizatum, quod aliquis iret obviam ei nec quod strata expediretur nec quod palacium et stationes mercatorum etiam clauderentur, ut erat consuetum fieri in adventu aliorum regum. Nec sibi portata fuerunt aliqua palia desuper caput eius, nec adestratus per aliquos ad frenum nec ad stafas, nec banderie nec confaloni arcium et misteriorum nec viciniarum portate fuerunt ei obviam, sicut factum fuit legato et imperatori, quando primo venerunt Parmam. Et prohibebatur pueris et aliis omnibus clamare: *Vivat, vivat;* et si qui illud clamassent, percutiebantur acriter. Nec sonate fuerunt alique campane, nec sero adveniente fuerunt facta phano aliqua nec aliquod gaudium ostensum in publico de eius domni regis adventu; et quidam visi sunt non bene gaudere, et quidam multo gavisi sunt. Eodem anno et tempore, die dominico 3. Marcii, scita bene veritate de discessu exercitus qui erat contra Lucam, in Mart. 3. civitate Parme dicta die in sero facta fuerunt magna phano ignea super domibus et palaciis communis et turribus communis et aliis, campanis pulsatis, usque ad primum somnum undique per totam civitatem. Et multe persone ipsa nocte, masculi et femine, senes et iuvenes, iverunt in plateam ecclesie maioris, clamantes alta voce et dicentes: *Vivat rex, vivat domnus rex, vivat, vivat;* et postea dicebant: *Pax, pax, pax;* et dicebant postea: *Moriantur ducia et gabelle et moriatur domnus Ricardus.* Qui Ricardus erat quidam notarius de Regio, qui iam diu steterat Parmam officialis super exationem mutuorum et cultarum, qui multas crudelitates et iniquitates fecerat multis in dictum officium exercendo. Eodem tempore, die Veneris[b] mensis Marcii ante terciam, preconia voce premissa sero prece- Mart. 5. denti, sonatum fuit consilium generale communis Parme, et antequam finito sonari prima vice, plus quam 4000 virorum interfuerunt in palacio veteri communis, ita quod plures non poterant ibi stare, et tota platea communis similiter erat plena hominibus, masculis et feminis, senibus et iuvenibus. Et in dicto consilio unanimiter extitit reformatum de dando dicto domno regi civitatem et districtum Parme et ad sua mandata. Et tunc dictus domnus rex venit cum gente sua super scalis palacii communis a latere capitanei, et ibi per syndicos communis legiptimos et specialiter ordinatos data fuit civitas et districtus

a) 17. *scripsi pro* 7. *editionis Barbierianae. Dies enim* 17. *m. Febr. a.* 1331. *fuit Solis, dies* 7. *Iovis.* b) *pro* Veneris *videtur legendum esse* V. *v. infra; dies* 5. *m. Martii autem fuit Martis.*

62) S. Prospero a Parma ad orientem.

1331. Mart. 5. Parme dicto domno regi et ad sua mandata in totum et districte sine aliquo tenore. Et in adventu et reditu eius semper cives alta voce et sine timore clamabant: *Vivat domnus rex, vivat domnus rex. Moriantur datia et gabelle et moriatur Ricardus,* et: *Pax, pax.* Et ita erat plena platea et strata communis, eundo et redeundo, et domus et balconi et super tegulis domorum, quod plures non potuissent stare; de quo dato quidam non fuerunt gavisi. Et tota ipsa die, et postea bene per octo dies, plures indifferenter ballabant de die ac de nocte, sicut unquam factum fuisset ad carnisprivium, et per plures nobiles bagordatum fuit. Et sero dicti diei 5. Marcii magna phano, imo maxima, more solito et quasi in omnibus domibus civitatis facta fuerunt, campanis pulsatis, et per totam civitatem undique balla veniebant ab omnibus partibus masculorum et mulierum; et ibant in plateam communis et [63] in plateam ecclesie maioris cum ipsis ballis cum tamburis[63] et aliis insturmentis ad ballandum, et semper in fine replicabant: *Vivat domnus rex!* et: *Moriantur datia et gabelle et moriatur Ricardus,* et: *Pax, pax.* Eodem tempore domnus Ricardus, timore habito, noctis tempore, insalutato hospite recessit de civitate Parme et ivit Regium. Die Mer-

Mart. 6. curii 6. Marcii carcerati omnes qui erant et extrinseci in carceribus communis Parme et alii omnes indifferenter relaxati fuerunt de dictis carceribus de mandato dicti domni regis; similiter et omnia pignora, que erant accepta multis pro coltis et mutuis non solutis per domnum Ricardum et alios exactores ipsorum, gratis et sine solutione aliqua restituta fuerunt illis quorum accepta erant; similiter et illi qui erant in carceribus extrinsecorum

Mart. 15. libere relaxati fuerunt, et reversi sunt Parmam. Eodem tempore, die Veneris 15. Marcii in mane factum fuit quoddam consilium generale communis mandato dicti domni regis, in quo consilio quedam gabelle et datia fuerunt remota in totum et quedam diminuta et quedam firmata; sed populus non bene habuit, quod volebat de ipsis datiis et gabellis, quia tot et tanta erant debita communis, que aliter solvi non poterant nec cassari in totum sicut omnes clamabant. Eodem tempore catene que erant per civitatem et burgos Parme mandato domni regis remote fuerunt, et multe ex portis civitatis, que clause steterant iam diu erat, fuerunt aperte. Eodem tempore in continenti, sicut domnus rex habuit dominium civitatis, ipse fecit preconizari, quod quilibet secure posset venire, ire et redire per civitatem et episcopatum Parme, preter banni[tos] pro homicidio et pro furto; propter quod multi populares, qui erant extra civitatem, reversi sunt Parmam, et alii, qui de episcopatu Parme pro tempore et timore dicte guerre discesserunt de terris et villis eorum et stabant in civitate, reversi sunt cum familiis suis et rebus ad standum in terris et villis eorum.

Apr. 7. Die dominico 7. Aprilis post vesperas Guido de Corrigia, filius condam domni Ghiberti, cum multis sociis et familiaribus suis honorifice fuit visus et receptus a dicto domno rege.

Apr. 9. Die Martis 9. Aprilis domni Azo et Symon de Corrigia fratres, filii condam domni Ghiberti de Corrigia, venerunt Parmam cum familia eorum et fratribus suis naturalibus et aliis

Apr. 11. domus sue et honorifice visi et recepti fuerunt a dicto domno rege. Die Iovis 11. Aprilis ad honorem Dei et pro bono statu et pacifico communis et populi Parme et civitatis et districtus Parme, de mandato dicti domni regis et ad suam instanciam facta fuit pax, osculo pacis interveniente, et confirmata inter domnos de Corrigia et extrinsecos Parme [ex] una parte, et domnos de Rubeis et commune et intrinsecos Parme ... et syndicus fuit ... in platea ecclesie maioris ante terciam, et iurata solempniter ... et syndicos eorum.

Apr. 13. Die sabbati 13. Aprilis predictus rex se movit de civitate Parme causa eundi ad parlamentum cum domno legato, qui erat Bononie, et eodem die ivit Regium et habuit dominium Regii, deinde subsequenter ivit Mutinam et habuit dominium eiusdem civitatis, deinde, morato ibi per aliquot dies, ivit ad Castrumfrancum[64] districtus Bononie, et illuc domnus legatus ivit cum maxima comitiva ad dictum parlamentum. Et ibi fuerunt ambassatores undique partium omnium civitatum Tuscie, marchie Anchonitane et Romagne, et regis Roberti et Lombardie, Parme, Regii, Mantue, Cremone, Brixie, Pergami, Papie et multarum civitatum et locorum aliorum. In parlamento vero et colloquio facto inter predictos domnos legatum et regem de dictis et tractatis per eos ibi nihil publice dictum fuit, quia ipsi soli ambo simul et nulli alii cum eis colloquium inter se habuerunt; et stabant sic soli bene, quantum posset equitari per duo milliaria et plus, ita quod nihil sciri potuit. Die

Apr. 15. Lune 15. Aprilis, existente predicto domno rege ad dictum parlamentum et nondum reverso in civitatem Parme, domnus Karolus filius dicti domni regis, associatus honorifice,

63) tympanis. 64) Castelfranco inter Mutinam et Bononiam.

venit Parmam cum magna militum comitiva, et hospitatus fuit ad palatium domni episcopi 1331. Parme et valde honorifice fuit receptus ab omnibus. Nam portate fuerunt ei obviam omnes Apr. 15. banderie quatuor misteriorum et aliarum omnium artium [et] societatis trium millium et vexilla omnium viciniarum civitatis et banderie et vexillum mercadantie et collegiorum iudicum et notariorum et alie omnes indifferenter; et iuvenes et multi iverunt obviam ei usque ad terram de Viarolo[65], et redibant ante eum cum fraschis et ramis arborum cum 65 ghirlandis et ballando multi, et clamantes omnes: *Vivat, vivat; pax, pax; moriantur datia et gabelle.* Seniores vero et anciani arcium, capitanei et alii presidentes omnes indifferenter, eques qui poterant et alii pedes, masculi et mulieres, parvi et magni, et alii qui poterant se movere et venire, mostrantes et expectantes generalem pacem et in statu pacifico devenire; et ipsa die et aliis pluribus sequentibus balla et gaudia undique facta et mostrata fuerunt. Die Mercurii 24. Aprilis prefatus domnus rex a dicto parlamento rediit Parmam Apr. 24. post prandium, et obviam ei iverunt omnes, pedes et eques, qui se potuerunt movere, masculi et femine, senes et pueri, cum omnibus banderiis et vexillis communis et collegii et arcium et misteriorum et viciniarum civitatis Parme; et multi iverunt usque ad Pontem de Hentia[66], et pueri et iuvenes redierunt cum eo cum fraschis et ramis arborum et cum ghirlandis plus quam mille, ballantes et clamantes: *Vivat, vivat; pax, pax.* Et duo palea scripta[67] aportata fuerunt super eum et adestratus fuit per frenum et per stafas per nobiles et cives Parme, et campane omnes, tam communis quam maioris ecclesie et aliarum ecclesiarum omnium, in civitate Parme in ipso suo reditu non cessaverunt sonari. Eodem tempore domni de Rubeis sponte dimiserunt vicariatum civitatis et districtus, quem tenebant ab imperio citra. Eodem tempore in civitate Parme erant plures forenses, quam cives, et de nobilibus et maioribus hominibus quasi omnium civitatum Lombardie, tam de dictis civitatibus quam de aliis, et oportebat illos hospitari per burgos civitatis ut melius poterant; ita erant plena hospicia et ecclesie, quod tota civitas erat plena de ipsis nobilibus et dominis, qui veniebant ad dictum domnum regem, et undique ambasatores, absque gente dicti domni regis et filii et qui cum ipsis venerunt. Inter quos fuerunt filius imperatoris Constantinopolitani marchio Montisferrati[68], comes Sabaudie[69], comites Carentane, 68 domnus Lodovicus de Gonzaga dominus Mantue, dominus civitatis Cumarum et alii plures nobiles. Eodem anno, tempore dicti adventus dicti regis magna ubertas furmenti et aliarum blavarum apparuit in civitate Parme et feni et lignorum. Et sextarium furmenti valuit solidos 10 imperialium, et starius spelte solidos 5 imperialium, et starius fabe solidos 6 imperialium, et cotidie magna abundantia, similiter et vini tam albi quam vermilii magna derata. Carnes vero recentes et siche[70], caseum et ova carissima erant undique. Eodem anno chorus ecclesie sancti Ieorgii adalzatus et ampliatus et desuper tavolatus de bescanteriis et assidibus fuit expensis quorundam Todeschorum, qui fuerant Parme ad soldum pro imperatore et Petro Rubeo, preparato iam diu apparatu per eos pro dicto laborerio faciendo. Eodem tempore factum fuit unum oratorium et edificatum per unum fratrem, nomine Garsenium, iuxta portam communis dictam de Spadariis sive Salariorum, extra dictam portam iuxta murum communis usque ad pontem Salariorum et ubi stabat supradictus frater; et ibi edificatum fuit unum altare et facte certe domicule pro quoddam hospitale ibi faciendo, et vocatum fuit hospitale sive domus sancti Angeli. . . . Predictus rex fecit multa magna dona potentibus de certis redditibus et havere, terris 100 . . . molendinorum communis ancianis, qui erant anciani tempore sui . . . palatium imperatoris, dictum de Arena, cum iuribus suis fratribus et domo Alamanorum . . . solvit quosdam de havere communis et quorum data . . . terras domnis de Rubeis et quibusdam aliis com certis iurisdictionibus . . . et terram Briscelli com redditu aque Paudi et terram Berceti et . . . predictis domnis de Rubeis; et multa alia magna dona fecit de . . . bene se contentavit. Die Veneris 10. Maii domnus Ponzinus de Ponzinibus de Cremona, per dictum domnum regem Mai 10. electus in vicarium pro ipso domno rege civitatis et districtus Parme, venit Parmam in hora circa terciarum ad ipsum regimen, et in continenti incepit regere. Et discedit a latere solito domni capitanei, quia potestas vetus erat a latere domni potestatis cum uxore eius, que ut dicebatur tunc temporis erat in partu; et, morato per aliquos dies, ipse potestas vetus cum uxore et alia sua familia recessit, et dictus domnus vicarius potestas de novo

65) Viarolo v. supra p. 680, n. 41. 66) Ponte d'Enza a Parma ad orientem. 67) striata. 68) Theodorus, v. supra p. 742. 69) Aimo. 70) siccatae.

1331. ivit ad standum in dictis domibus dicti potestatis, et intitulabatur vicarius pro dicto domno Mai. rege. Finito dicto mense Maii, anciani communis desierunt stare reclusi expensis communis, ut soliti erant, in palacio communis in quo antea stabant, sed ibant ad domos eorum, et duobus vicibus quolibet die se conveniebant in palacio condam eorum de Sancto Vitale coram domno potestate, seu eius vicario pro eo, pro negotiis communis; et nullum salarium habebant a communi. Die dominico mensis Maii mariscalcus domni regis cum familia sua ivit ad standum super dicto palacio communis, in quo stabant antiani. Die Iun. 2. dominico 2. Iunii post nonam supra dictus domnus rex cum certis suis soldatis discessit de civitate Parme et ivit ad cenandum et ad hospitandum ipsa die ad terram de Sancto Iun. 3. Secundo[71]. Deinde ivit mane adveniente Cremonam, et ut dicebant ad parlamentum cum rege Francie et ad curiam Romanam; sed pro firmo nesciebant quo iret, nec causam pro qua iret. Quidam vero dicebant, quod non rediret magis Parmam; ipso vero in conmiatu[72], quem fecit in consilio, dicebat se bene rediturum. Filius vero dicti domni regis cum comite Sabaudie et cum multis aliis baronibus et soldatis remanserunt in civitate Parme ad custodiam civitatis. Multi autem doluerunt de dicto suo discessu, timentes quod propter eius absentiam iterato venire in brigam et guerram, e non bene se contentabant, quia pax generalis non erat facta, ut expectabant, in civitate Parme; inde plus timebant boni homines qui volebant vivere in pace. Similiter nec in civitate Regii nec in civitate Mutine explevit paces, vel quia non potuit vel quia noluit vel quia nescivit. Dominus vero provideat omnibus ad bene faciendum pro sua misericordia, et utinam! Eodem tempore ad instantiam et preces domni regis domnus papa misit litteras speciales domno legato Bononie, quod suspenderet interdictum civitati et communi Parme usque ad festum nativitatis proxime venturum; et sic domnus legatus dictum interdictum suspendit usque ad dictum terminum. Et de hac suspensione ex parte dicti domni legati littere venerunt clero Iul. 24. 25 Parmensi 24. Iulii in vesperis; et die Iovis sequenti in festo sancti Iacobi officia divina inceperunt celebrari publice, campanis sonatis et alta voce, sicut clerici voluerunt. Sed per omnes cleros de Parma indifferenter non officiabatur, quia in littera domnus legat[us] in dicta suspensione dixit et usus fuit talibus verbis, videlicet: *exclusis interdictis, excommunicatis.* Propter que verba clerus maioris ecclesie Parmensis et monasteriorum et capelani recusaverunt officiare, quia dicebant omnes Parmenses in universo esse excommunicatos vel interdictos, nisi illos qui redierant pro pace facta inter intrinsecos ex extrinsecos. Religiosi vero indifferenter officiabant publice et solemniter sicut numquam fecissent, et de hoc magnus error erat inter sapientes et bonos homines, qui nolebant falare[73] nec contra interdictum facere; sed plures erant qui ibant ad officia audiendum, quam alii qui non Aug. ibant. De mense Augusti impositum fuit per commune Parme causa domni regis pro suis expensis et in subsidium expensarum eius inter certas speciales personas civitatis Parme et terras episcopatus Parme unum mutuum seu colta novem milium florenorum auri, videlicet septem milium florenorum auri pro civitate et duo milia pro episcopatu Parme; et inceptum fuit colligi et solvi ab illis de civitate de dicto mense Augusti, et illis de episcopatu datus fuit terminus usque ad medium mensem Octobris proxime venturi. Eodem tempore quedam moneta de novo per dictum domnum regem facta fuit in civitate Parme, et moneta fuit unus denarius argenteus cum ramo, qni valebat et expendebatur uno imperiali, et unus alius grossus, qui expendebatur et valebat duodecim imperialibus Oct. 6? et tantum currebat. De mense Octobris, die dominico 7.[a] dicti mensis seu circa principium dicti mensis Octobris maior plena[74] aquarum fluminum fuit in districtu Parme, Paudi et aliorum fluminum districtus Parme et superabundantia, que nunquam visa fuisset. Et fuit aqua Paudi per totum terrenum indifferenter, et usque citra Gaynagum et totam contratam Resole Paudi ab utraque parte, tam per Parmenses quam per Cremonenses, omnes terre, domus, ecclesie et habitationes fuerunt submerse et supposite aquis et plene; et multi negaverunt[b], nec poterant ire nec redire, et qui poterat ibat super domibus, sed non habebant ad manducandum. Et in Colurnio et in villis circumstantibus similiter hoc advenit, et terra de Brixillo tota fuit sub aquis, et aggeres per totum destruct[i] fu[erun]t.

a) *an* 6?, *dies enim* 7. *m. Oct. a.* 1331 *fuit Lunae.* b) *sic ed.*

71) San Secondo in sinistra Tari fluv. ripa, a Parma inter septemtriones et occidentem. 72) verbis supremis. 73) peccare. 74) altitudo.

et ecclesia Bersilli diruit, ita quod ibi nihil remansit; et, secundum quod dictum fuit per 1331.
viatores et mercatores, qui ibant et redibant, hoc similiter evenit in Placentia et per Man- Oct.
tuanum et Cremonensem et in Casalimaiore et in pluribus villis et terris circumstantibus
flumen Parme et ali[a] districtus Parme, et innumerabilia et importabilia damna undequa-
que inferendo omnibus quos tetigit. Et duravit dicta plena in Rezula Paudi plus 20 diebus.
Animalia vero sylvestria omnia per contratas illas suffocata fuerunt et capta plurima.
De eodem mense Octobris domnus Karolus, filius domni regis, cum consilio suo redussit
multas gabellas et dacia multa, etiam de novo constituit, et minuit bozolam[75] vini una 75
oncia, et fecit Parmensem salem ad 40 solidos imperialium starium, et dacium macine
augumentavit et datium pensionum domorum et fictorum[76] terrarum reduci fecit propterea.
Et hoc fieri fecit causa habendi pecuniam pro suo dispendio et soldatorum suorum. De
quo homines de Parma doluerunt, sed factum ita fuit, considerantes quod non habebant
illud quod credebant. Eodem tempore propter predictas plenas aquarum, de quibus
supra dictum est, et multum tempus pluviosum, quod ipso tempore fuit, starius furmenti,
quod tunc fuerat ad 9 solidos imperiales — et maxima abundantia de ipso et ceteris blavis
erat cotidie in platea — et propter malos homines desiderantes carestiam et invidentes
conducte bone de blava, ascendit et ivit ad *12 solidos imperiales starium, et non portabant
nisi modicum in plateam, ita quod homines timuerunt habere carestiam. Sed per commune
Parme facta fuit impositio blave cuilibet ex terris episcopatus Parme, et sic abundancia de
furmento et alia blava venit in platea, ita quod, sicut Deo placuit, venit ad 10 solidos impe-
riales, et sex imperiales plus et minus sicut erat pulcrum, sed satis de ipso non veniebat tunc
temporis in plateam. De mense Novembris vel Decembris ordinata et imposita fuit una Nov. Dec.
gabella nova hominibus et terris episcopatus Parme nunquam imposita nec data, et fuit
imposita hominibus et personis singulariter episcopatus Parme; quod apparuit minus grave
et ideo, ut apparet, convenientius, imposita fuit in summa cuilibet terre et ville soldos tres,
quod divisum fuit per impositores electos ad ipsam imponendum et dividendum per singulas
villas; et hec gabella imposita fuit ratione fructuum et reddituum blave et vini et aliorum
fructuum; et incepta fuit colligi et pro maiori parte soluta fuit. Eodem anno ad festum Dec. 25.
natale fuit starius furmenti ad solidos 10 imperiales et ad maius pretium. De mense
Decembri missus nuntius per Lombardiam, maxime per terras, que tenebantur per dictum
domnum regem, quod omnes, qui vellent giostrare[77], venirent ad civitatem Parme ad 77
giostrandum, quia invenirent giostratores[78]. Et tandem ab omnibus partibus plurimi vene-
runt, et facte fuerunt in glarea communis sub domibus Pateriorum stechate et sub domibus
eorum de Guercinis, inglareta[79] via et glarea inde, et ibi die Lune penultimo mensis De- Dec. 30.
cembris de die et de nocte ad lumen cereorum per nobiles civitatis Parme et aliunde et
per Todeschos magne giostre[80] facte fuerunt et die Martis sequenti, et ibi curia magna fuit Dec. 31
et comedebant ibi omnes qui volebant.

In 1332, indictione 15. domnus potestas sive vicarius pro dicto domno rege in civitate 1331.
Parme erat domnus Salvacius Mori de Castello de Luca. Ad festum beati Hilarii becharii, Ian. 13.
qui iam diu erat consueverunt ire ad ipsum festum cum calzolariis, ferrariis et pilizariis,
iverunt pro se ad festum predictum, et cum eis iverunt multi de maioribus et nobilibus civitatis.
Alie vero tres artes insimul, scilicet calzolarii, ferrarii et pilizarii pro se iverunt, de qua
divisione multum dictum fuit et admiratum per alias artes et alios homines civitatis Parme,
non bene scientes unde illud processerat vel procedere poterat. Eodem tempore furmentum
venit ad 10 solidos imperiales, et starius fabe vendebatur solidis tribus imperialibus.
Eodem tempore, die Martis 15. . . . domnus Castellanus de Becaria de Papia, per dictum
domnum regem factus vicarius seu rector et potestas civitatis Parme, ipsa die in hora
tercia venit Parmam et ivit ad ecclesiam maiorem ad offerendum more solito, et facta
obligatione[81], ivit ad domnum Karolum filium dicti domni regis existentem in palatio episco-
patus, et ibi coram domno Karolo iuravit regere ad beneplacitum et ad mandata regie
maiestatis. Quo facto venit ad plateam, sonatis campanis turris communitatis, et ivit
ad scalas palatii communis dicti capitanei, et absque aliter ibi stare, et per ipsas scalas
ascendit palacium communis et domum dictam potestatis; et in continenti ipsa die et hora
incepit regere et mittere bannum regiminis, et more solito et predecessorum non ascendit

75) mensurae genus. 76) conductionum. 77) hastiludium celebrare. 78) pugnatores. 79) glarea
substructa. 80) hastiludia. 81) oblatione.

1332. sed discessit, et ivit ad hospitandum quo voluit in Parma. Die Iovis 4. mensis Iunii
Iun. 4. circa vesperas arduum tempus . . . Parme. Et sagitta de celo percussit in turre com-
munis, . . . iam percusserat, et dirupit unum ex merlis dicte turris et in volta fenestre et
funem seu catenellam eneam, que erat ad tintinella, usque ad fenestras domus potestatis.
Et plures homines, qui erant in platea ibi iuxta portam domus potestatis, ceciderunt in
terram tacti timore sagitte, et quasi mortui fuerunt portati ad domos suas, et steterunt ita
exterriti tota ipsa die. Et tempestas valde grande damnum fecit in civitate et circa forte
Iun. 15. per unum milliare in blavas et vineas. Eodem anno, die Lune 15. mensis Iunii domni
de Corrigia expulerunt de omnibus castris suis custodes et soldatos, qui ibi erant pro
domno rege, dicentes se timere deinde de eo propter quedam apparentia, ut dictum fuit,
et fecerunt comburi et destrui totam fortiliciam circumquaque, que erat in terra de Ulmo.
Quod quidem cum scitum fuit in civitate, ipsa nocte et sequenti die et nocte magni timores
fuerunt inter bonos homines de se reducendo in brigam et guerram. Multi etiam malan-
drini et mali homines voluerunt currere ad arma et robare in civitate, sed Rolandus Rubeus
omnino prohibuit; et sola Dei et ipsius Rolandi bonitate dicte robarie et mala que volebant
fieri tunc cessaverunt. Multi vero amici ipsorum domnorum de Corrigia timentes recesse-
runt de civitate Parme. Et in continenti dicta terra de Ulmo et terra de Sancto Syle de
ultra Henciam per commune Parme iterum fortificate fuerunt et custodite et guarnite bene
per gentes et custodes domni regis nostri et communis Parme. Item . . . De mense Iunii,
Iun 18. die Iovis 18. dicti mensis celebratum fuit festum corporis et sanguinis Christi, et ante
terciam homines quatuor misteriorum de Parma, scilicet beccariorum ferrariorum piliza-
riorum et calzolariorum, omnes simul congregati in platea communis in maxima quanti-
tate . . . et qui omnes primo portaverunt canellas ad hospitale, ordinatum per domnum
Hugolinum de Niviano condam in capite pontis in vicinia Sancte Cecilie — quod hospitale
dictus domnus Hugolinus in sua ordinatione relinquerat dictis quatuor misteriis et curam
et patronatum eius ad honorem Dei — disponentes, ut dicebant, sic de cetero annuatim
ipsa die facere in auxilio et pro augumentando dictum hospitale. Eodem anno propter
dictas novitates et timores predictos ordinatum fuit per commune Parme de habendo pro
communi quadringentos milites Todeschos ad soldum communis Parme ultra illos, quos
tunc secum habebat filius domni regis. Et causa solvendi eis, in continenti simul impo-
situm fuit unum mutuum specialibus personis novem milium florinorum auri, et una colta
generaliter inter homines civitatis et districtus Parme eiusdem quantitatis causa citius
habendi pecuniam et causa restituendi dictum mutuum aliis qui prestiterant. Eodem
tempore terre districtus Parme undique, in quibus esset furmentum et spelte et linum,
fertiliores satis plus fuerunt, quam fuissent multis temporibus elapsis, et maxima abun-
dantia dicte blave fuit; fabe vero perdite fuerunt pro maiori parte episcopatus Parme. Et
sextarius furmenti dabatur pro solidis 7 imperialibus et per minus, et furmentum erat
8: totum in omni parte pulcrum et nectum[82] absque lolio et veza[83] et aliquo alio turpi semine.
Aug. 27? Die 7.[84] Augusti post nonam cridatum fuit et preconizatum publice per tubatores com-
munis Parme per totam civitatem Parme in locis consuetis ex parte domni Karoli, filii
dicti domni regis nostri et vicem eius facientis et regentis, quod quelibet persona ad
honorem Dei et beate virginis Marie deberet dicere: *Ave Maria!* ter omni mane ad sonum
Aug. 28. campane communis, de cetero que sonari debebat. Et sic die Veneris 28. dicti Augusti in
mane primum inceptum fuit sonari campana grossa communis tribus vicibus et totidem
Oct. beata virgo ab hominibus ip hora dicto signo salutari. Item . . . De mense Octobris
impositum fuit per domnum Karolum predictum et per commune Parme pro necessitatibus
communis et dicto domno Karolo satisfacere, inter certos homines civitatis Parme unum
mutuum decem milium florenorum auri, reddendorum quando placeret Domino, et in-
ceptum fuit colligi de dicto mense; sed male solvebatur pro maiori parte, substinentes se
Nov. detineri et pignorari[85] cotidie antequam solverent. Die dominico mensis Novembris
domnus Karolus, filius domni regis nostri, hostiliter cum gentibus suis equitibus et pedi-
tibus et multis militibus de Parma ivit in succursum civitatis Mutine et causa, ut dicebat,
removendi dictum exercitum predictorum, qui erant in terra de Sancto Felice[86]. Propter
quod magne custodie fiebant in civitate Parme, de nocte maxime, et multi homines de

82) purum. 83) vicia. 84) an 27? 85) pignore cogi. 86) San Felice a Mutina inter septem-
triones et orientem.

episcopatu Parme venerunt ad custodiam civitatis. Eodem tempore, die Mercurii 25. mensis 1332. Novembris, in qua die est festum beate Catherine virginis et martyris, existentibus gentibus Nov. 25. pedes et eques dominorum Ferrarie Verone Mantue Mediolani in dicta terra de Sancto Felice districtus Mutine numero bene duodecim centonariorum militum absque peditibus, et facta per eos ibi extra locum Sancti Felicis et apud ipsum locum quadam fossa ad eorum custodiam et defensam tempore nocturno, domnus Karolus dominus noster cum sua gente de Todeschis et Bolemis[87], Parmensibus Reginis et Mutinensibus equestribus et peditibus — 87 inter quos Parmenses erant Marsilius, Petrus et Andriasius de Rubeis, Raymondinus de Lupis, Hubertus marchio Pelavicinus et Andreolus de Senaza et alii multi de Parma, tam eques quam pedes — equitavit ad eos ad dictum locum de Sancto Felice, et ordinatis aciebus, hinc inde viriliter insultavit et insultari fecit predictis. Et inito et incepto prelio arduo et magno inter eos, quod bene duravit a nona usque ad sero, et tandem predicti Ferrarienses Veronenses Mantuani et Mediolanenses non valentes resistere, fuerunt omnes in ruina et conflictu taliter, quod nullus eorum omnino evadere potuit qui non esset captus, mortuus vel infugatus; in quo prelio plures septem centum equi ab utraque parte fuerunt mortui in parvo spatio terre. De predictis vero infiniti fuerunt capti a dicto domno Karolo, detenti in carceribus, absque mortuis et infugatis. Et in quo prelio predictus domnus Karolus fecit se fieri militem a quodam magno domino qui erat cum eo, qui vocabatur domnus Kesarius; qu[o] facto, ipse domnus Karolus fecit milites predictos Marsilium et Petrum et Andriasium, Raymondum, Hubertum de Parma, et quosdam alios de Regio et de Mutina. Quo scito in civitate Parme, magnum gaudium fuit die sequenti, propter quod in sero magna insigna Nov. 26. gaudii et letitie facta fuerunt, campanis pulsatis omnibus civitatis, et phano magna per totam civitatem et burgos et luminaria ignea super domibus et turribus et per stratas et vias et burgos bene usque ad primum sompnum; quod fuit die Iovis 26. mensis predicti. Die vero sabbati 28. dicti mensis in palacio veteri communis in conscilio magno, quod im- Nov. 28. plebat totum palacium, littere, misse a predicto domno Karolo domno vicario et domnis antianis, lecte fuerunt, continentes predictum mortoriale factum per dictum domnum Karolum et suos sequaces contra predictos et conflictum eorum; in quo consilio per dictum vicarium, lectis dictis litteris et auditis, propositum fuit, si quid erat tunc faciendum occasione predictorum. Et in ipso consilio consultum et reformatum et ordinatum fuit de providendo lactoribus[88] dictarum litterarum et novellarum per commune Parme egregie et laudabiliter, insuper et quod de cetero per homines civitatis Parme deberet celebrari solemniter omni anno festum beate Catherine et quod deberet ad illum festum portari candele ad locum et monasterium dominarum de Sancta Catherina — quod est in capite pontis in vicinia Sancte Marie Templi — ad honorem Dei et beate Marie et predicte beate Catherine, in memoria perpetua tanti triumphi et talis et tante victorie. Et qui domnus Karolus cum predictis militibus de Parma et aliis suis reversus est Parmam die Martis primo mensis Dec. 1. Decembris proxime subsequentis post nonam, et cum magno honore et triumpho et gaudio receptus fuit, euntibus ei obviam omnibus artibus, misteriis et collegiis Parme et hominibus ipsarum artium, collegiorum et misteriorum cum banderiis et vesillis et confalonibus ipsorum et omnium viciniarum civitatis Parme, et sonatis campanis omnibus civitatis, communis et ecclesiarum, et portato sibi quodam honorifico paleo de sero[89] obviam causa 89 portandi ipsum desuper eum, sed noluit intrare nec venire sub ipso palio; sed portantes illud post eum detulerunt illud usque in plateam ecclesie maioris. Et ibi Todeschi de familia dicti domni Karoli voluerunt accipere dictum paleum predictis, qui illud portabant, et ipsi portantes noluerunt eis dare; unde omnes insimul concordati portaverunt illud ad ecclesiam predictam sancte Catherine, et illud ibi obtulerunt ad honorem Dei et beate virginis Marie et beate Catherine, ibi remansurum perpetuo. Eodem tempore et mense per dictum domnum Karolum et suum consilium et alios sapientes de Parma deliberato consilio stabilitum fuit et ordinatum fuit, quod, quia in die festivitatis beate Catherine non potuit fieri festum suum honorifice ut volebant, primo die dominico proxime sequenti post dictum redditum[90] celebrari deberet, portando canellas et cereos per homines arcium et misteriorum civitatis Parme. De mense Decembris domnus Mapheus de Somo de Cremona fuit pro dicto domno rege nostro vicarius seu rector et potestas civitatis et districtus Parme, electus per sex menses, duraturus plus et minus ad beneplacitum dicti domni

87) Bohemis. 88) latoribus. 89) sericis. 90) i. e. die 6. Dec.

1332. nostri regis. Eodem mense Decembris, die dominico 6. dicti mensis, quo die est festum
Dec. 6. sancti Nicolai, ante terciam ad honorem Dei et beate Marie et beate Catherine virginis et
martyris Dei ad domum et ecclesiam sancte Catherine — que est in capite pontis in vicinia
Sancte Marie Templi ultra pontem domne Gilie — portate fuerunt candele ceree et cerei
accensi a platea maioris ecclesie et a platea communis usque ad dictam ecclesiam sancte
Catherine, et ibi dimisse et oblate per supradictum excellentissimum dominum nostrum
domnum Karolum, primogenitum filium serenissimi domini nostri domni Iohannis Dei
gratia Bohemie et Polonie regis, civitatis Parme domini, associatum pedester ab hominibus
universis omnium collegiorum et misteriorum et arcium indifferenter honorifice cum gaudio
magno et triumpho victorie habite per dictum dominum nostrum et suos sequaces contra
inimicos et rebelles eiusdem et suorum et in memoriam predictorum. Eodem tempore
interdictum, quod erat in civitate Parme, suspensum fuit per domnum papam ad instan-
tiam dicti domni nostri regis, de qua suspensione littere venerunt clero Parmensi die Martis
Dec. 22. 22. mensis Decembris, et lecte et publicate in ecclesia maiori in hora vesperarum. Et sic
inceptum fuit celebrari officia divina per clericos — duratura dicta suspensio usque ad
festum sancti Michaelis de mense Septembris proxime venturi — excepto quod interdicti
et excommunicati non debebant ire ad dicta officia, nec clerici, qui publice celebraverant
tempore interdicti, celebrare debebant. Et multi clerici predicta occasione personaliter
de necessitate iverunt Avinionem ad faciendum se absolvi ad hoc, ut possent officiare.
Dec. 25. Eodem tempore de mense Decembris et ad illud festum nativitatis sextarius furmenti vende-
batur ad plus sex solidis et quinque denariis et minus; caseum sive pondus casei nostrani
vendebatur solidis 21, quodlibet onus, imperialium, et carnes bovine et castroni care; in
principio vero bona derata de carnibus porcinis tandem fuerunt cariores.
1333. In 1333, indictione prima. Erat hoc anno supra dictus domnus Mapheus de Summo
1332. Dec. 27. de Cremona pro dicto domno rege vicarius seu rector et potestas Parme. Die 27. De-
cembris anni ante dicti domnus Karolus predictus, associatus a Rolando Rubeo et a domno
Andreaxio de Rubeis et ab aliis, sicut voluit, discessit a civitate Parme et ivit, ut dicebat,
versus Lucam, et dicta die erat festum sancti Iohannis euangeliste. Qui domnus Karolus
1333. Ian. 30. rediit Parmam cum comitiva sua, que erat cum eo, die sabbati penultimo Ianuarii proxime
subsequentis. De mense Ianuarii quedam dacia et quedam gabelle communis fuerunt
duplicate et quedam augumentate, et starium salis positum fuit ad quadraginta duos solidos
Ian. 22. imperiales et ita vendebatur ad doanam communis; et die 22. Ianuarii incepta fuit gabella
instormentorum mutuorum, licet gratis [vel] pretio alicuius rei licet ad societatem, quatuor
Febr. imperialium pro libra. De mense Februarii impositum fuit per commune Parme unum
mutuum quatuor milium florinorum auri inter homines civitatis, et 2000 florinorum inter
homines episcopatus, et fuit publicatum in consilio in palatio veteri communis die Mercurii
Febr. 17. sequenti, quod fuit die 17. Februarii, et inceptum solvi; et mutuum episcopatus eodem modo
Febr. 22. publicatum fuit die Lune 22. Februarii, et promissum fuit quod redderetur, quod utinam!
Eodem tempore de mense Februarii, sive propter dacia blave augumentata sive propter
malum tempus, quod erat maxima nix, sive aliter, sestarius furmenti vendebatur decem
solidis imperialibus et plus, et paucum furmentum ducebatur ad vendendum. Eodem
anno et mense tassata fuerunt onera hominum episcopatus, que habebant preter maci-
91 nam[91], et careriorum fossatorum et quorundam aliorum, et reducta in unam summam
singulis terris; et fuit divisio facta ad modum salis quod habebant a communi. Et quedam
terre agravate et quedam axevelate, sicut placuit divisoribus, tamen cuilibet terre visum
fuit nimis maximum onus; ita quod, dicto onere considerato et onere gravitatis mutui eis
impositi, homines nesciebant quid deberent facere, com videretur omnibus inportabile et
non posse sustinere, quare plures renontiabant mezadrias[92], dicentes se velle discedere
Febr. 26. de villis et venire ad standum in civitate vel ad alias partes. Eodem anno, die 26. mensis
Februarii in hora completariorum[93] serenissimus domnus Iohannes Bohemie et Polonie
rex et comes Lucimburgi, dominus et rex noster, reversus est Parmam, cum maximo de-
siderio expectatus. Et honorifice receptus fuit, euntibus ei obviam omnibus artibus et
misteriis et collegiis civitatis Parme cum omnibus banderiis suis et vexillis viciniarum
omnium civitatis Parme et vexillo mercadantie cum advocato mercatorum et toto clero

91) molam. 92) praedia rustica. 93) hora postremi officii sacri, i. e. ineunte nocte.

Parmensi cum coctis[94] et paramentis[95] ecclesiasticis et religiosis et fratribus omnium 1333. religionum civitatis Parme, portatis duobus paleis de seta[96] obviam ei, ut portarentur Febr. 26. desuper eum; sed ipse domnus rex noluit venire sub illis. Die Mercurii 10. mensis Mart. 10. Marcii predictus domnus rex noster una cum domno Karolo eius filio in hora circa tertiam discessit de civitate Parme cum pauca comitiva, sine tubis sine panonis[97] seu banderiis vel aliquibus insigniis, et equitavit versus Placentiam. Et dictum fuit per homines, quod ibat Papiam, que venerat in rebellione eius; sed quoddam castrum quod erat in dicta civitate Papie tenebat adhuc pro dicto domno rege. Et verum fuit, quod bene ivit Papiam cum infinito et maximo exercitu et peditum et equitum, et stetit ibi in obscedio, sed civitatem non habuit; damna vero maxima fecit fieri in partibus illis. Similiter et cum ipso exercitu ivit super districtum Mediolani et super districtum Pergami, qui eciam erant in eius rebellionem, et ibi etiam maxima damna fecit, civitates tamen non habuit. Et multi magni de Parma fuerunt cum eo et steterunt in ipso exercitu secum. Die dominico 28. mensis Mart. 28. Marcii predictus domnus Karolus, filius dicti domni regis nostri, cum pauca gente reversus est Parmam. Et die Lune sequenti in hora completorii pater eius domnus Iohannes rex Mart. 29. noster similiter reversus est Parmam cum pauca gente, sine tubis et aliquibus insigniis. Die Martis penultimo dicti mensis Marcii post prandium domnus rex Iohannes dominus Mart. 30. noster una cum Karolo filio suo et domno Rolando Rubeo equitaverunt versus Bononiam ad parlamentum, ut dicebatur, cum domno legato. Eodem tempore, orta iam diu discordia et guerra magna inter legatum predictum et marchiones Hestenses, et existente exercitu dicti domni legati contra civitatem Ferrarie et credendo ipsam civitatem, pro diuturnam moram ibi in ipso exercitu faciendo, iam tenere, novissime dux Mediolani, Mantuani et Veronenses cum Ferrariensibus et aliis suis sequacibus transierunt Paudum et insultaverunt dictum exercitum legati, et arduum et maximum prelium fece- Apr. 14. runt. Et tandem gentes legati, substinere non valentes, fuerunt in conflictu et ruina; et nocte, composito igne in dicto exercitu, omnes vel quasi omnes de gentibus legati mortui fuerunt, quia evadere nec fugere potuerunt nisi per aquam. Et ut dictum fuit, domnus Azo Vicecomes de Mediolano et domnus Luchinus patruus eius et domnus Mastinus de la Scala dominus Verone et domni Spineta et Boracius de Malaspinis fuerunt personaliter cum gentibus suis in auxilio predictorum domnorum Hestensium et Ferrariensium; et ut dictum fuit, plures quinque milibus de gente legati tam lighe sue, que Linguadocha dicitur, quam Lombardis et aliis et de Bononiensibus et aliis perierunt et mortui fuerunt. Et fuit dicta batalia dicto anno et tempore die 14. Mercurii mensis Aprilis, in quo die est festum sanctorum Tiburtii et Valeriani martyrum. Dictus domnus autem rex noster cum suis tunc temporis erat Mutine. Die dominico 25. mensis Aprilis in hora post prandium predictus Apr. 25. domnus rex Iohannes una cum domno Karolo filio suo et existentibus cum eo reversus est Parmam. Rolandus Rubeus vero redierat usque in die sabbati proxime precedente[98]. Et ut dictum fuit, domnus rex et Rolandus Rubeus fuerunt Bononie cum domno legato; et sic, finitis negotiis inter se habitis, domnus legatus et Rolandus Rubeus et fratres facti sunt amici, qui ante fuerunt inimici. Domnus Karolus vero semper remansit dicto tempore in civitate Mutine. Die Martis 27. mensis Aprilis supra dictus domnus Karolus, Apr. 27. filius dicti domni regis nostri, equitavit cum certis suis soldatis Cremonam. De mense Maii gentes domni Karoli filii regis nostri, qui erant Cremone, equitaverunt super distri- Mai. ctum Pergami, et ibi ceperunt maximam et innumerabilem predam bestiarum grossarum et minutarum et personarum. Pergamenses vero cucurrerunt post eos, volentes recuperare dictam predam. Gentes vero domni Karoli propter multitudinem prede, quam omnino ducere volebant, et timore Pergamensium circundantium eos, reduxerunt se ad castrum Martinenghi[99] districtus Pergami, quod tenebatur per quosdam Pergamenses extrinsecos, et ibi steterunt et miserunt Parmam ad domnum regem, quod succurreret eis, quia Pergamenses circumiverant locum predictum, ita quod exire non poterant sine magno periculo. Qui domnus rex misit Cremonam magnam partem gentium de soldatis suis, et dicebant, quod rex volebat illuc personaliter ire, sed tunc non ivit; et hoc fuit de mense Maii circa principium mensis. Eodem tempore, die Veneris 14. Maii supra dictus dominus noster Mai. 14.

94) vestibus linteis (Ital. *cotta*). 95) vestibus sacerdotalibus. 96) sericis 97) pannis magnis. 98) Apr. 24. 99) Martinengo a Pergamo inter meridiem et orientem.

1333. rex et Rolandus Rubeus cum eo et aliis forte quinquaginta sine insigniis et tubis equitaverunt Bononiam ad domnum legatum, qua vero causa, nesciebatur ab hominibus. Et
Mai. 16. qui domnus rex re ersus est Parmam cum illis qui secum iverant, die dominico 16. in sero. Eodem die Veneris[1] post nonam apparuit eclypsis in certa parte solis et visus fuit sol sicut luna, quando est in circulo et non plena. Et quod hoc dicta die esse debebat, missum fuit ante per plures dies a certis sapientibus Bononiensibus similiter et a certis medicis et sapientibus de Parma, qui dixerunt quod hoc esse debebat sic dicta die. De mense Maii starium furmenti vendebatur solidis 10 imperialibus, spelte solidis 7 et milice solidis 4 imperialibus, et in sequenti mense starium furmenti vendebatur solidis 8 imperialibus, spelte vendebatur solidis 9 imperialibus, et hoc duravit usque ad novellum[2]; quod quidem erat propter multitudinem equorum qui erant in civitate Parme. Eodem anno, primo
Iun. 1. mensis Iunii domnus Mapheus de Summo de Cremona iterato fuit refermatus pro domno
Iun. 3. rege vicarius seu potestas civitatis et districtus per sex menses. Die Iovis tercio Iunii, quo die erat festum corporis Christi, post nonam domnus rex noster cum universis suis militibus et peditibus suis et multis Parmensibus, habitis certis litteris a domno Karolo filio suo, qui erat Cremone, subito equitavit Cremonam cum equis et armis; et dicebatur, quod domnus Azo Vicecomes dominus Mediolani veniebat cum suis super Cremonam. Et
Iun. 4. sequenti die Regini et Mutinenses equitaverunt post ipsum domnum nostrum regem. Et
Iun. 7. die Lune septimo dicti mensis Iunii per Dei gratiam san[us], salv[us] et ylar[us] cum gente sua Parmam reversus est, et domnus Karolus filius eius cum eo. Die Iovis 10.
Iun. 10. mensis Iunii domnus rex noster cum magna gente de suis equitavit Bononiam ad domnum
Iun. 11. legatum. Et die Veneris sequenti domnus Karolus filius eius cum gente sua equitavit et, ut dicebatur, ibat Lucam. Et Rolandus Rubeus ivit cum dicto domno Karolo, et Petrus Rubeus ivit cum dicto domno rege. Et rediit ipse domnus rex Parmam die Mercurii[3]. Et gentes seu milites dicti domni regis non fuerunt permissi intrare Bononiam, sed solum domnus rex et domnus Petrus forte com 20 sociis et sine armis, qui tamen habebant secum duo milia militum; de quibus sive legatus sive Bononienses timuerunt et non permiserunt eos intrare. Eodem anno et tempore per commune Parme facta fuit de novo quedam moneta mezanorum parvorum, et habebant ab uno latere in medio una corona et ab alio una crux parva; et inceptum fuit . . . utraque debilis et frivola moneta respectu antiquorum, qui expendi inceperunt de mense Decembris vel circa. De eodem mense Iunii imposita fuit per commune Parme una colta generalis per civitatem et episcopatum Parme, videlicet pro civitate quatuor milium quadringentorum quindecim florenorum auri et pro episcopatu duorum milium quadringentorum florinorum auri. Et colta civitatis soluta fuit bene infra octo dies, ex quo preconizatum fuit, et illa de episcopatu vendita fuit more datiorum et empta per quosdam civitatis Parme, et exacta fuit cum quarto. Eodem anno per totum
Iul. mensem Iulii et ante et post non pluit, et flumina et canalia sica fuerunt et fuit maximus defectus macinandi, et fuit continue maximus et intensus calor, maior quam fuisset a recordatu alicuius tunc viventis, et tantus, quod plures uve vinearum et ficus ex nimio calore arse et guaste[4] fuerunt. Et pro tribus diebus dicti mensis Iulii letanie solemnes facte fuerunt per civitatem Parme per totum clerum civitatis Parme tam religiosorum quam aliorum clericorum universaliter cum reliquiis sanctorum et crucibus et magnis cantibus ad Dominum; sed Dominus exaudire nos noluit, et sic stetit tempus quasi usque ad me-
Aug. Sept. dium mensem Augusti. Eodem anno de mense Augusti et Septembris adalzata[5] fuit turris seu campanile ecclesie sancti Petri Parmensis de platea communis, et facte fuerunt fenestre cum colonelis de lapidibus; et expletum fuit opus dicte adalzature die sabbati 18.
Sept. 18. mensis Septembris, et desuper colmignam[6] ipsius turris posita fuit quedam crux ferrea, et vere nescitum fuit cuius expensis fieret. Sed quidam, nomine magister Thebaldus Miliolus, magister campanarum et lignaminis et muri, valde bonus magister et inzignerius[7], superstetit ad dictum laborerium fieri faciendum. De eodem mense Septembris multi putei per civitatem Parme siccati fuerunt, et multe fontes per episcopatum et flumina sicha extiterunt, et magnus defectus fuit aque ad vegetes[8] lavandum et ad faciendum vini meschialia[9], et in pluribus partibus civitatis aqua ducebatur super plaustris et vendebatur.

1) Mai. 14. 2) sc. frumentum. 3) Iun. 23? 30? 4) corruptae. 5) altior facta. 6) fastigium. 7) architectus. 8) dolia. 9) mixturas.

Et eodem anno de dicto mense continue fuit serenum et non pluit, et de ipso mense vindemiate 1333. Sept. fuerunt quasi omnes vinee clausurarum undique, et multa vina fuerunt et alba et vermilia per totum episcopatum Parme et vineta omnia multum fertilia. Et quartina vini vernacii dabatur pro uno imperiali, et de meliore pro tribus mezanis, et omnia erant bona et dulcia, vermilia similiter, et magna et potentia vina omnia fuerunt; et eodem anno de mense Septembris erat plus vinum in civitate quam aqua. Item . . . De mense Septembris propter quedam nova que[a] habuerunt, domni regentes Parmam fecerunt cavare foveas civitatis Parme circomquaque, et ordinaverunt quod palancata aptarentur bene et renoverentur. Die Lune 18. mensis Octobris in festo sancti Luce post prandium supra dictus domnus Oct. 18. Iohannes rex Bohemie et Polonie recessit de civitate Parme, et, ut publice dicebatur, non amplius reversurus. Et non fuit tantum gaudium nec spes tanta veniendi in bono statu pacis et quietis bone per comunales homines civitatis Parme in suo adventu, quantum fuit in suo discessu spes veniendi in guerram et brigam. Qui prorsus nihil boni inveniebant ipsum in Parma fecisse, sed infinitas expensas et infinita et innumerabilia dispendia pecunie et haveris hominum civitatis et episcopatus Parme. Et exivit per portam de Sancto Bernabeo, et ea die ivit ad Colurnium ad cenam et hospicium ad terram Marcharie, et domnus episcopus Parmensis et alii multi nobiles et magni civitatis usque Paudum associaverunt illum, utinam per bonum! et, ut dicebant, ibat ad partes suas. Et dimisit quemdam Todeschum pro eo in civitate Parme, cui commisit vices suas, et eum suum generalem mariskalcum constituit super omnibus in Parma et in Cremona et in Regio et in Mutina et in Luca; et hospitabat super palatio condam ancianorum, et habebat salarium pro sua persona tantum singulis mensibus a dictis civitatibus, ut dictum fuit. Dominium vero totius civitatis Parme et districtus remansit in Rolando Rubeo et in eius fratres in totum libere et distincte; ita quod faciebant ancianos singulis mensibus quos volebant, et imponebant coltas et mutua sicut volebant, et officiales etiam indifferenter de communi in communi et de redditibus communis et datiis et gabellis veteribus et novis et de novo constituendis et de quibuscumque negotiis, nemine contradicente; in summa ad eorum voluntatem omnia procedebant in consilio magno vel parvo et super maleficiis puniendis in bannis et condemnationibus canzelandis et [solv]endis et in aliis vicibus universis . . . .

In 1334., indictione secunda domnus Mattheus de Summo de Cremona predictus iterato 1334 fuit vicarius pro dicto domno rege seu potestas civitatis et districtus Parme . . . . . Die 23. Februarii, in vigilia sancti Matthei Todeschi, qui erant ad soldum communis Parme et Febr. 23 illi qui erant ad soldum communis Regii et illi qui erant ad soldum communis Mutine, omnes simul congregati in unum cum certis Reginis et Mutinensibus, cucurrerunt ad terram de Corigia[10] districtus Regii, et positis insidiis, inceperunt preliari. Existentes vero in dicta terra de Corrigia, Todeschi qui erant ad soldum dominorum Verone et certi de Parma de Regio de Mutina de Bononia cum eis exiverunt ad eos et fuerunt ad manus et inceperunt cum eis sturmum et prelium magnum; et ex parte soldatorum et Todeschorum de Parma aperta et ostensa fuit quedam banderia facta ad arma imperialia. Et in continenti, ipsa visa et cognita, predicti Todeschi, qui erant a parte predictorum de Corrigia, noluerunt se defendere nec preliari, sed extrasserunt elmos eorum de capitibus et se reddiderunt pro captis et vinctis predictis aliis Todeschis de Parma et secum existentibus. Lombardi vero, qui erant cum eis, viriliter se defenderunt et preliati fuerunt; tandem, non valentes resistere inimicis propter eorum multitudinem, fuerunt et ipsi capti et se reddiderunt predictis Todeschis de Parma et aliis; et ita omnes fuerunt capti et ducti Regium cum equis et armis suis, et conflicti etiam qui erant bene numero 300 et plures. . . . . . . . . Eodem anno, die Veneris 10. mensis Iunii, reformatum seu decretum fuit per domnos regentes civitatis Iun. 10. Parme et sapientes, quos secum habere voluerunt, absque alia auctoritate alicuius conscilii de faciendo exercitum per commune Parme contra domnos de Corrigia et terras et villas et loca eorum; et ea die preconizatum fuit per tubatores communis publice per civitatem Parme, quod homines facerent scotum et compagniam per decem dies, et primis decem diebus homines porte de Parma et porte Nove ire debuerunt sicut eis evenit pro sorte. Eodem mense occasione dicti exercitus multi homines de episcopatu venerunt Parmam

a) que *addidi*.

10) Correggio.

1334. causa eundi in dictum exercitum; item et multi pedites et balistrerii de Pontremulo venerunt Parmam in succursum civitatis Parme, item et multi alii pedites venerunt de Burgo
Iun. 15. sancti Donini eadem occasione. Die Mercurii 15. mensis Iunii in vesperis sonate fuerunt primo campane communis occasione dicti exercitus, et die sequenti, scilicet die Iovis
Iun. 16. 16. mensis Iunii in mane secunda vice sonate fuerunt. Et ipsa eadem die Iovis in mane domnus Marsilius Rubeus cum omnibus conestabilibus equitum Todeschorum cum maxima quantitate soldatorum suorum ivit ad ecclesiam maiorem et fecit ibi cantare unam missam submissa voce; qua cantata et dicta, fecit benedici a presbitero, qui dictam missam dixerat, duas banderias, quas de novo fieri fecerat ipso tempore, et illas super altare maius ecclesie aportari fecerat, factas ad insignia imperialia, scilicet ad campum glianum[11] et ad aquilam nigram coronatam de auro; et cum ambas banderias dictus domnus Marsilius tamquam vicarius imperii seu imperatoris, ut ibi dixit et se vocavit, dedit illis duobus ex conestabilibus predictis valde probissimis cum osculo pacis more solito in dicta ecclesia et coram dicto altare. Et ibi omnes Todeschi, qui ibi erant simul, mutuo se osculati fuerunt: et erant in tanta quantitate, quod tenebant totum chorum ecclesie et sacristiam, in qua multa verba inter se dixerunt in lingua eorum, et ibi sic steterunt bene usque ad medium diem dicti diei Iovis; ita quod, propter ipsam moram et forte quia quidam ex eis erant interdicti et excommunicati, ut publice dicebatur et tenebatur, non potuit in dicto choro cantari missa de tercia per canonicos et alios beneficiatos et clericos dicte ecclesie, sed ipsi more solito cantaverunt sub confessionibus ecclesie ad altare de medio. Et ipsa datione dictarum banderiarum dicto modo et titulo facta, dictus domnus Marsilius fecit cridari cor-
Iun. 17. reriis. Eodem tempore, die Veneris 17. mensis Iunii sonate fuerunt tertia vice campane in hora matutinorum, et in mane eadem die quarta vice. Et ipsa die venerunt ante terciam miles domni vicarii et dictus domnus Marsilius et certi soldati et pedites et homines dictarum duarum portarum et in Dei nomine et auxilio exiverunt civitate et posuerunt exercitum primo ad Pontem de Hencia ultra ipsum pontem et in partibus Taneti inter stratam Claudiam et aliam stratam per quam itur Campiginem, et multa damna fecerunt in arbo-
Iun. 18. ribus et segetibus. Die vero sabbati reversi sunt citra Henciam, et iverunt versus Guarda-
Iun. 19. sonum et per illas contratas, et die dominico sequenti ceperunt plebem de Traversetulo cum omnibus hominibus ibi existentibus, ubi erat quoddam redutum in quo se reducebant homines dicte terre de Traversetulo, quos omnes duxerunt Balesgam Novam. Et eo die et die Lune sequenti magna damna fecerunt in frutibus, vinetis et segetibus, et preliati fuerunt castrum Guardasonum, et ex utraque parte multi fuerunt percussi et vulnerati:
Iun. 21. castrum vero non habuerunt. Die vero Martis sequenti, scilicet vigesimo primo Iunii, Parmam sunt reversi, dimisso loco Traversetuli destructo ..... Eodem tempore de mense
Iul. Iulii Cremonenses et domnus Ponzinus Ponsonus, qui regebat civitatem Cremone, videntes quod se plus defendere non poterant et quod a domno rege Bohemie nec ab alio aliquod auxilium habebant, et termino elapso in quo debebant habere succursum et nullum habebant, libere se et dictam civitatem cum suo districtu dederunt et supposuerunt domno Azoni Vicecomiti domino Mediolani et dominium in totum; qui domnus Azo illuc misit gentem suam in magna quantitate, pedes et eques. Ipse vero domnus Azo, associatus honorifice, ad ipsam civitatem personaliter accessit et honorifice receptus fuit ibidem die Lune
Iul. 18. 18. mensis Iulii predicti; de quo multi in Parma doluerunt et multi gavisi fuerunt. Eo-
Aug. 8. dem tempore et anno, die 8. Augusti, in festo sancti Cyriaci, in hora tertia domnus Thomasius de Manchasola de Placentia filius condam domni Petri Manchasole electus venit Parmam pro potestate sive rectore civitatis Parme, et ipsa die incepit regere; et predictus domnus Mapheus de Summo eadem die recessit....... Eodem anno, indictione secunda,
Sept. 30. die Veneris ultimo Septembris, convocatum fuit quoddam consilium generale communis et populi Parme de certis hominibus civitatis Parme amicis domnorum regentium civitatis Parme, requisitis per correrios communis, et preconizatum et sonatum fuit more solito et congregatum in palatio veteri communis Parme. Et in ipso consilio bene fuerunt mille consiliarii et plures; et propositum fuit et reformatum absque letura alicuius statuti, sed generaliter, de dando civitatem Parme cum districtu sancte Romane ecclesie et domno summo pontifici. Et in ipso conscilio traditum fuit instrumentum, quod ex parte com-

11) glantum, glaucum? BARBIERI.

munis Parme constitueretur, et ex nunc constitutus foret, syndicus, ille quem vellent regentes, [1334. Sept. 30.] qui mandatum haberet plenum dandi civitatem Parme ecclesie et summo pontifici; sed tunc non fuit aliquis syndicus nominatus, ut semper bonum iret de bono in melius.......

In 1335. indictione tercia, domnus Thomasinus Manchasola de Placentia fuit potestas [1335.] Parme seu rector civitatis et districtus Parme ad annum novum. De mense Ianuarii in [Ian. 6.] festo epiphanie, quod fuit die Veneris sexto dicti mensis, facta fuerunt phano in civitate Parme in sero super turribus communis et aliis omnibus, campanis sonatis more solito, et insigna ignea in signum gaudii et letitie domni pape novi[12]. Et die sabbati sequenti, in [Ian. 7.] festo sancti Christophori in ecclesia maiori in mane in hora tercia factum et celebratum fuit officium sive missa de Spiritu sancto; similiter et in pluribus aliis ecclesiis, multum solempniter pro tali electione ipsius domni pape per canonicos Parmenses et omnes alios religiosos cuiuscumque ordinis. De mense Ianuarii Teutonici, qui fuerunt ad soldum ecclesie et steterant Parme Regii Mutine, congregati iam insimul fecerunt unam societatem et intraverunt monasterium de la Columba, districtus Placentie, et ibi multa mala fecerunt...... Eodem anno et tempore, die vigesimo sexto Februarii, quo die erat dominica [Febr. 26.] carnisprivii, post nonas quidam nobilis et magnanimus miles et conestabilis Teutonicus, qui erat de illis predictis qui stabant ad Columbam et de illis qui steterant Mutine, venit Parmam. Domnus Thomas Mancasola de Placentia potestas seu rector civitatis Parme, scito de adventu predicti nobilis Teutonici, noluit ipsum habere, quia inculpabat eum, quod ipse personaliter fuerat cum sociis suis ad conburendum villas et domos multas dicti domni rectoris in districtu Placentie, et misit socium et familiam ipsius domni rectoris ducendum illum sibi, sive per amorem sive per fortiam. Quem cum familia rectoris invenisset et duceret illum, quidam alius magnus conestabilis de predictis nomine domnus Iohannes Bosti Teutonicus voluit accipere predictum de fortia familie et prohibere ne ducerent; et sic fuit cum suis ad arma cum familia rectoris. Et multi de Parma armati cucurrerunt ad ipsum rumorem, et domnus Marsilius Rubeus cum suo penono eques cum suis multis sequacibus illuc cucurrerunt. Rumor vero maximus fuit et multi vulnerati fuerunt, tandem in dicto rumore predictus Todescus, qui sic ducebatur, interfectus fuit. De quo predictus domnus Iohannes et multi soldati Todeschi transierunt ad arma, volentes ascendere domum potestatis. Domnus vero Marsilius Rubeus, volens sedare rumorem et aquiescere et complacere dicto domno Iohanni Bosti et aliis Todeschis, fecit capi quinque ex soldatis et familia dicti domni potestatis, quos omnes quinque in continenti sine alio arengo vel confessione vel alia solemnitate fecit appendi per gulas ad trabes butifredi, quod est super pontem domne Gilie; et sic mortui fuerunt et sepulti. Predictus domnus Mancasola potestas et rector predictus claudi fecit sibi ostia domus potestatis et portas palacii communis, et nocte insalutato hospite secrete exivit de domo et absentavit se cum certis de familia; deinde reversus est ad civitatem Placentie, et amplius non rexit. Die vero Lune sequenti 27. predictus Todescus mortuus ante terciam honorifice sepultus fuit ad ecclesiam [Febr. 27.] sancte Marie fratrum Servorum; et ibi interfuerunt omnes religiosi civitatis Parme et Marsilius Rubeus cum omnibus Todeschis qui erant Parme, similiter et omnia collegia, artes et misteria civitatis. Et nunquam visa fuit talis vindicta nec audita nec facta in civitate Parme ... Item eodem tempore predicti Todeschi qui erant ad Columbam districtus Placentie, indignati de morte supradicti mortui die dominico vigesimo sexto Februarii in civitate Parme, ceperunt per fortiam quemdam receptum seu locum munitum Placentie, in quo reducti erant quidam boni homines ad eorum defensionem, et quotquot homines ibi invenerunt, appenderunt per gulam, et multos interfecerunt gladio; qui appensi fuerunt quinquaginta et ultra. Et ita obscidebant et tenebant civitatem Placentie in angusto et districta ab omni parte quod nullus audebat exire civitate, et si exibat, erat in periculo mortis; et nullus qui capiebatur evadere poterat mortem, nullis ad carceres ductis. Et hoc quod soldati solum forenses sine consilio et auxilio alicuius communis vel civitatis vel potentis obsciderent aliquam civitatem Lombardie a se ipsis nunquam auditum fuerat a recordatu viventium. Et nullus succursus ab aliqua parte

12) Benedicti XII.

1335. Apr. 3. dabatur civitati Placentie nec dicto tempore dari poterat..... Item die Lune tertio Aprilis milites Todeschi, qui iam diu steterant ad Columbam districtus Placentie, conducti per domnos regentes civitatis Parme ad soldum, venerunt Parmam in defensionem civitatis Parme et regentium, et post paucos dies quidam ex eis iverunt Mutinam ad defensionem Mutine....

---

# CARMINA TRIUMPHALIA DE VICTORIA URBE EVERSA.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ.

*Fridericus II. imperator defectionem Parmae gravissime ferens, quum ad oppugnandam urbem anno 1247 accessisset, quo eam facilius omni commeatu privaret immo totam exitio traderet, novi oppidi paene ad portas Parmae in occidentem versus condendi consilium cepit*[1]. *Itaque opere Kalendis Octobribus inchoato, in dies crevit nova urbs adeoque est amplificata, ut miliario longior a via Claudia, quae fert Placentiam, meridiem versus ad eam viam, quae „de*

1) De Victoriae urbis situ habemus indicia haec. Annales Parmenses maiores 1247 (supra p. 674): *Et longitudo dictae civitatis fuit a strata Claudia usque ad stratam de Fragnano.* Annales Placentini 1247 (supra p. 495): *In proximis Kal. Octubr. imperator — apud ecclesiam de Fargnana — fondavit civitatem, quam Victoriam appellavit;* et (p. 497): *Erat enim ipsa civitas Victoriae in longitudine plus uno miliario, tenens a strata de Sancto Brancaxio usque ad stratam de Collígio.* Chronicon Mutinense 1248 (ap. Muratori RR. It. SS. XV, 563): *civitatem Victoriae — quam dominus Fridericus imperator aedificaverat prope civitatem Parmae in loco ubi dicitur Fregnano.* — Sanctus Pancratius *(San Pancrazio)* quum etiam hodie in via Claudia, a Parma Placentiam ferente, positus sit, annalium Parmensium *stratam Claudiam* et Placentinorum *stratam de S. Brancaxio* eandem esse liquet. *Fragnanum* autem annalium Parmensium (*Fargnanam* annalium Placentinorum, *Fregnanum* chronici Mutinensis) nihil esse aliud nisi *Fognano*, qui locus est a S. Pancratio ad septemtriones, accepta Christophori de Turre sententia, volunt Pezzana (Storia di Parma III, p. VII.) et Barbieri (Chron. Parm. p. 452. n.); sed toti errant. Nam in Parmensi anni 1266 lege (Statuta communis Parmae digesta a. 1255 p. 467) reperimus haec: *Capitulum, quod potestas compellere teneatur homines de Nimignano* (Lemignano), *homines de Vigofertulis* (Vicofertile); *homines de Fragnano, homines de Vigolandulis* (Vigolante), *homines de Sancto Pancracio, homines de Fabrorio* (Fraore), *homines de Elio* (Eja), *homines de Fognano, homines de Runculo* (Roncopascolo?) *et de Baganzola — ordinare et facere ad ecclesias dictorum locorum fortecias* cet. Ex quo perspicuum est primum, *Fragnanum* diversum fuisse a *Fognano*, deinde quum in illa lege, ut geographica quae sequitur tabella docet, servato ordine a meridie ad septemtriones enumerentur oppidulorum nomina, Fragnanum fuisse prope Vigofertulos et Vigolandulos. Quae quum ita sint *stratamque de Fragnano* annalium Parmensium et *stratam de Colligio* (Collecchio) annalium Placentinorum unam fuisse oporteat, medio saeculo XIII. via minus directa, quae hodie non superest, a Parma Colligium per Fragnanum tulisse statuenda est. Proinde Victoriae urbis, quam inter S. Pancratium et Fragnanum conditam esse carminis II. versu 71 docemur, positionem in tabula geographica delineare ausus sum.



*Fragnano" erat appellata, pertineret. Et fuit quidem inter oppidula duo, quorum alterum Sanctus Pancratius adhuc exstat in ipsa via Claudia, alterum evanuit Fragnanum. Cui novae urbi Fridericus ominis causa Victoriae nomen indidit, ecclesiam maiorem S. Victori dicavit, nummos ibi cusos Victorinos*[2] *dixit. Sed pro victoria evenit ruina. Post dies enim centum quadraginta quam Victoria condita est, quum iam in summis angustiis versaretur Parma, die Martis 18. m. Februarii a. 1248 imperatore venatum profecto, Parmenses repente ex inopinato procurrentes inimicam urbem expugnant, spoliant, incendio funditus delent.*

*Magnificum hoc Parmensium tropaeum, quod ad uberem totius partis papalis fructum redundabat, non ita multo post carminibus tribus, quae aptissime annalibus Parmensibus subiicienda duximus, celebravit poeta imperatori infestissimus. Hunc fuisse sacerdotem iuris scientem*[3] *nec solum rebus papalibus addictum sed ipsius etiam curiae Romanae officio fungentem*[4]*, eumque iam anno 1241, quum inferioris ordinis ecclesiastici esset, una cum multitudine pontificum ad concilium tendentium a Pisanis captum esse*[5]*, ex eius versibus facile est perspectu. Ex quo, quum praesertim nihil sit probabilius quam eum fuisse Parmensem*[6]*, blandam hanc sumpsit coniecturam Barbieri (Chron. Parm. p. 460 n) carmina nostra scripsisse Guillelmum de Gattatico, magistrum scholarum et canonicum Parmensem, postea spatio annorum 1252—1254 sub Innocentio IV. papa ecclesiae Romanae vicecancellarium (de quo cf. Affò Memorie degli scrittori Parmigiani I, 90 sq.).*

*Scripta autem manu saec. XIII. inveniuntur carmina in bibliothecae regiae Monacensis codice byssino, Alberti de Beham registrum epistolarum continente, fol. 84'—85'. Unde ea anno 1847, abundantia vitiis, primus foras dedit Hoefler in Bibliothek des litterarischen Vereins in Stuttgart XVI. u. p. 123—132. Secuti sunt hanc editionem Reumont, qui anno 1849 in Archivio storico Italiano, appendice VII. 519—523 tertium tantummodo carmen repetiit; deinde Pezzana anno 1852 in Storia di Parma IV, 18—23 totum exemplum Hoeflerianum iterans; tum anno 1858 Ludovicus Barbieri, qui Chronicis Parmensibus addidit p. 447—463 carmina et quantum sine codice fieri potuit castigata et idoneis annotationibus ornata. Equidem, ipso codice consulto nec critica arte neglecta, ut librarii errores pro viribus depellerem, elaboravi.*

*Berolini 12. Kal. Apriles 1862.*

2) Salimbene ad a. 1247 p. 74: *Denarii vero monetae Victorini dicebantur et maior ecclesia Sanctus Victor.* Annales Placentini 1247 (supra p. 495): *et in ea monetam fabricari fecit, que appellabatur Victorinus.* Nummum Victorinum, anno 1845 Mediolani emptum, B. Koehne in Zeitschrift für Münz-, Siegel- und Wappenkunde V. delineavit hoc pacto:



ut eius pars altera praebeat litteras has: FEDROMARUM (i. e. Federicus Romanorum), altera has: IPRT (i. e. imperator) et: CVICTORI (i. e. civitas Victoria). Docuit me Iulius Friedlaender, alterum eiusdem nummi exemplum fuisse Alexandro Trubetzkoy; v. Catalogue de monnaies du moyen age, composant la collection du prince Alexandre Troubetzkoy, Paris 1860, p. 26, n. 78, ubi tamen pro CVICTORI legitur S. VICTORIA, et Friderico I. attributus nummus Noceti prope Mediolanum cusus esse dicitur. Retulit autem, teste Pezzana Stor. di Parma III, p. VII, Christophorus de Turre, cancellarius episcopalis Parmensis, se nummum Victorinum conservasse, habentem „ab una parte torvam et barbaram ac atrocissimam Friderici II. effigiem, ab altera vero parte civitatis formam cum litteris istis VICTORIA." 3) Carm. III. v. 59: *Sicut autem regula docuit me iuris.* 4) Cuius rei vestigium iam vidit Barbieri in carminis III. versu 91: *Restituta marchia nobis eius dono.* Cf. Carm. III, v. 115. 5) v. Carm. III, v. 120. 6) Id ex abundantia laudis in Parmam congestae sumi oportet. (Nec vero eius rei argumenta duci possunt ex carminis I. versibus 9. 10. 15. 16, quippe quos a Parmensibus cani iubeat poeta, ut ipse illorum versuum verbis his: *nos, nobis, nostris* non comprehendatur).

## I.

Vexillum victorie, Parma, ferens gaude,
ad honorem Domini iubilans applaude,
per tuam victoriam hostis victa fraude;
unde canta canticum hoc[7] in Dei laude.

„Omnes gentes plaudite manibus et sonis,
iubilate vocibus exultacionis[8]
pro devictis hostibus et fuga predonis,
pro terrenis[a] spoliis eorumque bonis.

Sue sortis Dominus nos heredes egit,
virtutem et speciem in nobis elegit[9],
per quam hostem territum in fugam redegit
et vires et machinas et castra confregit.

Ascendit in iubilo Dominus virtutum
voce tube[10], sicuti spalmo est argutum[b],
inimicum populum undique conplutum
pedibus supposuit nostris advolutum[11].

In eodem sicuti spalmo solet legi,
incessanter spallite Deo, nostro regi[12],
qui sic sue fidei providet et legi,
inprovisam porrigens opem suo[c] gregi.

Sapienter spallite[d] cum mente devota
ut sit iubilacio et laus ei tota,
quoniam rex ipse est[13], et ad eius vota
ducitur et regitur mundialis rota.

Super gentes Dominus regnavit rex fortis;
Deus[e] vires reprimit nefande cohortis,
sedet super solium[14], hostibus absortis[15],
adeptis stipendia reatus et mortis.

Deus, pater Abraham, gencium multarum
principes et populos congregat earum,
ut hostem, diucius elatum non parum[16],
tollat et deiciat ab orbe terrarum“. Amen.

## II.

1248. Febr. 18
Pange, lingua, gloriam prelii felicis
et triumphum nobilem dic Parme victricis[17],
ad honorem qualiter Dei genitricis
tulit secum spolia, victis inimicis.

a) *an* tortorum? b) *istius versus verba in codice haec sunt:* Voce tube sicuti Dominus, *facile ut pateat, verbum* Dominus *ex superiore versu a librario perperam iteratum esse, quum praesertim a poeta nostro minime absurdo vix senseris scriptum esse,* „ascendisse Dominum sicuti Dominum“. *Deest itaque versus dimidium, quod quidem hoc modo:* spalmo est argutum *reficiendum esse mihi videbatur ob id, quia versus* 17 (In eodem sicuti spalmo solet legi) *necessarie demonstrat, iam superius de* spalmo *(i. e. psalmo) definite esse dictum, neque ullo alio loco antecedente id factum esse reverimus.* c) sue *cod.* d) splallite *c.* e) dum *c.*

7) qui sequuntur huius primi carminis versus, iis psalmum 46 subesse, iam docuit Barbieri. 8) Ps. 46, 2: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* 9) Ps. 46, 5: *Elegit nobis haereditatem suam, speciem Iacob, quam dilexit.* 10) Ps. 46, 6: *Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae.* 11) Ps. 46, 4: *Subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* 12) Ps. 46, 7: *Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite.* 13) Ps. 46, 8: *Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.* 14) Ps. 46, 9: *Regnabit* (al. *regnavit) Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.* 15) i. e. absorptis. 16) Ps. 46, 10: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt.* 17) Derivati sunt duo hi versus ex eo, qui Venantio Fortunato attribuitur, hymno in honorem sanctae crucis (Opp. ed. Luchi I. p. 36):

*Pange lingua gloriosi praelium certaminis*
*Et super crucis trophaeo dic triumphum nobilem.*

Ante mensem Martii die duodena 1248. Febr. 18.
virgo Dei genitrix graciarum plena
dedit Parme gloriam, hosti data pena,
laxata pro viribus ad fugam habena.

Ut omnes intelligant plenius, que dico,
hoc dictum de inpio sciant Friderico,
qui Parmam obsedit[a] nec[b] prodiit a vico,
set retrorsum abiit tramite oblico[c].

Parma fecit ante se in conflictu sisti
vexillum ymaginis matris Iesu Christi,
per quam sperant protegi se a casu tristi;
quo viso, non potuit ab hoste resisti.

Terga fuge protinus dant ex omni parte
qui possunt[d] evadere fugiendi arte;
eorum vix nomina possent dari carte,
qui capti vel cesi sunt de suis in Marte.

Parma, tibi[e] Dominus dedit nomen bonum;
in te sensum nominis inplevit et sonum,
dum tibi victorie dedit huius donum,
sicut patet serie sequenti sermonum.

L pro R in medio literam mutando,
palme nomen obtines, ere[18] triumphando, 18
turbatorem fidei et pacis fugando
et eius exercitum tibi subiugando.

Ab invento clipeo auri, re non ficta,
olim Parma, clipeus rotundus, es[f] dicta;
a tanto presagio non es[k] derelicta,
orbi data[g] clipeus in fide non ficta.

Diceris[h] Grisopolis in Greca doctrina,
civitatem auream quam dicit Latina[19],
de ipso[i] oblacio facta es[k] divina,
quando Magi Domino detulerunt trina[20].

Parma pariens magna[l] effectu probatur,
par magnis in alio sensu derivatur;
digne par maioribus amodo dicatur,
quam sic Deus aliis preferre dignatur.

Sub hostis perfidia dum sileret mundus
nec quisquam resisteret, licet labe mundus,
orbi Parma datus est clipeus rotundus,
de cuius presidio mundus est iocundus.

a) obsederat *c.* b) non *c.* c) obliquo *c.* d) posut *c.* e) *sequitur* nomen *in cod.* f) est *c.* g) tata *c.* h) Dicitur *c.* i) ipsa *c.* k) est *c.* l) magna patiens *c.*

18) i. e. aere. Quo quidem verbo paronomasiae gratia usus poeta est; Itali enim R litteram *erre* vocant. 19) Isti duo versiculi imitantur eos, qui supra SS. XII, 368 leguntur, Donizonis versus 846–848:

*Chrisopolis dudum Grecorum dicitur usu,*
*Aurea sub lingua sonat haec urbs esse Latina,*
*Scilicet urbs Parma* .......

Praeterea de Graeco hoc Parmae nomine cf. quae affert Affò St. di Parma I, 111. 20) *aurum, thus et myrrham* Matth. 2, 11.

Parme Parma[a] fluvius ex eventu rei
fecundate[b] gaudium dat et fructum spei;
21 unde spalmi[21] veritas attestatur ei:
„Fluvius letificat civitatem Dei“.

Hec est vere civitas, quam Deus dilexit,
per quam nobis cornua salutis erexit[22],
quia se fideliter contra hostem[c] rexit;
unde palmam merito in Parmam[d] transvexit.

Hec est domus Domini supra petram sita[23],
quia petra Christus est, quo Parma munita,
spoliat Egipcios, triumpho potita,
libertate reddita[e] captivis et vita.

Hec est civitatibus lucerna in monte,
que, celestis gracie irrigata fonte,
murum domus Israel opponit[f] se sponte,
Goliam percuciens ceu[g] Davit in fronte.

Artes et auguria cessant Friderici,
sibi nolunt[h] obsequi demones amici,
per quos emergencia solent sepe dici;
quia cedunt manui Domini ultrici.

Demones alliciunt: ut fallant sequaces,
prebent in auguriis sepe se veraces;
sin ubi plus opus est, inventi fallaces
fallunt et deiciunt ad eternas faces.

Demon quem[i] consuluit et cui obedit,
ipsum, uti[k] meruit, puniendum dedit:
24 dum inter Pancracium[24] et Fragnanum[l, 25] sedit,
flagellat pancracium[26] et Fragnanum[m] ledit.

Dictus Tarus fluvius, terror vel tritura,
circa castra fuerat ductus pro clausura;
hec est ergo tercia[27] rei coniectura,
quod debebat destrui[n] castrorum structura.

Adversantur quatuor sibi elementa:
aqua, terra scilicet ibidem inventa;
ignes[o] castra[p] dissipant, et machinamenta
celum, quia celica spernit sacramenta.

Ab hoste Victoria dicta et constructa,
per Dei victoriam funditus destructa,
docet, ut sit anima quelibet instructa,
quod nulla resistere potest Deo lucta[q].

a) Parma Parme *c.* b) fecundat et *c.* c) hostem contra *c.* d) unde parmam merito in palmam *cod.* e) redita *c.* f) opposuit *cod.* g) cū *cod.* h) volunt *c.* i) quem *scripsit Barbieri pro* cui *cod.* k) ut *cod.* l) franum *c.* m) fragamum *c.* n) construi *cod.* o) ign̄ *cod.* p) *sequitur* scilicet *in cod.* q) succa *c.*

21) Ps. 45, 5: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* 22) Luc. 1, 69: *et erexit cornu salutis nobis.* 23) Matth. 7, 24: *qui aedificavit domum suam supra petram.* 24) S. Pancrazio, de cuius loci situ v. supra p. 790, n. 1. 25) de huius loci situ v. ibidem. 26) pancratium, παγκράτιον, certaminis genus. 27) Sententia poetae haec est: quae omina tria condendae Victoriae urbis Fridericus imperator, auctore daemone, accepisset bona, ea ipsi infausta fuisse; primum enim omen haesisse in *Sancto Pancratio* v. supra n. 24 et 26, alterum in *Fragnano* quod fere *frangere* sive *fragium* significaret, tertium in *Taro* fluvio „*terrorem* vel *trituram*“ portendente.

Confusus est inpius; Deus eum sprevit
honoris de titulo ipsum et delevit,
quia nimis fecibus in suis quievit
nec umquam in melius mutari decrevit.

Inpius a facie fugit subsequentis,
relictis amasiis subsequendo lentis;
de quo plus turbatus est status sue mentis,
quam de gente perdita vel auri talentis.

Ad maius obproprium hostis et fautorum
non solum devicti sunt per manus virorum,
set per mulierculas et ictus colorum[28]
distracti et capti sunt plurimi eorum.

Set cives fideliter Parme decertati
in presenti nobili triumpho, beati
regnabunt in posterum, fama decorati
et semper in gloria Dei collocati[a]. Amen.

## III.

Conpellit inmanitas Friderice pestis,
iram Dei provocans actibus infestis,
ut loquar, indiciis doctus manifestis,
quod ipsum persequitur dextera celestis.

Intentus[b] flagicio, quod conmisit idem
in matrem ecclesiam hostis nunc et pridem,
mala malis cumulans, addidit ad idem,
quod cruces et calices abstulit eidem.

Notum est in populo veraci relatu,
quod, sanctas basillicas spolians ornatu,
thesauros inproprio[c] dedit[d] apparatu
fecit et symulacrum igneo conflatu.

Cum recessit, fugiens ultra Tari flumen,
dimisit symulacrum, quod colebat numen,
quod nec claudos erigit nec dat cecis lumen,
cuius[e] cultum reprobat divinum volumen.

Auro et lapidibus privans Dei cultum,
quibus spoliaverat Crucifixi vultum,
dyadema fecerat preciosum multum;
set Deus non sustinet scelus id[f] inultum.

Non est enim pauperum clamorem oblitus;
set in quo deliquerat, predator punitus,
ablata cum fenore reddidit invitus,
dum relictis omnibus fugit expeditus.

Papa[29] cum concilio[30], sicut quisque novit,
sceptrum per sentenciam ab ipso removit;

a) collocati *scripsi pro* decorati *cod. ex superiore versu sine dubio repetito.* b) In tanto *cod.* c) in proprio *cod.* d) *an* perdit? e) cui *cod.* f) id *addidi.*

28) s. colum. 29) Innocentius IV. 30) Lugdunensi, anno 1245

set Deus sentenciam exequens promovit,
ut rebellem puniat[a], quem ingratum fovit:

31 Coronam[31], quam temere tulit, non parendo
papali iudicio iusto et tremendo,
amisit cum spoliis, fuge insistendo;
fecit hoc sentenciam Deus exequendo.

Amisit et baltheum ibidem inventum,
per quod sumsit culminis olim conplementum;
quod cum iam perdiderit, datur argumentum:
quod ipse passurus est omne detrimentum.

Amisit astrologos et magos et vates[b],
Beelzebub et Astharoth[32], privatos penates,
tenebrarum consulens per quos potestates,
spreverat ecclesie[c] et mundi magnates.

Friderici litere[33] noviter ostense
continent victoriam et diem cum mense[34];
furit victus, populo vincente Parmense,
set Deus potencie semper est inmense.

Per easdem literas gaudeo me scire,
quod, dum ipsum contigit per fugam abire,
sigilla postposuit, per que solet mire,
veritatem varians, mundum circuire.

Procul verecundia recessit ab illo,
cum se dicit duplici privatum sigillo[35];
erubescat dicere — perdito vexillo! —
quod cuncta, que perdidit, habet pro pusillo.

Fridericus dentibus frendet et tabescit,
in vindictam sublimas[d] minas non compescit;
antiquum proverbium sapientis nescit.
„In vindicta sepius dedecus acrescit".

Comminatur impius, dolens de iacturis,
cum suo Britonibus Arturo venturis[36];
sicut autem regula docuit me iuris,
censetur condicio possidentis pluris[37]

Ipsum hostem, Briccia, que prior fugasti[38],
gaude, quia gaudium tuum dupplicasti,
dum in Parme gloria gaudens exultasti,
cuius laus per spacium patet orbis[e] vasti.

a) puniat *addidi.* b) bates *c.* c) ecclesiam *cod.* d) sublimans *cod.* e) orbi *cod.*

31) de qua cf. Salimbene Chron. p. 81. 32) Cf. Iudices 2, 13: *et servientes Baal et Astaroth.* 33) Petri de Vineis ep. II, 41. 34) *die Martis* 18. *praesentis mensis Februarii.* 35) *Sane cum in castrorum nostrorum combustione, quam diximus, camera nostra cum aureae bullae typario et regni nostri sigillo perdita et amissa fuerit.* 36) hoc est, Fridericum comminari umbris. Simili ratione vanam spem in Arturo rege positam designant versus, quos Ducange affert ex Petri Blesensis epistola 57, hi:

*Quibus si credideris,*
*expectare poteris*
*Arturum cum Britonibus.*

37) Dig. lib. 43 tit. 17 uti possidetis 2: *qualiscunque enim possessor hoc ipso, quod possessor est, plus iuris habet quam ille, qui non possidet.* 38) 1238. Oct.

Mediolani ensi[a] sit applausus multus,
eius ope quoniam Parmensis suffultus,
in hostem ecclesie ac in suum ultus,
procul a se repulit hostiles insultus.

Gratuletur Ianua, quia[b] res est[c] certa,
quod hostis confracta sunt cornua et serta;
fiat ante[d] ianuam Parme laus aperta,
nam in Parma manus est Domini reperta.

Gratuletur civitas placens Placentina
in Parme victoria et hostis ruina,
Parma manu quoniam adiuta[e] divina
hostem fugans, hostium fecit morticina[39] 39

Bonorum Bononia bona racione[f]
letetur letancium leta concione,
nam, que secum una est[g] in dilectione,
Parma victrix premium meretur corone.

Honorem ecclesie que manu tuetur,
gloriosa civitas Mantua letetur,
nam Parma, que Mantuam amat et veretur,
triumphat, ne amplius hostis dominetur.

Exultet[h] Venecia, civitas electa,
quia[i] Parma spoliis hostis[k] est refecta,
inimice copia[l] gentis interfecta,
reliqua carceribus aut fuge subiecta.

Psallat cordis organo et in oris sono
Anchora[40], quam merito haud illis[m] postpono,
restituta marchia[41] nobis eius dono
anchora[42] proposito quia fuit bono.

Malespine marchio[43], belli dux insignis, 43
triumphator titulis omni laude dignis,
tam ense quam lancea pungens in malignis,
hostem fugat, retinens vexilla cum signis.

Sancti Bonifacii comes[44] benedictus
de felici gaudeat successu conflictus,
ope sua quoniam ad Parmenses ictus
cum suis complicibus hostis est devictus.

Fidelis ecclesie marchio, athleta[n]
Estensis[45] congaudeat, quia Parma leta
triumphat, potencia Friderici spreta
tam fuga quam funere per Parmam deleta.

a) Mediolani ensi *scripsi pro* Mediolanensium *codicis.* b) q̄ *cod.* (= que). c) e *cod.* d) ante *addidi* (fiat ianuam pme laus aperta *cod.*) e) adiuti *cod.* f) nacione *cod.* g) est *addidi.* h) Exultat *cod.* i) qui *cod.* k) hostiis *cod.* l) inimici copiam *cod.* m) haud illis *scripsi pro* laudans *codicis.* n) adletha *cod.*

39) Isai. 3, 25: *et facta sunt morticina eorum.* 40) i. e. Ancona. 41) Anconitana? 42) ancora. 43) Fridericus. 44) Rizardus. 45) Azo VII.

Consumptus flos aruit hostis, ut flos feni[46],
Parme data gloria triumphi sereni;
unde cantant proximi, cantant alieni:
„Odor Parme sicuti[a] odor agri pleni“[47].

Ve, ve tibi Babylon, civitas Papie,
ad ruinam quoniam tibi patent vie
ab illa qua victus est Fridericus die
per Parmam auxilio virginis Marie.

O Pisani perfidi, socii Pilati,
vos fecistis iterum Crucifixum pati;
set surrexit Dominus nostre libertati
et sue apparuit Parme civitati.

Dum opem et operam hosti prebuistis[b],
ut prelatos caperet, vos eos cepistis[48],
quibus nec discipulis suis pepercistis
quorum fui, minimus de captivis istis.

Cremone confusio monet, ut non sinam
de se loqui, qualiter ad laudem divinam,
amittens[b'] karrochium, datur in ruinam,
passa sui populi stragem repentinam.

In nocte tristicie meroris et metus
merens[c] plorat positus Cremonensis cetus,
amisso[c'] karrochio factus inquietus;
de quo chorus iubilat angelorum letus.

A Deo[d] tunc factum est istud manifeste,
quod Cremona, pallium meroris pro veste
induta, confunditur, ut honoris teste
privata karrochio, sit semper in peste.

Illud Parma civibus de Mediolano
49 concessit[49] pro federe amoris non vano,
quia de consilio eorundem sano
optinet victoriam de hoste prophano[e];

ad Cremone dedecus pependit in[f] forum[50]
in platea publica Mediolanorum[51].
Et dictante nomine penam delictorum,
Cremona cremabitur reatu reorum.

a) sicut *cod.* b) pbuistis *cod.* b') ammittens *c.* c) morans *cod.* c') ammisso *c.* d) Deo *addidi.* e) profhano *cod.* f) in *addidi.*

46) I Petr. 1, 24: *Quia omnis caro ut foenum, et omnis gloria eius tanquam flos foeni; exaruit foenum et flos eius decidit.* 47) Gen. 27, 27: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* 48) 1241. Mai. 3. 49) Non totum carrocium Cremonense sed eius partem tantum aliquam obvenisse Mediolanensibus, tradidit Salimbene ad 1247 (p. 80) verbis his: *Et carrocium Cremonensium, quod in Victoria erat, in Parmam duxerunt et in baptisterio honorifice posuerunt. Sed — Mediolanenses et Mantuani et alii plures — quando veniebant ad baptisterium videndum et videbant ibi inimicorum suorum carrotium, ornatum Bertae abstulerunt, ut haberent pro reliquiis; dicebatur enim Berta. Sed rotae remanserunt ibi tantummodo et lectus plaustri in pavimento baptisterii, columna vero vexilli sive pertica erecta stabat ad murum.* 50) mercem. (Cf. Salimbene p. 81: *Et nota, quod de thesauris, qui in Victoria sunt reperti, pauci remanserunt in Parma; quia mercatores de diversis partibus venientes emerunt eos et habuerunt pro bono foro sive mercato et asportaverunt*). 51) Mediolanensium.

Hostes sui populi Deus ut affligat,
ipsos Dei dextera per Parmam castigat;
Parma fugat inpios aut necat aut[a] ligat,
set qui plantat idem est etiam[b] qui rigat[52]. 52

Actum manu Domini, palmam facientis,
in campi planicie Parme adiacentis
erat[c] anni numero Domini nascentis
mille, quater decies, octo cum ducentis. 1248

Datum huius gracie Domino prestante:
mense Februario, die martisante[53], Febr. 18.
post[d] dies duodecim Marcio intrante.
in nomine Domini Parma triumphante.

Facta sunt hec omnia sub patre sacrato,
papa Innocencio quarto numerato,
eius pontificii anno quinto dato;
quem conservet Dominus in statu beato. Amen.

a) au *cod.* b) et *cod.* c) erant *cod.* d) per *cod.*

52) I Corinth. 3. 8: *Qui autem plantat et qui rigat unum sunt.* 53) i. e. die Martis, ut *martisare* idem valeat quod *Martis esse.*

# ANNALES CREMONENSES.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFE.

*Mutinensis bibliothecae chartaceus saec. XVIII. codex forma quadrata*, VI. C. 22 *notatus, continet annalium Cremonensium exemplar, a Philippo Garbello Brixiensi, abbate Pontisvici, „ex vetere manuscripto codice" exceptum in Muratorii gratiam, qui eos* Chronicon breve Cremonense *inscriptos in RR. It. SS. VII*, 633—642 *emisit. Ad idem apographon etiam ipse, nostrae editioni prospiciens, accessi, quum essem Mutinae anno* 1860. *Et hoc uno subsidio quamvis idcirco oporteret contentus essem, quia vetus ille codex quo pervenerit ignoratur, tamen contigit, ut Garbelli manum accurate secutus, a multis vitiis Muratorianum annalium textum liberarem.*

*Adiunxi annalibus Chronici Cremonensis fragmentum, non omnino plene editum prius in Dei documenti storici e letterarj di Cremona (Cremonae* 1857. *p.* 104) *a Francisco Robolotti, et medico et rerum Cremonensium investigatore egregie merito. Is mihi Cremonae versanti perbenigne ac liberaliter impetravit, ut in palatio marchionis Pallavicinii eundem, quo ipse usus erat, chartaceum codicem forma maxima saec. XV. adirem. Collocatum autem est fragmentum in codicis folio* 151, *praescriptis verbis his:* Penes dominum Iohannem Baptistam Raparium, custodem atrii bibliothecae Cremonensis; *sed codicem antiquiorem, qui hac annotatione aperte significatur, nequidquam sciscitatus sum.*

*Berolini* 2. *Nonas Februarias* 1862.

In nomine domini nostri Iesu Christi.

1096 Quando peregrini ceperunt Hyerusalem et Antiochiam, currebant 1096. In mense Octobris iverunt, et eo tempore fuerunt Cremonae.

1098. Mai. Quando prima guerra de Crema fuit, 1098. infra Madium.

1107. Quando Cremonenses, Laudenses et Papienses incenderunt burghum Derthone, 1107.
Aug. 23. 1111. in vigilia sancti Bartolomei.

1110. Quando bellum Brixianorum[1] fuit, 1110. infra Iunium, in vigilia sancti Imerii[2]. Et in
Iun 16. 1111. eodem anno[3] Henrichus rex filius fuit Romae, papamque cepit Paschalem.

Mai 24. Quando civitas Laudensium fuit capta, 1111. in ultima ebdomada Madii, quadam die Mercurii. Et eodem anno[4] comitissa Matildis obiit.

1) immo apud Brixanorium (*Bressanoro* inter Cremonam et Cremam). 2) i. e. die 16. m. Iunii. At Notae S. Mariae Mediolanenses (supra p. 385) hoc proelium ad d. 18. Iunii referunt. 3) immo anno 1111. 4) immo a. 1115.

Quando Cremona fuit incensa, 1113. in festo sancti Laurentii. 1113. Aug. 10.

Quando fuit terre motus, 1116. in octava sancti Iohannis euangelistae, hora vesperarum. 1117.

Quando civitas Cumensium[a] fuit capta, 1116.[5] in sancto Alexandro. Et eodem anno Iun. 3. 1127.
gelavit Padus in mense Decembris.

Quando prima guerra de Parma fuit et quod proelium factum fuit in glaro[6], 1120. 1120. c. Iun. 24.
prope sanctum Iohannem.

Quando Mediolanenses fecerunt regem Conradum, 1129[7]. Et eodem anno inventum 1128.
fuit corpus sancti Hymerii, in mense Madii.

Quando secunda guerra de Crema fuit[b], Ribaldus et Anselmus consules fuerunt, 1130. 1130. Iun. 1.
in Kalendis Iunii. Et eodem anno Cremonenses iverunt Bussetum[8], et magna pars eorum Oct.
perierunt in Pado; et hoc fuit in mense Octobris.

Quando Loterius rex fuit Creme[c], cum[d] Cremona in obsidio fuit 1133.[9], et per men- 1132. c. Nov. 1.
sem stetit ibi circa festum omnium Sanctorum.

Quando Pizeleonus[10] fuit constructus, 1133. circa festum sancti Michaelis. 1133. c. Sept. 29.

Quando Loterius rex fuit Romae[11], vel in Roncalia et fecit leges, 1136. in Iunio[12]. Et 1136.
eodem anno cepit Sanctum Bassianum[13] et Soncinum[14], et hoc fuit in mense Octobris.

Quando maxima pars populi Cremonae fuit capta ad Cremam, 1138. quinta die men- 1138. Iun. 5.
sis Iunii, et ibi fuerunt Mediolanenses.

Quando tempus rugarum[15] fuit, 1147. 1147.

Quando Cremonenses et Parmenses ceperunt[16] apud Trebiam[17], 1148.[18] quadam die 1149.
dominica de sero.

Quando Mediolanenses fecerunt proelium cum Cremonensibus apud Castrum novum[19], 1150. Iul. 5.
et ibi interfecti fuerunt equi et plures homines, 1150; et Mediolanenses turpiter dimiserunt
carocium suum die quinta mensis Iulii.

Quando Cremonenses emerunt Castrum novum a Placentinis, 1151 in mense De- 1151. Dec.
cembris.

Quando Medisiana[20] fuit capta, 1152, 13. intrante Iullio — et ibi steterunt Cremo- 1152. Iul. 13.
nenses per 7 ebdomadas — in die Lune[21].

Secundo anno civitas Scalonae[e][22] capta fuit in mense Augusti. 1153. Aug.

Quando Derthona fuit capta a Fedricho imperatore, 1155. Et in eodem anno moneta 1155
Cremonae fuit incoepta[23] et in die Lunae in mense Novembris. Cum rediret dictus impe-
rator, incendit Senigam[24].

Quando tertia guerra Cremae fuit, 1157, 8. exeunte Madio. Iverunt prius in Lau- 1157. Mai. 24.
desana.

Quando Mediolanenses et Brixienses ceperunt Vigevallum[f][25], 1157, 13. die exeunte Iun. 18.
Iunio. Et eodem tempore reaedificata fuit Derthona a Lombardis.

Quando imperator Fedrichus fecit concordiam cum Brixiensibus, 1158, in mense Iullii. 1158. Iul.
Et eodem anno Fedrichus imperator cum Cremona Mediolanum obsedit, et ibi steterunt per
quinque ebdomadas; et de mense Augusti dictus imperator Fedrichus fecit concordiam. Et Aug.
eo tempore, cum rediret, cepit Trezium.

Quando Cremona cum Fedricho imperatore cepit Cremam, 1159.[26], in conversione 1160. Ian. 25.
sancti Pauli; et ibi steterunt per septem menses[27]. Et eo tempore regina[28] stabat in Sancto
Baxiano[29].

a) Cumensium *scripsi pro* Cremensium *cod. Cf. Sicardum et Annal. Placentinos ad* 1126. b) *sequitur* in *in cod.* c) Cremone *cod.* d) cuna *cod.* e) *sic scripsi pro* Stralonae quae *cod.* f) *sic scripsi pro* Rigevallum *cod.*

5) immo 1127 (Aug. 27). 6) glarea. 7) immo 1128. 8) Busseto a Cremona ad meridiem. 9) immo 1132. 10) an Pizzighettone ad Adduam fl.? Cf. Campo Cremona fedelissima p. 20 et Giulini Mem. di Mil. V, 279. 11) an Veronae? Cremonae? 12) immo Novembri. 13) San Bassano inter Cremonam et Cremam. 14) Sonzino ad Ollium fl., a Crema ad orientem. 15) erucarum. 16) excidit: Placentinos. 17) leg. *Tabianum* (Tabiano a Burgo S. Domnini ad meridiem). 18) immo 1149; v. Sicardum, Annales Placentinos et Parmenses ad 1149. 19) *Castelnuovo Bocca d'Adda* inter Placentiam et Cremonam. 20) Medesano a Parma inter occidentem et meridiem. 21) Anno 1152 dies 13. Iulii dominica fuit. 22) Ascalon. 23) *ius faciendae monetae, quo Mediolanenses privavit, Cremonensibus donavit* Fridericus I. imp. diplomate d. a. 1155 in territorio Veronensi ap. Muratorium Ant. It. II, 591. 24) a Cremona inter orientem et septemtrionem. 25) Vigevano. 26) immo 1160. 27) inde a Iulio 1159. 28) Beatrix. 29) de cuius loci situ v. supra n. 13.

1162. Mart. 1. Quando imperator Fedrichus cepit Mediolanum, 1162, in Kalendis Martii, die Iovis.
1167. Mart. Quando baptisterium Cremonae fuit incoeptum, 1167, de mense Martii. Et eodem anno
Apr. reaedificatum fuit Mediolanum a Lombardis die quinto mensis Aprilis[30]. Et eodem anno imperator Fedrichus ivit Romam, et magna pars exercitus ipsius ibi mortua fuit. Et eodem anno Lombardi fecerunt concordiam insimul mense Aprilis.

1168. Apr. 23. Quando civitas Alexandriae fuit constructa a Lombardis, 1168. in festo sancti Georgii.

1176. Quando aqua Padi fuit nigra, 1174. Et eodem anno Lombardi adduxerunt[a] Fedrichum imperatorem ad Lignanum[b]. Et eodem anno mercatum incoeptum fuit ad Mosiam[31].

1177. Quando imperator Fedrichus fecit pacem cum Lombardis, 1175. Et in eodem anno papa Alexander fecit pacem cum imperatore.

1180. Quando[c] Girardus de Carpenta primus potestas Cremonae extitit, qui naturali interitu
Oct. 9. moriens, apud ecclesiam maiorem in navello[32] lapideo fuit sepultus in festo sancti Donini anno Domini 1180.

Post illum Manfredus Fantus de filiis Manfredi Mutinensis, gener ipsius Girardi, fuit potestas ellectus; qui tempus ipsius Girardi complevit et per alium annum potestas fuit.
1181. Hic suo tempore castrum Manfredum[33] aedificavit, et illi nomen suum imposuit 1181.
1182. 1183. Post hunc Guazo de Albrigone de Guazonibus et Girardus de Dovaria potestates ad duos annos ellecti fuerunt. Hic dominus Girardus a quodam suo scutifero cultello fuit occisus.
1184. Sept. Et tenuit ipse Guazo potestariam primo anno. Eius tempore imperator Fedrichus venit Cremonam et, gradu ei in platea maiori communis Cremonae fabricato, magnifice sedit anno Domini 1182[34].

Sequenti anno cum seditio esset inter ipsum Guazonem potestatem et curatores, facta fuit reconciliatio per canzellarium. Item Guazo de potestate effectus est consul et apud eum Albertus Struesius et Paganus de Medolato et Otto Amarus et alii plures facti consules. Eorum imperio et de imperator contra[d] Cremonenses inveniens[e], indignatus est graviter. Eodem tempore Cremonenses totam terram Cremensium incendio concremaverunt.
1185. Post ipsos fuerunt consules Otto Cortisius et socii. Eodem tempore imperator Fedrichus in odium Cremonensium Cremam redificavit[35], non solum Cremonensium gremium[36] sed aliorum etiam[f] fixorum[37] Longobardiae. Eodem anno apud Placentiam idem imperator Cremonenses banno bannivit imperii, 1183.[38]

Post tempus fuerunt consules: Albertonus Bocadetorculus factus consul, qui apud se alios consules 20 numero elegit, scilicet Lafrancum de Piscarolo et Ambrosium Oldoynum
1186. et Palpateram de Acerbo et alios, quos numerare longum. Eo tempore ipse imperator obsedit[39] castrum Manfredum; loca Guastalae et Luzariae[40] Cremonensium abstulit. Unde
Iun. reconciliatione facta, redditum est castrum imperatori, quod iussit destrui; et Cremonenses in plenitudine gratiae suae recepit et ab imperiali banno relaxavit 1185.[41].

Post ipsos Albertus de Sale, Brixiensis civis, potestas Cremonae extitit per duos annos; qui portas civitatis muro fieri fecit, et pontes ipsarum portarum et fossata civitatis sgurari fecit, et Parmenses nobiscum associavit. Et eodem tempore regimen civitatum cepit fieri
1187. a Kalendis Iulii; quod ante fiebat ante Kalendas Ianuarii. Et eodem tempore castrum Robechi[42] fuit 1185. Et eodem tempore[43] Saldinus cepit Hyerusalem; et sol obscuratus est[44] a tertia usque ad nonam.

a) *an devicerunt?* b) *sic scripsi pro* Tignanum *cod.* c) Nam *cod.* d) coñ *cod. an* contumaces? e) *sic est corruptus locus in cod.* f) est *cod.*

30) rectius: *quarto exeunte m. Aprili* (Apr. 27). 31) *Mosa, possessione della comunità (di Cremona) contigua alla città ed al Pò.* Campo Cremona fed. p. 45. 32) s. lavello (v. infra ad 1194), i. e. arca, Ital. *avello.* 33) de hoc castro v. supra p. 387, n. 45. 34) Fridericum, relicta m. Iulio a. 1178 Italia, mense Sept. a. 1184 demum eo rediisse constat. Itaque ad m. Sept. 1184 haec referenda sunt, quo quidem mense imperatorem Cremonam venisse, docent Annales Placentini 1184. 35) m. Maio a. 1185. De Crema restituta affert Campo Crem. fed. p. 28 titulum hunc:

*Centum mille noto pro Christi tempore toto,*
*Octaginta datis super his, et quinque peractis,*
*Sub mense Maii Federico caesare stante*
*Septima lux mensis praeerat facta gerendis,*
*Cum relevata fuit Crema statumque resumpsit,*
*Per Placentinos grates meruere divinas.*
*Unde Cremonenses doleant et sine modo flentes;*
*E quorum fletu laetetur quisque virorum.*

36) s. cremium, i. e. cremia, ligna ad exardescendum facilia. 37) sic cod.; an frixorium? V. Sicardum. 38) immo 1185. 39) m. Iunio a. 1186. 40) Luzzara a Guastalla ad septemtrionem. 41) immo 1186. 42) Robecco prope Ollium fl., a Cremona ad septemtrionem. 43) m. Oct. a. 1187. 44) 1187. Sept. 4.

Post ipsum comes Girardus de Camisano potestas Cremonae fuit. Qui suo tempore Castrum Leonem hedificavit; et loca Placentinorum, scilicet Castrum Novum[44] et Senem[45] 1188. et Casale Albinum in servitio Parmensium cepit et destruxit 1188. Et in eodem anno fuit incepta Buza[46], quae in sequenti anno fuit completa[a] et ivit ultra mare.

Post hunc Gayferus Isembardus, Papiensis civis, in civitate Cremonae potestas fuit ellectus; qui suo tempore civitatem et districtum Cremonensium pacifice gubernavit. Et eodem tempore Fedrichus imperator ivit ultra mare contra Saladinum; et in itinere mor- 1189. tuus est. Et Buza completa fuit in Cremona, et galea apud Casale maius[47] 1189.

Post ipsum facti sunt consules Otto de Comite et Girardus de Summo et Presbyter Vetulus et Peratius Manaria et Otto Orsonus; qui suo tempore campanam grossam de credentia et schelam[48] militum ad equitandum fieri fecerunt, et civitatem Pergamensem nobiscum associaverunt. Eorum tempore rex Henrichus Cremonam primitus venit; qui eundo 1191. Romam, imperiali diademate a Coelestino, summo pontifice, coronatus fuit. Eodem tempore Constantia regina, uxor Henrici regis, venit Cremonam 1190.

Post hos Ughino de Boxio, Mantuanus civis, fuit in Cremona ellectus potestas. Qui suo tempore[b] exercitum magnum in servitium Pergamensium contra Brixienses[c]. Iuxta Civitale[49], castrum[d] Pergami, transversum Lolium[50] infortuitum, quod dicitur mala mors, nobis contingit, et multi ex Cremonensibus sine inimicorum praesentia mortui sunt nutu divino, et multi a Brixiensibus capti. Quos dictus imperator Henricus, a Roma rediens, iussit relaxari; et pax inde facta est[51]. Eodem anno nobis imperator Cremam dedit, sicut suo privilegio bulla aurea[e] munito continetur; et nobiscum Laudem et Cumam et marchionem[f] de Monteferato[52] et Papiam et Pergamum associavit, sicut in publicis continetur instrumentis, 1191.

Post ipsum fuerunt Gullielmus de Belloto et Gubertus de Multisdenariis et comes Girardus de Camisano et Rogerius Biacqua. Eodem tempore Pergamenses, Papienses et Lau- 1192. denses uno die terras[g] Mediolanenses intraverunt et loca plura incendio concremaverunt, 1192.

Post ipsos fuerunt ellecti consules Albertus de Summo et Paganus de Burgo et Leonardus de Gavo et alii. Eorum tempore fuit exercitus ad Laudem, quando Mediolanenses 1193. explanaverunt fossatum, quod Laudenses fecerant a civitate sua usque ad Lambrum, et plura loca Laudensium combuerunt, et plures milites et Laudenses in terra Mediolani, in qua intraverant, ceperunt, 1193.

Post ipsos fuerunt ellecti consules Rogerius Advocatus et Carisendus de Geroldis et alii. Quorum tempore inundatio fluminum adeo crevit, quod omnia aggera dirupta fuerunt. Eodem tempore dictus imperator in Apulliam vadens, Cremonenses, Laudenses captos 1194. fecit de carceribus relaxare: et eodem anno subiugavit Appulliam et Siciliam, 1194.

Post illos fuit potestas Pecobellus de Rigello, civis Cumanus; qui et ipse naturali interitu moriens, apud maiorem ecclesiam in lavello lapideo est sepultus 1194[h].

Post eius mortem Chalamanus de Geroldis et Cremosianus Oldoynus et Girardus de Zanobonis et Adam de Clerigninis consules hinc ad novum annum extiterunt. Et sic reductum est regnum ad Kalendas Ianuarii[53], sicut ante fuerat. Eodem tempore fuit[i]........ 1195. guadi de Albera inter Mediolanenses et quosdam[k] nostros homines proditos; in[l].... capti fuerunt 33 milites, 1195.

Post ipsos fuerunt consules Anzelinus de Burgo, Baiamons de Ottonibus, Mussus de 1196. Medolato et alii plures. Quorum tempore[m] venerabilis Sicardus, Cremonensis episcopus, corpora sanctorum Hymerii et Archelai in archa lapidea ad ecclesiam maiorem consecravit[54]; et festum magnum et gloriosum fuit factum. Eodem tempore nostri milites, qui capti fuerant ad guadum Albarae, praecepto et mandato dicti imperatoris relaxantur, 1197.

a) incepta *cod.* b) misit *vel simile verbum excidisse videtur.* c) Brixiensem *cod.* d) rastrum *cod.* e) bullo aureo *cod.* f) *sequitur* et *in cod.* g) trans *cod.* h) *sic scripsi pro* 1196 *cod.* i) *in marg. cod. legitur:* Hic est lacuna in apographo. k) *sic scripsi pro* quos *cod.* l) quo proelio *vel simile quid excidisse videtur.* m) ipse *cod.*

44) Castelnovo a Burgo S. Domnini ad occidentem. 45) aut Alseno inter Burgum S. Domnini et Florentiolam, aut Zena a Florentiola ad occidentem. 46) navis, quam Bursam vocat Sicardus. 47) Casalmaggiore ad Padum fl., a Cremona ad orientem. 48) tintinnabulum. 49) Cividale a Brixia ad occidentem. 50) Oglio fl. 51) Mediolani circ. die 30. Nov. 1191; v. Annales Brixienses. 52) Bonifacium. 53) cf. supra ad a. 1187. 54) 1196. Iun. 15; v. Sicardum.

1196. Post illos fuerunt Otto de Comite, Isac de Dovaria, Maltraversus de Dovaria et alii
plures. Quorum tempore castri Rumenenghi[a. 55]....... et Mastalenghi[56] fuit aedificatum,
1198.

Post ipsos fuerunt consules Ioannes Struxius et Homobonus de Terzo et Rogerius
1197. Biacqua et Henrichus de Surdo, Ioannes de Corado et alii plures. Quorum tempore im-
perator Henricus viam iniuste carnis in Apuliam aripuit, et apud Palermum ducitur et se-
pelitur. Eodem tempore leccum[57] Murmurae factum fuit, et Murmura ducta et tracta fuit
Cremonae; et Murmura dicta est, quia homines murmurabant ex ea, nam ad expensas
civium et forensium Cremonae facta fuit. Eodem tempore populares Cremonae, asperitate
temporis in ira comoti, Cremosianum Oldoynum in potestatem elegerunt; qui regimen
cum dictis consulibus usque ad annum novum exercuit. Postea per annum potestariam ob-
tinuit, 1198.

1199. Cuius Cremosiani potestariae tempore Mediolanenses et Placentini cum tota sua gente
et amicorum Burgum sancti Donini venerunt, volentes eum capere et Placentinis dare.
Mai 19. Ambo occurrerunt Cremonenses et Papienses cum[b] suis carozolis et tota sua et amicorum
suorum gente, et eos ibi fugaverunt, acri animo semper cum ipsis proeliantes. Eodem
Sept. 29. anno in festum sancti Michaelis ipsi Mediolanenses ad Castrum Novum [de Bucca Abdue[c. 58]
ad]venerunt, et Cremonenses, qui eis occurrerunt [[d]scurinum vel fossatum, deleium[e]]
se ibi, nec [Mediolanens]es[f] quicquam [inde[g] in orea][h] reportaverunt. Eodem anno sanctus
Homobonus[59] in Cremona migravit, 1199.

Post hunc ellecti sunt potestates Lanfranchus de Rogerio et Bertramus de Rivola, cives
1200. iun. Pergami; qui per duos annos potestariam tenuerunt. Quorum tempore Mediolanenses et
Brixienses cum carotiis et tota sua parte obsiderunt Soncinum per octo dies[60], duas portas
et Cumanos Mediolani relinquentes pro custodia; quibus obviavimus apud Iovisaltam[61]
Iun. 20. Et tunc Papienses apud Roxatum[62] cum Mediolanensibus et Cumanis, qui civitatem custo-
debant, proeliantes, octo milites ex ipsis ceperunt, et captos Papiam duxerunt. Tunc cum
exercitu Mediolanenses, qui erant Soncini, eorum relictis hedificiis, redierunt. Et tunc
Placentinus populus ad Sanctum Andream[63] et Bussetum[64] ivit; contra quos Cremonenses
euntes, et nullam moram facientes a Iovisalta usque ad Bussetum, ipsum populum Pla-
centiae ceperunt, et captum Cremon m duxerunt. Eorundem tempore multa loca Brixien-
sium cepimus et incendio concremavimus. Eorundem tempore apud Quinzanum[65] 76
Sept. 14. milites Brixienses de maioribus cepimus de mense Septembris in festo sanctorum Cornelii
Sept. 18. et Cypriani. Transactis vero quatuor diebus, Cremonenses equitaverunt in episcopatu Pla-
centinorum ad castrum, quod Sancti Laurentii[i. 66] dicitur, et ad Castrum Arquatum[k. 67]. In-
coepto iam bello inter Placentinos et Parmenses, fugatis Parmensibus et devictis et multis
ex eis captis a Placentinis, una porta Cremone, quae dicitur porta Pertuxii, Placentinos
aggressa, eos vicerunt; et recuperantes, quos ceperant de Parmensibus, multos ex Pla-
centinis ceperunt, 1200.

1201. Eodem anno ipsi milites Brixienses contra populum suum nobiscum sunt iurati et con-
cordati. Eodem anno Mediolanenses ceperunt Oscasale[68] et destruxerunt eum. Et eodem
Aug. anno[69] pugnavimus cum Brixiensibus apud Calcinatum[70], et ipsos et carotium suum cepi-
1200. mus et Cremonam venire fecimus. Eorundem tempore civitas Mantuae nobiscum est
1201. associata[71]. Et eorundem tempore, sequenti anno, in servitio Mantuanorum potenter[l]

a) *leguntur in marg. cod. haec:* Hic quoque est lacuna. b) cum *addidi.* c) Abdua *cod.* d) ad *excidisse videtur.* e) *an* delituerunt? defenderunt? f) *sic scripsi pro* [melierç]ec *cod.* g) inde *posui pro* mile *cod.* h) *in margine cod. leguntur haec:* Verba unciculis inclusa sunt ex alia et recentiore manu. i) *deest cod.* k) *sic correxit Muratorius* Adquatrum *cod.* l) *sic scripsi pro* potentes *cod.*

55) Romanengo a Crema ad orientem. 56) an Marzalengo a Cremona ad septemtriones? 57) an lectum? V. Campo Cremona fedelissima p. 34: *un certo condotto d'acqua, che Murmura si chiamava.* 58) *Castelnuovo Bocca d'Adda* inter Cremonam et Placentiam. 59) de quo cf. Campo Cremona fed. p. 34. 60) D. 9. m. Iunii 1200 Soncinum destructum esse, tradunt Annales Placentini. 61) Genivolta. 62) Rosate; d. 20. Iunii 1200; v. Not. S. Georgii Med. 63) Sant Andrea.

64) Busseto a Cremonead meridiem. 65) Quinzano prope Ollium fl., a Cremona ad septemtrionem. 66) Villa S. Lorenzo a Florentiola ad meridiem. 67) Castel Arquato a Florentiola ad meridiem. 68) media fere via inter Cremonam et Cremam. 69) mense Augusto 1201; v. Annales Brixienses. 70) Calcinato ad Clesum (Chiese) fl., a Brixia inter orientem et meridiem. 71) anno 1200 Aug. 2, v. tabulam ap. Campo Crem. fed. p. 35.

ivimus contra Veronenses[a] ad Marirolum[73], qui Veronenses praecepta Cremonensium po- 1201.
testatum iuraverunt. Eorum tempore obsedimus Florenzolam[74] per mensem unum inte- Iul.
grum[75], 1201.

Post ipsos fuerunt consules Otto de Comite et Girardus de Manariis et Conradus de 1202.
Summo et Iacobus de Surdo et Aymerius Dodonus. Quorum tempore tregua facta fuit un-
dique, et capti inde relaxati, 1202.

Post ipsos Otto de Noxa, Pergami civis, potestas fuit ellectus. Qui fossatum fieri fecit 1203.
circa Moxiam presbiteris civitatis in districtu Cremonae; et inde fossatum presbiterorum
est appellatum, 1203.

Post hunc fuerunt consules Homobonus de Orsolario et Mareschotus de Burgho et alii 1204.
plures. Quorum tempore Fran[ciscy][b] et Venetiani ceperunt Constantinopolim de mense
Aprilis in ebdomada sancta, et die Iovis[76]. Et eodem anno ultra mille de hominibus Cre-
monae iverunt Constantinopolim causa retinendi terram, 1204.

Post ipsos fuerunt consules Ponzinus de Amatis et Nicolaus de Gadio et Illarius Her- 1205.
menzonus; quorum tempore fuit 1205.

Post ipsos Iacobus de Bernardo, Bononiae civis, extitit Cremonae potestas per annum 1206.
integrum. Hic pallatium communis aedificavit ante maiorem ecclesiam, 1206.

Sequenti anno iterum in potestatem est ellectus. Qui circa sex menses sui novi regi- 1207.
minis naturali interitu vitae suae diem clausit extremum, et apud ecclesiam maiorem in
lavello lapideo est reclusus, 1207.

Huic successerunt consules Florerius Bochacius, Girardus de Summo, Oldofredus de
Ardenghis et Albertus de Dovaria. Qui regimen fecerunt per alios sex menses 1207.

Post hos Assagitus de Sancto Nazario, Papiae civis, fuit a Cremonensibus ellectus. 1208.
Hic suo tempore cepit Pontevicum[77] et suo tempore perdidit. Et pontes supra Lolium fecit
ad[c] Grimonum[78] et ad Bonam novam[79], 1208.

Post hunc fuerunt consules Baronus de Burgo, Isach de Dovaria, Iohannes Amatus 1209.
et Ponzinus Ponzonus. Horum tempore illi de cita nova coniuraverunt simul, quibus[d] po-
pulares civitatis vetere favebant, et illi maxime viciniae Sanctum Panthaleonem, 1209.

Post hunc Matheus de Corigia, Parmensis civis, ellectus est potestas; et illi de cita 1210.
nova elegerunt Gullielmum Masthalium. Et sic seditio magna facta est inter illos de civi-
tate nova et inter illos de civitate veteri; et civilia bella plura simul fecerunt, tandem com-
positione facta per episcopum Sichardum. Idem Gullielmus in publica concione iuravit,
praecepta ipsius domini Mathei potestatis Cremone observare, quae male observavit. Eo
tempore Otto imperator venit Cremonam, et fuit magnifice[e] receptus de mense Maii; qui Mai.
ante in festo sancti Michaelis[80] praeterito fuerat Romae ab Innocentio summo pontifice im-
periali diademate coronatus, 1210.

Post ipsum Gandolfinus de Castellonovo, Veronensis, in Cremona ellectus potestas 1211.
fuit. Cuius tempore civile bellum in Cremona supra Basalarium[81] fuit; et fuit[f] vicinia
Sancti Panthaleonis, quae favebat citanovanis, capta et rebus omnibus denudata. Eodem
anno fuit imperator excommunicatus[82]; fuit, dico, pro eo excommunicatus, quod intravit
in Apuliam ad persequendum et exhaeredandum Fedrichum regem, filium Henrici impe-
ratoris, cui praeter Romanam ecclesiam nullus erat adiutor. Eodem tempore Cremonenses
in servitio marchionis Extensis[83] navigio perexerunt Ferariam, et fugaverunt Ugonem de
Guarnasio, potestatem Ferrariae et pro ipso Ottone imperatore, 1211.

Post ipsum fuerunt Leonardus Capelanus et Riboldus de Burgo et Ravaninus de Bello- 1212.
tis et Belingerius de Mastalis et alii ellecti consules. Eodem tempore idem Otto ab eodem

a) *sequuntur in cod.* potestatum iura; *sed haec verba ex iis, quae subsequuntur,* verbis potestatum iuraverunt *huc errore librarii translata esse, facile perspectu est.* b) *sic cod.* c) ad *addidi.* d) *sic scripsi pro* quia *cod.* e) m^ce *cod.* f) *sequitur* in *in cod.*

73) Marmirolo a Mantua inter septemtrionem et occidentem. 74) Fiorenzuola. 75) a die 1. ad diem 9. Iulii 1201 secundum Annales Placentinos. 76) i. e. die 22. Apr.; at Constantinopolim scimus iam d. 12. Apr. 1204 captam esse. 77) Pontevico ad Ollium fl., a Cremona ad septemtrionem. 78) Grimone ad Ollium fl., a Pontevico ad meridiem. 79) Bina Nuova ad Ollium fl., a Cremona inter septemtrionem et orientem. 80) immo die Solis post festum S. Michaelis (4. Oct. 1209). 81) plateam Cremonensem. Campo Crem. fed. p. 38: *al Basolaro, contrada della parochia di S. Pantaleone.* 82) iam 1210. Nov. 18. 83) Azzonis VI.

1212. Innocentio papa cassatur; et Allamani amoniti, dictum Fedrichum, regem Siciliae, impe-
Iul. 30. ratorem elegerunt. Eodem tempore idem Fedrichus rex venit Cremonam[84]; et cum veniret
Iul. 29. iuxta Lambrum[85], Mediolanenses, contra Papienses qui eum duxerunt venientes, centum milites ex ipsis Papiensibus ceperunt. Eodem tempore idem in Allemaniam est ingressus, 1212.

1213. Post ipsos fuerunt consules Lanfrancus de Oldoynis, Gullielmus de Persicho, Henricus
Iun. 2. Advocatus, et alii eodem tempore fuerunt. Eodem et tempore campestre proelium commissum fuit inter Cremonenses ex una parte, et Mediolanenses, Placentinos, Cumanos, Vercellenses, Novarienses et Alexandrinos iuxta Castrum Leonem ultra Serium[86]; et nostri Cremonenses fugaverunt illos, et carotium Mediolanensium et multos milites et pedites ex ipsis ceperunt, quos cum carotio ipsorum captos Cremonam duxerunt, 1213.

1214. Post ipsos fuit potestas Guido de Regiis, Reginus civis. Qui suo tempore terras Placentinas multas incendio concremavit, et multas terras Cremensium[a] acquisivit, 1214.

1215. Post ipsum fuerunt consules Chalamanius de Gaydoldis et Morinus de Bellotis, Niger Marianus, Berterius Mastellus, Redorus de Ardenghis et Amatus de Cantu. Qui suo tempore multas terras Placentinorum concremaverunt, et Castellum novum[87] Placentinorum per decem dies obsiderunt. Eodem anno episcopus Sicardus[b] obiit, 1215.

1216. Post hoc comes Henricus de Suspirio sive de Roversella, civis Papiensis[c], ellectus Cremonae potestas. Hic suo tempore totas terras Mediolanensium et Cremensium circa Abduam, et totam terram Placentinorum inter montes et Padum, a Placentia inferius, incendio concremavit; et Pontenurum[d] [88] cepit et destruxit; et militiam Placentinorum iuxta Montile[89] inter Potenurum[d] et Placentiam disconfecit, et ex ipsis milites multos captos Cremonam duxit. Eiusdemque tempore Padus gelavit, ita quod[e] ....... et equites et homines discurrebant ab una ripa ad aliam, et maxima pars vitium gelavit, 1216.

1217. Post ipsum fuit Raymondus de Ugonibus, Brixiensis civis, potestas Cremonae ellectus. Hic suo tempore, congregato magno exercitu Cremonensium, Parmensium, Reginorum et Mutinensium, Mediolanenses fugavit, qui venerant in carotiis et cum Placentinis, Cumanis, Novariensibus, Vercellensibus et Alexandrinis, ad Azanellum[f] [90] iuxta Zovenoltam[91], 1217[g].

1218. Post hunc Bernardus de Cornazano, Parmensis civis, ellectus fuit potestas Cremonae. Hic suo tempore contra Mediolanenses, Placentinos et carotia eorum, et Laudenses et Papienses, Cumanos, Novarienses, Vercellenses et Alexandrinos campestre proelium comisit apud Zibellum[92], et eos devicit et fugavit; et ex ipsis multos captos Cremonam adduxit. Eiusdemque tempore Otto, quondam imperator, apud Brixiam[93] moritur et sepelitur. Eodem anno pax facta est inter Mediolanenses et Placentinos et suam partem, et Cremonenses et Parmenses et suam partem, per Ugonem Hostiensem et Velletrinum[h] episcopum, cardinalem apostolicae sedis, qui postea fuit papa constitutus et nomine Gregorius nonus appellatus, 1218.

1220. Post ipsum fuit Paganus de Alberto Egidii, Parmensis civis, in Cremona potestas ellectus. Qui suo tempore in servitio Reginorum obsedit Gonzagam[94] per decem[i] dies 15, et aqua Padi apparuit[k] .... Eodem anno Fedrichus, filius Henrici imperatoris, ab Honorio papa imperiali diademate coronatus, 1220.

1221. Post hunc Redulfus de Noxia, Pergamensis civis, fuit potestas Cremonae ellectus Hic suo tempore associavit nobiscum civitatem Placentiae, 1221.

1222. Post ipsum Gozzo Cogonus, Pergamensis civis, factus est potestas Cremonae. Ipsius
Dec. 25. tempore terrae motus magnus agitavit Italiam, pro quo turres et aedificia multa corruerunt; et fuit in natale Domini circa tertiam, 1222.

a) Cremonentium *cod.* b) Girardus *cod.* c) Papiensis *addidi; cf. Campo Crem. fed. p.* 41. d) Pontenurum *scripsi pro* Pontevicum *cod. Cf. Annal. Placent. et Parmenses* 1216. e) *in marg. cod. leguntur haec:* est lacuna in codice. *Excidisse videtur* carri onerati, *v. Campo Cr. fed. p.* 42: i carri carichi. f) Azavellum *cod.* g) 1207 *cod.* h) *sic correxit Muratorius* Valentinum *cod.* i) *an* Decembrem? k) *in marg. cod. addita haec sunt:* Videtur aliquid deesse, sed cum lacuncula in oram paginae deiiciatur, de hoc iudicari verbo non potest.

84) 1212. Iul. 30; v. Annales Placentinos. 85) Iul. 29; v. Notas S. Georgii Med. et Annal. Placentinos. 86) Serio Morto fl. 87) Castelnuovo a Burgo S. Domnini ad occidentem. 88) Pontenure prope Nuram fl., a Placentia inter orientem et meridiem. 89) Montale. 90) Azzanello. 91) Genivolta. 92) Zibello in dextera Padi ripa, inter Cremonam et Parmam. 93) sic cod. pro „apud Brunswigam.“ 94) a Guastalla ad orientem.

Post ipsum fuit Girardus Trinus, Parmensis civis, potestas ellectus, 1223. 1223.
Post hunc Rolandus de Ugone Rubeo, Parmensis civis, est potestas constitutus in Cre- 1224.
mona, 1224.
Post hunc extiterunt potestates in Cremona Ossa de Canova et Ripaldus Canis, Papien- 1225
sis civis, 1225.
Post ipsum Gullielmus de Lodevaria, Veronensis civis, fuit ellectus potestas Cremonae. 1226.
Ipsius tempore imperator Fedrichus venit Cremonam. Eodem tempore coniurationes et
societates illicitae coniuraverunt et conspiraverunt simul contra imperatorem, et ad eius
colloquium venire contempserunt. Pro quo idem imperator apud Burgum sancti Donini
ipsos imperiali banno bannivit et eos crimine lesae maiestatis reos pronuntiavit, et iudices
et notarios ipsorum cassavit, et marchiones[a] et capitaneos[b] eorum deposuit et omnibus
legitimis actibus[c] et iurisdictionibus illos privavit. Eodem anno papa Honorius reconcilia-
tione facta precibus apud ipsum imperatorem[d], idem imperator omnia revocavit[e]. Et Lom-
bardiae coniurationis[f] . . . . . . . . . milites per duos annos suis expensis eidem imperatori
ad succursum terrae sanctae dare promiserunt; quod minime observaverunt, 1226.
Post ipsum Bernardus de Pio, Mutinensis civis, Cremonae extitit potestas, 1227. 1227.
Post ipsum Egidius de Domina Agnete[g], Parmensis civis, ellectus in Cremona potestas. 1228.
Cuius tempore Cremonenses in servitio Mutinensium hostiliter corruerunt contra Bono-
nienses, qui obsedebant Balzanum[95], castrum Mutinensium; et castrum Bononiensium,
Pliovanum[96] nomine, ceperunt et destruxerunt, et terram Bononiae usque ad flumen Reni
incendio concremaverunt. Et cum redirent ad Sanctam Mariam in Stratam[97] cum ipsis
Bononiensibus et Florentinis[h], qui cum eis fuerant, nocte proeliantes, ipsos fugaverunt,
et multos captos Cremonam duxerunt, 1228.
Post ipsum fuerunt consules ellecti ad sex menses Iacobus de Burgo, Ugo Agagnola, 1229
Otto de Divitiolis, Albricus de Malabottis; et sic reductum[i] fuit regimen ad[k] . . . . . . . . .[l]
Post ipsos fuit Ugo Lupus marchio, Parmensis civis, in potestatem Cremone ellectus. Iul.—
Hic suo tempore contra Bononienses, Romagnolos et Lombardos societatis et coniurationis 1230. Iul.
contra . . . . . qui[m] castrum Sancti Caesarii[98] Mutinensis obsidebant, in campestri proelio
dimicavit, et usque ad civitatem Bononiae eos fugavit 1229.
Post hunc fuit Bernardus Rubeus, Parmensis, Cremonae potestas. Hic suo tempore 1230.
incohavit civitatem Cremonae murorum munimini . . . ., incipiens[n] a porta Sancti Gulielmi, Iul.— 1231. Iul.
versus portam Omnium sanctorum ex eo faciens brachia 323[99].
Post eum fuit Ferrarius Canis, Papiensis, in Cremona electus potestas. Hic suo tem- 1231.
pore portam civitatis super semitam, qua itur Papiam, fecit fieri. Eius tempore Federicus Iul.— 1232. Iul.
apud Ravenam curtem celebrans solemnem, imperiali diademate se coronavit, 1231. 1231. Dec.
Postea fuit Gulielmus de Foyano, Reginus civis. Cuius tempore seditio magna est orta 1232.
in civitate Cremonae, et civile bellum commissum est. Eius tempore in servitio Bononien- Iul— 1233. Iul.
sium intravimus terras Mantuanorum hostiliter, et loca plura combussimus; et pontem
super Padum cepimus et destruximus, 1232.

---

## CHRONICI CREMONENSIS FRAGMENTUM.

Anno incarnationis dominice 1310, indictione nona, die octavo Februarii in° adu- 1310. Febr. 8.
nantia generali communis Cremone dominus Otholinus de Pizinardis, legum doctor, depu-
tatus fuit pro ambasiatore communis Cremone pro eundo ad civitatem Pisanam ad
excellentissimum dominum imperatorem Henricum regem Romanorum et ei offerendum
civitatem et districtum Cremone nomine et pro parte communis Cremonensis, et pro eum

a) March. *cod.* b) capitū *cod.* c) *sic scripsi pro* artibus. d) *sic cod.* e) remeavit *cod.* f) *in marg. cod. legitur:* Est lacuna. g) de. d. Agnete *cod.* h) *sequitur* et *in cod.* i) *sic sripsi pro* reditum *cod.* k) Kalendas Iulii *deesse videntur.* l) *in cod. addita haec sunt:* Quae sequuntur in codice huius parvi chronici, alio charactere descripta sunt; additane propterea an ex eodem autographo desumpta, quis divinetur? Sic autem se habent. m) qui *deest cod.* n) incipientes *cod.* o) in — banno imperiali *sunt alio atramento diligentissime inducta.*

95) Bazzano a Bononia ad occidentem. 96) Piumazzo a Bononia ad occidentem. 97) S. Maria in Strada inter Bononiam et Mutinam. 98) S. Cesario a Mutina inter orientem et meridiem. 99) Campo Crem. fed. p. 48 affert muri titulum hunc: *In nomine Domini, amen. Anno Domini* 1231 *tempore Bernardi Rolandi Rubei, potestatis Cremonae, hic murus spacio* 40 *dierum in mensibus Madii et Iunii fuit inceptus atque finitus,* 472 *brachia longus, pretio* 900 *librarum imperialium.*

1310. Febr. 8. orando ad remittendum omnes offensiones ei factas per aliquos de communi Cremone intrinsecos et eorum sequaces et ad liberandum commune Cremone de banno imperiali.

*Qualiter imperator intravit Lombardiam et venit Cremonam.*

1311. Apr. 26. Excellentissimus dominus imperator Henricus rex Romanorum cum domina imperatrice eius consorte et cum magna comitiva equitum Teutonicorum et Lombardorum accessit Cremonam die Lune, 26. mensis Aprilis circa meridiem, currentibus annis domini nostri Iesu Christi 1311, indictione nona, et hospitatus fuit in monasterio abbatie sancti Laurentii; et ibi coadunavit multos Lombardos tam milites quam pedites, scilicet de terris Mediolani, Laude, Cremone, Creme, Parme, Vercellarum, Novayre, Ast, Terdone, Cumarum, Pergami, Papie, Placentie et aliarum terrarum Lombardie, et continuatis diebus fecit curiam.

Mai 10. Item die Lune, decimo mensis Maii in dicto millesimo de mane supra scriptus dominus imperator Henricus accessit in plateam communis Cremone cum magna comitiva et ibi ascendit super balconem, quod est in loco arengerii, et ibi tunc dicta fuerunt multa per duos sapientes dicti imperatoris, et lecte fuerunt tres sententie pessime, in quibus continebatur, quod omnes porte et muri civitatum Brixie, Bobii et Turrini deberent destrui et effundi in planum, et quod omnes redditus et intrate communis Brixie, Bobii et Turrini deberent devenire ad fiscum imperialem. Ac etiam condemnavit dicta communia in centum millibus florenorum auri pro quolibet dictorum communium. Et iurata fuit pars ipsius domini imperatoris per dominum Federicum de Archidiaconis, legum doctorem, ad hec per commune Cremone sindicum constitutum.

Sept. 12. Item in eodem millesimo et die Mercurii, duodecimo mensis Septembris, existente dicto domino imperatore ad obsidionem civitatis Florentie, dominus Gulielmus de Cavalcabobus marchio cum tota parte Guelfa, que adunata erat in loco Casalismaioris, equitatis tunc vicario Cremone pro domino imperatore et domino Manfredino Pellavicino marchione cum quasi omnibus militibus tunc Cremone et cum magna comitiva peditum ad locum Putei Barontii, qui tenebatur per Guelfos, idem dominus Gulielmus cum dicta parte Guelfa intravit civitatem Cremone per portam Moxiam et expulit dominum Ioannem de Castiliono, ibidem existentem officialem pro domino imperatore, et dominum Galeaz, filium domini Mathei Vicecomitis, vicarii communis Mediolani et eius districtus, et universaliter totam partem Ghibelinam forfecit. Et multa homicidia et robarie commissa fuerunt per dictam partem Guelfam, inter que mortuus fuit dominus Iacobus de Redenascho.

*Qualiter dominus imperator Henricus moritur.*

1313. Aug. Prefatus dominus imperator Henricus obiit 1313, indictione undecima de mense Augusti. Et de hoc littere certe venerunt in Cremonam et alibi. Et publice dicitur et sic pro certo creditur, quod quidam frater de ordine Predicatorum eum attossicavit, dando sibi hostiam corporis domini nostri Iesu Christi in communione.

*Qualiter pax fuit facta inter partes, et remissus dominus Iacobus Cavalcabos in dominium civitatis et districtus Cremone.*

1316. Aug. Anno Domini 1316, indictione 15, de mense Augusti celebrata et publicata fuit pax Cremonensium, scilicet inter partem Ghibelinam que erat extrinseca et partem Guelfam intrinsecam. Et tunc pro dicta pace, qui voluerunt, redierunt domum cum gaudio sic, quod civitas Cremone tunc erat tota integra in pace. Et sic stetit in dicta pace per novem menses vel circa, videlicet a dicto mense Augusti usque ad medium mensem Maii proxime subsequentis.

*Qualiter civitas Cremone cucurrit ad arma.*

1317. Item in 1317, indictione prima, die Lune 16. exeunte Maio civitas Cremone cucurrit ad arma et ad stormum, secundum quod ordinatum erat debere fieri per dominum Iacobum de Cavalcabobus marchionem et suos sequaces cum parte Guelfa tunc intrinsica et regentes Brixiam, scilicet Brusatos et Bocacios, et eorum sequaces. Et tunc secundum eorum ordinamentum expulse fuerunt familie Ghibeline de civitate Cremone ad horam decretam et ordinatam.

# ANNALES BERGOMATES.

## EDIDIT PHILIPPUS JAFFE.

*Cura in perquirendis libris manu scriptis, annales Bergomates comprehendentibus, frustra posita, quum de interitu codicum illorum, quos quidem etiam ineunte hoc saeculo fuisse constat, anno* 1860 *in bibliotheca Bergomate certior factus essem, diligentia adiutus sum Iosephi Ronchettii, qui in tertio quartoque volumine libri huius:* Memorie istoriche della città e chiesa di Bergamo *annales illos frustatim relationibus suis opportune interposuit. Quibus fragmentis unum in locum conductis, ne maioris momenti res interciderint, non puto verendum. Licet enim „duae nostrae antiquae chronicae“ a Ronchettio III,* 128 *commemorentur et ita anni* 1167 *notitiae duae afferantur, tamen ceteris locis omnibus, quibus annalium inducuntur fragmenta, non significat ille nisi de una „nostra chronica“, ut altera omnino nihil habuisse ponderis videatur.*

*Berolini Kalendis Ianuariis* 1863.

Anno 1167. imperator Federicus Pergamum Brixiamque atque Cremam intravit. Et captum fuit Tritium a Pergamensibus et Mediolanensibus.

Anno 1167. imperator Federicus cum validissimo exercitu Italiam intravit et Pergamum Brixiam atque Cremonam caeterasque civitates debellavit etc. 1166.

Anno 1176. Fridericus imperator cum Longobardis a sexta hora usque ad nonam pugna- 1176.
vit, nec vincere potuit, verum ab eis tristis recessit, quarto Kalendas Iunii. Mai. 29.

Anno 1209. Otto dux Sassoniae perrexit Romam cum magno exercitu, et incoronatus 1209.
fuit ab Innocentio papa.

Anno 1211. electus fuit Ioannes Novariensis, episcopus Bergomensis, et hoc fuit de 1211.
mense Augusti. Aug.

Anno 1212. Federicus Ruggerius rex Apuliae venit Papiam et perrexit Alemaniam; 1212.
Mediolanenses vero tunc multos ceperunt de Papiensibus. Et hoc fuit circa Kalend. Augusti. Iul. 29.
Iam antea perrexerat Otto imperator Apuliam, et venerat in quadragesima transacta Medio- Febr.
lanum et redierat Alemaniam. Hoc anno facta est fames inaudita.

Anno 1213. in die pentecostes, quae fuit secunda dies mensis Iunii, hoc est[a] in die 1213.
sanctorum Marcellini et Petri, commiserunt bellum Cremonenses et Mediolanenses apud Iun. 2.
castrum Leonum, et cesi ex utraque parte et mortui sunt multi numero. At Cremonenses, fortius et virilius in solido certantes, tria millia ut dicitur et eo amplius Mediolanensium cum carezolo ceperunt; et sic Mediolanenses fuga verterunt.

Anno 1222. de mense Augusti circa Kalendas Septembris apparuit in occidente stella 1222.
cometa, fuit crinita; et in altero mense circa 10. horam noctis luna tota obscurata est. c. Sept. 1. Oct. 22.
Eodem anno in die nativitatis Domini circa horam sextam fuit terrae motus maximus; et Dec. 25.
praecipue in Brixia et districtu eius innumerabilia edificia corruerunt et multi homines et mulieres mortui sunt.

a) est *addidi.*

1226. Mai. 18. Anno 1226. circa medietatem mensis Madii factum civile bellum et turpissimum ab
hora . . . usque ad noctis principium; et hoc fuit die 14. exeunte Madio*. Tunc iuraverunt
Pergamenses cum Mediolanensibus. Et in eadem estate venit Fridericus Roggerius
Iun. imperator in Lombardia et usque Cremonam, at nihil quod volebat faciens, bannitis Lom-
Iul. bardis, reversus est Apuliam.

* *In margine codicis legebantur haec:* Pars[a] Collionum cum illis de Rivola quia nondum propalata erat.

1227. Mai. Anno 1227. circa finem Madii factum est civile bellum inter illos de Rivola et Cumi-
Oct. nella ex una parte, et altera Collionos. Deinde in medio Octobri Cuminella cum illis de
Rivola ceperunt turrim et casamentum Lanfranci de Muzo et distruxerunt; et multa alia
edificia per civitatem tunc destructa sunt et vineae incisae. Et tunc erat potestas Lanfrancus
Buccabarla.

1228. Mai. 19. Anno 1228. die 13 exeunte Madio pars Collionum ceperunt et occiderunt multos de illis
de Sesso; in Brembo[1] multi necati sunt. Et hoc fuit inter Pontem[2] et Brembatem[3].

1232. Anno 1233. rediit Federicus Rogerius imperator in Apuliam.

1233. Anno 1233. claruit frater Ioannes de Bononia et frater Petrus de Mediolano. Postea
Aug. 28. circa finem Augusti suprascriptus frater Ioannes supter Veronam fecit magnam pacem cum
1234. Veronensibus; et pax non[b] tenuit. Eodem anno[4] de mense Iunii[5] Mediolanenses pugna-
verunt iuxta locum qui dicitur Tenevolta[6].

1235. Anno 1235. Fridericus perrexit Alemaniam; et cepit Henricum filium, qui pacem fecerat
cum Mediolanensibus, et exiliavit eum in Apuliam.

1236. c. Mart. 30. Anno 1236. circa festum paschae facta est pax inter Brixienses et Cremonenses, dimissis
omnibus vinculatis. Eodem anno reversus est imperator de Alemania et in exaltatione
Sept. 14. sanctae crucis coniunxit se cum Cremonensibus in campania de Monte Claro[7], cum Mediola-
Oct. 18. nenses et Brixienses essent in Monte Claro. Eodem anno in die sancti Lucae Perga-
c. Nov. 30. menses iuraverunt fidelitatem suprascripto imperatori. Item circa festum sancti Andreae
rediit in Alemaniam ad coadunandum exercitum, Vicentia iam capta[8].

1237. Febr. 12. Anno 1237, die 12. intrante Februario Malderus de Murnico tradidit oppidum de Palusco[9]
comitibus de Curtenova et Mediolanensibus; et eodem anno restitutum est Pergamensibus
Dec. 1. Sept. in Kalendis Decembris[10]. Eodem anno circa medium mensis Septembris venit imperator
Oct. Nov. ab Alamania; et obsedit Monteclare. Et tunc de mense Novembris venit ad locum de Ponte-
vico, et habuit in suo conductu Cremonenses et Parmenses cum carrezzolis suis. Et cum
magno apparatu Teutonicorum, Saracenorum, Tuscanorum, Pergamensium et Papiensium
venerunt citra Oleum, relictis Mediolanensibus et Brixiensibus cum carezzolis suis apud
locum de Manervio[11]. Tunc Mediolanenses venerunt citra Oleum et volebant castra metare
circa oppidum de Curtenova. Imperator, qui venerat Suncinum, hoc audiens, velocissimo
Nov. 27. cursu audacter irruit super Mediolanenses die quarto exeunte Novembri, et capto potestate[12]
eorum cum carezola, conversi sunt. Et imperator misit suprasciptam carezolam . . . Tunc
Pergamenses cum magna alacritate et laetitia destruxerunt Curtemnovam usque ad solum . . .
Item Novarienses, Laudenses et Vercellenses dederunt se imperatori.

1239. Iun. 3. Anno 1239, die 3. intrante Iunio hora nona sol obscuratus est, nulla nebula ipsum
Oct. obtenebrante; et ita diu stetit caliginosus. Item de mense Octobri Cumenses cum homi-
nibus de Leuco[13] venerunt ad praeceptum imperatoris. Et tunc erat in comitatu Mediolani
et tunc cepit castrum de Landriano cum pluribus aliis locis. Postea perrexit ad Pontem
Nov. novum de Placentia, et inde remotus est propter pluviarum inondationem.

1241. Apr. 14. Anno 1241. civitas Faventiae redacta est imperatori Friderico die sancti Tiburtii . . . .
Mai. 3. ed quae fuit per octo menses obsessa. Eo anno die inventionis sanctae crucis Henricus[14]
rex filius imperatoris cepit 20 galeas cum duobus cardinalibus et cum multis aliis prelatis.
Oct. Eodem anno de Ottobrio multi Brixienses capti sunt prope turrim de Robasacco.

a) *an* pax? b) non *addidi*.

1) Brembo fl. 2) Ponte San Vittore ad Brembum fluvium a Pergamo inter meridiem et occidentem. 3) Brembate di Sotto ad Brembum fluvium, a Pergamo inter meridiem et occidentem. 4) immo anno 1234. 5) immo Iulii. 6) Genivolta. 7) Montechiaro ad Chiesse fluv., a Brixia inter orientem et meridiem. 8) Nov. 1. 9) Palosco ad Cherium fluv. a Pergamo inter orientem et meridiem. 10) Cf. Annales Mediolanenses brevissimos 1237. supra p. 392. 11) Manerbio in sinistra Mellae fluv. ripa, a Brixia ad meridiem 12) Petro Teopulo, filio Iacobi Teopuli ducis Venetiarum. 13) Lecco. 14) Hentius.

# ANNALES BRIXIENSES.


## EDENTE LUDOWICO BETHMANN PH. D.

BIBLIOTHECARIO WELFERBYTANO.


*Brixiensium annalium tria nobis innotuerunt exemplaria, uni exemplari antiquiori saeculi XII tanquam fundamento superstructa, sed in variis Brixiae monasteriis, scilicet apud S. Petrum in Oliveto alterum, alterum ad S. Iohannem de foris Brixiae exarata.*

A. *Codex S. Iohannis de foris Brixiae, iam Bononiensis S. Salvatoris n.* 342. *mbr. qu. s. XIII regulam canonicorum S. Iohannis de Brixia continet, cui manus aut eadem aut plane coaeva duos quaterniones praefixit, quorum alter continet annotationem dedicationum ecclesiarum Brixiensium, regulam S. Augustini, catalogum pontificum; alter iam in calce regulae canonicorum positus exhibet annales usque ad anni* 1205 *finem eodem calamo ex antiquiore codice transscriptos, exinde manu eadem, at calamo diverso usque ad annum* 1208 *deductos, postea ab aliis continuatos. Edidit eosdem ex hoc ipso codice primus Zanetti Notizie della zecca e delle monete di Brescia dissertazione di D. C. Doneda,* 1786. 4. *p.* 75—79 *tam accurate tantaque cum diligentia vere rarissima, ut levissima tantummodo habuerimus que emendaremus ex codice ipso, anno* 1854 *Bononiae a D. Alexandro Gozi abbate et D. Raimundo Remondini canonico S. Salvatoris gratiosissime nobiscum communicato.*

B. *Codex S. Petri in Oliveto membranaceus, iam deperditus, in calce habebat annales annorum* 1014—1273 *qui inde transscripti postmodum fuerunt in codice quodam chartaceo recente monasterii de Pace. Hoc apographum iterum descripsit Ioh. Lud. Luchi Brixiensis in codice diplomatico Brixiensi, quem ipsius manu exaratum servat bibliotheca Marciana V,* 17. *De codice ipso Luchi ibi nil affert nisi haec paucula:* In un ms. della Pace, che ha per titolo Raccolta di varie notizie spettanti a Brescia, sta scritto: Ex quodam libro membranaceo in libreria S. Petri in Oliveto, qui inde defecit. 1014 Enricus factus est *etc. Ex altero eiusdem apographi de Pace exemplari eosdem annales primus edidit Carolus Doneda Notizie della zecca e delle monete di Brescia,* 1755. *p.* 89—93, *annotationem addens sane utilem, ex qua nos quaedam excerpsimus.*

C. *Codex Strozzianus, iam inter Magliabecchianos XXII,* 19 *ch. una manu s. XV exaratus, post Isidori chronicon breve, alterumque chronicon (fili sap. thes. est) annales exhibet, bipertitis in paginis continentes nomina pontificum atque imperatorum cum annis inde a Christo usque ad annum* 1135; *abinde mutata indole sequuntur annorum numeri usque ad annum* 1250 *cum notulis quas inde iam subiicimus. In codice igitur quem Strozzianus exscripsit, annales illi pontificum atque imperatorum exarati fuerunt anno* 1137, *sequentibus annorum*

*numeris usque ad* 1250 *statim a scriba ipso subiectis, ut esset quo annales continuarentur. Sed ea continuatio alio modo facta fuit, satis diverso, quippe quae pontificum atque imperatorum successionibus omnino omissis Brixianas res tantummodo annotat.*

*A.*

Etas una fuit prima ab Adam usque ad Noe 2242 annos, secunda a Noe usque ad Abraam 965, tercia ab Abraam usque ad Davit 940, quarta a Davit usque ad transmigracionem filiorum Israhel in Babilonia XLXXXVI annos, quinta a transmigracione ad adventum Domini 614 annos, quos omnes in unum colectos, 5196 annos. Sexta etas cepit ab adventu Domini primo, et finitur in eiusdem adventu secundo adventu nobis incertus est.

Anno Domini nostri 1117. hoc anno teremotus factus est.

A. 1132. papa Innocentius Brixiam venit.

1133. Loterius rex intravit Italiam.

1135. consules pravi deiecti sunt, et cenobium Leonensi conbusit.

1143. magna nix fuit, et papa Innocentius obiit.

1144. Brixia secundo combusta est.

1147. eruce fuerunt, et magna gens ultra mare iverunt.

1151. Hoc anno ecclesia S. Iohannis de foris combusit.

1148. Eugenius papa venit Brixiam.

*B.*

1014. Henricus factus est imperator.

1016. obiit rex Arduinus.

1024. obiit Henricus imperator.

1030. obiit Landulfus episcopus Brixiae.

1051. terremotus magnus per Italiam et Briganiam [a].

1076. hyems valida. Henricus tercius in Italiam.

1083. fames valida.

1096. Brixia exarsit primo.

1099. prelium Campi.

1102. primus lapis S. Iacobi de Castenedo positus.

1117. terremotus magnus.

1120. terra Acquaenigre capta est et combusta a Cremonensibus.

1121. Brixiani destruxerunt arcem S. Martini de Gavardo, quam tenebant Allemanni.

1123. pax inter mona [b] Aquae nigrae et milites de Buzolano et Caravazio.

1125. Brixenses destruxere castrum Asule, quod tenebant comites proterve se habentes, de Madio.

1132. Innocentius papa Brixiam venit et eiecit Villanum de episcopatu.

1139. Turrislonga exarsit, et bellum fuit Fossati. Consules pravi a Brixiensibus expulsi sunt.

1142. ruzziae[1] multe fuere.

1144. Brixia secundo exarsit.

1145. Ribaldus et Persicus capti a militibus Brixianis.

1148. Eugenius papa Brixiam venit, et ceptum est mercatum Broli.

*C.*

1139. Hoc anno exarsit Terlonga, et bellum fuit fosati Muzaspachi.

1144. Hoc anno Brixia exarsit secundo.

1145. Hoc anno capti sunt Ribaldus et Persicus a militibus Brixiae.

1148. Hoc anno venit Eugenius Brixiam, et tunc rex Coradus erat ultra mare.

a) brigoniam *Don.* b) monas *Don.*

1) i. e. erucae, rugae. DONEDA.

*A.*

1152. Conradus imperator obiit.

1153. Eugenius papa obiit, et Maginfredus episcopus; et Arnaldus suspensus.

1154. rex Federicus primo vastavit Taliam.

1156. Brixienses ceperunt Bergamenses in bello.

1158. rex Federicus secundo vastavit Italiam.

1159. multa flumina sunt desicata.

1160. Crema destructa.

1161. Yse destructus a Federico in die sancti Nazarii.

1162. civitas Mediolani destructa.

1164. castrum Montisclarum destructum.

1166. iterum Federicus intravit Taliam, et omnia conculcavit.

1167. imperator Federicus fuit Bagnolo, et eodem anno Mediolanum redificatum, et Montisclarum destructum.

1168. obsides Brisie redditi, mortuo Zilio.

1171. inceptio carioris temporis.

1174. facte sunt cortine pro porta pontis sancti Iohannis.

1175. circa festum sancti Mikaelis capta est civitas Asti a Federico, in primo consulatu Arderici de Salis.

*B.*

1153. Manfredus episcopus obiit. Castrum Montis rotondi destructum, ubi Arnoldus suspensus fuit.

1160. Crema obsessa est, tandem non sine maximo dolore capientium capta fuit. Et Federicus rex superatus est in bello a Mediolanensibus et Brixiensibus apud Carchanum. Tunc duo contendebant de papatu, scilicet Alexander et Octavianus.

1161. suburbium Ise captum a Federico, et Vulpinum traditum est Bergomensibus.

1166. Federicus tertio in Italiam, et Teutonici hospitati sunt ad Sanctam Eufemiam.

1168. Federicus ultra montes cum dedecore revertens Xilium[a] suspendit. Castrum Monteclari iniuste destructum.

1171. siccitas magna.

1172. caritas annone.

1173. mercatum novum ab Ardrico de Salis et sociis suis consulibus constructum.

*C.*

1154. Hoc anno primo venit rex Federicus, et tunc captus est A. et M. iussu Federici, et capta est Tortona.

1156. apud Paluscum in campestri bello Pergamenses a Brixiensibus sunt subacti.

1158. Hoc anno rex Federicus de vagina sua secundo egressus est, et per episcopatum Brixiensis et Mediolanensis agri pergit; deinde per eandem rediit.

1160. Hoc anno obsessa est Crema et etiam capta, et rex Federicus superatus est in bello a Brixiensibus et Mediolanensibus.

1161. Hoc anno timore Federici cecidit Mediolanum.

1162. Hoc anno a Federico suburbium Ise captum est, et Vulpinum tunc traditum fuit Pergamensibus.

1173. Hoc anno ab Arderico de Sale et a sociis constitutum est mercatum novum.

a) *ita Doneda, addens „per difetto della carta non poteva leggersi. Fu Zilio de Prando." Lucht habet:* x m.

| *A.* | *B.* | *C.* |
|---|---|---|
| 1175. die Mercurii, 15. exeunte Aprilis, facta in Castezio triva. | | |
| 1176. factum est bellum ad Legnanum, et alio anno tempus plus carior. | | 1176. Hoc anno apud Lignanum fuit bellum inter regem Federicum et Longobardos. |
| | 1177. tempus strictum. Caritas annone. | 1177. Hoc anno sextarii milica tribus soldis cum dimidio imperial. vendebatur. |
| 1181. tempus plus carior, et Casolotus combustus, et misse pro dōi... | | 1181. Hoc anno sicitas fuit magna. |
| 1182. Guielmus Ose potestas Brisie. | 1182. Guielmus de Osa potestas Brixie. | 1182. Hoc anno fuit Vielmus de Osa potestas Brixiae. |
| 1183. facta est pax cum Federico imperatore ad Constanciam de mense Iu.... | | 1183. Hoc anno facta fuit pax inter regem et Lombardos. |
| 1184. die Mercurii secundo intrante Madio incepta est moneta Brixie, et die postea veniente dominico proximo, 15. intrante Lugio, conbusta est contrata arcus et sancte Agathe et curte ducis. Et eodem anno de mense Septembris Federicus intravit Italiam, et natalem fecit Brisiam, et apostolicus Lucius Italiam intravit. | 1184. moneta Brixie facta est, et Brixia ab oriente[a] exarsit. | 1184. Hoc anno Brixiae moneta facta fuit, et apostolicus et rex Federicus una Veronae fuerunt. |
| 1185. die Mercurii, 8. intrante Madio, imperator redificavit Cremam, et mortuus Lucius papa eo anno, et factus est Urbanus de Mediolano. | | 1185. Hoc anno ab imperatore Federico rehedificata est Crema. |
| 1186. rex Henricus Brisia venit de mense Ianuarii. | 1186. stratae civitatis ampliatae, et renovatum est Fulcianum. | 1186. Hoc anno ampliate sunt stratae Brixiae, et roncatum est Fulciatum. |
| 1187. de mense Iunii captus est Ierusalem a Saladino. | | 1187. Hoc anno capta est Ierusalem. |
| 1188. constitutum est die dominico, 11. intrante Septembri, in contione, ut feneratores non accipiant pro unaquaque libra ultra triginta denarios. | 1188. Papienses milites fugati a Brixianis et Ferrariensibus et Veronensibus. | 1188. Hoc anno Papienses milites a Brixiensibus fugati sunt, et Ferarienses a Veronensibus. |
| 1189. imperator Federicus circa festum sancti Georii cum duce filio suo et cum principibus et cum inumerata gente ivit ultra mare, et alio anno pergente, cum fuit in flumine Solefi, necatus intus est. Et in consulatu Petri Vilani et sociorum facti sunt portici arengi. | | 1190. Hoc anno rex Fedeobiit ultra mare. |
| 1191. indictione nona Iordanus de Vivaro de Vincencia factus potestas Brisie. Et rex Henricus intravit Italiam. Et eodem anno, 3. exeunte Martio, captus castrum Calepii, et die dominico proximo, 7. intrante mense Lugii, in quo est festum beati Apolonii, capti sunt Cremonenses et mortui | 1191. in festo sancti Apollonii Pergamenses et Cremonenses cum ingenti multitudine et nimio furore apud Ponteralis in Brixienses irruerunt, sed in eorum dolorem; quia Brixiensibus fere omnibus sanis et integris remanentibus, de ipsis 164 perierunt, quorum corpora bestiis | 1191. Hoc anno in festo sancti Apolonii circa vesperas Cremonenses et Pergamenses cum ingenti multitudine et nimio furore apud Pontem-Olei irruerunt in Brixienses; sed eorum furor conversus est eis in dolorem, quia Brixiensibus fere omnibus sanis et integris remanentibus, 12 milia ibi |

a) occidente *Don.*

| *A.* | *B.* | *C* |
| --- | --- | --- |
| et necati, et Bergamenses in bello cum magna gente aliarum civitatum, scilicet Parme, Mothene, Ferarie, Regie et Bononie et aliarum civitatum, a militibus Brixie et a populo | et avibus diu remanserunt arida, et in mare fluxerunt. | perierunt, quorum corpora partim bestiis diu permanserunt arida, et ex parte in mare fluxerunt horribiliter inflata. |

